


✠
BIBLIOTECA
DEL REAL MONASTERIO
DE HUERTA.
Núm. 236.

SEBASTIANI

BARRADII

COMMENTARIA

IN

CONCORDIAM

ET HISTORIAM

EVANGELICAM.

Cpt 2p
And 5a
Ehel 1p



R. P.

SEBASTIANI BARRADII

OLISIPONENSIS,

E SOCIETATE IESV

DOCT. THEOLOGI,

In Eborensi Academia quondam Sacrarum Literar. Professoris,

COMMENTARIA

IN CONCORDIAM

ET HISTORIAM

EVANGELICAM.


ANTVERPIÆ

Sumpt. Hæred. MARTINI NVTI,

&

IOANNIS MEVRSI.

M. DC. XIII.


R. P.
SEBASTIANI
BARRADII
OLISIPONENSIS
E SOCIETATE IESV
DOCT. THEOLOG.
IN
CONCORDIAM
ET HISTORIAM
EVANGELICAM.

ILLVSTRISSIMO ET REVERENDISSIMO D. D. ALPHONSO A CASTELBRANCO, EPISCOPO CONIMBRICENSI, COMITI Arganilensi, &c.

MAGNVS ille Augustinus (Præsul illustrissime) qui erga Ecclesiam flumen fuit, aduersus hæreticos fulmen, Sacrarum Scripturarum studium magnum negotium esse affirmauit. Cũ enim Episcopatus curas atque onera in Eradium successorẽ designatũ transtulisset, seq; ad Scripturarum studium contulisset, Epistola 110. sic ait; Nemo inuideat otio meo, quia meum otium magnum habet negotium. Quantum verò negotium hoc sit, ad Volusianum Epist. 3. his verbis indicat; Tanta est Christianarum profunditas litterarum, vt in eis quotidiè proficerem, si eas solas ab ineunte pueritia vsq; ad decrepitam senectutẽ, maximo otio, summo studio, meliore ingenio, conarer addiscere. Non quo ad ea quæ necessaria sunt saluti, tanta in eis perueniatur difficultate. Sed cùm quisque ibi fidem tenuerit, sine qua piè, rectéque non viuitur, tã multa, tamque multiplicibus mysteriorum vmbraculis opaca intelligenda proficientibus restãt, tantaque non solùm in verbis, quibus ista dicta sunt, verũ etiam in rebus, quæ intelligendæ sunt, latet altitudo sapientiæ, vt annosissimis, acutissimis, flagrantissimis cupiditate discendi, hoc contingat, quod eadem Scriptura quodam loco habet: Cùm consummauerit homo, tunc incipiet, &c. *In hoc ego magnum negotium, obedientia sic statuente, longum multorum annorum contuli otium. Vt autem negotij & otij in publicam vtilitatem aliquid existeret lucri, in Euangelicam concordiam & historiam Commentarios edere iussus sum.* D. Aug. Eccles. 18.

Tomum primum, Deo duce, nunc in lucem producimus, eum verò tibi offerimus, ac dicamus. In hac Conimbricẽsi Ciuitate ortus est noster hic fructus, cui igitur potius, quã tibi pastori, nobilissimæq; huius Diœceseos Episcopo offeretur? Cũ te in nobili hac vrbe habeã præsentem, non mihi opus est ex aliis regionibus, vel vrbibus, patronum quærere absentem. Quidquid in patrono requiritur, habes. Si virtutem quæro, in te fulget. Si generis nobilitatem, Castelbrancorũ nobilissimũ genus radiat. Si dignitatẽ, duplici lumine rutilat, & Pontificis, & Comitis, quorum alterum solum ad illustrandum quemuis nobilissimum virum esset satis. Si sapientiam, micantibus nitet radiis, meritoq; doctissimus Episcopus doctissimæ Ciuitati datus es, vt vbi sedes est sapientiæ, sapientissimus sederet Pontifex. Iam verò si beneuolentiam erga nostrum Collegium, societatemq; spectem, quem nam te beneuolentiorem possem reperire? tam verba, quàm opera tuam erga nos voluntatem faciunt exploratam. Hic lapis Lydius. Quòd si opes attenderem, amplæ tibi suppetunt. Sed opes attendere non est opus. Neque enim Oppiani scribimus carmina, idcirco aurea appellata, quod pro singulis carminibus, mira largitate, singulis aureis nũmis poëta fuerit à Seuero donatus. Sic enim Sozomenus scribit in præfatione ad Theodosium: Seuerus Cæsar pro metrico poëmate, per versum, vno aureo donans Oppianum, tantum præbuit de largitate miraculum, vt aurea carmina Oppiani hactenus apud plurimos nominentur, &c. *Non aurum poscimus, sed gratum, beneuolumque animum, hoc qualicunque munere benefactori ostendimus. Non Oppiani poëma pangimus, sed Christi Optimi Maximi Euangelium explanamus: commentarios verò laboris nostri primitias, pontifici Euangelij concionatori inclyto dicamus, cui in pontificia veste ipsius Euangelij aurea resonant tintinnabula.* Sozomen.

BIBLIOTECA PROVINCIAL SORIA

Typicam antiqui pontificis veſtem reuoca in memoriam, mirabili circumdatam cernes limbo, videlicet aureis tintinnabulis, quæ pontificem indicarent, eſſe oportere vocalē in templo Dei, atque ſonantē,
D. Cyrill. Alex. D. Iſidor. Sunt (*ait D. Cyril. lib. 11. de adoratione*) minimè obſcurum ænigma prædicationis, facta ex auro tintinnabula, &c. *Et D. Iſidorus in Exod. c. 54.* Tabernaculum ſacerdos ingrediens tintinnabulis in tunica ambitur, vt videlicet voces prædicationis habeat, ne ſuperni
D. Hieron. inſpectoris iudicium ex ſilentio offendat, &c. *Adde ſi placet, Hieronymum ad Fabiolam Epiſtol. 128.* Tanta, *inquit*, debet eſſe ſcientia, & eruditio pontificis Dei, vt & greſſus eius, & motus, & vniuerſa vocalia ſint: veritatem mente concipiat, & toto eam habitu reſonet, & ornatu, &c. *Veſte fulges pontificia, cœleſtis coloris hyacinthina, hoc eſt, cœleſti vita, non terrena, & ad voluptates abiecta. Habet veſtis ſonantia, aureaque tintinnabula, id eſt, habet vita cœleſtis ſonantes, aureaſque conciones, eloquentia quidem, luſitaniq; ſermonis puritate, abſque fuco, & calamiſtris ſonantes: ſententiarum verò grauitate, ſanctorumque Patrum teſtimoniis aureas. Etenim præclarè nouiſti Patrum theſauros ſcrutari, depromptoq; ex illis auro, tua eloquia maurare. Patrum lectio tua eſt voluptas, tuæ deliciæ, tuum oblectamentum. Nam ſunt in ſanctis libris ſanctæ deliciæ,*
D. Auguſt. *teſte Auguſtino in Commentarijs Pſal. 38.* Gaudia, *ait*, ſpiritalia vnde erunt adhuc ambulantibus ſuper terram, niſi ex diuinis eloquiis, ex verbo Dei, ex parabola aliqua Scripturarum ſcrutata, & inueſtigata, ex dulcedine inuentionis, quam præceſſit labor inquiſi-
D. Damaſ tionis? ſunt quædam deliciæ ſanctæ, & bonæ in libris. *Sic Auguſtinus. Huc illud ſpectat Damaſi Summi Pontificis ad Hieronymum Epiſtola 124.* Nullam puto digniorem diſputationis noſtræ confabulationem fore, quàm ſi de Scripturis ſermocinemur inter nos, id eſt, vt ego interrogem, tu reſpondeas, qua vita nihil puto in hac luce iucundius, quo animæ pabulo omnia mella ſuperantur, &c. *Hæc tua ſunt mella, quibus conciones nobis præ-*
Cæſarius. *bes conditiſſimas. Denique, vt alter Cæſarius Nazianzeni Gregorij frater, ex roſeto Patrum collectis roſis, odorata nectis ſerta fragranteſq; coronas.* Non quædam (*ait Cæſarius initio Dialogi*) propriè mea leuiaque proferam, ſed quæcunque clarorum, beatorumque Patrū prata peragrans de illorum roſeto collegi. Quorum roſæ aqua ex latere Dei, ac ſermonis, qui carnem aſſumpſit, manante, rigantur: & à iugi ſanguinis indidem orti riuo, rubro colore tinguntur, totumque mundum ſuaui odoris frangrantia replent. Qui & ſplendore ſuo firmamenti luminaria vincunt, & vitæ ſermonem continent, &c. *Vtinam multos habeas imitatores, qui Paulino ſpiritu è ſuggeſto tonent, & ex Patrum armamentario tela nouerint ſumere, quibus hoſtem vulnerent. Etenim autoritas ponderis, acuminis, roboriſque habet plurimum. Aliter tela vulnerant à valido, aliter ab imbecillo contorta milite: ſic ſententiæ, etſi præclaræ, aliter cor feriunt, ſi Auguſtini, Hieronymi, Chryſoſtomi, Cyrilli, reliquorumque Patrum verbis, aliter concionatoris, vel ſcriptoris ſolum nomine, dictóque proferuntur.* Nihil ita percutit,
D. Hier. *ait Hieronymus in Comment. Zachariæ nono capite*, vt exemplum de Scripturis ſanctis, & teſtimonium rotatu oris emiſſum, &c. *Concionatoris ergo tela ſunt ex Scripturis ſanctis deprōpta exempla, ac teſtimonia, Patrum quoque dicta præclara, oris, pectorisque valido coniecta rotatu, id eſt, ſpiritu. Propone (oro) Pontifex Clariſsime, cōciones tuas veluti exēplar, quod imitari poſsint, cōcionatoribus, typis manda, à quo alienum te non eſſe puto. Sciant ventura ſæcula, qualem pontificem noſtra tulerint ſæcula, videant, vt in aqua ſolem, in concionibus animum, qui in corpore videre nō potuerunt. Diſcant non inutilia verba fundere, ſed de rebus ſolidis, vtilibúſque, & ad animorum ſalutē ſpectantibus ſapienter eloqui: Patrum volumina euoluere, dicta obſeruare, præclaras ſententias ad docendos, vel flectendos auditores adhibere.*

At ſcis, non eſſe ſatis Pontifici verba, virtutem præcellere, qui verba ſolum dat, fallit, qui virtutibus verba decorat, is perfectus eſt Pontifex. Idcirco conciones virtutibus, virtutes cōcionibus exornas.
D. Hier. *Sic olim Aaronis rationale exornabat ſuperhumerale. Vnde illud Hieronymi ad Fabiolam:* Non priùs rationale, & ſic ſuperhumerale, ſed antè ſuperhumerale & deinceps rationale. A mandatis tuis, *inquit*, intellexi, Pſalm. 118. Prius faciamus, & ſic doceamus, ne doctrinæ autoritas caſsis operibus deſtruatur. *Hæc ille. Fulgebant in rationali, ſacerdotiſque pectore quatuor gemmarum ordines. Has idem ſanctiſsimus Pater virtutes putat adumbrare. In rationali vmbra erat, in tuo pectore eſt veritas, in illo gemmæ, in te virtutes, in agendis rebus prudentia, in reddendo iure iuſtitia, in ſubleuandis hominum miſeriis miſericordia, in diuino cultu religio, in diligendo ſummo numine charitas, caſtitas, cæteraq;. Harum præſidiis munitus Eccleſiæ admotus gubernaculis rectū*

clauum

clauum tenes, nec in magna poteſtate licentiæ ventis abriperis, quin potius ideo tibi minus licentiæ tribuendum exiſtimas, quod in magna es poteſtate, iuxta illud præclari Philoſophi in Conſolatione ad Polybium: Cæſari, cui omnia licent, propter hoc ipſum multa non licent, &c. *Non licentiam, ſed virtutum materiam poteſtas tibi attulit, quod de Magno Baſilio olim Nazianzenus Gregorius dixit orat. 20.* Virtutem, *inquit*, Baſilij, arbitror non incrementum accepiſſe, ſed maiorem operationem; vberiorem nempe materiam poteſtate ſuppeditante, &c. *Multorum cupiditatibus, veluti igni materiam ad incendium, opes ſubijciunt, & poteſtas: at tuis virtutibus ad beneficentiam materiam ſuppeditarunt.* Seneca. Greg. Naz.

Multas opes habes, & verè quidem opes: opem enim miſeris, pauperibúſque afferunt. Nec illis ſolũ, ſed tibi etiam. Opes namque, quæ pauperibus opitulantur, magnam largienti apud Deum opem largiuntur. De Othone apud Cornelium Tacitum libro primo Hiſtor. Piſo: Perdere, *inquit*, iſte ſciet, donare neſciet. *Multi opes ſciunt perdere, donare pauci. Tu verò donare ſcis, neſcis malè expendendo perdere, vt ſubterranei meatus aquam, ſic vitia, lites conſanguinei, negligentia, atque incuria abſorbent diuitias. Nullos huiuſmodi meatus habes, nullas ſanguiſugas, vel argentiſugas, quibus prouentus tui abſorbeantur, & ſugantur. Vnde fit vt tam amplam alens familiam, tantúmque expendens æris, nullo alieno ære ſis obſtrictus, nulla lite implicatus, & quod donare poſsis, nunquam deſit. Magni ſunt redditus, ſed cum expenſarum, quæ toto Epiſcopatus tempore factæ ſunt, ad te liber elapſis diebus adductus eſt, maiorem prouentuum partem in pauperes, piáque opera inſumptam, magna cum voluptate reperiſti. Nonnulli ſic alti ſunt, vt cupreſſi, alti quidem, ſed ſteriles: tu verò in hoc pontificatus culmine, & altus es, & piis operibus fœcundus.* Corn. Tac.

De Babylonico Rege loquens Habacuc cap. 2. Lapis, *inquit*, de pariete clamabit, & lignum, quod inter iuncturas ædificiorum eſt, reſpondebit, &c. *In punitionem Nabuchodonoſoris, parietum lapides, lignáque clamabant, in laudem verò tuam clamant, clamabúntque ſemper lapides, ac ligna ædificiorum, quæ religiosè exædificaſti. Clamabunt epiſcopalium ædium ſaxa, ac ligna, quas in Algarbienſi epiſcopatu fabricaſti, ipſum clamabit miſericordiæ templũ, quod extruxiſti. In hac verò vrbe noſtra clamabunt pontificiæ domus, illa à te excitata tecta plenæ dignitatis, illæ columnæ, illa domicilia, amplum illud atrium, fons ille argenteus. Iam verò quos clamores nunc edit, edétque perpetuò ædes illa ornatiſsima, quam ſacris rebus aſſeruandis in maximo templo affabrè conſtruxiſti? clamabunt parietes illi ornatiſsimi, Diuorum illæ præclaræ effigies, egregiéque pictæ Chriſti Optim. Max. imagines, illa ſacrorum ornamentorum è pretioſa materia receptacula, ipſáque intus concluſa ornamenta multis aureorum millibus comparata, illud è lapide magni pretij lauacrum Sacerdotum manibus abluendis egregio artificio fabricatum. Quid? ipſi etiam viarum huius vrbis lapides clamabunt, quibus ſternendis beneficentia tua annuos redditus ſuppeditauit. Clamabit, rugiétq; ſemper tuus ille ex ædificiis leo aureus, & dicet. Sic aurum inſumebat Clariſsimus Pontifex Alphonſus à Caſtelbranco huius ciuitatis caſtellũ, tutor, Pater. Denique clamabunt Eleemoſynæ tuæ apud Deũ, rectéq; facta, & ſummi iudicis in ſummo iudicio fauorem tibi implorabunt. Perge ergo Reipublicæ benefacere, lapſis ſuccurrere, pauperes iuuare, in ſinúmque tuum collatam Eccleſiam Conimbricẽſem fouere, verbíſque, & exemplo enutrire. Huic autem mei laboris primogenito, quem fragrantibus Patrũ veſtibus, vt Iacob alterum fratris indumento pretioſo amictum, tibi offero, tuam impertire benedictionem, antidotum aduerſus omnes maledictiones. Si verò dignum iudicaueris, qui in præclara illa tua reponatur Bibliotheca, amoris quo te collegium hoc proſequitur, ibi conſtitutus, æternum erit monumentum.* Habacuc 2.

D. Sebaſtianus Barradius.

LECTORI.

MAGNVM opus ſuſcepimus (Lector optime) difficile, arduum, quatuor Euangeliſtarum explanationem, & concordiam. Sed tritum ingredimur iter, imò repetimus. Iam enim annis elapſis, cùm in Eborenſi Academia, tum virtutum tum litterarum laude florente, Scripturæ ſacræ interpretis munere fungeremur, in Euangelicam concordiam auditoribus Commentarios dictauimus. Ad idem ergo iter, obedientia præeunte, regredimur. Duo autem præſtanda docet Abbas doctiſſimus Rupertus hanc nauigationem aggredienti. In primis Spiritus ſancti flatum proſperum poſtulandum: Deinde Patrum ſcripta veluti lucida ſydera contemplanda. Illius verba digna ſunt, quæ hoc loco ſcribantur, & ab omnibus ſacrarum rerum ſcriptoribus ediſcantur. libro 3. in Ioann. ſic ille ait: Qui magno feruntur pelago pauidi nautæ, placidam ſibi auram imprecati, fixa cœlo ſydera reſpiciunt, terra amiſſa tenent cœlum, ſedenteſque ad clauum ſyderibus currunt; erratica verò ſydera ſequi fugiunt. Idem nobis, qui Scripturæ huius Euangelicæ profundum ingreſſi ſumus, agendum eſt. Et primò placidus nobis ille Spiritus implorandus, de quo Pſalmiſta Pſalm. 142. Spiritus, inquit, tuus bonus deducet me in terram rectam. Deinde Doctores ſacri mente, ac vigilantibus oculis tenendi ſunt, qui tanquam Arcturi nunquam occidentis lucida ſydera ſtabili fide ſemper fixi ſteterunt, & lucem fidei fundentes erroris occaſum neſcierunt. Hæreticorum verò lux erratica longè fugienda eſt. Sunt enim (vt Apoſtolus Iudas ait) ſydera errantia, quibus procella tenebrarum in æternum ſeruata eſt. Sic Rupertus.

Rupertus.

Duo hæc in hoc opere decretum mihi obſeruare. Spiritus in primis ſanctiſſimi à puppe flantem ventum poſtulare nunquam deſinam, vt cuius inſpiratione litteræ ſacræ ſunt conſcriptæ, eiuſdem aſpiratione explanentur. Etenim ſacri Scriptores quaſi quidam Spiritus ſancti calami fuere, Spiritus ſanctus ſcriba fuit velociter ſcribens, Pſalm. 44. Vnde illud Magni Gregorij cap. 1. præfationis in Iob, Ipſe, inquit, hæc ſcripſit, qui hæc ſcribenda dictauit. Item; Si magni cuiuſdam viri ſuſceptis epiſtolis legeremus verba, eaque quo calamo fuiſſent ſcripta quæreremus, ridiculum profectò eſſet, ſi non epiſtolarum autorem ſcire, ſenſumque cognoſcere, ſed quali calamo earum verba impreſſa fuerint, indagare ſtuderemus. Cùm ergo rem cognoſcimus, eiuſque rei Spiritum ſanctum autorem tenemus, quia ſcriptorem quærimus, quid aliud agimus, niſi legentes litteras, de calamo perſcrutamur? &c.

D. Gregor.

Rupertus.

Rupertus quoque loco ſuprà citato: Ipſo (inquit) aſpirante à quo Scripturæ fideles vniuerſæ conditæ ſunt, felicia ſequentes doctrinæ Catholicæ ſydera, cœpto curramus nauigio. Conſcripti ſunt ergo diuini libri Spiritu ſancto inſpirante, explanandi verò, & legendi eodem illuminante: iuxta illud diui Bernardi ad fratres de monte Dei; Quo ſpiritu Scripturæ factæ ſunt, eo ſpiritu legi deſiderant, ipſo etiam intelligendæ ſunt, &c. Et illud Abbatis Neſterotis apud Caſſianum collatione 14. cap. 9. Aliud eſt facilitatem oris, & nitorem habere ſermonis, & aliud venas, ac medullas cœleſtium intrare dictorum, ac profunda, & abſcondita Sacramenta puriſſimo cordis oculo contemplari. Quod nullatenus humana doctrina, nec eruditio ſæcularis, ſed ſola puritas mentis per illuminationem Spiritus ſancti obtinebit, &c. Itaque Spiritus ſancti opem ſemper implorare, flatum precari, ductum orare, mihi neceſſe eſt, tuaſque, Lector optime, etiam atque etiam in hanc rem preces precibus flagito, vt quod cœpi, proſpero explanationis curſu, ad optatum vſque finem perducam.

D. Bernar.

Caſsianus.

Quod

Quod ſecundo loco à Ruperto in hac nauigatione propoſitum eſt, Patrum eſt veluti ſyderum contemplatio. Hæc ego clariſſima ſydera ſemper aſpiciam, hos duces ſequar, ex his fontibus hauriam, his fluminibus mea arua irrigabo, ſacrorum librorum intelligentiam non ex præſumptione mea, ſed ex maiorum ſcriptis, & autoritate depromam. Qua in re duo illa Græciæ fulgida aſtra Baſilium magnum, & Gregorium Nazianzenum imitabor, de quibus Ruffinus lib. 2. hiſtoriæ Eccleſiaſticæ ſic ſcribit. *Ruffinus.* Gregorius, & Baſilius, vt ferunt, per 13. annos in monaſterio, omnibus Græcorum ſæcularium libris remotis, ſolis diuinæ Scripturæ voluminibus operam dabant, earumque intelligentiam non ex propria præſumptione, ſed ex maiorum ſcriptis, & autoritate ſequebantur, quos & ipſos ex apoſtolica ſucceſſione intelligendi regulam ſuſcepiſſe conſtabat. Quorum præcipuè in Prophetas Commentarios diſcutientes, theſauros ſapientiæ, & ſcientiæ reconditos in vaſis fictilibus requirebant. Hæc ille; Diuus *D. Hieron.* Hieronymus in epiſtola ad Paulinum. Nunquam, ait, ab adoleſcentia, aut legere, aut doctos viros, quæ neſciebam interrogare ceſſaui, aut meipſum magiſtrum habui. Non habuit ſeipſum magiſtrum Hieronymus, neque ego meipſum magiſtrum habebo: ſed Hieronymum, Auguſtinum, Ambroſium, Chryſoſtomum, Gregorium, patreſque reliquos Spiritus ſancti lumine illuſtratos audiam. Spiritus autem ſancti lumine illuſtratos fuiſſe Patres admirabilis illa columba demonſtrat; quam Magni Gregorij capiti Petrus Diaconus inſidentem ſæpè conſpexit, Spiritus ſancti ſignum, vt teſtatur Ioannes Diaconus lib. 4. de vita Gregorij cap. 69. Vnde morem ait emanaſſe, vt ſuper *Ioan. Diac.* ſcribentis Gregorij caput Spiritus ſanctus columbæ effigie depingeretur. Patrum capitibus cœleſtis columba inſedit, hæreticorum capitibus tartareus coruus inſidet, abſoniſque vocibus, & abſurdiſſimis Scripturæ interpretationibus crocitat moleſtiſſimè. Sed non deſunt aures (proh dolor) quibus ſuauis ſit tartarei corui crocitatio. Similes habent labra lactucas, vt eſt in Prouerbio, ſimiles magiſtri ſimilibus diſcipulis arrident, qui (vt Cyrillus ait lib. 1. de Trinitate) ſicut vituli abarmentati, & diſperſi *D. Cyrillus.* eunt rectà ad id quod ſibi arridet, & prætercurſis optimis, & verè pulcherrimis paſcuis, ad tribulos feſtinant, & ſpinas, &c. Nos verò tribulis & ſpinis, id eſt, prauis, diſtortiſque ſacrarum litterarum interpretationibus conculcatis, atque abiectis, ſanctorum Patrum pulcherrimis paſcuis mentem paſcamus.

Neque verò in hoc noſtro opere Patres ſolummodò, ſed recentiores quoque Eccleſiæ Doctores, qui præclaras de diuinis rebus cogitationes ſuas litteris mandarunt, citabimus; iuxta Domini dictũ Matth. 13. ex Theſauris Doctorum, ſacræque Scriptu- *Matth. 13.* ræ interpretum noua, & vetera proferemus: hoc eſt, non veteres ſolùm interpretationes veterum autorum, ſed nouas quoque recentiorum, veluti dapes varias, variis lectorum palatis proponemus. Hũc enim Commentariorum eſſe morem docet Hieronymus Ierem. 22. Commentariorum, inquit, mos eſt diuerſas ſententias ponere *D. Hieron.* interpretum, &c. Et epiſtola 89. ad Auguſtinum; Ego, ait, de magnis ſtatuere non audeo, niſi hoc ingenuè confiteri, me maiorum ſcripta legere: & in Commentariis, ſecundùm omnium conſuetudinem, varias ponere explanationes, vt ex multis ſequatur vnuſquiſque quod velit. Quod quidem te puto & in ſæculari litteratura, & in diuinis libris legiſſe, & probaſſe, &c. In Commẽtariis autem Matth. c. 23. In diuerſis (inquit) diuerſa legi, & debeo ſingulorum opiniones ponere, &c. Quod Hieronymus fecit, id faciam, in diuerſa legi, & ſingulorum interpretationes, & ſententias, verba etiam ponam. Nam plus habebunt autoritatis ipſa Autorum verba, quàm aliis verbis à me cõprehenſa ſententia. Iuuat Patres & Doctores ſuis verbis fideliter loquentes audire, iuuat illorum verba ad manum habere, vt concionibus vſui eſſe poſſint.

Itaque litteralem in primis ſenſum perſcrutabor, parerga aliqua adiungam, ad mores componendos moralia addam. Nam morum compoſitio vt maximè eſt neceſſaria, ita ex Scripturæ diuinæ lectione maximè depromenda. Speculum eſt Scriptura, in

quo

quo faciem ſuam animus, & intueatur, & ornet. Illam qui interpretatur, & legit, non
D. Auguſt. in theoria ſolum verſetur, ſed ad praxim quoque tendat, iuxta illud Auguſt. ſer. 112. de tempore; Non ſit mora in faciendo, quod intus ſapiatis intelligendo, &c. Et illud; Ille beatiſsimus eſt, qui diuinas Scripturas vertit in opera, &c. Ad hunc ſcopum moralia noſtra tendunt, hoc contendunt, vt diuina verba in diuina cõuertamus facta. Quemadmodum enim cibus carnis in membra carnis conuertitur, ſic cibus mentis (hoc eſt Scriptura ſancta) in virtutes, ſanctoſque mentis mores conuertendus eſt.

Habes igitur, optime Lector, in hoc primo Tomo, habebiſque in reliquis, Deo votis aſpirante, litteralis ſenſus tum ex Patrum, tum ex Doctorum qui poſtremis his ſæculis ſcripſerunt elucubrationibus, inueſtigationẽ. Moralia deinde occurrent ad mores efformandos appoſita, tam lectoribus quàm concionatoribus qui candido ea legerint animo, non nihil emolumenti allatura. Tractatus quoque aliquot reperies, cũ Euangelio, quod exponimus connexos; videlicet, de Teſtamento, Teſtamentique Noui prærogatiuis; De Aduentu Meſſiæ, de Virgine Deipara, & in Genealogia Chriſti Opt. Max. hiſtoriæ Scripturæ pericopen quandam & ſummam. Quæ omnia eo animo, vt legas obſecro quo tibi offeruntur, ſcilicet, bono atq; æquo, & diuinæ laudis, quæ libri totius ſcopus eſt, ſtudioſo.

SVMMA

SVMMA TOMI PRIMI.

LIBRO PRIMO de Teſtamento, Nouíque Teſtamenti quindecim prærogatiuis agitur, de Euangelio, & Euangeliſtis quatuor.

LIBRO SECVNDO de aduentu agitur Meſsiæ Iudæis promiſsi. Cæcitas Iudæorum oſtenditur. Sacram Scripturam ænigmaticam eſſe demonſtratur, de nouiſsimis Meſsiæ diebus agitur, de templo, & ciuitate à Meſsia exædificata, tam in cœlis, quam in terra. De conuerſione Iudæorum prope finem mundi, de Iſraelitarum ſtatu, & Repub. numquam inſtauranda, de diſperſione Iudæorum per orbem, de regno Meſsiæ, de bellis, de ſponſa, id eſt, Eccleſia, & filijs, de diuinitate Meſsiæ, de aduentu Eliæ, de abrogatione legis veteris, &c.

LIBRO TERTIO iam veniſſe Meſsiam confirmatur, tum teſtimoniis ſacrarum literarum, tum rationibus.

LIBRO QVARTO de æterna, & diuina Chriſti Generatione ſermo eſt, ex capite primo D. Ioannis.

LIBRO QVINTO ex cap. 1. Matth. de humana Generatione, & Genealogia Domini verba facimus, de Regibus aliiſque progenitoribus, de triplici quoque populi Iſraelitici ſtatu & Scripturæ tempora, atque hiſtoriam veluti in tabella deſcribimus.

LIBER SEXTVS Virgini intemeratæ Chriſti genitrici totus tribuitur.

LIBER SEPTIMVS de Conceptione eſt præcurſoris Chriſti, de Annuntiatione Angelica, déque Virginis intemeratæ Viſitatione ad Elizabetham.

LIBER OCTAVVS de Præcurſoris natiuitate, laudibus ac prærogatiuis de Apparitione Angeli, ne Virginem intemeratam dimittat, Ioſepho nuntiantis, de Natiuitate Chriſti, & Paſtorum ad præſepe vocatione.

LIBER NONVS de Circumciſione Domini, de Auguſtiſsimo nomine IESV, de vocatione, adoratioñéque Magorum.

LIBER DECIMVS & extremus de Purificatione Deiparæ Virginis, de Fugæ Chriſti in Aegyptum, de Innocentium cæde, de reditu Domini ex Aegypto in Iudæam, de Manifeſtatione ſapientiæ in medio Doctorum, cum duodecim eſſet annorum.

CAPITA EVANGELISTARVM,
quæ hoc Tomo explanantur.

DIVI Matthæi caput primum; Liber Generationis, &c. vſque ad finem Genealogiæ Chriſti, explanatur lib. 5. Concordiæ cap. 1. & ſeq. Reliqua pars eiuſdem capitis explanatur lib. 8 cap 5. &c.

D. Matthæi cap. 2. hiſtoria de Magis lib 9. cap. 8. &c. Reliqua pars eiuſdem cap. lib. 10. cap. 8. &c.

D. Lucæ caput primum ab initio ſiue præfatione, vſque ad verba illa: Quia ſic fecit mihi Dominus in diebus quibus reſpexit auferre opprobrium meum inter homines. Lib. 7. c. 1. &c Secunda pars eiuſdem capitis primi ab illo loco: In menſe autem ſexto miſſus eſt Angelus, &c. vſque ad illa verba: Ecce ancilla Domini &c lib 7. c. 6 & c. Tertia pars capitis ab illis verbis: Exurgens autem Maria in diebus illis; vſque ad illa, Reuerſa eſt in domum ſuam, lib. 7. c. 12. &c. Reliqua pars capitis de natiuitate Ioannis, & cantico Zachariæ, libro octauo, capite primo, & ſequentibus.

D. Ioannis caput 1. explicatur, l. 4. c. 1. & ſequentibus, vſque ad illa verba: Verbum caro factum eſt, & vidimus gloriam eius, &c.

IVDICIVM DOCTORVM, QVI
primùm hunc Tomum recognouerunt.

RECOGNOVI hunc primum Tomum Commentariorum P. Doctoris Sebaſtiani Barradij in Euangelia, eorumque Concordiam. Et viſum mihi eſt opus multæ, variæque eruditionis, & pietatis chriſtianæ, nec minoris vtilitatis, atque adeò impreſſione omnino dignum, cùm nihil etiam contineat, quod à Catholica Fide & bonis moribus ſit alienum. Olyſſipone, in domo diui Rochi Societatis IESV, 14. Nouembris, 1597.

Doctor P. Paulus Ferrer.

AVREVM hoc opus in Sacroſancta Euangelia, ſeu potius primum eius Tomum decem libros continentem, qua potui diligentia perlegi, nihilq; in eo reperi, quod non ſanam ſanctorum Patrum, atque adeò Eccleſiæ Catholicæ doctrinam præ ſe ferat, Tantum abeſt vt aliquid contineat, quod impedimento eſſe debeat, aut poſsit, ne in communem ſtudioſorum vtilitatem typis quamprimum mandetur. Olyſsipone, 6. die Decembris, 1597.

Doctor F. Angelus Pereyra.

FACVL-

FACVLTAS SVPREMI INQVISITIONIS CONCILII.

POSSVNT *Imprimi hi* Commentarij in Euangelia. *Olyſsipone*, 9 *Decembr.* 1597.

Diogo de Souſa. Marcos Teixeyra.

FACVLTAS ILLVSTRISSIMI, ET REVERENDISſimi D. Alphonſi de Caſtelbranco Epiſcopi Conimbricenſis.

POteſt mandari typis Primus hic Tomus in Euangelia, &c.

D. Alphonſus Epiſcopus Comes.

FACVLTAS SENATVS REGII.

POſſunt excudi hi *Commentarij in Euangelia.* Olyſſipone, 15 Decembr. 1597.

Pereyra. D. Daguiar. Fonſequa.

FACVLTAS R. P. PROVINCIALIS SOCIETATIS IESV IN LVSITANIA.

EGO *Chriſtophorus Gouuea Societatis* IESV *in Prouincia Luſitaniæ Prouincialis, poteſtate ad hoc mihi facta, à Reuerẽdo admodum Patre Claudio Aquauiua, Præpoſito noſtro Generali, facultatem concedo, vt* Tomus primus Commentariorum in Euangelia, eorumque Concordiam, *à Patre Sebaſtiano Barradas noſtræ Societatis, ſacræ Theologiæ Doctore, & ſacrarum litterarum profeſſore cõpoſitus, eiuſdemque Societatis Patrum iudicio approbatus, typis mandetur. Conimbricæ, 2 Maij,* 1598.

Chriſtophorus Gouuea.

SEBASTIANI

SEBASTIANI BARRADAS

E SOCIETATE IESV

DOCTORIS THEOLOGI

COMMENTARIORVM IN CONCORDIAM EVANGELICAM

TOMVS PRIMVS.

LIBER PRIMVS.

CAPVT I.

De Testamento.

Duo libri, mundus & sacra litterа.

HVMANARVM mentium illustrator Deus, libros duos proposuit hominibus legendos, ex quibus res diuinæ, à mortalibus oculis lõgè semotæ, cognosci possint; mundum, & litteras sacras. Vtrumque manu conscripsit sua. Opus enim Dei mundus est, mira rerum varietate decoratus; quæ omnes, veluti prægrandes characteres, admirandam Opificis sapientiam, potentiam, pulcritudinemque demonstrant. Dei quoque opus est sacrarum litterarum volumen, diuino digito, id est, spiritus, exaratum; mole quidem multo minus, sed doctrina multo maius atque præstantius. Quemadmodum verò mundus in duas diuiditur regiones, elementarem atque cælestem: ita sacrum volumen in duo distribuitur Testamenta, vetus ac nouum: illud elementari, hoc cælesti regioni simile est. Cælestis regio nobilior est elementari; nouum Testamentum nobilius est veteri. In regionem elementarem corruptio cadit; cælesti contingere non potest: in ritus legesq; Testamẽti veteris cecidit abrogatio; nouo illa euenire nequit. Cælestis regio, totius lucis fontem habet Solem; ab illo elementaris lucem mutuatur: nouum Testamentum totius gratiæ fontem continet Christum; ab illo vetus gratiam hausit. Cælum elementorum tenebras illuminat; nouum Testamentum veteris vmbras typosque illustrat. Hoc cælum, id est, nouum Testamentum, astris distinctum clarissimis, vt cum Dauide loquar, enarrat gloriam Christi; & opera manuum eius annunciat hoc firmamentum; quod potẽtissima Dei manu in Ecclesia firmatum fulget; & aquas diuidit ab aquis, quod est in Genesi, id est, à reliquis populis, populum Christianum. *Aquæ enim populi sunt.* Hoc cælum nunc ingredimur, cum ad explanandos Euangelij libros planè cælestes aggredimur. Faxit Deus, ne sit hic Phaëtontis ausus; *inclinet*, vtinam, *cælos*, quod Dauid optabat, mentem humi repentem attollat; spirituque affiatam suo, ad interiora velaminis, id est, ad reconditos germanosque sensus per vestigia Patrum ducat.

Duo Testamenta, alterum simile regioni cælesti, alterũ elementari.

Nouũ Testamentum cælum est enarrans gloriam Christi. Apoc. 17.

Psal. 143.

Exordiamur ergò ab explicatione Testamenti & Euangelij; quid Testamentum sit, quid Euangelium, ostendamus. Testamentum à testando dicitur, quod hominis volũtatem testetur, qua suorum bonorum heredes instituit. In scriptura tamen sacra, vox hæc frequenter pro fœdere vsurpatur: respondet enim voci Hebrææ ברית Berith, quæ significat pactum, hanc septuaginta interpretes, in dictionem Græcam διαθήκη, transtulerunt, quæ dispositionem sonat (à verbo Græco διατίθημι, id est, dispono) & Testamentum ac pactum: *Non custodierunt Testamentum Dei*, id est, pactum. *Testamentum*

Quid significet Testamentum.

Psal. 77.

Psal. 88.

tum disposuerunt, tabernacula Idumæorum & Ismaëlitæ & cet. id est, fœdus percusserunt, *Disponamus testamentum cum gentibus.* id est, fœdus ineamus. Hoc docet D. Hieron. Notandum, inquit, in plerisque scripturæ locis, testamentum, non voluntatem defunctorum sonare, sed pactum viuentium. Et Aug. Testamẽtum, in scripturis, non illud solùm dicitur, quod non valet, nisi testatoribus mortuis; sed omne pactum & placitum testamentum vocatur. Lege Hieron. ad Galat. 3. & August. lib. 16. de Ciuit. Dei. c. 27.

1. Mac. 1. *D. Hieron. in commentariis Malach. 2.* *Augustin. in Psal. 82.*

Quid sit Berith.

Vox Hebræa, ברית Berith, vt volunt nonnulli Hebræi, deducitur à verbo ברה Barach, quod significat succidere; eò quòd olim, qui fœdus inibat, animal aliquod cæderent: alij aliundè deducunt. Quidquid sit, certè, in sacris litteris nomen Berith, cum verbo כרת Carath, id est, excindere, quemadmodum apud Latinos nomen fœdus cum verbis percutio & ferio coniungitur. Consuetudo autem cædendi animal, non solum Ethnicorum fuit; vt testatur illud Poëtæ carmen.

Æneidos 8.

Stabant, & cæsa iungebant fœdera porca.

Et Liuius li. 1. ab vrbe cõdita, & M. Tul. 2. lib. de Inuentione. Verum etiam Hebræorum; vt significat Hieremias. *Dabo, ait Dominus, viros, qui præuaricantur fœdus meum; & non obseruauerunt verba fœderis, quibus assensi sunt in conspectu meo, vitulum, quem conciderunt in duas partes, & transierũt inter diuisiones eius; Principes Iuda, & Principes Ierusalẽ, eunuchi, & sacerdotes, & omnis populus terræ; qui transierunt inter diuisiones vituli,* &c. Habes ineundi fœderis ritum, vides Israëlitas vitulũ cæsum in duas partes diuisisse; deinde inter partes vtrimque oppositas pertransisse; ea ceremonia se deuouẽtes morti, quæ cæso vitulo contigerat, si fœdus violarent: vnde minatur Dominus daturum se eos, vt vitulum, id est, occisurum instar vituli, quòd fœdus fregerint. Eodem ritu, vt est multorum sententia, vsus est Deus, cùm fœdus inijt cum Abrahamo, pollicitusque est terram repromissionis. *Capram, arietem & vaccam percussit, & in partes dissecuit Abrahamus; & ex vtraque altaris parte collocauit.* Clibanus verò fumans, & ardens fax pertransijt, easque absumpsit: qua face, Deus fœdus iniens, transire indicabatur. D. Cyrillus: Mos, inquit, erat apud Chaldæos iuramenta stabilire, transeundo per medias diuisiones; & lex regionis eius rem confirmabat. Hoc facere præcepit Deus Abrahæ, dicens: Accipe vitulum, & capram, & arietem. Id, quod benè intelligens Abraham, quamuis Deus solum imperasset, debere accipere: ipse tamen cetera addidit, & iuxta legem iuramenti, occisa in duo diuisit, ordine collocans; eo quod statim per medium transiturus esset Deus. Figurabatur autem, quasi in specie ignis, diuina & immaculata natura. Hæc ille.

Ieremi. 34. *Fœdera cæso animali percutiebantur.* *Genes. 15.* *D. Cyrillus l. 10. aduersus Iulianũ.*

Quid sit nouum Testamentum & vetus.

Ex ijs compertũ est quid sit vetus, quid nouum Testamentum. Vetus Testamentum, antiquum fœdus dicitur cum antiquo Israëlitarũ populo à Deo initum; nouum verò Testamentum, nouum fœdus vocatur cum nouo Christianorum populo percussum. Id quod ex Paullo & Hier. planè docetur: *Ecce dies veniunt, dicit Dominus, & consummabo super domum Israël, & super domum Iuda Testamentum nouum, non secundum Testamentum, quod feci patribus eorum, in die qua apprehendi manum eorum, vt educerem illos de terra Ægypti. Quia hoc Testamentum, quod disponam domui Israel, post dies illos; dabo leges meas in mentem eorum, & in corde eorum superscribam eas; & ero eis in Deum; & ipsi erunt mihi in populũ,* &c. Vtriusque Testamenti fit hoc loco mentio: in hebraico verò fonte, Testamentum ברית Berith, dicitur; à nostro interprete Latino fœdus, & pactum, Hierem. 31. vertitur; ad Hebræ. 8. Testamentum versum est.

Hebr. 8. *Ierem. 31.*

A Est ergo vtrumque Testamentum pactum à Deo cum hominibus initũ; quod tamen Testamenti propriam habet rationem: Testamentum enim, vt definit Ambr. est, quo defertur bonorum hereditas; vtroque autem tam veteri, quàm nouo defertur à Deo bonorum hereditas; in illo terrena, in hoc cælestis hereditas legatur. Dicitur ergo vtrũque rectè Testamentum. Quòd si obiiciat quispiã illud Paulli: *Vbi est testamentum, mors necesse est intercedat testatoris*, in veteri verò pacto, non interceßisse mortẽ testatoris; propterea quòd Deus sit immortalis. Respondemus cum Paullo: *mortem testatoris Dei interceßisse, non re ipsa, sed per similitudinem quandã & vmbrã sanguinis effusi. Vbi testamentũ est*, ait Paullus ibidem, *mors necesse est intercedat testatoris: testamentum enim in mortuis confirmatum est, alioquin nondum valet, dum viuit, qui testatus est. Vnde nec primum quidem sine sanguine dedicatum est:* id est, testamentum testatoris morte confirmatur; vnde nec primum Testamentum, &c. quasi dicat: quam ob causam non solùm Testamentum secundum, nouum, verum etiam primũ, vetus, confirmatum est sanguine & morte testatoris. Moses namque, postquam volumen fœderis legit, sanguine populum respersit, imbuit altare; aiens: *Hic sanguis fœderis, quod pepigit Dominus vobiscum:* ille autem sanguis mortem Dei, quę necessaria erat ad confirmationem Testamẽti, præsentabat: vt indicaretur Testamentum illud ratum perinde esse, ac si è vita testator discessisset. In hanc sententiam Paullum interpretatur Theodoretus, his verbis: Quia natura diuina est immortalis, per hostiarum sanguinem impleuit Deus mortis figuram; & Testamentum confirmauit, &c.

Testamentum Vetus quomodo sit sanguine cõfirmatum. *Exod. 24.* *Theodoret. ad Hebr. 9.*

B

C

Vrgebis: mortẽ Dei testatoris vetus Testamentum irritum potius reddidisse, quàm ratum: probabis: eo quod mors Christi Dei, veterem legem, atq; adeò vetus Testamentum abrogarit. Fatemur quidem mortem Christi Testamentũ vetus & legem, longo tempore, postquam illa est lata, abrogasse: inficiamur tamen inde sequi, non fuisse ad illud vsque tempus ratum, sanguineque à Mose effuso stabilitũ: fuit enim illud Testamentum temporarium, non æternum. Nouum autem Testamentum, morte Christi testatoris, confirmatum esse satis liquet: vnde illud Christi: *Hic est sanguis meus noui & æterni Testamenti*, &c. Quasi dicat: Hic est sanguis, quo nouum Testamentum confirmatur: per quem cælestis hereditas hominibus legatur, atque obuenit. Id quod adũbrauit Aronicus Pontifex, cùm semel singulis annis, in Sancta Sanctorum non sine sanguine introibat. *Adumbrabat, videlicet, sanguis ille sanguinẽ Christi; per quem in Sancta Sanctorum*, id est, cælestem hereditatem, *nobis aditus patuit.* Quamobrem in Zacharia sanguini Testamenti noui tribuitur sanctorum Patrum e limbo, vt vocant, in æternam beatitudinem liberatio, ipsaque hereditatis consecutio. *Tu*, inquit, *ô Christe, in sanguine testamenti tui*, id est, quo testamentum tuum confirmasti; *eduxisti vinctos tuos de lacu*, &c.

Matth. 26. *Testamentum nouũ confirmatũ est Christi sanguine.* *Hebr. 9.* *Zachar. 9.*

D

Quòd si olim, vt supra dictum est, fœdus percutiebatur, victima percussa, & in duas dissecta partes; id quoque nostrum hoc fœdus habuit. Vt enim nouum fœdus inter Deum hominesq; feriretur; summa victima Christus, multis vulneribus cæsa, & in duas partes, corpus scilicet, atque animum à corpore separatum, diuisa est. Pacti cum Abrahamo initi signum Deus esse voluit vnius membri circumcisionem: at fœderis nobiscum perfecti signum caussamque esse decreuit, non vnius tantùm membri, sed totius sanctißimæ illius hostiæ concisionem. *Arcum meum*, ait, *ponam in nubibus, & erit signum fœderis inter me & inter terram.* En signum fœderis

E

Christus victima fœderis, siue Testamẽti noui. *Genes. 17.* *Genes. 9.*

Crux Iris, signum fœderis noui.

ris cum Noë percussi; nostri verò signum Crux, est multo præstantior arcus; non vacuus telis, vt Iris, sed sagittis plenissimus; quæ non terrarum solùm, sed cælorum etiam regnum nobis subdunt. Iris

Thaumátis, id est, admirationis filia, Plato.

Thaumantis, id est, admirationis filia, à Platone in Theæteto vanè dicitur; Crux Thaumantis, id est, admirationis mater, à nobis non vanè, sed verissimè dici potest. Quid enim est, quod tum hominibus, tum Angelis, maiorem parere possit admirationem, quàm Crux? quid stupendum magis vel videre potest orbis, quam Cruci suffixum Deum? *Iris nubes tetra est; at mille trahit,* vt cum Poëta dicam, *varios aduerso Sole colores.* Id Cruci mirum congruit in modum. Quid Crux antequam Christi radijs illustraretur? tetra nubes erat, id est, supplicium impiorum? at præclarissimi Solis splendore illuminata, mille trahit varios ex Deo crucifixo honores.

Æneid. 5.

DE PRÆROGATIVIS NOVI TESTAMENTI

CAPVT II.

De prima Prærogatiua.

MVLTÆ sunt noui Testamenti prærogatiuæ, quas prælibare operæpretium erit: tum, vt quanta exundet dulcitudine, cum veteri illud conferẽtes, percipiamus; tum vt scripturæ sacræ obscura quædam loca, in quibus vnum Testamentum alteri præponitur, intelligamus.

Prima noui Testamenti prærogatiua ex charta sumitur, in qua est scriptum, traditùrque ab Ieremia Propheta, & à Paullo: *Hoc,* inquit, *est Testamentum quod disponam domui Israël, post dies illos, dicit Dominus: Dando leges meas in mentem eorum, & in corde eorum superscribam eas.* O chartam eximiam, ô præpotentem scriptorem, ô supremum legislatorem Christum! Solon, Lycurgus, Moyses, ceteríque legumlatores, vel atramento in papyro & membrana leges inscripserunt, vel in æs ad perpetuam memoriã inciderunt; externis tantum characteribus, quòd vlterius in animum pertingere nequirent, contenti. Christus nouus legislator nouam legem, nouo modo, tulit, externis notis minimè contentus, ad animum ipsum penetrauit, legemque in ipsis visceribus, non atramento, sed spiritu consignauit. Videlicet, Dei proprium est ad viscera ipsa penitus intrare, in animum calamum inferre, in corde veluti candidissima charta scribere: ideóque huiusmodi legis inscriptio non Moysi concessa, sed illi reseruata est, qui homo simul est, & Deus. In monte Sinai veteri populo in tabulis lapideis mandata exarauit, nouo populo in tabulis, cordis carnalibus, legem insculpsit: vnde illud Paulli: *Epistola estis Christi ministrata a nobis, & scripta, non atramento, sed spiritu Dei viui, non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus.* Quibus verbis Augustt. Ecclesiam sic alloquitur: Tu, ô Ecclesia, es Epistola Apostolorum scripta non atramento, sed spiritu Dei viui: non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus. Et Theophylactus ex hoc loco Paulli, noui Testamẽti infert

Ierem. 31. Hebr. 8. Nouum Testamentum in tabulis cordis carnalib. scriptum.

2. Corint. 3.

Augustt. lib. 15. contra Faustũ Manichæũ, c. 4. Theophyl. in 2. Cor. 3.

A prælcellentiam: Lex, inquit, atramento scribebatur; Euangelium in nobis per spiritum scriptum est. Quantò igitur interuallo spiritus ab atramento distat, & cor à lapide, tantò & nouum Testamentum à lege discrepat, &c. Iudæorum cor lapideum fuit, si statum legis spectes, quæ caritatem cor emollientem vi sua non præbebat. Id quod, vt vult Augustt. lapideæ tabulæ adumbrarunt. Digito, inquit, Dei lex scripta est, sed propter duros in lapide scripta est. Et libro 15. contra Faustum, capite 4. Cor, ait, lapideum tabulæ illæ lapideæ in priore populo significabant, &c. Cor autem Christianorum carneum esse oportet, vt appellat Paullus: In tabulis, ait, cordis carnalibus: abstulit enim Christus cor lapideum, B & donauit cor carneum, vt est apud Ezechiel. ac cereum caritatis dono emollitum. Quibus illud Psal. non incommodè accommodari potest: *Factum est cor meum tanquam cera liquescens in medio ventris mei:* cor Christi, ait, eo loco D. Hieronym. Ecclesia intelligitur. Si igitur cor Christi cum liquescente cera confertur, potest cum eadem cera Ecclesia quoque, quæ cor Christi est, conferri, ad omnia Dei mandata flexibilis, & parata.

Augustin. tract. 33. in Ioan.

Cor Iudæorũ lapideũ, Christianorũ carneũ, si legem spectes.

Ezech. 11. & 36.

Psal. 21.

Hieronym.

Verum explanatione indiget hæc prærogatiua: nam leges noui Testamenti, quemadmodum & veteris, atramento in charta conscriptæ sunt: hæ à Moyse, & Prophetis, illæ ab Apostolis, & Euangelistis: non ergo vera videtur prærogatiua. Præterea, vel leges cordi inscribi, est inscribi memoriæ, & intellectui, vel voluntati: at leges veteris Testamenti C memoriæ & intellectui, ac voluntati Hebræorum inscriptas quis neget? cum & illas intelligerent, memoria tenerent, & voluntate magna multi seruarent. Nodum hunc soluit Augustt. cum legem veterem docet esse præcepta legis litteris exarata: nouam verò caritatem diffusam in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis: Lex, inquit, Dei est caritas. Cum in tabulis scribuntur præcepta caritatis, lex est operum, & littera occidens præuaricatorem: cùm autem ipsa caritas diffunditur in cordibus credentium, lex est fidei, & spiritus viuificans dilectorem. Et D. Chrysost. rogat: Quæ est lex, quam hodie è cælo latam discis? respõdet: Spiritus sancti gratia. Cùm ergo gratia & D caritas in animo sitæ sint, meritò leges noui Testamenti in corde, in viscẽribus, in mente conscriptæ esse dicuntur. Quamuis autem præcipuè in corde, & mente sint impressæ per caritatem, quæ plenitudo legis est: tamen etiã litteris sunt cõsignatæ in Euangelijs ceteríque noui Testamẽti libris. Legum verò externa hæc promulgatio & inscriptio noui Testamenti non est propria, sed veteri etiam congruit; interna per caritatem & gratiam impressio in mente, ea præcipuè nouum Testamentum illustrat. Nec enim ad vetus Testamentum caritatis & gratiæ in mente impressio pertinet: quia ex vi veteris Testamenti caritas & gratia nulli hominum data est, vt E mox docebimus.

Quid sit legem cordi esse inscriptam.

Augustt. lib. de spiritu & littera, c. 17.

Lex Dei caritas.

Chrysost. tom. 3. hom. de Spiritu S. in Pentecoste.

Miraberis cur Aug. caritatem appellet legem; sed mirari desines, si aduertas legem non esse tantummodo dictamen intellectus dirigentis, verùm etiam propensionem voluntatis, vel appetitus, quæ ad bonum; vel malum impellit. Quocirca Paullus propensionem in malum, vocat legem membrorum: *Video,* inquit, *aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati, quæ est in membris meis,* &c. Indicat hoc loco Paullus, propensiones esse etiam leges, & quidem multò potentiores, quàm intellectus dictamina: video, inquit, legem in membris meis captiuantem me. Vide vires propensionis impellentis, & captiuantis. Intellectus dictamen intellectum il-

Lex dicitur dictamen, & propẽsio. Rom. 7.

luſtrat: propenſio verò voluntatem, vel appetitum potenter mouet, & inflammat. Dictamina multa intellectus habuit lex antiqua, propenſionem caritatis nemini largita eſt. Hæc verò caritatis & amoris propenſio potentiſſima lex eſt, quàm Chriſtus Opt. Max. viſceribus noſtris imprimit, ad omne bonum impellentem. Nam, ſi lex membrorum, vt ait Paullus, in captiuitatem peccati hominem inducit; caritas, lex viſcerum, in captiuitatem Dei eundem pertrahit. *Fortis enim eſt vt mors dilectio.*

Cant. 8. Soluuntur argumenta.

Soluta ſunt argumenta ex ijs quæ diximus. Priori reſpondemus: leges noui Teſtamẽti atramento conſcriptas eſſe in charta, quemadmodum & veteris, idque commune eſſe vtrique Teſtamento: illud autem ſingulare, ac potiſſimum noui, quòd caritatem, & per caritatem leges ſuas cordi imprimat: *nam plenitudo legis eſt dilectio*, teſte Paullo. Quod autem poſterius argumentum aſſumebat, leges veteris Teſtamẽti Iudęorũ animis inſcriptas fuiſſe: ſi per caritatẽ inſcriptas fuiſſe intelligatur, id factum cõcedemus non ex vi veteris, ſed noui Teſtamẽti, quod omnem ſibi vendicat caritatem, quæ ab orbe condito hominum mentibus infuſa eſt, vt ex ſequenti prærogatiua facile cognoſcetur. Si quis autem probare contendat, non eſſe propriam nouo Teſtamento hanc legum in mentibus conſignationem, quòd natura ſuas quoque leges animis inſcripſerit, iuxta illud Chryſoſtom. Simul atque hominem finxit Deus, ei indidit naturalẽ legem, quam veluti fidum conuictorem apud vnumquemque deponit, ac committit, &c. Et illud Paulli: *Gentes oſtendunt opus legis ſcriptum in cordibus.* Reſpondemus ſimiliter, naturam caritatem largiri non poſſe, ſed poſſe intellectum aliquo modo illuſtrare, atque adeò leges in intellectu inſcribere: nouo autem Teſtamento prærogatiuam peculiarem eſſe, caritatis & gratiæ in animis impreſſionem.

Rom. 13. Galat. 5.

Chryſoſt. ad Rom 7. hom. 12. Quomodo natura leges in mẽte conſignet. Rom. 2.

A illa quamuis bona, auget prohibendo deſiderjũ malum; ſicut aquæ impetus vehemẽtior fit obice oppoſito: neſcio enim, quomodo hoc ipſum quod concupiſcitur ſit iucundius, cùm vetatur. Hæc Auguſt. Et Chryſoſt. Cùm quidpiam concupiſcimus, deinde prohibemur, concupiſcentiæ flamma magis attollitur. Hieronym Videtur, inquit, lex cauſſa eſſe peccati? quæ dum prohibet concupiſcentiam, quo dammodo eam inflammare cognoſcitur. Sæcularis apud Græcos ſententia eſt: Quidquid licet, minus deſideratur: ergo econtrario, quidquid non licet fomentum accipit diſiderij: vnde & Tullius, de paricidarum ſupplicijs, apud Athenienſes, Solonem ſcripſiſſe negat, ne non tam prohibere, quàm commonere videretur. Hæc Hieronymus. Methodius quoque: Concupiſcere non in præſentia, & poteſtati ſubiecta cadit: verum in præſentia quidem, at non in poteſtate ſita. Quomodo enim quis id concupiſcat, & amet, à quo non prohibitus eſt, & quo non habet opus? quapropter concupiſcentiam non nouiſſem, niſi lex diceret: Non concupiſces. Vbi verò audiui, de ligno cognitionis boni & mali ne edatis: quacunque enim die ederitis de ipſo, morte moriemini; tunc concupiſcentiam in me concepi. Non enim ea quæ habet, & quæ in poteſtate eius ſunt, & quibus vtitur, concupiſcens deſiderat, ac cupit; ſed ea, à quibus prohibitus eſt, & quæ ablata ſunt, & quæ non habet. Hæc ille. Quod autem lex concupiſcentiam irritarit, oſtendit Paullus: *Paſſiones*, inquit, *peccatorum, quæ per legem erant, operabantur in membris noſtris:* id eſt, vitioſi affectus & appetitiones, quæ per legem irritabantur, & incrementum accipiebant, operabantur in membris noſtris, ac vigebant. Auguſt. Virtus peccati lex; quia ex prohibitione auctum eſt deſiderium non extinctum; lex peccato dedit virtutem, id eſt, potentiam, tantummodo per litteram iubendo, non per ſpiritum ſubueniendo, &c.

Chryſoſt. hom. 12. in epiſt. ad Rom.

Nitimur in vetitum, cupimusq; vehementius negata.

Hieronym. quæſt. 8. ad Algaſiam.

Quod licet, minus deſideratur.

Methodius apud D. Epiphan. hæreſi 64.

Rom. 7. Lex vetus concupiſcẽtiam per occaſionem irritabat. Auguſtin. ſerm. 6. de Verb. Apoſt.

Sed obſeruandum cum Chryſoſt. hanc concupiſcentię irritationem non eſſe vertendam vitio legi, ſed homini: Lex, inquit, prohibuit, vt te ab eo abducat; peccatum verò, id eſt, ſegnities tua, & mens mala bono in contrarium vſa eſt: verum non id medici crimen, ſed ægroti, qui quod accepit medicamentum, eo non recte vſus eſt: non enim ob id legem Deus dedit, vt concupiſcentiam accenderet, ſed vt reſtingueret, &c. Ideò Paullus ſic ſcribit: *Occaſione accepta, peccatum per mandatum operatum eſt in me omnem concupiſcentiam.* Occaſione, inquit, accepta ab homine, non data à lege Dei, non lex, ſed peccatum, id eſt, fomes peccati, per mandatum, id eſt, per legem excitatus, excitauit in me omne genus concupiſcentiæ.

Chryſoſt. hom. 12. in Epiſt. ad Rom.

Rom. 7.

Idem Chryſoſt. 2. Corinth. 3. Per litteram occidentem, legem intelligit: occidere, ait; quia peccantes morte mulctabat. Per Spiritum viuificantem, baptiſmi gratiam, qua ij, qui à peccato ſunt interempti, vitæ reſtituuntur. *Lex*, inquit, *eum, qui in ſabbatho ligna colligit, lapidibus obruit:* hoc eſt, quod ait Paullus: Littera occidit, gratia ſexcẽtos homicidas & latrones accipit, ac baptiſmi aqua tinctos prioribus malis liberat. Lex vetus eum, qui deprehenſus fuerat, ex viuo mortuum reddit; Lex noſtra reum ex mortuo viuum efficit: Venite, inquit, ad me omnes, & non dixit, excruciabo, ſed reficiam vos. Hæc ille. Paucis dicendum, legem dici occidere. Primò, quia vitam, id eſt, gratiam, nemini vi ſua largiebatur. Secundò, quia violatores morte afficiebat, iuxta illud Paulli ad Hebræos: *Irritam quis faciens legem Moyſi, ſine vlla miſeratione duobus vel tribus teſtibus moritur.* Tertiò, quia prohibendo concupiſcentiam excitabat. Quartò, quia peccatum oſtendendo gratuius

Chryſoſt.

Num. 15.

Lex vetus littera occidens appellatur, quoniam peccãtes occidebat. Noua ſpiritus viuificãs: quia vitã donat. Cur lex vetus dicatur occidere, latius exponitur.

CAPVT III.

De ſecunda Prærogatiua noui Teſtamenti.

Vetus Teſtamentum nõ iuſtificabat. Gal. 2.

SECVNDA Prærogatiua. Vetus Teſtamentum neminem vi ſua iuſtificauit: omnis enim iuſtificatio, omnis peccatorum remiſſio ad Teſtamentum nouũ pertinet. Traditur à Paullo: *Ex operibus*, inquit, *legis non iuſtificabitur omnis caro*, id eſt, nulla caro, nullus homo iuſtificabitur ex lege veteri. Item, *Quoniã in lege nemo iuſtificatur apud Deum, manifeſtum eſt; quia iuſtus ex fide viuit. Arbitramur iuſtificari hominem per fidem, ſine operibus legis. Si per legem iuſtitia, ergo gratis Chriſtus mortuus eſt*: id eſt, ſi per legem eſt iuſtificatio, Chriſtus fruſtrà, & ſine cauſa eſt crucifixus; nam crucifixus eſt, vt nos iuſtificaret: iuſtificandis autem hominibus lex eſſet ſatis. *Littera occidit, ſpiritus viuificat.* Litteram appellat legem veterẽ, litteris exaratam, eam non ſolùm, ait, non iuſtificare, verum etiam occidere. *Lex ſubintrauit, vt abundaret delictum; vbi autem abundauit delictum, ſuperabundauit & gratia:* id eſt, per legem aucta ſunt peccata, ſuperabundauit gratia per Chriſtum.

Gal. 3. Rom 3. Galat. 2.

2. Cor. 3.

Rom. 5.

Sed cur lex vetus dicatur à Paullo occidere, dubium eſt. D. Auguſt. reſpondet, legem dici occidere, quòd ſpiritus vitam, id eſt, gratiam, vi ſua largiri nequiret, & concupiſcentiam prohibendo augeret. Doctrina, inquit, qua mandatum accipimus, littera eſt occidens, niſi adſit viuificãs ſpiritus, vbi ſanctus non adiuuat ſpiritus, inſpirãs pro concupiſcẽtia mala concupiſcentiam bonam, id eſt, caritatem: lex

D. Auguſt. lib. de Spiritu & littera, c. 4. Cur lex vetus ſine littera dicatur à Paullo occidere.

uius efficiebat, iuxta illud Paulli ad Romanos: *Peccatum non cognoui, nisi per legem: nam concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret: Non concupisces*, &c. Intellige autem peccatum ex lege veteri fuisse hominibus cognitum, exactiori quadam cognitione; nam etiam ex lege naturæ peccatum innotuerat. Chrys. Quomodo, inquit, ait Paulus, peccatum non cognoui, nisi per legem? De ea non loquitur ignorantia, qua fit, nihil prorsus nerum omnium vt cognoscamus; sed exactiorem cognitionem intelligit, &c. Vel loquitur Paullus non de peccatis valde crassis & popularibus, quæ omnibus innotuerant; sed de internis alijs atque arcanis, qualis est internus consensus, & concupiscentia sine facto, quæ vulgò non erant nota. Augustin. Legis littera, quæ docet non esse peccandum, si spiritus viuificans desit, occidit. sciri enim facit peccatum potius, quam caueri; & ideò magis augeri, quam minui; quia malæ concupiscentiæ etiam præuaricatio legis accedit, &c. Quinto: quia præceptis multiplicatis, peccata per occasionem multiplicabat; vnde illud Rom. *Lex iram operatur, vbi enim non est lex, nec præuaricatio.* Propter easdem causas, legis veteris ministratio, ab eodem Paullo dicitur *ministratio mortis, & ministratio damnationis.*

Heb. 10. Rom. 7. Quomodo per legem veterem sit cognitū peccatum. Chrysost. ad Rom. 7. hom. 12. Augustin. de Spir. & lit. c. 5. Rom. 4. 2. Corint. 3.

Contra verò nouum Testamentum, siue lex, dicitur viuificare. Primò, quia gratiam largitur, quæ vera animi vita est. Secundò, quia impios non occidit, sed per Baptismum, & pœnitentiam, vitali spiritu donat. Tertiò, quia per gratiam & caritatem concupiscentiam frenat. Quartò, quia aduersus peccatum, quod ostendit, vires elargitur. Quintò, quia legis veteris præceptorum multiplicitatem abrogauit. Hæc autem omnia Auctori legis Christo tribuenda sunt. Itaque constat legem veterem nemini gratiam tribuisse: quamobrem Chrys. 2. Cor. 3. Nihil aliud, inquit, lex erat, quam litteræ, non autem subsidium vllum è litteris prosultãs, atque aspirans ijs, qui dimicabant, quemadmodum in baptismo; sed tabulæ & scripturæ mortem ijs, qui litteras violabant, afferentes, &c. Constat item legem nouam, gratiam & Caritatem per Spiritum sanctum in cordibus hominum diffundere; vnde Paullus promulgationem noui Testamenti, appellat *ministrationem spiritus, & ministrationem iustitiæ.* Et ad Gal. *Hoc solum*, inquit, *a vobis volo discere: ex operibus legis spiritum accepistis, an ex auditu fidei? qui tribuit vobis spiritum, & operatur virtutes in vobis; ex operibus legis, an ex auditu fidei?* Quibus interrogationibns aperte indicat Apostolus spiritum dari non per opera legis, sed per fidē viuam; quòd Iudæi ignorarunt, vt idem Paullus ait, ideóq; iustificati non sunt: *Ignorantes*, inquit, *iustitiam Dei, & suam quærentes statuere, iustitiæ Dei non sunt subiecti:* id est, ignorantes Deum iustificare homines per Christi gratiam; & conantes iustitiam suam, id est, legis, stabilire; existimantes per opera legis se iustificari posse: iustificationi Dei, quæ est per gratiam Christi, non sunt subiecti; atque adeò non iustificantur.

Cur lex noua dicatur viuificare. Chrysost. Lex noua gratiam & Spiritū sanctum in cordibus diffundit. 2. Cor. 3. Gal. 3. Iudæi existimabant legem veterē posse iustificare. Rom. 10.

Ergone, dices, antiqui illi Patres, qui sub legis veteris statu vixerunt, gratia & caritate caruerunt? siquidem lex gratiam & caritatem nemini largiri poterat. Iterum atque iterum asserimus, fontem totius gratiæ, caritatis, & remissionis peccatorum, nouum esse Testamentum; id est, Christum, qui ad nouum pertinet Testamentū. Ex hoc fonte gratiam, caritatem, peccatorum remissionem, in Patres antiquos, reliquósque Iudæos, qui sub legis iugo vixerunt, emanasse fatemur. Habet enim fons hic miros quosdam aquæductus, quibus cælestis aqua, non ad eos solùm ducitur, qui hoc tempore viuunt; sed ad eos etiam ducta est, qui ab orbe condito ad hoc vsq; tempus vixere; ad eos quoque ducetur, qui ad extremũ vsq; iudicij diem huius lucis vsura perfruentur. *Bibebant*, ait Paullus, de antiquis loquens Patribus, *de spirituali cõsequente eos petra: petra autem erat Christus.* Quasnam, quæso, aquas, petra Christus, Crucis virga percussus, antiquis effudit Patribus? gratiam nimirum, caritatem, peccatorúmque remissionem, quas res Moyses largiri non poterat. Misit Elisæus famulum Giezi cum baculo suo ad suscitandum Sunamitidis hospitę suę filium; nihil profecit famulus, nihil baculi contactus, accessit idem ipse Propheta, incuruauit se super puerum, calefacta est caro pueri, ac reuixit. Misit Deus Moysem famulum, legem antiquã veluti baculũ suum tradidit: at vitæ hominem restituere nequiuit. Ipsum, ipsum, inquã, Deum tantum opus efflagitabat, accessit, incuruauit se super hominem, *exinaniuit se*, vt Paullus ait, *formam serui accipiens, & habitu inuentus vt homo:* reuixit mortuus homo. Bern. Sequatur, inquit, Deus nuntios suos; quia sine ipso possunt facere nihil: misit puerum, tulit baculum, & necdum est vox, neque vita: non surgo, non suscitor, non excutior de puluere, non respiro in spem, si non Propheta ipse descendat, & osculetur me osculo oris sui, &c.

1. Cor. 10. 4. Reg. 4. Non potuit Moyses, potuit Christus hominem vitæ restituere. Bern. serm. 2. in Cant.

Iacebat miser ille homo, qui in latrones incidit, spoliatus, vulneribus affectus ac semiuiuus: transijt illac sacerdos, nihil præstat auxilij: transijt Leuita, nihil opis confert: Samaritani viscera commouentur, vulnera alligat, oleum vinúmque infundit, iumento imponit. Iacebat infelix Adam, eiúsque omnes nati patrem comitabantur, iacebat, inquã, in scelere, spoliatus diuinis donis, affectus atroci vulnere, & semiuiuus, viuus corpore, animo mortuus: transijt sacerdos Aaron, Leuita Moyses, transijt lex & sacerdotium, salutem iacenti tot boum hecatombæ, tot ouium & hircorum immolatorum millia, afferre non potuerũt. *Impossibile enim est*, vt Paullus ait, *sanguine hircorum, aut taurorum auferri peccata:* ille autem, quem Samaritanum Iudæi appellarunt; ille, inquã, custos hominum (custodem enim significat Samaritanus, à verbo Hebræo שמר samar. 1. custodire) non transijt: iacenti Adamo ac natis, etiã antequã homo fieret, adstitit; sauciatis medicamentũ ex suo sanguine, spoliatis vestes splendidissimas, semiuiuis vitam elargitus est sempiternam: solus enim salutem ille, etiam antequam Virgine nasceretur, afferre potuit: non sacerdos, non Leuita, non Aaron, non Moyses, non lex, non eius ceremoniæ, aut sacrificia; ideóque dicitur: *Agnus occisus ab origine mundi:* occisus, inquam, in diuina præscientia, & decreto. Quãuis autẽ hoc modo etiã ab æternitate occisus dici potuisset: tamẽ scriptura dixit, ab origine mundi occisũ; quia tũc cœpit eius sanguis hominũ vulneribus mederi. Apocal. verò vltimo, radix appellatur Dauidis: *Ego*, inquit, *sum radix & genus Dauid:* vt autẽ Dauidis, sic omniũ antiquorũ Patrũ, radix fuit. Quemadmodũ enim ex radice arbor, cunctíque eius rami succum trahunt, quo alantur, & frondes fructúsque pariant: ita ex Christo, etiam antequam ex Virgine oriretur, Dauid & Patres, ceteri, gratiam caritatémque traxere, qua nutrirentur, virescerẽt, & iusta opera, veluti fructus dulcissimos, procrearent.

Luc. 10. Christus iacenti homini succurrit, instar euangelici Samaritani. Apoc. 13. Christus agnus occisus ab origine mũdi. Apocal. 5. Christus radix Dauid, ab illo Patres veteris Testamenti gratiã hauserunt.

Quemadmodum in antiquum propitiatorium vertunt vultus duo Cherubini; sic in Christum veluti magnum quoddam propitiatorium mundi, vertunt oculos duo populi, antiquus, qui Christi aduentum præcessit, & Christianus, qui sequitur: vtrique populo idem est propitiatorium, idem redemptorius sanguis. *Christum proposuit Deus propitiatorem in sanguine ipsius, ad ostensionem iustitiæ suæ, propter remissionem præcedentium delictorum*, &c.

Exod. 25. Rom. 3.

Sintne antiqui Patres iustificati sub lege veteri & lege naturæ? Ex Christo veluti fonte omnes homines qui gratia præditi sunt, gratiã hauserunt.

En Paullus indicat Chriſtum verũ eſſe propitiatorium per ſanguinem ſuum in remiſſionem peccatorũ; eorũ etiam, quæ illius aduentũ præceſſerunt.

Theodoret. in eumdem Paulli locũ. Theodoretus: Docet, inquit, Apoſtolus verũ propitiatoriũ eſſe Dominũ Chriſtũ, &c. Huius autẽ propitiatorij ſanguine iuſtificatos Patres veteris Teſtamẽti docet Auguſtinus multis locis, lib. 1. c. 7. cõtra

Auguſtin. duas Epiſtolas Pelagianorum, contrarium errorẽ Pelagianis tribuit: Iſti, inquit, inimici gratiæ Dei, quæ data eſt puſillis & magnis per Ieſum Chriſtũ Dominũ noſtrũ, ideó dicũt antiquos, homines Dei, perfectæ iuſtitiæ fuiſſe, ne Chriſti incarnatione, paſſione, reſurrectione, cuius fide ſalui facti ſunt, credantur eguiſſe, &c. Item eodẽ capite: Dicimus, vel ante legem, vel tempore veteris Teſtamenti, à peccatis fuiſſe liberatos ſanctos, non virtute propria, nec veteri Teſtamento, nec in ipſa lege: quoniam non eſt data quæ poſſet viuificare, ſed liberatos eſſe per ſanguinem ipſius Redemptoris, &c. Et capite 21. Quãtęlibet, inquit, fuiſſe virtutis antiquos prædices iuſtos, non eos ſaluos fecit, niſi fides mediatoris, qui in remiſſionẽ peccatorũ ſanguinẽ fudit. Ipſorũ enim vox eſt: *Credidi propter quod locutus ſum.* Vnde ait Apoſtolus: *Habẽtes eumdẽ ſpiritũ fidei, ſecũdùm quod ſcriptũ eſt; Credidi propter quod locutus ſum, & nos credimus, propter quod & loquimur.* Quid eſt eumdem ſpiritũ: niſi quem iuſti quoque illi habuerunt, qui iſta dixerunt? Dicit etiam Petrus Apoſtolus: *Per gratiam Domini noſtri Ieſu Chriſti credimus nos ſaluos fieri, quemadmodum & illi*, ſcilicet Patres. Hoc vos non vultis inimici gratiæ Dei, vt eadem gratia Chriſti ſalui facti credantur antiqui: ſed diſtribuitis tempora ſecundum Pelagium, in cuius libris hoc legitur: & ante legem dicitis ſaluos factos eſſe per naturam; deinde per legem, poſtremò per Chriſtum; quaſi hominibus duorum ſuperiorum temporum, ante legem, ſcilicet, & in lege, ſanguis Chriſti non fuerit neceſſarius. Euacuantes quod dictum eſt 1. Timoth. 2. Vnus Deus, vnus & mediator Dei, & hominum homo Chriſtus Ieſus. Hæc Auguſtinus.

Pſal. 115. 2. Cor. 4. *Act. 15.*

A Chriſto antiqui Patres gratiã acceperunt. Item lib. 1. de peccat. meritis & remiſſione, cap. 11. Gratia, inquit, Saluatoris operata eſt in antiquis Sanctis, quicunque, antequam in carne Chriſtus veniret, ad eius tamen adiuuantem gratiam, non ad legis litteram, quæ iubere tantùm, nõ adiuuare poterat, pertinebant. Et Epiſt. 157. ad Optatum: cum

Auguſt. omnes iuſti, id eſt, veraces Dei cultores, ſiue ante incarnationem, ſiue poſt incarnationem Chriſti, nec vixerint, nec viuant, niſi ex fide incarnationis Chriſti, in quo eſt gratiæ plenitudo: profectò quod

Actor. 4. ſcriptum eſt: *Nõ eſſe aliud nomen ſub cælo, in quo oporteat nos ſaluos fieri*, ex illo tempore valet ad ſaluandum genus humanum, ex quo in Adam vitiatum eſt. Sicut enim in Adam omnes moriuntur; ita & in Chriſto omnes viuificabuntur: quia ſicut in regno mortis nemo ſine Adam; ita in regno vitæ nemo ſine Chriſto: ſicut per Adam omnes iniuſti; ita per Chriſtum omnes iuſti homines: ſicut per Adam omnes mortales in pœna facti ſunt filij ſęculi; ita per Chriſtum omnes immortales in gratia fiunt filij Dei. Hęc ille. Docet hoc item Paullus, cùm ait:

Hebr. 9. *Noui Teſtamenti mediator eſt Chriſtus, vt morte intercedente in redemptionem earum præuaricationum, quæ erant ſub priori Teſtamento repromiſſionem accipiant qui vocati ſunt æternæ hereditatis.* Enim tribuit Paullus Chriſto redẽptionem præuaricationum, id eſt, criminum, quæ erãt ſub veteri Teſtamento; id eſt, quæ vetus Teſtamentum abolere non poterat, vt his liberati, qui vocati ſunt, accipiant promiſſam cæleſtem hereditatem. Nec ad tempus ſolùm veteris Teſtamenti & legis naturalis potuit Chriſti redemptio pertingere; verum in totam etiam æternitatem, ſi æternus eſſet mundus, peruadere. Nam, vt Paullus ait: *Vna oblatione conſummauit in ſempiternum ſanctificatos.* Et: *Non per ſanguinem hircorum, aut vitulorum, ſed per proprium ſanguinem introiuit ſemel in ſancta, æterna redẽptione inuenta.* Æternam inuenit redemptionem, dignam Deo; quæ vna ſatis eſt, non ſolùm ijs redimendis hominibus qui nunc viuunt, vixere, vel aliquando viuent, ſed etiam infinitis alijs liberandis: ſi, quemadmodum æterna eſt Chriſti redemptio, ſic æterna mundi duratio eſſet.

Hebr. 10. *Hebr. 9.* *Chriſti redemptio æterna.*

Quæ dicta ſunt, ſerpens ille indicat, qui altè in caſtris Iſraëlitarum elatus, igneo ſerpentum morſu exulceratis, conſpectu ſuo ſanitatem afferebat. Serpentis enim ſimilitudinem, non venenum habens ſerpens Chriſtum in Crucem alte ſublatum adumbrabat; qui peccatricis quidem carnis ſimilitudinẽ habuit, peccati autẽ veneno caruit; iuxta illud: *Miſit Deus Filium ſuum in ſimilitudinem carnis peccati*, id eſt, carnis peccatricis; carnem namque veriſſimam habuit, non tamẽ carnem peccato obnoxiam. Non Moyſes, ſed ſerpentis conſpectus ſanabat. Cur ita? vt indicaretur non legem Moyſis, ſed Chriſti in Crucem ſublati fidem viuam hominem poſſe iuſtificare. Nullus, niſi qui ſerpẽtem intuebatur, corporis ſanitatem comparabat: quorſum hoc? vt oſtenderetur nullum, niſi qui Chriſtum Cruci affixũ fidei viuæ oculis aſpexerit, animi ſalutem poſſe conſequi. Quacũque ex parte, quocunque ex loco, quocũque tempore ſerpentem Iſraëlitæ intuerentur, ſanitatem recipiebant. Quidnam hic indicat ſanãdi modus? illud nimirum, quod dicebamus: Chriſtum omnibus ſęculis omnibuſque mundi ætatibus ſalutem attuliſſe. Quocũque enim ex tempore, quocũque ex ſæculo, quacunque ex ætate mundi; quacunque ex regione, quocunque ex opido, Chriſtum homines per fidem viuam intuiti ſunt, animi ſalutem compararunt. Aſpexerunt Chriſtum Patres, qui ante diluuium, quique poſt diluuium, qui ante legem, & qui ſub lege Moyſis vixere; aſpiciunt etiam omnes, quicunque legem nouam obſeruãt; aſpiciunt matrimonij vinculo obſtricti, quique cõtinentiam & qui virginitatem colunt; aſpiciunt ſacerdotes, laici, Reges, nobiles plebei. In eo enim omnium ſalus poſita eſt.

Num. 21. *Serpens Moyſaicus Chriſtum adumbrabat.* *Rom. 8.*

CAPVT IV.

De tertia Prærogatiua.

Teſtamẽtũ vetus imperfectum, nouum perfectum.

TERTIA prærogatiua. Vetus Teſtamentum imperfectum erat, nouum perfectiſſimum. Probatur ex Paullo: *Reprobatio*, inquit, *ſit præcedẽtis mandati*, id eſt, veteris Teſtamenti & legis, propter infirmitatem eius & inutilitatem. nihil enim ad perfectum adduxit lex. Infirmam in primis appellat legem, quòd remiſſionem peccatorum non habuerit. Nouum verò Teſtamentum potentiſſimum vocat: *Non erubeſco*, ait, *Euangelium, virtus enim Dei eſt*, Græcè, δύναμις, id eſt, potentia Dei eſt ad ſalutem omni credenti. Quaſi dicat, Euangelium & nouum Teſtamentum non eſt firmum & imbecillum, vt vetus; ſed potentiſſimum ad afferendam ſalutem, peccatorum remiſſionem, gratiam, æternamque vitam omnibus fide viua credentibus. Et: *Verbum*, inquit, *Crucis ijs qui ſalui fiunt, Dei virtus eſt*, id eſt, potẽtia. Præterea, legem antiquam inutilem dicit, quòd ad gratiam ſuos obſeruatores vi ſua producere nõ potuerit? at noua gratiæ mater eſt, atque adeò nihil ea vtilius eſſe poteſt. *Gratia*, inquit Ioan. *per Chriſtũ facta eſt; lex*, quæ ſcilicet gratia carebat, *per Moyſem data eſt*, Hoc forſitan adumbrabat durus ille lapis

Hebr. 7. *Rom. 1.* *1 Cor. 1.* *Ioan. 1.*

lapis, in quo Decalogus inſcriptus legitur, videlicet, legem veterem ad emolliendum corda gratiã & efficacitatem non præbere. Ignis verò, qui Apoſtolorum capitibus in die Pentecoſtes inſedit, noui Teſtamenti poteſtatem & gratiam prædicabat. Quemadmodum enim ignis omnia domat, duriſſimum etiam ferrum emollit; ita noui Teſtamenti gratia duriſſima etiam corda flectit. Denique Paullus imperfectum appellat illud Teſtamentum, quod perficere homines non potuerit. habuit enim ſanctificationes quaſdam & iuſtificationes, ſiue iuſtitias imperfectas, quas idcirco carnis vocat, quòd ad animum ſanctificandum & iuſtificandum non pertingerent. *Hebr. 9.* *Munera*, inquit, *& hoſtiæ offeruntur, quæ non poſſunt iuxta conſcientiam perfectum facere ſeruientem, ſolummodo in cibis, & in potibus, & in varijs baptiſmatibus, & iuſtitijs carnis vſque ad tẽpus correctionis impoſitis*; id eſt, vſque ad tempus Chriſti, à quo corrigenda cuncta erant. Ibidem Paullus: *Sanguis*, ait, *hircorum, & taurorum, & cinis vitulæ aſperſus, inquinatos ſanctificat ad emundationem carnis.*

Quanam opera mortua vocet Paullus.

At verò Chriſti, nouiſque Teſtamenti ſanctificatio & iuſtitia perfectiſſima eſt, ad ipſum animum conſcientiãque pertingens: quamobrem addit Apoſtolus: *Sanguis Chriſti emundabit conſcientiam noſtram ab operibus mortuis, ad ſeruiendum Deo viuenti.* Opera mortua vocat Apoſtolus peccata, non quod hominem occidant. eam enim ob rationem mortifera dixiſſet, ſed quod hominem contaminent: quemadmodum Iudæos olim cadauera inquinabãt. Immundos Iudæos reddebant corpora mortua; nos immundiſſimos reddunt opera mortua, id eſt, peccata. Lege Num. 19. ex quo cap. intelliges eum, qui tangebat mortuum hominem, immundum fuiſſe ſeptem diebus: mundabatur autem aqua, cui commixti eſſent cineres vaccæ rufæ. *Num 9.* *Qui tetigerit cadauer hominis, & propter hoc ſeptem diebus fuerit immundus; aſpergetur ex hac aqua die tertio & ſeptimo, & ſic mundabitur*, &c. Has & ſimiles legis mundationes, appellat Paullus emundationes carnis, id eſt, carnales; quod non eſſent ſpiritales, quod ſpiritum ac conſcientiam non purificarent. Eſt ſenſus Paulli: Si cinis vaccæ rufæ homines inquinatos ex contactu mortuorum emundauit; quanto magis ſanguis Chriſti emundabit conſcientiam ab operibus mortuis, id eſt, peccatis, quæ animum contaminant, & à cæli ingreſſu arcent: quemadmodum corpora mortua contaminabant Iudæos, & à templi ingreſſu prohibebant. Emundabant carnem legis veteris ablutiones & ritus; at nouæ Sacramenta ipſam emundant conſcientiam: vnde Petrus: *Nos*, inquit, *nunc ſaluos facit baptiſma, non carnis depoſitio ſordium, ſed conſcientiæ bonæ interrogatio in Deum.* *1. Pet. 3.* Quibus verbis ſignificat baptiſmi Sacramentũ nõ eſſe ſitũ in externa ſordiũ carnis, ſed in interna animi ablutione & fide viua in Deum, de qua is, qui baptizari vult, à baptizante interrogatur. Quia ergo imperfectum fuit vetus Teſtamentum, ideò nouum, vt perficeretur, in auxilium veluti inuocabat, vt Ambroſius loquitur. ad nouum enim hæc perfectio pertinebat. Ambroſius Pſal. 41. Non præualebat, inquit, vetus Teſtamentum ad iſtius mundi redemptionem inuocabat, & quaſi ad auxilium arceſſebat nouum Teſtamentum, clamabat lex annuntians Euangelium. erat enim ſemiplena, & ideò erat neceſſariũ vt veniret qui eam impleret. Hæc ille. Et Auguſt. Lex, inquit, data eſt, vt gratia quæreretur, gratia data eſt, vt lex impleretur. Et de ſpiritu & littera capite 29. Per legem, ait, cognitio peccati; per gratiam ſanatio animæ.

Ambroſius. Vetus Teſtamentum inuocabat nouum vt perficeretur.

Auguſt. in lib. de gratia Chriſti, c. 19.

Denique *vmbras habebat lex futurorum bonorum*, vt ait Paullus. Quemadmodum vmbra hominem demonſtrat, hominis tamen officia obire nequit: qualia ſunt, loqui, edere, videre, & alia: ſic lex Chriſtum indicabat; eius autem opera præſtare non poterat: ea ſunt: criminum cõdonatio, gratiæ & caritatis elargitio, conſcientiæ ac totius animi purificatio. Chryſ. Exemplaria, inquit, ſolùm habent typum, non virtutem; quomodo in imaginibus figuram hominis habet imago, non virtutem, &c. Accedit gloſſa Hebræorum; eius meminit Paullus Burgenſis in additione prima Epiſtolæ ad Hebr. In verba illa Eccleſiaſtæ 1. cap. Omnia vanitas, huiuſmodi extat Hebræorum gloſſa: Omnis lex, quam addiſcimus in præſenti tempore vana eſt, reſpectu legis Meſſiæ. Hæc Gloſſa. Vana autem erat lex vetus cum lege Meſſiæ comparata; quia vmbra erat collata cum Sole, & gratiæ calorem non afferebat: vtilis nihilominus fuit ob alias rationes.

Chryſoſt. ad Hebr. 9.

Gloſſa Hebræa.

CAPVT V.

De quarta Prærogatiua.

QVARTA Prærogatiua. Nouum Teſtamentum cæli fores aperuit, quas vetus aperire non potuit. Docet hoc Paullus: *In ſecũdo*, inquit, *tabernaculo ſemel in anno ſolus Pontifex introibat, non ſine ſanguine; hoc ſignificante Spiritu Sancto, nondum propalatam eſſe Sanctorum viam, adhuc priore tabernaculo habente ſtatum.* Hoc eſt in Sancta Sanctorum, quæ templi pars erat intima, & ceteris præcellentior; ſolus Pontifex ſemel in anno introibat, ceteri ſacerdotes eo ingreſſu prohibebantur; qua occluſione intimi adyti & partis templi præcellentioris adumbrabat Spiritus Sanctus viam in cælum fuiſſe occluſam, quamdiu vetus Teſtamentum ratum fuit. Noui Teſtamenti Auctor Chriſtus primus omnium in cælũ penetrauit, cæleſtemque viam ac fores aperuit. Quã ob cauſſam Regius Vates poſtquam rogauit: *Quis aſcendet in montem Domini?* id eſt, in cælum: *aut quis ſtabit in loco ſancto eius?* poſteaquam illius hominis virtutes ſubiecit, qui eſſet aſcenſurus; cum videret neminem poſſe aſcendere, niſi Chriſtus præiret, exclamat, cælique ianitores Angelos alloquitur hunc in modum: *Attollite portas principes veſtras, & eleuamini portæ æternales, & introibit Rex gloriæ.* Quaſi dicat, reſerate cæli fores, vt primus Chriſtus cælũ ingrediatur, nosque illum ſequamur. eius enim meritis & triumpho hæc debetur portarum patefactio.

Heb. 9. Nouum Teſtamentum cæli fores aperuit.

Chriſtus cæli fores reſerauit, & viam aperuit.

Pſal. 23.

Et Paullus: *Habẽtes*, inquit, *fiduciã in introitu Sanctorũ in ſanguine Chriſti: quam initiauit nobis viam nouam & viuentem per velamen*, id eſt, carnem ſuam, &c. Id eſt, fiduciam ad introeundum in Sancta Sanctorum, id eſt, cælum habemus in ſanguine & meritis Chriſti. Quemadmodum enim Pontifex antiquus non ſine ſanguine introibat in Sancta Sanctorum; ſic Chriſtus non ſine ſanguine, immò totus conſperſus proprio ſanguine (iuxta illud: *Quis eſt iſte, qui venit de Edon, tinctis veſtibus de Boſra?*) introiuit in cælum, fores nobis aperuit, fiduciamque introeundi præſtitit. Initiauitque viam nobis, id eſt, initiũ dedit viæ in cælũ tendẽti in die Aſcenſionis: viæ, inquã, nouæ; quia nullus illud iter ante Chriſtum fecit, & viuenti; viam viuentem appellat, hoc eſt, perpetuam, quæ ſemper patebit, numquam morietur, id eſt, occludetur. Ad diſcrimen, ait Theophylactus, introitus ad vetera ſancta: mortuus enim ille, ac planè extinctus erat. Initium autem dedit huic viæ per velamen, id eſt, carnem ſuã, extollendo in cælum humanitatem ſuam, quæ velamen erat diuinitatis. Vel initiauit, & aperuit hanc viam nobis per carnem, id eſt, per oblationem cor-

Heb. 10.

Theophyl.

Lex vetus vmbra.

poris in Cruce, & per merita humanitatis, vt per eam, tanquam per velamen ingrediamur in Sancta Sanctorum: quemadmodum Potifex ille antiquus.

Euchariſtia. Aliter de Sacroſancta Euchariſtia locus poteſt exponi, hunc in modum: Initiauit nobis viam nouam in cælum & viuentem per velamen, id eſt, carnem ſuam velatã in Euchariſtia. Appellat Euchariſtiam viã; quia in cælũ ducit; nouã, quia admirabile & inuſitatũ myſteriũ eſt, à Chriſto primò inſtitutũ; viuẽtẽ, quia in Euchariſtia Chriſtus eſt viuẽs. *Theodoretus ad Heb. 10.* Theodoretus: Quẽadmodũ, inquit, legis Sacerdos per velamẽ in Sancta Sanctorum introibat: ita qui in Dominum crediderunt, per ſanctiſſimi corporis participationem ciuitatem cæleſtem adipiſcuntur, &c. Similis *Pſal. 49.* locus eſt ille: *Sacrificium laudis*, id eſt, ſacrificium Euchariſtiæ, *honorificabit me: & illic iter, quo oſtendam illi ſalutare Dei:* illic, id eſt, in eo ſacrificio iter & via eſt, per quam tendenti oſtendam ſempiternam ſalutem, vel Saluatorem mundi in cæleſti patria. Non ſolùm enim Euchariſtia ter maxima viaticum eſt, verum etiam in cælum via, à Chriſto initiata in nouo Teſtamento; in quo cæleſtes fores hominibus, ſanguine effuſo, reſerauit. *Hieron. Epiſt. 129. ad Dardanum.* Hieron. Sanguis, inquit, Chriſti clauis paradiſi eſt, dicentis ad latronem: Hodie mecum eris in Paradiſo. *Cyrillus l. 10. Theſauri, c. 4.* D. Cyrillus: primogenitus ex mortuis intelligitur Chriſtus; quia primus ipſe, morte calcata, ſurrexit, & primus carnem noſtram in cælos reduxit; ideo ait: Ego ſum via, & ego ſum oſtium. per ipſum enim natura noſtra nouum iter facere docta eſt, & quaſi per portam quandam cælos ingreditur. Hæc ille.

Cæli portæ patent. Apoc. 21. Vide quàm pateant cæli portæ. Duodecim portas cæli vidit Ioan. ne vnam quidem clauſam: *Portæ*, inquit, *eius non claudentur, ab Oriente portæ tres, & ab Aquilone portæ tres, & ab Auſtro portæ tres, & ab Occaſu portæ tres.* Verſus omnes cæli plagas portæ patent; quia totius orbis habitatoribus patent: non veteris, ſed noui beneficio Teſtamenti. Quid illa cælorum patefactio in Chriſti baptiſmate? *Matth. 3. Act. 7.* Quid illa columbæ, Spiritum ſanctum deſignantis, adulatio? nónne duos præcipuos Chriſti effectus, cælorum, ſcilicet, reſerationem, & Spiritus ſancti largitionem adumbrarunt? *Ecce* (inquit primus noui Teſtamenti Martyr, cui corona nomen indidit, iam è vita abiturus) *ecce video cælos apertos.* videlicet, vt vinculis corporis exſolutum ſpiritum, æterno ſtatim exciperent habitaculo. At Iſraëlitarum ille ſator, ac progenitor Iacob: *Deſcendam*, inquit, *lugens in infernum*. Rex quoque ſanctiſſimus Ezechias: *Vadam*, ait, *ad portas inferi*. De cæleſti via ne verbum quidem faciunt morituri. non enim cælum, cuius portas tunc temporis clauſas eſſe nouerant, ſed inferas ſibi ſub terra ſedes, vſque ad nouum Teſtamentum, Patres illi antiqui Teſtamenti promittebant. D. Hieron. Terram, inquit, viuentium ante aduentum Domini, nec Abraham, nec Iſaac, nec Iacob, nec Prophetæ & alij iuſti viri, conſequi potuerunt. Abraham cum Lazaro videtur apud inferos: & Iacob dicit: Lugens deſcendam ad infernum, &c. *Primaſius ad Gal. 3.* Primaſius: Lex, inquit, propter tranſgreſſionem poſita eſt, non propter iuſtificationem: hæc audientes, conticeſcant, qui delirant, quòd lex quemquam per ſe ad regnum cælorum tranſmiſerit, &c. Non enim decorum erat, aut milites, qui ſub vexillo Chriſti in veteri Teſtamento ſtipendia meruerãt, ante Ducem triumphare, aut prius membra, quàm caput, cæleſti gloria exornari.

Num. 35. Lex huiuſmodi à Deo lata exſtat: *Exſules & profugi, ante mortem Pontificis, nullo modo in vrbes ſuas reuerti poterunt.* Quemadmodum ergo exſules in vrbibus profugij ad mortem vſque Maximi ſacerdotis vitam agebant, eoque vita functo in patriam redibant: ſic antiqui illi Patres, apud inferos ad mortem vſque ſummi Pontificis Chriſti habitarunt; poſt illius mortem ipſo aſcenſionis celeberrimo die, ſimul cum eo in cæleſtem patriam aſcenderunt. D. Greg. Quid eſt, inquit, quod homicida poſt mortem ſummi Pontificis abſolutus, ad terram propriam redit; niſi quòd humanum genus, quod peccando ſibi mortem intulit, poſt mortem veri Sacerdotis, id eſt, Chriſti, peccatorum ſuorum vinculis ſoluitur, & in Paradiſi poſſeſſione reparatur? *Gregorius in Ezech. hom. 6.* præcepit Neëmias: *Non aperiantur portæ Ieruſalem vſque ad calorem Solis.* *2. Eſdræ 7.* Adumbratum eſt hoc loco ſimile Dei decretum, poſt primum Adami peccatum ſancitum. Non aperiantur portæ cæleſtis Ieruſalem vſque ad calorem Solis: id eſt, antequam Meſſias, Solis inſtar, mundo exoriatur, commiſſiq́ue peccati tenebras diſpellat. Poſtquam autem frigida terrarum ſola radiorum ardore, Sol ſplendidiſſimus, Chriſtus incendit, caliginem ſcelerum diſcuſſit, luce mundum compleuit, reſeratæ ſunt portæ Ieruſalẽ, acerboque mulctatos exſulio, Adamum filiosque eius, patenti aditu exceperunt.

CAPVT VI.

De quinta Prærogatiua.

QVINTA Prærogatiua. Lex vetus & Teſtamentum, temporalia ac terrena præmia ſuis obſeruatoribus; nouum, cæleſtia ac æterna pollicetur. *Vetus Teſtamentum terrenas habet promiſſiones, nouũ cæleſtes.* Quocirca vocat Paullus *Teſtamenti noui meliorem ſpem, per quam proximamus ad Deum*: quia ſcilicet, cæleſtia ac æterna ſperat: & de Teſtamento nouo loquens: *Hebr. 7.* *In melioribus*, inquit, *repromiſſionibus ſancitum eſt.* *Hebr. 8.* Ecquæ regni cælorum pollicitationes in veteri teſtamento ſunt auditæ? noui Teſtamenti eſt auribus gratiſſima illa vox: *Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cælorum.* Et: *Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cælorum.* Vnde illud D. Hieronymi: Addis, inquit, præterea regnum cælorum, etiam in Teſtamento veteri repromitti, ponisque teſtimonia de apocryphis, cùm perſpicuum ſit, regnum cælorum primum in Euangelio prædicari per Ioannem Baptiſtam, & Dominum Saluatorem & Apoſtolos, &c. *Hieron. lib. 1. aduerſus Pelagianos.* Bernard. Graue legis iugum, & vile præmium, nam terra eſt, promiſſione. *Bern. ſerm. 30. in Cant.* Auguſtinus: Temporalium, inquit, rerum promiſſiones Teſtamento veteri contineri, & ideò vetus Teſtamentum appellari nemo noſtrûm ambigit, & quod æternæ vitæ promiſſio, regnumque cælorum ad nouum pertinet Teſtamentum, &c. *Auguſt. cõtra Fauſtũ lib. 4.* Pollicitus eſt autem Deus in veteri Teſtamento terrena præmia legis obſeruatoribus, ait Auguſtinus, vt oſtenderet, caduca etiam bona ab ipſo manare, nec ab alio ſperanda eſſe. Epiſt. 120. ad Honoratum, ſic ſcribit: Volens Deus oſtendere, etiam terrenam felicitatem ſuum donum eſſe, nec aliunde ſperari oportere, diſpenſandum iudicauit Teſtamentum vetus, quod pertineret ad hominem veterem, à quo iſta vita neceſſe eſt incipiat.

Et lib. 18. de Ciuit. Dei cap. 11. ait, rerum ordinem eſſlagitaſſe, vt prius in veteri Teſtamẽto temporalia bona, deinde in nouo æterna & ſpiritalia promitterentur. Moyſes, inquit, legem tradidit, quod vetus Teſtamentum dicitur; quia promiſſiones terrenas habet, & per Chriſtum fuerat futurum Teſtamentum nouum, in quo regnum cælorum promitteretur. Hunc enim ordinem ſeruari oportebat, ſicut in vnoquoque homine, qui in Deum proficit, id agitur, quod ait Apoſtolus: *Vt non* *1. Cor. 15.* *ſit prius quod ſpiritale eſt, ſed quod animale, poſtea ſpiritale*, quemadmodum, ſicut dixit: *Primus homo de terra,*

ra, terrenus; secundus homo de cælo cælestis; Hæc Augustinus. His adde Hebræos pueris fuisse similes, legem verò pædagogo, vt Paullus scribit: *Lex Pædagogus noster.* Quemadmodum ergo pueri terrenis munusculis à pædagogo inuitantur; sic Hebræi à lege terrenis bonis sunt inuitati: hinc illud: *Dixi, vt educam vos ad terram fluentem lacte & melle,* pellicit illos Dominus veluti pueros lacte & melle.

Gal. 3.

Exodi 3.

Præter hæc, id promittere par erat vetus Testamentum, quod posset soluere, cælestia bona soluere non poterat e thesauro, vt diximus, suo; non ergo æquum erat vt illa promitteret: nemo enim mente sanus ijs se promissis obstringit, quibus se non potest liberare. Cælestis gloriæ pollicitatio ad summum Regem Christum spectat, qui, vt regna cælosque polliceri, ita quod pollicitus est, reddere potest cumulatissime. Oppones illud, quod in sacris, quæ fiunt pro vita functis, recitatur. Signifer sanctus Michael repræsentet eas in lucem sanctam, quam olim Abrahæ promisisti & semini eius; ergo antiquis Patribus, Abrahamo & semini eius promiserat Deus lucem cælorum sanctam. Præterea ex antiquis Machabæis quidam ait: *Rex mundi defunctos nos pro suis legibus, in æternæ vitæ resurrectione suscitabit:* & alius: *Fratres,* inquit, *mei, modico nunc dolore sustentato, sub Testamento æternæ vitæ effecti sunt.* Quid plura? Christum Princeps interrogat: *Quid faciens vitam æternam possidebo?* ergo Iudæis legis obseruatoribus vita æterna promissa erat, alioqui vndenam Princeps ille, & Machabæi vitam æternam nouerant, & sperabant? Ad hæc Paullus de Patribus antiquis, sic scribit: *Iuxta fidem defuncti sunt omnes isti, non acceptis repromissionibus, sed à longe eas aspicientes & salutantes.* Quasnam promissiones asserit Paullus Patres illos non accepisse vita iam functos? nempe cælestis regni, in quod ante Christum nulli hominum patebat aditus; ergo promissum illis erat regnum cæleste; quod, vt Paullus ait eodem loco, veluti patriam appetebant, & suspirabant. *Confitentes,* inquit, *quia peregrini sunt & hospites super terram:* qui enim hæc dicunt, significant se patriam inquirere, & si quidem ipsius meminissent, de qua exierant; habebant vtique tempus reuertendi; nunc autem meliorem appetunt, id est, cælestem. Hæc Paullus. Appetebant cælestem patriam Patres illi antiqui, & habebant in optatissimis: vnde hoc? videlicet, quia promissa illis erat. Iis adiunge illud eiusdem capitis: *Accedentem ad Deum oportet credere, quia est, & inquirentibus se remunerator sit.* Intelligendus autem Paullus est de remuneratione æternorum bonorum, quam fides docet; ergo antiquorum sæculorum homines docebat fides æterna esse bona, Deum inquirētibus promissa ad extremum. Messiæ aduentus est bonorum omnium spiritualium, & æternorum fons; hic verò aduentus in veteri Testamento promissus est, & mille typis delineatus: cur igitur dicitur Testamentum vetus terrena & caduca bona promisisse, cùm fontem ipsum æternorum bonorum promiserit?

Argumẽtis probatur, in lege veteri promissa bona cælestia.

2. Mach. 7.

Luca 18.

Heb. 11.

Soluuntur argumẽta.

His omnibus argumentis paucis respondemus: Testamentum vetus, siue legem, non promisisse suis obseruatoribus regnum cælorum, quòd si Abrahamo & semini eius Deus lucem sanctam pollicitus est; pollicitatio illa non fuit legis veteris: nam ante legem vixit Abrahamus. Præterea, promissio illa in sacris litteris non apertè, sed subobscurè traditur illis verbis: In semine tuo benedicentur omnes gentes: & illis: Ego ero merces tua magna nimis. Mysticè etiam docetur, & latet sub promissione terræ, quàm promissionis appellamus: ea enim mystico sensu, cæleste regnum significat. Vnde Augustinus. Illa, inquit, terrena munera in manifesto promittebantur, & tribuebantur; in occulto autem, illis omnibus rebus nouum Testamentum figuratè prænuntiabatur: dispensabant illi Sancti pro congruentia temporis Testamentum vetus; pertinebant verò ad nouum; nam & quando temporalem felicitatem agebant, æternam præferendam intelligebant, & istam ministrabant in mysterio, vt illam consequerentur in præmio. Hæc ille. Machabæos autem, Pharisæos & Iudæos alios, fatemur vitam æternam, mortuorumque resurrectionem & nouisse, & in votis ac spe habuisse, fideque docente intellexisse Deum vnum esse, & inquirentes se remunerare. Illud inficiamur, legem veterem, vitam illam æternam, vel mortuorum ad cæleste regnum resurrectionem, vel remunerationem, de qua Paullus loquitur, suis obseruatoribus promisisse. Quod verò ad Messiæ attinet aduentum, nemo negat in Testamento veteri promissum: omnium bonorum spiritualium ac cælestium fontem esse nemo ambigit. Cùm verò asserimus legem veterem temporalia bona promisisse, id intelligimus, legem veterem non promisisse bona æterna, ratione legis obseruatæ, tanquam præmium. Christi autem aduentus non est promissus tanquam præmium obseruatæ legis, vt docet Paullus: *Non enim,* inquit, *per legem promissio Abrahæ vt esset heres mundi, &c.* continet ergo vetus Testamentum eximiam de aduentu Messiæ promissionem, verumtamen non veluti legis obseruatæ præmium; nouum autem pollicetur regnum cælorum, tanquã legis benè custoditę remunerationem.

Aug. Epist. 120.

Hebr. 11.

Rom. 4.

Gal. 3.

Obijcies, qui legem veterem obseruabant, gratiam, ac proinde Christi tempore, cæleste regnum consequebantur: ergo gratia, & regnum cæleste, ratione legis obseruatæ, donabatur. Negamus hæc bona donata antiquis ratione legis obseruatę tantùm: nam obseruatio legis, si sola consideretur sine Christo, & eius gratia, digna non est iis bonis: si verò cum gratia spectetur, tam gratia, quàm gloria æterna dignam esse fatemur. At, vt iam explicatum est, omnis gratia, gratięque fons noui est Testamenti. Præterea, concedimus, ratione legis obseruatæ in gratia, donatam gloriam; quemadmodum donatur ratione quorumlibet operum bonorum, quæ in gratia præstamus; verumtamen hanc gloriam legem promisisse inficiamur; quia ad Christum hęc promissio pertinebat.

CAPVT VII.

De sexta Prærogatiua.

Testamentum vetus seruorũ, nouum filiorũ. Augustin. cõtra Adimantũ, c. 16 Rom. 8. Theodoret. Theophyl. Chrysost. Anselmus, Quid sit spiritus seruitutis.

SEXTA Prærogatiua. Testamentum vetus seruorum erat: Testamentum nouum est filiorum: quod docuit D. Augustinus. In veteri, inquit, Testamento erant onera seruorum, in nouo gloria liberorum: & Paullus: *Non accepistis spiritum seruitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba, pater.* Theodoretus hunc in locum sic scribit: Appellat Apostolus seruitutem, vitam, quę sub lege veteri agitur. Et Theophylactus: Iudęi, inquit, spiritum seruitutis acceperunt, litteram legis ita nominat Paullus, vt quę à spiritu data sit, seruis tamen magis conueniat: nam & corporales inde pœnę pręsto sunt, & supplicia, &c. Idem docet Chrysostomus. Quomodo, inquit, litterę illę, id est, lex vetus, seruitutis erant litterę? omnem vitę Iudęorum formam profert: tum demum id aperte intelliges: etenim supplicia illos è vestigio excipiebant, & merces statim sequebatur, &c. Quis autem sit spiritus seruitutis, exponit D. Anselmus in

in commentariis, his verbis: Idem ſpiritus eſt legis & Euangelij, ſed propter diuerſa opera diſſimiliter appellatur: Iudæis fuit ſpiritus ſeruitutis, ſed Chriſtianis eſt ſpiritus libertatis: quia eodem ſpiritu timor incuſſus eſt Iudæis, &c. D. Auguſt. in expoſitione quarumdam propoſitionum Epiſtolæ ad Rom. ſpiritum ſeruitutis dæmonem eſſe putat; ſed Anſelmi interpretatio verior eſt.

Auguſt.

Ad Gal. 4. Synagoga ancilla, Eccleſia libera

Idem Paullus: *Veteris Teſtamenti vmbram fuiſſe, ait, Agar ancillam Abrahæ; noui & Eccleſiæ, Saram liberam:* quemadmodum ergo ancilla filios generat ſeruos, ſic Teſtamentum vetus, ancillę ſimile, ſeruilis conditionis populum procreabat: idcircò Paullus affirmat Teſtamentum in monte Sina datum, in ſeruitutem generaſſe. Teſtamentum verò nouum & Eccleſia filios in ſumma gignunt libertate: *Nam,* vt Apoſtolus ait, *illa quæ ſurſum eſt Hieruſalem,* id eſt, Eccleſia, *libera eſt, quæ eſt mater noſtra,* &c. Surſum, inquam, eſt Eccleſia, quia, quę ſurſum ſunt, quærit, quæ ſurſum ſunt, ſapit. D. Anſelmus in commentariis Epiſtolæ ad Galat. Illa, inquit, Hieruſalem, cuius conuerſatio in cælis eſt, quæ ſurſum cor habet, quæ ſuperna appetit, quam Sara figurauit, libera eſt, &c. Eodem loco Anſelmus: In vtroque, inquit, Teſtamento genuit Deus filios, qui ſibi ſeruirent, ſed in veteri Iudæos ſeruos, qui timore pœnæ, & promiſſionibus temporalium, ei ſeruiliter obedirent; in gratia verò noui Teſtamenti liberos, qui ex dilectione ſeruiant, &c.

D. Anſelmus, ſiue Herueus.

An Iſraëlitæ fuerint filij Dei.

Exoritur hoc loco non vulgaris controuerſia: Num Iſraëlitæ, qui iuſtitiæ & ſanctimoniæ ſectatores, in gratia Dei viuebant, filij Dei fuerint, an tantummodo ſerui? Filios non fuiſſe probat illud Paulli initio propoſitum: *Non accepiſtis ſpiritum ſeruitutis,* &c. Et illud: *Teſtamentum vetus in ſeruitutem generans*: quæ duo loca oſtendunt Iudęos fuiſſe ſeruos, non filios. Præterea, Chriſtus ideò in orbem venit, *vt adoptionem filiorum reciperemus. Et dedit nobis poteſtatem filios Dei fieri*: ergo ante Chriſtum non erat huiuſmodi poteſtas, nec adoptio. Ad hæc, in veteri Teſtamẽto non erat regeneratio per aquam & Spiritum ſanctum in baptiſmate: vbi autem non eſt regeneratio, non poteſt eſſe filiatio: ergo in veteri Teſtamento non erant filij. Theophylactus Ioan. 1. putat Iſraëlitas filios Dei fuiſſe in typo & figura: Lex, inquit, adoptationem filiorum Dei non dabat Iſraëlitis, ſed quaſi in figura & typo. Sicut illorum baptiſma in vmbra & figura erat, ita & adoptationem quoque noſtram prefigurabat. Propterea, quamuis vocati fuerint filij, hoc tamen contigit eis in vmbra, neque in veritate eandem adoptationem filiorum habuerunt, quam nos per baptiſma. Hæc Theophyl. Et D. Cyrillus: quia futurorum bonorum vmbram lex continebat, propterea non ſecundùm veritatem, ſed figuratè Iudęi adſcribebantur filij, &c.

Rom. 8. Gal. 4.

Gal. 4. Ioan. 1.

Theophyl.

Cyrillus in Ioan. lib. 1. c. 14.

Nihilominus illa ſententia amplectenda eſt, quę aſſerit Iſraëlitas verè filios fuiſſe Dei; id quod tum ſacrę litterę prędicant, tum ratio ipſa docet. Nam ait Dominus: *Filios enutriui & exaltaui.* Exod. 4. populum Hebręum filium ſuum primogenitum appellat: & in Cantico Moyſes: *Prouocauerunt,* inquit, *eum filij ſui & filiæ.* Item: *Deum, qui te genuit, dereliquiſti, nonne ipſe eſt pater tuus,* &c. *Bonæ ſpei feciſti filios tuos. Cum quanta diligentia iudicaſti filios tuos. Filios tuos nec draconum venenatorum vicerunt dentes. Dulcedinem tuam, quam in filios habes, demonſtrabas.* In iis autem locis, crediderim, non ſolùm dici filios viros probos; verùm etiam improbos. Loquitur enim Scriptura vniuerſim de toto populo. Dicuntur improbi filij Dei; quia ab eo ſunt procreati, quomodo dicitur *pluuiæ pater*; prętęrea, quia Deus vt filios illos nutrit, curat, & beneficijs afficit, iuxta illud: *Filios enutriui & exaltaui, ipſi autem ſpreuerunt me.* Probi autem viri, tum ob eaſdem rationes filij Dei appellantur, tum vel maximè, quia à Deo per gratiam ſunt adoptati, & cæleſtis regni heredes effecti. Quæ ratio filiationis nõ ſolùm Chriſtianis, verùm etiam Iudæis iuſtis congruit? per gratiam enim à Deo adoptati ſunt, etiam ante Chriſti aduentum, & cæleſtis regni heredes conſtituti: hereditatem tamen ante Chriſtum adire non erat fas, vt ſuprà iam eſt explicatum. Erat enim ſtatus ille teneræ ætatis filiorum; quibus, antequam ad prouectiorem ætatem perueniant, hereditas non traditur.

Eſaiæ 1.

Deut. 32. Sap. 12. Ibidem. Sap. 16.

Ibidem.

Iob 38.

Iudæi iuſti filij Dei fuerunt.

Teſtimonia verò illa Paulli, quæ ſpiritum ſeruitutis Iudæis tribuunt, de ſtatu legis intelligenda ſunt. Nam Iudæi ſecũdùm ſtatum legis ſerui erant, & ſpiritum ſeruitutis accipiebant; gratia filij erant, quicumque gratia pręditi fuerunt, quod Paullus indicat, cùm legem pædagogum vocat, pædagogus filiis datur; ergo Iudæi filij fuerunt, ſed ſerui propter ſtatum legis; quia paruuli erant. Vnde addit: *Quanto tempore heres paruulus eſt,* nihil differt à ſeruo, cum ſit omnium Dominus, ſed *ſub tutoribus, & actoribus eſt vſque ad præfinitum tempus à patre.* Eumdem in modum Hebræi, cùm eſſent Domini omnium, id eſt, filij, heredes æterni regni, nihil differebãt à ſeruis; ſed ſub lege, tamquam ſub tutore & actore, erant vſque ad præfinitum tempus a Deo. At vbi venit plenitudo temporis præfinita Dei conſilio, miſit Deus Filium ſuum, vt ſtatum illum ſeruilem aboleret, ſublatisque tutoribus & actoribus, Hebræos in libertatem filiorum aſſereret: quod Paullus his verbis dixit: *Miſit Deus Filium ſuum, vt eos, qui ſub lege erant, redimeret, vt adoptionem filiorum reciperemus.* Loquitur Paullus de adoptione filiorum quoad ſtatum: hanc enim Chriſtiani poſt Chriſti aduentum, legis ſublata ſeruitute, receperunt. Quamobrem à Chriſto initio orationis iuſſi ſunt Deum ſic appellare: Pater noſter, qui es in cælis.

Gal. 3.

Gal. 4.

Ante aduentum verò Chriſti adoptionem habebant Iudęi, & poteſtatem filios Dei fieri, non ſecundùm ſtatũ, qui ſeruitutis erat, ſed ſecũdùm ſingulorum conditionem, qui per gratiam Filij Dei efficiebantur; per gratiam, inquam, quæ è Chriſti futuris meritis emanabat, non per vim legis. Dedit ergo Chriſtus poteſtatem filios Dei fieri etiam antiquæ legis hominibus; venit, vt adoptionem filiorum reciperent, non ſolùm nouæ, verùm etiam veteris legis cultores; quod reſponſum reddimus etiam duobus teſtimoniis, quæ ſupra ſunt allata, alterum ex Paullo ad Gal. 4. alterum ex Ioan. 1. Propoſitæ verò rationis nodus facilè diſſoluitur: non enim opus erat olim vt quiſquam regeneraretur baptiſmo; regenerabatur populus ille per gratiam, quæ in circumciſione per Chriſti merita donabatur, & filius Dei per gratiam conſtituebatur.

CAPVT IIX.

De ſeptima Prærogatiua.

Nouum Teſtamentum amoris eſt, vetus fuit timoris.

Malach. 1.

Auguſtin. tom. 1. in l. 1. de moribus Eccleſiæ, c. 28.

SEPTIMA Prærogatiua. Teſtamentum vetus fuit timoris, nouum eſt amoris: fuit enim illud ſeruorum, quorum eſt timor, iuxta illud: *Si Dominus ego ſum, vbi eſt timor meus?* hoc eſt, filiorum, quorum eſt amor erga patrem. Auguſt. Coërcitio, inquit, timore, inſtructio verò amore perficitur; in his duobus, Deus duobus teſtamentis diſciplinæ nobis regulam dedit: quamquam enim vtrumque in vtroque ſit: prævalet tamen in vetere timor, amor

amor in nouo; quia ibi ſeruitus, hic libertas ab Apoſtolis prædicatur, &c. Et idem: Hæc eſt breuiſſima & apertiſſima differentia duorum Teſtamentorum, timor & amor: & capite 16. Deus veteri homini fugienti, tamquam Dominus, appoſuit quod timeret; & nouo redeunti, tamquã pater, aperuit quod amaret, &c. Appoſuit Dominus illi antiquo populo ſupplicia, quæ timeret: in ipſa verò legis promulgatione, tonitrua, caliginẽ, procellam, ignem, fulgura, tubæ ſonum, montem Sinai ardentem ac fumantem; tantoque terrore percuſſus eſt, vt dixerit Moyſi: *Loquere tu nobis, & audiemus: non loquatur nobis Dominus, ne forte moriamur*: &: *Cur moriemur, & deuorabit nos hic ignis maximus? ſi audierimus vltra vocem Dei, moriemur*. Nec populus ſolùm horruit, verùm ipſe etiam Moyſes Dux populi, vt teſtatur Paullus: *Et ita*, inquit, *terribile erat, quod videbatur, Moyſes dixit, exterritus ſum & tremebundus.* Appoſuit, inquam, hæc Deus populo, vt timeret: ſic enim Moyſes ait: *Vt probaret vos venit Deus, & vt terror illius eſſet in vobis, & non peccaretis.*

Auguſt. l. aduerſus Adimantum, c. 17.

Exodi 20. Deut. 5.

Heb. 12.

Exodi 20.

In nouo autem Teſtamento, populo, imò filiis ſuis cariſſimis, aperuit tamquam pater, quod amarent. Aperuit paterna viſcera, paternum amorem, præmia cæleſtia, amore plena ſacramenta. Denique fontem amoris aperuit, palamque omnibus propoſuit Chriſtum crucifixum, qui totus amorem ſpirat: quocirca dicitur *totus deſiderabilis*. Iam verò, ſi ad promulgationem Teſtamenti noui animum vertas, ab amore profectam intelliges: cœpit enim promulgari à Petro die ipſo Pentecoſtes, quo Spiritus ſanctus Apoſtolis ſeſe infudit. Nónne Spiritus ſancti peculiare nomen eſt Amor? in die ergo amoris nouum Teſtamentum promulgatur; quia amoris Teſtamentum eſt; nuſquam ibi metuenda tonitrua, nuſquam fulgura, caligo, procella: Non fumat mons Sion, non ardet igne horrendo, vt Sinaï, ſed fit de cælo ſonus, tamquam ſpiritus vehementis: apparent igneæ linguæ, Apoſtolorum verticibus inſident, omnes diuino ſpiritu ſumma cum animi dulcedine complentur, Deique magnalia eloquuntur. Omnia hic plena amore, nemo timet, nemo territus, ait: Non loquatur nobis Dominus, aut, deuorabit nos hic ignis maximus: *Non acceſſiſtis*, ait Paullus, *ad tractabilem montem, & accenſibilem ignem, & turbinem, & caliginem, & procellam, & tubæ ſonum, & vocem verborum, quam qui audierunt, excuſauerunt ſe, ne eis fieret verbum; ſed acceſſiſtis ad Sion montem, & Ciuitatem Dei viuentis, Hieruſalem cæleſtem, & multorum millium Angelorum frequentiam*, &c.

Cant. 5. Lex vetus lata cũ terrore, noua promulgata cum amore.

Hebr. 12.

Locutus eſt Dominus in veteri Teſtamento magno cum terrore, at in nouo magno cum amore: vnde illud: *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis* iugo legis, *& ego reficiam vos:* iugo ſublato ponderoſo: *diſcite à me;* quia non cinctus caligine, fumo, igne, & procella, vt in monte Sinai; ſed ſumma cum manſuetudine, & animi ſubmiſſione doceo: *Mitis enim ſum & humilis corde*. Denique in veteri Teſtamento Deus Sabaoth, id eſt, exercituum, vexillum extulit timoris; in nouo autem Teſtamento vexillum protulit amoris. Ait Eccleſia: *Ordinauit in me caritatem*; in Synagoga verò ordinauit timorem. Verti quoque poteſt: *Vexillum eius ſuper me*, amor, id eſt, Synagogæ populum ſub vexillo timoris Deus duxit: me autem Eccleſiam ſponſam cariſſimam meosque filios, milites ſuos, ducit ſub vexillo eximij amoris.

Matth. 11.

In nouo Teſtamento Deus vexillum extulit amoris.

Cant. 2.

Meritò autem Teſtamentum timoris præceſſit Teſtamentum amoris: quia timor amore prior eſt, vt Auguſt. docet: Timor, inquit, quaſi locum præparat caritati; cùm autem cœperit caritas habitare, pellitur timor, qui ei præparauit locum. Si nullus eſt timor, non eſt qua intret caritas: ſicut videmus per ſetam introduci linum, quando aliquid ſuitur; ſeta priùs intrat, ſed niſi exeat, non ſuccedit linum: ſic timor primò occupat mentem, non autem ibi remanet; quia ideò intrauit, vt introduceret caritatem. Hæc Auguſt. Quæ in Teſtamentum vetus ac nouum maximè quadrant: nam, quemadmodum timor prior eſt amore, ſic Teſtamentum timoris, id eſt, vetus, prius fuit Teſtamento amoris, id eſt, nouo: quemadmodum timor, vt ait Aug. locum præparat caritati, ſic Teſtamentum timoris locum præparauit Teſtamento caritatis. Cùm autem cœperit caritas habitare, pellitur timor, qui ei præparauit locum: ita cùm Teſtamentum caritatis habitare in orbe cœpit, pulſum eſt & abrogatum Teſtamentum timoris, quod ei locum præparauerat.

Timor præparat locũ amori. Aug. tract. 9. in Epiſt. 1. Ioan.

Teſtamentũ timoris præparauit locũ Teſtamento amoris.

CAPVT IX.

De octaua Prærogatiua.

Vetus Teſtamentũ vmbra & typus fuit noui.

OCTAVA Prærogatiua. Teſtamentum vetus vmbra fuit & typus noui: quod teſtatur Paullus, cùm legis ritus vmbram vocat, corpus autem, quod ab hac vmbra indicabatur, Chriſti eſſe affirmat: *Quæ ſunt*, inquit, *vmbra futurorum, corpus autem Chriſti*. Similiter ad Hebr. *Vmbram*, ait, *habuiſſe legem futurorum bonorum*. Quemadmodum enim res ipſas non ſatis expreſſe ac perſpicuè vmbra repræſentat, ſed obſcure; ſic lex futura noui Teſtamenti bona non ita clarè expreſſit, vt ab omnibus intelligerentur, ſed delineauit tantũ, vt diuini ſpiritus lumine ad ea cognoſcenda opus ſit. ideoque Chriſtus aperuit ſenſum Diſcipulis, vt intelligerent ſcripturas; *& incipiès à Moſe & omnibus Prophetis, interpretatus eſt Cleophæ, & comiti in omnibus ſcripturis, quæ de ipſo erant*. Hoc ſignificauit Paullus, cùm dixit: *Legem habuiſſe vmbram, non imaginem rerum*: habuit vmbram; quia futura bona adumbrauit: non habuit imaginem; quia res apertè non euulgauit: imago enim hoc ab vmbra differt, quòd vmbra tenuiter & obſcurè, imago perſpicuè & expreſſe rem repræſentat. Elias Cretenſis in commentar. primæ Orationis Gregorij Nazianzeni aliam reddit rationem, cur lex vmbra vocetur: Vmbra, inquit, corpus præcedit, ipſiusque preſentiam indicat, nec tamen corporis officium exequi poteſt; ſic lex, typus & vmbra ſitæ in nouo Teſtamento veritatis exiſtens; huius quidem aduentum præſignabat, ſpiritus autem miniſterium implere non poterat, &c.

Luc. 24.

Hebr. 10.

Lex cur vmbra, nõ imago.

Elias Cretenſis.

Cur lex vmbra dicatur

Appellat etiam Paullus ea, quæ Iſraëlitis contigerunt, figuras & typos: *Hæc omnia in figura contingebant illis*: verti etiã poteſt: Hæc omnia typice contingebant illis. Ad Hebr. legalia, appellat *exemplaria cæleſtium, & exemplaria verorum*; Græce ὑποδείγματα & ἀντίτυπα; appellat item *parabolas*, id eſt, ſimilitudines temporis inſtantis. Vnde capite 11. ait *Abrahamum accepiſſe Iſaac ex ſacrificio incolumem, in parabolam*, id eſt, tamquam in ſymbolum & typum reſurrectionis Chriſti, vt exponit Theodoretus & Theophylactus: In parabola, inquit, id eſt, figura, ad demonſtrationem myſterij, quod in Chriſto erat. In Epiſt. verò ad Cor. manna vocat cibum ſpiritualem, aquam, quæ ex rupe effluxit, potum ſpiritualem, petram ſpiritualem; quia cibi ſpiritualis, & potus, & Chriſti ſymbola erant. A ſignificatione ſpirituali, ſpiritalem potum, & cibum, & petram dixit; alioqui quid vel in manna, vel in aqua, vel in petra corporea fuit ſpirituale? Sic interpretatur D. Hier. in hunc locum, in comment. Epiſt. ad Gal. cap. 4. & illud Paulli: *Lex ſpiritualis eſt*: putat

1. Cor. 10.

Hebr. 9.

Hebr. 11.

Theodoret. Theophyl.

1. Cor. 10.

Cur dicatur petra ſpiritualis à Paullo, potus & ſpiritualis.

D. Hieron. Lex cur dicatur ſpiritualis.

Rom. 7.

putat significare legem esse allegoricam & typicam. Denique virum spiritualem dici eum, ait, qui legis typos, & ænigmata callet: *Nos*, inquit, *spiritualem*, qui omnia iudicet, & ipse à nemine diiudicetur, *eum virum dicimus, qui vniuersa scripturarum sacramenta cognoscens, sublimiter ea intelligat; & Christum in diuinis libris videns, nihil in eis Iudaicæ traditionis admittat*. In eisdem commentariis ad Gal. 5. historicum sensum carneum appellat; spiritum verò, sensum allegoricum & mysticum.

1. Cor. 2.

Historicus sensus, carneus.

Origines l. 7. contra Celsum.

Orig. item Paullus, inquit, pronuntiauit litteram occidere; quod perinde est, ac si verba dixisset occidere; ceterùm spiritus, inquit, viuificat; quod tantundem valet, ac si nos eorum intellectu vitam consequi scripsisset. Et lib. 4. Periarchôn, cap. 2. Sicut homo constare dicitur ex corpore & anima, & spiritu; ita etiam sancta Scriptura, quæ ad hominum salutem diuina largitione concessa est. His consentanea sententia est Therapeutarum, id est, curatorum, vel cultorum, quam tradit Philo, in libro de vita contemplatiua, his verbis: Hi viri totam legem existimant habere animalis similitudinem, quòd præcepta corpus referant, animam verò sententiæ retrusiores, sub velamine verborum abditæ, in quibus rationalis anima seipsam contemplatur, tanquam in speculo, sub his verbis miram sententiarum pulcritudinem conspiciens, & explicans è figurarum inuolucris; atque ita penitiorem intellectum in lucem producens, &c. Hinc illud D. Greg. Naz. Moysen, inquit, duplicem legem sanxit, litteralem nimirum externe, spiritualem interne. Et illud Orig. Dicimus, legem esse duplicem, alteram, iuxta litteram, alteram, iuxta sententiam, sicut & maiores nostri docuerunt, &c. Illud item Aug. lib. 22. contra Faustum, cap. 24. Dico illorum hominum non tantùm linguam, sed etiam vitam fuisse propheticam, totumque illud regnum gentis Hebrææ, magnum quemdam, quia & magni cuiusdam, fuisse Prophetam. Quocirca, quod ad eos quidem attinet, qui illic erant eruditi corde in sapientia Dei, non solùm in iis, quæ dicebant, sed etiam in ijs, quæ faciebant: quod autem ad ceteros, ac simul omnes illius gentis homines, in iis, quæ in illis, vel de illis, diuinitus fiebant; prophetia venturi Christi, & Ecclesiæ perscrutanda est. *Omnia enim illa*, sicut dicit Apostolus, *figuræ nostræ fuerunt*. Hæc August.

Lex habet animalis similitudinem, litteræ corpus refert, animæ sensus mysticus.

Greg. Naz. in Orat. funebri, de laudib. D. Basilij.

Origines l. 7. contra Celsum.

August. Hebræorum & lingua & vita fuit prophetica.

Habet ergo vetus Testamentum spiritum, habet & corpus, siue carneum sensum; habet nucleum ac medullam, habet & corticem, habet Moses velamen, habet & velatum splendorem. Hieronymus: Totum, quod legimus in diuinis litteris, nitet quidem & fulget, etiam in cortice, sed dulcius in medulla est. Qui edere vult nucleum, frangat nucem. *Reuela*, inquit Dauid, *oculos meos, & considerabo mirabilia de lege tua*. Si tantus Propheta tenebras ignorātiæ confitetur, qua, nos putas paruulos & lactantes, insciti nocte circumdari? &c. Hac insciti nocte circumdati Iudæi, litteræ hærent, spiritum deserunt, corpus tantùm veteris Testamenti cernunt, animam intellectu non assequuntur, corticem rodunt, dulcem medullam non degustant, nucleum non edunt; quia nucem non frangunt, insulsum cibum mandunt, spiritalis intelligentiæ salem reiiciunt. Nam, vt ait D. Greg. in lege; sal litteræ, est intelligentiæ virtus occultæ. Quisquis ergo, inquit, obsequiis carnalibus intentus, legem intelligere spiritaliter noluit, quid aliud, quàm insulsum cibum comedit? huiusmodi Iudæi sunt, quorum cæcitatem Paullus indicat, illis verbis: *Obtusi sunt sensus eorum*. Vsque in hodiernum enim diem, id ipsum velamen in lectione veteris Testamenti manet non reuelatum; quoniam in Christo euacuatur. Sed vsque in hodiernum diem, cùm legitur Moyses, velamen positum est super cor eorum: cùm autem conuersi fuerint ad Dominum, auferetur velamen. Docet Apostolus, velamen, quod Moysis faciem splendidam tegebat, Iudæorum cæcitatem in intelligenda lege Moysis, & veteri Testamento adumbrasse. Simili modo August. Quod dictum est, inquit, de ministro veteris Testamenti, Moyse, quod non poterant intendere filij Israël in faciem eius, propter gloriam vultus eius: signum erat; quia in lege Christum intellecturi non erant, &c.

Psalm. 118.

Iudæi litteræ hærent scripturæ, spiritū non assequūtur.

D. Greg. in comment. 6. c. Iob.

2. Cor. 3.

Exod. 34.

Augustl. l. 2. contra aduersarium legis, c. 7.

Docet item Apostolus, velamen hoc in Christo euacuari, id est, tolli: *Quoniam*, inquit, *in Christo euacuatur*, id est, tollitur in iis, qui ad Dominum conuertuntur. August. eodem cap. Qui sunt in veteri Testamento, impediente velamine, nec vetus intelligunt, nec nouum; quia autem transeunt ad Christum, remoto velamine, per nouum, intelligunt & vetus & nouum Testamentum, &c. Quocirca adiungit Paullus: *Nos verò omnes, reuelata facie, gloriam Domini speculantes, in eandem imaginem transformamur, a claritate in claritatem*, &c. Quasi dicat: Iudæi velatam habent faciem velamine cæcitatis; nos verò ad Christum conuersi, reuelata facie, id est, nullo velamine obtecta, gloriam Christi speculamur, eiusque imaginem in nobis, veluti speculum, recipimus, atque indies clariores efficimur, vt Moysis vultus, à claritate progredientes in maiorem claritatem. Quemadmodum enim, ait Theodoretus, aqua perspicua, eorum, qui inspiciunt, aspectum, & ipsius Solis circulum, & cælorum conuexa effingit: ita etiam cor purum, fit diuinæ gloriæ veluti quoddam speculum, quod eam refert & exprimit. Theophylactus verò: Quemadmodum, inquit, argentum contrario Solis positum, remittit radios ex repercussu Solis, sic & nos baptismate per Spiritum purgati, illiusque radiis illustrati, iubar quoddam spiritale remittimus, &c. Alludit Apostolus ad vultum Moysis, qui ex consortio sermonis Domini splendorem concepit: eundem in modum, ait, Christianos ex contemplatione gloriæ Christi, eiusdem gloriæ imaginem claritatemque recipere. Moysen etiam respicit, cùm ait, tolli velamen ab iis, qui conuertuntur ad Deum: Nam Moyses, vt dicitur in Exod. facie velo operiebat, si quando loquebatur cum Israëlitis, ingressus autem, & veluti conuersus ad Dominum, & loquens cum eo, velamen auferebat, quod, vt ait Apostolus, in Christo euacuatur, id est, euanescit: nam, vt ait D. Hieron. Ezech. 44. priusquàm Saluator humanum corpus assumeret, clausa erat lex & Prophetæ, & omnis scientia scripturarum, clausus erat Paradisus; postquam autem ille pependit in Cruce, & locutus est ad latronem: Hodie mecum eris in paradiso, statim velum templi scissum est, & aperta sunt omnia, ablatoque velamine, dicimus: Nos autem omnes, reuelata facie, gloriam Domini contemplantes, in eandem imaginem transformamur, à gloria in gloriam. Hæc ille.

Theodoret.

Theophyl.

Exod. 34.

Hieronym.

Vidit Ioan. librum intus foris q; scriptum, septem sigillis signatum, quem nemo, nisi agnus Dei aperire potuit. Eum librum Victorinus, Primasius, Beda, Richard. & alij, sacram Scripturam significare volunt. Foris intusque scriptus est; quia, vt dicebamus, duplicem sensum continet, externum atque internum; septem obsignatur sigillis; quia occulta & clausa erant Christi mysteria in veteri Testamento: quæ enim occulta & clausa esse volumus, sigillis obsignamus. Nemo autem, nisi agnus Dei obsignatum librum

Apoc. 5.

Scriptura sacra, liber foris, intusque scriptus est.

Christus Scripturam aperuit.

librum aperire potuit: Christus enim clausa Scripturæ mysteria tum dictis tum gestis aperuit, velamen sustulit, animam veteris Testamenti sub littera, tanquam sub corpore delitescentem patefecit: nucem Pater fregit, dulcissimumque nucleum filijs edendum præbuit. Orig. Legem Moysis splendor aduentus Christi per fulgorem illuminans, id quod superpositum erat litteræ eius velamen abstraxit, & omnia, quæ coopertura verbi bona tegebantur, vniuersis in se credentibus reserauit. Sed ne forte quis ambigat, quonam modo liber Ioanni ostensus, foris intusque describi potuerit, sciat non fuisse librum nostris similem, sed chartam inuolutam, quæ ex vtraque facie, interna, & externa esset litteris exarata; qualis liber Ezechieli edendus offertur: *Ecce*, inquit, *manus missa ad me, in qua erat inuolutus liber, & expandit illum coram me, qui erat scriptus intus, & foris*, &c. Denique ex sententia D. Hilarij in Prologo Psalm. D. Anselmi, & aliorum, dicitur Christus *habere clauem Dauid*, id est, Psalmorum, ac proinde omnium diuinorum librorum: quia, quæ de Messia in Psalmis Dauidicis, & diuinis libris clausa sunt, aperuit. Habet Christus clauem Moysis, clauem Esaiæ, Ieremiæ, Danielis, & ceterorum Prophetarum: habet clauem totius Scripturæ, cuius ostium humilibus aperit; claudit superbis, iuxta illud: *Declaratio sermonum tuorum illuminat, & intellectū dat paruulis.* Hieron. vertit: ostium sermonum tuorum lucidum docet paruulos: clausum est ostium Iudæis, quia clauem repudiarunt; apertum est Christianis, quia reserātem clauem, id est, Christum amplexi sunt.

Orig. l. 4. Periarchōn c. 1.

Quomodo liber intus foris q; scribi possit.

Ezech. 2.

D. Hilarius. Anselmus. Christus clauem habet Scriptura. Apoc. 3.

Psal. 118. Hieron.

Quadruplex est sensus Scripturæ. Litteralis.

Continet autem scriptura sacra (vt hoc obiter explicemus) sensum quadruplicē, litteralem, siue historicum, allegoricum, tropologicum, & anagogicum. Litteralis, vel historicus dicitur à littera, vel historia; quia is est, quem littera, vel historia primò significat. exemplum sit hæc propositio: Dauid gigantem vicit, ea, sensu litterali, significat pastorem Israëlitam Goliam superasse. Allegoricus ab allegoria nomē habet: Est autem ἀλληγορία figura, cum aliud sensu, aliud verbis ostenditur; sensus verò allegoricus peculiari modo dicitur, cùm res historicè significatæ significant alias, quæ pertinent ad statum nouæ legis, vel Ecclesiæ militantis. verbi gratia, illius propositionis, Dauid vicit gigantem, sensus allegoricus est, Christus dæmonem superauit. Tropologicus, id est, moralis sensus appellatur, qui ad morum emendationem, & ornatum dirigitur: hoc sensu propositio Dauid vicit gigantem, significat Christianū aduersus vitia diabolumque certamen iniisse, & victoriam reportasse. Anagogicus à verbo Græco ἀνάγω, id est, sursum duco; is est, qui nos sursum subleuat ad statum futuri sæculi, eo sensu lætitia, & plausus, quo Dauid post adeptam de gigante victoriam, ab Israëlitis exceptus est, illam delineat lætitiam, & plausum, quo vir Christianus, Diabolo superato à cælicolis excipitur. Exemplum alterum esto, nomen vulgatissimum Ierusalē, quod litterali sensu vrbem significat Iudææ caput; tropologico, animam Christianam, allegorico, Ecclesiam in terra militantem, demum anagogico, Ecclesiam in cælo triumphantem. Appellatur etiam sensus mysticus, id est, arcanus, sensus spiritalis, sub historico delitescens, siue ille allegoricus sit, siue anagogicus.

Allegoricus.

Tropologicus.

Anagogicus

Beda l. 1. de tabernaculo, c. 6.

Hac de re, sic scribit venerabilis Beda: Mensa tabernaculi quatuor habet pedes; quia verba cælestis oraculi, vel historico intellectu, vel allegorico, vel tropologico, id est, morali, vel certè anagogico solent accipi. Historia est, cum res aliqua, quomodo secūdum litteram facta, siue dicta sit, plano sermone refertur. Allegoria est, cùm verbis, siue rebus mysticis præsentia Christi, & Ecclesiæ Sacramenta signantur. Tropologia, id est, moralis locutio, ad institutionem, & correctionem morum respicit. Anagoge, id est, ad superiora ducēs locutio, est, quæ de præmijs futuris, & ea in cælis est vita futura, siue mysticis, siue apertis sermonibus disputat. Hæc Beda. Bernardus: Sit ortus simplex ac plana historia, sit cellarium moralis sensus, sit cubiculum arcanum theoricæ contemplationis, &c. Et D. Hieron. Legimus, inquit, in Prouerbijs 22. capit. Tu autem scribe ea tripliciter, vt respondeas sermones veritatis, qui proponuntur tibi; & iubetur nobis, vt eloquia veritatis, id est, Scripturas sanctas intelligamus; tripliciter. Primum iuxta litteram; secundo mediè per tropologiam; tertiò sublimius, vt mystica quæque cognoscamus. Secundum litteram, illud: *Nolite murmurare, sicut quidam de eis murmurauerunt, & perierunt ab exterminatore*; iuxta tropologiam, quando recedimus à littera, & paullulum ad altiora conscendimus, dicente Apostolo: *Scriptum est, non ligabis os boui trituranti*; tertia & sublimis, sacraque intelligentia, iuxta illud eiusdem Apostoli: *Propterea relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori suæ: Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo, & Ecclesia.* Hæc D. Hieronym. & in Epist. 150. ad Hedibiam, quæst. 12. Triplex, inquit, in corde nostro descriptio, & regula Scripturarum est; prima, vt eas intelligamus iuxta historiam; secunda, iuxta tropologiam; tertia, iuxta intelligentiam spiritualem. Lege Origenem. Tripliciter, ait, describere oportet vnumquemque intelligentiam diuinarum litterarum: id est, vt simpliciores quiq; ædificentur ab ipso (vt ita dixerim) corpore scripturarum: sic enim appellamus historialem intellectum. Si qui verò aliquantum iam proficere cœperint, & possunt amplius aliquid intueri, ab ipsa Scripturæ anima ædificentur. Qui verò perfecti sunt, & similes ijs, de quibus Apostolus dicit: *Sapientiam loquimur inter perfectos*: hi tales ab ipsa spiritali lege, quæ vmbram habet futurorum bonorum, tanquam à spiritu ædificantur. Hæc ille.

D. Bernard. ser. 23. Cant. D. Hieron. in commēt. Ezech. 16.

1. Cor. 10.

1. Cor. 9.

Ephes. 5.

Orig. l. 4. Periarchōn, c. 2.

CAPVT X.

De nona Prærogatiua.

Iugū Veteris Testamenti graue, noui leue. Matth. 11.

NONA Prærogatiua. Veteris Testamenti iugum graue fuit, noui leue, ac suaue est: quod explicasse videtur Christus, cum Iudæos graui legis iugo oneratos ad se vocat, leue noui Testamēti onus, veteri depulso, impositurus. *Venite*, inquit, *ad me omnes, qui laboratis, & iugo graui legis onerati estis, & ego reficiam vos. Tollite iugum meum super vos: iugum enim meum suaue est, & onus meum leue.* Legis difficultatibus laborātes, ait D. Hilarius, & peccatis sæculi oneratos ad se vocat, &c. Quam verò fuerit graue antiquum iugum, D. Petrus ostendit: Cum enim nonnulli arbitrarentur legem Moysis Christianis esse seruandam, eaque de re Hierosolymis deliberatio esset; surgens ille: *Quid*, inquit, *tentatis Deum, imponere iugum super ceruices discipulorum, quod nec Patres nostri, nec nos portare potuimus?*

D. Hilarius Act. 15.

Deus non iubet impossibilia. Aug. lib. de natura & grat. c. 43. Hieron. in exposit. symboli ad Damasum.

His verbis legis onus exaggerat, nec verò significat Deum impossibile aliquid præcepisse: id enim à ratione & fide est alienissimum: nam, vt Augustinus docet, non iubet Deus impossibilia, sed iubendo admonet & facere quod possis, & petere quod non possis. Et Hieron. Execramur, inquit, eorum blasphemiam, qui dicunt, impossibile aliquid homini à Deo præceptum esse. Eandem blasphemiam exe-

Synod. Trid. sess. 6. can. 18 cratur etiam Synodus Tridentina, his verbis: Si quis dixerit Dei præcepta homini etiam iustificato, & sub gratia constituto, esse ad obseruandum impossibilia, anathema sit. Itaque non erant ad obseruandum impossibilia legis veteris à Deo latæ mandata, sed obseruatu difficilia; quod indicat D. Petrus illa exaggeratione. Nec enim sine caussa manus Moysis graues dicuntur; quippe quæ graue legis iugum hominibus imposuerint. Graue iugum erat, primò, propter præceptorum multitudinem, quocirca ab Aug. appellatur sarcina innumerabilium obseruationum. Numerantur autem in lege sexcenta tredecim præcepta; affirmantia, ducenta quadraginta octo; negantia, trecenta sexaginta quinque. Præterea graue dicitur iugum; quia legis ille status, vt suprà est explicatum, non erat gratiæ, & caritatis onus subleuantis. Aug. Lex peccato dedit virtutem tantummodo per litteram iubendo, non per spiritum subueniendo, &c. Præterea, quia pauciora tunc auxilia quàm nunc ad ferendum legis onus donabantur; quamuis quæ sufficerent, nemini negarentur. Quocirca non immerito hanc quoque ob caussam manus Moysis graues dicuntur; quòd à maiori gratia, & auxiliis minoribus Mosaicæ legis cultorum manus subleuarentur.

Exod. 17. *Aug. ser. 9. de verb. Domini.* *Cur iugũ legis graue.* *D. Aug. de verb. Apost. serm. 6.* *Exod. 17.*

Iugũ graue legis Christus abstulit Osea 11. Graue iugũ fuit, sed non perpetuũ: à Messia enim sublatum est, & cum suaui iugo amoris commutatum, vt prædicitur ab Osea: *In funiculis Adã traham eos, in vinculis caritatis, & ero eis quasi exaltans iugum super maxillas eorum: & declinaui ad eum, vt vesceretur*: id est, traxi Israëlitas funiculis belluarum, id est, timoris, disrumpam hæc vincula, traham illos funibus hominis & amoris, quem ostendam in nouo Testamento, & auferam iugum ponderosum veteris legis à ceruicibus eorum & maxillis: nam olim iugo ceruices, fune maxillas boum premebant, vt indicat Chaldæus, sic hunc locum interpretans: Veluti bonus agricola, qui boum humerum alleuat, & relaxat in maxillis eorum, scilicet, funes. Vinculum autem amoris præcipuum, quo homines trahit, augustissimam Eucharistiam & incarnationem esse indicat, cùm subiicit: *Declinaui ad eum, vt vesceretur*: id est, è cælo descendi, ad homines veni, maiestatem meam velo obumbraui, vt cibum haberent animorum palato conuenientem.

Chaldæa paraph. *Eucharist.*

Cur iugum noui Testamenti dicatur leue. Quod si ambigat quispiam, & quærat quanam ratione iugum Testamenti noui leue dicatur, cùm multum ponderis videatur habere? Respondemus, dici leue in primis; quia multitudinem præceptorum legis antiquæ abrogauit Christus, vt infra dicemus, & legem nouam paucis præceptis & sacramentis, vnicoque Eucharistiæ sacrificio concluserit ac breuiauit. Quamobrem à Patribus dicitur lex noua, verbum breuiatum; de quo Paullus: *Verbum*, inquit, *breuiatum faciet Dominus super terram*. Tertul. Decisum, inquit, sermonem faciet Dominus in terra: compendiatum est enim nouum Testamentum, & à legis lacinios oneribus expeditum. D. Hier. Isaiæ 10. Abbreuiatus, atque perfectus sermo Euangelicus est, qui pro cunctis lacinios legis cerimoniis dedit præceptum breuissimum dilectionis & fidei, vt quod nobis fieri noluerimus, ne fecerimus alteri. Vnde Dominus: *In iis*, inquit, *duobus mandatis pendet omnis lex & Propheta*, &c.

Lex noua verbũ breuiatum. Rom. 9. Tertull. initio l. 4. cõtra Marcionem. Hieron. *Matth. 22.*

August. Aug. in explicatione propositionũ Epist. ad Roman. in illa verba c. 9. Prope est verbum in ore tuo, & in corde tuo: totus hic locus, ait, ad illud refertur quod superius dixit Apostolus. Verbum enim consummans, & breuians faciet Dominus super terram: remotis enim innumerabilibus, & multiplicibus sacramentis, quibus Iudaicus populus premebatur, per misericordiam Dei factũ est, vt breuitate confessionis fidei ad salutẽ perueniremus, &c. Simili modo de nouo Testamento exponunt Orig. Theodor. & Theophyl. Hic, inquit, est concisus, abbreuiatusque sermo, breuia nimirũ fidei verba. Primasius præterea: Nouum, ait, Testamentum accepit verbũ abbreuiatũ; quia omnia in eo breuiter comprehensa sunt, vt est: Credo in Deum Patrẽ, & reliqua, quę sequuntur in Symbolo, vel illud: Quod vobis fieri non vultis, alij ne feceritis; vel, vt compendio fidei per gratiã saluos faciat credentes, non per innumeras obseruationes, quibus illa multitudo seruiliter onerata premebatur. Per gratiam quippe nobis verbum consummans, & breuiãs fecit super terram, dicens: Iugũ meum suaue est, & onus meum leue, vel illud: Diliges Deũ & proximũ, in his præceptis tota lex pendet & Prophetæ. Hęc Primasius.

Orig. Theophyl. Theodor. Primasius.

Iugum noui Testamenti leue est, quia est iugũ amoris. August. in lib. de nat. & grat. c. 69

Deinde dicitur iugum Christi leue; quia iugum gratiæ est & amoris: nam lex Christi, vt suprà est explicatum, lex est caritatis, quæ omne onus leue existimat, si propter Christum imponatur. August. Omnia, inquit, fiunt facilia caritati; cui vni, Christi sarcina leuis est, conuersus quisque ad Deum ex toto corde suo, & ex tota anima sua, mandatum Dei non habebit graue: quomodo est enim graue, cum sit dilectionis mandatum: aut enim quisque non diligit, & ideò graue est; aut diligit, & graue esse non potest, &c. Idem Aug. Omnia, inquit, sæua & immania prorsus facilia, & prope nulla efficit amor, quæ dura sunt laborantibus, mitescũt amantibus, &c. Præterea, dicitur iugum leue; quia diuino auxilio à Christo subleuatur, Aug. Certum, inquit, est nos facere, cùm facimus, sed ille facit, vt faciamus, præbendo vias efficacissimas voluntati, qui dixit: *Faciam vt in iustificationibus meis ambuletis, & iudicia mea obseruetis, & faciatis*, &c. D. Leo: Deus, ait, ideo dat præceptum, vt excitet desiderium, & præstet auxilium. Vnde illud Aug. de natura & gratia, c. 43. Deus iubendo admonet, & facere quod possis, & petere quod non possis. Præmij item cęlestis magnitudo oneri suauitatẽ affert. Nam, vt ait Chrys. lib. 1. de compunctione cordis, immensum gloriæ futuræ pondus leuem facit præsentis temporis tribulationem: & Aug. Quam facile, inquit, toleratur quælibet aduersitas temporalis, vt æterna pœna vitetur, & æterna requies comparetur: & Greg. Naz. Etsi nouum, inquit, iugum suaue est & onus leue; id tamen propter spem fit ac mercedem. Alioqui quis non Euangeliũ legalibus præceptis multò laboriosius, atque ærumnosius esse dixerit? &c. Similiter Elias Cretensis in cõment. Apologetici Greg. Naz. Dominus, inquit, iugum suum & onus suum, quamuis alioqui grauissimum, suaue tamen ac leue, propter futurorum bonorum spem appellabat, &c.

Amori omnia sunt facilia. August. ser. 9. de verb. Domini. Christum iugũ subleuat auxilio. August. de grat. & libero arbitrio, c. 16. Ezech. 36. D. Leo ser. 5. de quadrag. August. Præmij spes leue reddit iugum. Chrysost. August. ser. 9. de verb. Domini. Greg. Naz. Orat. 2. Paschalis. Elias Cret.

Denique, quamuis amarissimas aquas Mara Crucis lignum in dulcedinem potest cõuertere, exemplum Christi crucifixi potest cuiuis iugo pondus detrahere. *Post te curremus*, ait Ecclesia, *in odorem vnguentorum tuorum*. Oneris grauitate non premitur, currit & volat qui Christi crucifixi odorem & exemplum percipit. Nam magis excitat ad cursum mortales in Cruce Christus, quam in sinu Patris: quia in Cruce exempli odorem suauissimum in omnem partem diffundit. Vnde Bern. Ecclesia, inquit, non ante currere valuit in odorem sui Salomonis, quousque is, qui ab æterno ex Patre sapientia erat, factus est ei in tempore a Patre sapientia, quo ipsius odorem percipere posset. Et in principio quidem erat verbum, sed tunc demũ ad videndum ipsum pastores venerunt festinantes, cũ nuntiatum est factum; prius non se mouebant, dum Verbum erat tantum apud Deum: at vbi Verbum, quod erat, factum est, vbi hoc Dominus fecit, & ostendit, tunc

Exod. 15. Exemplum Christi iugo pondus detrahit. Cant. 1. Bernar. ser. 22. Cant. Luca 2.

tunc venerunt festinantes, tunc concurrerunt, &c.

Augustin. ser. 22. de Verb. Apost. *Bernard.* Iis adde, quod ait Augustin. Hæc sarcina, inquit, non est pondus onerati, sed alæ volaturi: Habent enim, & aues pennarum suarum sarcinas, portant illas in terra, portantur ab illis in cælo, &c. Et Bern. Epist. 341. ad monachos S. Bertini: Leue, inquit, Saluatoris onus, quo crescit amplius, eò portabilius est. Nónne & auiculas leuat, non onerat pennarum siue plumarum numerositas ipsa? tolle eas, & reliquum corpus fertur ad ima. Sic disciplinam Christi, sic suaue iugum, sic onus leue, quo deponimus, eò deprimimur ipsi: quia portat potius quàm portatur, &c. Et Ambr. Luc. 3. Habemus, ait, iugum bonum ac leue, quod habenis pacis ac gratiæ vinculis magis erigat, quàm deprimat copulatos, &c.

Iugũ Christi portat, & portatur, instar pennarum. *Ambrosius.*

CAPVT XI.

De decima Prærogatiua.

Testamentum nouum est æternũ. Hebr. 13. DECIMA Prærogatiua. Testamentum nouum est æternum: iuxta illud Christi: *Hic est calix sanguinis mei, noui & æterni Testamenti*; & illud Paulli: *Deus eduxit de mortuis pastorem magnum ouium, in sanguine Testamenti æterni, Dominum nostrum Iesum Christum*, &c. Et illud Ioan. *Apoc. 14.* *Vidi alterum Angelum volantem per medium cæli, habentem Euangelium æternum.* Dicitur autem Testamentum nouum æternum; quia nullo vnquam tempore antiquabitur, nullumque aliud Testamentum illi succedet, vt docet D. Anselm. Hebr. 13. Nouum, inquit, Testamentum dicitur æternum, quia aliud ei non succedet, sicut idem successit veteri. Et Theodoretus: Æternum Testamentum vocat Paullus, vtpote, quod aliud non sit posthac futurum. Dicitur præterea nouum Testamentum æternum, propterea quod gratiæ & caritatis Testamentum sit, & gloriæ, quæ tria sempiterna sunt: vnde Cardinalis Caiet. Testamentum, inquit, nouum manet in æternum: æterna enim est gratia quæ hîc inchoatur, & in patria cõsummatur, semper nouos reddens eos, in quibus est, &c. Vetus autem Testamentum temporarium fuit, & vsque ad Christum habuit firmitudinem: *Lex*, inquit Paullus, *propter transgressionem posita est, donec veniret semen, cui promiserat, ordinata per Angelos in manu Mediatoris*: id est, lex Moysis lata est, vt trangressiones & peccata cohiberet, donec Christus Abrahæ semen veniret: ordinata per Angelos in manu, id est, potestate Mediatoris Christi, vt posset illam quandocumque vellet abrogare. In hunc modum exponit D. Anselmus: Ordinata, inquit, est lex, ita vt semper esset in manu Mediatoris, id est, in potestate Christi, vt quamdiu vellet, maneret, & quando vellet, cessaret. Et Theophyl. In manu, ait, Mediatoris, id est, Christi, indicans quod & legem tulerit Christus, vt ita in arbitrio eius sit eam rursus tollere: quippe qui Dominus eius sit, &c. Eodem cap. Paullus: *Prius*, inquit, *quàm veniret fides, sub lege custodiebamur, conclusi in eam fidem, quæ reuelanda erat*: id est, antequam fides Christi, & noua lex orbi affulgeret, lege concluſi custodiebamur, quousque fides ipsa mundo reuelaretur per Christum. Item: *Iustitias carnis*, ait Apostolus, id est, iustificationes legis corporales, *vsque ad tempus correctionis esse impositas*, id est, vsque ad tempus Christi; à quo omnia sunt correcta & emendata. Quocirca meritò in via lex vetus lata est, cùm populus Israëliticus ex Ægypto in terram repromissionis iter faceret, quasi obiter ferretur, donec Messias veniret, vim habitura.

Caiet. ad Hebr. 8. *Vetus Testamentum fuit temporarium.* *Gal. 3.* *In manu, id est, potestate Christi Mediatoris, lex.* *Anselmus.* *Theophyl.* *Gal. 3.* *Hebr. 9.* *Lex Vetus obiter in ea tempore promulgata.*

Cùm ergo tempus correctionis, & Messiæ affulsit, abrogata ab eo lex est, & noua lex promulgata.

A Nam, vt Paullus ait: *Christus fecit vtraque vnum*: id est, ex duobus populis, Ethnico & Israëlitico, fecit vnum ouile, *& medium parietem maceriæ soluit*, id est, legem abrogauit, quæ medius erat paries, separans & distinguens Iudaicum populum ab Ethnico: paries, inquam maceriæ, id est, non admodum firmus & stabilis, sed facile solubilis, quemadmodum maceria facile dissipatur: soluit autem legem, inimicitias, id est, quæ causa erat inimicitiarum inter Iudæos & Gentes: in carne sua, id est, per passionem suam: legem mandatorum decretis euacuans, id est, legem veterem, quę multis constabat mandatis: abrogans decretis, id est, per decreta noua, & doctrinam Euangelij: vel legem mandatorum veterem, decretis, id est, ipsis mandatis, quæ illa tradebat, euacuans; ita vt lex illa decretis & mãdatis iam vacua neminem obstringere possit. Ad Colos. *Delẽs quod aduersus nos erat chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, & ipsum tulit de medio, affigens illud Cruci.* Deleuit Christus legem scriptam: nam chirographum idem est, quod manu scriptum, vt Græca scientibus perspicuum est; chirographum, inquam, decreti, id est, legem scriptam mandatorum, quod erat contrarium nobis, quia lex iugum graue erat, contraria libertati hominum & voluntati, augebat concupiscentiam, & peccata grauiora reddebat, vt suprà dictum est: deleuit Christus legem, tulit illam de medio, id est, abrogauit, & veluti affixit Cruci; C quia legem veluti crucifixit secum & occidit, ita vt vires iam non habeat: vnde sequitur. *Nemo ergo vos iudicet in cibo*, &c.

Ephes. 2. Christus fecit vtraque vnum. *Lex maceriæ paries medius inter Ethnicos & Iudæos, quẽ Christus diruit.* *Coloss. 2.* *Lex Vetus Chirographum, quod Christus deleuit, de medio tulit, & affixit Cruci.*

Præterea ostendit legem antiquã mortuam esse, ac proinde illius imperio liberatos homines. *Nam lex*, vt Apostolus ait, *in homine dominatur, quamdiu viuit ipsa lex*: id est, vim habet & robur, quamdiu enim vir viuit, legi coniugij obnoxia est illius vxor, mortuo autem viro, lege soluitur: eumdem in modum, quamdiu lex vixit, Israëlitis dominabatur, nunc autem mortua est; homines verò à iugo illius liberati. *Itaque fratres*, ait Apostolus, *& vos mortificati estis legi per corpus Christi, vt sitis alterius, qui ex mortuis resurrexit, vt fructificetis Deo*: id est, mortui estis legi, & ipsa D vobis mortua per cruciatus corporis Christi, vel mortui estis legalibus vmbris per aduentum corporis Christi: quod illæ vmbræ indicabant, iuxta illud: *Quæ sunt vmbra futurorum, corpus autem* (quod, scilicet, illà vmbra indicabant) *Christi. mortui autem estis legi, vt sitis alterius viri*, scilicet, Christi, & pulcrã bonorum operum prolem Deo pariatis: quemadmodum fœcunda vxor viro suo dilecto pulcros parit filios. Idem repetit, cùm addit: *Soluti sumus à lege mortis, in qua detinebamur, ita vt seruiamus in nouitate spiritus, & non in vetustate litteræ*: id est, lege Moysis, quæ vitam spiritualem largiri nequibat, soluti sumus, in qua detinebamur vsque ad aduentum Messiæ, vt sub lege noua seruiamus nouo Dei spiritu, non autem legis cerimoniis & obseruationibus, E quæ in lege veteri sunt litteris mandatæ.

Rom. 7. *Lex Vetus, instar viri fuit, quo mortuo vxor libera est.* *Coloss. 2.* *Lex Vetus abrogata.*

At: *Per legem legi mortuus sum, vt Deo viuam*: id est, per legem nouam mortuus sum, & crucifixus veteri, vt viuam Deo: ideò adiungit: *Christo confixus sum Cruci*: id est, cum Christo mortuus sum legi: ideò lex vetus mihi non dominatur, viuo autem ego Deo, iam non ego, id est, iam non sub lege veteri, Iudęus viuit verò in me, non lex, sed Christus per legem nouã & gratiam: id est, sum Christianus, &c. Et: *Lex pædagogus noster fuit in Christo, vt ex fide iustificemur; at vbi venit fides, iam nõ sumus sub pædagogo*: id est, lex fuit Iudæorum veluti puerorum pædagogus ad Christum illos ducens & præparans, vt ex fide viua Christi iustitiã consequerentur, quam ex lege consequi non poterant. Vbi autem fides Christi splen-

Gal. 2. *Lex pædagogus ad Christum ducens. Gal. 3.*

duit pędagogus ſublatus eſt, id eſt, lex abrogata. Ad Hebr. 7. Hebr. ex abrogatione ſacerdotij Aaronici legis infert abrogationem. *Tranſlato*, inquit, *ſacerdotio, neceſſe eſt & legis tranſlatio fiat*. Et capite 8. ait: *Teſtamentum poſterius appellatum Hieremiæ capite 31. Teſtamentum nouum*, vnde ſequitur Teſtamentum prius eſſe vetus & antiquatum. *Dicendo*, inquit, *nouum, veterauit prius Teſtamentum: quod autem antiquatur & ſeneſcit, prope interitum eſt*. Obiicies, Apoſtolum hoc loco dixiſſe Teſtamentum vetus prope interitum eſſe, non autem iam interiiſſe. Reſpondetur, loqui de tempore, quo Hieremias vaticinatus eſt: tunc enim prius Teſtamentum vetus eſſe, atque adeò tempore Chriſti interiturum ſignificauit. Conſtat ergo Teſtamentum vetus eſſe antiquatum: ideoque Chriſtus Opt. Max. poſt reſurrectionem præcipit diſcipulis, in hæc verba: *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, docentes eos ſeruare omnia quæcunque mandaui vobis*. Non dixit: docentes eos quæ mandauit Moyſes, ſed quæ mandaui vobis: quia lex Moyſis erat abrogata.

Hebr. 8.

Matth. vlt. Chriſtus ſeruare iuſſit præcepta ſua, non Moyſis.

Cur autem ſit antiquatum Teſtamentum, quæret aliquis. Reſpondemus primò, antiquatum eſſe propterea, quod imperfectum eſſet & infirmum, vt ſuprà eſt explicatum: Paullus: *Reprobatio*, inquit, *fit præcedentis mandati propter infirmitatem eius, & inutilitatem: nihil enim ad perfectum adduxit lex*. Secundò, eſt antiquatum, quia graue iugum erat; quam abrogationis rationem ſignificat D. Petrus in Synodo, in qua lex abrogata eſt. *Quid*, inquit Petrus, *tentatis Deum imponere iugum ſuper ceruices diſcipulorum, quod nec patres noſtri, nec nos portare potuimus?* Tertiò, quia per Chriſtum eſt impletum, vt docet D. Auguſt. Prima, inquit, Sacramenta prænuntiatiua erant Chriſti venturi, quæ cum ſuo aduentu Chriſtus impleuiſſet, ablata ſunt, & ideò ablata; quia impleta: non enim venit ſoluere legem, ſed adimplere. Et alia ſunt inſtituta ſacramenta virtute maiora, vtilitate meliora, actu faciliora, numero pauciora, tamquam iuſtitia fidei reuelata, & in libertatem vocatis filiis Dei, iugo ſeruitutis ablata; quod duro & carni dedito populo congruebat. Hæc ille. Quartò, quia legis ſplendor veluti aſtrorum erat, noctem illam illuminans, qui, Sole Chriſto effulgente, debuit diſparere. D. Hier. Priuſquam Chriſti in toto orbe Euangelium coruſcaret, habuerunt ſuum fulgorem præcepta legalia; poſtquam verò maius euangelicæ gratiæ lumen effulſit, & Sol iuſtitiæ toti mundo ſe prodidit, ſtellarum lumen abſconditum eſt. & earum radij caligauerunt, &c.

Cur vetus Teſtamentum antiquatum ſit. Primo, quia erat imperfectum. Hebr. 7.

2 Quia grauc iugum. Act. 15.

3. Quia per Chriſtũ eſt impletum. Auguſt. l. 19. contra Fauſtum, c. 13.

4. Quia Sole fulgente aſtra & vmbræ diſparuerunt. D. Hieron. ad Gal. 4.

Adde legem vmbram fuiſſe, quæ ſplendidiſſimi Solis, id eſt, Chriſti, radiis ceſſit. Aug. Ideò, inquit, dictum eſt, quòd *euacuetur gloria vultus Moyſi*; quia omnes vmbræ ſignificantes euacuantur, cùm res, quæ ſignificatur, aduenerit: quemadmodum enim ſcientia, quæ nunc eſt, euacuabitur, ſicut Apoſtolus dicit: *Cùm venerit illa, quam dicit facie ad faciem*, ſic & iſta, quæ in vmbris tradita erant Iudæis in veteri Teſtamento, neceſſe fuit euacuari reuelatione Teſtamenti noui, &c. Theodoretus: Superuacaneus eſt lychnus, ſi Sol apparuerit; ſuperuacaneus pædagogus iis, qui perfectam acceperunt ſapientiam; inutile lac nutricis iis, qui ſolido cibo veſcuntur. Palea fert frumentum, ſed poſtquam collectum eſt frumentum, palea eiicitur: ita lex Chriſtum oſtendit, poſtquam autem is apparuit, ea eſt deinceps ſuperuacanea. Hæc ille. Et Bernardus homilia prima ſuper Miſſus eſt: Prodeunte fructu, flos decidit, quia veritate apparente in carne, figura pertranſijt. Quintò, quia Chriſtus fecit vtraque vnum, fecit vnum ouile ex duobus populis: oportuit ergo *medium parietem legis*, vt Paullus ait, *diſſoluere, & vna, eademq; lege noua, vtrumque populum*, ethnicum & Iſraëliticum, *concludere*, veteri abrogata.

Auguſt. l. 2. contra ad. uerſarium legis, c. 7.

2. Cor. 3.

1. Cor. 13.

Theod. ad Philip. 3.

Bernardus.

5. Quia Chriſtus fecit vtraque vnũ.

Sextò, quia ad Meſſiæ honorem pertinebat legis ferendæ & abrogandæ poteſtas, iuxta illud: *Prophetam ſuſcitabo eis de medio fratrum ſuorum, ſimilem tui*. Similis autem fuit Chriſtus Moyſi (vt omittam alia) tum quia non ſolùm Deus fuit, ſed etiam homo, quemadmodum Moyſes, (ſignificatur namque hoc loco Verbi incarnatio) tum quia legem hominibus tradidit. Eam verò non ſolùm tradidit, vt Moyſes, verùm etiam tulit, qua poteſtate caruit Moyſes: nam, vt Paullus ait: *Moyſes fidelis erat in tota domo Dei, tamquam famulus, in teſtimonium eorum, quæ dicenda erant*: Chriſtus verò tamquam filius in domo ſua, &c. Moyſes ergo ſeruus, ſeruilem legem à Deo acceptam ſeruorum populo promulgauit; Chriſtus Filius, filialem legem à ſe conditam, filiorum populo dedit, Moſaicam abrogauit. Videlicet, debebatur hæc poteſtatis excellentia Meſſiæ, Dei Filio.

6. Quia ad Meſſiæ pertinebat nouam legem condere. Deut. 18.

Hebr. 3.

Mortua autem eſt lex in morte & reſurrectione Chriſti, ſed ſepulta non ſine honore, vt Aug. ſcribit. Nam poſtquam mortua eſt, permiſſum eſt populo Iſraëlitico per aliquod tempus, à paſſione, ſcilicet, vſque ad promulgatum Euangelium illam obſeruare, hoc eſt, veluti ad ſepulcrum honorificè comitari; dum tamen ad ſalutem neceſſariam minimè crederet. Aug. Non fuerant, inquit, tamquam diabolica gentium ſacrilegia, fugienda legalia, etiam cum ipſa gratia iam cœperat reuelari, quæ vmbris talib. fuerat prænuntiata, ſed permittenda paullùm, eis maximè, qui ex illo populo, cui data ſunt, venerant: poſtea verò tamquam cum honore ſepulta ſunt, à Chriſtianis omnibus irreparabiliter deſerenda, &c. Idem: Illa, ait, vetera ſacramenta, cùm veniſſet, fides, quæ prius illis obſeruationibus prænunciata, poſt mortem & reſurrectionem Domini reuelata eſt: amiſerant tamquam vitam officij ſui, verumtamen, ſicut defuncta corpora, neceſſariorum officiis deducenda erat quodammodo ad ſepulturam, non autem deſerenda continuò, &c. Hinc intelliges, quod in diuinis litteris legitur, Apoſtolos nonnumquam poſt legis abrogationem illius edictæ obſeruaſſe; quia Iudæis illa obſeruare per aliquod tempus permittebatur. Lege Auguſt. lib. 19. contra Fauſtum, cap. 17.

Sepulta lex antiqua nõ ſine honore. Aug. Epiſt. 19. ad Hier.

Auguſt. ibidem.

Auguſt. ibidem.

Mortua lex eſt & ſepulta, Deo iubente: verũ mortem eius, & ſepulcrum Iudæi non vident, id quod diuinæ litteræ adumbrarunt, Deut. vlt. his verbis: *Mortuus eſt Moyſes ſeruus Domini in terra Moab, iubente Domino, & ſepeliuit eum, & non cognouit homo ſepulcrum eius, vſque in præſentem diem*. Moyſes legem à ſe ſcriptam adumbrat: mortuus dicitur, iubente Domino, quia lex, iubẽte Domino, abrogata eſt, non cognouit homo ſepulcrum eius: quia Iudæi legis abrogationem cernere nolunt: cernunt Chriſtiani, ſed ex reuelatione Dei. Deus enim Moyſis, id eſt: legis ſepulcrũ, in litteris ſacris nobis indicauit. Moyſi vita functo ſucceſſit Ioſue; qui, quod Moyſes non potuit, populum in terram repromiſſionis per Iordanem introduxit. Legi antiquatæ ſucceſſit Ieſus, verus Meſſias; qui, quod lex efficere non valuit, populum per baptiſmum in gratiam gloriamque intromiſit.

Iudæi ſepulcrum Moyſis, id eſt, legis non vident. Deut. 34.

Aruit hedera illa, cuius vmbra Ionas oblectabatur; aruit lex vmbroſa, cuius vmbris Iudæi gaudebãt; orta verò eſt, pro hedera, pulcerrima vitæ arbor, id eſt, lex noua, cuius vitali fructu totus terrarum & cęlorũ orbis exhilaratur. Infelices verò Iudæi, dum ceteri ſuauiſſimis arboris vitæ pomis ſeſe reficiunt, vetitæ arboris, id eſt, veteris legis, interdictos, & inutiles fructus carpunt. Audiant Regis ſui monita: *Obliuiſcere*, inquit, *populum tuum, & domum patris*

Lex Vetus hedera, Iona noua, arbor vitæ.

Pſalm. 44.

patris tui, & concupiſcet Rex decorem tuum, quaſi dicat: Quicumque Meſſiæ adhærere cupis, nouam legem ferēti, obliuiſcere antiquos populi tui ritus; obliuiſcere patris tui domum, in qua natus es, id eſt, antiquas conſuetudines, mores, & cerimonias, quas Patres, prout tempus flagitabat, obſeruarunt. Meſſias nouos inducet ritus, nouos mores; hos indue, ſi placere illi cupis. Audiant matrem ſuam Saram, ſi tamen illius ænigma intelligere poterunt: Ejice, inquit, ancillam & filium eius, id eſt, vt Paullus allegoriam interpretatur: *Ejice* domo veterem legem, *ancillam*, ſeruorum matrē, audiant Deum, ſic Abrahamum alloquentem: Non tibi videatur aſperum ſuper puero, & ſuper ancilla tua, &c. quaſi dicat Iudæis: Non vobis aſperum videatur, quòd lex ancilla foras eiiciatur, & antiquetur; ancillæ ſuccedet Sara, id eſt, Princeps, lex noua, legum omnium principatum tenens; quæ non, vt ancilla ſeruos, ſed libera liberos filios pariet. Quamobrem Iacobi capite primo dicitur lex perfectæ libertatis; quia ab omni nos ſeruitute liberat, & perfectam libertatem largitur: liberat à ſeruitute legis, vt hactenus probatum eſt, à ſeruitute peccati, quia lex eſt gratiæ, tamquam à ſeruitute corruptionis per reſurrectionem vindicabit: nam, vt Paullus ſcribit: *Ipſa creatura liberabitur à ſeruitute corruptionis*, &c.

Galat. 4.

Lex Vetus ancilla Agar, noua princeps Sara.

Noua lex perfectæ libertatis.

Rom. 8.

CAPVT XII.

De vndecima Prærogatiua.

Teſtamentū Vetus Vni populo Iudæorum

Nouū Vniuerſo terrarum orbi datum.

Iudæos Deus propter Chriſtum, & ornauit, & defendit.

VNDECIMA Prærogatiua. Teſtamentum vetus vni tantùm populo propter Chriſtum, nouum vniuerſo terrarum orbi datum eſt. Populum enim Iſraëliticum, quia ex eo Meſſiam orbis Seruatorem oriturum decreuerat, Deus tuendum ſuſcepit ac ornandum. Ideoque illum è ſeruitute Ægyptiorum in libertatem aſſeruit, maris rubri fluctus diſcidit, Pharaonem demerſit, per medium pelagus iter aperuit, è cælo cibum, è rupe potum mirabiliter effudit, vetus Teſtamentum & legem ei tradidit, ſacerdotium ſacerdotalesque ritus inſtituit, in terram illam beatam, quæ cæleſtem partum editura erat, id eſt, Palæſtinam, multis editis prodigiis, victorem intromiſit. Cùm verò Paleſtinam coleret, idololatriæ ſcelere ſe contaminauit: quapropter perpetuæ captiuitatis ſupplicio decem tribus affectæ ſunt, tribus verò Iudæ in Babyloniam relegata.

Tribus Iuda in patriam reuocata, propter Meſſiam ex ea oriturum.

Verumtamen, quia ex hac tribu Virginem ſanctiſſimam, Meſſiæ Matrem, atque adeò ipſum Meſſiam oriturū Deus ſtatuerat; ſeptuaginta annorum decurſo ſpacio, captiuitatis igne à ſordibus ſimulacrorum purgatam, in patrium ſolum reuocauit, vt ab ea gente, & in ea regione Meſſias ederetur, quæ inania ſimulacra deteſtans, Deum verum ſumma veraque religione coleret. Oportuit enim, vt Rupertus ait, miſereri domui Iuda & domui Dauid, oportuit cuſtoditi, & defendi bonam radicem iſtius ſtirpis, vnde naſciturus erat Chriſtus, &c. In Oſea vocari iubet Dominus filiam Oſeæ, *Loruchama*, id eſt, abſque miſericordia: *Quia*, inquit, *non addam vltra miſereri domui Iſraël, ſed obliuione obliuiſcar eorum, & domui Iuda miſerebor, & ſaluabo eos in Domino Deo ſuo.* quaſi diceret: Decem tribus perpetua captiuitate mulctabo: at domum & tribum Iudæ tuebor, propter Dominum Deum ſuum Meſſiam, vt ex illa Meſſiæ Mater oriatur.

Rupertus l. 5. de Victoria Verbi, c. 18.

Oſea 1.

Denique orta eſt Meſſiæ Mater Virgo ſanctiſſima, ortus eſt Meſſias omnibus votis expetitus. Sed proh nefas, ab iis, à quibus tam diu fuerat exſpectatus, Cruci eſt affixus. Tanti verò ſceleris rei, cùm in mentis ſanitatem redire, & miſſum ad ſe Dei Filium, pro eo ac debebant, venerari nollent, omnibus ornamentis ſpoliati, ab hoſtibus miſerandum in modum profligati, è patrio ſolo expulſi, & æterni exſulij pœna ſunt mulctati; Caino ſimiles, cui propter occiſum fratrem vagationis pœna indicta eſt. *Vagus*, inquit Deus, *& profugus eris ſuper terram.* Vagatur per orbē tribus Iuda, neque vlla redeundi in patriam ſpes affulget: non enim in antiquum illud regnum ex hac, quemadmodum ex Babylonica captiuitate redibit. Iam Meſſias natus eſt, non eſt opus tribus Iuda & domus Dauid, ad progenerandam Matrem Meſſiæ; ideoque æternum erit illius exſulium.

Gen. 4.

Meſſia nato tribus Iudæ derelicta exſulat, & vagatur, Caini inſtar.

Diligenter locus is cuſtoditur, in quo theſaurus aliquis latet; at poſtquam theſaurus aufertur, ſimul & aufertur cuſtodia: tutatus eſt Deus tribum Iubæ; quia in ea theſaurus latebat opulentiſſimus, id eſt, Meſſiæ caro & ſanguis, cuius infinito pretio orbis redemptus eſt; ablatus eſt theſaurus, ortus eſt Meſſias, & à Iudæis in Crucem actus, ablata quoque eſt antiqua illa Dei erga illos cuſtodia, atque patrocinium. Iſai. *Vinea facta eſt dilecto* Chriſto, in Paleſtina, ſcilicet, vt produceret cæleſtem botrum, Cruce veluti torculari comprimendum: poſtquam productus eſt botrus, & in torculari preſſus, vites inutiles, quia pro vuis fecere labruſcas, à Domino eradicatę ſunt: *Auferam*, inquit, *ſepem eius, & erit in direptionem, diruam materiam eius, & erit in conculcationem*, &c. Capite 40. hæc quoque leges: *Vere fœnum eſt populus, exſiccatum eſt fœnum, & cecidit flos; verbum autem Domini manet in æternum.* Quæ verba Bernard. ſic exponit: Verbum Chriſtus eſt, carnalis ille populus Iudæorum fœnum fuit; an non fœnum aruit, dum idem populus, ab omni ſpiritus pinguedine vacuus, ſiccæ litteræ adhæſit? ſi flos non decidit, vbi ergo regnum? vbi ſacerdotium? vbi Prophetæ? vbi templum? &c.

Ablato theſauro, id eſt, Meſſia cuſtodia ablata eſt à Iudæis.

Iſaiæ 5.

Producto botro, id eſt, Chriſto eradicatæ vites inutiles, id eſt, Iudæi.

Iſaiæ 40.

Bernard. hom. 1. ſuper Miſſus.

Vt fœnum populus Iudæorū aruit

Ornauit itaque Deus propter Chriſtum hunc populum lege, Prophetis, ſacerdotio; de quibus ornamentis Paullus ſic ſcribit: *Iſraëlitarum, adoptio eſt filiorum, & gloria, & teſtamentum, & legiſlatio, & obſequium*, id eſt, cultus Dei, *& ſacrorum ritus*, Græcè λατρεία, *& promiſſa; quorum Patres, ex quibus eſt Chriſtus ſecundum carnem, qui eſt ſuper omnia Deus*, &c. *Credita ſunt illis eloquia Dei.* Et: *Annuntiat verbū ſuum Iacob, iuſtitias & Iudicia ſua Iſraël; non fecit taliter omni nationi, & iudicia ſua non manifeſtauit eis.* Deuter. *Hæc eſt veſtra ſapientia & intellectus coram populis, vt audientes vniuerſi præcepta hæc dicant: En populus ſapiens, & intelligens, gens magna. Nec eſt alia natio tam grandis, quæ habeat Deos appropinquantes ſibi, ſicut Deus adeſt cunctis obſecrationibus noſtris: quæ eſt enim alia gens ſic inclyta, vt habeat cerimonias, iuſtaq; iudicia, & vniuerſam legem, quam ego proponam hodie ante oculos veſtros?* &c. Iis omnibus ornamentis ad Meſſiam vſque potitus is populus eſt, iuxta illud Iacob: *Non auferetur ſceptrum de Iuda, & dux de fœmore eius, donec veniat, qui mittendus eſt.* Quia verò Meſſiam abiecerunt, abiecti à Deo ſunt, nec defuit Meſſiæ multò nobilior populus ac copioſior. Quamobrem Iacob, ſuperioribus verbis hæc adiunxit: *Ipſe erit expectatio gentium. Auferetur*, inquit Dominus, *à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus eius.* Id quod factum cernimus. Malè Iudæos Deus perdidit, regnum illis abſtulit, vineam locauit gentibus; vniuerſo terrarum orbi Teſtamentum nouum promulgari, omnes nationes, quamtumuis feras, ac barbaras in opes Iudæis promiſſas intromitti, & luce euangelica illuſtrari voluit. Diſcipulis ſic præcipit: *Euntes in mundum vniuerſum, prædicate Euangelium omni creaturæ*, &c.

Ornamēta Iudæis data propter Chriſtum.

Rom. 9.

Rom. 3.

Pſalm. 147.

Deut. 4.

Gen. 49.

Pro Iudæis gētes electæ.

Matth. 21.

Marci vlt.

Christus legem nō vni tantū populo, sed toti orbi tulit.

Pertinebat hoc ad Messiæ dignitatem, vt lex ab eo lata, non vni tantùm populo, quemadmodum lex vetus, sed vniuersis ferretur nationibus, vt Euangelium illius non Iudææ tantùm finibus concluderetur, sed per totum terrarum orbem personaret; iuxta illud: *In omnem terram exiuit sonus eorum.* Rex toti regno leges solet sancire; cùm ergo Christus totius orbis Rex sit, eam legem condere par erat, quæ totū orbem obstringeret, quod Esaias vaticinatus est: *Erit*, inquit, *in nouissimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium, & eleuabitur super colles; & fluent ad eum omnes gentes, & ibunt populi multi*, &c. Mons, in quo templum Dei est exstructum, Christus est, Ecclesiæ fundamentum. In vertice montium est; quia omnibus Angelis, etiam Seraphinis dignitate longe præcellit: eleuatur super omnes colles; quia omnibus hominibus (qui, si cum Angelis conferantur, colles videntur cum montibus collati) quantumuis potentissimis, sanctitate, potentia, & honore, longissimo interuallo præcurrit. Ad hunc montem non Iudæi solùm, sed omnes gentes confluunt; ab hoc legem accipiunt: sequitur enim: *Quia de Sion exibit lex, & Verbum Domini de Ierusalem, & iudicabit gentes.* Exiit de Sion lex euangelica; exigui namque fines erant Sionis Messiæ legi promulgandæ; exiit de Sion totumque orbem peruagata est: *Legem eius insulæ exspectabunt. Adiiciet Dominus secundò*, id est, per legem secundam & nouam, *ad possidendum residuum populi sui, quod relinquetur ab Assyriis, & ab Ægypto, & a Phetros, & ab Æthiopia, & ab Ælam, & à Sennaar, & ab Emath, & ab insulis maris. Et leuabit signum*, id est, Crucem, *in nationes, & congregabit profugos Israël, secundum spiritum & fidem.* Et Psal. *Dominabitur a mari vsque ad mare, & à flumine vsque ad terminos orbis terrarum.* Psal. *Dabo tibi gentes hereditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ.* Quemadmodum enim lex naturæ, ita & lex gratiæ omnes cōplectitur nationes.

Esai. 42.
Esai. 11.
Psalm. 71.
Psalm. 2.
Lex gratia, vt lex naturæ omnes nationes complectitur.

Lucerna Veteris Testamēti, domū Iacob illuminauit. Sol Christus totū orbem splendore compleuit.

Ad vnam aliquam domū illuminandam lucerna vna sufficit; ad illuminandum verò terrarū orbem Solis splendore opus est. sic ad illustrandam vnam domum Israël parua quadam luce præceptorum, antiquum suffecit Testamentum. *Lucerna*, ait Dauid, *pedibus meis verbum tuum.* Ad illuminandas verò omnes terræ regiones, magno gratiæ iubare, noui Testamenti fulgor fuit necessarius, fatetur Moyses, *se impeditioris & tardioris linguæ esse*; ex versione verò septuaginta interpretum, ait, se gracilem habere vocem. gracilis illius vox, lingua tardior & impeditior in solo Israëlitico populo audita est; expedita, canoraque Apostolorum lingua totum orbem personuit; potentissima diuini verbi vox, *veluti vox aquarum multarum*, omnes nationes penetrauit, atque abluit. D. Cyrillus: In monte Sinai tubæ sonitus paullatim crescebat in maius; vt intelligas prolatam quidem legem diuinitus esse, voce ab initio submissa, & propter hominum imbecillitatem tenui, nec totum tubicinis flatum capiente, ideò tardus lingua Moyses fuit; progredientibus autem sæculis à litterali vmbra, in spiritualem cultum, hominibus à Christo reductis, multo vehementior diuinæ tubæ sonitus effectus, euangelicam prædicationem per totum orbem expandit. Hæc ille: *Parum est*, ait Pater Christo, *vt sis mihi seruus* (secundum humanam naturam) *ad suscitandas tribus Iacob, & fœces Israël conuertendas; ecce dedi te in lucem gentium, vt sis salus mea vsque ad extremum terræ.*

Psalm 118.
Exod. 4.
Vox Moysi gracilis, vox Apostolorū canora toto orbe audita.
Apoc. 1.
Cyrillus l. 3. in Ioan. c. 3.
Esaiæ 49.

Ros è cælo primùm quidem in solum vellus Gedeonis descendit, terra interim arida; deinde verò terram irrigauit, exsiccato vellere. Similem in modum, cælestis gratia, primum quidem populum Israëliticum irrigauit, toto interim gentium orbe arido; postea verò aridum gentium orbē irrigauit, Israëlitico populo exsiccato. Aug. Videmus iam gratia Christi siccam remansisse gentē Iudæorum, totumque orbem terrarū in omnibus gētibus Christianæ gratiæ plenis nubibus complui. Idem sanctissimus Pater, eodem psalmo, illud: Descendet sicut pluuia in vellus, in hunc sensum interpretatur: Descendet Christus sicut pluuia in populum Iudæorum, cùm adhuc area sicca esset: vnde dixit: *Non sum missus nisi ad oues, quæ perierunt domus Israël.* Et illud eiusdem Psalmi: *Sicut stillicidia stillantia super terram*, hoc pacto exponit. Descendit Christus, sicut guttæ stillantes, non iam super vellus, sed super terram, id est, super omnes nationes, &c. Nam priùs descendit Christus sicut pluuia in vellus, id est, populum Iudaicum, qui merito vellus appellatur; eo quòd, quemadmodum ex velleribus lanæ fiunt vestes; sic ex populo illo, quasi vestis, Verbi humanitas contexta est. In hoc autem populo Dominus natus, & educatus est, docuit, vixit, & mortem obiit. postea verò descendit sicut stillicidia stillantia super vniuersam terram; quæ cælesti hac pluuia irrigata, miris fructibus exuberauit, vnde sequitur.

prius terra arida, id est gentiū populus, exsiccato vellere, postea cælestis ros eis imbuitur. August. in Psalm. 71.
Matth. 15.
Cur populus Iudæorum vellus dicatur.

Orietur in diebus eius iustitia, & abundantia pacis, donec auferatur Luna. En fructus, iustitia, qua iustificamur, pax animi & conscientiæ, quæ iustitiam consequitur: *Iustitia enim & pax osculatæ sunt.* Hic autem fructus produci numquam desinet vsque ad iudicij tempus, quo cælorum conquiescent orbes: quocirca additur: Donec auferatur Luna, id est, quamdiu Luna noctem illuminabit, cęloque vagabitur, producetur hic in terra fructus: noctem autem illuminabit Luna vsque ad tempus iudicij: nam post iudicium, nec nox erit, nec cæli motus; sed perpetuus immoto cælo splendescet dies. Mystico sensu, iustitiæ & pacis fœcundæ orientur segetes, donec Luna, id est, Ecclesia, magni Solis incensa radiis, auferatur ex hoc orbe terrarum, & in vrbem cælorum transferatur; fiatque ex militante triumphans. interim verò Verbi vox non silebit, sed ad ignotas vsque nationes penetrabit: *Prædicabitur*, ait, *hoc Euāgelium in vniuerso orbe, & tunc veniet consummatio.*

Psalm. 71.
Psalm. 84.
Matth. 24.

CAPVT XIII.

De duodecima Prærogatiua.

Nouum Testamentum finis veteris.

DVODECIMA Prærogatiua. Nouum Testamentum est finis veteris: propterea enim datum est vetus, vt viam muniret ad nouum; vnde illud Paulli: *Finis legis Christus.* Quemadmodum fructus finis est tam seminis, quàm florum; ita Christus finis fuit tam promissionis, quàm legis antiquæ: quia promissionis & legis, veluti seminis & florum, Christus fructus fuit, vt D. Bern. docet homil. 1. super Missus: Videntur, inquit, mihi quoddam semen fuisse diuinæ cognationis, tamquam è cælo iactatum in terras, allocutiones & promissiones factæ ad Patres, Abraham, Isaac, & Iacob: floruit autem hoc semen in mirabilibus, quæ ostensa sunt in exitu Israël de Ægypto, in figuris & ænigmatibus, per totum iter in deserto, vsque ad terram promissionis, & deinceps in visionibus & vaticiniis Prophetarum; in ordinatione quoque regni & sacerdotij, vsque ad Christum; Christus autem huius seminis & horum florum non immeritò fructus esse intelligitur. Hæc ille.

Rom. 10.
D. Bernard. Christus fructus promissionis, legis, veluti seminis & florum.

Præterea finis fuit Testamentum nouum veteris; quia hoc ab illo impletum ac perfectum est, vnde

D. Auguſt. D. Ambroſ. Per nouum Teſtamentum vetus impletũ eſt.

vnde ab Aug. libro 2. contra aduerſarium legis cap. 7. dicitur Chriſtus finis perficiens, non interficiens; & ab Ambroſ. Pſalm. 41. vetus Teſtamentum abyſſus dicitur abyſſum inuocans, id eſt, nouum Teſtamentum, tamquam finem perficientem. Clamabat, vt ille ait, lex annuncians Euangelium: erat enim ſemiplena, & ideò erat neceſſarium, vt veniret, qui legem impleret.

D. Hieron. l. 1. aduerſus Pelag. c. 9.

D. Hieron. In lege, inquit, promittitur, in Euangelio impletur: ibi initia, hic perfectio eſt; in illa operum fundamenta iaciuntur, hic fidei, & gratiæ culmen imponitur.

D. Auguſt. in l. de grat. Chriſti, c. 19. Rom. 8.

Aug. Lex data eſt, vt gratia quæreretur; gratia data eſt, vt lex impleretur. Paul. *Quod impoſſibile erat legi, in quo infirmabatur per carnem,* (id eſt, per iuſtitias carnis, quę ſpiritum non iuſtificabant) *Deus filium ſuum mittens, in ſimilitudinem carnis peccati, & de peccato damnauit peccatum in carne, vt iuſtificatio legis impleretur in nobis,* &c. Fuit item finis Teſtamentum nouum veteris Teſtamenti; quia vetus Teſtamentum, vt ſupra oſtendimus, fuit vmbra noui, nouum autem Teſtamentum fuit veritas veteris; iuxta illud: *Lex per Moyſen data eſt,* videlicet, veluti vmbra, quæ gratiam largiri vi ſua non poterat; *gratia & veritas per Ieſum Chriſtum facta eſt.*

Ioan. 1.

Denique finis erat nouum Teſtamentum veteris; quia, vt Paullus ſcribit, vetus Teſtamentum ſiue *lex pædagogus fuit ad Chriſtum,* præparans, & ducens Iudæos: Quemadmodum alphabeti, & primorum rudimentorum finis, eſt nobilis aliqua ſcientia; ſic veteris Teſtamenti, veluti primorum rudimentorum finis, fuit nobiliſſima noui Teſtamenti ſcientia, à Meſſia tradenda.

Galat. 3.

D. Hieron. ad Gal. 4.

D. Hier. Poteſt, inquit, lex & Prophetæ pro elementis accipi litterarũ, quod per eas ſyllabæ iungantur, & nomina, & non tam ſui, quàm alterius rei vtilitate diſcantur.

Euſebius Cæſarienſis. Eccleſiaſt. hiſt. l. 1. c. 1.

Euſebius Cæſarienſis: Hebræis, inquit, adhuc rudibus, & contagione vitæ prioris infectis, per Moyſen, typos & adumbrationem diuini cultus, per ſabbata quędam myſtica, & per circumciſionem corporis altius aliquid in ſpiritu ſignificantem, ceteraque huiuſmodi præcepta legalia, veluti elementa ſacratioris olim futuræ eruditionis Deus impreſſit, &c.

Iudæi pueris alphabetariis ſimiles.

Erant ergo Iudæi pueris alphabetariis ſimiles, vel iis, qui primis ſcientiæ alicuius principiis operam nauant.

D. Cyrillus l. 9. contra Iulian.

E cælo magiſter deſcendit Chriſtus, in finem principia perduxit, cœptam ſcientiam omnibus numeris abſoluit. Vnde D. Cyrillus: Oportebat, inquit, per Moyſen, tamquam puerum eruditi Iſraëlem, cui puerilis adhuc, & rudior mens erat: at per Chriſtum, in quo omnes ſunt theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ recõditi, deſcriptam veram, & conſummatiſſimam nobis afferri ſcientiam. Hæc ille. Iudæi verò plerique rudimentis Moſaicæ legis rudes adhæſerunt, in iis ſummam conſiſtere ſapientiam exiſtimarunt: qui verò ſapientes eſſe voluerunt, reiectis legis rudimentis, ad cæleſtem ſapientiam conuolarunt, ex quibus vnus Paullus, ſic ſcribit: *Phil. 3. Chriſti ſcięntia eminẽs.*

Exiſtimo omnia detrimentum eſſe, propter eminentem ſcientiam Ieſu Chriſti Domini mei: eminentem appellat Chriſti ſcientiam, & meritò quidem: eminet enim inter omnes, ipſaque eſt vera ſapientia, id eſt, humanarum diuinarumque rerum ſcientia, præceptoris obiectique nobilitate præcellens, rerum certitudine & vtilitate præſtans. Quis nobilior Chriſto præceptor? Quod obiectum nobilius Sacroſancta Trinitate, caritate, ceteriſque virtutibus? Quæ res certiores illis, quæ diuina nituntur auctoritate? quæ vtiliores gratia, & æterna beatitudine, quam ſuis præſtat diſcipulis? quærit Dominus ſcientiæ ſuæ diſcipulos: *Iſaia 28.*

Quem docebit ſcientiam? & quem intelligere faciet auditum? Reſpondet Vates: *Ablactatos à lacte, auulſos ab vberibus*: ceteros enim ebrios dixerat, & ad ſcientiam capeſſendam ineptos iudicabat: ablactati ergo à lacte, & ab vberibus auulſi, hi ſunt auditores idonei.

Diſcipuli Chriſti ablactati à lacte legis veteris.

Quid veteris Teſtamenti doctrina? nonne lac, quod Deus tamquam infantibus præbebat Iſraëlitis? quid ritus illi antiqui? quid cærimoniæ? quid Iudaicæ vmbræ? nonne vbera lacte diſtenta? Ab hoc lacte, & vberibus auulſos Iudęos docebit Deus ſcientiam Meſſiæ; ſic Paullum, innumerosque alios docuit. Quòd ſi auelli noluerint à lacte, inepti ſunt ſapientiæ auditores, in grege infantium, non in numero virorum numerandi: vt enim Paullus ait: *Factus vir, euacuat quæ ſunt paruuli.* D. Cyrillus: Vos, inquit, per fidem vocati ad agnitionem veritatis, qui tamquam ab vbere, & lacte legalis pædagogiæ abſtracti eſtis; cibum olim paruulis accommodatum capientes, & rudiori mente prædити: prouecti verò nunc in virum perfectum, in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti, & ad cibũ perfectis aptum tranſeuntes, quippe non ignari ſermonis iuſtitiæ exſtiteritis; præparate corda veſtra, vt nouam prædicationem euangelicæ conuerſationis ſuſcipiatis, Chriſtique oracula. Hæc ille.

1. Cor. 13. D. Cyrill. in Iſai. 28.

CAPVT XIV.

De decima tertia Prærogatiua.

In Teſtamento nouo ſunt omnia noua. Chryſoſt. 2. Cor. 5.

DECIMAM tertiam Prærogatiuam nomen ipſum indicat Teſtamenti noui: nouum enim meritò appellatur; eo quòd in eo ſunt omnia noua. Chryſoſtomus: Rerum, inquit, vices iam mutatæ ſunt, vt & anima noua, & corpus nouum, & nouum adorationis genus, & pollicitationes nouæ, & Teſtamentum, & vita, & menſa, & veſtis, & vt vno verbo dicam omnia noua ſint. Hæc ille. Et Nicetas: Eſt, ait, canticum nouum, allegoricè, noui Teſtamenti cantio: tunc enim noua omnia facta ſunt, & creatura noua, & nouus homo, & vita noua, & noua mandata, & noua gratia, & nouæ pollicitationes, & noua ſacramenta: atque eo nomine nouum Teſtamentum dicitur, non ſolùm à tempore, ſed etiam à natura rerum, quæ in eo contigerunt, quandoquidem omnia innouata ſunt, & in primis homo, propter quem omnia exſtiterunt, &c. Theophylactus: Vetus, ait, peccatum tranſijt, nouaque nobis anima, & in nouum corpus factum eſt, & pro Iudaicis omnibus, noua nobis facta ſunt omnia, &c. Paullus item: *Vetera tranſierunt, ecce facta ſunt omnia noua.*

Nicetas in comment. Orationis de encœniis Greg. Naz.

Theophyl. 2. Cor. 5.

Ibidem.

Vidi, ait D. Ioan. *Cælum nouum, & terram nouam,* ſcilicet, poſt iudicium. Ante iudicium verò præſtantiorem aliam nos videmus terræ, cælique per Teſtamentum nouum renouationem. Noua terra eſt Spiritu ſancto renouata, iuxta illud: *Emitte Spiritum tuum, & creabuntur, & renouabis faciem terræ;* noua eſt, nouo vere exorto: *Iam enim hiems tranſiit,* vt ſcriptum eſt, *imber abiit & receſſit, flores apparuerunt in terra noſtra.*

Apocal. 21. Pſal. 103. Cant. 2.

Terra in nouo Teſtamẽto nouata. Pſal. 64.

Nunc viret omnis ager, (vt cum Poëta dicã) nũc omnis parturit arbor, Nunc frondent ſiluæ, nunc formoſiſſimus annus: cuius pulcritudinem Vates ſacer ſic deſcripſit: *Benedicens coronæ anni benignitatis tuæ, & campi tui replebuntur vbertate, pingueſcent ſpecioſa deſerti, & exultatione colles accingentur; induti ſunt arietes ouium, & valles abundabunt frumento.* Coronam anni, vocat anni circulum, eo quòd corona ſit circularis; vel coronam anni fructus appellat, fruges, flores, vbertatem, & amœnitatem, quibus annus, veluti coronatur, & ornatur. Chaldæus vertit: Corona annum bonitate benedictionis tuæ, & itinera

Chaldæus paraph.

viæ tuæ ſtillabunt dulcedinem pinguedinis. Hic coronatus annus tempus eſt noui Teſtamenti, annus benignitatis Dei; quia in illo effudit Deus in terras benignitatem ac liberalitatem ſuam; annus item eſt gratiæ corona decoratus. Eius autem vbertatem ſpiritalem ſub typo rerum corporearum Vates depinxit: quemadmodum, & Ioel: *Filij*, inquit, *Sion, exultate in Domino Deo veſtro, quia dedit vobis Doctorem iuſtitiæ*, id eſt, Chriſtum, *& deſcendere faciet ad vos imbrem matutinum & ſerotinum ſicut in principio, & implebuntur areæ frumento, & redundabunt torcularia vino & oleo.* Hæc Ioel. Quem etiam in modum alij Prophetæ loquuntur, iis rebus, quæ ſub adſpectum cadunt, futuram Chriſti tempore felicitatem delineantes.

Ioel. 2.

A

Noua igitur terra eſt, eius nouitas è cælo nouo effluxit: vidimus enim non ſolùm terram nouam, ſed etiam cælum: erat olim cælum æneum obſeratum, nubibus & rore carens, iam nouum eſt, iam patet, iam rorem gratiæ pluuiamque demiſit: *roraverunt enim cæli deſuper*, quod precatur Eſaias, *& nubes pluerunt iuſtum.* Chriſto, veluti nouo Sole, nouum ſplendeſcit cælum, Deipara Virgine, veluti noua Luna rutilat, ſanctorum virorum animis, veluti nouis aſtris micat. *Vetera tranſierunt*, (ait Paullus, cùm de hoc loqueretur Teſtamenti noui tempore) *ecce facta ſunt omnia noua.* Vetus regnũ trãſiit, vetus Teſtamentũ, vetus lex, vetus ſacerdotiũ, vetera ſacrificia, vetus homo; veteri, anguſtoque regno Iudæorum, toto orbe diffuſum regnum Chriſtianorũ diuina potentia, ſapientia, opulentiaque excellentiſſimũ; veteri Teſtamento, nouum, veteri legi, noua lex, veteri Sacerdotio ſecundùm ordinem Aaron, nouum, ſecundùm ordinem Melchiſedech; veteribus multiplicibusque ſacrificiis nouum, admirabile, vnicumque ſacrificium; veteri Adamo, nouus Adamus ſucceſſit. Et, vt D. Gregorius loquitur: Nouus homo venit in mundum, noua præcepta dedit mundo, & vitæ noſtræ veteri contrarietatem oppoſuit nouitatis ſuæ. *Nouum enim fecit Dominus ſuper terram*, vt Ieremias teſtatur: *Mulier circumdedit virum*, id eſt, Virgo Deipara ſanctiſſimo vtero cõplexa eſt Chriſtum, ſapientia quidem à puncto conceptionis virum, ſed nondum ætate. Nouum fuit, & inauditum Dei opus Verbi incarnatio, ad nouum pertinens Teſtamentum, nouus ex illa exſtitit Chriſtus, homo, inquam, pariter & Deus; homo nouo modo ex Spiritu ſancto conceptus, nouo modo in lucem, ſalua Matris integritate, editus, vt nouum hominem conderet.

In nouo Teſtamẽto cælum nouũ.

Iſaiæ 45.

2. Cor. 5.

Vetera mutata in noua.

D. Gregor. hom. 32. in Euang.

Ierem. 31.

B

C

D

Nouus homo, harum omnium nouitatum finis fuit. Etenim nouum creauerat Deus hominem ſexta mundi die, gratia originalique iuſtitia veluti pretioſiſſimo veſtimento amictum: iuſtitia nouitateque abiecta, ille in vetuſtatem delapſus, vetus homo factus eſt, nec fieri nouus potuit; niſi ab illa eadem potẽtia, qua primum fuerat creatus, noua quadam creatione recrearetur. Is ergo, qui creauerat Deus, eumdẽ ſtatuit recreare, & in priſtinam gratiæ nouitatem, per admirandas nouitates, nouosque labores adducere. Creatio hominis abſque vllis meritis illi contigit, renouatio infinita Chriſti merita efflagitauit; creationem præceſſit nihilum, renouationem peccatum, nullum obſtaculum creationi reſtitit, magnus obex renouationi occurrit; nulla hominis voluntas ad creationem eſt poſtulata, magna hominis, ſi rationis munere iam fungatur, voluntas ad renouationem expoſcitur. Nam, vt Ambroſ. ſcribit 1. ad Timoth. 2. Deus vult omnes homines ſaluos fieri, ſed ſi accedant ad eum: non enim ſic vult, vt nolentes ſaluentur, ſed vult illos ſaluari, ſi & ipſi velint, &c. Nihil laboris habuit creatio, multo ſanguine ac vulneribus renouatio ſtetit. *Formauit Deus hominem de limo terræ, & inſpiraciulum vitæ inſpirauit.* Vides quanta facilitate crearit? expende quanta difficultate, diuino ſanguine vbertim fuſo, multis acceptis vulneribus, multis exantlatis cruciatibus, denique ſanctiſſima vita amiſſa, in nouum ſtatum adduxerit. Spiraculum illud vitæ in faciem hominis facillimè inſpirauit; Spiritum verò ſanctum terræ renouatorem, in animam hominis vt inſpiraret, ipſe Deus Cruci affixus exſpirauit.

Deus hominem renouauit.

Ambroſius.

Magni ſtetit renouatio hominis. Geneſ. 2.

Induentes nouum hominem, ait Paullus, videlicet, veſtis pretioſiſſima eſt nouus homo & nuptialis; qua, qui caret, in cæleſtes nuptias recipi nequit: ex vellere, id eſt, meritis immaculati Agni, pro nobis attonſi & occiſi, contexta; iuxta illud: *Quaſi agnus coram tondente ſe obmutescet.* Tantæ molis erat nouum condere hominem. Bernard. Non ſum tam facilè refectus, quàm factus; ſiquidem non ſolùm de me, ſed de omni quoque, quod factum eſt, ſcriptum eſt; Dixit, & facta ſunt. at verò, qui me, tantùm & ſemel dicendo, fecit; in reficiendo profectò, & dixit multa, & geſſit mira, & pertulit dura, nec tantùm dura, ſed etiam indigna, &c. Denique, ecce facta ſunt omnia noua, & ipſe homo factus eſt nouus, propter quem omnia noua facta ſunt. Reliquum eſt, vt nouus homo nouum Deo canticum, pro nouis noui Teſtamenti beneficiis decantet; gratiasque agat ſempiternas, dicatque cum Bernardo libro iam indicato: Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi? In primo opere, id eſt, in creatione, me mihi dedit; in ſecundo, id eſt, in renouatione, dedit ſe; & vbi ſe dedit, me mihi reddidit. Datus ergo & redditus, me pro me debeo, & bis debeo: quid Deo retribuam pro ſe? nam etiam ſi millies rependere poſſem, quid ſum ego ad Deum? &c.

Coloſ. 3.

Iſaia 53.

D. Bernard. in l. de diligendo Deo.

D. Bernard.

CAPVT XV.

De decima quarta Prærogatiua.

DECIMA QVARTA Prærogatiua. Lex veteris Teſtamenti per Angelos data eſt in monte Sinai; lex autem Teſtamenti noui per Chriſtum. Secunda hæc pars explorata eſt: nam Chriſtum Dei Filium, Deumque veriſſimum, legem nouam hominibus tradidiſſe, docet Ioannes: *Lex*, inquit, *per Moyſen data eſt, gratia & veritas per Ieſum Chriſtum facta eſt.* Deum nemo vidit vnquam, vnigenitus, qui eſt in ſinu Patris, ipſe enarrauit. Paullus: *Multifariam multisq; modis Deus olim loquens Patribus in Prophetis; nouiſſimè dieb. iſtis loquutus eſt nobis in Filio.* Et: *Si enim, qui per Angelos dictus eſt ſermo, factus eſt firmus, & omnis præuaricatio & inobedientia accepit iuſtam mercedis retributionem; quomodo nos effugiemus, ſi tantam neglexerimus ſalutem? quæ cùm initium accepiſſet enarrari per Dominum, ab eis, qui audierunt, in nos confirmata eſt*, &c. *Veniet ad templum ſuum dominator, quem vos quæritis, & Angelus Teſtamenti, quem vos vultis.* Angelus Teſtamenti Chriſtus appellatur; tum quia veteris Teſtamenti vaticiniis promiſſus eſt; tum quia noui Teſtamenti Angelus, id eſt, nuntius fuit: nouum enim Teſtamentum hominibus nuntiauit.

Lex veteris Teſtamenti per Angelos data.

Lex noui per Chriſtũ. Ioan. 1.

Hebr. 1.

Hebr. 2.

Malach. 3.

Prior pars in controuerſiam vocatur: videtur enim lex veteris Teſtamenti ab eodem Filio Dei, antequam carnem aſſumeret, cum Moyſe loquente data. id enim opinati ſunt permulti Patres, qui Dei Filium antiquis Patrib. olim aëreo in corpore viſum, & cum illis collocutum cenſuerunt. D. Clemens:

D. Clemens l. 5. constit. Apost. c. 21.

mens: Hunc, inquit, scilicet, Christum vidit Iacob vti hominem, & dixit: Vidi Deum facie ad faciem: hunc Abraham hospitio acceptum iudicē, iuumque Dominum confessus est; hunc Moyses in rubo vidit; hunc vidit Iesus Naue armatum, simul pugnantem ad Iericho. Leo Pontifex Epist. 13. ad Pulcheriam Augustam: Potuerat omnipotentia Filij Dei sic ad docēdos, iustificandosq; homines apparere, quomodo Patriarchis & Prophetis in specie carnis apparuit, cùm aut luctamen iniit, aut sermonem conseruit, cumue officia hospitalitatis non abnuit, vel etiam oppositum cibum sumpsit. sed illæ imagines huius hominis erant indicia, cuius veritatem, ex præcedentium Patrum stirpe sumendam, mysticæ significationes designabant. D. Hilarius: Vocem deambulantis in paradiso Adam audiuit. putásne deambulantis incessum, nisi in specie assumptæ creationis auditum, vt in aliqua creatione consisteret, qui inambulans fuerit auditus? homo ad Abraham venit, homo loquitur, & corpore assistit; verumtamen Deus adoratur: adest autem ad Iacob etiam vsque ad luctæ complexum in habitu humano; idem postea Moysi esse ignis ostenditur.

D. Leo.

Verbum diuinũ Patribus visum.

D. Hilarius l. 12. de Tri.

D. Ambros. l. 1. de Fide, c. 5.

Ambr. Hic, scilicet Christus, est Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Iacob, qui apparuit in rubo Moysi: de quo Moyses ait: Qui est, misit me ad vos. non Pater in rubo, non pater in eremo, sed filius Moysi locutus est. D. Irenæus: Verbum loquebatur Moysi apparens in conspectu, quemadmodum, si quis loquatur ad amicum suum. & cap. 23. inseminatus est vbique in scripturis Filius Dei, & aliquando quidem cum Abraham loquens, cum eo comesurus, aliquando cùm Noe, dans ei mensuras; aliquando quærens Adam; aliquando Sodomitis inducens iudicium. Et rursus, cùm videtur, & in viam dirigit Iacob, & de rubo loquitur cum Moyse. D. Greg. Naz. Si Filius, inquit, Dei Abrahæ visus est, sed in forma humani corporis visus est: quod scilicet, postremis temporibus, in homine venturus esset, ostendit. Iacob etiam alibi in Angelo, alibi æquè videtur in homine, qui ideò se in Angelo demonstrauit, vt nuntium se magni consilij indicaret; in homine verò, cum quo colluctatus fuisse describitur, vt imaginem futuræ colluctationis, quam cum Israël habiturus erat, cùm secundùm hominem aduenisset, perspicuè ostenderet. Sed vt Deum crederet, cum quo tanto certamine sub figura hominis luctabatur, Israël, homo videns Deum nomen accepit. Vidi enim, inquit, Deum, facie ad faciem, & vtique figuram hominis viderat, quam Deus, Dei filius induerat. Moysi in rubo in flamma ignis apparuit, vt lumen credentibus, incredulis iudicium ostenderet; populum Israël in columna nubis per diem, & per noctem in columna ignis, præcedebat, vt baptismi gratiam per nubem, & donum Spiritus sancti per ignem indicaret. Hæc Nazianz. Addit etiam hæc, Filium Dei in monte Sinai cum Moyse locutum esse scimus, qui agendis explendisque rebus à Patre aduenerat. Auctor quæstionum ad Antiochum: Nudam, inquit, Dei essentiam nullibi vidit vllus. Pro humana verò infirmitate, Deus assumpta forma, sua maiestate longè infirmiori, Prophetis apparuit: & in summa; ille, qui erat incorporeus, sicut homo sæpiùs ipsis apparuit incarnatus, &c.

D. Greg. Nazian. in in tract. de Fide.

Auctor quæst. ad Antiochũ, quæst. 12.

D. Chrys.

D. Chrys. Gen. 32. Magna Domini misericordia, in figura hominis luctari cum iusto voluit. & hom. 58. Cogita quod & Patriarchæ Abrahæ, cùm apud quercum sederet, in figura hominis cum Angelis hospes fuerit; præsignans nobis iam multò ante, & ab initio, quod naturam humanam susceperus esset, vt eam à diaboli tyrannide liberaret.

A Verum tunc, quoniam initium & principia erant, in figura vnicuique illorum apparebat, quando autem dignatus est humanam formam susciperé, & primitias nostras recipere, non putatiuam, neque apparentem tantùm carnem, sed veram induit. &c. Theodoretus: Viderat Iacob Dominum scalæ innixum, quem hic Angelum nominauit & Deum; Deum, inquam, quod natura talis sit; Angelum verò, vt sciamus, non esse Deum Patrem, qui apparuit, sed Filium. Siquidem Pater, cuiusnam Angelus esse possit? Filius autem, tum Deus, tum magni consilij est Angelus: nam ipse nobis annuntiauit mysteria Patris. Hæc Theodoretus. D. quoque Basilius docet, Christum Angelum dictum esse ante incarnationem: & D. Athan. Nicephorus: Certò illis constitit (scilicet, antiquis illis hominibus, qui Christi incarnationem præcesserunt,) ipsum Christū Deum visum esse ab Abrahamo: eumdem responsa dedisse Isaac: collocutum esse cum Iacob; cum Moyse autem, & qui post eum fuerunt Prophetis sermonem contulisse: pro eo atque id sacræ indicāt Scripturæ, &c. præter hos, lege Tertullianum in lib. aduersus Praxeam cap. 14. Clementem Alexandrinum, Pedagogi lib. 1. c. 7. Iustini Martyris dialogum cum Tryphone, Eusebium Cæsariensem lib. 1. Demonstrationis euangelicæ, cap. 5. Concilium etiam Sirmiense anathematismo 14. sic habet: Si quis cum Iacob non Filium, tamquam hominem luctatum esse, sed ingenitum Deum aut Patrem eius dixerit, anathema sit: At hoc Concilium Arianorum fuisse ait doctissimus Cardinalis Baronius, in aureis annalibus suis tom. 3. pag. 662. Quòd si quis aliud opinetur, tamen à Sede Apostolica approbationem non ostendet, qua illius anathemata probentur. Lege Nicephorum lib. 9. cap. 31. & aliis sequentibus, & Cardinalem indicatū nostrumque Pererium tom. 3. in Genesim, cap. 19. qui existimat, Synodum illam probatam fuisse, non quantum ad omnia, sed quantum ad confessionem fidei aduersus Photinum.

Theodoret. q. 88. in Genes.

D. Basilius contra Eunom. l. 2.

D. Athanasius ser. 4. contra Aria.

Nicephorus l. 1. c. 5.

Tertullian. Clemens. Alex. D. Iustinus. Eusebius. Concilium. Sirmiense.

Baronius.

Denique legem à Verbo diuino Moysi traditam sentit Chrysost. ad Gal. 3. in illa verba: *In manu mediatoris:* mediatorem, ait, hic appellat Paullus Christum, declarans quod is ante legem fuerit, ipseque legem dederit. Et Theophyl. Indicat, inquit, Paullus quod & legem tulerit Christus, vt ita in arbitrio eius sit eam rursus tollere; quippe qui Dominus eius sit. Primasius ad Gal. 3. Lex per Angelos ordinata est: legimus enim Angelos adfuisse Moysi, vt quidam putant, siue Christo, &c. Putat ergo Primasius Christum legem dedisse ministrantibus Angelis. Oecumenius in commentariis eiusdem capitis: In manu mediatoris, id est, Christi; nam ostendere nititur Paullus legem quoque ipsam per Christum datam, vt & abolendi eam ius ipse habeat. Hæc ille. Et D. Ambrosius: Non pater in rubo, non Pater in eremo, sed Filius Moysi locutus est. Deniq; de ipso Stephanus dixit: Hic est, qui fuit in Ecclesia cum Angelo, hic est ergo, qui legem dedit, ipse qui locutus est Moysi, dicens: *Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Iacob*, &c. Idem Ambr. Filium in monte Sina cum Moyse locutum esse scimus, qui agendis, explicandisque rebus à Patre aduenerat; quia omnia a principio per ipsum & ordinari, & explicari, & manere conuenerat, vt habendi Filij hæc præcipua ratio constaret. Et tamen sic visus accipitur, vt alicuius conspicabilis materiæ dispositione assumpta videretur, salua, scilicet, inuisibilitate eius, &c. Ecclesia in antiphonis de aduentu: O adonai, & Dux domus Israël, qui Moysi in igne flammæ rubi apparuisti, & ei in Sina legem dedisti, veni ad redimendum nos in brachio extento.

D. Chrysost. ad Galat 3. Legem vetere a verbo diuino datã multi sentiunt. Theophil. Primasius. Oecumen.

D. Ambr. l. 1. de Fide, c. 5.

Ambr. in l. de Filij diuinitate, c. 8

Contrariæ sententiæ est magnus Dionysius Areo-

D. Dionyſ. Areopagita l. de cæleſti Hierar. c. 4.

pag. Has, inquit, diuinas viſiones Patres noſtri perceperunt per medias cæleſtes virtutes. An non, & ſacram legiſlationem, eloquiorum traditio, velut per ſe quidem dicit ex Deo Moyſi donatam; vt etiam verè nos doceat diuinos eam eſſe & ſacros characteres? Docet autem ſapienter, & hoc Theologia, per Angelos eam in nos prouenire, tamquam diuino legali ordine, illud legaliter ponente, hoc eſt, per prima, ſecunda in diuinum reduci. Hæc ille.

Lex vetus data per Angelos.

D. Auguſt.

Et D. Auguſt. libro tertio, de Trinitate cap. 11. quod eſt vltimum illius libri: In edictis, inquit, Angelorum lex illi populo data eſt, ſed Domini per eam diſponebatur, & prænuntiabatur aduentus; & ipſe, tamquam Verbum Dei, miro & ineffabili modo erat in Angelis: in quorum edictis lex ipſa dabatur: per Angelos ergo tunc Dominus loquebatur; per Angelos Filius Dei ſuum diſponebat aduentum, &c. Et in fine capitis: Conſtitit, inquit, quod antiquis Patribus, cùm Deus apparere dicebatur, voces illæ ac ſpecies corporales per Angelos factæ ſunt, ſiue ipſis loquentibus, vel agentibus aliquid ex perſona Dei, ſiue aſſumentibus ex creatura, quod ipſi non eſſent, vbi Deus figura demõſtraretur hominibus, &c. Eodem cap. idem Auguſtin. quod diximus, probat ex Paullo, his verbis: Paullus, quia tunc per Angelos, nunc autem per Filium ſermo factus eſt, aperte demonſtrans ad Hebræos ſecundo: *Propterea*, inquit, *abundantius oportet attendere nos ea quæ audiuimus, ne fortè defluamus. Si enim, qui per Angelos dictus eſt ſermo, factus eſt firmus*, &c. *quomodo nos effugiemus tantam negligentes ſalutem?* & quaſi quæreres, quam ſalutem? vt oſtenderet ſe de nouo Teſtamento iam dicere, id eſt, ſermone, qui non per Angelos, ſed per Dominum factus eſt: *Quæ ſalus cum initium accepiſſet*, inquit, *vt enarraretur per Dominum*, &c. Quod ſi quis obiiciat Auguſtino, cur ergo ſcriptum eſt, Dixit Dominus ad Moyſen; & non potius, Dixit Angelus ad Moyſen: Reſpõdet, quia cùm verba iudicis præco pronuntiat, non ſcribitur in geſtis: Ille præco dixit, ſed ille iudex. D. Anſelmus: Lex, inquit, eſt ordinata per Angelos, quia non per ſeipſum Deus, ſed per Angelos Moyſi loquebatur, & præcepta legis diſponebat; & quia in ipſis Angelis Chriſtus erat, qui eſt Mediator Dei & hominum, ac per eos legem ordinabat; ideo dicitur ordinata per Angelos in manu Mediatoris, &c. Et D. Thom. in commentariis eiuſdem capitis: Lex, inquit, ordinata eſt per Angelos, id eſt, miniſterio Angelorum, & eſt data per Angelos; quia lex non debebat dari per Filium, qui maior eſt, &c. In eadem ſententia eſt 12. q. 49. a. 3. quem alij Theologi ſequuntur, Albertus Magnus in commẽtariis Dionyſij Areopag. de cæleſti Hierarchia, c. 4. Qui loquebatur, ait, ad Moyſen Angelus fuit, per quem etiam lex data fuit.

Hebr. 2.

Anſelmus ad Gal. 3.

D. Thomas.

Albertus Magnus.

Hæc ſententia confirmatur ex verbis D. Stephani: *Hic*, inquit, id eſt, Moyſes, *fuit in Eccleſia in ſolitudine cum Angelo, qui loquebatur ei in monte Sina, & cum Patribus noſtris.* Item: *Accepiſtis legem in diſpoſitione Angelorum, & non cuſtodiſtis.* Præterea Paullus: *Lex*, inquit, *ordinata per Angelos*; & ad Hebræos, in hunc modum argumentatur à minori ad maius: *Si ſermo, qui per Angelos dictus eſt, factus eſt firmus; & omnis præuaricatio & inobedientia accepit iuſtam mercedis retributionem; quomodo nos effugiemus, ſi tantam neglexerimus ſalutem? quæ cum initium accepiſſet enarrari per Dominum, ab iis qui audierunt, in nos confirmata eſt; conteſtante Deo, ſignis, & portentis, & variis virtutibus, & Spiritus ſancti diſtributionibus, ſecundum ſuam voluntatem*: quaſi dicat: Si lex vetus per Angelos data, rata, ſtabiliſque permanſit, eius verò præuaricatores meritas pœnas luerunt; quomodo nos Dei ſupplicium effugiemus, ſi ſalutem, quam lex affert Euangelica, neglexerimus? quæ nõ per Angelos, ſed per ipſum Angelorum Dominum primò tradita; deinde per diſcipulos Domini admirandis editis miraculis promulgata eſt.

Act. 7.

Gal. 3. Hebr. 2.

Obiiciet quiſpiam, Scripturam ſacram aſſerere Deum loquutum eſſe cum Moyſe & ceteris Patribus. Reſpondetur, Angelos nomine Dei, verba Dei protuliſſe, veluti Dei legatos, atque adeò Deum ipſum per Angelos locutum: ideoque meritò locutus dicitur Deus; quia præcipuè loquebatur, cùm tamen Angeli loquerentur, vt probatur ex Geneſi: vbi is, qui cum Iacob loquitur, Angelus dicitur: *Dixit*, ait Iacob, *Angelus Dei ad me in ſomnis.* Deinde ſeipſum is Angelus Deum appellat: *Ego*, inquit, *ſum Deus Bethel, vbi vnxiſti lapidem, & votum vouiſti mihi?* Vides perſpicuè ex ipſis ſacris litteris Angelũ Dei nomine affici. Quòd igitur hoc loco, idem in ceteris factum intellige. Eum quoque, qui cum Iacob luctatus eſt, Angelum fuiſſe conſtat ex c. 12. Oſeæ: attamen Deus dicitur Geneſ. 32. D. Iuſtinus Martyr, in explicationibus quæſtionum à gentibus poſitarum, q. 142. Angeli, inquit, omnes, qui Dei locum obtinere viſi ſunt, aut cum hominibus locuti ſunt, Dei etiam appellati ſunt nomine; vt is, qui cum Iob & Moyſe locutus eſt, &c. D. Greg. in Præfatione libri Iob c. 2. Angelus, qui Moyſi apparuiſſe ſcribitur, modo Angelus, modo Dominus memoratur: Angelus propter hoc, quod exteriùs loquendo ſeruiebat: Dominus autem dicitur, quia interiùs præſidens loquendi efficaciam miniſtrabat. cùm ergo loquẽs ab interiori regitur, & per obſequium Angelus, & per inſpirationem Dominus nominatur, &c. Lege eumdem Gregorium libro 28. Mor. capite 2. Hieronymus ad Galatas 3. quòd ait Paullus, lex ordinata per Angelos; hoc vult intelligi, quod in omni veteri Teſtamento, vbi Angelus primùm viſus refertur, & poſtea quaſi Deus loquens inducitur; Angelus quidem verè ex miniſtris pluribus quicumque ſit viſus; ſed in illo Mediator loquatur, qui dicat: *Ego ſum Deus Abraham, Deus Iſaac, Deus Iacob*, &c.

Gen. 31.

D. Ipſtinus.

D. Gregor.

D. Hieron.

Obiiciet alius, illud: *Dominus de Sinai venit, & de Seir ortus eſt nobis, apparuit de monte Pharan, & cum eo Sanctorum millia.* Ex iis verbis conſtat multa Angelorum millia veniſſe in montem Sinai, vt comitarentur, non Angelum aliquem, ſed ipſum Verbum diuinum: nam Scriptura, non Angelis, ſed Deo multorum Angelorum tribuit comitatum. Præterea hæc leges: *Currus Dei decem millibus multiplex, millia lætantium, Dominus in eis in Sinai*, &c. Id eſt, Domini currus ſunt multa Angelorum lætantium millia, in eis fuit in monte Sinai. Ergo Deus ipſe in monte Sinai legem dedit: non enim dici poteſt Angelos eſſe currum alicuius Angeli aut Seraphini. Reſpondetur, Archangelum Michaëlem perſonam Dei tunc geſſiſſe, cùm lex data eſt, multisque Angelorum millibus ſtipatum in montem Sinai veniſſe. Quæ igitur Moyſes Deut. 33. & Dauid Pſal. 67. de Deo prædicant, de Michaële, Dei perſonam ſuſtinente, ſummaque cum maieſtate Dei maieſtatem repræſentante, intelligenda ſunt. vel de Deo ipſo, non quidem aërio in corpore, ſed inuiſibili modo legem in Sinai per Angelos dante. Michaëlem autem legem in monte Sinai dediſſe Pantaleo Diaconus docet apud Surium in encomio D. Michaëlis: Michaël, inquit, Angelorum ductor longè maximus, & excellentiſſimus miniſter diuinæ legis, quæ data fuit in monte Sina, &c.

Deut. 33.

Pſal. 67.

Pantaleo Diaconus.

CA-

CAPVT XVI.

De decima quinta Prærogatiua.

Vetus Testamentũ fidei Christi fuit implicita, nouum explicita. Hebr. 12.

DECIMA quinta Prærogatiua. Vetus Testamentum fidei fuit Christi implicitæ, vt vocant, nouum fidei, est explicatissimæ. Fides ad legem pertinet tam naturalem & scriptam, quam euangelicam; nam vt Paullus testatur: *Sine fide impossibile est placere Deo*: fundamentum enim est, sine quo ceterarum virtutum ædificium construi nequit, vt docet Chrys. ex Paullo homil. 9. in Epistolam ad Hebræos: Quia fides, inquit, fundamentum est, cetera verò, superædificationes: aduerte Paullum dicentem: *Ego fundamentum posui, alius superædificat*, &c. D. item Gregorius hoc esse fundamentum, ait, quod Babylonici hostes. i. dęmones conantur exinanire: Inimici, inquit, vsque ad fundamentum Ierusalem exinaniunt, quando peruersi spiritus à corde fidelium, destructo priùs ædificio boni operis, soliditatem quoque exhauriunt religionis: iuxta illud: *Exinanite, exinanite vsque ad fundamentum in ea*: sicut enim supra fundamentum fabrica, sic super fidem opera construuntur. Hæc ille. Dux præterea fides est viæ in cælum. Vnde Augustin. de fide ad Petrum: tale, inquit, est vt sine vera fide, quisque velit per contemptum sæculi Deo placere; quale si quis tendens ad patriam relinquat itineris rectitudinem, & improuidus sectetur errorem, quo non ad beatam ciuitatem perueniat, sed in præcipitium cadat. Sidus est fulgens fides, quod in cæleste littus nauigantibus prælucet; columna ignea, quæ veros Israëlitas in terram promissam prędcedit; oculus animi, qui diuinarum rerum splendorem, actionumque humanarum scopum intuetur. Absque fundamento nemo ædificat, absque sidere nemo vastum mare nauigat, absque oculo nemo cernit; necessaria ergo fides est iis, qui virtutum ædificium exstruere, qui procellosum vitæ huius pelagus pertransire, qui rerum diuinarum fulgorem intueri, humanarumque actionũ scopum attingere volunt.

D. Chrys. Fides semper fuit necessaria. 1. Cor. 3. Greg. l. 15. Mor. c. 15.

Fides fundamentum. Psal. 136.

Fides dux viæ. D. August.

Fides sidus, columna ignea & oculus.

Amari non possunt nisi cognita. August. l. 10. de Trin. c. 1.

Firmissimè nouimus amari nisi nota non posse, ait D. Aug. Ergo si ignoremus Deum, amare illum non poterimus; necessarius maximè Dei amor est, necessaria quoque maximè eiusdem cognitio, quæ ad hunc amorem ducat: necessaria summopere fides, quæ Dei cognitionem præstet, quę ad virtutem ostenso præmio impellat, à scelere proposita ante oculos pœna deterreat: vnde illud Paulli: *Hebr. 11.* *Credere oportet accedentem ad Deum, quia est, & inquirentibus se remunerator sit.*

Deus in lumine suo videtur. Psalm. 35.

Duobus autem in locis cognoscitur Deus, in cælo & orbe terrarum: non alieno tamen, sed proprio lumine instar Solis cognosci potest, iuxta illud: *In lumine tuo videbimus lumen.* Quemadmodum per radios à Sole diffusos Solem ipsum intuemur: ita per lucem à Deo dimanantem Deum ipsum cognoscimus. Si Sol radios colligat, mille licet faces incendas, Solem non cernes: si Deus lumen suum tibi non impertiat, scientiarum licet omnium lumina adhibeas, Sacrosanctę Trinitatis naturam, eiusdemque opera non intelliges. Vnde Philo: Solem hunc visibilem, num alia re, quam ipsa adiuti cernimus? quid stellas, an non sola stellarum ope adspicimus? lucis adspectum nonne luci debemus? in eundem sane modum etiam Deus per se ipsum illustrat sui notitiam, &c. In cælo ergo beatorum intellectum lumine gloriæ clarissimo illustrat, quo illustratus Sacrosanctæ Trinitatis essentiam, & magnam rerum conditarum multitudinem clarissimè intuetur: in terrarum verò hoc orbe, viatorum intellectum lumine fidei certissimo illuminat, quo illuminatus eandem Trinitatem, eiusque opera admiranda, non quidem manifeste, vt beati, sed tamen certissimè, verissimè, & infallibiliter cognoscit. Quemadmodum astra omnia quotquot toto fulgent cælo, quamuis lucis aliquid afferant, noctem tamen sua luce pellere nequeunt: sic omnes scientiæ quotquot mortalium labore, & ingenio repertę sunt, quamuis aliquid cognitionis pariant, rerum tamen diuinarum ignorantiam ex animo fugare non possunt. Sol noctem, fides rerum diuinarum ignorantiam ex mundo pellit: necessaria igitur fides hominibus, sicut Sol mundo.

Philo in l. de præmiis & pœnis.

Duplex est lumẽ, gloriæ in cælo, fidei in terris.

Nec hominibus solùm necessaria est, verũ Deo etiam honorifica: & rebus ipsis, de quibus habetur, aptissima. Honorificum Regi est, si Duces præcellentes sub suum iugum mittat: præstantissima autem animi pars duxque reliquarum intellectus est: honorificum ergo Deo, si humanum intellectum per fidem in captiuitatem redigat: iuxta illud Paulli: *Arma militiæ nostræ non carnalia sunt, sed potentia Deo, ad destructionem munitionum, consilia destruentes, & omnem altitudinem extollentem se aduersus scientiam Dei, & in captiuitatem redigentes omnem intellectum, in obsequium Christi.* Felix captiuitas, quæ dum captiuum reddit intellectum, liberat: dum ligat, soluit; dum subiicit, eleuat. Captiuum reddit fides intellectum, sed ab ignorantia liberat; ligat, sed ligans soluit erroris vinculis; subiicit, sed ad diuinæ veritatis sublimitatem eleuat; catenas iniicit, sed aureas ac gemmatas, quibus ornetur potiùs, quàm vinciatur.

Fidei Deo honorem affert.

2. Cor. 10.

Præterea glorioſum Regi si munitissimas arces expugnet, & celsis mœnibus vexilla infigat: glorioſum Deo animos hominum, veluti propugnacula fortia superasse, atque in summis mœnibus, hoc est, intellectu, fidei vexilla infixisse: vexillo namque similis est fides: vexilla milites distinguunt; fides Christianos à Iudæis, Ethnicis, Mahometanis, hæreticisque separat; cui illud congruit: *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine*: Hebræum verbum à vexillo ducitur, vt ait Pagninus in Thesauro: Eleuatum est super nos, veluti signum vel vexillum, lumen vultus Dei, à Deo veluti Sole diffusum, id est, fides à Deo nobis donata, & in intellectu nostro infixa, sub quo Duce militemus demonstrat. Ad hæc præclarum homini, si quis eius dictis certissimam fidem adhibeat: præclarissimum Deo tam admirabilem illius verbis homines habere fidem, vt verissima esse omnia sine vlla hæsitatione credant, idque omnium cruciatuum perpessione confirment, ait Baptista: *Qui accepit Christi testimonium, signauit; quia Deus verax est*: hoc est, qui Christi verbis fidem habet, eiusque doctrinam recipit, quasi sigillo impoſito confirmat Deum esse veracem. hic Dei magnus honor est. Nam fides veluti sigillum est, quod diuinis verbis appoſitum Deum veracissimum esse infallibili certitudine profitetur. Est autem sigillum non cereum, quod modico ignis calore dissoluatur, sed aureũ, quod ipso igne, omniumque tyrannorum tormentis purius, atque rutilantius fiat. Martyrum constantissima, certissimaque fides mille cruciatibus explorata, rutilantioreque effecta, satis hoc probat.

Fides est velũ distinguens Christianos ab Eth &c. Psal. 4.

Ioan. 3.

Fides sigillũ.

Ioan. 8.

Etenim fides non est, vt impiè Abailardus sentiebat, existimatio, cui aliquid incertitudinis subesse possit, sed certitudo quædam infallibilis, cui sic adhæret Christianus, vt prius à corpore animus, quàm ab animo fides auelli possit. Lege D. Bernardum Epist. 190. Ad Innocentium summum Pontificem: In primo, inquit, limine Theologiæ, vel potius stultilogiæ suæ Abailardus fidem definit æstimatio-

D. Bernard.

mationem,quaſi cuique in ea ſentire,& loqui quælibet liceat, aut pendeant ſub incerto, in vagis ac variis opinionibus noſtræ fidei ſacramenta,& non magis certa veritate ſubſiſtant. Nónne ſi fluctuat fides inanis eſt ſpes noſtra? abſit, vt putemus in fide,vel ſpe noſtra,aliquid, vt is putat, dubia æſtimatione pendulum, & non magis totum, quod in ea eſt, certa ac ſolida veritate ſubnixum, oraculis & miraculis diuinitus perſuaſum, ſtabilitum, & conſecratum partu Virginis, ſanguine Redemptoris, gloria reſurgentis. non eſt fides æſtimatio,ſed certitudo. Hæc Bernardus. Virtutum omnium fundamentum fides eſt, vt iam diximus. Fundamentum autem, vt ait Chryſoſtomus homilia 9. in Epiſtolam ad Hebræos, firmum oportet & fixum eſſe, & ſtare, & non transferri. Oportet ergo fidem eſſe firmam,fixam,ſtabilem, ab omni animi fluctuatione alieniſſimam.

Chryſoſt.

Fides euidentia caret.

Quamuis autem certitudinem fides habeat tantam, vt ſcientiæ certitudinem ſuperet; euidentia caret,quæ in ſcientiis reperitur. non enim demonſtrationibus comparatur, ſed Spiritus ſancti operatione animis infunditur. Vnde D.Baſilius Pſal.115. Sacrorum, inquit, quæ de Deo ſunt eloquiorum, prædux eſto fides planè, non item demonſtratio: fides,inquam,animam inuitans,imò & perſuadens ad conſenſionem,præ cunctis rationalibus methodis: neq; enim fides geometricis nititur probationibus,quas neceſſitates vocant, ſed animis noſtris ſe inſinuat, efficaci Spiritus ſancti operatione.Hæc ille. *In columna nubis loquebatur Deus ad eos,* id eſt, Iſraëlitas;ita etiam loquitur ad Chriſtianos.Nam columnæ nubis ſimilis eſt fides, columnæ quidem, quia reliquarum virtutum eſt fulcimentum; nubis verò,quia euidentia caret, obſcuritatem habet. Ea tamẽ obſcuritas in maximum hominum meritum cedit: vt enim ait D.Greg. Fides non habet meritum,cui humana ratio præbet experimentum. Habet autem meritum,& quidem maximum, quæ rationis omnes gradus tranſcendens, ſine experimento,ſine demonſtratione, & euidentia, Deo ex obſcura columna nubis loquenti credit: vnde illud Chriſti: *Beati, qui non viderunt, & crediderunt*: & illud Auguſtini Pſal.109.Quæ eſſet merces fidei,niſi lateret quod credimus? Item: Non eſſet iuſtitia fidei, ſi non eſſet abſconditum, quod prædicatum crederemus, & credendo ad videndum peruenieremus.

D. Auguſt.

Pſalm. 98.

D. Greg. hom. 26 in Euang.

Ioan. 20.

Ijs adde, hunc cognoſcendi modum per fidem, vt diximus, rebus, de quibus habetur fides, eſſe aptiſſimum: nam res cognoſcendæ à ſenſu & intellectu noſtro longè remotæ ſunt: quocirca à Paullo dicuntur non apparentes: *Fides*, inquit, *eſt argumentum non apparentium.* Non enim Sacroſancta Trinitas nobis apparet, nõ Chriſtus,aut natus, aut Cruci ſuffixus, aut rediuiuus, non Beatorum gaudia, aut impiorum æterna ſupplicia,ſenſum hæc omnia effugiunt: reliquum eſt, vt aliquod nobis detur argumentum non apparentium, aliqua rerum ſperandarum ſubſtantia,aliqua è cælo fax,quę ſua luce res ſenſui non apparentes faciat intellectui apparere. hæc fides eſt,*quæ*,vt ait Paullus,*eſt ſperandarum ſubſtantia rerum, argumentum non apparentium*. Subſtantia dicitur fides rerum ſperandarum, quia res ſperandas in nobis ſubſiſtere facit. Theophyl. Fides,inquit, eſt eſſentia eorum quæ non ſunt, ſubſiſtentia eorum quæ nondum ſubſiſtunt, vt reſurrectio nondum ſubſiſtit, ſed fides ſtatuit eam, & ob oculos nobis ponit, &c. Theodoret. Fides, inquit, oſtendit tanquam ſubſiſtentia ea,quæ nondum facta ſunt. D. Anſelmus: Sicut ſubſtantia ſubſtat formæ,eam eſſe faciendo,ita fides ſperandis rebus,eas in nobis ponendo,&c.Dicitur autem argumentum non apparentium, quia quemadmodum per argumenta, rerum, quæ ſciuntur, ſcientiam, ita per fidem, rerum, quæ non apparent, cognitionem certiſſimam comparamus. D. Auguſt. lib. 2. de Pecc. meritis, & remiſſione vertit: Fides eſt conuictio rerum, quæ non videntur, quod intellectum conuincat.

Hebr. 11.

Fides eſt ſubſtantia ſperandarũ rerum. Theophyl.

Theodoret.

Anſelmus ſiue Herueus.

Auguſt.

Neceſſaria ergo fides fuit ab orbe condito. ſed quemadmodum Luna in dies creſcit, quouſque ſuum orbem compleat;ſic fides creuit,quouſque in nouo Teſtamento ſuum quaſi orbem perfecit.Creuit,inquam,fides ſecundùm ea quæ credenda proponuntur: non enim valde multa legis naturalis, & ſcriptæ obſeruatoribus credenda proponebantur: Chriſtianis plurima & explicatiſſima proponuntur. ad apicem quippe ſummum, & incrementum aſcendit fides. Erat autem olim in lege naturæ & veteri fides de Deo remuneratore explicata, & de Chriſto Redemptore occulta atque implicita: nemini tamen vnquam ſine fide in Chriſtum Redemptorem, ſaltem implicita, contigit ſalus. Quod docet Auguſtinus: Antiqui, inquit, iuſti, ſacramentis illis, intelligebant venturam prænunciari reuelationem fidei, ex qua, licet adhuc operta & abſcondita, munere tamen pietatis intellecta,etiam tunc ipſi viuebant: quia in hac vita nemo poteſt eſſe iuſtus, niſi,qui ex fide viuit,&c. Et in fine capitis:Tunc,inquit, occulta erat fides;nam eadem credebant, eademque ſperabant omnes iuſti,etiam temporum illorum,& promiſſiua erant omnia illa ſacramenta,& ritus ſacrorum: nunc autem reuelata eſt fides, in quam concluſus erat populus,quando ſub lege cuſtodiebatur,&c.Et Epiſt. 157. ad Optatum: Chriſti ſaluberrima fide etiam illi iuſti ſalui facti ſunt, qui priuſquam veniret in carne, crediderunt in carne venturum; eadem namque fides eſt, & noſtra, & illorum: quoniam hoc illi crediderunt futurum, quod nos credimus factum,&c. Eadem Epiſt.idem Auguſtinus: Cùm omnes iuſti, ſiue ante incarnationem, ſiue poſt incarnationem Chriſti, nec vixerint, nec viuant, niſi ex fide incarnationis Chriſti, in quo eſt gratiæ plenitudo,profectò quod ſcriptum eſt, *Non eſſe aliud nomen ſub cælo,in quo oporteat ſaluos fieri nos*,ex illo tempore valet ad ſaluãdum genus humanum, ex quo in Adam vitiatum eſt,&c. Et lib. 18. de Ciuit.Dei, c. 47. Diuinitus prouiſum fuiſſe non dubito,vt ex vno Iob ſciremus,etiam per alias gentes eſſe potuiſſe, qui ſecundùm Deum vixerunt, eique placuerunt,pertinentes ad ſpiritalem Hieruſalem, quod nemini conceſſum fuiſſe credendum eſt, niſi cui diuinitus reuelatus eſt vnus Mediator Dei, & hominum Chriſtus,qui venturus in carne;ſic antiquis Sanctis prenunciabatur,quemadmodum nobis veniſſe nuntiatus eſt: vt vna eademque fides per ipſum omnes in Dei ciuitatem prædeſtinatos perducat ad Deum,&c.D.Greg. Oſanna,inquit, Latina lingua, ſalua nos dicitur: ab ipſo enim Chriſto ſalutem, & priores quæſierunt,& præſentes quærunt,& benedictum, qui venit in nomine Domini confitentur.quoniam vna ſpes, vna fides eſt præcedentium,atque ſequẽtium populorum; quem priores noſtri ex Iudaico populo crediderunt, atque amauerunt venturum, hunc nos & veniſſe credimus, & amamus,&c.

Auguſt.

ibid.

Act. 4.

Greg. hom. 17. in Ezech.

Erat antiquorum fides de Chriſto implicita, noſtra autem eſt explicatiſſima,venturũ illi Chriſtum credebant, nos veniſſe credimus: vna tamen fides erat.Auguſt. Itaque, inquit, à Patribus diſpenſatio ſuſceptæ carnis futura credebatur, ſicut à nobis facta creditur; tempora variata ſunt, non fides, &

In lege naturæ & ſcripta fuit fides de Chriſto implicita.

Aug. lib. 19. contra Fauſtum, c. 14.

Tẽpora variata ſunt, non fides.

Auguſt in Pſal. 50.

tract.

tract.45.in Ioan. Ante aduentum Domini præceſ-
ſerunt iuſti, ſic in eum credentes venturum, quo-
modo nos credimus in eum qui venit. Tẽpora va-
riata ſunt,non fides, quia & ipſa verba pro tempo-
re variantur;cum varie declinantur. Alium ſonum
habet; Venturus eſt, alium ſonum habet; Venit,
mutatus eſt ſonus,venturus eſt,& venit; eadem ta-
men fides vtroſque cõiungit,& eos,qui venturum
eſſe,& eos, qui eum veniſſe crediderunt, &c. Et
poſt pauca: Vt ſcias autem quòd vna ſit fides, audi
dicentem Paul. *Habentes eundem ſpiritum fidei, & nos*
2.Cor.4. credimus, &c. Item lib. 3. contra duas epiſtolas Pe-
Auguſt. lagianorum,c. 4. Patres illos antiquos & eandem
fidem,qua nos præditi ſumus,habuiſſe,& Chriſtia-
nos, ſi non nomine,tamen re ipſa fuiſſe docet: A B
Ioanne, inquit, Baptiſta, & deinceps cœperunt de
Chriſto fieri præterita, vel præſentia, quæ ab illis
omnibus anterioris temporis iuſtis credebantur,
ſperabantur,deſiderabantur futura. Eadem igitur
fides,& in illis,qui nõdum nomine,ſed re ipſa fue-
runt antea Chriſtiani,& in iſtis,qui non ſolũ ſunt,
verùm etiam vocantur,& in vtriſque eadem gra-
tia per Spiritum S. Hæc Auguſtinus. Eadem itaque
fuit fides,non tamen idem fidei ſtatus; mutatus eſt
ſtatus fidei,mutatum quodammodo obiectũ, quod
dicitur materiale,non tamen formale.

Sed probabit aliquis,vetus Teſtamentum caruiſ-
Roman.3. ſe fide ex Paullo, qui legẽ Chriſti, legem appellat
fidei,legem autem veterẽ legem factorum: *Vbi eſt,*
inquit, *gloriatio tua? excluſa eſt. per quam legem? facto-* C
rum? non,ſed per legem fidei: ergo lex vetus non fuit
Galat 3. lex fidei,ſed tantum factorum,id eſt,operum. Vr-
gebit ex eodem Paullo:eo enim cap.manifeſtè ait,
legem antiquam non fuiſſe ex fide. *Quoniam*, in-
quit, *in lege nemo iuſtificatur apud Deum; manifeſtum*
eſt,quia iuſtus ex fide viuit,lex autem non eſt ex fide, ſed
qui fecerit ea,viuet in illis. Hæc Paul. Addet etiã quiſ-
piam illud eiuſdem Epiſtolæ. Priuſquam veniret
fides ſub lege cuſtodiebamur. Itẽ illud: Vbi venit
fides,&c. Ergo in Teſtamento veteri nõ erat fides;
ſiquidem nondum venerat ante Chriſti aduentũ.

Fides ſine o- Reſpondemus, Paullum nec à veteri fidem,nec
peribus mor *tua, opera* à noua lege opera excludere: quemadmodũ enim
quoque mor *tua ſine* ſine operibus fides,ita ſine fide operamortua ſunt. D
fide. Id docet D. Aug. exemplo Abrahami in præfatio-
D. Auguſt. ne,Pſal.31. Abraham,inquit, filiũ ſuum immolan-
dum Deo obtulit:Magnum opus,ſed ex fide,laudo
ſuperædificationem operis, ſed video fidei funda-
mentum; laudo fructum boni operis, ſed in fide
agnoſco radicẽ. Si enim hoc præter fidem rectam
faceret Abraham,nihil illi prodeſſet,qualecunque
illud opus eſſet. Rurſum,ſi ſic teneret fidẽ, vt cum
ei Deus imperaret offerri ſibi immolandũ filium
ſuum,diceret apud ſemetipſum, nõ facio; & tamen
credo: quia me etiam contemnentem iuſſa ſua li-
berat Deus:fides ſine operibus mortua eſſet, & tã-
Cur lex no- quam radix ſine fructu ſterilis, atque arida rema-
ua dicatur neret, &c. Cur igitur Apoſtolus legẽ nouam fidei E
fidei, & Ve- appellat,veterem operum, cum fidem operibus o-
tus factorũ. porteat eſſe adiunctam? D. Aug. quid diſcriminis
Auguſt. l. de Spir. & lit.c.13. ſit inter legem factorum, & legem fidei inquirit,
& reſpondet his verbis:Quid intereſt breuiter di-
cam,quod operum lex minando imperat,hoc fidei
lex credendo imperat;illa dicit:Non concupiſces,
iſta dicit:Cum ſcirem,quia nemo eſſe poteſt conti-
nens, niſi Deus det, & hoc ipſum erat ſapientiæ,
Sapient.8. ſcire cuius eſſet hoc donum, *adij Dominum, & de-*
precatus ſum, ipſa eſt illa Sapientia, quæ pietas voca-
tur,qua colitur Pater luminum,à quo eſt omne da-
tum optimum,& omne donum perfectum: colitur
autem ſacrificio laudis actioniſque gratiarum, vt
cultor eius non in ſe ipſo,ſed in illo glorietur, ac

per hoc,lege operum dicit Deus: Fac quod iubeo,
lege fidei dicitur Deo, da quod iubes.ideo enim iu-
bet lex,vt admoneat quod faciat fides: id eſt,vt cui
iubetur,ſi nondum poteſt,ſciat quid petat:ſi autem
continuò poteſt,& obedienter facit,debet etiã ſci-
re quo donante poſſit. Et c.17. eiuſdem lib. Lex, in-
quit,Dei, eſt caritas, huic prudentia carnis non eſt
ſubiecta:nec enim poteſt, ſed ad hanc prudentiam
carnis terendam,cùm in tabulis ſcribuntur opera
caritatis, lex eſt operum, & littera occidens præ-
uaricatorem; cùm autem ipſa caritas diffunditur
in corde credentium,lex eſt fidei, & ſpiritus viui-
ficans dilectorem.

His verbis indicat Aug. legem operum eſſe ve-
terem, quæ operum præcepta tradit, nõ obſeruan-
tibus minas intentat, nec gratiæ ſpiritum adiuuan-
tem confert:legem verò fidei eſſe nouam,quę cre-
dendo auxilium ad ſeruanda mandata petit,& im-
petrat: quæ caritas eſt diffuſa in cordibus, vitam
præſtans dilectori. Non tamen docet apertè,cur di-
catur illa lex operum, hæc fidei. Docet D. Thom. *D.Thom. 1.*
hunc in modũ. Dicendum,quòd lex noua dicitur *2.q.107. ar.*
lex fidei,in quantũ eius principalitas cõſiſtit in ipſa *1.ad 3.*
gratia,quæ interius datur credentibus, vnde dici-
tur gratia fidei; habet autem ſecundariò aliqua fa-
cta,& moralia,& ſacramentalia; ſed in ijs nõ con-
ſiſtit principalitas legis nouæ; ſicut principalitas
legis veteris in eis conſiſtebat. Hæc D. Thom. Pau-
cis reſpõdeo, D. Paullus legem Chriſti,legem ap-
pellat fidei, nõ quòd ſolam fidem lex Chriſti con-
tineat aut præcipiat,cum apertiſſimum ſit etiã ope-
ra cõplecti,ac iubere: ſed quia fides eſt legis Chri-
ſti initium,fundamentum, & radix iuſtificationis,
ac operum Chriſtianorum. Quam etiam ob cauſ-
ſam,vt eſt in Concil. Trident. dixit idem Apoſto- *Cõcil. Trid.*
lus,iuſtificari hominem per fidem. Verba Concilij *ſeſſ.6.c.8.*
hæc ſunt. Verba Apoſtoli in eo ſenſu intelligenda
ſunt,quem perpetuus Eccleſiæ Catholicæ conſen-
ſus tenuit, & expreſſit; vt ſcilicet, per fidem ideò
iuſtificari dicamur; quia fides eſt humanæ ſalutis
initium,fundamentum,& radix omnis iuſtificatio-
nis,ſine qua impoſſibile eſt placere Deo, &c. Ab
eo ergo,quod primum eſt in lege, id eſt,à fide, ap-
pellat Paullus legẽ fidei, cùm tamẽ nõ ſolã fidem *Lex noua*
lex contineat; quemadmodũ ſolemus potentiſſi- *fidei lex cur*
mũ Regem Philippum, Regẽ Hiſpaniæ appellare, *dicatur.*
cum tamen multa alia regna illius cõtineat prin-
cipatus. Sic in ſymbolo Apoſtolorũ dicimus, Deũ
creatorem cæli, & terræ; cæli & terræ nomine,
cetera omnia,quæ ambitu ſuo continent, intelli-
gentes. Appellat præterea legem fidei,quia lex no-
ua eſt lex fidei in Chriſtum explicatiſſimæ, quæ in
lege veteri exſpectabatur reuelanda; iuxta illud:
Priuſquam veniret fides,ſub lege cuſtodiebamur, concluſi *Gal.3.*
in eam fidem,quæ reuelanda erat. Præterea,legem fidei
in Chriſtum nominat, vt Chriſti merita extollat
aduerſus Iudæos,qui operum ſuorum meritis iuſti-
tiam tribuebant; vnde illud: *Iſraël ſectando legem iu-* *Rom.9.*
ſtitiæ ad iuſtitiam non peruenit; quare? quia non ex fide,
ſed quaſi ex operibus.

Eandem ob cauſſam legem Iudæorum legẽ ope- *Lex vetus*
rum vocat;quia illi maximam operum legis ratio- *cur dicitur*
nẽ,nullam fidei in Chriſtum habuerunt. *In legem* *lex operum.*
iuſtitiæ,ait Paullus,*non peruenit Iſrael. quare? quia non* *Rom.9.*
ex fide,ſed quaſi ex operibus: offenderunt enim in la-
pidem offenſionis,&c. Quaſi dicat operibus legis
iuſtitiam tribuerunt Iſraëlitæ, non fidei Chriſti:
nam in Chriſtum veluti in lapidem ſcandali im-
pegerunt; ideoque ad iuſtitiam veluti metam non
peruenerunt. Vocat præterea legem operum; quia,
vt D. Thom. ſuprà citatus docet,lex vetus in præ-
ceptis operum præcipuè cõſiſtebat. Denique Paul-

lus fidem in Christum legi opponit, ita tamen vt lex pro operibus legis sumatur, quæ neminem iustificare vi sua poterant; fides verò gratiam & spiritum Christi includat, à quo omnis gratia & iustificatio emanat: legem item fidei dicit, quia legis antiquæ multitudinem præceptorum abrogauit. Explicatum ergo est prius Paulli testimonium, quo probatur Testamentum vetus non fuisse fidei; explicandum est testimonium secundum, & difficilius: *Lex non est ex fide.*

Gal.3.

D.Thom. Quomodo lex vetus non sit ex fide.

Heb.11.

D.Thom. in cõmentarijs Epistolæ huius legem non esse ex fide exponit; eo quòd caduca ac terrena bona obseruatoribus polliceatur: ipsum Thomam audiamus: Lex, inquit, non est ex fide: *fides enim est sperandarum substantia rerum, argumentũ non apparentium*: & ideò propriè implet mandatum de fide, qui non sperat ex hoc aliqua præsentia & visibilia bona consequi, sed inuisibilia, & æterna. Lex ergo, quia promittebat terrena & præsentia, ideo non est ex fide, sed ex cupiditate potiùs, vel timore, secundùm illos præcipuè qui carnaliter legem obseruabant: aliqui tamen spiritaliter viuebant in lege, sed hoc non erat ex ea, sed ex fide Mediatoris. Hæc D. Tho. Eadem est interpretatio Glossæ ordinariæ, cuius hæc sunt verba: Lex non est ex fide: posset enim videri quòd opera legis ex fide fierent, vt pro eis sperarent æterna, quod non est, sed ex timore pœnæ illa seruabant. In Glossa quoque interlineari sic leges: Lex non est ex fide, vt pro futuris impleatur, sed pro temporalibus, & pro timore.

Gloss.ordin.

Glos.interl.

Lyranus.

Lyranus aliter interpretatur: Dicitur, inquit, lex non esse ex fide, quia in lege veteri non fuerunt data præcepta de credendis: hoc enim pertinet ad legem nouam, in qua facta est explicatio credendorum, propter quod Rom.3. Lex vetus dicitur lex factorum, noua fidei. Sic Lyranus. Est hæc interpretatio D. Anselmi: Lex, inquit, non est ex fide, id est, nihil mandat credendum, sed per timorem cogit ad faciendũ. Est item Glossæ interlinearis. D. quoque Thom. ait, legis præcepta non esse de credendis, sed de faciendis; quod Paullus videtur significare, cùm adiungit: *Sed qui fecerit ea, viuet in illis*: quasi dicat: Lex scripta non est ex fide, quia nõ tradit scripto præcepta de fide, sed de operibus, de quibus in lege scriptum est: Qui fecerit ea, viuet in illis. Loquitur ergo Paullus de lege quoad opera tantùm, in quibus maximè sita erat, quod D. Augustin. obseruat: Legem, inquit, pro ipsis operibus legis nunc posuit Apostolus, quod de posterioribus manifestatur: Qui fecerit ea, viuet in eis; nõ ait, qui fecerit eam legem, viuet in ea, vt intelligas legem in hoc loco pro ipsis operibus sumptam. Hæc D. Augustin. Nec igitur ex hoc Paulli testimonio infertur Testamenti veteris obseruatores sine fide vixisse, nec ex priori colligitur Testamenti noui cultores sine operibus legem obseruare posse.

Anselmus. in cõment. Epist. ad Gal.

Thom. ad Gal.3.

D. August. in cõment. Epist. ad Gal.

Verba autem illa Paulli: *Priusquam veniret fides*, &c. de fide Christi aperta & explicata intelligenda sunt, quæ in Testamento veteri occulta adhuc erat, & velata in nouo reuelanda; quocirca Paullus addit: *Sub lege custodiebamur conclusi in eam fidem, quæ reuelanda erat.* Fidem autem implicitam in Testamento veteri fuisse indicant illa verba: *Iustitia Dei in Euangelio reuelatur ex fide in fidem*, id est, ex fide implicita veteris, in fidem explicitam noui Testamenti. Sed infrà copiosius hoc testimonium explanabimus. D. Ambrosius: Postquam autem fides aduenit, non dicit Paullus Euangelium, sed fidem: ea est enim sola fides, quæ est in Euangelio. Nam licet iustitia Dei in eo reuelatur, quæ est ex fide in fidem; tamen sic illa legis est fides, si ei accedat

Rom.1.

D.Ambros. l.8. Epist. 28. ad Heron.

A fidei plenitudo. meritò ergo fides ista quasi sola dicitur: quia illa, sine hac, fides nõ est, sed in hac confirmatur. Deniq; vbi hæc fides venit, plenitudo aduenit, aduenit filiorum adoptio, cessauit infirmitas, abijt infantia, in virum perfectũ assurgimus, Christum induimus. Hæc Ambr.

Obijcies: Lex vetus, vt ait D. Anselmus, & ceteri, non tradit præcepta de fide; ergo veteris legis cultores fide carebant, siquidem præcepta de fide non habebant. Respondetur, habuisse præceptum de fide, non quidem in lege scriptum, sed traditione acceptum, quod ad legem etiam naturæ spectabat, ideóque veteri legi non tribuitur: quemadmodum enim lex naturæ fidem exigebat de Deo Remuneratore, vt ait Paullus, apertam, & de Christo Redemptore saltẽ implicitam; sic & lex vetus, sub lege tamen veteri fides de Christo venturo explicatior fuit. De Testamento hæc sint satis; de Euangelio iam dicamus.

Anselmus.

Hebr.11.

CAPVT XVII.

DE EVANGELIO.

EVANGELIVM Græca vox est, quæ bonum nuntium significat: εὖ enim Græcis significat bene: ἀγγέλλω verò est nuntio, ἄγγελος, nuntius, inde εὐαγγέλιον bonum dicitur nuntium. Tribuitur nomen per Antonomasiam illi nuntio, quod vnicum Ecclesia exspectabat de aduentu Messiæ, & meritissimo quidem tribuitur: fuit enim bonum, felix, faustúmque toti terrarum orbi nuntium, tetiúsque felicitatis, & bonitatis fons. Rem totam aureo, vt solet, calamo explicauit D. Chrysost. Non abs re, inquit, Matthæus inscriptionem suam Euangelium vocauit, siquidem veniam peccatorum, sanctificationem, atque iustitiam, redemptionem, adoptionem filiorum, & cælorum hereditatem omnibus nuntiauit. Nunquid potest esse aliquid æquale ijs tam bonis nuntijs? propterea ergo Euangelium ista vocatur historia, id est, nuntium bonum, quasi si omnia alia verba inania doceantur, quibus solent præsentia ista promitti, vt copia diuitiarũ, honores, principatus. Hæc Chrysost.

Euangelium significat bonũ nuntium.

D.Chrysost. hom.1.in Matth.

Hebraicè Euangeliũ dicitur בשורה besorah. cum vellet Achimas Dauidi nuntiare Absalonem & victum esse, & occisum; Dux Ioab prohibuit: *Non eris*, inquit, *vir besorah*, id est, boni nuntij in die hac, &c. Et 2.Reg.4. idem nomen significat mercedem, quæ pro nuntio bono dari solet, quemadmodum Latinis Euangelia. Baanæ, & Rechab, qui caput Isbosethi, quem occiderant, ad Dauidem attulerant, boni nuntij præmium sperantes; Dauid huiusmodi responsum reddidit: *Eum, qui annuntiauerat mihi, & dixerat, mortuus est Saul, qui putabat se prospera nuntiare, tenui, & occidi eum in Siceleg*; cui oportebat mercedẽ dare pro nuntio, quanto magis nunc &c. Hoc loco D. Hiero. nomen besorah, quod est in Hebræo fonte, vertit, mercedẽ pro nuntio, & verbum בשר basar, vertit prospera nũtiare; Hebraicè est participium, מבשר mebaser, id est, prospera nuntians; quod D. Hiero. vertit Euangelistam, Hierusalem mebaser, id est, Euangelistam dabo. Et Psal. *Dominus dabit verbum mebaseroth*, id est, euangelizantibus, siue euangelizatricibus (est enim generis feminini) virtute multa. Constat igitur besorah, Euangelium, id est, bonum nuntium significare, tum loco suprà citato, tum illo: *Non eris boni nuntij baiulus*, Hebraicè besorah, & illo: *Si se-*

Euãgelium Hebraicè dicitur besorah.

2.Reg.18.

2.Reg.4.

Esa.40.

Psal.67.

2.Reg.18.

Si ſolus eſt, bonus eſt nuntius, beſorah in ore eius. Illo autem loco, & iſte bonus eſt nuntius, Hebraice eſt participium mebaſer, id eſt, bona nuntians, euangelizans. Conſtat præterea Euangeliſtam Hebraice dici mebaſer locis citatis, *Eſai.52.* & Eſai. *Quam ſpecioſi pedes mebaſer*, id eſt, euangelizantis, vel, vt Paullus vertit, *euangelizantium pacem*, mebaſer, id eſt, euangelizantis bonum, à verbo baſar, id eſt, Euangelizo. *Rom.10.*

Baſar Hebraicè carnẽ ſignificat Forſitan à baſar, id eſt, carne, ducitur verbum, quaſi mollia carni placentia, & ſuauia nuntio: nomen autem בשר baſar, carnem ſignificat, & בשור beſur, incarnationem. Legitur hoc nomen Oſeæ 9. Vulgata lectio hæc eſt: *Oſea 9.* *Væ eis, cùm receſſero ab eis*; Septuaginta interpretes vertunt: Væ eis, caro mea ex eis: quam lectionem D. Hieron. in commentarijs agnoſcit, *Hieron.* ea probat Dei incarnationem; quaſi dicat Deus. Væ Iudæis, ex illis carnem aſſumam, poſtea funditus eos perdam. Recte congruit nomen beſorah, quod carnem etiam ſonat Euangelio: quippe quod nuntium ſit diuinæ incarnationis; ex qua bona omnia veluti è perenni fonte in nos emanant.

Tantum autem nuntiũ, vt Paullus teſtatur, multo antequam palam orbi annuntiaretur, Deus promiſerat; ab hac promiſſione eximiam illam Epiſtolam exorditur, quam ad Romanos ſcribit: *Paullus*, inquit, *ſeruus Ieſu Chriſti, vocatus Apoſtolus, ſegregatus in Euangelium Dei, quod ante promiſerat per Prophetas ſuos, in Scripturis ſanctis de Filio ſuo*: dignitatem Euangelij indicans; quod non hominum ſit recens inuentum, ſed Dei antiqua promiſſio vera & magnifica, vt Ambroſius appellat. Demonſtrauit, ait Ambroſ. etiam perſonas, per quas promiſſionem ſignauerit Deus; vt quam vera & magnifica ſit promiſſio ex his videretur: nemo enim rem vilem magnis præcurſoribus nuntiat. Ex ijs præcurſoribus, vt ceteros omittam, vnus eſt Eſaias, qui Dei nuntios ac Euangeliſtas terrarum orbem percurrentes ſpiritalium oculorum acie intuens, exclamat: *Quam pulcri ſuper montes pedes annuntiantis, & prædicantis pacem, annuntiantis bonum, prædicantis ſalutem, dicentis Sion; Regnauit Deus tuus.* D. Paullus numero plurali vertit, *quam ſpecioſi pedes euangelizantium pacem, euangelizantium bona*. Pulcros & ſpecioſos nuntiorum pedes vocat; quia iucundum diúque optatum nuntium attulerunt, pacem, bonum, ſalutem; denique omnibus diuitijs cumulatum regnum Chriſti Sioni & vniuerſo terrarum orbi annuntiarunt. Regnauit Deus tuus, ſatanæ tyrannis exciſa eſt; Deus regnat in terris: cuius regnum æternam ſalutem, opulentiſſimos theſauros, incredibilem mundo felicitatem affert.

Rom.1. Euãgelium promiſſum eſt à Deo per Prophetas. *D. Ambroſ. in cõment.* *Eſaia 52.* *Pulcri pedes euangelizantium. Rom.10.*

Euangelij nuntij oculati. Epiſt.2. Ne verò quis de nuntio ambigat, oculatos eſſe nuntios Vates prædicat: *Vox*, inquit, *ſpeculatorum tuorum: leuauerunt vocem, ſimul laudabunt; quia oculo ad oculum videbunt, cùm conuerterit Dominus Sion.* Speculatores ijdem ſunt qui nuntij, & hi quidem oculati. Oculo, inquit, ad oculum videbunt. Similis loquendi modus ille eſt Ioan. *2.Petri 1.* *Os ad os loqui.* Audi Apoſtolorum principem: *Non enim doctas fabulas ſecuti notam fecimus vobis Domini noſtri Ieſu Chriſti virtutem & præſentiam, ſed ſpeculatores facti illius magnitudinis: accipiens enim à Deo Patre honorem & gloriam, voce delapſa ad eum huiuſcemodi à magnifica gloria: Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi complacui, ipſum audite: & hanc vocem nos audiuimus de cælo allatam, cùm eſſemus cum ipſo in monte ſancto*, &c. Et: *Non poſſumus ea quæ audiuimus, & vidimus, non loqui.* Audi dilectum Domino diſcipulum: *Quod fuit ab initio, quod audiuimus, quod vidimus oculis noſtris, quod perſpeximus, & manus noſtræ contrectauerunt de verbo vitæ*, &c. *Et vidimus, & teſtamur, & annuntiamus vobis.* *Act.2.* *1.Ioan.1.*

Verum, ſi quis verba illa Petri legat, mirabitur, quod ſubiiciat: *Et habemus firmiorem propheticum ſermonem, cui benefacitis attendentes, quaſi lucernæ lucenti in caliginoſo loco.* Numquid propheticus ſermo Prophetarũ, qui Chriſtũ cum mortalibus verſantem non viderunt, firmior eſt ſermone Apoſtolorum, qui illius iucundiſſimo conſpectu longo tẽpore potiti ſunt? quouſque ea de cauſſa beatos vocat? *Beati*, inquit, *oculi qui vident quæ vos videtis.* Si fidei fundamentum ac ratio ſpectetur, tam firmum eſſe dicimus ſermonem Prophetarum, quàm ſermonem Apoſtolorum; tam vera eorum teſtimonia, qui Chriſtum in terris degentem conſpexerunt, quam illorum, qui beatiſſimo illius conſpectu caruerunt, (de ſcriptorib. loquimur diuinorum librorum) nam fidei fundamentum & ratio, cui illa innititur, diuina eſt auctoritas, diuinúſque afflatus: auctoritas autem afflatuſque diuinus in Prophetis reperitur, in Apoſtolis, ac Euangeliſtis: vt enim eodem illo ait Petrus, *Spiritu S. inſpirati locuti ſunt ſancti Dei homines.* Omnes ergo veriſſima firmiſſimaque de Chriſto ferunt teſtimonia, nec alia ſunt alijs veriora ac firmiora, ſi cu diuina reuelatione conferantur. Dici tamen poſſunt firmiora Prophetarum vaticinia quoad homines; quia per illa ad fidem Chriſti inducuntur: probamus enim fidem noſtram non eſſe doctas fabulas, vt D. Petrus loquitur, id eſt, non eſſe commentitiam ac fictam; eo quod à Prophetis Deo plenis ſit multis ſæculis ante prædicta. Eſt itaque ſermo propheticus firmior apoſtolico, non quidem cum reuelatione, ſed cum hominibus, qui ad fidem vocantur, comparatus: veram enim fidem illam eſſe colligunt, quæ tot Prophetarum antiquiſſimis ac receptis teſtimonijs confirmatur. Hunc ſenſum indicat Beda, hiſce verbis: Quaſi dicat D. Petrus, ſi quiſpiam noſtro teſtimonio diſcredendum putauerit, quòd in ſecreto gloriam Redemptoris cõſpeximus, quòd vocem Patris audiuimus; certe ſermoni prophetico nemo cõtradicere audebit, quem diuinis Scripturis iam olim inſertũ omnes verum eſſe teſtantur. Hæc Beda. *Anſit firmior propheticus ſermo Euangelico, & apoſtolico?* *Luc.10.* *2.Pet.1.* *Beda in comment. Epiſt. Petri.*

Oecumenius aliter interpretatur, in hunc modum: Ex voce Patris, quæ de Filio teſtificata eſt, confirmati ſumus; & certò credimus omne Prophetarum vaticinium ſtabile ac verum eſſe: ex his enim certiorem eſſe eorum prophetiã iudicamus; quippe cùm res verba ipſorum fuerint conſecutæ, &c. Quaſi dicat D. Petrus: Audiuimus vocem è cælo allatam, qua Chriſtus Filius Dei prædicabatur; & propterea habemus, & iudicamus propheticum ſermonem, quo Chriſtus Filius Dei dicitur, firmiorem, id eſt, firmum, & veriſſimum. Sunt aliæ quoque huius loci duæ interpretationes. Prior eſt huiuſmodi. Habemus propheticum ſermonem factum firmiorem, atteſtante Patre, dictis Prophetarum. Poſterior ſic habet. Audiuimus vocem Patris, quæ propheticus eſt ſermo; nam prædixit omnia Chriſti verba & facta Patri eſſe placitura: hunc autem propheticum Patris ſermonem habemus firmiorem, videlicet, quàm ſit ſermo propheticus Prophetarum. Prima expoſitio mihi probatur; ceteras non eſt opus hoc loco refellere. *Oecumenius.*

Ad Iſaiam reuertamur, qui Euangelicos nuntios poſtquam deſcripſit, tam læto nuntio nos iubet exultare: *Eſa. 52.*

exultare: subiicit enim verba hæc: *Gaudete, & laudate simul deserta Ierusalem; quia consolatus est Dominus populum suum, redemit Ierusalem, parauit Dominus brachium sanctum suum in oculis omnium gentium, & videbunt omnes fines terræ salutare Dei nostri.* Gaudio, inquit, triumphate, consolatus est Dominus populum suum Messia missio; qui consolatio Israëlis est: *Expectabat Simeon consolationem Israël*; redemit sanguine suo suam Ierusalem: parauit brachium sanctum suum. Ex Hebræo verti potest, discooperuit brachium sanctum suum, expediuit ad operandum opus maximum redemptionis, & discooperuit brachium suum, cùm Filium suum, qui brachium Patris solet appellari, hominibus indicauit. Viderunt omnes fines terræ salutare Dei: viderunt optatissimum Messiam, qui salutem diuinam toti terrarum orbi attulit. Quid hoc nuntio iucundius esse potest? quæ Euangelia pro hoc Euangelio, id est, quam mercedem pro hoc nũtio soluemus? Neque hoc Isaias tacuit: adiungit enim prædictis: *Recedite, recedite*, quasi nos mercedem nuntij soluere adhortetur. Ea verò est, vt à mundo peccatoque recedamus. Recedite, inquit, recedite; geminat, quod magni est momenti, exite inde è mundo, veluti Babylone: pollutum nolite tangere, exite de medio eius, mundamini qui fertis vasa Domini, id est, leuitę, quorum hæc erat cura. Horum nomine eos voluit intelligi, quibus sacrorum cura commissa est, sanctimonia præcellentes populi duces.

Luca 2.

Quæ Euangelia pro Euangelio donanda. Isa. 52.

Hæc merces ad ipsum etiam pertinet Euangelium: neque enim tantũ est læta annuntiatio, quod Dominus populum suum sit consolatus, & in oculis omnium gẽtium brachium suum parauerit; sed sacramenta, consilia, præcepta, etiam continet, quæ cupiditatibus effrenatis nuntium remittere, & ab omni animi labe recedere iubet. Id testatur D. Aug. Hoc est, inquit, euangelizare Christum, non tantum dicere quę sunt credenda de Christo; sed etiam quæ obseruanda ei, qui accedit ad cõpagem corporis Christi, &c. Et de Vera Religione, cap. 17. ait, in lege veteri minora, in Euangelio maiora esse præcepta. & lib. 1. de serm. Domini in monte: Non mirum, inquit, est, quod dantur præcepta maiora propter Regnum cælorum, & minora data sunt propter terrenum, ab eodem vno Deo, qui fecit cælum & terram. Maiora autem Euangelii præcepta significata censet illius montis altitudine, in quo Christus sermonem habuit. Si quæritur, inquit, quid significet mons, bene intelligitur significare maiora præcepta iustitię, quia minora erant, quę Iudæis data sunt. De hac iustitia; quæ maior est, per Prophetam dicitur: *Iustitia tua sicut montes Dei.* Hæc Aug. Idem ostendit Christus, cùm ad promulgandum Euangelium Apostolos misit: *Euntes*, inquit, *docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti; docentes eos seruare omnia, quæcumque mandaui vobis.* Continet ergo Euangelium de Christi præclarissimis gestis annuntiationem, & docet seruare omnia quæ Christus mandauit.

Euangeliũ etiam præcepta complectitur, non solum bonam de Christo nũtiationem. D. August. in l. de Fide & operibus c. 9.

Psalm. 35.

Matth. 28.

De illius dignitate iam multa dicta sunt, cùm de prærogatiuis egimus noui Testamẽti. Quã admirabili veritate polleat, Paullus admirabiliter docet: *Licet nos*, inquit, *aut Angelus de cælo, euangelizet vobis præterquam quod euangelizauimus vobis, anathema sit: sicut prædiximus, & nunc iterum dico, si quis vobis euangelizauerit præter id, quod accepistis, anathema sit.* Potuisse tne Paullus grauius & admirabilius Euangelij extollere veritatem? potest Angelus è tartaro falsum asserere; at Angelus de cælo minimè potest.

Ad Gal. 1.

Quanta sit Euangelij veritas.

Paullus autem hyperbolico sermone vtitur, vt Euangelij indicet constantissimam certitudinem: facilius enim est falsum in ore Angeli, quàm in Euangelio aut Scripturis sacris reperiri. Id nimirum esset falsitatem in ore Dei inueniri, cuius summæ primæque veritati Scripturarum veritas innititur. Etiam ipsis Angelis è cælo descẽdẽtibus, ait Chrysostomus, pręponit Paullus Scripturas, idque valde congruenter; siquidem Angeli, quamlibet magni, serui sunt & ministri: ceterum omnes Scripturæ non à seruis, sed ab vniuersorum omnium Deo ad nos venerunt, &c. Si quis igitur nobis euangelizauerit præter id quod accepimus; si quis nouum tulerit Euangelium antiquo repugnans, quod multi nostro tempore faciunt, anathema sit: nam ad veterem doctrinam Ecclesiæ, tãquam ad lydium lapidem, noua examinanda est. Vnde illud August. de Baptismo contra Donatistas libr. 5. cap. 26. quod autem nos admonet Cyprianus, vt ad fontem recurramus, id est, ad Apostolicam traditionem, & inde canalẽ in nostra tẽpora dirigamus, optimũ est, & sine dubitatione faciendũ. &c. Et Tertullianus de præscriptionibus, cap. 21. Cõstat, inquit, omnem doctrinã, quæ cum illis Ecclesijs Apostolicis matricibus & originalibus fidei conspiret, veritati deputandam, id sine dubio tenentem, quod Ecclesia ab Apostolis, Apostoli à Christo, Christus à Deo susceperit: relinquam verò doctrinam de mendacio præiudicandam, quæ sapiat contra veritatem Ecclesiarum, & Apostolorum, & Christi, & Dei. Hæc ille.

D. Chrysost.

Scriptura à Deo emanarunt.

Ad Geterũ doctrinam Ecclesiæ, tãquam ad lydium lapidem, noua exploranda. D. August. Tertull.

Obiiciet quispiam, non tantùm esse Euangelij veritatem, quantùm esse asseruit Paullus: siquidem Aug. contra epistolam fundamenti, capite 5. hæc scribit: Euangelio non crederem, nisi me Catholicæ Ecclesiæ commoueret auctoritas. Attamẽ nihil asserit Augustinus Paullo repugnans, Euangelium summæ veritatis, nempe diuinæ, esse sentit; ab Ecclesia verò credentibus tradi, & quodnam sit verum ac recipiendum Euangelium edoceri, qua in re falli illa nullo modo potest. Non crederet Augustinus Euangelio Matthęi vel Ioannis, nec nos crederemus, nisi Ecclesia, cuius est de Canonicis scripturis earumque interpretatione iudicare, doceret, Scripturam illam esse diuinæ veritatis. Quemadmodum enim margaritarius vnionibus pretium non tribuit, sed candor, læuor, magnitudo, pondus; pro sua tamen scientia ignorantibus quanti pretij sint ostendit; sic Ecclesia Euangelio ceterisque Canonicis libris veritatem minimè inserit, sed diuina auctoritas & reuelatio; pro sua tamen potestate, credentibus, quantę veritatis sint, nimirum summæ ac diuinæ, demonstrat. Poterit quidem margaritarius falli, dum pretium indicat margaritarum; eo quod peritia vtitur, quæ facilè in errorem potest induci: at Ecclesia à veritate aberrare nequit, dum veritatem indicat Scripturarum; quia *columna est & firmamentum veritatis*, vt Paul. testatur.

Augustin.

Ecclesia est de Canonicis scripturis, eorumque germano sensu iudicare.

1. Tim. 3.

Finem iam capiti huic imponamus, si tamen Paullum prius de Euangelij potentia præclarè, vt solet, & breuiter dicentem audianus: *Non erubesco*, inquit, *Euangelium: imò verò de Euangelio maximè gloror: virtus enim Dei est*, Græcè δύναμις, id est potentia, Deus occidere potest, vitam largiri potest, tormentis afficere potest, beneficijs cumulare potest: quænam Dei potẽtia est Euãgelium? ad damnãdumne hominẽ, an ad liberandum? *Virtus* inquit, *Dei est in salutem omni credenti: Iudæo primum & Græco*, potentia Dei est ad præstãdam salutẽ tam animi quàm corporis sempiternam. O præstantissimum aduersus omnia

Rom. 1.

Euangeliũ potentia Dei est, ad seruandos homines.

omnia peccatorum venena pharmacum. O potentissimum aduersus mortem antidotum. Quis non magni emptum gaudeat tam salutiferum medicamentum? quia verò Euangelium Iudæis promissum fuerat, quamobrem primas in eo partes obtinebant, dixit Paul. Euangelium in salutem esse omni credenti, Iudæo primũ & Græco, id est, Iudæis primum & ethnicis quoque. Id docet idem Apostolus cum Iudæos in Pamphilia, his verbis alloquitur: *Vobis oportebat primum loqui verbum Dei, sed quoniam repellitis illud, & indignos vos iudicatis æternæ vitæ, ecce conuertimur ad gentes: sic enim præcepit nobis Dominus.* Esai. *Posui te in lucem gentium, vt sis in salutem vsque ad extremum terræ. Audientes autem gentes gauisæ sunt, & glorificabant verbum Domini, & crediderunt quotquot erant præordinati in vitam æternam.*

Act. 13.

Esai. 49.

Pergit Apostolus Euangelij potentiam ostendere: *Iustitia*, inquit, *Dei in eo reuelatur ex fide in fidem, sicut scriptum est, iustus autem ex fide viuit.* Docet quæ sit illa salus quam Euangelium præstat: est enim iustitia, qua Deus homines induit, qua animum à labe peccati expurgat, vitæ spiritali reddit, ornat, locupletat, diuinæque efficit consortem naturæ. Ne verò Iudæi hanc iustitiam legis operibus, ethnici verò liberi arbitrij viribus tribuerent, ex fide Euangelij eam oriri asserit in fidem, id est, ex fide Christi, in maiorem in dies fidem ex fide, quæ progressus facit; quale est illud: *Ibunt de virtute in virtutem*, id est, de fortitudine in fortitudinem: vel potius reuelari, ait, in Euangelio iustitiam, quæ est ex fide in Christum per caritatem operosa, in fidem; id est, vt ij, quibus reuelatur, & qui audiũt, credant, & per suam fidem formatam caritate iustificentur: nam, vt testatur Abacuc: *Iustus ex fide huiusmodi viuet*, id est, iustitiam, quæ animi vita est, consequetur. Hunc locum explanat Apostolus, his verbis: *Nunc sine lege iustitia Dei manifestata est, testificata à lege, & Prophetis; iustitia autem Dei, per fidem Iesu Christi in omnes, & super omnes, qui credunt in eum*, &c. Manifestata est Dei iustitia sine operibus legis per fidem Christi in Euãgelio; idem est ac illud, iustitia Dei in eo reuelatur ex fide, ex fide, inquam, Euangelij in fidem eorum qui Euangelium audiunt. Tertiam adde expositionem, iustitia Dei in Euangelio reuelatur ex fide in fidẽ, id est, ex fide vnius sæculi, in fidem sequentis; quasi dicat, in fidem perpetuam, quę numquam ad iudicium vsque in mundo esse desinet. Adde, si libet, quartam, reuelatur iustitia Dei in Euangelio ex fide veteris Testamenti occulta, in fidem noui apertam.

Rom. 1. Quam salutem præstet Euangeliũ.

Psal. 83. Quid sit reuelari iustitiam in Euangelio ex fide, in fidem. Abac. 2.

Rom. 3.

CAPVT XVIII.

De numero Euangeliorum.

EVANGELIVM duo continet, in primis *iustitiam Dei*, vt Paul. appellat, siue gratiam, virtutes, & caritatem in cor hominis diffusam, quæ præcipua pars est, & veluti anima Euangelij. additur, veluti fulgens quoddam corpus, verbum siue ore prolatum, siue litteris mandatum, quod Christi doctrinam tradit. Pro verbo iustitiam & gratiam annunciante sumitur frequentius Euangelium, latiore quidem modo, pro doctrina Euangelica, quæ in toto Testamento nouo scripta est; presstiore, pro historia ipsa de rebus à Christo gestis, verbisq; ab eo factis vsque ad ascensionem. Hoc pacto sumitur Euangelium cum Euangelistarum significat historiam, quæ quidem vna est, vnumque Euangelium, vt ostendit D. Chrysost. dum enarrat locum illum Paulli ad Gal. 1. quo Marcionistæ abuteba n tur: Miror quod tam cito transferiminiab eoqui-

Rom. 1.

Euangeliũ continet iustitiam & animam, verbum & corpus additur.

Quot modis sumatur Euangelium. Quomodo Euangeliũ sit vnum. Chrysost.

A vos vocauit in gratiam Christi, in aliud Euangelium, quod non est aliud.

Chrysostomi hæc sunt verba. Pulcrè, neque enim est aliud; attamen quod accidit ægrotãtibus, dum salubribus cibis offenduntur, hoc idem vsu venithic Marcionistis: arripuerunt enim quæ dicta sunt hic, ac dicebant: ecce Paullus etiam ipse dixit non esse aliud Euangelium: neque enim hi recipiunt omnes Euangelistas, sed vnum dumtaxat; quod ipsum tamen suo arbitratu mutilauerunt, cõmiscuerúntque. Quid igitur sibi vult, cùm ait *Iuxta Euangelium meum, & prædicationem Iesu Christi?* Sunt quidem vehementer ridicula quæ isti afferunt; verumtamen operæpretium est ea refellere, propter B eos qui facile decipiuntur. Quid igitur dicemus? an quòd etiamsi decies mille sint Euangelistæ qui scribunt Euangelia, modo scribant eadem, multa illa vnicum esse Euangelium? neque quidquã obstare scribentium multitudinem quo minus vnum sit Euangelium: quemadmodum ex aduerso, si quis vnum scribẽs commemoret contraria, non esset vnum Euangelium quæ scribũtur: vt enim vnum sit Euangelium, aut non vnum, non æstimatur numero scribentium; sed hinc, eademne sint, an diuersa, quæ scribuntur. Vnde dilucidum est quatuor Euangelia vnum esse Euangelium: cum enim quatuor eadem loquuntur, non est aliud, atque aliud ob personarum differentiam; sed vnum ob eorũ qui loquuntur consonantiã. Hæc Chrysost. Theophylactus in eadem verba Paulli: Apprehendunt, C inquit, hoc dictum Paulli Marcionistæ; asseuerantes hinc vnicum dumtaxat recipiendum Euangelium, non quatuor. Ecquid hoc? nam nos quatuor vnum dicimus, secundùm quidem concentum, atque concordiam, &c. Adde D. Hieronymum in commen. in Ecclesiastem, ad illa verba: Faciendi plures libros nullus est finis. Quidquid, inquit, dixeris, si ad eum referatur, qui in principio erat apud Deum, & Deus erat Verbum, vnum volumen est; & innumerabiles libri, vna lex, vnum Euangelium nominantur. Quòd si diuersa, & discrepantia disputaueris, & curiositate nimia huc atque illuc animũ deduxeris, etiã in vno libro multi libri sunt, &c. Denique Augustinus. Quod, inquit, erat Paulli D Euangeliũ, hoc etiã ceterorũ Apostolorum, & omnium fideliũ dispensatorũ tanti sacramenti, &c.

Quatuor Euangelia, vnum sunt Euangeliũ.

Theophyl.

D. Hieron.

D. August. contra Faust. Manich. l. 2. c. 2.

Vnum igitur Euangelium est, sed à numero librorum & Euangelistarum quatuor Euangelia nuncupantur, quæ Catholica Ecclesia agnoscit, & in libris Canonicis numerat. D. Athanasius in Synopsi ad finem libri: Quatuor nobis Euangeliorũ libros Sacrosanctæ & Catholicæ Ecclesiæ Canones sanxerunt; iuxta prophetiam visionis, E quam Ezechiel de quatuor Cherubim vidit, &c. Plurimi, ait Ambrosius in comment. in Lucam, voluerunt scribere Euangelium; sed quatuor tantummodo, qui diuinam meruerunt gratiam, sunt recepti. Fuisse autem multos Euangeliorum scriptores, docet idem Ambrosius in comment. prooemij in Lucam. Sicut multi, inquit, in populo Hebræo diuino infusi Spiritu prophetarunt, alij autem erant pseudopropetæ; erat autem populi gratia discernere spiritus, vt cognosceret quos referre deberet in numerum Prophetarũ, quósue quasi bonus nummularius improbare: sic & nunc in nouo Testamento multi Euangelia scribere conati sunt, quę boni nummularij non probauerunt. Euangelium fertur, quod duodecim Apostoli scripsisse dicantur; ausus est etiam Basilides Euangelium scribere, quod dicitur secundùm Basilidem; fertur etiam aliud Euangelium, quod scribitur secundùm Thomam; noui aliud scriptum secun-

Quatuor Euangelia à numero librorum, & Euangelistarum appellantur. D. Athan. D. Ambros.

Multi Euãgelia scripserunt, at solummodo quatuor Euangelistarum libros Ecclesia recipit.

tium Mathiam. Sed Eccleſia cùm quatuor Euangelij libros habeat, per vniuerſum mundũ Euangelijs redundat; hæreſes cùm multa habeant, vnum non habent. Hæc Ambroſ. Similiter Origenes: Eccleſia, inquit, quatuor habet Euangelia, hæreſes habent plurima, e quibus quoddam ſcribitur ſecundùm Ægyptios, aliud iuxta duodecim Apoſtolos; auſus fuit & Baſilides ſcribere Euangelium, quod appellatur ſecundũ Thomam, & iuxta Mathiam: & alia plura legimus, ne quid ignorare videremur, propter eos, qui ſe putant aliquid ſcire, ſi iſta cognouerint; ſed in ijs omnib. nihil aliũd probamus, niſi quod Eccleſia, id eſt, quatuor tantum Euangelia recipienda. Et D. Hieron. Plures, inquit, fuiſſe, qui Euangelia ſcripſerunt; & Lucas Euangeliſta teſtatur, dicens: *Quoniam quidem multi conati ſunt ordinare narrationem rerum, quæ in nobis completa ſunt*, & perſeuerantia vſque in præſens tempus monimenta declarant; quæ à diuerſis auctorib. edita, diuerſarum hæreſeon fuere principia; vt eſt illud iuxta Ægyptios, & Thomam, & Mathiam, & Bartholomæum, duodecimque Apoſtolorum, & Baſilidis, atque Apellis, ac reliquorum, quos enumerare longiſſimum eſt. Cùm tantum in præſentiarum hoc neceſſe ſit dicere, exſtitiſſe quoſdam, qui ſine ſpiritu & gratia Dei conati ſunt magis ordinare narrationem, quàm hiſtorię texere veritatem. Hæc Hieronymus.

Orig. hom. 1. in Luc. *D. Hieron. in proœm. comment. in Matth. Luc. 1.*

Origenes verò illud *conati ſunt* putat latentem habere accuſationem eorũ, qui abſque gratia Spiritus ſancti ad ſcribenda Euangelia profiluerunt; deinde hæc addit: Matthæus, & Marcus, & Ioannes, & Lucas, non ſunt conati ſcribere, ſed Spiritu ſancto pleni ſcripſerunt Euangelia. Et D. Amb. Origenem ſecutus: Conati, inquit, ſunt, qui implere nequiuerunt. Qui enim conatus eſt ordinare, ſuo labore conatus eſt, nec impleuit. Sine conatu ſunt enim donationes, & gratia Dei; quæ vbi ſe infuderit, rigare conſueuit, vt non egeat, ſed redundet ſcriptoris ingenium. Non conatus eſt Matthæus, non conatus eſt Marcus, non Ioannes, non Lucas, ſed diuino Spiritu vbertatem dictorum rerumque omnium miniſtrante, ſine vllo molimine cœpta compleuerunt. Hæc Ambroſ. Euſeb. Euangeliorum, Petri meminit, Thomæ, Mathiæ, ceterorumque ſimiliter Apoſtolorum; & ab hæreticis ait prolata. D. Epiphanius Euangelium Philippi refert ab hæreticis confictum.

Origen. Luc. 1. *D. Ambroſ.* *Euſebius. l. 3. hiſt. c. 25.* *D. Epiphan. hæreſi 26.*

D. Hieronymus præterea mentionẽ facit Euangelij Nazaræorum, Hebræo ſermone conſcripti; in commentarijs Eſa. 11. ex hoc Euangelio illud citat teſtimonium: Deſcendet ſuper eum, id eſt, Chriſtum, omnis fons Spiritus ſancti. Alia ex eodem aſſumit in proœmio lib. 18. in Eſaiam, in commentarijs Matth. 12. & 23. & Ezechielis 16. in lib. de Viris Illuſtrib. c ũ de D. Ignatio verba facit, & cùm de D. Iacobo ſcribit, Origenem ait hoc Euangelio ſæpe vti; à ſe verò in Græcum Latinumque ſermonem eſſe tranſlatum. Clemens Alexandrinus 2. li. Stromatũ vtitur teſtimonijs Hebræi Euangelij, & Origenes tract. 8. in Matth. & 2. tomo in Ioannem; Hegeſippus item, teſte Euſebio 4. lib. Hiſt. Eccleſ. de Euangelio ſecundùm Hebræos & Syros diſſeruit.

Euangeliũ Nazaræorum, & Ebionitarũ. *D. Hieron. Clem. Alex.* *Origenes. Hegeſippus.*

Dubitatur cuiuſnam ſit hoc Euangelium Nazaræorum auctoritatis? Beda Luc. 1. Euangelium iuxta Hebræos, non inter Apocryphas, ſed inter Eccleſiaſticas hiſtorias cenſet numerandum: quod probat, quia D. Hieron. id Euangelium in Græcum Latinumque ſermonem tranſtulerit, atque ex illo ſæpe teſtimonia vſurparit. D. Epiphanius Nazaræos, ait, Euangelium habere Matthæi: Nazaræi, inquit, habent Euangelium Matthæi perfectiſſimum Hebraicè: apud ipſos enim hoc Euangelium clarè, quemadmodum ab initio ſcriptum eſt, Hebraicis litteris adhuc ſeruatur. Præterea D. Hieron. Matth. 12. In Euangelio, inquit, quo vtuntur Nazaræni, & Ebionitæ, quod nuper in Græcum de Hebræo ſermone tranſtulimus, & quod vocatur à pleriſque Matthæi authenticum; homo iſte, qui aridam habet manum cæmentarius ſcribitur, &c. Et libr. 3. aduerſus Pelagianos in principio libri: In Euangelio iuxta Hebræos, quod Chaldaico quidem, Syroque ſermone, ſed Hebraicis litteris ſcriptum eſt, quo vtuntur vſque hodie Nazaræni, ſecundùm Apoſtolos, ſiue, vt plerique autumant, iuxta Matthæum, quod & in Cæſarienſi habetur Bibliotheca. Narrat hiſtoria, &c. In libro item de Viris Illuſtribus. Ipſum, inquit, Matthæi Euangelium Hebraicum habetur vſque hodie in Cæſarienſi Bibliotheca, quam Pamphilus Martyr ſtudioſè confecit; mihi quoque à Nazaræis, qui in Bœrea vrbe Syriæ hoc volumine vtuntur, deſcribendi facultas fuit. Eſt ergo Euangelium Nazaræorum, id eſt, Euangelium ſecundùm Hebræos, ipſum Matthæi Euangelium, Hebræa lingua conſcriptum, atque ideo fidei habet auctoritatem.

D. Hieron. *Cuiuſnam ſit auctoritatis Euangelium Nazaræorum.*

Verum Matthæi purum, ac ſincerum Euangelium illud non eſſe manifeſtè probatur; quia ſequeretur Eccleſiam Euangelium Matthæi imperfectum habere, quod habet omnibus partibus abſolutiſſimum. Nam in noſtro Matthæi Euangelio non reperiuntur teſtimonia à D. Hieron. Origene & Clemente citata ex Euangelio ſecundùm Hebræos, vel Nazaræorum; ergo ſi illud Matthæi eſt, in noſtro Euangelio illa deſunt, atque adeo imperfectum eſt, ac mutilatum, quod nefas eſt credere. Præterea, vt teſtatur Euſeb. in hiſtoria de muliere, quæ à Iudæis apud Dominum accuſata eſt, habetur in Euangelio ſecundùm Hebræos; at non habetur in Euangelio noſtro Matthæi. Ad hæc: Euangelium ſecundùm Matth. ſemper ab Eccleſia eſt ſuſceptum; at illud ſecundùm Hebræos liberum fuiſſe ſuſcipere, vel reijcere docet Orig. Scriptum, inquit, eſt in Euangelio quodam, quod dicitur ſecundùm Hebræos; ſi tamen placet alicui ſuſcipere illud, non ad auctoritatem, ſed ad manifeſtationem propoſitæ quæſtionis, &c. Idem confirmatur ex Euſebio. Quidam, inquit, ijs ſociant Euangelium, quod dicitur ſecundùm Hebræos, quo præcipuè vtuntur illi Hebræi, qui Chriſtum ſuſcipere videntur; ſed in Eccleſia ei contradicitur. In Eccleſia Euangelio ſecundùm Hebræos contradicebatur; ergo non erat Euangelium ſecundùm Matthæum; cui nemo vnquam, qui hæreticus non eſſet, contradixit. Credendum ergo eſt, vel Euangeliũ fuiſſe non à Matthæo, ſed ab alio Hebræo, Matthæum ſecuto, conſcriptum; vel potius ipſum fuiſſe Matthæi Euangelium, adiectionibus poſtea multis, neſcio vnde petitis, deprauatum; vnde conſtat quid habeat auctoritatis.

Euſebius. l. 3. c. vlt. *Origen. tract. 8. in Matth.* *Euſebius 3. l. Eccleſ. hiſt. c. 25.*

CAPVT XIX.

De duobus Euangeliſtis, Matthæo & Marco.

QVATVOR tantummodò, vt diximus, Euangelia, quatuorque diuino numine, ac veritate plenos Euangeliſtas Catholica Eccleſia recipit; Matthæum, Marcum, Lucam, & Ioannem. Matthæus primum obtinet locum; quia, vt Hieronymus auctor eſt, in lib. de Scriptoribus Eccleſiaſticis, primus Euangelium ſcripſit. Quo tempore, quáue lingua ſcripſerit in controuerſiam vocatur. Quod

ſpectat

Hebræa lingua scripsit D. Matth. Euãgelium. Hieron.

Idem. Eusebius. Papias. Orig. Epiphan. Dorotheus. Nicephor. Chrysost. Athanas. Theophyl. August. Caiet.

Matth. 1.

Matth. 27.

D. Hieron. Quis transtulerit Euãgeliũ Matthæi in Græcam linguã ignotum.

Theophyl.

Papias.

D. Irenæus. l. 3. c. 1. Quo anno scripserit D. Matthæus.

Eusebius. Theophyl.

Nicephor. l. 2. hist. c. 45.

Chrysost. hom. 1. in Matth. Eusebius. l. 3. hist. c. 24

spectat ad linguam, cõstat Hebræa lingua scripsisse: id enim tradit D. Hieronymus in lib. de Script. Eccleſiaſticis, in cõmentarijs Esai. 6. & Oseæ ca. 11. & in Præfatione Euãgeliorum ad Damasum Pontificem: Nouum, inquit, Testamentum Græcum esse non dubium est, excepto Matthæo, qui primus Euangelium in Iudæa Hebraicis litteris edidit: In lib. de Viris Illustribus: Pantænum, ait, ex India, Matthæi Euangelium Hebraicis litteris scriptum, Alexandriam attulisse. Idem tradit Eusebius lib. 3. Hist. Ecclesiasticæ cap. 1. lib. 5. cap. 10. Papias antiquissimus apud Eusebiũ lib. 3. c. vltimo, Orig. apud Nicephorum lib. 5. cap. 6. Epiphanius hæres. 51. Dorotheus in Synopsi, Nicephorus lib. 2. cap. 45. Chrysostomus homil. 1. in Matthæum, Athanasius in Synopsi, Augustinus libr. 1. de consensu Euangel. ca. 2. Theophylactus & alij. Argumentum verò illud, quo Caietanus probat Matthæum non scripsisse Hebraicè, robore caret: Legitur, inquit, *Vocabitur nomen eius Emanuel, quod interpretatur, nobiscũ Deus,* & *Eli, Eli, lãma sabacthani; hoc est, Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquisti me*; Ergo non scripsit Hebraicè, quia nõ oportuisset Hebræis verba Hebræa interpretari. Respõdetur, illas interpretationes ab interprete Græco additas esse: sic in libr. Gen. cap. 31. nomen Galaad exponitur ab interprete, & ca. 35. nomen Benoni, & Benjamin; Exod. 12. nomen Phase: nec tamen dubium est libros illos Hebraicè conscriptos.

Quis in Græcam linguam hoc Euãgelium conuerterit ignotum est, vt testatur etiã D. Hieronymus in lib. de Viris Illustribus: Matthæus, inquit, primus in Iudæa propter eos, qui de circumcisione crediderant, Euangeliũ Christi Hebraicis litteris, verbisque cõposuit; quod, quis postea in Græcum transtulerit, non satis certum est. Theophylactus in exordio Matthæi hanc versionem D. Ioanni tribuit: Ioannes, inquit, hoc ex Hebraica lingua in Græcam, vt ferunt, interpretatus est. Papias apud Euseb. lib. 3. c. vlt. Matthæus, ait, scripsit Hebræo sermone: interpretatus est autem ea quæ scripsit vnusquisque sicut potuit. Forsitan Matthæus vtraque lingua Euangelium scripsit; primùm Hebræa Hebræis, deinde in Græcam conuertit, vt à ceteris quoque nationibus legeretur.

Quod attinet ad tempus, ait diuus Irenæus, Euangelium editum à Matthæo esse, cum Petrus, & Paullus Romæ euangelizarent, & fundarent Ecclesiam. Petrus autem anno secundo Claudij Imperatoris, id est, anno Domini 44. post ascensionem vndecimo; Paullus verò non ante tertium Neronis annum Romam venit. Eusebius in Chronico putat, scriptum anno tertio Caligulæ Imperatoris, qui Claudium præcessit; is fuit annus Domini, iuxta eumdum Eusebium, quadragesimus primus. Cum Eusebio consentit Theophylactus, cuius est sententia, scriptum à Matthæo eximium illud opus octauo anno post Christi ascensionem. Ea est verisimilior, quàm proposita sententia D. Irenæi; & Nicephori, cui placuit, Matthæum Euangelium litteris commendasse, anno post Christi ascensionem quintodecimo. Matthæus ergo Euangelium primus scripsit Hebraicè, accedentibus, vt ait Chrysostomus, his, qui ex Iudæis Christo crediderant, & rogantibus, vt quæ verbis docuisset, hæc eis in litteris seruanda dimitteret. Eusebius verò scribit, ex discipulis Domini duos tantùm, Matthæum, & Ioannem, ad scribendum appulisse animum, necessitate quadam prouocatos. De Matthæo, sic ait: Matthæus primò Hebræis prædicauerat: verũ cùm pararet trãsire ad gentes, patria lingua Scripturam composuit; & ea, quæ præ-

dicauerat comprehendens, dereliquit ijs ad memoriam, à quibus proficiscebatur, vt gentibus prædicaret, &c. Hoc autem Euangelium, vt ait idem Eusebius, libr. 5. cap. 10. Hebraicis litteris scriptum diuus Bartholomæus apud Indos reliquisse, & Pantænus ibi repertum Alexandriam attulisse ferebatur. Nicephorus libr. 16. cap. 37. sub Imperio Anastasij refert corpus D. Barnabæ Apostoli in Cypro repertum; super eius autem pectore hoc idem Matthæi Euangelium inuentum, ipsius Barnabæ manibus conscriptum. Si quæras, quo loco scripserit Matthæus. Respondet Hieronymus in libr. de Viris Illustribus scripsisse in Iudæa. Athanasius: Matthæi, inquit, Euangelium Hebraica dialecto conscriptum est à Matthæo, & editum Ierosolymis, & interpretante Iacobo, fratre Domini secundùm carnem, expositum: qui & primus à factis Apostolis Ierosolymorum Episcopus constitutus est.

Euangeliũ Matthæi Hebræum apud Indos reliquit D. Bartholom. Super pectore D. Barnabæ Euangeliũ Matthæi repertum. Matthæus vbi scripserit. D. Athanas. in Synopsi.

Matthæum sequitur Marcus: scripsit enim non multo post Matthæum. Diuus Irenæus libr. 3. cap. 1. post excessum Apostolorum Petri & Paulli scripsisse tradit. Verum hæc sententia reijcienda est: Marcus enim obijt anno Neronis octauo, vt scribit Diuus Hieronymus libr. 3. de Viris Illustribus, & diuus Isidorus in libr. de Patribus noui Testamenti, traditque Martyrologium Romanum, & alij; Apostoli verò Petrus & Paullus, decimoquarto eiusdem Neronis anno occisi sunt, vt ex Eusebio & alijs notum est. Non ergo potuit Marcus post Apostolorum obitum scribere Euangelium, cum prius obierit. Scripsisse Euangelium Romæ, Hieronymus libr. de Viris Illustribus, & alij docent; cùm discipulus esset, & interpres diui Petri. D. autem Petrus Romam venit, vt iam suprà dictum est, anno secundo Claudij; quocirca non potuit Marcus ante hunc annum Euangelium scribere. Anno 3. Claudij in Ægypto Christum annunciasse, testatur Eusebius, in Chronico. Eodem anno 3. Claudij Euangelium videtur scripsisse, antequam Roma in Ægyptum discederet; is fuit iuxta Eusebiũ annus Domini 45. Theophylactus & Euthymius ab hac opinione non longè discedunt, cùm aiunt, Marcum Euangelium scripsisse post decem annos assumpti Christi.

D. Irenæus. D. Marcus quo tempore scripserit Euangeliũ. D. Hieron. D. Isidorus. Vbinam scripserit Marcus. D. Hieron. Theophyl. Euthym.

Qua occasione scripserit, docet Eusebius ex Clemente, & Papia lib. 2. c. 45. Non suffecit auditio, inquit, ijs scilicet, qui Petrum prædicantem audiebant, sed Marcum discipulum eius, omnibus precibus exorant, vt ea, quæ ille verbo prædicabat, ad perpetuam eorum commonitionem habendam, Scripturæ traderet; quò domi foriſque in huiusmodi verbi meditationibus permanerẽt: nec priùs ab obsecrando desistunt, quam quæ orauerant, impetrarent. Et hæc fuit causſa scribẽdi, quod secundùm Marcum dicitur Euangelium. Petrus verò, vt per Spiritum sanctum religioso se spoliatum comperit furto, delectatus est, fidem eorũ per hæc deuotionemque considerans, factumque cõfirmauit, & in perpetuum legendam scripturam Ecclesijs tradidit. Clemens in sexto Dispositionũ libro, hæc ità gesta esse describit; cui simile dat testimonium Hierapolites Episcopus, nomine Papias. Hæc Eusebius. Athanasius in Synopsi, ad finem: Euangelium secundùm Marcum Romæ quidem ab Apostolo Petro prædicatum est, editum verò à Marco beato Apostolo, & ab ipso Alexandriæ postea, & in Ægypto, & in Pentapoli, & in Lybia prædicatum. D. Hieronymus: Marcus discipulus, & interpres Petri, iuxta quod Petrum referentem audierat, rogatus Romæ à fratribus breue scripsit

Euseb. Quæ occasione scripserit. D. Marci Euãgelium. D. Athanas. D. Hieron.

Euangelium,quod cum Petrus audiſſet, probauit, & Eccleſiæ legẽdum ſua auctoritate dedit.Iuſſum à Petro ſcribere, tradit D. Epiphanius, his verbis: Statim poſt Matthæum inſecutus eſt Marcus, iuſſus à ſancto Petro Romæ Euangelium edere, & vbi ſcripſiſſet,mittitur à ſancto Petro in Ægyptiorum regionem,&c.Euthymius in Marci proœmio: Marcus à Petro totum Euangelij ſermonem didicit,& poſtmodum Euangelium conſcripſit, ſecundùm Clementem,in ipſa Roma:&c.Lege Clementis commentarium in primam D.Petri Epiſtolam, qui exſtat tom. 6. Bibliothecæ ſanctorum Patrum. Marcus, inquit, Petri ſectator, prædicante Petro Euangelium palàm Romæ coram quibuſdam Cæſarianis equitibus,& multa Chriſti teſtimonia proferente, petitus ab eis vt poſſent quæ dicebantur memoriæ commẽdare,ſcripſit ex ijs quæ à Petro dicta ſunt Euangelium, quod ſecundùm Marcum vocatur,&c.

D.Epiphan. hæreſi 51. *Euthymius.* *Clem. Alex. Strom.*

Quia verò ex Petri ore Marcus Euangeliũ conſcripſit, non defuêre qui illud Euangelium Petro tribuerent;quemadmodum Lucæ Euangeliũ Paullo. Tertullianus:Licet,inquit,Euangeliũ,quod edidit Marcus Petri affirmetur,cuius interpres Marcus: nam & Lucæ digeſtũ Paullo adſcribere ſolẽt,* capit magiſtrorum videri, quæ diſcipuli promulgarint. Hæc Tert. Hier. epiſt. 150.ad Hedibiam q.11. Euangelium,inquit,Marci, Petro narrante, & ille ſcribente compoſitũ eſt,&c. Et Nicephorus:Petri, quod ſecundùm Marcum eſt, dicitur Euangelium.

Tertullian. li.4. contra Marcionẽ, cap 5. *Id eſt, Poſſunt, Pamel.* *D.Hieron.* *Nicephor. l.2 c.15.*

Dictum quo tempore, quo loco, qua occaſione Marcus ſcripſerit, qua lingua diſcebatur. Hieron. Græce ſcripſiſſe ſentit:Nouũ,inquit,Teſtamentum Græcum eſſe nõ dubium eſt,excepto Matthæo,qui primus in Iudæa Euangelium Chriſti Hebraicis litteris edidit. Eadem eſt ſententia Diui Auguſtini lib.1.de Conſenſu Euangel. cap. 2.Quatuor,inquit, Euangeliſtarum,ſolùm Matthæus hebræo perhibetur ſcripſiſſe eloquio;ceteri Græco. Syri, vt teſtatur Guido Fabritius in præfatione noui Teſtamenti Syriaci,aſſerunt ſcripſiſſe Latinè; Latinumque Euangeliũ Venetijs aſſeruari: aiunt præterea eumdem ipſum Marcum lingua patria,id eſt,Galilæa,ſiue Syra,tranſtuliſſe, non modo Euangelium ſuum, ſed etiam ceteros omnes noui Teſtamenti libros. Latine item Euangelium ſcripſiſſe ſentiunt noſtri temporis præclariſſimi ſcriptores doctiſſimus Genebrardus lib. 3. Chronographiæ cũ alijs, quos citat & Cardinalis ſapientiſſimus Cęſar Baronius in annalibus Eccleſiaſticis, anno Domini 45.Epiſcopus Petrus de Natalibus ſermone tã Latino quam Græco ſcripſiſſe putat: Marcus, inquit, breue Euangelium, prout ex ore Petri audiuerat, fideli ſtylo Latinoque ſermone cõſcripſit.Deinde ſubiungit, Petrus Marcum Aquileiam Protoepiſcopum deſtinauit, ibi Euãgelium ſuum,quod aliàs Romæ Latinis litteris conſcripſerat,iterum Græco eloquio exarauit, quod vſque hodie in Aquileienſi Eccleſia cum ſede eburnea, in qua ſedens illud ſcripſerat,demonſtratur.Hæc ille Epiſcopus. Crediderim vtraque illum ſcripſiſſe lingua: Nã Latinè ſcripſiſſe probatur,quia Romæ Romanis,id eſt, Latinis hominibus ſcripſit.Græcè verò,quia Euangelium voluit ad Græcos etiam propagari.Vtrumque autem facere facillimum fuit Euangeliſtæ, qui linguarum donum à Spiritu ſancto cumulatè acceperat.

D. Auguſt. Qua lingua ſcripſerit D. Marcus. *Guido. Syri.* *Genebr.* *Cæſar Bar.* *Petrus de Natalibus.*

Illud etiam in controuerſiam venit,num Marcus Euangeliſta ſit ille Ioannes Marcus, conſobrinus Barnabæ, cuius fit mentio Actor. 12. & 15. ad Coloſ.vltimo,&in Epiſt.ad Philemonẽ. Eumdem eſſe Marcum Euangeliſtam credit Alexander in vita Barnabæ. D.Hieronymus in cõmentarijs epiſtolæ ad Philemonem, & Nicephorus libro 2. cap. 15. Theophylactus in prologo Marci, & Euthymius,& Sixtus Senenſis li.1. & 2.Bibliothecæ Sanctæ. Sed aliũ fuiſſe probat tempus Martyrij Euangeliſtæ:nã is,vt diximus, obijt anno Neronis octauo, at Ioannes Marcus conſobrinus Barnabæ ſuperſtes erat, circiter annum eiuſdem Neronis 14. Paullus enim in epiſtola poſteriore ad Timotheum, quam ſcripſit circiter decimum quartum Neronis annum, martyrio iam imminente, Marcum iubet ad ſe adduci.*Marcum*,inquit,*aſſume, & adduc tecum: eſt enim mihi vtilis in miniſterium*, Marcum, inquam, conſobrinum Barnabæ. Quod autem epiſtolam illam ſcripſerit circiter 14. Neronis annum, vel in ipſo anno 14.probatur ex illis verbis eiuſdem epiſtolæ: *Ego iam delibor, & tempus reſolutionis meæ inſtat*,&c. Nam Apoſtolus Paullus martyrium ſubijt 14.Neronis anno, Chryſ.2. ad Timoth. 1. Videtur, inquit, Paullus ſcripſiſſe epiſtolam cum eſſet proximus fini: ego enim, inquit, iam delibor, &c. Idẽ ſentit Theophylactus, & Theodoretus; quamuis aliud velit Card.Baronius. D.item Hierony. in lib.de Viris Illuſtribus cum de Paullo agit:Sciendum,inquit, in prima ſatisfactione Paullum à Nerone dimiſſum,vt Euangeliũ Chriſti in Occidentis quoque partibus prædicaret,ſicut ipſe ſcribit in ſecunda epiſtola ad Timotheum, eo tempore quo & paſſus eſt,& de vinculis dictat epiſtolam, & infra:*Saluauit me in regnum ſuum cæleſte*, quòd ſcilicet præſens ſibi ſentiret imminere martyrium: nam eadem epiſtola præmiſerat: *Ego enim iam immolor, & tempus reſolutionis meæ inſtat*.Hęc Hierony. Denique Marcum Euangeliſtam diuerſum eſſe à Ioanne Marco Barnabæ conſobrino probatur ex Martyrologio Romano. Nam 27. die Septembris ſic habet:Bibli in Phœnicia ſancti Marci Epiſcopi, qui & Ioannes à beato Luca nominatur,&c. Euangeliſtæ verò natalem diem Aprilis vigeſimæ quintæ luci adſcribit.

Marcus Euangeliſta an fuerit conſobrinus Barnabæ. *Alexander.* *D.Hieron.* *Nicephor.* *Theophyl.* *Euthymius.* *Sixtus Sen.* *2.Tim.4.* *D.Chryſoſt.* *Theophyl.* *Theodoret.* *D.Hieron.* *2.Tim.4.*

Nicephorus neſcio vnde acceperit fuiſſe Marcum ſororis D.Petri filium, quod ſcribit lib.2. Hiſtor.cap.43.Abſcidiſſe verò ſibi pollicem, ne Epiſcopus crearetur doctiſſimo Cardinali Baronio fabula videtur; verùm id memorię prodidit D. Iſidorus in lib.de Vita & Morte Sanctorum. Marcus, inquit,ne ad ſacerdotium promoueretur abſcidiſſe ſibi pollicem fertur.Et auctor præfationis Euangelij ſecundum Marcum, quæ Diuo Hieronymo etiam in Biblijs Regiis tribuitur. Marcus, inquit, amputaſſe ſibi poſt fidem pollicem dicitur, vt ſacerdotio reprobus haberetur.Epiſcopus Equilinus, Petrus de Natalibus in vita Marci, hanc digiti abſciſſionem illius eximiæ humilitati tribuit. D. Antoninus Archiepiſcopus Florentinus addit, Spiritus ſancti familiari conſilio hoc factum; ſi tamen factum,quis credere velit.

Nicephor. *Baronius.* *D.Iſidorus. An ſibi abſciderit pollicem. D. Marcus.* *Antoninus.*

Præter hæc, è numero 70. Chriſti diſcipulorum Marcum fuiſſe ſcribit D. Epiphan. hæreſi 51. Marcus, inquit, vnus erat de ſeptuaginta duobus diſperſis,ob verbum quod dixerat Dominus:*Niſi quis manducauerit carnem, & biberit ſanguinem meum, non eſt me dignus*; tamen per Petrum reuocatus, dignus euadit impleri Spiritu ſancto, & Euangelium tradere. Hæc Epiphan. At Papias apud Euſebium libro 3. Hiſtor. cap. vltimo, ait, non fuiſſe Chriſti auditorem vel ſectatorem: item Beda ab alijs traditum accepit non fuiſſe Chriſti diſcipulum, ſed è numero ſacerdotum, qui poſt reſurrectionẽ Chriſto nomina dederunt. Tradunt, inquit, in prologo Marcum natione Iſraëlitica, & ſacerdotali ortum proſapia,ac poſt paſſionem & reſurrectionem Domini

D.Epiphan. Marcus an fuerit ex 70 diſcipulis. *Papias.* *Beda.*

mini,ad prædicationem Apoſtolorum Euangelica fide,ac Sacramentis imbutum,atque ex eorũ fuiſſe numero,de quibus ſcribit Lucas: *Quia multa turba Sacerdotum obediebat fidei*, &c. Similiter auctor prologi in Marcum, qui D. Hieronymo tribuitur: Marcus, inquit, ſacerdotium in Iſrael agens, ſecundùm carnem leuita,ad fidem Chriſti conuerſus Euangelium in Italia ſcripſit,&c.

Act.6.

Cur dicatur Marcus interpres D. Petr.
D. Hieron. Ioannes Presbyter.
Tertullian.

Cur à D.Hieronymo in lib.de Viris Illuſtribus, à Ioanne Presbytero apud Euſebium lib.3. cap.vltimo,à Tertulliano lib. 4. contra Marcionem, & aliis,Marcus interpres Petri dicatur, dubium eſt. D. Hieron.in Epiſt.150. ad Hedibiam quæſt. vndecima, putat Titum interpretem fuiſſe Paulli, & Marcum Petri,in concionibus: Aliquoties, inquit, diximus, Paullum virum fuiſſe doctiſſimum, & eruditum ad pedes Gamalielis; cumque haberet ſcientiam ſanctarum Scripturarum & ſermonis, diuerſarumque linguarum gratiam poſſideret; diuinorum ſenſuum maieſtatem digno non poterat Græci eloquii explicare ſermone; habebat ergo Titum interpretem, ſicut & beatus Petrus Marcum. Hæc Hieron. Eodem loco Titum vocat, prædicationis Paullinæ fiſtulam,atque organũ, per quod Chriſto canebat Paullus; quia,ſcilicet,eo interprete vtebatur. Quæ ſanctiſſimi Patris ſententia,ſi vera eſt, dicendum erit, Spiritum ſanctum linguarum omnium facultatem dediſſe Apoſtolis; non tamen verborum cõceſſiſſe vim, ad explicandam diuinorum ſenſuum maieſtatem.

1.Cor.2.

Chryſoſt.1. Corinth. hom.6.

Et quidem non tribuiſſe eloquentiam, id eſt, ſermonem ornatum, cultum, ac expolitum, non grauatè conceſſerim: lego enim: *Veni ad vos, non in ſublimitate ſermonis, aut ſapientiæ*, &c. *Item: Sermo meus, & prædicatio mea, non in perſuaſibilibus humanæ ſapientiæ verbis, ſed in oſtenſione Spiritus & virtutis.* Dic quæſo Paulle, rogat Chryſ. ſi voluiſſes venire in ſublimitate ſermonis, potuiſſésne? reſpondet Paullus: Ego quidem, ſi voluiſſem, non potuiſſem; Chriſtus autem, ſi voluiſſet, potuiſſet, ſed noluit,vt fieret trophęum præclarius,&c.Ideo ipſe Paul. *imperitum ſe vocat ſermone, ſed non ſcientia.*

2.Cor.11. Theophyl.

Quæ verba ſic explicat Theoph. vt ſermone & orationis cultu indoctum ſe fateatur Apoſtolus; ſcientia & cognitione haud quaquam. Non tribuit autem Spiritus ſanctus Apoſtolis facundiam orationiſque ſplendorem; quia, vt ait idem Theophyl. 1. Corint.2. Non conducebat ſermonis nitor Euangelicæ prædicationi; maiore namque gloria Chriſtus & honore euehitur, per D. Paulli ſimplicitatem vincens; quam ſi per ſapientiam orationiſque ſplendorem victoriam retuliſſet. Idem dixit Chryſ. illis verbis iam citatis. Vt fieret trophæum præclarius, & Paullus. *Non miſit me Chriſtus baptizare, ſed euangelizare, non in ſapientia verbi, vt non euacuetur Crux Chriſti.* Si enim,ait Theod.eloquentia & dicendi facultate vſi eſſemus, non oſtenſa eſſet potentia eius, qui crucifixus eſt: omnes enim exiſtimaſſent eos, qui crediderant, facundia & dicendi arte captos fuiſſe, &c.Et D. Anſel. Prædicatio Chriſtiana non indiget pompa & cultu ſermonis: ideo piſcatores homines imperiti electi ſunt, qui euangelizarent; vt doctrinæ veritas ipſa ſe commendaret, teſte virtute, ne hominum verſutia & calliditate humanæ ſapientiæ acceptabilis videretur, non veritate, &c. Euſeb. Apoſtoli, inquit, cùm eſſent in omnibus vitæ puritate & animi virtutibus clari, non magni pendebant ſermonis ornatum; quippe, in quibus anima erat diuinis ornata virtutibus, ſimul & ſignorum gratia,quæ eis à Domino conceſſa fuerat;qua confidentes, non in ſuaſorijs humanæ ſapientiæ verbis ſummam prædicationis Dominicæ collocabant; ſed in oſtenſione ſpiritus & in virtute, per quam mirabilibus conſummatis, & verborum ſuorum fide facta, vniuerſo orbi Regni cælorum ſcientiam tradiderunt: parui ducentes plures libros condere, quòd huiuſcemodi prædicationis aſſertio, non argumento humani ſermonis, ſed adſtipulatione diuinæ virtutis indigeat. Hæc Euſeb.

Act.14.

Ser mo Apoſtolorũ qualis.

1.Cor.2.

Theodoretus.

D. Anſelm.

Euſebius l. 3.hiſt.c.24.

At verò non dediſſe vim Spiritum ſanctũ Paullo, ceteriſque Apoſtolis, ad explicandam pro dignitate, quibuſcumque verbis, diuinorũ ſenſuum maieſtatem;ideoque interpretibus indiguiſſe non facilè crediderim. Nam Spiritus ſanctus, quæ opus erant ad præſtandum concionandi munus, Apoſtolis largitus eſt; opus autem erant verba,quibus diuinos ſenſus auditoribus, etſi non expolito ac eleganti, tamen rebus ipſis digno ſermone enuntiarent. Vnde fit, vt interpretibus non fuerint vſi, ad declarandum eleganti ſermone ſenſuum diuinorum maieſtatem: quam enim ſermonis elegantiam videbant Spiritum ſanctum largiri noluiſſe, quorſum ipſi ab interpretibus mendicaſsent? Id quod manifeſtum ſit ex actis Apoſtolicis, in quibus legimus Paullum ipſum per ſe concionatum, nec vllo interprete vſum; vnde illud. *Vocabant Barnabam Iouem; Paullum verò Mercurium; quoniam ipſe erat Dux verbi.*

Quorſum igitur interprete vtebatur Petrus Marco? Res ſane eſt dubia; ſed reſponderur, Petrum vti potuiſſe Marco, ad interpretanda illa, quæ ab ipſo Petro tradebantur difficilia intellectu; ad interpretandas obſcuriores conciones, dictaque obſcuriora, ad inſtituendos catecheſi eos qui Baptiſmo elui cupiebant, & alia ſimilia præſtanda, quæ ad interpretis munus quoquo modo pertinere poſſunt. Vel forſitan, dictus eſt Petri interpres Marcus, etſi non ſatis propriè; quia Euangelium, quod à Petro acceperat, litteris mandauit, & interpretatus eſt.

CAPVT XX.

De reliquis duobus Euangeliſtis, Luca & Ioanne.

D. Lucas Syrus,medicus,& pictor

TERTIVS Euangeliſta Lucas eſt, natione Syrus, ex nobili ciuitate Syriæ Antiochia, vt teſtatur D.Hieron.in proœmio Matthæi,& alii; medicus antea corporum, poſt conuerſionem etiam animorum: quippe,qui eximiam mundo medicinam,Euangelium Chriſti,Græcè confecerit.Pictor præterea egregius, vt tradit Nicephorus lib.2.ca. 43.Lucas,inquit, medicus & pictor egregius, pro corporum curatore,animarum medicus factus eſt. Fertur primus Chriſti,& quæ eum,ita vt Deum decebat,genuit, Matris,atque item principum Apoſtolorum effigiem,pingendi arte adumbraſſe; vnde in omnem deinde habitabilem orbem tam venerandum & pretioſum opus eſt illatum. Hęc ille. Et Metaphraſtes in vita Lucæ: Typum, inquit, aſſumptæ humanitatis Chriſti ac ſignum eius, quæ illum pepererat,primus Lucas cera ac lineamentis fingens, vt ad hæc vſque tempora in imagine honorarentur,tradidit,&c.

Nicephor. D. Lucas pinxit imagines Chriſti, Deiparæ, & Apoſtolorum.

Simeon Metaphraſtes.

Numeratur inter 70. Diſcipulos à D. Epiphanio lib.1.ad finem tom.1. Paullum, inquit, cõperimus ſanctum Lucam de numero 72. diſperſorum exiſtẽtem ad ſe conuertiſſe,& ſibi ſectatorem feciſſe, cooperatorem in Euangelio,ſimulque Apoſtolum.

D.Epiphan

Lucas vnus dicitur fuisse ex 70. discipulis.

Et hæres.51. Lucas vnus de septuaginta duobus, ob sermonem Domini dissipatus fuit: verum per Paullum rursus ad Dominum reflexit, &c. Nonnulli, vt refert Theophyl. alterum fuisse putarunt ex duobus discipulis, quibus petentibus opidum Emaus Christus ad vitam reuocatus apparuit. Quæ sententia est Simeonis Metaphrastæ; nec repudiatur à Theophylacto in argumento Euangelij: Domino, inquit, docente, vt quidam tradunt, vnus septuaginta discipulorum Lucas factus est, Christoq; cùm surrexisset à mortuis, cum Cleopha occurrit. Et Euthymius, siue Oecumenius in Lucam: Dicunt, inquit, quidam, & maximè Origenes, quòd Marcus & Lucas, ante Dominicam passionem, inter septuaginta discipulos connumerati sunt, &c.

Euthym. Origenes.

Quo in loco scripserit Lucas. D. Hieron. Syrs. Lucas Græcè scripsit. Luc. Paulli discipulus & comes. Tertullian. D. Hieron. D. Athanas.

Scripsisse Euangelium, ait Hieronym. in Prologo Matthæi, in Achaiæ Bœotiæque partibus. Syri Euangelio Lucæ hæc verba præmittunt: In nomine Domini Deique nostri Iesu Messiæ sigillamus Euangelium, sacrosanctum nuntium Lucæ Euangelistæ; quod locutus est, & annunciauit Ionicè in Alexandria Magna. Fuit ille Paulli discipulus & comes: ideoque, vt Tertullianus ait lib. 4. contra Marcionem c.5. Euangelium Lucæ Paullo solebat adscribi. Quidam, ait Hieron. in lib. de Viris Illustribus, suspicantur, quotiescũque in epistolis suis Paullus dicit: Iuxta Euangelium meum, de Lucæ significare volumine. Athanasius in Synopsi: Euangelium, inquit, secundùm Lucam prædicatũ quidem est ab Apostolo Paullo; conscriptum verò, & editum a Luca Beato Apostolo, ac medico, &c. Vnde illud Cardinalis Petri Damiani, in sermone de S. Luca, quantæ excellentiæ sit beatus Lucas, in hoc liquidò deprehenditur; quia cùm Marcus à Beato Petro edoctus, & Matthæus, atque Ioannes, qui Euãgelium descripserunt, Redemptoris nostri gesta in terra didicerint; iste solus (vt ita loquar) hoc Euangelium scribere meruit, quod de cælo descendit; dum scilicet, hoc Spiritus sanctus Paullo cælitus reuelauit; & postmodum per eumdem Paullum, quasi per organum suum, beato Lucæ Christus innotuit.

Card. Petrus Damianus.

2. Cor. 8. D Hieron. Origen. D Ignatius Quis frater, cuius laus est in Euangelio apud Paulum.

Illum item fratrem, de quo Paullus, *Misimus*, inquit, *cum illo fratrem, cuius laus est in Euangelio per omnes Ecclesias*, D. Hieron. & Origen. Lucam esse censent, & D. Ignatius in epist. ad Ephesios: Christus, ait, primùm fecit, & tunc docuit, vt testatur Lucas, cuius laus est in Euangelio. Oecumenius verò sic scribit in commentarijs 2. Corin. 8. Fratrem hunc, complures quidem Lucam, propter Euangelij descriptionem dicunt; plurimi autem Barnabam: etenim prædicationem quoque litteris non demandatam dici Euangelium asserunt, &c. Chrysost. Barnabam esse mauult, itemque Theodoretus, & Theophylact. Non ergo satis constat quis ille frater fuerit, Lucasne, an Barnabas, an Silas, an alius? D. Ignatij verba (nisi forte per accommodationem fuerit locutus) priori sententiæ põdus tribuunt. Ecclesia præterea in festo D. Lucæ die ex D. Hieron. lectiones sumpsit; in quib. Lucas frater is dicitur, cuius laus est in Euangelio; in sacro autem Epistolam Paulli recitat, in qua ea verba sunt.

Chrysost. Theodoret. Theophyl.

Quo tẽpore scripserit D. Lucas.

Euangelium scripsisse Lucam, aiunt Theophyl. & Euthymius, anno quinto decimo à Christi in cælos ascensione; repudiat Card. doctissimus Baronius hanc sententiam, & mendacij arguit, quòd Euangelium scripserit Lucas in Achaiæ, Bœotiæ partibus, vt ait Hieronym. in Achaiam verò cum Paullo, nec eo tempore, nec post multos annos venerit. Cũ tamen omnia loca, quæ Lucas peragrauit cum Paullo, vel sine Paullo, in Actis Apostolorum non sint notata: potuit Lucas eo tempore in Achaiam venisse; quamuis nulla huius rei in Actis Apostolorum mẽtio fiat. Ideoque non planè conuincitur falsitatis Theophyl. opinio, & Euthymij.

D. Ioannes cur Euangelium scripserit. D. Hieron.

Quartus & vltimus Euangelista Ioannes Græcè scripsit Euangelium, post ceteros, vt Hieron. ait in lib. de Viris Illustribus, duabus de causis; prima, quia rogatus est ab Asiæ Episcopis, aduersus Cerinthum scribere alioque hæreticos, & maximè Ebionitarum dogma tunc exurgẽs; qui asserebant Christum ante Mariam non fuisse: vnde & compulsus est diuinam eius natiuitatem edicere? Deinde, quia cùm legisset ceterorum Euangelistarum volumina, probauit quidem textum historiæ, & vera eos dicere firmauit; sed vnius tantum anni, in quo & passus est Christus, post carcerem Ioannis historiam texuisse vidit: quocirca prætermisso illo anno, superioris temporis, antequam Ioannes carcere clauderetur, gesta narrauit. Euse. lib. 3. Hist. c. 24. Ioannem, inquit, tradunt, vsque ad vltimum fere vitæ suæ tempus, absque vllius Scripturæ indiciis Euangelium prædicasse. Sed cum trium Euangeliorum ad ipsum notitia peruenisset, probasse quidem dicitur fidem, & veritatem dictorum: deesse tamen vidit aliqua, & ea maximè, quæ primo prædicationis suæ tempore Dominus gesserat. Quia hæc videbantur omissa, rogatus dicitur, vt ea, quæ præterierant priores, ante traditionẽ Ioannis, Saluatoris gesta conscriberet. Vnde, quia natiuitatem secũdum carnem, Matthæus, & Lucas descripserant, reticuit hoc Ioannes, & à Theologia atque ipsa Diuinitate sumit exordium. Quæ pars sine dubio ipsi velut eximio per Spiritum sanctum reseruata est. Hæc ex Euseb. D. Epiphan. hæres. 51. Cogit, inquit, Spiritus sanctus Ioannem recusantem Euangelium annunciare, ob metum, & humilitatem; in senecta ipsius, post nonaginta annos vitæ eius, post reuersionem ipsius à Patmo, Euangelium exponere, &c.

Euseb. D. Epiphan.

Quo tempore scripserit Ioannes, & qua lingua. Theophyl. Euthym.

Quo tempore scripserit, & quo in loco, in quæstione versatur. Post 32. annos ab Ascensione scripsisse putat Theophyl. Euthy. multis annis post captam Ierosolymam. Auctor præfationis, quæ commentar. D. Augustin. Ioannem adiuncta est: A tempore, inquit, Ascensionis Dominicæ, Ioannes per annos sexaginta quinque verbum Dei absque adminiculo scribendi, vsque ad vltima Domitiani prædicauit tẽpora; sed cum de exsulio redijsset Ephesum, compulsus ab Asiæ Episcopis, de diuinitate Christi scripsit, aduersus hæreticos, &c. Similiter Euseb. & Epiphan. extremo vitæ tempore Ioannem Euangelium scripsisse aiunt. Obijt autem, vt testatur Hier. in lib. de Scriptoribus Eccles. 68. post passionem Domini anno, vnde colliges Euangelium scripsisse circiter hoc tempus. Græce autem scripsisse communis fert sententia; Hebræo sermone donatum scripsit D. Epiph. & repertũ apud ciuitatem Tyberiadem, in Gazophylacio, à Iosepho quodam: Iosephus, inquit Epiphanius, clandestinè ausus Gazophylacium aperuit, & pecunias nullas reperit; verum libros pecunijs præstantiores. Legens autem inter hos Euangelium secundùm Ioannem, de Græca lingua in Hebræam trãslatum; inueniebat etiam actus Apostolorum, quin Euangelium secundum Matth. Hebraicam plantam, &c.

Euseb. D. Epiphan. D. Hieron. D. Epiphan. hæres. 30.

In Insula Patmo, in quam à Domitiano Cæsare relegatus est, scripsisse, opinio est Simeonis Metaphrastæ in vita Ioannis, & Dorothei in Synopsi; idẽ testatur Apocryphus Pachorus, qui Ioannis dicitur discipulus, & vitę eius scriptor, quæ exstat tom. 2. Bibliothecę sanctorum Patrum, & Theophylactus. Nicephorus præterea libr. 2. c. 42. Hi-

Quo in loco scripserit Ioannes Euangelium. *Simeō Metaphrastes.* *Dorotheus.* *Pachorius.* *Theophyl.* *Nicephor.* *D. Epiphan. hæres. 51.*

c.42. Hiſtoriarum, inquit, monumenta produnt diuiniſſimum hunc Euangeliſtam, ſub Domitiano, in Inſulam Patmon relegatum, decimo quarto Imperij illius anno, Spiritu ſancto plenum, Euangelium ibi ſuum ſublimem in modum intonuiſſe, ſacramque Apocalypſim protuliſſe, &c. Communis ſententia nunc habet, in Aſia poſt reditum ab exilio Patmi ſcripſiſſe. D. Epiphanius. Cogit Spiritus ſanctus Ioannem poſt nonaginta annos vitæ ipſius, poſt reuerſionem ipſius à Patmo, poſtquam multos annos in Aſia tranſegiſſet, Euangelium exponere. Diuus Hieronymus: cum Ioannes eſſet in Aſia, & iam tunc hæreticorum ſemina pullularent. Cerinthi, Ebionis, & ceterorum, qui negant Chriſtum in carne veniſſe, coactus eſt ab omnibus pene tunc Aſiæ Epiſcopis, & multarum Eccleſiarum legationibus, de diuinitate Saluatoris altius ſcribere, & ad ipſum (vt ita dicam) Dei Verbum non tam audaci, quàm felici temeritate prorumpere, &c. D. Irenæus lib. 3. c. 1. Ioannes edidit Euangelium Epheſi, in Aſia commorans: In eādem ſententiam eunt D. Iſidor. & Beda & alij. D. Athanaſius in Synopſi editū ait, Epheſi prędicatū in inſula: Euangeliū, inquit, ſecundū Ioannē, & prædicatum eſt à Ioanne Apoſtolo, cū exſul eſſet, in Patmo inſula; & poſtea ab eodem Epheſi editum, per Caium dilectum Apoſtolorum hoſpitem, &c. De Ioanne dicemus plura, cum ad principium Euangelij accedemus.

D. Hieron. in prolog. Matth. *D. Irenæus.* *D. Iſidorus.* *Beda.* *D. Athanaſ.*

CAPVT XXI.

De quatuor Euangeliſtis.

Apoc. 4. *Ezech. 1.* *D. Hieron.* *D. Gregor. Magnus.* *Victorinus.* *Quatuor animalibus adumbrati Euangeliſtæ.*

ADVMBRANTVR hi quatuor Euangeliſtæ, quatuor illis animalibus, quæ Ioannes & Ezech. vidit. Matthæum homo indicat, vt vult Hierony. Ezech. 1. & initio commentariorum in Matthæum, Greg. homil. 4. in Ezechielem, & Victorinus Martyr, quod ab humana Chriſti generatione cœperit. Marcum leo oſtendit, quia à leonis illa voce in eremo rugientis Euangelium eſt exorſus, Vox clamantis in deſerto, &c. Lucam vitulus ſignificat, qui à ſacerdote inchoauit: eſt enim vitulus animal ſacerdotale, id eſt, immolatitium. Ioannem aquila demonſtrat, qui à diuinitate altiſſimè volans duxit initium. Ab Hieronymo diſſentit D. Auguſt. in Matthæo, & Marco. nam lib. 1. de Conſenſu Euangeliſtarum cap. 6. in leone Matthæum, Marcum in homine, putat adumbratum, propterea quod leo regiam dignitatem ſignificet, iuxta illud. *Catulus Leonis Iuda.* & illud Apoc. 5. *Vicit Leo de tribu Iuda:* Matthæus verò, Chriſtum Regem eſſe maximè indicarit ab Herode formidatū, à Magis adoratum. At Marcus, quia, vt Auguſtinus ait, in his tantum verſatus eſt, quæ homo Chriſtus operatus eſt, tantum hominis figura ſignificatus videtur. D. etiam Irenæus & nonnulli apud Aretam, Apoc. 4. leone Ioannem ſignificari dicunt, vel Euangelium ipſius, aquila Marcum. D. tamen Hieronymi, & Gregorij ſententia vſu & pictura recepta eſt, quam antiquus Poëta Sedulius his carminibus complectitur.

Gen. 49. *D. Auguſt.* *D. Irenæus, l. 3. c. 11.* *Sedulius.*

Hoc Matthæus agens, hominem generaliter imple;
Marcus vt alta fremit vox per deſerta Leonis;
Iura ſacerdotis Lucas tenet ore iuuenci;
More volans aquilæ verbo petit aſtra Ioannes.

Merito autem quatuor ſunt Euangelia, vt ſcribit D. Auguſtinus, quia quatuor ſunt orbis plagæ, Orientalis, Occidentalis, Septemtrionalis, & Auſtralis, ex quibus per Euangelium homines ad Deum vocantur. Ideò, inquit Auguſt. quia totus orbis terrarum per Euangelium vocabatur, quatuor Euangelia conſcripta ſunt. Et primo libro de Conſenſu Euangeliſtarum cap. 2. Ob hoc, inquit, fortaſſe quatuor ſunt Euangeliſtæ, quoniam quatuor ſunt partes orbis terræ, per cuius vniuerſitatem Chriſti Eccleſiam dilatari, ipſo ſui numeri ſacramento declararunt. Præterea Pſal. 103. Ideo duodecim Apoſtolos electos cenſet, quod totius orbis quatuor partes, per Euangelium, in nomine ſanctiſſimæ Trinitatis vocarentur: ſed eius verba audiamus. Quare duodecim Apoſtoli? reſpondet, quia quatuor ſunt orbis partes, & totus orbis in Euangelio vocabatur, vnde quatuor Euangelia conſcripta ſunt, & totus orbis in nomine Trinitatis vocatur, vt congregetur Eccleſia, quatuor ter ducta duodecim fiunt, &c. Eaſdem orbis quatuor partes ad Chriſtum vocandas, ex ſentētia eiuſdem patris, illud linteum ſignificabat, quod per viſum D. Petro eſt oblatum, vario animalium genere plenum. Quatuor initijs ſubmittebatur, è cælo vas quaſi linteum, quia orbis, quem adumbrabat, quatuor partibus conſtat, ter autem ſubmiſſum eſt, ad indicandam Sacroſanctæ Trinitatis fidem, ad quam orbis incolę, vario animalium genere adumbrati, adducendi erant.

Cur 4. Euangelia ſint? Scilicet quia 4. orbis plagæ. *Act. 10.*

Item D. Irenæus: Quoniam, inquit, quatuor regiones mundi ſunt, in quo ſumus & quatuor principales ſpiritus, & diſſeminata eſt Eccleſia ſuper omnem terram, columna autem & firmamentum Eccleſiæ eſt Euangelium, & ſpiritus vitæ, conſequens eſt quatuor habere eam columnas, vndique flantes incorruptibilitatem, & viuificantes homines. Hæc Irenæus. Ex quibus cognoſces propterea quatuor eſſe Euangelia, quia quatuor ſunt orbis plagæ, quatuor quoque orbem perflantes venti. Præterea eſſe Euangelia quatuor Eccleſiæ columnas, quatuor etiam ventos, flantes incorruptibilitatem, & vitam hominibus afferentes. Ijs adde illud Sedulij presbyteri.

D. Irenæus, l. 3. c. 11. *Sedulius.*

Quatuor hi proceres vna te voce canentes.
Tempora cęu totidem latum ſparguntur in orbem.

Vt 4. anni tempora, ſic 4. Euangeliſtæ. *Apoc. 21.* *Irenæus.* *D. Gregor. l. 1. Epiſt. epiſt. 24.*

Quemadmodum enim anni tempora ſunt quatuor, ver, æſtas, autumnus, hiems, ita quatuor ſunt Euangeliſtæ. Eſt Eccleſiæ ædificium quadratum: *Ciuitas*, inquit Ioan. *in quadro poſita eſt;* meritò ergo quatuor columnis, id eſt, Euangelijs fulcitur. Sunt enim Euangelia, vt ait Irenæus, columnæ, quibus illud maxime congruit, quod de quatuor generalibus Concilijs affirmat D. Greg. Magnus: In his, inquit, velut in quadrato lapide, Sanctæ fidei ſtructura conſurgit, &c.

D. Hieron. Euangeliorum ſimilitudines. *Habac. 3.* *Act. 10.*

Hæc ſunt quatuor paradiſi flumina, quæ è loco voluptatis, id eſt, Eccleſia, egredi ūtur, & vniuerſam terram irrigant. Vnde illud D. Hieron. in prologo Matthæi: Eccleſia quatuor flumina, paradiſi inſtar, eructans, id eſt, quatuor Euangelia. Hi ſunt quatuor circuli aurei, per quos arca Dei, id eſt, Eccleſia, portatur à Doctoribus, vt leges Exod. 25. D. Hieronymus loco citato. Eccleſia quatuor annulos habet, id eſt, Euangelia, per quos, quaſi arca Teſtamēti, & cuſtos legis Domini vehitur. Hæc eſt Domini quadriga, qua per orbem fertur; cui illud egregiè congruit: *Quadrigæ tuæ ſaluatio*, hoc vas linteum, quod quatuor initijs è cælo demittitur; rurſūſque in cælum animalibus plenum recipitur. Hieron. in epiſtola ad Ruſticū. Petrus in vaſe Euangeliorum quadrangulo', quod de cælo deſcendit ad terram, docetur, & diſcit omnes homines poſſe ſaluari. rurſūſque quod viderat in ſpecie candidiſſimi linteaminis in ſuperna transfertur, & credentium

D. Auguſt. in cōment. Pſalmi 103.

dentium turbam de terris ad cælum rapit, &c. Hi ſunt Cherubini ſuper quos aſcendit ac volat Deus, iuxta illud. *Aſcendit ſuper Cherubim, & volauit.* Diuus Hieronymus: Matthæus, inquit, Marcus, Lucas, & Ioannes, quadriga Domini, & Cherubim, quod interpretatur, multitudo ſciẽtiæ. D. Irenæus. Qui eſt omnium artifex Verbum, qui ſedet ſuper Cherubim, & continet omnia; declaratus hominibus dedit nobis quadriforme Euangelium, quod in vno Spiritu continetur; quemadmodum & Dauid poſtulans eius aduentum, ait: *Qui ſedes ſuper Cherubim manifeſtare*: etenim Cherubim quadriformia, & formæ ipſorum imagines ſunt diſpoſitionis Filij Dei, & Euangelia ijs conſonantia, in quibus inſidet Dominus Ieſus. Hæc ille.

Pſal 17. *Hieron in epiſt. ad Paulin.* *D. Irenæus. l. 3. c. 11.* *Pſal. 79.*

Hæc ſunt quatuor illa animalia, quæ in circuitu Throni Dei ſunt, id eſt, Eccleſiã vt fortiſſima mœnia ambiunt; plena ſunt oculis antè, & retrò, & intùs; quia, oculorum inſtar, oſtendunt nobis præterita, quæ retrò ſunt, futura, quæ ſunt antè, occulta Dei myſteria, quæ ſunt intùs, ſenas habent alas; quia totum orbem peruolant, iuxta illud: *In omnem terram exiuit ſonus eorum*; præterea, quia libri ſunt cæleſtes, non humi repentes, non de caducis rebus, ſed æternis agentes. D. Hieronymus: Matthęus, Marcus, Lucas, & Ioannes quadriga Domini, & verum Cherubim, quod interpretatur ſcientiæ multitudo, per totum corpus oculati ſunt, ſcintillæ emicant, diſcurrunt fulgura, pedes habent rectos, & in ſublime tendentes, terga pennata, & vbique volitantia, tenent ſe mutuò, ſibiq́ue perplexi ſunt, & quaſi rota in rota voluuntur, & pergũt quocunque eos flatus Spiritus ſancti perduxerit. Hæc Hieron. Denique hæc ſunt quatuor Eccleſiæ elementa, quorum ſupremum Ioannes eſt, flagranti igni ſimillimus; imo hi ſunt *cæli*, qui *enarrant gloriam Dei*; hi ſunt quatuor Angeli, id eſt, nuntij, qui Meſſiam omnibus ſęculis, & optatum, & decantatum, in orbem iam veniſſe, eiq́ue ſalutem perpetuam attuliſſe nuntiarunt.

Apocal. 4. *D. Hieron. in epiſt ad Paulin.* *Pſal. 18.*

Olim cùm terram à Deo promiſſam Iſraëliticæ tribus per Arabicã peterẽt ſolitudinem, ſub vexillis quatuor caſtra metabantur, vt colligitur ex lib. Num. Orientalem plagam tenebat Iudas, tribus regia cum Iſſachar, & Zabulon; Meridianã protegebat Ruben cum Simeone, & Gad; Occidentalem occupabat Ephraim cum Manaſſe, & Benjamin; Aquilonarẽ tuebatur Dan cũ Aſer, & Nephtalim. Erat autem caſtrorum figura quadrata, ſub præcipuis vexillis quatuor. His Rabbi Abraham (vt refert Abul.) tribuit quatuor illas imagines, quarum meminit Ezechiel. In vexillo Iudæ, aquilæ, in vexillo Ruben, hominis, in vexillo Ephraim, leonis, in vexillo Dan, bouis imaginem pictam fuiſſe opinatur. Alij vexillo Iudæ leonem tribuunt, iuxta illud: *Catulus leonis Iuda*; vexillo Ruben hominem; quia primus fuit homo ex Iacob natus, & filius primogenitus; vexillo Ephraim bouẽ; quia filius fuit Ioſephi, de quo Moyſes: *Quaſi primogeniti*, inquit, *tauri pulcritudo eius*; vexillo Dan ſerpentem, iuxta illud. *Fiat Dan coluber in via, ceraſtes in ſemita.* Habes Eccleſiæ effigiem, quæ ſimilis benè diſpoſitis militum caſtris, iuxta illud. *Terribilis vt caſtrorum acies ordinata*; pèr ſolitudinem, terram, imò cælum promiſſum petit, aduerſus tartareos hoſtes armata. Sub quatuor autem vexillis, hoc eſt, ſub quatuor Euangeliorum fide, ac doctrina, caſtra metatur. Primum vexillum imaginem habet hominis, id eſt, Matthæi Euangelium; ſecundum leonis, tertium bouis, quartum aquilæ, vt iam dictum eſt. Hæc vexilla geſtant, hæc intuentur Chriſtiani milites, horum nutus obſeruant, horum motus ſequuntur, ijs proteguntur, ijs hærent, atque ita hærent, vt priùs vitam, quàm vexillum corde, manúque dimittant.

Numer. 2. *Abulenſis. Exech. 1.* *Geneſ. 49.* *Deut. 33.* *Gen. 49.* *Cantic. 6.*

Eſt quaternarius numerus præſtantiſſimus, vt docet Philo Iudæus in lib. de Mundi opificio, & lib. 3. de Vita Moyſis, & in lib. de Plãtatione Noë; In lib. de Mundi opificio ait, quaternarium numerũ primum ſolidi naturã oſtendere; nam in vnitate cenſetur punctum, in binario linea, vbi acceſſit latitudo fit ſuperficies, ad ternarium pertinens; hæc quo minùs ſit corpus natura ſolidum, vna deſtituitur altitudine, qua iuncta ad ternarium, fit quaternarius. D. item Auguſt. lib. 83. quæſtionum quæſt. 57. Progreſſio à puncto ad longitudinem, à longitudine ad latitudinem, à latitudine ad altitudinem, ſoliditatem corporis facit; quæ rurſus quaternario numero continetur. Præterea nec illud ignorandum, ait Philo, quòd primus numerorũ, quatuor, quadrangulus eſt, pariter par, menſura æquabilitatis, ac iuſtitiæ. Et in libro de Plantatione Noë: Antiquiſſimus, inquit, quadrangulorum eſt quaternarius, conſtans rectis angulis, vt liquet ex figura Geometrica; hi rectæ rationis ſunt ſignificatiui; oportet tamen quadranguli latera eſſe æqualia: æqualitas porro mater eſt iuſtitiæ, virtutum reliquarum principis ac ducis. Itaque patet æqualitatis, iuſtitiæ, omniſque virtutis, præter alia, ſignum eſſe hunc numerum. Hæc ille. Sed quorſum huc allata? vt intelligas optimo iure Euangelijs huiuſmodi numerum conuenire. Nam ſi ſoliditatis ſymbolum eſt quaternarius, figuráque quadrata, rectè Euangelijs talis numerus tribuitur, quippe quæ ſolidum ſint Eccleſiæ fundamentum, ſolidæq́ue fidei hominem exigant, ac vt ita dicam, quadratæ; quæ quoquò verſum iacta, verſatáque fuerit, recta ſemper in omni periculo, ac labore cõſiſtat. Quòd ſi quaternarius iuſtitiæ & rectitudinis ſignum eſt, nonne Euãgelia iuſtitia, & rectitudine plena ſunt?

Philo. *Philo.* *Quaternarius iuſtitiæ Symbolum, & ſoliditatis.*

D. Auguſtinus lib. 83. quæſtionum, quæſt. 61. numero quaternario Spiritales viros ſignificari vult, propter quatuor animæ virtutes, quibus in hac vita ſpiritaliter viuitur, Prudentiam, Temperãtiã, Fortitudinem, Iuſtitiam. Hæc quoque ſententia Euangeliorum numero fauet: merito enim numerus ſpiritalis illis tribuitur libris, quorũ doctrina eò confertur, vt à carne homines transferat ad ſpiritũ. In Exod. præcepit Deus Moyſi, vt rationale iudicij faceret quadrangulũ, ponerétque in eo Doctrinam, & Veritatem, quod Aaron Pontifex ſuper pectus ferret. Habemus nos præſtantius multò rationale iudicij, Euangelium, quod & rationem dirigat, & de rebus omnibus verè doceat iudicare; in eo poſita Doctrina eſt, & Veritas. Quæ enim Doctrina præcellentior Euangelica? quæ Veritas diuinior? quadrangulum eſt, hoc eſt, quadratæ figuræ; quia quatuor ſunt Euangelia, figuræ ſolidiſſimæ, quæ nullis, vel tartari, vel mundi machinamẽtis euerti poſſit; Euangeliorum verò locus quemadmodum antiqui rationalis quadratum pectus eſt, in fide firmum, ac ſtabile, vt continentis figura reſpondeat contento.

D. Auguſt. *Exod. 28.*

LIBER

LIBER SECVNDVS.

AN MESSIAS VENERIT SITQVE DOMINVS IESVS.

EX dictis liquet, Euangelium nuntium esse de aduentu optatissimi Messiæ felicissimum, ad Iudæos primum, deinde ad gentes missum. Quia verò Iudæi diuino nuntio aures occludunt, Messiam nondum venisse contendunt, nonnullisque diuinarum litterarum testimoniis sibi ipsis tenebras offundunt: operæ pretium erit, antequam ad Euangelij explanationem aggrediamur, cum Scripturæ verba, quibus veluti laqueis se ipsos irretiunt, explanare: tum desideratum Messiam iam venisse validis rationibus Prophetarumque testimoniis confirmare.

CAPVT I.

De cæcitate Iudæorum.

ID, antequam ad rem accedamus, inprimis consideratione expendendum est, & ex Prophetarum libris ostendendum, Iudæos cæca errorum caligine oppressos, nec cæcitatem suam agnoscere, nec diuinas litteras intelligere: quin potius ex Prophetarum vaticiniis laqueos, in quos se induant, contexere. Audiamus ante omnes Regium Vatem Dauidem: *Fiat*, inquit, *mensa eorum coram ipsis in laqueum & in retributiones, & in scandalum. Obscurentur oculi eorum ne videant*, &c. Quæ Iudæorum mensa nisi Scriptura sacra, vt Origenes & alij docent, in qua verba Dei dulcissimæ veluti epulæ proponuntur? Nónne vetus Testamentum illorum mensa est, à Moyse reliquisque Prophetis strata, suauissimorumque ciborum apparatu impleta? Ex ea tamen sumptos saluberrimos cibos in venenum conuertunt. Tale est pestiferi stomachi virus, talis obcæcati intellectus ignorantia: quæ mensa Christianos alit, reficit, oblectat, eadem Iudæos, non ciborum (saluberrima enim sunt Dei verba) sed stomachi, id est, intellectus vitio, illaqueat, obcæcat, occidit. Fit, vt ait Propheta, mensa eorum coram ipsis in laqueum, in retributionem, & in scandalum: obscurantur oculi eorum, ne videant, & dorsum eorum in terram incuruatum est, ita vt cœlestia nolint intueri.

Cæcos esse Iudæos.

Psal. 68.

Origen.

Cæcitas Iudæorum indicatur.

Nobilissimus etiam Isaias, verbis grauissimis, hunc, quo laborant Iudæi, grauissimum lethargum multo ante depinxit, his verbis: *Miscuit vobis Dominus spiritum soporis, claudet oculos vestros, Prophetas & Principes vestros, qui vident visiones, operiet. Et erit vobis visio omnium sicut verba libri signati, quem cùm dederint scienti litteras, dicent: Lege istum: & respondebit: Non possum, signatus est enim.* Rursus: *Peribit sapientia à sapientibus eius, & intellectus prudentium eius abscondetur*, &c. Quid dici potuit apertius? Porrexit, inquit, Deus vobis veluti potionem soporiferam, quæ ita vestros sensus consopiuit, ita mentis oculos clausit, vt legis Prophetarumque sensum minimè percipiatis: Erit vobis omnis Scriptura obsignato libro similis, quem si homini docto legendum quis dederit, negabit se posse legere, eo quòd sit occlusus, & obsignatus. Nulla erit in vestris Rabbinis sapientia, nullus ad percipiēdū verū Scriptu-

Isai. 29.

A ræ sensū intellectus: transferētur ad gentes diuinæ litteræ, & verus illarū intellectus gētibus dabitur. Vnde additur ab Isaia eodēcapite: *Audient in die illa surdi verba libri, & de tenebris & caligine oculi cæcorum videbunt*, id est, gentes surdæ & errorum tenebris circumfusæ, audient verba sacrarum litterarum, & illarum mysteria occulta intelligent. Hinc illud Christi: *Incrassatum est cor populi huius, oculos suos clauserunt: ne quando videant oculis, & auribus audiant, & corde intelligant, & conuertantur.* Vestri autē, ô discipuli, beati oculi, qui vidēt, quę vos videtis.

Non intelligunt Iudæi Scripturam sacram, intelligunt Christi mysteria Christiani.

Isai. 29.

Matth 13.

Oculos nobis Christus aperuit, librum obsignatum nobis ille resignauit. Is enim Agnus est, quem Ioannes ad Dei thronum accedentem, librumque septem sigillis obsignatum, è dextera Tonantis acceptum, id est, sacram Scripturam, vt Patres interpretantur, resignantem cernit. D. Hieron. Isaiæ 29. Christus, inquit, soluit signacula libri, non propriè vnius, vt multi putant, Psalmorum Dauid, sed omnium Scripturarum, quæ vno scriptæ sunt Spiritu sancto; & propterea vnus liber dicitur; de quo Ezechiel testatur, quod scriptus fuerit intus, & foris, in sensu, & in littera, &c. Item Hier. In Iudicium, inquit, venit Dominus, vt videntes Iudæi, non videant, & qui cæci erāt, populus scilicet nationū, videant, & Dominum contemplentur, vt Dominus dixit Ioannis 9. Aquila, & Theodotio & Symmachus transtulerunt: Tenebras & caliginem oculi cęcorum videbunt; Isaiæ 29. Vt ostenderent, ait Hieronym. gentium populo, qui prius cæcus erat, Christi Sacramenta pandenda, iuxta illud Psalm. *Tenebrosa aqua in nubibus aëris*, & illud: *Posuit tenebras latibulum suum.* Et Moyses, vt videret Deum in nubem ingressus est, & in caliginem, de qua eodem Psalmo dicitur: *Caligo sub pedibus eius.* Hæc ille.

Apoc. 5.

D. Hieron.

Aquila. Symmach. Theodotio.

Psal. 17.

Cùm verò legis Deum miscuisse Iudæis spiritum soporis, clausisse oculos illorum, & similia, permissionem Dei intellige, non actionem: non enim Deus aliquid immisit in Iudæos, quod pestiferum illum soporem afferret, oculósque clauderet; sed iusto iudicio id euenire permisit, nec voluit tenebras, quas sibi ipsis obduxerunt, maiori gratiæ splendore discutere; nihilominus auxilium, quod ad illuminationem satis sit, nemini denegat. Hanc obcæcationem Iudæorum sceleribus Tertull. tribuit in apologetico aduersus gentes: Ne intelligerēt, inquit, Iudæi pristinum Christi aduentū, crediturī, si intellexissent, & consecuturi salutem, si credidissent; meritum fuit delictum eorum. Lege eumdem Tertul. Hanc, ait, obtusionem sensuum salutarium meruerant, labiis diligentes Deum, corde autem longè absistentes ab eo, &c. Lege prætereà Augustinum lib. 1. de Consensu Euangelistarum, cap. 31. In quo peccato, inquit, (videlicet occisionis Christi) aliorum occultorum peccatorum meritis excæcati sunt. Et lib. 18. de Ciuitate Dei, cap. 35. Multi Iudæorum, quem quæsierunt, & voluerunt venisse, non agnouerunt, excæcati in cordibus suis, præcedentibus meritis suis. Hæc ille. Idē docet diuus Cyprianus in libro de Vanitate idolorum, cuius verba capite sequenti reperies.

Obcæcati Iudæi propter peccata

Tertullian. l. 3. contra Marcion. c. 6.

D. Augustin.

Cyprian.

Celebre item exstat apud eūdem Vatem Isaiam de hac cæcitate vaticinium, quo Deum se vidisse

Isaiæ 6.

ſcribit ſedentem ſuper ſolium excelſum, & eleuatum, Seraphinoſque ter ſanctum inclamantes, intellexit ex viſione oblata abditiſſima Trinitatis & Incarnationis myſteria, Iudæorum item admirandam cæcitatem: *Domus*, inquit, *repleta eſt fumo.* Adumbrabat inter alia fumus hic ignorantiæ illam noctem, quæ oculos Iudæorum obcæcat. Sedet in templo Meſſias, ſedet in excelſo & eleuato ſolio, omnes illum in cælo Seraphim venerantur, & laudant, plena eſt omnis terra gloria eius; at Iudæorum oculis ater fumus offuſus iucundiſſimum tanti boni cõſpectum eripit: plena eſt enim fumo tota ſynagoga, hinc illud D. Hieron. Iſai. 6. Poſtquàm terra repleta eſt gloria Domini, templũ Iudæorum impletum eſt ignorantiæ tenebris, & caligine, & fumo, qui noxius eſt oculis, &c Id verò clarius oſtendit Dei ad populum Iſraëliticum legatio: *Vade*, inquit, *& dices populo huic: Audite audientes, & nolite intelligere: & videte viſionem, & nolite cognoſcere. Excæca cor populi huius, & aures eius aggraua: & oculos eius claude: ne forte videat oculis, & auribus audiat, & corde ſuo intelligat, & conuertatur, & ſanem eum.* Hæc dixit Iſaias, ait Ioannes, quando vidit gloriam Chriſti, & locutus eſt de eo, & idem Iſaias ait: *Exſpectabo Dominum, qui abſcondit faciem ſuam à domo Iacob.* Si Sol radios abſcondat, craſſiſſima caligine mundus completur, abſcondit Deus faciei ſuæ ſplendorem à domo Iacob, in craſſiſſimis tenebris degit. cap. 42. *Quis cæcus, niſi ſeruus meus? & ſurdus, niſi ad quem nuntios meos miſi?* &c.

Fumo repleta eſt ſynagoga. *D. Hieron.* *Iſaiæ 6.* *Ioan. 12.* *Iſaiæ 8.* *Iſaiæ 42.*

Præterea Ieremias prædicit Iudæorum impœnitentiam: *Hæc dicit Dominus: Numquid qui cadit, non reſurget? & qui auerſus eſt, non reuertetur? Quare ergo auerſus eſt populus iſte in Ieruſalem auerſione contentioſa? Apprehenderunt mendacium, & noluerunt reuerti. Attendi, & auſcultaui: nemo quod bonum eſt loquitur, nullus eſt qui agat pœnitentiam ſuper peccato ſuo, dicens: Quid feci? Omnes conuerſi ſunt ad curſum ſuum, quaſi equus impetu vadens ad prælium.* Hæc Dominus tùm de tempore illo, quo Chaldæi vrbem ceperunt, tum de tempore Chriſti nouiſſimo: ſic enim de iis, quæ illius temporis erant, loquebatur, vt futura etiam tempore Chriſti prædiceret. Cùm igitur Iudæos cerneret in perfidia obſtinatos: Quæ, inquit, hæc eſt obſtinatio Iudæorum? numquid qui in flagitium labitur non reſurget? & qui à Deo auertitur, non reuertetur? Quare Iudæi à Meſſia ſuo auerſi ſunt auerſione contentioſa? Septuaginta vertunt, auerſione impudenti: Montanus, auerſione pertinaci: Pagninus, rebellione forti. *Apprehenderunt mendacium*; Meſſiam nondum veniſſe dicunt, huic mendacio adhærentes ad illum reuerti nolunt; nullus de Meſſia quod bonum eſt & verum loquitur; denique nullus ferè eſt qui pœnitentiam agat, & Meſſiam recipiat, ac veneretur. Omnes, velut equus in prælium ruens, perfidiæ curſum tenent, nec ſibi frenum adhibent, vt conſiſtant. Poſt impœnitentiam populi quoque ignorantiam indicat his verbis: *Miluus in cælo cognouit tempus ſuum: turtur, & hirundo, & ciconia cuſtodierunt tempus aduentus ſui: populus autem meus non cognouit iudicium Domini.* Quaſi dicat, ipſis animantibus inſipientibus inſipientiores ſunt: volucres enim tempus diſcedendi in loca calidiora norunt, ad vitandum hyemis rigorem, tempus item reuertendi ad ſolitas regiones; Iudæi verò non cognouerunt iudicium Domini, quod Meſſiæ Dei veri atque hominis iure ſummo ſanguinem efflagitabat, vt hominum genus è peccati poteſtate iuſto pretio redimeretur. Simile illud: *Cognouit bos poſſeſſorẽ ſuum, & aſinus præſepe Domini ſui; Iſraël autem me non cognouit, & populus meus non intellexit.* Seſ

Ieremiæ 8. *Impœnitentia Iudæorũ ex Ieremia.* *Ieremiæ 8.* *Iſa. 1.*

A quitur apud Ieremiam: *Quomodo dicitis: Sapientes nos ſumus, & lex Domini nobiſcum eſt? verè mendacium operatus eſt ſtylus mendax ſcribarum. Confuſi ſunt ſapientes, perterriti & capti ſunt: verbum enim Domini proiecerunt, & ſapientia nulla eſt in eis*, &c. Qui verbum Dei Chriſtum, qui ipſam Dei ſapientiam proiecerunt, quanam ſapientia præditi eſſe poſſunt?

Ieremiæ 8.

Tanta autem eſt hæc Iudæorum cæcitas, vt dicatur ſtupenda: *Ecce ego addam vt admirationem faciam populo huic miraculo grandi & ſtupendo: peribit enim ſapientia à ſapientibus eius, & intellectus prudentium eius abſcondetur.* Diuus Hieronymus: Admirationem magnam populo Iudæorum, ſtupendumque miraculum facturum eſſe ſe dicit Dominus, vt perdat eorum ſapientiam, qui non receperunt Dei virtutẽ, Deique ſapientiã, & intellectum prudentium abſcondat & celet, ne ſcilicet eum reperiant, qui in littera continetur. Scribit Adrian. Finus libr. 7. cap. 35. in ſynagogis Iudæorum, eos qui libros Moyſis populo legunt, poſt lectionem faciem obtegere velamine, idemque facere nonnullos alios. Egregia ſanè cæremonia, qua nolentes ſuam ad intelligendum Moyſem cæcitatem profitentur; nam vt Paullus ait: *Obtuſi ſunt ſenſus eorum. Vſque in hodiernum enim diem id ipſum velamen in lectione veteris Teſtamenti manet non reuelatum: Sed vſque in hodiernum diem, cùm legitur Moyſes, velamen poſitum eſt ſuper cor eorum.* Hæc Paullus. En quale eſt Iudæorum cor, velatum, cæcum, & incraſſatum, iuxta lectionem Septuaginta interpretum: *Incraſſatum eſt cor populi huius.* Velatum cor, incraſſatum & cæcum, quidnam iudicij habere poteſt in Scripturarum interpretatione, ad quas intelligendas corde opus eſt perſpicaci, ſpiritali, ac diuini ſplendoris radiis illuſtrato? iuxta illud Regij Vatis: *Reuela oculos meos, & conſiderabo mirabilia de lege tua.*

Stupẽda cæcitas Iudæorum. *Iſaiæ 29.* *D. Hieron.* *Adria. Fin.* *2. Cor. 3.* *Iſaiæ 6.* *Pſalm. 118.*

Conſtat ergo Iudæos in maxima ſacrarum Scripturarum ignoratione verſari, nec prophetias intelligere. Id quoque ſignificant illa Angeli verba: *Septuaginta*, inquit, *hebdomadæ abbreuiatæ ſunt*, &c. *Et deleatur iniquitas, & adducatur iuſtitia ſempiterna, & impleatur viſio, & prophetia*; ex Hebræo verti etiam poteſt, ad ſigillãdum viſionem & prophetiam; quaſi ſignificet Angelus, inter alios ſenſus Meſſiæ tempore Prophetas ſigillãdos, & claudendos, ita vt à Iudæis non intelligantur; quia Spiritu ſancto carent, auctore & interprete Scripturarum. Lege Tertullianum lib. 3. contra Marcionem de Iudæorum cæcitate.

Dan. 9.

CAPVT II.

Sacram Scripturam ænigmaticam eſſe.

OBSERVANDVM præterea eſt, ſacram Scripturam ænigmatum, & parabolarum inuolucris, caligineq; verborum, multa obtegere, quæ niſi inuolucra deponantur, & caligo illumineatur, intelligi non poſſunt. Eſt illa ſimilis theſauro abſcondito, gẽmis referto ſummi pretij, ad quas perueniet nemo, niſi qui diligenter theſaurum quæſierit, inuentumq; ſcrutatus fuerit. Vnde illud Domini *Scrutamini Scripturas*; & illud: *Suſceperunt verbũ quotidiè ſcrutantes ſcripturas. ſi hæc ita ſe haberent. Trahitur enim ſapiẽtia de occultis*: ad occultos ergo & intimos Scripturæ ſenſus penetrãdũ eſt, vt diuinam ex illa, veluti profundo pelago, ſapiẽtiã trahere poſſimus.

Ioan. 5. *act. 17.* *Iob 28.*

Dei

Clem. Alex. 5. l. Strom. Dei thesauri, ait Clemens Alexandrinus, & quæ non deficiunt diuitiæ, est, quæ venatu est difficilis, sapientia, &c. Si externo tantùm sensu contenti simus, littera aliquando occidit; si Spiritum quærentes ad internum penetremus, Spiritus viuificat.

Nec verò Christiani solùm, verùm etiam sapiẽtiores Hebræi occultiores sensus sectantur, vt scribit Nicephorus: Iulianus, inquit, Imperator promptos Iudæos esse arbitratus est, vt ad Græca sacrificia adducerentur, qui verba tantùm & litteram sacrorum librorum reciperent, neque per contemplationem ad occultiorem eorum sensum respicerent; sicuti Christiani, atque etiam inter Hebræos sapientiores & præstantiores faciunt. Sozomenus item de eodem loquens Iuliano: Fortasse, inquit, eo pacto Iudæos facilius ad cultum gentilem & sacrificia adduci posse putabat; quippe cùm sanctos Scripturæ libros, non sensu spiritali, vt Christiani, & etiam ipsi sapientiores Hebræi, sed litterali solùm interpretarentur. Hæc ille. Et Philo Iudæus in libro, qui inscribitur: Quòd omnis probus sit liber, de Essæis loquens Iudæis: Quoties, inquit, sacras ædes, quas synagogas vocant, adeunt, pro ætatis ordine, iuniores ad seniorum pedes considunt, & ad audiendum se componunt; ibi alius ex libro prælegit, alius quispiam vnus ex peritioribus accedens, quæ obscura sunt explicat: nam pleraque per figuras, more veterum Philosophorum, eis sunt tradita. Hęc Philo, cuius libri hoc idem, quod dicimus, indicant.

Nicephorus l. 10. c. 32. *Sozomenus l. 5. c. 21.* *Philo.*

Sensus litteralis verbũ paruum, spiritalis verbũ magnũ.

Quantum autem sensus spiritalis & occultus ponderis habeat, ipsi etiam Iudæi ostendunt, qui, vt Galatinus ait libro 5. cap. 6. litteralem sensum, Dabar Caton, id est, verbum paruum, spiritalem siue mysticum, Dabar Gadol, id est, verbum magnum esse affirmant. Litteralem præterea sensum lucernam esse dicunt, quæ minimo ære emitur, allegoricum, quem certitudinem legis vocant, margaritam in obscuris ædibus latentem, quæ à lucerna, id est, litteralis sensus luce ostenditur. Scito, inquit Rabbi Moyses apud eumdem Galatinum, quòd clauis intelligentiæ vniuersorum, quæ Prophetæ dixerunt, est intelligere parabolas, & metaphoras, similitudines, ac ænigmata: scis enim apud Oseam dictum esse: *In manu Prophetarum assimilabo*. & apud Ezechielem: *Fili hominis ænigmatiza ænigma, & paraboliza parabolam ad domum Israël.* Scis rursus quod dicit Sapiens: *Poma aurea in cancellaturis argenteis, verbum dictum secundùm ambas facies suas*. Cancellaturæ argenteæ, sunt retiacula argentea, in quibus oculi sunt minutissimi, penetrabiles tamen visu. Est ergo sensus; quòd verbum dictum secundùm ambas facies suas, id est, secundùm interiorem & exteriorem sensum, est sicut pomum aureum in retiaculo argenteo, ac si dicat, necessarium esse, vt sit sensus exterior pretiosus, & bonus velut argentum, interior verò multo melior, sicut aurum. Necesse quoque est, vt sit aliquid in exteriori sensu, quod ducat considerantem ad interiorem; quemadmodum pomum aureum vestitum retiaculo argenteo, cùm procul respicitur, vel absque multo intuitu, totum videtur argenteum; cùm habens visum accesserit prouocatus argenti decore, videbit profectò aureum pomum intus latere: sic sunt verba Prophetarum. Hæc ille.

Rabbi Moyses. *Osea 12.* *Ezech. 17.* *Prou. 25.* *Sẽsus externus argentum, internus aurum.*

Deum in Scripturis parabolicè loqui satis apertum est Scripturas legenti, testaturque Christi sermo parabolis abundans, vnde dicitur: *Sine parabolis non loquebatur eis: vt impleretur quod dictum est per Prophetam: Aperiam in parabolis os meum*, &c. Testatur Clemens Alexandrinus: Longum, inquit, fuerit omnia persequi prophetica & legalia, ea afferendo, quæ dicta sunt per ænigmata: ferè enim vniuersa hoc modo loquitur diuina Scriptura, &c. Nec diuina solùm Scriptura, verùm antiqui etiam sapientes per ænigmata locuti sunt, quod docet idem Clemens eodem libro: Innumerabilia, ait, inuenerimus, tam apud Philosophos, quàm apud Poëtas, dicta ænigmatice: cùm etiam toti libri indicent abditam scriptoris voluntatem, cuiusmodi est liber Heracliti de Natura, qui propterea appellatus est σκοτεινὸς, id est, obscurus; huic libro est similis Pherecydis Syri Theologia. Talia ergo Moyses quoque præcepit; vt hæc omnia: Non vesci porco, neque aquila, neque accipitre, neque coruo. Nam porcus, quod est animal voluptati deditum, & immundum, ciborum cupiditatem, & libidinem, & inquinatam intemperantiam significat, materialemque, & in luto iacentem, & quæ ad cædem pinguescit, & interitum. Quando dixit: Non vesceris aquila, accipitre, miluo, & coruo: Non adhærebis, inquit, neque assimilaberis iis hominibus, qui labore nesciunt sibi parare victum, sed rapina viuũt & iniquitate, &c. Hæc Clemens. Eodem loco: Me, inquit, deficiet vita adducentem eorum multitudinem, qui symbolicè philosophantur. Plato quoque de Deo in epistolis agens: Dicendum, inquit, est tibi per ænigmata, vt si tabulæ vel in mari vel in terra aliquid ceciderit, qui legit, non intelligat.

Matth. 13. *Psal. 77.* *Clem. Alex. l. 5. Strom.* *Antiqui sapientes ænigmaticè loquuti.* *Clem. Alex.* *Plato.*

Pythagoræ symbola.

Hinc Pythagoræ symbola: Domi non habendam hirundinem, id est, vt Clemens interpretatur, loquacem susurronem, & effrenatæ linguæ hominem: Ollæ ab igne sublatæ non relinquendum vestigium in cinere, id est, abolendam iram, quam ebulliens olla significat: Stateram non transiliendam, id est, iustitiæ æqualitatem, & alia similia. Ex hoc genere sunt Ægyptiorum Hieroglyphica, de quibus scripsit Pierius Valerianus, & Clemens: Ægyptij, inquit, ideo in sacris ponunt sphingas, vtpotè quòd de Deo oratio sit ænigmatica & obscura, fortè autem quòd Deum oporteat amare, & timere: amare quidem, vt sanctis benignum & propitium: timere autem, vt qui sit impiis iustus inexorabiliter: feræ enim simul & hominis imaginem sphinx significat. Denique omnes, ait Clemens, qui de rebus diuinis tractarunt, tam barbari, quàm Græci, rerum quidem principia occultauerunt, veritatem autem ænigmatibus, significque ac symbolis, & allegoriis, rursus & metaphoris, & quibusdam talibus tropis, modisque tradiderunt. Et post hæc: Non solùm qui ex Ægyptiis vi ratiocinandi plurimùm valuerunt, sed ex aliis quoque barbaris, ij, qui erant dediti studio Philosophiæ, symbolicum genus sunt consectati. Aiunt quidem Idanthuram quoque Scytharum Regem (vt refert Pherecydes Syrus) Dario, qui Istrũ traiecerat, bellum minitantem, symbolum misisse pro litteris: Murem, Ranam, Auem, Iaculum, Aratrum; cùm autem de iis exorta esset dubitatio, Orontopagas tribunus militum dicebat eos tradituros imperiũ, coniectans ex Mure quidẽ domos, ex Rana aquas, ex Aue aërem, ex Iaculo arma, ex Aratro regionem. Xiphodres autem, contra est interpretatus: dicebat enim, nisi tãquam aues euolauerimus, aut tamquam mures terram, vel tamquam ranæ aquã subierimus, illorum tela non effugerimus: nõ sumus enim domini regionis. Hæc ex Clemente.

Ægyptiorũ Hieroglyphica. *Clem. Alex. l. 5. Strom.* *Pherecydes.*

Habemus igitur in Scriptura multa esse ænigmaticè

ticè dicta,multa intellectu difficilia,quę diuino lumine indigeant,vt à nobis cognosci possint, vnde illud: *Aperuit illis sensum,vt intelligerent Scripturas.* Aperuit Christus Ecclesię sensũ,vt Scripturas intelligat: *Profunda fluuiorũ,* vt dicitur in Iob (id est,Scripturarum sanctarum,quæ irrigantibus fluuiis similes sunt) *scrutatus est, & abscondita produxit in lucem;* quia dum suis expositoribus,ait D. Gregorius, intelligentiæ spiritum indit, antiquas prophetãtium obscuritates aperuit. Sed horum fluminum, ait idẽ sanctissimus pastor, Iudæa speciem tenuit,dum litteræ superficiem seruans, eorum profunda nescivit,&c. Etenim in superficie horum fluminum natant Iudæi;litteræ,veluti cortici hærentes, profunda non rimantur, in quibus margaritæ reperiuntur. Iudæi, ait Orig. Domino non crediderunt,ea, quę de ipso prolata sunt,secundùm litteram debere intelligi existimãtes. Id est, quòd visibiliter debuerit prædicare captiuis remissionem, & quòd debuit priùs ædificare ciuitatem Dei, simul & exterminare currus Ephrem, & equum de Ierusalem. Sed & existimant prophetatum, quòd debeat in Aduentu Christi lupus pasci cum agnis, & pardus requiescere cum hœdis, vitulus & taurus cum leonibus,& à paruulo puero duci ad pascua: leones quoque vna cum bobus astare præsepibus, & vesci paleis.&c. O cæcorum hominum insaniam. Habent agrum,id est,Scripturam,in quo thesaurus opulentissimus Christus absconditus est, sed quia in superficie quærunt,nec profundiùs adhibita diuina luce scrutantur, minime inueniũt, & in summa inopia & cæcitate viuunt. D. Irenæus: Christus, inquit,est thesaurus absconditus in scripturis,quoniam per typos & parabolas significabatur. Et post pauca: Omnis prophetia prius quàm habeat effectũ ænigmata sunt hominibus: cùm autem venerit tẽpus, & euenerit quòd prophetatum est, tunc prophetiæ habent liquidam & certam expositionem. Et propter hoc quidem Iudæis, cùm legitur lex, in hoc nunc tempore fabulæ similis est: nõ enim habent expositionem omnium rerum pertinentem ad aduentum Filij Dei,qui est secundùm hominẽ: Christianis verò thesaurus est absc̃ditus in agro; Cruce verò Christi reuelatus est,& explanatus, & ditans sensum hominum,&c. Origenes: In viliori-bus & incomptis verborum vasculis diuinæ sapientiæ thesaurus absconditur,&c.

Luc. 24.

Iob 28.

Christus Ecclesiæ aperuit Scripturarũ sensũ. D. Gregor.

Orig l. 4. Periarchon.

D. Irenæus l. 4. c. 43.

Orig. l. 4. Periarchõ c. 1.

Exodi 17.

Denique, vt scriptum est. *Cùm leuaret Moyses manus,vincebat Israël, sin autẽ paullulùm remisisset, superabat Amalec.* Si manus Moysis eleuabantur,superiores prælio erant Israëlitæ, si cadebant, inferiores. Manus characteres & scripta significat: si igitur Moysis manus,id est,scripta eleuentur à Iudæis ad sublimes sensus,vincent;id quia non præstant,vincuntur, quod his verbis docuit Orig. Ostendit, vt puto, Moysen vnum esse populum ex gentibus, qui eleuet manus Moysis,id est,qui in sublime extollit, quæ scripsit Moyses; & in excelso eorum intelligentiam statuat,& per hoc vincat; alium, scilicet Iudæorum, qui quoniam non eleuat manus Moysis,nec extollit eas à terra; vincitur ab aduersariis, & prosternitur. Hæc ille. Idem Origenes cælestia eloquia cum Manna confert,tum Iudęos ait cibum hunc è cælo delapsum minimè edere, quòd nihil in eo spiritale sentiant: Iudæi,inquit,numquã Mãna manducant: non enim possunt illud manducare,quod est minutum sicut semen Coriandri,& cãdidum sicut pruina. Nihil enim in verbo Dei minutum,nihil subtile, nihil sentiunt spiritale, sed totum pingue, totum crassum: incrassatum est enim cor populi huius,&c.

Iudæi non eleuant manus i scripta Moysis. Orig hom. 11. in Exod.

Orig. hõ. 7.

CAPVT III.

De duplici Christi aduentu.

OBSERVARVNT præterea antiqui Patres, Iudæos duplicem Messię aduentum ignorare; vnde fit,vt cùm præcellentem potentia ac opibus exspectent, humilis verò ac pauper Christus Opt. Maxim. venerit, Crucique suffixus sit,Messiam nõ esse sibi persuadeant. D. Cyprianus in lib. de Vanitate Idolorum: Sciebant, inquit, Iudæi Christum esse vẽturum; nam hic illis semper Prophetis monentibus annũtiabatur,sed significato duplici eius aduentu, vno, qui exercitio & exemplo hominis fungeretur; altero,qui Deum fateretur, non intelligendo primum aduentum, qui in passione præcessit occultus, vnum tantùm crędunt, qui erit in potestate manifestus. Quòd autem hoc Iudæorum populus intelligere non potuit, meritum fuit delictorum: sic erant sapientiæ & intelligentiæ cęcitate mulctati, vt qui vita indigni essent, haberent vitam ante oculos, nec viderent. Hæc Cyprianus de cæcitate Iudæorum, in quam, vt iam suprà diximus, ob commissa in Deum crimina, incurrerunt. Alludit autem ad illud Moysis: *Erit vita tua quasi pendens ante te, timebis nocte & die, & non credes vitæ tuæ.*

D. Cypria.

Deut. 28.

D. Irenæus de Iudæis loquens: Nec intelligere, inquit, volentes; quoniam duos aduentus Christi omnes annuntiauerunt Prophetæ, vnum quidem, in quo homo in plaga factus est,sciens ferre imbecillitatem, in pullo asini sedens, & reprobatus lapis ædificantibus,& sicut ouis ad victimam ductus, & per extensionem manuũ (scilicet in Cruce) dissoluens quidem Amalec,id est, diabolum,congregans autem dispersos filios à terminis terræ in ouile Patris, & recõmemoratus mortuorum suorũ, qui antè dormierant, & descendens ad eos, (scilicet in limbum, vt vocant) vti erueret eos,& saluaret; secundum autem, in quo super nubes veniet, superducens diem, quæ est sicut clibanus ardẽs, & percutiens terram verbo oris sui, & spiritu per labia sua interficiẽs impios, & ventilabrum in manu habens, & emundans aream suam, & triticum quidem in horreum colligens,comburens autem paleas igni inextinguibili. Hæc Irenęus,duos Christi aduentus eximie describens; quos Tertullianus quoque describit, ignotosque Iudæis fuisse docet, tum ita concludit: In hodiernum Iudæi negant venisse Christum suum, quia non in sublimitate venerit;dum ignorant etiam in humilitate fuisse vẽturum,& in Apologetico contra gentes: Duobus, inquit, aduentibus Christi significatis, primo, qui iam expunctus est, in humilitate conditionis humanę;secundo, qui cõcludẽdo sęculo imminet, in sublimitate diuinitatis exertæ; primũ non intelligendo, & secundũ, quem manifestius prædictum sperant,Iudæi vnum existimauerũt,&c. Lege præterea Origenẽ libro primo contra Celsum,& Tertullianum libro contra Iudæos.

D. Irenæus l. 4. c. 56.

Tertull. l. 3. contra Marcionẽ.

Itaque Messiam Iudæi in humilitate crucis venisse ignorant,sublimitatem tantùm & opes somniant,humi repunt,è terra non assurgunt,nihil illi diuinitatis, humana cuncta tribuunt. Regem quẽpiam Cæsari aut Alexandro similem existimãt,qui bella gerat,populum in patriam reducat,templum ciuitatemque exstruat, in qua & pace & rerum omnium affluentia perfruatur. Nimirum,terrenis rebus mancipati homines, terrena solùm sapiunt; quàm verò desipiant ex locis Scripturæ explanandis apparebit.

CA-

CAPVT IIII.

Explanatio primi loci, de nouiſſimis diebus Meſſiæ.

MESSIAM in nouiſſimis diebus venturũ, vaticinatur Iſaias: *Erit in nouiſſimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium; & eleuabitur ſuper omnes colles, & fluent ad eum omnes gentes*; & Michæas: *Et erit: In nouiſſimo dierum erit mons domus Domini præparatus in vertice montium: & ſublimis ſuper colles; & fluent ad eum populi*, &c. Hæc duo loca de Meſſia intelliguntur à Iudæis & Chriſtianis; ex quibus conſtat Meſſiæ tempus eſſe nouiſſimũ. Cùm ergo nondum aduenerit tempus nouiſſimum, nondum videtur veniſſe Meſſias. Reſpondemus, iam aduenisse nouiſſimum tempus, in quo Meſſias venit. Dicitur autem nouiſſimum tempus Meſſiæ Hebraicè, acharith jamim, id eſt, poſteritas dierum, ab (acharon) quod nomen poſteriorem ſignificat, vnde (acharith) dicitur etiam poſteritas filiorum, Ierem. 17. & Deut. 32. Eſt igitur tempus Meſſiæ non quidem extremũ, vltra quod nullum aliud ſit, ſed tempus poſterius tempore Prophetarum; & quia multo poſterius eſt, dicitur nouiſſimũ. Sic in Daniele nouiſſimi dies dicũtur poſteriores: *Indicauit*, inquit, *tibi Deus, quæ ventura ſunt in nouiſſimis temporibus*. Nouiſſima tempora appellat Daniel illa, quibus imperia Perſarum, Græcorum, & Romanorum floruerunt; dies item Meſſiæ; nam ad hæc omnia Babylonici Regis ſomnium ſpectabat. Similiter Iacob: *Congregamini*, inquit, *vt annuntiem, quæ ventura ſunt vobis in diebus nouiſſimis*, id eſt, lõgè pòſt futuris; nam multa annuntiauit, quæ non Meſſiæ, ſed ad filiorum tempora attinebant.

Iſaiæ 2. — Michæ 4. — Cur dies Meſſiæ dicantur nouiſſimi. — Dan. 2. — Geneſ. 49.

Ait Moyſes: *Occurrent vobis mala in extremo tempore, quando feceritis malum in conſpectu Domini, vt irritetis eum per opera manuum veſtrarum*. Hoc loco extremum tempus dicitur Hebraicè, acharith jamim, quemadmodum apud Iſaiam & Michæam. Rogo igitur Iudæum quod ſit hoc tempus nouiſſimum, in quo malum fecerunt Iſraëlitæ in conſpectu Domini, & irritauerunt eum per opera ſua, in quo occurrerunt eis mala? Si reſpõdeat eſſe tempora captiuitatis Babylonicæ, vel cetera tẽpora, in quibus à multis Regibus in Palæſtina vexati ſunt, concedet illa tempora, quæ iam tranſierunt, fuiſſe (acharith jamim) id eſt nouiſſima. Si reſpondeat eſſe hæc tempora, in quibus toto orbe populus Iſraëliticus vagatur, propter necem Meſſiæ allatam, ſimiliter concedet hæc tempora eſſe (acharith jamim) id eſt, extrema: nec enim alia finget mala, quæ populo ſint euentura. Ergo conſtat (acharith jamim) nõ ſignificare tempus nouiſſimum, vltra quod non ſit aliud tempus, ſed tempus poſterius, & longè diſtans; quo ſenſu dixit Paullus: *Nouiſſimè diebus iſtis locutus eſt nobis in Filio*; videlicet poſt omnes Prophetas.

Deut. 31. — Hebr. 1.

Præterea reſpondemus (acharith jamim) ſignificare etiam extremitatem dierũ; quod noſter interpres vertit nouiſſimos dies, vel nouiſſimum dierum; cùm autem vertit nouiſſimum dierum Mich. 4. non ſignificat vltimum diem mundi, ſed extremitatem dierum, id eſt, extremum tempus. Appellatur verò hoc ſenſu tẽpus Meſſiæ extremitas dierum, vel nouiſſimum & extremum tempus; quia fuit extremitas dierum Reipublicæ Iudaicæ, fuitque nouiſſimum tempus & finis Iudaici ſceptri, & legis. Nouiſſimum autem fore tempus Meſſiæ, hoc

A ſenſu, & finem Iudaïcæ Reipublicæ, oſtendit Iacob, cùm ait: *Non auferetur ſceptrum de Iuda, & Dux de femore eius, donec veniat, qui mittendus eſt, & ipſe erit exſpectatio gentium*: quaſi dicat; vſque ad Meſſiam ſtabit Reſpublica Iudæorum; non deerunt Reges, vel Principes, à quibus gubernentur; at ipſius Meſſiæ tempus nouiſſimum erit, & finis Iudaïcæ Reipublicæ, legis, & ſtatus. Nam ſequetur alia lex, alius rerum ſtatus, alia Reſpublica, maximè ex gentibus collecta, quocirca addidit: Ipſe erit exſpectatio gentium. Hoc ſenſu exiſtimat Euſebius Cæſarienſis appellari dies extremos: Nos, inquit, extremos dies intelligimus, extrema ſtatus Iudaïcæ gentis tempora, &c. Et Iulianus Pomerius Archiepiſcopus Toletanus libro 1. aduerſus Iudæos: Nouiſſimos, inquit, dies Prophetæ Iſaias, & Michæas, illos credo intellexerunt, qui in illo regno, deficientibus Principibus de ſtirpe Iuda, nouiſſimi approbati ſunt, quando Herodes alienigena ſucceſſit in regnum, &c. Eſt ergo ſenſus Iſaiæ & Michææ: In nouiſſimis diebus Reipublicæ Iudaïcæ erit mons domus Domini in vertice montium; fluent ad eum omnes gentes, &c. Quaſi dicant: Deſinet Reſpublica Iudæorum, & incipiet Reſpublica Chriſtianorum, ex omnibus gentibus conflata, quæ ad Chriſtum fluent.

Gen. 49. — Euſeb Caſ. l. 8 de Demonſt. c. 1. — Iulianus Pomerius.

Tertiò reſpondemus, dies Meſſiæ dici nouiſſimos non ſolùm à Prophetis, verùm etiam ab Apoſtolis; nam Ioan. *Nouiſſima*, inquit, *hora eſt, & ſicut audiſtis, quia antichriſtus venit, nunc antichriſti multi facti ſunt, vnde ſcimus, quia nouiſſima hora eſt*, id eſt, nouiſſimum tempus: horam enim pro tempore dixit, vt interpretatur D. Auguſt. Et Paullus: *Hæc*, inquit, *omnia in figura contingebant illis: ſcripta ſunt autem ad correptionem noſtram, in quos fines ſæculorum deuenerunt*. Eſt ergo verè tempus Meſſiæ nouiſſimum omnium temporum, & meritò quidem dicitur nouiſſimum. Nam quemadmodum homo, qui microcoſmos, id eſt, mundus paruus appellatur; ita mundus hic magnus in plures diuiditur ætates, infantiam, pueritiam, adoleſcentiam, iuuentutem, & ſenectutem. Mundi ſenectus tempus eſt Meſſiæ, quia extrema eſt mundi ætas. Quemadmodum verò hominis longa ſenectus poteſt reliquas omnes ætates annorum numero ſuperare; nihilominus tamen ſenectus dicetur: ſic mundi extrema hæc ætas poteſt numero annorum ceteras ætates vincere, nec tamen propterea deſinet eſſe ætas extrema, & tempus nouiſſimum. Non enim dicitur tempus nouiſſimum, eo quòd paucos annos contineat: Sed quia tempus eſt nouiſſimæ exſpectationis Meſſiæ, tendens ad iudicium, & iudicio propinquum: nam iudicium nón longè abeſt, iuxta illud: *Venio citò*, ſcilicet ad iudicium, & illud: *Aduentus Domini appropinquauit, & ecce iudex ante ianuam aſſiſtit*. Mille enim anni ante oculos Dei tamquam dies heſterna.

1. Ioan. 2. — 1. Cor. 10. — Apoc. 22. — Iacob. 5.

Tempora, quæ præceſſerunt primum Chriſti aduentum, prima erant, tempus hoc quod nouiſſimum aduentum præcurrit, eſt nouiſſimum: in duo enim tempora diuidi poteſt tota mundi ætas cum Meſſia collata, in ætatem ſuperiorem, quæ Meſſiæ primum aduentum præceſſit, & exſpectauit, & in ætatem poſteriorem, vel nouiſſimam, quæ eiuſdem Meſſiæ aduentum ſecundum præſtolatur, iuxta illud Paulli: *Vt piè viuamus in hoc ſæculo*, &c. *exſpectantes beatam ſpem & aduentum gloriæ magni Dei, & Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti*. Nam diuerſas ætates mundi, rerum efficit diuerſitas. Quæ maior rerum geſtarum diuerſitas ac diſcrepantia excogitari poteſt, quàm quæ in iis

Tit. 2.

duobus contigit temporibus ? Omnia enim cum Meſsia mutata ſunt, mundus aliam legem, Dei cognitionem multo præſtantiorem, aliamque faciem accepit; meritò ergo hæc duo tempora, duæ mundi ætates præcipuæ appellari poſſunt, de quibus illud intelligetur non abſurdè : *Domine opus tuum in medio annorum viuifica illud. In medio annorum notum facies*, hoc eſt, Domine vitã redde operi tuo, id eſt, homini in ſceleribus iacenti, ac ſpirituali vita defuncto, in medio annorum, id eſt, in medio duorum temporum & duarum ætatum, quarum altera Meſsiæ aduentum primum præcedit, altera vſque ad ſecundum aduentum ſubſequetur. *Habacuc 3.*

Sed dices rectè appellari ætatem nouiſſimam, quæ inter multas extrema eſt, non autem, quæ inter duas tantùm eſt poſterior. Reſpondetur, nouiſſimum etiam dici de duobus, vt conſtat ex Aggæo: *Magna*, inquit, *erit gloria domus iſtius nouiſsimæ plus quam primæ*. Primam domum prius Salomonis templum, nouiſſimam domum ſecundum templum vocat; ergo quod poſterius eſt inter duo tempora nouiſſimum dicitur. Simili etiam modo tota ætas Iobi in duo diſtribuitur tẽpora, illud ſcilicet, quod ſingularem illam calamitatẽ anteiuit, idque dicitur primum, & aliud, quod calamitatem eſt ſubſecutum : hoc verò, quamuis centum quadraginta annorum fuerit, appellatur nouiſſimum : ſic enim ſcriptum eſt: *Dominus benedixit nouiſsimis Iob magis, quam principio eius*, id eſt, poſteriori tempori vitæ magis, quàm priori. Ecce tempus centum quadraginta annorum, quod ſi humanam ætatem reſpiciamus, longiſſimum eſt, vocatur Hebraicè (acharith) Iob 42. & Latinè nouiſſimum. Quid igitur mirum ſi tempus poſt Meſsiæ aduentum, quamuis longum ſit, nouiſſimum nominetur. *Aggæi 2.* *Iob 42.*

CAPVT V.

Quis ſit mons domus Domini, ad quem gentes confluxerunt, quæ pax temporis Meſsiæ.

NE ſperent Iudæi inaniter, & pueriliter, montem templi in cacumen ceterorum mõtium & collium efferendum; animaduertant, quod ſupra diximus, diuinam ſcripturam, metaphoris, tropis, & allegoriis vti, tropumque diuinum hoc quoque agnoſcãt loco. *Mons domus Domini*, dicitur mons, in quo domus Domini eſt ædificata, is autẽ Chriſtus eſt: quemadmodum enim in monte Moria domus Domini, ita in Chriſto Eccleſia extructa eſt, vt teſtatur Paullus : *Fundamentum aliud nemo poteſt ponere prater id, quod poſitũeſt, quod eſt Chriſtus Ieſus*, &c. Mons hic in vertice montiũ cõſtitutus eſt, & colles omnes ſuperat, quia & Angelis omnibus, & Patriarchis, ac Prophetis, qui montium nomine ſignificantur, & hominibus, Regibus, Imperatoribus, & Principibus, quos colles adumbrant, longo interuallo eſt antepoſitus. *Iſai. 2.* *Mõs domus Domini, Chriſtus.* *1. Cor 3.*

Hic eſt lapis ille, qui ſine manibus, id eſt, ſine virili opera, de monte Virgineo abſciſſus, ſtatuam percuſſit, factuſq; eſt mons magnus, & impleuit vniuerſam terram, quod Paullus abſque figura ſermonis dixit : *Humiliauit ſemetipſum factus obediens*, &c. *propter quod & Deus exaltauit illum, & dedit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen.* Vide paruum lapidem factum montem magnum, & in vertice omnium collium & montium collocatum. Dedit, ait illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen. Vis videre montem (Nacon) vt eſt Hebraicè, id eſt, præparatum, vel ſtabilem, ac firmũ ? Mons ille Danielis quantus quãtus erat, nihil niſi lapis erat; nã lapis in *Dan. 2.* *Phil. 2.* *Chriſtus mons lapideus.* *Dan. 2.*

montem creuit ſanè lapideum, id eſt, ſtabilem, immutabilem, perpetuum. *Petra autem*, ait Paullus, *erat Chriſtus*. *1. Cor. 10.*

Hic eſt mons lapideus domus Domini, aduerſus quam portæ inferi nullo tẽpore poterunt præualere tam firmo ſtabilitam fundamento. Nec verò ſine cauſſa lapideus mons totã dicitur occupaſſe terram : ſi enim per totam terram Eccleſia diffuſa eſt, & in monte ſita, ipſum etiam mõtem in totam terram extendi neceſſe eſt, cum tantum ſit fundamentũ, quantum eſt ipſum, quod fulcit ædificium.

Sequitur apud Iſaiam : *Fluent ad eum montem omnes gentes. Et ibunt populi multi, dicentes: Aſcendamus ad montem Domini, & ad domum Dei Iacob, & docebit nos vias ſuas*, &c. Ad Chriſtum verò omnes gentes confluxiſſe, & aſcendiſſe in montem Domini, & etiam nunc confluere, & aſcendere, certius eſt, quàm vt demonſtrari debebat. Tertul. lib. aduerſus Iudæos: In quem, inquit, alium vniuerſæ gentes crediderunt, niſi in Chriſtum, qui iam venit? deinde gentes enumerat pene innumeras, quæ in Chriſtum iam illo tempore crediderant. Sed videntur hæc duo verba inter ſe pugnare, fluent, & aſcendamus; nam fluunt flumina deorſum, aſcenſu autem tenditur ſurſũ. At non repugnant, immò maximè cõueniunt hi duo, etſi diuerſi motus, in iis qui Chriſtum quærunt, alter quorum humilitatis eſt, alter caritatis. Humilitate, veluti flumina, deorſum fluimus, lacrymarum flumine noſtra abluentes crimina, caritate ſurſum tendimus, igni ſimiles, cuius flamma ſurſum erigitur ſemper, nec quieſcit. Amor enim nũquam eſt otioſus, vt Greg. dixit. Præterea ſunt aquæ quædam diuinæ, quæ fluunt, ſed ſurſum, contrario noſtris aquis motu. *Fiet*, ait Chriſtus, *in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternam*, ſalientis, inquam, ſurſum, non deorſum. *Isai. 2.* *Ad Chriſtũ omnes gẽtes confluxerũt.* *Tertullian.* *D. Greg. hom. 30. in Euang. Ioan. 4.*

Ad hæc, quemadmodum mons partem habet inferiorem ac ſuperiorem, ita Chriſtus naturam habet humanam ac diuinam, cùm diuinam omni cogitatione atque intellectu celſiorem cogitamus, aſcendimus, cùm humanam, Chriſtique labores ac cruciatus animo voluimus, à diuinitate in humanitatem deſcendimus. Quẽ aſcenſum ac deſcenſum in annuntiatoribus veritatis diuus Auguſtinus obſeruat Pſalm. 44. Aſcendunt, inquit ille, & vident. In principio erat verbum: deſcendunt, & vident. Quia verbum caro factum eſt, &c. Merito igitur populi aiunt: Aſcendamus ad montem : aſcendere enim mẽte oportet, omniaque tranſcendere creata, & ad ipſam Chriſti diuinitatem, quod eſt huius montis cacumen, fide pertingere; deinde ad montis humiliora loca, id eſt, Verbi incarnationem, humilitatem, cruciatus, mortemque defluere, rurſus inde ad miracula, reſurrectionem, aſcenſionemq; penetrare. Indicat etiam vox illa, fluent, celerem omniumque impedimẽtorum victorem Chriſtianorum curſum. Quemadmodum enim montanis aquis aucta flumina, eo curſu in mare fluunt, cui nulla impedimenta poſſunt obſiſtere; ita cæleſtibus donis aucti Chriſtiani, eo impetu ad Chriſtum tendunt, quem nulli labores nullaque pericula queunt impedire. *D. Auguſt.*

Eodem cap. 2. Iſaias, Michæas quoque eodem 4. de pace vaticinantur pacifici Salomonis, id eſt, Meſsiæ. *Conflabunt*, inquit Iſaias, *gladios ſuos in vomeres, & lanceas ſuas in falces: non leuabit gens contra gentem gladium, nec exercebuntur vltra ad prælium*, &c. Pacem hæc verba oſtendunt, metaphorico dicendi modo, Scripturæ, vt diximus, familiari, quam Meſsias in orbem attulit, quam eo nato Angeli annuntiarunt, *Et in terra pax hominibus bonæ voluntatis*, quam Dauid prædixit: *Orietur in diebus eius iuſtitia, & abundantia pacis* *Iſai. 2.* *Mich. 4.* *Quid ſit gladios cõflare in vomeres.* *Luc. 2.* *Pſalm. 71.*

3.Reg.4. *pacis, donec auferatur luna*, quam Salomonis, id est, pacifici, pacificum regnum adumbrauit. *Habebat Salomon pacem in circuitu*, &c. quam Messias ipse discipulis reliquit. *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis*, quam ipsi deinde obseruarunt. *Multitudinis credentium erat cor vnum, & anima vna.*

Ioan.14. Actor.4.

Christi discipuli conflant gladios in vomeres, & lanceas suas in falces, qui natione licet, moribus, patria, regnoque diuersi, amore tamen & pace sunt coniunctissimi. *In hoc cognoscent omnes*, ait Dominus, *quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad inuicem*, id est, si gladios in vomeres, & lanceas in falces commutaueritis, si nullus inter vos discordiæ gladius, nulla odij hasta, nullum inuidiæ telum reperiatur; si arma illa, de quibus Dauid, *Filij*, inquit, *hominum dentes eorum arma & sagittæ: & lingua eorum gladius acutus. Molliti sunt sermones eius super oleum: & ipsi sunt iacula*, longe à vobis propellatis. Tertullianus hunc in modum interpretatur: Concident, inquit, machæras suas in aratra, sibynas in falces, id est, animorum nocentium, & linguarum infestarum, & omnis malitiæ, ac blasphemiæ ingenia, conuertent in studia modestiæ & pacis. Et non accipiet gens super gentem machæram vtique discordiæ, & non discent ampliùs bellare, id est, inimicitias perficere. Vt & hic discas Christum non bellipotentem, sed paciferum repromissum. Hactenus Tertullianus.

Ioan.13. Pax Messiæ enigmatice descripta. Psalm.56. Psalm.54. Tertullian. lib 3. cõtra Marcion.

Hanc eamdem pacem Isaias altero significauit ænigmate, eoque illustrissimo: *Habitabit*, inquit, *lupus cum agno: & pardus cum hœdo accubabit: vitulus & leo, & ouis simul morabuntur, & puer paruulus minabit eos. Vitulus & vrsus pascentur: simul requiescent catuli eorum: & leo quasi bos comedet paleas. Et delectabitur infans ab vbere super foramine aspidis: & in cauerna reguli, qui ablactatus fuerit, manum suam mittet*, &c. Animalia hæc sæua & serpentes, ethnicos indicare ostendit linteum illud diuo Petro obiectum, in quo erant omnia quadrupedia, & serpentia terræ, & volatilia cæli. Pax ergo hæc animantium, pacem indicat hominum ac iustitiam. *Erit*, inquit Isaias, *iustitia cingulũ lumborum Messiæ, & fides cinctorium renum eius*, id est, iustitia accingetur veluti cingulo, & veracitate, ac fidelitate, ex iustitia Messiæ, in populum eius iustitia emanabit & pax. Nam habitabit lupus cum agno, &c. Id est, iustitiam seruabunt diuites, nobiles, & potentes viri; nemini nocebunt hi Leones, Lupi, Pardi, Aspides & Reguli venenum deponent ac feritatem, humilitatem addiscent, adeò vt à pueris & pauperibus absque nocumento tractari possint. Quemadmodum enim in illo linteo, quod D. Petro oblatum est per visum, sæua animantia cum mitibus, abiecta immanitate, permixta erant; ita in Ecclesia viros diuites, nobiles, principes, ac potentes, qui instar leonum, luporum, maiorumque animantium sunt, cum ceteris, qui agnorum, ouium, minorumq; animaliũ similitudinẽ referunt, in pace ac iustitia viuere æquũ est. Id quod ab illis Christi lex diuina efflagitat. Sed reuertamur ad locum priorem Isaiæ & Michææ.

Isai.11. Actor.10. Ibidem.

Secunda illius interpretatio est huiusmodi: Summa cum pace legem Euangelicam gentibus promulgandam, Christique imperium toto orbe dilatandum docetur; ne exist mẽt Iudæi Messiam bella gesturum, eiusque legem & imperium vi armorumque potentia propagandum. *De Sion*, inquit Isaias, *exibit lex, & verbum Domini de Ierusalem*: inde enim legis nouæ promulgatores exisse notum est. *Iudicabit verbum Dei gentes, & arguet populos multos, sub iugum suum mittet nationes.* Numquid vi bellica hæc fient? Minimè. Conflabunt gladios in vomeres Messiæ milites, id est, Apostoli, ceteriqué Euangelij promulgatores, & lanceas suas in falces. Vomeribus enim opus erit, nõ gladiis, ad proscindẽda hominum terrena corda, vt cæleste semen excipiant, falces necessariæ erunt, non hastæ, ad demetendas vberes segetes, vt in horreum Ecclesiæ deportentur. Non bello res agetur: non enim leuabit gens contra gentem gladium, vt ad fidem Messiæ vi compellatur, nec exercebunt vltra, id est, in æternum, ad prælium Messiæ milites, Euangelij promulgatores. *Non discent belligerare*, vt ait Michæas, vt inuitas ac repugnantes nationes ad fidem Christi cogant. *Sedebit vir subtus vineam suam, & subtus ficum suam*, vt ait Michæas, *& non erit qui deterreat*, id est, qui bellum hac de causa illi inferat. *Quia os Domini exercituum locutum est*, id est, quia doctrina Euangelica, doctrina est Domini, cuius potentia, absque bello & armis, totum orbem sub suum suauissimum iugum suauissimè potest mittere. Deinde apud Isaiam ipsi concionatores agere incipiunt, non armis, sed voce, & à Iudæis exordiũtur: *Domus*, inquiunt, *Iacob, venite, & ambulemus in lumine Domini*, &c.

Quid sit gladios cõflare in vomeres. Michæa 4. Isai.2.

Tertia interpretatio de Iudæis esse potest. Indicat Propheta id quod Iudæis tempore Messiæ euenit: post illius enim aduentum, bellicam illam fortitudinem, quæ in Dauide, Iosue, Machabæis, & aliis olim splenduit, amiserunt, extorresque, & toto orbe profugi, absque Rege, absque exercitu, & duce imbelles agunt. Ait ergo Isaias: *De Sion exibit lex, & verbum Domini de Ierusalem*, &c. Eo verò tempore, quo verbum Domini iudicabit populos multos, Iudæi, bellica fortitudine omnino amissa, conflabunt, id est, conflare poterunt gladios in vomeres, & lanceas suas in falces, non leuabit gens Iudæorum contra vllam aliam gentem gladium, nec exercebuntur Iudæi vltra ad prælium. *Et sedebit*, vt ait Michæas, *vir subtus vineam suam, & subtus ficum suam*, & non erit ex Iudæis qui illum bello deterreat, &c. Hæc verò quàm sint vera, satis supérque est exploratum.

Michæa 4.

Iis addo quartam interpretationem de pace, quæ eo tempore in Romano imperio floruit, quo Christus & Apostoli gentibus Euangelium annuntiarunt. Nam vt Hieronymus ait, Isaiæ 2. Euangelicæ doctrinæ pax Romani imperij præparata est. Vt enim orbi possent Apostoli ceteriqué discipuli Euangelicam legem promulgare, pax fuit necessaria, quæ bellorum strepitus sedaret, armorumque tumultus compesceret, quia (vt ille dixit) Inter arma silent leges. Floruit autem pax in Romano imperio, sedatis bellis ciuilibus, quam vniuersi orbis illa descriptio indicat, cuius Lucas meminit: *Exiit*, inquit, *edictum à Cæsare Augusto, vt describeretur vniuersus orbis*: non enim potuit vniuersus orbis vnius Imperatoris edicto, nisi magna florente pace, ad censum vocari. Permansit autem in Romano imperio, id est, Italia, Gallia, Hispania, Græcia, per longum tempus, quamuis non defuerint cum Barbaris aliis gentibus bella Romanis legionibus. In ipsa etiam Iudæa pax fuit, fuissetque diutius, si Iudæi à Romano imperio non desciuissent.

D. Hieron. Cic. pro Milone. Luc 2.

Quòd si quis opponat verba illa: *Non exercebuntur vltra ad bellum*, quibus pax perpetua videtur significari. Respondemus, particulam Hebræã (od) & Latinam, vltra, non semper perpetuitatem significare, sed aliquando pro longo tempore sumi, quod Rabbi chimi cõcedit. *Humiliati sũt Philisthiim, nec apposuerunt vltra vt venirent in terminos Israël*, illo scilicet tempore; nam posteà venisse constat ex cap. 13. & 17. & 29. Item: *Israël non turbabitur amplius*, at turbatus est. *Non vocaberis vltra Iacob, sed Israël erit nomen tuum*, at postea sæpe vocatus est Iacob.

1.Reg.7. 2.Reg.7. Genes.35. Iosh.2.

Impetum Messiæ non vt ac bello propagatum est ab Apostolis.

Non dabo vos vltra opprobrium in gentibus, at dati ſunt. *Regina Saba videns ſapientiam Salomonis*, &c. *non habebat vltra ſpiritum*, at mox reſumpſit ſpiritum. *3.Reg.10.*

CAPVT VI.

De templo & ciuitate ædificanda à Meſsia.

IN vaticiniis eſt, Meſsiam exædificaturum Deo templum & ciuitatem. *Ecce vir Oriens nomen eius*, id eſt, Meſsias, *& ædificabit templum Domino. Ipſe ædificabit domum nomini meo, & ſtabiliam thronum regni eius vſque in ſempiternum. Ego ero ei in patrem*, &c. Quæ verba Paullus de Chriſto intellexit, quamuis de Salomone quoque veluti typo dicta ſint. De templo item & ciuitate hac ſcribit Ezechiel cap.40.& ſequentibus, de ciuitate vaticinatur Iſai. *Ipſe ædificabit ciuitatem meam, & captiuitatem meam dimittet, non in pretio, neque in muneribus*, &c. Ieremias item: *Ecce dies venient, dicit Dominus; & ædificabitur ciuitas Domino a turre Hananeel vſque ad portam anguli. Et exibit vltra norma menſura in conſpectu eius*, &c. Non poſſunt autem hæc verba intelligi de ciuitate Ieruſalem, extructa à Iudæis poſt reditum ab exſulio Babylonico; nam illa ciuitas à Romanis ſolo æquata eſt: ciuitas verò, de qua Ieremias verba facit, perpetua erit: ſubiicit enim Ieremias: *Sanctum Domini*, id eſt, templum, *non euelletur, & non deſtruetur vltra in perpetuum.*

Zach 6. *2 Reg.7.* *Hebr.1.* *Ezech.40.* *Iſai.45.* *Ierem 31.*

Quamobrem Rabbi Salomon, & Iudæi, Ieremiam putant intelligendum de ciuitate à Meſsia extruenda, idem Ieremias: *In tempore illo*, ſcilicet Meſsiæ, *vocabunt Ieruſalem ſolium Domini: & congregabuntur ad eam omnes gentes in nomine Domini in Ieruſalem, & non ambulabunt poſt prauitatem cordis ſui peſſimi*, &c. *Abſque muro habitabitur Ieruſalem præ multitudine hominum, & iumentorum in medio eius. Et ego ero ei, ait Dominus, murus ignis in circuitu: & in gloria ero in medio eius*, &c. *Ierem 3.* *Zach.2.*

Templũ & ciuitas Dei, eſt Eccleſia.

Non abnuimus, Meſsias Deo templum ædificauit, & quidem ampliſſimum, ſanctiſſimum, auguſtiſſimum, in quo, non boum, ouium, hircorum, arietumque victimis, ſed eiuſdem Meſsiæ corpore, & ſanguine, omni pretio pretioſiore, litatur.

Aedificauit vrbem nobiliſſimam tam longo capaciſque circuitu, vt omnes intra ſe capiat, defendatque nationes, tam firmo fortique muro ſeptam, vt ne tartarei quidem hoſtes expugnare illam valeant.

Quodnam eſt hoc templum? quænam huiuſmodi ciuitas? Eccleſia eſt, non ex calce & lapidibus, ſed ex hominibus diuino lauacro ablutis, extructa, quibus Paullus: *Vos*, ait, *eſtis templum Dei vi-* *1.Cor.6.* *1.Cor 3.* *1.Pet.2.*
ui, & *Dei ædificatio eſtis*; & Petrus: *Ipſi tamquam lapides viui ſuperædificamini*, &c. Synagoga tabernaculum fuit à Moſe fabricatum: Eccleſia templum eſt à pacifico Rege Salomone, id eſt, Chriſto, extructum. Tabernaculum ligneum erat, mobile, fundamentis carens, templum fixum, ſtabile, firmiſſimiſque fundamentis impoſitum: ita Synagoga veluti lignea fuit, imbecillis, mobilis, temporaria; Eccleſia verò fixa eſt, ſtabilis, perpetua. Tabernaculum extructo templo ceſſit, ſic Synagoga, Moſis lege abrogata, ceſſit Eccleſiæ.

Synagoga fuit tabernaculum mobile, Eccleſia tẽplũ ſtabile.

De hoc templo Zachariam locutum dicimus, & Ezechielem. Etenim vir ille, quem Zacharias Orientem appellat (non Solem orientem, ſed germen oriens, vt ex Hebræo conſtat) Meſsias eſt, germen Patris ab æterno, germẽ Matris in tempore, ex quo toto terrarum orbe, gratia, caritas, ceteræque virtutes, & in cælo gloria æterna germinauit. Hoc germen Dei, Virginis hic flos, templum ampliſſimum, id eſt, Eccleſiam ædificauit, auro caritatis texit, lutere baptiſmatis, candelabro fidei, menſa corporis ſanguiniſque ſui adornauit; ſe præterea ipſum in ea propitiatorium diuinorumque theſaurorum omnium arcam propoſuit. Quòd ſi templum illud antiquum in varia erat loca diuiſum, ſancta ſanctorum, ſancta, atrium Sacerdotum, & alia atria, in noſtro quoque templo diuerſa reperies loca, diuerſos nimirum Chriſtianorum ſtatus, virgines alios; alios continentes, alios matrimonij vinculo connexos, alios ſacerdotes, alios Epiſcopos, alios Archiepiſcopos, alios Patriarchas, quibus omnibus vnus præeſt Pontifex ſummus. Si ſacrificia requiras, nũquid maius excogitari poteſt, quàm auguſtiſſimum Euchariſtiæ ſacrificium? Templum ergo Eccleſia eſt. *Chriſtus ædificauit tẽplum, id eſt, Eccleſiam.*

Vrbs quoque nobiliſſima atque opulentiſſima, cum qua ſi conferatur Synagoga, inſtar pagi obtinere videatur, ideoque Vates: *Glorioſa*, inquit, *dicta ſunt de te, ciuitas Dei.* Item: *Diligit Dominus portas Sion ſuper omnia tabernacula Iacob*, id eſt, diligit Dominus Sionem Eccleſiam, pluſquàm omnia tabernacula Synagogæ. Hãnc vrbem Meſsias extruxit, muniuit, cæleſtibúſque diuitiis locupletauit, quod eodem Pſalm. canit Vates, cùm ait: *Ipſe fundauit eam Altiſſimus.* Ad hanc incolendam, vniuerſum hominum genus è Babylonica, ſiue diabolica captiuitate vocat, & adducit, id quod ſignificant Iſaiæ illa verba ſuprà ſcripta: *Ipſe ædificabit ciuitatem meam*, ſcilicet Eccleſiam, *& captiuitatem meam dimittet*, id eſt, captiuos homines è ſeruitute dæmonis redimet, non in pretio, neque in muneribus, ſed gratis: vt enim Paullus ait: *Juſtificati ſumus gratis per gratiam ipſius, per redemptionem, quæ eſt in Chriſto Ieſu, quem propoſuit Deus* (in hoc Eccleſię templo) *propitiationem per fidem in ſanguine ipſius*, &c. De eadem Eccleſia ſermonem habet Ieremias, cùm ſic ſcribit: *Vocabunt Ieruſalem*, id eſt, Eccleſiam, *ſolium Domini*, quia in Eccleſia Chriſtus, veluti in ſolio præclariſſimo, ſedet, *& congregabuntur ad eam omnes gentes, & non ambulabunt poſt prauitatem cordis ſui peſſimi*, etenim omnes gentes in Eccleſiam ab orbe redempto congregari, & ſimulacrorum cultu dæmoniſque ſeruitute relicta, praui cordis figmenta ac impietatem abiicere cernimus. Hinc illud iam citatum: *Ecce alienigenæ, & Tyrus, & populus Æthiopum, hi fuerunt illic*, id eſt, in Eccleſia. *Meſsias ædificauit ciuitatem, id eſt, Eccleſiam.* *Pſalm.86.* *Iſai.54.* *Rom.3.* *Ierem.3.* *De Eccleſia loquitur Ieremias cap.3.* *Pſalm.86.*

Hæc ciuitas illa eſt, quæ, vt Zacharias vaticinatur, *abſque muro habitatur, cuius Dominus murus eſt igneus, & habitator, Rexq; in gloria ſummæ, ac maieſtate.* Abſque muro habitatur, quia tam ampla eſt, vt iidem ſint, & huius vrbis, & orbis fines. Quòd ſi quæras, qui ſint homines, quæ iumenta, quorum copioſam fore multitudinem Vates prædicit, homines illi ſunt, rationis fideique ductum ſequentes, caritate exornati, ſanctis operibus vacant; iumenta verò ij, qui carnis voluptatibus ſeſe mancipantes, iumentorum vitam viuunt. Non enim ciuitas hæc ſanctiſſima ſanctos ſolùm viros, verùm multos etiam complectitur flagitioſos, quos ad frugem bonam ſanctoſque mores reducere, & ex iumentis in homines, ſiue potius in Angelos, diuina quadam metamorphoſi transferre conatur. Sic decantata illa Noë arca, non animantia ſolùm munda, verùm immunda etiam complectebatur. Hoc tamen arca illa ab Eccleſia diſtat, quod quæ immunda animantia recepit, immunda remiſit, atqui homi- *De ciuitate, id eſt, Eccleſia, loquitur Zacharias.* *Zachar.2.* *In Eccleſia ſunt homines probi, & improbi quoque.* *Gen.7.*

homines Eccleſiæ ianuam immũdi ingrediuntur, mundi inde, ſi volunt, in cælum egrediuntur. Quia verò ciuitas hæc perpetua erit, ideò apud Ier. dicitur: *Sanctum Domini non euelletur, & non deſtruetur vltra in perpetuum*: Quia Deus ſumma beneuolentia illam proſequitur, ideò apud Iſa. appellatur à Deo: *Voluntas mea in ea*, id eſt, amor & beneuolentia mea magna eſt erga Eccleſiam: Quia regnum Chriſti eſt, ideò eodẽ cap. dicitur: *Eris corona gloriæ in manu Domini, & diadema regni in manu Dei tui*, id eſt, eris corona glorioſa, & diadema regni Chriſti regnãtis in te. Quia à Deo defenditur, ideò eodem loco additur: *Super muros tuos Ieruſalem*, id eſt, Eccleſia, *conſtituti cuſtodes, tota die, & tota nocte, non tacebunt in perpetuum*. Sunt autem ij cuſtodes tum Angeli, tum Eccleſiæ vigiles paſtores, qui ſuper muros, id eſt, in celſioribus Eccleſiæ locis ac dignitatibus, non vt inde ceteros deſpiciãt, conſtituti ſunt, ſed vt precibus concionibuſque inuigilantes, ciuitatem noctu diuque cuſtodiant: *Tota die*, inquit, *& tota nocte non tacebunt*: precibus nimirum Deum inuocantes, cõcionibus homines ad Chriſtum Eccleſiamque vocantes. Quocirca additur ab eodem Vate: *Præparate viam populo, planum facite iter, & eligite lapides*, id eſt, tollite offendicula, eleuate ſignum, ſcilicet Crucis, ad populos. &c.

Ierem. 31. Iſaiæ 62. De Eccleſia loquitur Iſaias 62.

Quid plura? hoc eſt ædificium illud quaſi ciuitatis, quod præuidit Ezechiel non in valle, ſed in celſiſſimo exſtructum monte, videlicet Chriſto, nõ ad gelidum Aquilonem, ſed ad calidum Auſtrum vergens, id eſt, Spiritum ſanctum: Auſter enim, teſte Greg. Spiritum ſanctum adumbrat, qui Eccleſiam perflat, reficit, & ſalutari pluuia irrigat. Eccleſia, ait Rupertus, humiliter ad Auſtrum, id eſt, ad ſanctum vergit Spiritũ. Impiorum verò ciuitas Aquilonem reſpicit, in cuius lateribus ille ſedere cupiebat, cuius notiſſima verba ſunt: *Sedebo in lateribus Aquilonis: Ab Aquilone enim frigido pandetur omne malum. Nomẽ ciuitatis*, ait Ezechiel, *Dominus ibidẽ*: quod nomen cum illo congruit valde, quod Chriſto imponitur: *Vocabitur nomen eius Emmanuel*, id eſt, nobiſcum Deus: in Eccleſia enim cum hominibus Deus eſt, iuxta illud Matth. *Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus vſque ad conſummationem ſæculi.*

De Eccleſia ſcribit Ezechiel ca. 40. &c. Gregor. in Ezech. hõ. 13 Rupertus. Iſai. 14. Ierem. 1. Ezech. 48. Iſai. 7. Matth. 18.

In porta autem ædificij vir Ezechieli viſus eſt, ſimilitudinem referens menſoris, ſiue architecti, lineum manu tenens funiculum, calamumque menſorium, is Chriſtũ adumbrat, vt placet D. Hier. Eccleſiæ ædificatorem, menſorem, atque architectum. *Niſi enim Dominus*, vt ait Pſalmographus, *ædificauerit domum, in vanum laborauerunt, qui ædificant eam*: niſi Chriſtus Eccleſiam exſtruxerit, omnipotenteſq; manus operi admouerit, nihil hominum conatus proderunt. Quæ ſit Eccleſiæ longitudo, quot ſæculis ſit in hoc orbe permanſura: quæ ſit latitudo, id eſt, quas regiones, nationes, homineſq; vſque ad orbis finem ſit complexura: quæ altitudo caritatis & meritorum: quæ profunditas humilitatis: quæ rectitudo operum: quis ordo lapidum, id eſt, Pontificum, Regum, hominum que ceterorum: quinam ſuperiori, qui inferiori ædificij loco ſint collocandi, ille nouit: totumque ædificium funiculo calamóque ſuo, id eſt, ſapientia infinita, metitur, & explorat. In porta verò ſtat, quia læto hilarique vultu venientes omnes excipit: ipſe ducit, ipſe excipit, ipſe in Eccleſiam introducit: nemo enim venit in Eccleſiam, nemo venit ad Patrem, niſi per Chriſtum. Stabit in porta, ait Hieronymus, quia per ipſum ad Patrem ingredimur, & ſine ipſo ciuitatem Dei intrare non poſſumus; vt dignos ſuſcipiat, indignos abiiciat, &c.

D. Hieron. Chriſtus Eccleſiæ exſtructor. Pſalm. 126. Ezech. 40. D. Hieron.

Iam verò triplex ille murus, qui Ezechielis templum circumdat, Eccleſiæ adumbrat cuſtodiam. Primus murus diuinam indicat protectionem: iuxta illud: *Vrbs fortitudinis noſtræ Sion Saluator, ponetur in ea murus & antemurale*. Secundus murus Angelorum indicat tutelam: hi enim ſunt montes Eccleſiam cingentes: iuxta illud: *Montes in circuitu eius*, id eſt, Angeli, vt Auguſtino placet: *& Dominus in circuitu populi ſui*. Ecce duplicem habes murum, diuinum, & Angelicum. Reſtat tertius humanus, eorum, qui Eccleſiæ præſunt, quos ſupra cuſtodes appellauimus.

Triplex murus Eccleſiæ Iſai. 26. Pſalm. 124. Auguſt.

Aquæ, quæ ſubter limen templi egrediebantur, vt vult ſacer Hier. eam deſignant doctrinam, quæ ab Eccleſia emanat: primo ad talos vſque Vatis, deinde vſque ad genua, poſtea vſque ad renes pertingunt, tandem ſic vndę intumuerunt, vt tranſuadari non poſſent. Quid hoc ſignificat ænigma? Nempe in doctrina Eccleſiæ quædam eſſe cognitu facilia, quæ ad talos vſque intellectus humani pertingant, qualia ſunt decem præcepta Decalogi, alia, quę pertingunt ad genua, alia, quę ad renes, quę nimirum difficiliora ſunt intellectu, huiuſmodi ſunt Chriſti conſilia, & ſimilia: ſed intumeſcunt aquæ, caput longe ſuperant, totumque ſubmergunt hominem: doctrinam enim de Chriſti myſteriis, de Incarnatione, Morte, Paſſione, deque Sacroſancta Trinitate, & prædeſtinatione, humanus non poteſt tranſuadare intellectus. Scapha fidei indiget, ſi velit huiuſmodi vndas feliciter tranare: vnde illud: *Iudicia tua abyſſus multa*, id eſt, profundo pelago ſimilia ſunt: & illud Paulli: *O altitudo diuitiarum ſcientiæ, & ſapientiæ Dei; quam incomprehenſibilia ſunt iudicia eius, & inueſtigabiles viæ eius*, &c. Illud item: *Repleta eſt terra ſcientia Domini, ſicut aquæ maris operientes*: abundantiam ſignificat doctrinæ; præterea ſupra humanum intellectum excellentiam: quemadmodum enim aquæ maris profundiſſimæ homines nauéſq; omnes ſuperant altitudine; ſic Chriſti doctrina intellectum vincit, ac operit.

Ezech. 47. Doctrina Chriſti proſunda. Pſalm 35. Rom. 11. Iſai. 11. Ezech. 47

Quàm verò hæc Chriſtianæ doctrinæ aqua fructifera ſit, indicatur eodem Ezechielis capite: *Ecce*, inquit Propheta, *in ripa torrentis ligna multa nimis ex vtraq; parte*, &c. Irrigatur enim tellus diuini Verbi vndis, arbores profert omni pomorum genere refertas, id eſt, homines omni bonorum operum fructu abundantes. Quàm ſalutaris ſit eadem aqua oſtendit, cùm adiungit: *Intrabunt aquæ mare*, ſcilicet mortuum, *& exibunt, & ſanabuntur aquæ*, &c. Mundi typus, & mare mortuum hoc ſanãt Euangelij aquę, in illud influentes. Iordanis aquæ in mare mortuũ influebant, ſed ſanare illud non poterant: eumdem in modum Moyſis doctrina in mundum illabebatur, at ſanare illum nequibat. Influxit Euangelij vndã ſalutifera, & ſanauit. Sanari autem dicuntur aquę, cùm à ſalſedine, amarore, & ſterilitate, ad dulcedinem fecunditatemque trãsferuntur. Vnde Eliſæus: *Sanaui*, inquit, *aquas has, & non erit vltrà in eis mors, neque ſterilitas*. Sanauit ergo Deus aquas maris mortui, id eſt, mundi, quia ſalſedinem, amarorem, infecunditatem, & mortem eius, cum dulcedine, & fecunditate, & vita, influentibus Euangelij aquis, commutauit. Vnde mare illud, quod ne piſcem quidem vnum gignebat, iam nunc tot gignit, vt adiungat Vates: *Plurimæ ſpecies erunt piſcium eius, ſicut piſces maris magni, multitudinis nimiæ*.

Doctrina Chriſti ſalutifera & fecunda. 4. Reg. 2. Ezech. 47.

Ait præterea Ezechiel relinquendas ſalinas aliquot: has ego religioſorum familias Academiaſq; eſſe exiſtimo: quemadmodum enim in ſalinis, ita in cœnobiis de Academiis ſal efficitur, de quo Chriſtus: *Vos*, inquit, *eſtis ſal terræ*. Iam verò piſcatores, quorum eodem loco Propheta meminit, quid niſi

Salinæ religioſorũ cœnobia, & Academiæ. Matth. 5.

nisi concionatores adumbrant, quos Dominus hominum vocauit piscatores? Siccatio vero sagenarum illud indicat, debere concionatores sagenas suas, id est, conciones, prius quàm in mare iaciant, Solis, id est, Christi radiis exponere, illasque eiusdem Solis calore incendere, atque ab omni humanæ cupiditatis humore desiccare. Hæc de ciuitate à Messia vero Domino nostro IESV Christo in terris exædificata sint satis, de illa quoque, quam in cælis exstruit, nonnihil dicere operæ pretium erit.

Matth. 4.

Siccant piscatores retia.

CAPVT VII.

De ciuitate, quam in cælis Messias exstruit.

Hic lapides expoliũtur, in cælo in ædificio collocantur.

NON in terris solum, sed in cælo quoque Ciuitatem Messias exstruit amplissimam. In ciuitate autem terrestri lapides viui præparantur, expoliuntur, & in quadrum rediguntur; in ciuitate, quæ in cælis est, altissimo ædificio imponuntur, quod præclarè in antiquo hymno Dedicationis Ecclesiæ sic canitur:

Tunsionibus pressuris, expoliti lapides,
Suis coaptantur locis per manus artificis,
Disponuntur permansuri sacris ædificiis.

3. Reg. 6.

Eiusdem rei typum nobis exhibuit Salomonici templi typica ædificatio, 3. Regum 6. *Domus cùm ædificaretur, de lapidibus dolatis atque perfectis ædificata est*: eumdem in modum ciuitas cælestis de viuis lapidibus expolitis, & ad diuinam normam, id est, legem, quadratis exstruitur. Hi autem lapides in cælo non dolantur, è terra iam dolati ascendunt: quocirca legitur eodem capite: *Malleus, & securis, & omne ferramentum, non sunt audita in domo cùm ædificaretur.* Auditur in terra malleorum sonitus, ferramentorumque strepitus; pœnitentiæ gemitus sonant: iustitiæ, temperantiæ, ceterarumque virtutum homines ad ædificium cælestè aptantium ictus perstrepunt, dolantur viui lapides, & quia viui sunt, dolent. At in cælesti vrbe huiusmodi sonitus & dolores in suauissimos cantus perpetuamque lætitiam commutati penitus conticescũt. Id Isaias prædixit: *Oblitioni*, inquit, *traditæ sunt angustiæ priores, & quia absconditæ sunt ab oculis nostris: Ecce enim ego creo cælos nouos, & terram nouam: & non erunt in memoria priora, & non ascendent super cor. Sed gaudebitis & exultabitis vsque in sempiternum in iis, quæ ego creo: quia ecce ego creo Ierusalem exultationem, & populum eius gaudiũ. Et exultabo in Ierusalem, & gaudebo in populo meo: & non audietur in eo vltrà vox fletus, & clamoris*, &c. De cælesti Ierusalem sermo est, in quo tanta erit exultatio, vt ipsam ciuitatem appellet Propheta exultationem, & ipsum beatorum populum, appellet ipsissimum gaudium: *Creo*, inquit, *Ierusalem*, scilicet cælestem, *exultationem, & populum eius gaudium.*

In cælesti tẽplo non auditur sonitus mallei, aut securis. Isai. 65.

Ecclesiæ triumphantis gaudium.

Isai. 60.

Similiter capit. 60. de hac eadem cælesti ciuitate verba hæc facit: *Non audietur vltrà iniquitas in terra tua, vastitas & contritio in terminis tuis, & occupabit salus muros tuos, & portas tuas laudatio. Non erit tibi amplius Sol ad lucendum per diem, nec splendor Lunæ illuminabit te; sed erit tibi Dominus in lucem sempiternam, & Deus tuus in gloriam tuam. Non occidet vltrà Sol tuus, & Luna tua non minuetur: quia erit tibi Dominus in lucem sempiternam, & complebuntur dies luctus tui. Populus tuus omnes iusti, in perpetuum hereditabunt terram*, scilicet cælestem, *germen plantationis meæ, opus manus meæ ad glorificandum.* Docet iis verbis Vates qualis sit cælestis Ierusalem populus: *Omnes*, inquit, *iusti. Non audietur vltrà iniquitas in terra tua.* Omnes in summa viuent pace ac securitate: *Non audietur*, inquit, *vastitas, & contritio in terminis tuis, & occupabit salus muros tuos.* Omnes Deum laudabunt: *Occupabit portas tuas laudatio.* Omnes à Deo diuino gloriæ lumine illuminabuntur: *Erit tibi Dominus in lucem sempiternam, & Deus tuus in gloriam tuam.* Non indigebunt nostri Solis luce: *Non erit tibi amplius Sol ad lucendum*, &c. Omnibus malis finem facient, complebuntur dies luctus tui, omnibus bonis in sempiternum fruentur: *In perpetuum*, inquit, *hereditabunt terram.* Quia verò gloriæ totius auctor est, ac fator Christus Optim. Max. addit: *Germen plantationis meæ, opus manus meæ ad glorificandum*, id est, populus cælestis ciuitatis, eiusque gloria germen est plantationis meæ, opus est manus meæ, quod ego æterna gloria exornaui.

Qualis populus ciuitatis Ierusalẽ cælestis.

De eadem ciuitate illud quoque dicitur ab eodem Vate: *Oculi tui videbunt Ierusalem ciuitatem opulentam, tabernaculum quod nequaquam transferri poterit, nec auferentur claui eius in sempiternum, & omnes funiculi eius non rumpentur; quia solummodo ibi magnificus est Dominus noster: locus fluuiorum riui latissimi & patentes: non transibit per eum nauis remigum, neque triremis magna transgredietur eum*, &c. Prædicat Vates æternæ Ierosolymæ opulentiam, æternitatem, immensamque voluptatem, ab omni hostium impetu liberam: *Videbunt*, inquit, *oculi tui ciuitatem opulentam*, tabernaculum non mobile, non portatile, ac periturum, quale fuit Mosaicum, sed æternis clauis & funiculis fixum, ac perpetuum, quod transferri non possit. Iam verò si voluptatem queris, voluptatis torrentes fluuiique latissimi ciuitatem Dei irrigant: locus enim est fluuiorum omnibus sanctissimis voluptatibus fluentium, nullus autem ab hostibus timor imminet: nec enim hos fluuios, etsi latissimos, ac longissimos, vlla hostium nauis aut triremis ingredi, nauigareque potest.

Isai 33. De cælesti Ierusalem.

Esai 33.

Considerandæ etiam sunt illa verba. Quia solũmodò ibi magnificus est Dominus noster: magnificus sane fuit Deus, cùm admirabile hoc, quod cernimus, opulentissimumque mundi imperium homini dono dedit; magnificus, cùm post tantum donum, aliis etiam maioribus cumulans, sanguine illum suo ex acerbissima peccati seruitute redemit, fidei lumine illustrauit, caritatis ardore incendit, gratiæ virtutumque omnium ornamentis decorauit.

At magnificus dicitur solummodo in cælesti Ierusalem; quia in cælo summa illius in exornandis hominibus magnificentia splendescit, summa ibi additur magnificentiæ manus. Magnifica sunt omnia, magnificus Rex, magnificum regnũ, magnifica ciuitas, magnificum conuiuium.

In cælo omnia sunt magnifica.

Magnificus Rex est Christus, de quo dicitur per ænigma: *Magnificatus est Rex Salomon*, id est, Christus summus Salomon, *super omnes Reges terræ diuitiis, & sapientia. Et vniuersa terra desiderabat vultum Salomonis.* Cuiusnam Salomonis vultum desiderat vniuersa terra? sane Christi: hunc vt videat cælesti in Throno sedentem Regina Austri, eodem capite (id est, fidelis, caritatéque flagrans anima) patria, parentibus, cognatisque relictis, omnibus impedimentis oneribúsque depositis, toto cordis conatu properat; cùm vero ad optatam peruenit laborum metam, cùm sibi & cunctis gentibus desideratum Salomonem cernit, non habet vltra præ admiratione spiritum. *Videns Regina Saba omnem sapientiam Salomonis, & domum, quam ædificauerat* (id est, cælestè palatium) *& cibos mensæ eius* (id est, gloriæ epulas suauissimas) *& habitacula seruorum* (id est, mansiones cæle-

3. Reg. 10.

Omnis terra vultum Salomonis, id est, Christi, desiderat.

3. Reg. 10.

cælestes sanctorum: *& ordines ministrantium*, (hoc est, Hierarchias, Choroſque Angelorum) *vestes eorum*, id est, virtutes, gratiam, caritatem, ſplendorem, &c. *Isaiæ 64.* *Non habebat vltra ſpiritum*, dixitque ad Regem: *Verus est sermo, quē audiui in terra mea super sermonibus tuis, & super sapiētia tua, vidi oculis meis, & probaui quod media pars mihi nuntiata non fuerit: maior est sapientia, & opera tua, quam rumor, quem audiui.* Hoc *1. Cor. 2.* illud est Iſai. 64. & Paulli: *Oculus non vidit Deus absque te, quæ præparasti exſpectantibus te*, media pars nobis nuntiata non est pulcritudinis, ſapientiæ, opū, potentiæque noſtri Salomonis. Concludit Regina Saba: *Beati viri tui, & beati serui tui, hi, qui stant coram te semper, & audiunt sapientiam tuam*, &c. Hæc enim est beatitudo noſtra, ante Chriſtum ſtare ſemper, illius humanitatem diuinitatemque cernere, & audire. Magnificus ſanè Rex est.

Magnificum quoque regnum est, de quo Dauid: *Psalm. 144.* *Gloriam*, inquit, *regni tui dicent: & potentiam tuam loquentur: Vt notam faciant filiis hominum potentiam tuā; & gloriam magnificentiæ regni tui. Regnum tuum regnū omnium seculorū.* Magnifica ciuitas, de qua Baruch exclamans ait: *O Israel, quàm magna est domus Domini, & ingens locus possessionis eius. Magnus est, & nō habet finem: excelsus & immensus. Ibi fuerunt gigantes.* Gigantes dæmones appellat: gigantum enim inſtar ſunt, ſi cum hominibus conferantur. Eos Deus ſuperbia elatos è cælo præcipitauit; depoſuit gigantes de ſede, & exaltauit humiles: è cælo autem præcipitati, iter, quod in hāc, de qua agimus, ciuitatem ducit, obſident, inſidias inſtruunt, incautoſque opprimunt, vnde illud Paulli: *Ephes. 6.* *Induite vos armaturam Dei, vt possitis stare aduersus insidias Diaboli: quoniam non est nobis colluctatio aduersus carnem & sanguinem, sed aduersus principes, & potestates, aduersus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritalia nequitiæ in cælestibus.* Induite, inquit, vos (Græcè πανοπλίαν, panoplian, id est, totam armaturam, arma omnia, nihil non ſit armatum; armentur oculi, aures, os, cor maximè: est enim nobis pugna aduerſus gigātes in cælestibus, id est, qui in aëre habitant, & iter *Chryſoſt.* cæleſte obſident. Chryſoſtomus in cælestibus interpretatur, pro cælestibus: Vehementior, inquit, est contentio & pugna, quando pro magnis pugnatur: illud enim in cælestibus, idē est ac pro cælestibus; nam è cælis nos eiicere ſtudet hoſtis. Hæc ille.

Magnificum denique conuiuium est. Rex aſſuerus olim, vt in libro Esther memorię proditum est, *Esther 1.* magnificum exhibuit epulum, vt oſtenderet diuitias glorię regni ſui, multo tempore, centum videlicet & octoginta diebus, & iuſſit ſeptem diebus conuiuium præparari in veſtibulo horti, & nemoris, quod regio cultu & manu conſitum erat. *Conuiuium cæleſtis Ieruſalem.* Vmbra hæc est magnificentiſſimi epuli, quod Chriſtus Rex noſter beatis viris exhibet; quo ſanè oſtendit diuitias immenſas gloriæ regni ſui, non centum ſolum & octoginta diebus, ſed per immenſam, quæ nullum finem habet, æternitatem. Parat autem hoc conuiuium in horto & nemore, quod regia conſitum est manu. Quis amœnior hortus, quod nemus vmbroſius ipſo cælo empyreo, quod meritò paradiſus dicitur voluptatis? *Gen. 2.* Plantauit Dominus Deus manu ſua cæleſtem hunc paradiſum voluptatis, quemadmodum terreſtrem, in quo poneret hominem, quem creauit, non paucorum dierum, ſed æternitatis habitatorem. *Et fluuius egreditur de loco voluptatis*, ab ipſo nimirum Deo, omnium ſanctiſſimarum voluptatum fonte, fluuius, inquam, beatitudinis illius, quæ animo ineſt; qui deinde diuiditur in quatuor capita, id est, in quatuor corporis dotes exundat. Hi ſunt huius conuiuij cibi dulciſſimi, hæ epulæ ſuauiſſimæ Chriſti ſummi Regis magnificentia dignæ, quibus non corpus ſolùm, verùm animus quoque, & is quidem maximè paſcitur. Dei conſpectus omnium pelagus origoque gaudiorum, ſummus amor, oblectatio ſumma, cum Deipara Virgine, cum Angelis, cum beatis hominibus conuictus iucūdiſſimus, impaſſibilitas, ſplēdor, agilitas, ſubtilitas, ſenſuum omnium incredibiles ſuauitates, totius animi corporiſq; gloria exundans, in qua perpetua est cum ſaturitate appetētia, & cum appetentia æterna ſaturitas. *Satiabor*, ait *Pſal. 1.* Pſalmographus, *cùm apparuerit gloria tua*. Denique. *Vnum* (dicitur in libro Eſther) *vt magnificentia regia dignum erat, abundans, & præcipuum ponebatur.* *Eſther 1.* Quod eo in libro de vino, id nos de omnibus huius noſtri conuiuij ferculis diximus: omnia, vt magnificentia diuina dignum est, præcellentia ac præcipua apponuntur.

Calamum mentemque diuina magnificentia *Iſaia 33.* rapuit, cuius Iſaias illis verbis meminit: *Solummodo ibi magnificus est Dominus noſter.* Feciſſem hoc loco finem, ſed non patitur diſcipulus ille, qui ſupra pectus recubuit Domini, ciuitatem mihi oſtentat, quę oculos iam ad ſe rapit, & calamum quoque: *Vidi*, *Apoc. 21.* inquit, *ſanctam ciuitatem Ieruſalem nouam deſcendentem de cælo à Deo, paratam, ſicut ſponſam ornatam viro ſuo.* Item: *Suſtulit me Angelus in ſpiritu in montem magnum & altum, & oſtendit mihi ciuitatem ſanctam Ieruſalem deſcendentem de cælo à Deo, habentem claritatem Dei: & lumen eius ſimile lapidi pretioſo, tamquam lapidi iaſpidis, ſicut cryſtallum.* Deſcendebat è cælo à *Ciuitas cæleſtis ex Apoc. 21. deſcribitur.* Deo ciuitas, quia cæleſtis est ac diuina. Parata, quia omnia illius ornamenta diuinæ ſunt potētiæ, Deus eam præparat ſpōſo, ille veſtit, ille ornat, ille quidquid habet pulcritudinis liberaliſſima largitur manu. Sponſa vocatur ſponſi pulcerrimi Chriſti; habet claritatem Dei, id est, gloriam Dei: Græcè enim est nomen δόξα, quod gloriam ſignificat: dicitur autem habere gloriam Dei, quoniam Dei gloria in ipſa cernitur, & beatis donatur. Eſt autem luminare eius, Græcè φωσφόρ, ſimile lapidi iaſpidi, viridis ac iucundiſſimi coloris, & cryſtallo perlucido ac tranſparenti.

Sequitur: *Habebat murum magnum & altum, habentem portas duodecim: & in portis Angelos duodecim, & nomina inſcripta, quæ ſunt nomina duodecim tribuum filiorum Iſraël*, &c. Murus magnus & altus cæleſtem *Explicatur Ioannis deſcriptio.* cingit Ieroſolymam, quia tutiſſima est ciuitas, & munitiſſima, in quam nec morti, nec labori, nec dolori, vllus aditus patet: *Portas habet duodecim, tres ab Oriente, tres ab Aquilone, tres ab Auſtro, tres item ab Occidente*; quia omnium nationum omniumque regionum incolas recipit, ſiue Orientem incolant, ſiue Occidentem, Auſtrum, aut Aquilonem. Tres autem ſunt in qualibet muri parte, ad indicandam ſacroſanctæ atque ineffabilis Trinitatis fidem, quam eos profiteri neceſſe est, qui illuc ingredi volent: præterea, quia auguſtiſſimæ Trinitatis regnum est, Angeli valuis veluti ianitores aſſiſtunt, vt aduentantes excipiant: *Duodecim tribuum Iſraëliticarum nomina inſcripta habet*; quia ciues etiam ex Iſraëliticis tribubus multos continet: *Duodecim quoque Apoſtolorum nomina in fundamentis duodecim cernuntur exarata*: quoniam tum Apoſtolis, tum iis, qui ex omnibus nationibus Apoſtolorum doctrinam fidemque per caritatem operantem ſectantur, æternum domicilium præbet.

Eſt autem in quadro poſita, ait Ioannes. Ea figura firmitudinem ſtabilitatemque indicat: nam corpus quadratum quocumque vertas, firmum ſta- *Ariſtot. 1. Eth. c. 10.* bit. Quamobrem Ariſtoteles hominem conſtantem quadratum vocat: quadrata ergo ciuitas est ſta-

Apocal. 21. stabilis & æterna: *Est etiam amplissima*; nam Angelus mensus illam est per stadia duodecim millia, id est, per leucas quingentas. Amplissima sanè ciuitas est, quæ quingentas occupat leucas; at cælestis multo plures occupat, sed vt intelligeres ciuitatem maximam esse, hæc mensura proposita est, humano more, maxima. Quod si de materia, ex qua vrbs exædificata est, agitur. *Murus*, ait Ioannes, *è iaspide erat lapide pretiosissimo, ciuitas ex auro fulgenti, ac translucido*, quale vitrum esse solet; portæ è duodecim fulgentissimis margaritis constabant: muri fundamenta duodecim pretiosissimis lapidibus emicabant.

Tobia 14. Consonat iis Tobias: *Portæ*, inquit, *Ierusalem ex sapphiro & smaragdo ædificabuntur: & ex lapide pretioso omnis circuitus murorum eius. Ex lapide candido & mundo omnes plateæ eius sternentur: & per vicos eius alleluia cantabitur.* At Ioannes: *Platea*, ait, *ciuitatis aurum mundum tamquam vitrum perlucidum.* Numquid repugnat Tobiæ Ioannes? Tobias lapide candido & mundo, Ioannes auro stratas ait plateas. Maximè consentiunt: Nec auro, nec pario marmore stratæ sunt plateæ cælestis Ierusalem, non est tam vilis in ea materia; sed quia apud homines pretiosior non est, ideo hæc illi tribuitur, vt ex iis, quæ oculis pretiosissima pulcerrimaque videntur, assurgat mēs ad ea contemplanda, quæ cerni non possunt. Si quæras, num templum habeat hæc Ierusalem. *Tēplum*, inquit Ioannes, *non vidi in ea: Dominus enim Deus omnipotens templum illius est, & agnus.* Si de luce eius roges: *Non eget*, ait, *Sole, neque Luna; nam claritas Dei illuminabit eā, & lucerna eius est agnus.* Si de ciuibus sermo sit, respondet: *Non intrabit in eam aliquod coinquinatum, aut abominationem faciens, & mendacium, nisi qui scripti sunt in libro vitæ agni.*

Si voluptates & gaudia, quibus perfruuntur ciues, requiras; crystallino significantur fluuio: guttatim enim pœna bibitur, gloria non guttatim, sed per fluuios potatur: Apoc. 22. *Ostendit*, inquit, *mihi fluuium aquæ viuæ, splendidum tamquam crystallum, procedentem de sede Dei, & agni.* E Throno Dei & Christi fluuius totius effluit gloriæ atque lætitiæ; quia omnes cælestes voluptates à Deo Christo emanant: ab eo enim visio oritur beatifica, amor, fruitio, corporis dona, ceteraque gaudia omnia. Eędem sanctissimæ deliciæ fructuum nomine adumbrantur, quos vitæ profert arbor: *In medio*, inquit, *plateæ eius, & ex vtraque parte fluminis, lignum vitæ, afferens fructus duodecim, per menses singulos reddens fructum suum, & folia ligni ad sanitatem gentium.* Est in platea ciuitatis & in amœnissimis fluuij ripis arbor vitæ consita, dulcissimis fructibus exuberans, cuius non poma solùm vitalia, verùm etiam folia sunt salutifera. Felix cui ex hac vitæ gloriæque totius arbore poma carpere concedetur; felix cui perenni hoc & exuberante gaudiorum fluuio sitim restinguere dabitur.

Tobia 13. *Beatus ero*, ait Tobias, *si fuerint reliquiæ seminis mei ad videndam claritatem Ierusalem.* Hæc poma, hanc aquam, hanc ciuitatem Tobias suspirabat, hanc Patres illi antiqui appetebant, de quibus Paullus: Hebr. 11. *Qui* inquit, *hæc dicunt*, scilicet, se esse hospites & peregrinos super terram, *significāt se patriam inquirere, & si quidem ipsius meminissent, de qua exierunt, habebant vtique tempus reuertendi; nūc autem meliorem appetunt*, id est, *cælestem.* Hanc exspectabat Abraham, credētium ille pater, *fide demoratus*, vt inquit Paullus eodem capite, *in terra repromissionis, tamquam in aliena; in casulis habitando cum Isaac & Iacob coheredibus repromissionis eiusdem: exspectabat enim fundamenta habentem ciuitatem, cuius artifex & conditor Deus*, &c. Præclarè Paullus fundamenta habentem ciuitatem cælestem vocat; quia terrenæ ciuitates fundamentis carent, casulis, id est, tabernaculis Abrahami similes sunt, quæ nullis fundamentis innituntur, faciléque conuoluuntur, ac disparent; vnde illud Regis Ezechiæ apud Isaiam: Isaiæ 38. *Generatio mea ablata est, & conuoluta est à me, quasi tabernaculum pastorum.* Sola cælestis ciuitas, quam exspectabat Abraham, fundamenta habet, quoniam ea sola æterna est. Eamdem vtinam Iudęi, patrem suum Abraham imitantes, exspectent, non terrenam & fulgentem Ierusalem à Messia numquam ædificandam.

CAPVT VIII.

Nec Ierusalem Iudaicam, nec templum esse à Messia reædificandum.

TEMPLA duo Ierosolymis eodem in loco à Iudæis ædificata docent sacræ litteræ; alterum à Salomone ante Babylonicam captiuitatem; alterum à Zorobabele & Iesu, filio Iosedec, summo Sacerdote, ceterisque Iudæis, post captiuitatem. Tertium non esse exstruendum indicatur in Aggæo: *Magna*, inquit, *erit gloria domus istius nouissimæ, plusquam primæ.* Loquitur autem Vates de secundo templo, nouissimumque appellat: non ergo aliud tertium à Messia exstruetur. Præterea iam Messias venit in templum secundum, nec vllum materiale templum exstruxit. Vnde Aggæus eodem capite: *Veniet*, inquit, *desideratus cunctis gentibus*, scilicet Messias, *& implebo domum istam gloria dicit Dominus.* Quanam gloria? nempe diuina Messiæ; qui in eo templo oblatus est, & docuit, atque orauit: id quod ostendit etiam Malach. *Statim*, inquit, *veniet ad templum suum dominator, quem vos quæritis*; ad templum, inquam, secūdum, nec mentio est de tertio aliquo exstruendo.

3. Reg. 6. 1 Esdræ 3. 5 & 6. Tēpla duo, tertium nō esse exstruē dum. Aggæi 2. Malach. 3.

Ad hæc, tertium templum propterea exstruendum Iudæi existimant, vt rursus in eo boues, oues, arietésque immolentur; at huiusmodi sacrificia aduentu Messiæ, vt infrà ostendemus, abrogata sunt; non est igitur opus tale templum. Adde illud Ierem. *In diebus*, inquit, *illis non dicent vltrà, Arca Testamenti Domini, neque ascendet super cor, nec recordabuntur illius, nec visitabitur, nec fiet vltrà.* De diebus Messiæ loquitur Vates, in quibus reliquiæ Israël conuertentur: *Assumam*, inquit, *vos vnum de ciuitate, & duos de cognatione, introducam vos in Sion*, id est, Ecclesiam. Posthęc subiungit: *Non dicent vltrà, Arca Testamenti Domini*, id est, non nominabunt vltrà arcam Testamenti, cuius præsentiæ olim adeò fidebant, vt in prælium eam adduxerint: *Afferamus*, aiunt, *ad nos de Silo arcam fœderis Domini, & veniat in medium nostri, vt saluet nos de manu inimicorum nostrorum*: Non ascendet supra cor, eius obliuiscentur; nec visitabitur à populo, nec fiet vltrà alia arca fœderis. Nomine autem arcæ, quæ præcipua erat inter res legales, quæque fœderis tabulas continebat, omnia legalia intelliguntur, omnia sacrificia, templum quoque ipsum; non ergo erit tempore Messiæ arca Testamenti, non templum tertium, non Sancta sanctorum, in quibus arca collocetur.

Ierem. 3. 1. Reg. 4.

Congruunt maximè Iudæis, qui tertium exspectant templum, illa Ieremiæ verba: *Nolite confidere in verbis mendacij, dicentes, Templum Domini, templum Domini, templum Domini est.* Vidit diuinus Spiritus mendaces Iudæorum spes, vidit de tertio templo exędificando pollicitationem inanem, ideoque:

Ierem. 7.

Nolite,

Nolite, inquit, confidere in verbis mẽdacibus, dicentes tria futura templa, id quod indicat templum Domini ter repetitum; duo tantùm erunt, tertium verò non ex mortuis, sed è viuis lapidibus excitabitur.

Conati sunt Iudæi templũ extruere, sed eluminti prohibiti sunt. Theodoret. l. 6. Hist. Trip. c. 43.

Conati sunt Iudæi templum tertium excitare, quartum relicturi Messiæ extruendum, Iuliano apostata iubente. At miris modis conatus hic è cælo est impeditus, vt memoriæ prodidit Theodoret. Cùm gypsi & calcis multa modiorum millia congregassent, venti ac procellæ quidquid congregatum fuerat dispersêrunt: ignis præterea ex fundamentis exiliens multos exussit, nocte quoque plurimos in vicina dormientes porticu, ruens porticus, oppressit subitò. Alio verò die, quæ Dei erga Iudæos misericordia est, in cælo Crux splenduit, Iudæorumque vestibus eiusdem Crucis signum, Christianæ religionis protestans summam veritatem, impressum apparuit.

Nõ extruetur rursus Ierusalem Iudaica. Dan. 9.

Iam verò inanem spem ciuitatis rursus ædificandæ, statúsque Iudaici recuperandi Daniel penitus euertit, ac obruit: *Erit*, inquit, *in templo abominatio desolationis, & vsque ad consummationem & finem perseuerabit desolatio.* Similem in modum vertũt Septuaginta Interpretes: Et vsque ad consummationem temporis consummatio dabitur super desolationem, id est, vsque ad orbis finem & consummationem perseuerabit templi, ciuitatis, Iudæorumque desolatio. Sed oppones, ciuitatem Ierosolymam iterum fuisse exstructam, hodiernaque die inhabitari. Respondemus fuisse quidem exstructam & habitatam, hodiéque habitari, non à Iudæis, sed ab aliis nationibus. Iudæorum namque desolatio & euersio vsque in finem perseuerabit, neque vnquam ad Ierosolymã eo modo incolendam, quo antea incolebant, reuertentur, vt infrà ostenderur.

1. Thess 2. Iudæorum desolatio vsque in finẽ perseuerabit.

Peruenit ira Dei super illos vsque in finem. Oseæ 3. *Dies multos sedebunt filij Israel sine Rege, & sine Principe, & sine sacrificio, & sine altari, & sine ephod, & sine theraphim.* Hoc pacto sedẽt Israëlitæ ad hanc vsque diem, vt cernimus, nec Regem habent, nec altare, nec templum, nec sacrificium, nec theraphim, id est, simulacra: non enim colunt idola. Ad quodnam vsque tempus sic sedebunt? Ad nouissimum vsque tempus, quo Christum agnoscent verum esse Messiam. Et post hæc ait Oseas: *Reuertentur filij Israël, & quærent Dominum Deum suum, & Dauidem*, id est, Christum Regem suum, & Messiam; quærent, quia iam venerat, & eatenus non quæsierant, & pauebunt ad Dominum, Hebraicè, ad Iehoua: obstupescent enim cùm agnouerint Christum Iehoua, id est, Deum esse & hominem, Crucique à maioribus suis affixum; tantam Dei bonitatem admirabunturVnde sequitur: *Pauebũt ad Dominum, & ad bonum eius*; verti quoque potest ad bonitatem eius; pauebunt item ad ingens illud bonum, quod ex Cruce mortéque Messiæ in humanum genus emanauit. Hoc verò continget in nouissimo, inquit, dierum, id est, ad orbis finem.

Oseæ 3.

CAPVT IX.

Iudæos secundùm carnem non esse à Messia in Palæstinam reuocandos, sed Iudæos secundùm Spiritum in Ecclesiam adducendos.

DE congregatione ac reuocatione Israëlitarum, qui verè Israëlitæ sunt, multi Prophetæ sunt vaticinati. Isaias: *Leuabit*, scilicet Messias, *signũ in nationes, & congregabit profugos Israël, & dispersos Iuda.* &: *Ab Oriente adducam semen tuum, & ab Occidente congregabo*, &c. Ierem. *Ecce ego saluabo te de terra longinqua, & semen tuum de terra captiuitatis eorum, & reuertetur Iacob*, &c. Ezechiel: *Nũc reducam captiuitatem Iacob, & miserebor omnis domus Israël, & assumam Zelum*, &c. Et: *Assumam filios Israël de medio nationum, & congregabo vos vndique, & adducam eos in humum suam, & faciam eos gentem vnam in terra, in montibus Israël*, &c. Oseas: *Congregabuntur filij Iuda, & filij Israël pariter, & ponent sibimet caput vnum, & ascendent de terra*, &c. Psalm. *Ædificans Ierusalem Dominus, dispersiones Israëlis congregabit.* Ierem. *Ecce ego congregabo eos de vniuersis terris, ad quas eieci eos in furore meo.* Aliis quoq; locis eiusdem congregationis fit mentio.

Isaiæ 11. *Isai. 43.* *Ierem. 30.* *Ezech 39.* *Ezech 37.* *Oseæ 1.* *Psalm. 146.* *Ierem. 42.*

Duplices sũt Israëlitæ siue Iudæi secundùm carnẽ, quidam alij secundũ spiritum.

Hæc loca vt intelligantur, obseruandum est duplices esse Israëlitas siue Iudæos, alios secundùm carnem, qui à Iacob siue Israële originem carnalem ducunt; alios secundùm spiritum, qui Iacob fidem sectantur, quem in modum *Filij Prophetarum appellantur*, non quòd à Prophetis essent orti, sed quòd eorum doctrinam sequerentur. Sic *Diabolus dicitur Rex super omnes filios superbiæ*, id est, qui superbiæ obediunt, veluti filij parentibus, & apud Ezechielem Ierusalem dicitur Amorrhæorum filia: *Pater*, inquit, *tuus Amorrhæus, & mater tua Cethæa*; quia illorum mores sequebatur. Hanc Israëlitarum & Iudæorum diuisionem tradit Paullus: *Non qui in manifesto*, inquit, *Iudæus est, neque quæ in manifesto in carne est circumcisio*, id est, non est Iudæus secundùm spiritum, etsi Iudæus sit secundùm carnem, ille qui manifestè Iudæus esse apparet, quique manifestam habet in ipsa carne circũcisionem; sed qui in absconditò Iudæus est, & circumcisio cordis in spiritu, non littera, id est, ille Iudæus est secundùm spiritum, qui in absconditò, id est, corde, Christum cõfitetur, & qui in absconditò corde absconditam habet circumcisionem, id est, omnium flagitiorum excisionem. Nam circumcisio spiritalis ac præcellens cordis est, non corporis illa litteralis & typica, quam littera scripturæ continet; litteralis, præputij est excisio, spiritalis, omnium vitiorum resectio.

1. Reg. 4. & 5. & 6. *Iob 40.* *Ezech. 16.* *Rom. 2.*

Itẽ: *Non omnes, qui ex Israël sunt, ij sunt Israëlitæ*, id est, non omnes, qui carnalem à Iacob ducunt originem, sunt Iudæi & Israëlitæ secundùm spiritum, ad quos pertinent Dei promissiones: Neque, qui semen sunt Abrahæ, omnes filij, sed in Isaac vocabitur tibi semen, id est, non qui filij carnis, ij filij Dei, sed qui filij sunt promissionis, æstimantur in semine, &c. Duos habuit Abraham filios, Ismaëlem, qui ex ancilla secũdùm carnem natus est, & Isaac, qui ex Sara sterili secundùm promissionem & gratiam Dei est ortus; sed in Isaac vocatur semen Abrahæ: filij enim Isaac hereditatem Abrahami, benedictionem, & promissiones cõsecuti sunt, Abrahæque filij dicuntur: eumdem in modum duplices Iudæi Abrahami satu editi sunt; quidam secundùm carnem tãtùm ex ancilla synagoga, Ismaëlitæ potius, quàm Iudæi & Israëlitæ appellandi, ad quos Abrahamo promissa hereditas cælestis non peruenit; alij secundùm spiritum, gratiam, ac promissionem, Isaaco similes ex Sara, id est, principe liberaque Ecclesia sunt orti, ij verè dicuntur Israëlitæ & semen Abrahæ, vereque sunt hereditatis Abrahamo promissæ heredes.

Rom. 9.

Nam *Abraham*, vt docet idem Apostolus, *pater est omnium credentium*, tam Iudæorum quàm Ethnicorum, qui illius fidei vestigia sequuntur. *Vt sit pater omnium credentium per præputium*, ait Paullus, *vt reputetur*

Rom. 4.

tetur & illis ad iustitiam ; & sit pater circumcisionis, non iis tantùm qui sunt ex circumcisione , sed & iis, qui sectantur vestigia fidei , quæ est in præputio patris nostri Abrahæ,&c. Vides non satis esse vt quis Abrahæ dicatur filius, quod circumcisus, id est, Iudæus secundùm carnem sit , sed oportere sequi vestigia fidei paternæ,quam egregiam in Christum habuit Abrahamus. Vnde : *Cognoscite* , inquit, *quia qui ex fide sunt,ij sunt filij Abrahæ*. Itē : *Videte Israël secundum carnē*,&c. Aperte docet his verbis Israëlē quēdam esse secundùm carnem genitum à Iacob;at in epist.ad Galat.Israëlem secundùm spiritum, Israëlem Dei appellat:*Pax*,inquit,*super illos & misericordia , & super Israël Dei*.Huc pertinet illud : *Dicunt se Iudæos esse,& non sunt*.& cap.2.*Blasphemaris ab iis, qui se dicunt Iudæos esse,& non sunt,sed sunt synagoga satanæ*. Non igitur sunt Iudæi,aut Israëlitæ,qui secundùm carnem solùm à Iacob typico nascuntur ; sed omnes ij, qui à vero Israële Christo per fidem originem ducunt,id est,Christiani.*Nos*,ait Paullus,*sumus circumcisio,qui spiritu seruimus Deo*,&c.id est,Nos Christiani sumus veri Israëlitæ circumcisione spirituali consignati. Verè etiam sumus Israëlitæ alia ratione,quia Christus,cuius nos filij sumus , Israëlita est, ab Israële & Abrahamo secūdùm carnem oriundus.

Hos duplices Israëlitas videtur Deus præsignasse,cùm semen Abrahæ pollicetur : *Multiplicabo*, inquit,*semen tuum sicut stellas cæli,& velut arenam,quæ est in littore maris*. Arenā sterilem,quæ mihi fructus producit, Israëlitas vocat secūdùm carnem; Christianos autem stellas appellat cęli:quemadmodum enim in cælo stellæ , sic in Ecclesia per fidem & caritatem fulgēt Christiani. *Effundam*,inquit Deus, *aquas super sitientem, effundam Spiritum meum super semen tuum , & benedictionem meam super stirpem tuam, & germinabunt inter herbas,quasi salices iuxta præterfluētes aquas.Iste dicet: Domini ego sum,& ille vocabit in nomine Iacob,& hic scribet manu sua;Domino,& in nomine Israël assimilabitur*, &c. Et stirps semenque Iacob hoc loco tam Iudæos quàm gentes complectitur, super quas Deus Spiritum sanctū effudit,quasq; diuinorū carismatum aquis irrigauit. Iste,inquit, ex gentibus dicet: Domini ego sum seruus,&ille vocabit se&alios nomine Iacob:multi enim ex Christianis Iacobi appellātur.Præterea omnes Israëlitæ dicuntur secundùm spiritum;& alius scribet manu sua Domino laudes & libros, vel nomen suum albo ascribet & militiæ Domini; & in nomine Israël assimilabitur,id est, similis erit in nomine Israëlitis,vocabitur Israëlita non secundùm carnem, sed secundùm spiritum. Pagninus vertit, nomine Israël cognominabit seipsum . Præterea manifestè ethnici quoque Israëlitarum nomine afficiuntur. *Vos*,scilicet Iudæi, *non populus meus, ait Dominus , & ego non ero vester;& erit numerus filiorum Israël,quasi arena maris,quæ sine mensura est,& non numerabitur. Et erit in loco,vbi dicetur eis,Non populus meus vos:dicetur eis ,Filij Dei viuentis*, &c. Hoc est, non erit populus meus Israël secundùm carnē; aliū populum eligā, non deerunt mihi Israëlitæ secundùm spiritū imitatores Israëlis, qui me colant. Erit numerus filiorum Israël,secundùm spiritum, quasi arena maris: per totū enim orbem diffundentur ; & ij homines ethnici,quibus dicitur,Non estis populus Dei,Filij Dei viuentis vbique terrarum vocabuntur.

Explicātur loca Prophetarum.

His obseruatis facilè erit Prophetarum loca intelligere, in quibus de Israëlitarum cōgregatione, vocatione,& in patriam Sionē reuocatione agunt. Primus locus Isaiæ de vocatione Israëlitarum secundùm spiritum in Ecclesiam intelligendus est, hunc in modum: Post celeberrimam de hostibus reportatam victoriam singularemque triumphum, vexillum Crucis & fidei attollet Dominus in omnes nationes,& profugos Israël,id est,Israëlitas secundùm spiritum , per varia vitia & idololatrias errantes congregabit;dispersos colliget à quatuor plagis terræ,ab Oriente,Occidente, Aquilone, & Austro: *Nam in omnem terram exiuit sonus eorum*, id est, fidei concionatorum. Idem vaticinatur capit. 43. *Ab Oriente adducam semen tuum , & ab Occidente congregabo te:dicam Aquiloni,Da;& Austro,Noli prohibere;affer filios meos de longinquo,& filias meas ab extremis terræ*.Hoc est, quod Ioannes Euangelista docet: *Cum esset*,inquit,*Pontifex anni illius Caiphas,prophetauit,quod Iesus moriturus erat pro gente*,scilicet Iudæorum,& non tantùm pro gente,sed vt filios Dei,qui erant dispersi,congregaret in vnum. Vide quam bene consentiant cum Euangelio Prophetæ;quod Ioannes hoc loco dixit Caiphā diuini afflatu Spiritus prædixisse,idipsū Vates eodē Spiritu,sed multo maiori concitati, vaticinantur. Idē vaticinatur Ierem. *Ecce ego saluabo te de terra lōginqua,& semē tuū de terra captiuitatis eorum*. Terram longinquam appellat Propheta peccata, in quibus iacemus , quæ nos longissimè separant à Deo , vnde ille Prodigus dicitur *abiisse in regionem longinquam*; eamdem terram captiuitatis vocat , Ægypto Babyloneque multo crudeliorem.Adiungit: *Reuertetur Iacob in Ecclesiā, & quiescet,& cunctis affluet bonis, & non erit quem formidet*,&c.In Ecclesia vera requies animi est, iuxta illud Christi: *Venite ad me*, &c. *& inuenietis requiem animabus vestris*;in Ecclesia omnium bonorum spiritalium affluentia paxque summa reperitur, nec est quem formidemus,qui scilicet possit inuitis bona,quibus affluimus, nobis extorquere. Simili modo explicanda sunt loca Ezechielis citata.

Illud autem Oseæ,*Congregabuntur filij Iuda,& filij Israël pariter:& ponent sibimet caput vnum, & ascendent de terra*,significat Iudæos, quos filios Iuda vocat,& ethnicos ad Christum conuersos,quos filios Israel nominat , congregandos in vnum corpus Christi mysticum , vnam videlicet Ecclesiam : *Et ponent*,inquit,*sibimet caput vnum*,id est,Christum;*& ascendent de terra* captiuitatis, non Babylonicæ, sed diabolicæ;ascendent inquam à terrenis desideriis ad cælestia:tota enim Christiani vita ascensus est, iuxta illud Paulli : *Quæ sursū sunt quærite,quæ sursum sunt sapite*,&c.Addit Oseas:*Quia magnus dies Israël*, id est,seminis Dei: magnus enim dies fuit Filij Dei, quo in orbem venit, Crucique affixus est, vt filios Dei,qui dispersi erant , è satanæ seruitute redemptos in vnum congregaret. Hoc idem Ezechiel prædixit:*Faciam*,inquit,*eos in gentem vnam in montibus Israël* , id est, in Ecclesiis toto orbe instar montium celsitudine fidei præcellentibus,*& Rex vnus erit omnibus imperans*, scilicet Christus , *& non erunt vltra duæ gentes,nec diuidentur in duo regna.Neque polluentur vltra in idolis suis*. Perspicuum est Ecclesiam vnum tantùm esse Christi regnum , à qua idola omnia longissimè absunt , ideoque credimus vnam sanctam catholicam Ecclesiam ; vnam , quia non sunt regna plura Christi, sed vnicum , quod totum orbem complectitur, catholicam, id est, vniuersalem,quia hoc regnum per omnes nationes diffunditur,sanctam,quia sanctissima fide , præceptis , & institutis, sanctissimisque moribus prædita est, ab omni idolorum cultu alienissima. Addit Vates:*Et seruus meus Dauid Rex super eos* , id est , Christus, *& pastor vnus erit omnium eorum*,&c. Id est,vnus pontifex summus Christi in terris vice fungens.

Michæas quoque : *Congregatione*, inquit, *congregabo Iacob totum te:in vnum conducam reliquias Israël, pariter ponam illum quasi gregem in ouili, quasi pecus in*

medio

medio caularum tumultuabuntur à multitudine hominum. De Israele loquitur secundùm spiritum, quẽ totum Christus in vnum Ecclesiæ ouile congregauit: de Christo post hæc adiungit: *Ascendet enim pandens iter ante eos: diuident, & transibunt portam, & ingredientur per eam: & transibit Rex eorum coram eis, & Dominus in capite eorum*, &c. Oues è caulis emittuntur à pastore in pascua; eodem modo oues Christi ex ouili Ecclesiæ ab ipso pastore educentur ad pascua cæli vberrima. Ascendit enim Christus in cælum primus, pandens iter ante oues suas; illæ sequuntur, diuidunt, & aperiunt obsistentes portas; transeunt, & egrediuntur ex ouili, ex septis Ecclesiæ, in pascua cæli lætissima: Rex autẽ & Pastor Christus corã eis, & in capite earum præcedit eas.

Mich. 4. Idem Vates: *In illa die, dicit Dominus, congregabo claudicantem: Et eam, quam ejeceram, colligam: & quam afflixeram: Et ponam claudicantem in reliquias: & eam, quæ laborauerat, in gentem robustam: & regnabit Dominus super eos in monte Sion, ex hoc nunc & vsque in æternum*, &c. Id est, in tempore Messiæ congregabo synagogam, quæ claudicans dicitur, quia Deum & idola coluit, & eam, quam ejeceram, id est, gentes, quas repuleram, colligam in Ecclesiam: & claudicãti dabo reliquias, id est, filios fideles Messiæ cultores; & ei, quæ sub vitiis & iugo dæmonum laborauerat, id est, gentilitati conuersæ, dabo gentem robustam, Martyres inuictos, filiosque fortissimos; & regnabit Messias super eos in Ecclesia militante ac triumphante in sempiternum. Lege Ezechiel.

Ezech. 36. *Tollam vos de gentibus, & congregabo vos de vniuersis terris, & adducam vos in terram vestram*, id est, Ecclesiam, *& effundam super vos aquam mundam*, scilicet baptismi; *& mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris*, &c. Eumdem lege cap. 34. & 37. & Ierem. 32.

In hunc modum explicanda sunt huiusmodi Prophetarum vaticinia. Nonnulla tamen de reuocatione quoque à captiuitate Babylonica in Iudæã explicari possunt; quem in modum Hieronymus

Isaia 14. exponit illud Isaiæ: *Miserebitur Dominus Iacob, & eliget adhuc de Israël, & requiescere eos faciet super humum suã; adiungetur aduena ad eos, & adhærebit domui Iacob*, &c. In eamdem sententiam Lyranus inter-

Ierem. 32. pretatur illud Ieremiæ: *Ecce ego congregabo eos de vniuersis terris, ad quas eieci eos*, &c. Sed D. Hieronym. de tempore Messiæ exponit: sequitur enim: *Feriam eis pactum sempiternum*, scilicet Testamentum nouum, &c. Nullum autem vaticiniũ est, quod Iudæos testetur à Messia in Iudæam post hanc captiuitatem ducendos.

Messias Israelem quomodo à captiuitate liberarit. Dicimus ergo Messiam à captiuitate, & quidem acerbissima, multoque sæuiore, quàm Babylonica fuerit, aut Ægyptiaca, Iudæos, vniuersumque Israëlem secũdùm spiritum, liberasse; atque in promissam terram, id est, Ecclesiam, lacte & melle manantem induxisse. Veniet præterea aliquando tẽpus, quo è mortis, dolorum, laborumque omnium captiuitate eripiet, & in patriam illam cælestem omni voluptatum genere affluentem introducet. Iis adde Messiam, postquam mortuus in Cruce est, ad inferas descendisse sedes, congregatamque in limbo Israelitarum maximam multitudinem, è terra illa, captiuitate, siue carcere liberasse, & in cælestem Ierusalem ipso ascẽsionis die asportasse. Fingant quidquid volent Israelitæ, nullam sanè tam nobilem ficto Messiæ suo, quem exspectant, liberationem tribuere possunt. Sed hæc non sapiunt: vtinam aliquid, quod cæleste sit, illorum palato arrideat.

CAPVT X.

Iudæos prope finem mundi ad Christum conuertendos, & à dæmonis captiuitate eripiendos.

IN hoc temporis decursu aliquot ex Israelis in Ecclesiam ducit Messias; multos, postquam in cælos ascendit, per Apostolos duxit, sub finem mundi ducet omnes: generalis enim illorum ad Messiam suum conuersio in illud extremum tempus reseruatur. Olim Deus, gentibus relictis, Iudæos sibi in populum asciuit: *Quando diuidebat altissimus gentes, quando separabat filios Adam, constituit terminos populorum iuxta numerum filiorum Israël*, id est, constituit regiones populorum in magno numero, ita vt tot essent varij diuersique populi, quot erant homines in familia Israelitarum. Cùm tamen tot essent populi, tam pauci Israelitæ, hos elegit; ideoque adiungit Moyses: *Pars autem Domini populus eius, Iacob funiculus hereditatis eius*, id est, portio Domini hereditaria Israel; nam funiculis hereditates olim partiebantur; ideo funiculus hereditatis, mensuram hereditatis, quæ cuique obuenit, significat. Interim gentes à Deo ob scelera sua derelictæ idola colebant, præter aliquos, quos ille suæ fidei lumine illustratos in officio continebat, vt Iob, & similes. Fuit Israel populus vsque ad Messiam, quem cùm per summum scelus vita priuasset, populi dignitate, diuina ita iudicante iustitia, priuatus est. *Non erit eius populus, qui eum negaturus est.* Regẽ esse suum Iesum verum Messiam negauit, Cæsarem verò Regẽ inclamauit: optimo ergo iure, & à Christo, quẽ negauerat, negatus & abiectus est; & à Cæsare, quem sibi Regem acclamarat, excisus atque trucidatus. Ideóque Daniel: *Occidetur*, inquit, *Christus, & non erit eius populus, qui eum negaturus est. Ciuitatem & sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo.*

Deus relictis Iudæis gentes sibi copulauit. Osea 1. Relictis Iudæis ad gentes, quas reliquerat, reuertitur Deus, iuxta illud Oseæ: *Erit in loco vbi dicebatur eis: Non populus meus vos: dicetur eis: Filij Dei viuentis*, id est, populũ gentium, qui nõ erat populus meus, ait Dominus, in populum mihi assumam, & ethnicos ipsos filios Dei efficiam. De Israele autem: *Voca*, inquit, *nomen eius: Non populus meus: quia vos nõ populus meus, & ego non ero vester.* Gentes itaque nunc, abiectis simulacris, verum Deum colũt: Iudæis verò in Ecclesiam patet ianua, sed plerique ingredi nolũt. Quid? obliuiscetur antiquus populi Deus? aut continebit in ira sua misericordias suas? Minimè. Veniet aliquando tempus sub finem mundi, cùm populũ antiquum ad veram promissionis terram, id est, Ecclesiam, vocet, illéque, vocationi minime repugnans, libenter sequatur. Tunc mira erit Iudæorum fides, mirus in Christum amor, mira diuinarum cognitio rerum: quo enim serius, eò ardentius ad Christum conuertentur. Oseæ 3. *Dies multos sedebunt filij Israël sine Rege, & sine Principe, & sine sacrificio, & sine altari, & sine ephod, & sine theraphim*, id est, simulacris. Hoc pacto sedent nunc Israelitæ, vt ipsis oculis cernimus. Sed nũquid semper sic sedebunt? audi sequentia. *Et post hæc reuertetur filij Israel, & quærent Dominum Deum suum, & Dauid Regem suum: & pauebunt ad Dominũ, & ad bonum eius in nouissimo dierum.* Quid clarius dici potuit? In nouissimis diebus quærent Deum, & Messiam suũ Dauidis filium, Iesum Nazarenum; quærent, inquam, quia antea non quæsierant, cùm iã venisset: reuertentur, quia auersi erant; recipientur, quia erant abiecti; & pauebunt ad Deũ, & ad bonũ eius; obstupescent, & admirabuntur Messiæ dignitatẽ, bona, opesq; immensas.

Iudæos relictos Deus sub finem mundi conuertet. Osea 3.

Paullus de hac Iſraelitarum ſub finem orbis cõ-
Rom. 11. uerſione ſcribit, his verbis: *Nolo vos ignorare fratres myſterium hoc: quia cæcitas ex parte contigit in Iſraël, donec plenitudo gentium intraret, & ſic omnis Iſraël ſaluus fieret*, id eſt: Volo vobis arcanum Dei conſilium patefacere; non omnes, ſed multi Iudæi ſunt obcæcati, & Meſſiam non agnouerunt; cæcitas autem hæc eo vſque durabit, quouſque plenus numerus, quem Deus ex gentibus decreuit aſſumere, conuertatur. Cùm verò gentium plenitudo Eccleſiam intrauerit, tunc omnis Iſraelitarum populus conuertetur. De hac eadem conuerſione à nonnullis illud Pſal.
Pſal. 58. explicatur: *Conuertentur ad veſperam, & famem patientur vt canes*: ad veſperam namque, id eſt, ad finem mundi conuertentur, & famem patientur vt canes; quoniam auiditate maxima panem viuũ quærent, ciuitatem, id eſt, Eccleſiam, circumeuntes, ſelici fame ſtimulati. De hac item conuerſione illud Pauli intelligendum eſt: *Secundùm naturam*, inquit, *inſerẽtur ſuæ oliuæ*. Oliua fides eſt Patriarcharum, ex qua Iudæi veluti rami aridi reſecti ſunt; ethnici verò, præter naturam, maxima Dei miſericordia inſerti. Tandem aliquãdo Iudæi in ſuam oliuam redibunt, fideique ſuorum Patriarcharum, præſertim Abrahæ, qui pater credentium appellatur, ſecũdùm naturam inſerentur.

Rom. 11.

Quàm optanda verò ſit hæc conuerſio indicat
Ibid. Paullus eodem cap. ad Rom. illis verbis: *Quòd ſi delictum illorum diuitiæ ſunt mundi, & diminutio eorũ diuitiæ gentiũ, quanto magis plenitudo eorum?* Si enim amiſſio eorum reconciliatio eſt mundi; quæ aſſumptio, niſi vita ex mortuis? id eſt, ſi lapſus, & incredulitas Iudæorum, & diminutio, id eſt, quòd tam pauci crediderint, ceteris excæcatis, per occaſionem gentibus inuexit fidei gratiæq; diuitias: quia enim illi credere noluerũt, ad gentes profecti ſunt Apoſtoli, illæque Euangelium receperunt, iuxta illud
Actor. 13. Paulli & Barnabæ: *Vobis oportebat primùm loqui Verbũ Dei; ſed quoniam repellitis illud, & indignos vos iudicatis æternæ vitæ, ecce cõuertimur ad gentes: Sic enim præcepit nobis Dominus. Poſui te in lucem gentiũ, vt ſis in ſaluteẽ vſq; ad extremũ terræ. Audientes autẽ gentes gauiſæ ſunt, & glorificabant Verbũ Domini, & crediderunt quotquot erant præordinati ad vitam æternã.* Hæc illi. Si in-
Iſai. 46. quã, amiſſio Iudæorum fuit occaſio vocationis gentiũ & recõciliationis cũ Deo: aſſumptio eorũ & plenitudo quid erit? id eſt, cũ iterũ à Deo aſſumẽtur ad fidẽ, cũq; eorum plenitudo Eccleſiã ſub finẽ mundi intrauerit, quãtas, Deus bone, gentibus diuitias, quãtã lętitiã afferet. Sanè ſi diminutio Iudæorũ. i. ſi pauci ex iis qui crediderunt Iudæi, tot gẽtibus ad fidem Meſſiæ duces fuere, quid erit plenitudo cùm Iudæi omnes credent? Si abiectio Iudæorum mundum reconciliauit Deo; quid erit aſſumptio, niſi vita, ſcilicet, mundi ipſius ex mortuis? id eſt, niſi quędam mundi & gentium reſurrectio.

De Iudæorũ conuerſione.

Hinc habemus Iudæos conuerſos reuocaturos mundum, id eſt, gentes, in vitam, non corporis, ſed animi. Nã Iudæi tunc ad extremum fidem Chriſti magno mentis ardore complectentur, magniſque Spiritus ſancti donis à Deo Patrum memore exornati, Chriſtianã fidem ardentiſſimè ac conſtantiſſimè prædicabunt. Eã ob rem D. Greg. illa Canticorum verba, *Quid videbis in Sulamite, niſi choros caſtrorũ?* de ſynagoga in fine mundi pro Chriſti fide, quã oppugnauerat, fortiter præliatura interpretatur: Caſtra, inquit, in Sulamite, id eſt, ſynagoga, videbuntur, quia pro fide, quam modò impugnat, tunc robuſtè contra infideles præliabitur, &c.

D. Greg. Cant. 7.

Matth. 24. *Prædicabitur*, inquit Chriſtus, *hoc Euangeliũ regni in vniuerſo orbe, in teſtimonium omnibus gentibus, & tunc veniet conſummatio*. Huic Euangelij prædicationi extremo illo tempore maximè Iudęi operam dabũt, genteſque ab Antichriſto ſeductas ad fidem Chriſti conuertent. Tam excellens verò Iudæis fides opera Eliæ & Enoch continget, quos extremo tempore aduerſus Antichriſtum duces mittẽdos compertum eſt. *Elias venturus eſt*, ait Chriſtus, *& reſtituet omnia*. Chryſoſtomus, id eſt, incredulitatem Iudæorum, qui tunc erunt reſidui, ad fidem conuertet. Auguſtin. per Eliam, vltimo tempore ante iudicium, Iudęos in Chriſtum eſſe credituros, celeberrimum eſt in ſermonibus cordibuſque fidelium. Anſelmus: Terminus cæcitatis Iſrael erit, vbi plenaria multitudo ex omnibus hominibus ingreſſa fuerit; quia tunc Iudęi, qui inuenti fuerint, credent ad prędicationem Eliæ & Enoch.

Matth. 17. *D. Chryſoſt.* *D. Aug. 20. li de Ciuit. Dei, c. 29.* *D. Anſelm. Rom. 11.*

Huius conuerſionis typus exſtat in Geneſi. Ioſeph à fratribus venundatus, in Ægypto fratribus ipſis ignotus obtinuit imperium: ſic Chriſtus à Iudæis ſecundùm carnem fratribus venditus & crucifixus, ipſis ignotus obtinet in gentibus principatum. Poſt multos annos agnitus eſt à fratribus Ioſeph; poſt aliquot ſæcula tandem Chriſtus à Iudæis fratribus agnoſcetur. *Auditum eſt, & celebri fama vulgatum in aula Regis; Venerunt fratres Ioſeph, & gauiſus eſt Pharao, atq; omnis familia eius.* Eumdem in modum cùm toto orbe Iudæi conuertentur, ſummus Põtifex omniſque familia Chriſtiana magno gaudio exultabit. Similem quoque typum habes Numerorum 12. *Locuta eſt Maria contra Moyſen propter vxorem eius Æthiopiſſam.* At graues pœnas dedit. Siquidem & lepra infecta eſt, & à caſtris Iſraelitarum pulſa. Poſt ſeptem tamen dies, Dei miſericordia, ſanitati caſtriſque reſtituta; ſuo malo didicit, ſuóque exemplo docuit linguam compeſcere. Quemadmodum Moyſes vxorem duxit Æthiopiſſam; ita Chriſtus Eccleſiam duxit ex gentibus Æthiopiſſam, peccatorum nigrore atram, vt docet Bernardus: Propter Æthiopiſſam, inquit, iſtam de longinquo Filius æterni Regis aduenit, & vt ſibi eam deſponſaret, etiam mori pro illa non timuit, &c. Verùm Maria ſoror Moyſis, id eſt, ſynagoga, Chriſto & vxori Æthiopiſſæ, id eſt, Eccleſiæ, obtrectat. Lepra inquinatur perfidiæ, è caſtris Dei domóque pellitur. Aſpice, inquit Origenes, nunc ad Iudæorum plebem, & vide quanta in illa eſt lepra peccati, quanta intelligentiæ caligo, quanta turpitudo conſpectus, &c. Non fuit lepra Mariæ perpetua, poſt dies ſeptem in caſtra ſanitatémque rediit: ſic ſynagogæ lepra perpetua non erit, aliquando tandem ſanabitur, ad finem ſæculi, & in caſtra Eccleſiæ reuertetur. Quod Origenes his verbis dixit illa homilia ſexta: Hæc lepra Iudaicæ plebis non perpetuò manet, ſed vbi ſeptimana compleri cœperit mundi, reuocabitur ad caſtra.

Gen. 39. & ſeq *Typus conuerſionis Iudæorum.*

Gen. 45.

Num. 12.

D. Bernard. ſerm 2. de nup. Cana.

Orig. hom. 6. in Num.

Orig.

In fine enim mundi cùm plenitudo gentium introierit, tunc etiam omnis Iſrael ſaluabitur, & tũc ceſſabit lepra à facie Mariæ, id eſt, ſynagogæ. Hæc ille. *Tunc ergo*, quod eſt in Prophetarũ vaticiniis ſuprà citatis, *Deus profugos Iſrael & Iuda congregabit, tũc à quatuor plagis terræ filios diſperſos vocabit, tunc totius domus Iſrael miſerebitur, tunc populum ſuum ex acerbiſſima ſatanæ captiuitate liberabit, tunc in verã promiſſionis terrã fluentem lacte & melle*, id eſt, Eccleſiam, *populum introducet. Tunc in illo exitu Iſrael*, non de Ægypto, ſed de peccato, non de populo Barbaro, ſed de populo Tartareo, *erit Iudæa ſanctificatio eius, & Iſrael poteſtas eius: Tunc montes exultabunt ſicut arietes, & colles ſicut agni ouium*; tunc impedimenta omnia tollẽtur, quę nunc in terram promiſſionis, id eſt, Eccleſiam, iter, veluti mare rubrum ac Iordanis, intercludũt. Mare videbit, & fugiet, Iordanis conuertetur retrorſum. Tunc, quæ nunc ſaxea ſunt, Iudæorũ corda

Iſaiæ 11. *Iſaiæ 43.* *Ezech 9. & 37.* *Ierem. 42.* *Pſal. 113.*

da mollescent; Deus conuertet petram in stagna aquarum, & rupem in fontes aquarum; tunc tandē respiciet Deus populum antiquum, faciémque suā, id est, Messiam, illis ostendet. *A facie verò Domini* 2 Cor. 3. *mouebitur terra, a facie Dei Iacob. Tunc auferetur velamen Moysis* è Iudæorum cordibus: *tunc inferentur suæ oliuæ*, tunc Ioseph à fratribus summo cum gaudio agnoscetur, sororque Moysis antiquæ lepræ horrore liberata in castra Ecclesiæ reuertetur. Exod 34. Rom. 11. Genes. 45. Num. 12.

Denique, vt Paullus ait, *Conclusit Deus omnia in incredulitate, vt omnium misereatur*, id est, permisit Deus vtrumque populum, ethnicorum primùm, postea Iudæorum, incredulitatis veluti quodam carcere constringi, vt vtrique misericordiam impertiret, & vtrumque è carcere hoc emitteret. Cùm Deus vinculis incredulitatis ethnicos liberauit, in eadē vincula Iudæi se coniecerunt. Veniet tempus, quo ab illis Dei misericordia etiam ipsi liberentur: *erunt & primi nouissimi*, id est, Iudæi, qui primi Deum coluerunt, nouissimis diebus post ethnicos cōuertentur. Hæc cùm Paullus animo volueret, & scriberet, in illa tandē admirationis plena verba prorupit: *O altitudo diuitiarum scientiæ & sapientiæ Dei, quam incomprehensibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius:* O profundum, inquit, pelagus opulentissimæ atque infinitæ sapientiæ Dei, quod nemo sui intellectus fragili cymba confisus aggredi debeat; inuestigari viæ Dei non possunt: sunt enim inuestigabiles, id est, nonvestigabiles; comprehendi iudicia eius nequeunt: sunt enim incomprehensibilia. Cur Deus gentes primò incredulitatis carcere claudi permiserit, postea carcerem aperuerit: cur Iudeos in incredulitatem, ex qua gentes emerserunt, incidere passus sit; hæ verò inscrutabiles viæ sunt profundissimi pelagi sapientiæ. Ad littus, ni mergi volumus, paruulam fatiscentémque cymbam reuocemus. Vt enim ait Aug. lib. 1. de Peccatorum meritis & remissione, cap. 21. Valde paruum sensum habemus ad discutiendam iustitiam iudiciorum Dei; & Theodoretus: Diuini, inquit, consilij & administrationis ratio mentis humanæ captū superat.

Rom 11. *Conclusit Deus omnia incredulitate.*

Rom 11.

D. August.

Theodoret. Rom. 11.

CAPVT XI.

Iudaicam Rempub. & regnum temporale non esse à Messia instaurandum.

ACERBISSIMVM suum casum, quo afflicta iacet nobilis illa quondam ciuitas Ierusalem, apud Ieremiam celeberrimum Vatem magna lacrymarum vi dolenter deplorans ait: *Dedit me Dominus in manu, de qua non potero surgere.* Eo enim casu corruit, vt nullo vnquam tempore reparari possit. Antiquus ille Reip. Iudaicæ status, illud regnum, ille pontificatus, illæ leges, illa iudicia, illi ritus, illa sacrificia, illæ vmbræ, Messiæ splendore illuminatæ ita abscesserunt, vt redituræ nūquam sint. Videor mihi audire Vatem hoc ipsum canentem: *Deus*, inquit, *stetit in synagoga deorum, in medio autem deos diiudicat*; quasi dicat: Ille Magnus Deus incarnatus, cùm ad Caipham iudicumque ceterorum concilium ductus à militibus est, stetit in synagoga deorum, id est, iudicum: in medio autem stans, & ab illis iudicabatur, & illos iudicabat; deinde iudices Vates, vt Messiam absoluant, adhortatur, qui se ad paupertatem humilitatemque tantam deiecerat, vt egenus & pupillus videretur: *Eripite*, inquit, *pauperem, & egenum de manu peccatoris liberate.* Non facturos præuidit, ideo adiungit: *Nescierunt, neque intellexerunt, in tenebris ambulant*: obcæcati enim Messiam

Thren. 1. *Casus Reip. Iudaicæ irreparabilis.* Psal. 81.

condemnauerunt. Quid igitur? pœnas non luent? *Mouebuntur*, inquit, *omnia fundamenta terræ*, id est, Iudea commotis fundamentis ruet. *Vos verò*, Iudei, qui dij eratis per participationem, *& filij excelsi omnes; sicut homines moriemini*, id est, sicut mortales impij morte pœnas dabitis; *& sicut vnus de principibus cadetis*, id est, cadetis sicut primus de Angelis Lucifer, casu scilicet irreparabili. Lucifer ita cecidit, vt de illius in pristinum statū reparatione spes nulla sit: eumdem in modum Iudæi sic ceciderūt, vt nulla omnino temporalis illius status recuperādi spes haberi possit. Ne verò dicant, fieri non potest, vt Deus nos adeò dilectos in patriam pristinumque statum nō reuocet; ideò dicitur: *Sicut vnus de principibus cadetis*, quasi dicatur: Maxime dilecti Deo fuêre Angeli, duxque eorum Lucifer: verumtamen, quia peccauerunt, irreparabili casu ceciderunt; sic & vos, licet dilecti valde, tamen ita cadetis, vt in pristinam regni & pontificatus gloriam patriámq; numquam reducamini.

Tamquam vas figuli confringes eos. Vas aureum si frangatur, reparari potest; fictile in mille fragmina comminutum refici nequit. Iudæorum fictilis ille status vt vas figuli contritus est; in mille fragmenta per orbem totum dissipatus, coagmentari numquam poterit. Olim in Babylonica captiuitate organa suspendisse dicuntur. *In salicibus, in medio eius suspendimus organa nostra.* Suspenderunt tunc organa postea recipienda: receperunt enim simul cū patria, pontificatu, templo, & republica, summam lætitiam, & lætitiæ organa, mulices instrumenta. At in extrema hac captiuitate non suspenderunt, sed fregerunt omnino organa, quæ nullo vnquam tempore in Palæstina instaurata recipient. Fractū regnum est, fractus pontificatus; fractū sacerdotiū, fracta respublica, ita vt reparari nullo modo possit.

Psalm. 2. *Iudaica Resp. & eius fictile fractū.* Psal. 136. *Nō suspēsa, sed iam fracta sunt Iudæorum organa.*

Cum mari confert Ieremias populi illius excidium: *Magna* inquit, *est, vt mare contritio tua.* Quam nauim mare absorbet, ea in marinis aquis sepulta comparet numquam, nisi forte post dissipationem tabulæ, malus, vel simile quidpiam enatet, quod naufragij signum exhibeat luctuosum. Nauim illā, quę olim à Deo fabricata, prospere tenebat cursum (Rempub. dico Iudæorum) perfidiæ in Messiam pelagus absorbuit, cuius voraginibus dissipata ac tumulata iacet, æternumque iacebit. Nonnullæ tamē tabulæ, quæ naufragium testarentur, lacrymādum, enatarunt. Quid enim aliud Iudei sunt toto disperſi orbe, quàm miserandi huius signa quæda naufragij, iuxta illud: *Donec relinquamini quasi malus nauis in vertice montis, & quasi signum super collem.* En quid Israeliticus sit populus, qui olim arbori similis erat prope aquarum flumina consitæ, foliorum amœnitate, florum odore, fructuum dulcitudine præcellenti, nunc quasi malus nauis est, fructu, floribus, foliisque spoliatus, & quasi signum super collem, quod calamitosum illud naufragium cunctis mortalibus testatur.

Thren. 2. *Contritio, siue confractio Iudæorum magna est vt mare.* Isaiæ 30.

De libello repudij huiusmodi lex exstat: *Si acceperit homo vxorem, & habuerit eam, & non inuenerit gratiam ante oculos eius, propter aliquam fœditatem, scribet libellum repudij, & dabit in manu illius, & dimittet eam de domo sua.* Synagogam Deus veluti vxorem sibi olim accepit; propter fœditatem verò perfidiæ aliorumque scelerum ante oculos eius gratiam non inuenit; dedit ergo ei libellum repudij, & è domo sua Palæstinaque expulit. De hoc repudij libello quæstio illa exstat apud Isa. *Quis est hic libellus repudij, quo dimisi matrē vestram? aut quis est creditor meus, cui vendidi vos?* rogat Dominus, idémque respondet: *Ecce*, inquit, *in iniquitatibus vestris venditi estis, & in sceleribus vestris dimisi matrem vestram: quia veni, &*

Deut. 24. *Dedit Deus synagoga libellū repudij.* Isaiæ 50.

non erat vir, vocaui, & non erat qui audiret. Eiecta domo Dei est synagoga, ex patria, regno, omnibúsque bonis pulsa, quia venit Messias, & non erat vir qui illum reciperet, vocauit Iudæos, & non erat qui audiret; quibus verbis impios indicat: iis enim, qui Christi doctrinæ obedientes præbuerũt aures, suus honos saluus esto.

Vt Adamũ ex paradiso terrestri, sic Iudæos Deus ex Palæstina rumquã reuocandos expulit. Genes. 3.

Quemadmodum verò Deus Adamum primum illum hominem eiusque vxorem Euam, eo quòd inobedientiæ scelere se contaminarunt, ex amœnissimo horto, in quo illos collocarat, in has, quibus diuexamur, calamitates ita exturbauit, vt nulla illis de reditu in terrestrem paradisum spes affulgeret: sic Iudæos, propterea quòd perfidiæ in Messiam ingenti se flagitio obstrinxere, ex terra illa Patribus promissa, filiisque tradita, in hoc, quod patiuntur exsulium, in has ærumnas sic eiecit, vt omnem redeúndi in pristinum statum spem præsciderit. Si reuersus est in paradisum terrestrẽ Adamus, reuertentur in Palæstinam Iudæi; at præclusus est aditus terrestris paradisi tam ipsi Adamo peccanti, quàm posteris, quos suo peccato inquinauit. Ita etiam præclusus est antiqui illius regni & splendoris aditus Iudæorum parentibus, qui primi solum verterunt, & eorum posteris, qui perfidiam à patribus veluti fontibus hauserũt. Clausus est terrestris paradisi aditus à Deo, collocatis velut in præsidio Cherubinis, adiecto flammeo gladio, atque versatili: at Iudæis videmus regni Palæstini aditum non à Cherubinis, sed à Summo Messia Christo, nõ à gladio flameo, atq; versatili, sed à fulgentissima diuinæ iustitiæ rõphæa intercluſum. Diuina enim iustitia postulat, vt qui Messiam vita priuarunt, ipsi natali solo omnique regni splendore priuentur. Sed iustitiam comitata est soror misericordia, iuxta illud Habacuc tertio: *Cùm iratus fueris, misericordiæ recordaberis.* Vt cũ Adamo, sic etiam cum Iudæis agit Deus. Si Adamum ex paradiso terrestri expulit, si aditum non aperuit, si in hortũ in terra consitum non reuocauit, certè in paradisum cælestem aditũ patefecit; in hortum multo amœniorẽ in cælo consitum, pœnitentia peracta, traduxit: eum dẽ in modum si Iudæos ex terra promissa eiecit, si aditũ denegat, si nõ reuocat, saue cũ iustitia permiscet misericordiã; eiicit è terra, non eiicit, si Christum recipiant, si pœnitentiam agant; è cælo aditum in regnum antiquum denegat non denegat in regnum cælorum, non reuocat in Palæstinam; reuocat, si Messiæ obedire velint, in terram illam beatam vero lacte veróque melle manantem.

Ibid.

Habacuc 3.

Solo æquauit ciuitatem, euertit templum, abolevit sacrificia, cæremonias obliterauit, id misericordiæ quoque diuinæ est: vt cùm hæc omnia per tot annorum fluxus viderint ita sepulta, vt resurgere nulla vi possint, Deo imperãte sepulta esse credãt, & veluti fœtentia tot annorum cadauera fugientes in odorẽ suauissimum Christi currant. Quẽadmodũ si medicus, ait Chrys. ex phiala vna solùm præscribat ægroto vt bibat aquam, deinde clam iis qui ministrant præcipiat confringere phialã illam, vt eum à cupiditate bibendi frigidam auocet: itidem fecit Deus permittẽdo Iudæis sacrificia in vnis Ierosolymis, mox vbi per breue tẽpus sacrificassent, diruit ciuitatẽ. Et quemadmodum medicus fracto vase, ita Deus subuersa ciuitate, vel inuitos illos abducere voluit à victimis. Hæc ille. Si videat natum mater nucum delectari putaminibus, eâq; magna voluptate arrodere, quæ nihil succi, multum amaroris habeant, arripit putamina, pedibus conterit, cõtritáq; longè à nato propellit. Quid fuit tẽplum illud Ierosolymitanum? nónne hortus nucũ? quid Iudaica sacrificia? quid ritus, & cæremoniæ reliquę? nõne nuces huius horti? Fallor, an ita Scriptura appellat? *Descendi*, ait Christus, *in hortum nucum*, id est, in templum Ierosolymitanum, nucum, id est, cæremoniarum, ferax; quemadmodum in nuce patet durum putamen, latet dulcis nucleus; sic in cæremoniis illis duræ legis littera patebat omnibus, dulcis latebat spiritus: at Iudæi relicto nucleo, putaminibus litteræ delectantur, iisque adhærent; ideóque Deus hortum nucum, id est, templum ac ciuitatem euertit, nuces ipsas, id est, cæremonias & sacrificia contriuit, contritáque putamina à Iudæis longè propulit: in iis enim versantur regionibus, vbi sacrificare non est illis fas.

Deus templum euertit, vt medicus phialam frangit. D. Chrys. hõ. 1 contra Iudæos.

Templum hortus nucum.

Cant. 6.

A

B

C

D

E

Atinfelices Moysis velo obtecti, videre hęc nolũt, quod post verba Cãt. quæ explanauimus, significatur consequentibus verbis. *Nesciui*, ait Synagoga, *anima mea conturbauit me, propter quadrigas Aminadab.* Nesciuit synagoga descẽdisse Messiam in hortum nucum, quia scire noluit, nesciuit legem esse abrogatam, nesciuit vmbras illas antiquas Christi luce esse illuminatas; ideoque anima illius conturbata est, oculi lacrymis completi, corpus sanguine respersum propter quadrigas Aminadab; id est, populi principis (hoc enim Hebræum nomen sonat) populi videlicet Romani, qui orbis tunc principatum obtinens, meritam Iudaicæ Reipub. euersionem intulit. Veruntamen misericordię recordatus Dominus, è patrio solo pulsam ad se inuitare non desistit: sequitur enim illo capite indicato mira quædam Dei ad synagogam inuitatio, qua diuini pectoris misericordia mirum in modum declaratur: *Reuertere*, inquit, *Sulamitis, reuertere, reuertere, reuertere, vt intueamur te.* Vide quoties verbum repetit, quanto affectu vocat; quanta misericordia allicit. Bene, ait D. Greg. quater reuerti admonetur Synagoga, quia in quatuor mundi partes modò Iudæi dispersi sunt, qui vbicumque fuerint, in fine conuertentur, &c.

Ibid.

CAPVT XII.

Quorsum Iudæos Deus per orbem disperserit.

MEMORIAE traditum est à Caino inuido fratrem Abelem innocentissimum interfectũ, meritúmq; supplicium interfectori indictum illis verbis continetur: *Vagus & profugus eris super terrã.* Quemadmodum à Caino Abel, sic à Iudæis Christus vita priuatus est: vt verò ille propter fratricidiũ, sic hi propter deicidiũ perpetuo exsulio mulctati sũt: vagus enim est populus hic, vt alter Cain, & profugus super terram, per omnes dispersus regiones. Quod supplicium ex sententia Aug. prædicitur illis verbis: *Deus ostẽdit mihi super inimicos meos ne occidas eos; disperge illos in virtute tua, & depone eos protector meus Domine.* Ne funditus pereat hic populus, precatur Christus, soluat tamen pœnas dispersus, & à regno expulsus: Disperge, inquit, eos, & depone à dignitate & imperio; subiicitur caussa: Ne quando obliuiscantur populi mei: vbicumque enim Iudæi sunt, dum Messiam exspectant, dum vẽturũ prędicant, dũ populũ liberaturũ fatẽtur, dũ in Scripturis promissum testantur, Christi memoriam excitant, Christianæque veritati inuiti testimonium afferunt. Aug. in Psal. 58. Per omnes, inquit, gentes dispersi sunt Iudæi, testes iniquitatis suæ, & veritatis nostræ; ipsi habent codices, de quibus prophetatus est Christus, & nos tenemus Christum. Item in epist. 59. ad Paullinum: Disperge, inquit, eos in virtute tua, vt Christi, cuius fuerunt negatores, persecutores, interfectores, vbique sint testes, per ipsam legem, quam non obliuiscuntur; in qua

Gen. 4.

Hebræi vagantur vt Cain.

Psalm. 58.

Iudæi dispersi sunt per orbem, vt Christi testes sint, inuiti licet. D. Aug.

qua ille prophetatus eſt,quē non ſequuntur,&c.Et ſermone 3.de Epiphania: Propter hoc gēs Iudæorum regno ſuo pulſa eſt, & diſperſa per terras, vt eius fidei,cuius ſunt inimici,vbique teſtes fieri cogerentur.Et lib.18.de Ciuitate Dei c.46. Vbiq; Iudæi nō deſunt&per ſcripturas ſuas teſtimonio nobis ſunt,prophetias nos nō finxiſſe de Chriſto,quas plurimi eorum cōſiderātes crediderunt in eū,&c.

Auguſt. to. 6. & 18. Confert illos idē ſanctiſſimus Pater cum ligneis candelabris lucernas ſuſtinētibus in oratione cōtra Iudæos & paganos: Diſperſit, ait, vos Chriſtus per vniuerſas terras, vt vbique prophetias de eius natiuitate,paſſione,reſurrectione,aſcenſione,quæcumque dicta ſunt, vos perferatis,atque lucernam legis,tamquam lignea candelabra ſenſu carentia, gentibus miniſtretis,&c.Sunt item ſimiles pueris, qui dominorum libros in gymnaſia portant,legūt, nec tamen intelligunt; ſic Iudæi Eccleſiæ, velut Dominæ,totum per orbem diſperſi portant Biblia, legunt puerili,ac carnali ſenſu relegunt, euoluūt, quid ſibi velit Spiritus ſanctus nō intelligunt.Aug. *D. Aug. li. 23. contra Fauſt. c. 10.* Late,inquit,ſparſus,notuſq; eſt populus Iudæorum; ille Cham ſeruus fratrum ſuorum,portando libros, quibus Chriſtiani eruditātur, ipſe oneretur. Eruditur populus Chriſtianus ſacrorum Bibliorum doctrina,& in arcanos ſenſus Spiritu ſancto duce penetrat;Iudæi veluti abecedarij pueri prima ſolùm elementa legunt,ad ipſam penitiorem legis ſignificationem intellectu minimè peruadunt,ideóque, vt rectè ait Aug. ſacris libris non eruditur, ſed *2. Reg. 11.* onerantur:immo Vriæ litteras ferunt. Quēadmodum enim Vrias obſignatas litteras ferebat necis ſuæ; ſic Iudæi obſignatos ferunt mortis ſuæ codices.Greg.Vrias,inquit,mittitur ad Ioab cū epiſtolis,ex quibus occidi debeat; quia idē ipſe Iudaicus *D. Greg in 2 c. Iob,3. li. Mor c.21.* populus legē portat,qua conuincēte moriatur,&c.

Non ſunt extincti Iudæi, vt reliquia conuertantur. Rom.11. Vagantur præterea Iudæi per orbē, nec penitus à Deo diſperduntur,vt reliquiæ Iſrael ſaluæ fiant: nam,vt Paullus oſtendit, *Non rēpulit Deus ita populum Iſraeliticum,vt fidei & ſalutis aditum ingredi volentibus præcluſerit.* Vagantur illi per orbem, vt Eccleſiam florentem omniq́ue bonorum genere ac ſanctimonia redundantem cernant;Scripturas ſacras, *Vagantur Iudæi per orbem vt Eccleſiā videant,& ingrediantur.* Meſſiam,ſacrificia,pontificatum,ſacerdotium, regnum denique cælorum, à ſe in Chriſtianum populum tranſlatum videant, & ſancta quædam æmulatione ducti Eccleſiam ingrediantur. Quod *Rom.11.* dixit Paullus: *Illorū delicto ſalus eſt gentibus vt illos æmulentur*,id eſt,vt Iudæi Chriſtianos æmulentur,& imitentur.Patent Eccleſiæ ianuæ omnibus Iudęis, qui ingredi volunt, vt eodem, quem patres eorum fuderunt,ſanguine abluantur:tāta enim eſt ſanguinis Chriſti vis vt eos etiam abluere poſſit,à quibus crudeliter effuſus eſt,ſi pœnitentiam velint agere. *D. Auguſt. tract. 92. in Ioan.* Aug.Chriſti, inquit, ſanguis ſic in remiſſionē peccatorū omniū fuſus eſt, vt ipſum etiam peccatum poſſet delere,quo fuſus eſt. Et Pſal. 58. Chriſtus ſic *Chriſti Sanguis etiā à quibus fuſus eſt medetur.* voluit mori, vt ſanguine ſuo etiā effuſores eiuſdē ſanguinis redimeret.itēPſal.209.Hoc quoq; valuit ad ægroti medicamentum, quòd medicum occidit ægrotus; venit viſitare, occiſus eſt, vt ſanaret, &c.O medicum clementiſſimum,& ægrotantium ſtudioſiſſimum,qui à phreneticis occiſus,ſanguinē ſuum in ipſorum medicamentum vertit.

Zachar. 13. *Erit fons patens domui Dauid,& habitantibus Ieruſalem, in ablutionem peccatoris, & menſtruatæ.* Patens fons eſt ſanguinis Chriſti, & omnibus expoſitus, quicunique ſcelerum maculas eluere, & deprauatæ vitæ mores emendare voluerint,tam gentibus, quàm Iudæis vitales effundit aquas; ideóque Iſai. non hunc vel illum,ſed omnes ſitientes ad has ſa- *Iſaia 18.* lutiferas aquas magna voce inuitat: *Omnes*, inquit,

A *ſitiētes venite ad aquas.* Sitire oportet animi ſalutem: quemadmodum enim qui non ſitit, ad fontem nō currit;ſic qui ſalutem non ſitiunt ſuam, fontes Chriſti non curant:is verò, cui Deus æternæ vitæ ſitim in pectus immiſit, *quemadmodum ceruus* (vt cū *Pſal.41.* Propheta dicam) *deſiderat ad fontes aquarum*, ita ad fontes Chriſti properat.Omnes ergo inuitat ad ſalutem Deus,etiam Iudæos toto orbe palantes, pro quibus idcirco Cruci ſuffixus preces fudit, ne omnino extinguerentur,ſed ad ſalutem vitamq́; ſempiternam multi reſeruarentur.

Pater, inquit, *dimitte illis:non enim ſciunt quid faciunt*,quaſi diceret; Digni ſunt, qui vel hiatu terræ abſorpti,vel cæleſti fulmine incenſi, pereant,ſed B parce,Pater,ignorantiæ, ne funditus populum de- le, ſed ad ſalutem reſerua. Neque putandum eſt, ait Beda Luc.23. fruſtra Chriſtum oraſſe, ſed in Iudæis,qui poſt eius paſſionem crediderunt, quod orabat impetraſſe. Nec ad illos ſolùm, vt reor, ſed ad totum Iudæorum populum Chriſti illa ſpectauit oratio. Quicūque ex Iudæis animi ſalutem aut conſequuntur, aut vſque in finem mundi conſequentur, ad eos illa Chriſti in extremo ſpiritu effuſa oratio pertinuit.Nec enim potuit clementiſſimus Rex populi ſui,quem adeò dilexerat,quem tot beneficiis cumulauerat,ex quo originem carnemq́ue duxerat,quamuis ingrati,etiam in extremo illo ſpiritu non meminiſſe.Quia verò Cruce ipſa dolor ille erat acerbior, quem ex populi ſceleribus atque euerſione imminente animo capiebat; ideo C antequam Matri cariſſimæ dilectiſſimoq́ue diſcipulo vale extremum diceret,ad Patrem conuerſus pro populo deprecatus eſt,& exauditus,vt cū Paullo loquar,pro ſua reuerentia.Si enim ad cōuerſionem D.Paulli oratio Stephani valuit,quantum pōderis habuiſſe exiſtimandum eſt ipſam Filij Dei è Cruce pendentis orationē ad Iudæos multos conuertendos.

Chriſtus pro Iudæis in Cruce preces fudit vt perirent omnes. Luc.23. Beda.

Habuit ergo ex hoc populo Deus multos electos, habetq́; etiam nunc,pro quibus Patrem orauit, iudaicoq́ue bello finem impoſuit, ne ſi penitus populus vaſtaretur, reliquiæ ſeruandæ non ſupereſſent. *Niſi breuiati fuiſſent dies illi*, ait Chriſtus, *non fieret* *Matth 24.* *ſalua omnis caro, ſed propter electos breuiabuntur dies illi.* D De diebus loquitur belli,quod cum Iudęis Romani geſſerunt;id à Deo breuiatum eſt,ne electorum Iudæorum ſemen periret.De iis Paullus: *Non repulit*, *Rom.11.* inquit, *Deus plebem ſuam, quam præſciuit*,id eſt, quam prædeſtinauit,vt exponit Aug. lib. 2.de Dono per- *D. Auguſt.* ſeuerantiæ capite 8.non repulit Iudæos electos, & prædeſtinatos. Item Paullus: *Quod quærebat Iſrael, hoc non eſt conſecutus; electio autem conſecuta eſt; ceteri verò excæcati ſunt;* id eſt, quam quærebat iuſtitiam populus vniuerſus non eſt cōſecutus; electi autem ſunt conſecuti:ceteri verò Iudæi, qui non erant electi, iuſto Dei iudicio ſunt excæcati.Nam quemadmodum olim Eliæ ætate,etſi decem tribus idola E colerent, multos tamen Deus in cultu ſuo continuit,cumq́ue Elias ſolum ſe relictum cōquereretur,hoc à Deo reſponſum accepit: *Reliqui mihi ſe-* *3. Reg.19.* *ptem millia*,id eſt,multa millia virorum,*qui non curuauerunt genua ante Baal. Sic & in hoc tempore*, ait *Rom.11.* Paullus,*reliquiæ ſecundùm electionem gratiæ ſaluæ factæ ſunt*; id eſt, quamuis plerique Iudæorum à vero Meſſia defecerint: tamen aliqui ſunt relicti, qui Dei gratia ac benignitate electi ſalutem conſequantur.

Denique per orbem vagantur Iſraelitæ,vt teſtētur Chriſtianis Meſſiam iam veniſſe: huius enim exſulij tam diuturni cauſſam inueſtigantes, nullā aliam reperire poſſunt Chriſtiani, aut reddere Iudæi,quam vero Meſſiæ illatam necem.Ipſum ergo

Iudæorum ſupplicium, Meſſiam veniſſe, mortémque pro vniuerſo hominum genere oppetiuiſſe clamat. Quemadmodum facinoroſi hominis cadauer in plures aliquando partes diſſectum, & in variis vrbis locis ſuſpensũ, commiſſum crimẽ cũctis magno cũ terrore denunciat; ſic Iſraelitici populi multitudo in multas partes diſſecta, & per varias mundi plagas diſperſa, ſuſceptum aduerſus Meſſiã ſcelus omnibus nationibus magno clamore prædicat. Lege Chryſoſtomi commentarium in Pſalmum 8. quo in loco inter alia: Nulla, inquit, eſt pars orbis terrarum, quæ ſit Iudæorum calamitatis expers: ſed quemadmodum qui corpore eſt mutilo vndiquaque circumcurſat, ſua vulnera oſtentans. Et quemadmodum iudices cùm multos homicidas de medio ſuſtulerint, vnum furcæ affigunt, vt vel ipſis mortuis, tamquam recenter inflictum ſupplicium, viuos coerceat, & in officio contineat: ita hîc etiam non mortuos, ſed viuos omnibus exemplum Deus propoſuit, eos quoquouerſus diſpergens; & qui vnam habitabant regionem, nunc ſunt diſperſi per totum orbem. Etſi cauſſam rogaueris, nullam aliam inuenies, quàm quod Chriſtũ crucifixerint. Hæc ille. Et D. Gregorius Nazian. Quinam, inquit, libri Iudæorum calamitatem capient? Vna vtique illis calamitatis columna totus terrarum orbis eſt, per quem variè fuſi ſparſiq́ue ſunt, diuinúſque cultus compreſſus, & extinctus, ipſúmq; adeò Ieroſolymitanæ vrbis ſolum, quod vix iam agnoſcitur. Et in hunc locum ſic ſcribit ſcholiaſtes: Quemadmodum columnæ ex ære vel lapide excitatæ, aut vituperationes aut ærumnas aliquorum continentes, prætereuntibus illas ſpectandas exhibent; ſic totus terrarum orbis, per quem Iudæi diſperſi ſunt, & cultus eorum extinctus, & Ieroſolymæ ſolũ, quod vix iã agnoſcitur, inſtar columnæ, prædicant quæcumque ipſis horrenda acciderint.

D. Chryſoſt. *D. Gregor. Nazian. orat. 1. de Pace.*

Genes. 4. *Vox ſanguinis Abel è terra* clamabat, in quam effuſus eſt, vt legimus in Geneſ. vox verò ſanguinis Chriſti ex Iudæis clamabat, per quos effuſus eſt. Nã quod illi petierunt euenit: *Sanguis eius ſuper nos & ſuper filios noſtros.* Sed multo melius clamat Chriſti ſanguis, quàm Abelis, vt Paullus docet: *Sanguis Abelis aduerſus Cainum ſupplicium clamore petebat, ſanguis Chriſti Iudæis etiam ipſis veniam, ſi velint, & petit, & præſtat.* Vtinam ſanguis eius ſit ſuper eos, & ſuper filios eorum, non ad vindictam expetendam, ſed ad veniam præſtandam; vt illo, quem effuderunt, ſanguine abluti, & quod repudiarunt, lumine illuſtrati, vitam adipiſcantur immortalem.

Matth. 17. *Hebr. 12.*

CAPVT XIII.

De Regno Meſſiæ.

Pſalm. 71. *Iſaiæ 9.* *Ieremi. 23.* *Ezech. 37.* *Oſea 3.* *2 Reg 7.* *Dan. 2.* MESSIAE Regnum celebri Vatum ſermone prædicatum nemo neſcit, niſi qui Scripturæ ſacræ ignarus eſt. *Dominabitur à mari vſque ad mare, & à flumine vſque ad terminos orbis terrarum. Factus eſt principatus ſuper humerum eius, multiplicabitur eius imperium*, &c. *Regnabit Rex, & ſapiens erit. Seruus meus Dauid*, id eſt, Meſſias, *Rex ſuper eos. Quærent Dauid Regem ſuum. Stabiliam thronum regni eius vſque in ſempiternum. Suſcitabit Deus regnum*, ſcilicet Meſſiæ, *quod non diſſipabitur.* Hoc regnum Iudæi quærunt, nec tamen inueniunt; nec inuenient, quamdiu velamen oculos obtexerit, & cordis duritia mentis aciem hæbetarit. Aquilinis fidei oculis opus eſt, nocturni faceſſant, qui tenebrarum amantes fulgoris vim ferre nequeunt: nam, vt dicitur in Pſalm. *Thronus eius ſicut Sol.* Sol eſt Meſſiæ ſolium, à noctuis & vespertilionibus cerni nequit, aquilinos obtutus flagitat. *Regnum meum*, ait Meſſias, *non eſt de hoc mundo*, non eſt caducum, ac periturum, non futuli, ac vano purpurei honoris, & opum innitens fundamento. At Iudęorum oculi honores, opes, exercitus, equos & currus requirunt, auri argentique fulgorem in Meſſia deſiderant.

Pſal. 87. *Meſſiæ Thronus ſicut Sol Aquilinus videtur oculis* *Ioan. 18.*

Attollite humo mentem, & aures erigite viri Iudæi, Zachariam veſtri ſanguinis Vatem audite: *Ecce*, inquit, *Rex tuus veniet tibi iuſtus, & Saluator, & ipſe pauper, & aſcendens ſuper aſinam, & ſuper pullum filium aſinæ: ipſe*, inquit, *pauper*: quid igitur diuitem exſpectatis Meſſiam, quem propter diuitias meritò repudiare debeatis? quippe, quæ diuino oraculo non conſonent. Cur equis, curribus, militibuſq́ue ſtipatum, & bellatorem deſideratis, quem abiectiſſimo animanti vehendum Vates prædixit? Quid hæc omnia, quid opes ſunt & honores? Nonne aureus quidam nubium color temporis momento euaneſcẽs? Vnde illud: *Sicut mane tranſiit Rex Iſrael*; id eſt, ſicut aurora. Sunt enim terreni Reges aureæ auroræ ſimiles, *quorum vita* (vt Iacobus teſtatur) *vapor eſt ad modicum parens*; vapor, inquam, aurea quadam honoris regiæq́ue potentiæ luce perfuſus. Somnia ſunt humana regna, ideóque meritò in ſomnis à Nabuchodonoſore, Babyloniorum, Perſarũ, Græcorum, Romanorumq́ue imperia, viſa ſunt. Nolite, quæſo, hac Meſſiam labe aſpergere, vt Regnum illi tribuere velitis, inſomnio & deaurato nubium vapori ſimile. Aureos hoſce colores Meſſias ſpreuit; quamobrem apud Iſaiam cum virgulto confertur prodeunti e ſolo non fœcundo & opimo, ſed ſterili atque arido: *Aſcendet*, inquit, *ſicut virgultum coram eo, & ſicut radix de terra ſitienti*: videlicet, quia ab omni fa[illegible]u, vanáque potẽtia, & gloria fuit alienus; nec verò, velut ſuperbus ille Nabuchodonoſor, arbori ſimilis, quam deſcribit Daniel, procerã, patulis vndique diffuſam ramis, ipſumq́; cælum cacumine pertingentem.

Zachar 9. *Quale ſit Regnum Meſſiæ.* *Oſea 11.* *Iacobi 4.* *Dan. 2.* *Iſaiæ 53.* *Dan. 4.*

Non ea fuit cauſſa aduentus tanti Regis, vt Hebræos opibus caduciſque bonis, ſed vt cuctos mortales ſempiternis virtutibus & gloria bearet. Quẽadmodum ſegetibus ſpinę, ſic virtuti rerum effluẽtium affluẽtia inimica eſt. Vt bene ſaginatus equus recalcitrat: ita terrenarum rerum ſagina ſatur homo Deo repugnat; quod cecinit Moyſes de Iſraelitico populo: *Incraſſatus*, inquit, *eſt dilectus, & recalcitrauit; incraſſatus, impinguatus, dilatatus, dereliquit Deũ factorem ſuum*, &c. Et Ezechiel de Sodoma: *Hæc fuit iniquitas Sodomæ, ſuperbia, ſaturitas panis, & abundantia, & otium ipſius, & filiarum eius, & manum pauperi non porrigebat*, &c. Ideóque idem legis diuinæ promulgator prouidens ante, ac præcauens, hæc ſcribit: *Præcipio tibi ne poſtquam comederis, & ſatiatus fueris, & domos pulcras ædificaueris, & habitaueris in eis, habuerisq́ue armenta, & ouium greges, argenti, & auri, cuctarũq; rerum copiam, eleuetur cor tuum, & non reminiſcaris Domini Dei tui.* Sapiens quoque Deum hũc in modum precatur: *Mendicitatẽ & diuitias ne dederis mihi ſed tãtum victui meo tribue neceſſaria, ne forte ſaturatus illiciar ad negandum, & dicam: Quis eſt Dominus?* Cùm igitur caducæ felicitatis fecundus ventus in ſcopulos potius ac ſaxa, quàm portum impellat nauem; non hanc, ſed ſanctiſſimi Spiritus auram Meſſias aduehere in orbem voluit, qua felici curſu in cælum nauigaretur. *Ecce Rex tuus, & ipſe pauper*, ô Iudæa? ait tuus Vates? Ne quære diuitias malorum eſcam, ne aurũ, argentúmq; in eo deſidera, quorũ immenſa pondera Deus Regẽ Iſraeliticum habere vetat. *Nõ habebit Rex Iſraeliticus auri & argenti immenſa pondera*, &c. Quod nobilis Propheta deplorat, ne velis Meſſię tuo affingere. Nónne deplorat Iſaias Iudęorum

Diuitiæ malorum eſca. *Ezech. 16.* *Deut. 32.* *Deut. 8.* *Prou 30.* *Zachar 9.* *Meſſias pauper, non diues.* *Deut. 17.*

Isaiæ 2. rum diuitias: *Repleta*, inquit, *est terra argento & auro, non est finis thesaurorũ eius, & repleta est terra eius equis, innumerabiles quadrigæ eius.* Hęccine tu affinges Messiæ? inopes opes, impotentem potentiã, seruilẽ dominatum, famulare regnum, abiectissimos mundi huius triũphos? Quæ Deus abiectissimis mancipiis, immò inimicis donat, ea tu in Messia Dei Filio magna & illustria putabis? Nónne abiectissima mancipia fuerunt Cæsares, Alexandri, Caligulæ, Neriones, Sardanapali, sexcẽti præterea alij, in quos Deus diuitias, imperiũ, & ea, quæ Messiæ verissimo deesse caussaris, ornamẽta congessit? Nõ sunt hæc Messiæ ornamẽta, sed vilissima ossa, quæ canibus suis Deus ex opulẽtissima mẽsa proiicit arrodẽda, furfuracei panes, quibus infima mancipia alit.

Monarchiã Deus impius hominibus tribuit, non tribuit olim suo populo.

Assyriis, Persis, Græcis, Romanisque simulacrorum cultoribus, orbis dedit imperium; sanctissimũ Abrahamũ, Isaac, & Iacob, in terris peregrinos esse voluit; iuxta illud: *Dies peregrinationis vitæ meæ cẽtum triginta annorum sunt, parui, & mali, & non peruenerunt vsq; ad dies patrum meorum, quibus peregrinati sunt.* En
Genes. 47. Deo dilectissimus Iacob se patresque suos Deo carissimos, Abrahamũ, & Isaac, non Principes, non Reges, aut Imperatores, sed peregrinos nominat. Vnico præterea populo, quem ab iis patribus ortũ Deus olim sibi asciuit, legem, sacerdotium, sacrificiorum ritum, ac deniq; regnũ tradidit: orbis verò terrarum principatũ, ac monarchiã, quam tribuere facillimè poterat, & simulacrorum cultoribus tribuerat, numquã tribuit: quin potius variis calamitatibus sæpe afflictum, veluti in fornace aurũ purgare voluit. Cur ita? videlicet, quia alia sunt bona multo humanis præcellentiora; quæ Patriarchis illis populóq; suo reseruabat. Denique hæc Psalmo-
Psal. 72. graphus canit: *Ecce ipsi peccatores, & abũdantes in sæculo obtinuerunt diuitias.* de se verò: *Laui inter innocentes manus meas*, attamen, *Fui flagellatus tota die, & castigatio mea in matutinis.* Quare in ea impellebatur nefaria verba? *Ergo sine caussa iustificaui cor meũ*, at renuẽs adiungit: *Si dicebam, narrabo sic: ecce nationem filiorum tuorum reprobaui.* Qui enim magni hæc bona facit, quibus impij fruuntur, nec de aliis cogitat præstãtioribus, vacillat, & Dei filios, quos multipliciter vexatos cernit, reprobat, id quod Iudęis egregiè cõuenit; quia enim narrant sic: Ecce nationem filiorũ Dei, id est, Christianorum, ipsumq; Messiã Dei Filiũ reprobarunt, ideóq; meritissimò reprobati sunt. Ne cæcutiatis viri Iudæi ad Messiam cernendum; quẽ-
Genes. 27. admodum vester olim parens Isaac cæcutiuit ad cognoscendum Iacob. Aliena veste amictus Iacob benedictionẽ à patre impetrauit; sic aliena, id est,
1. Reg. 17. nostra paupertate indutus Messias à Deo nobis cælestia dona promeruit. Saulis arma regia repudiauit inclytus Dauid cũ gigante pugnaturus: Messias verò regia stẽmata, honores, opes reiecit, cũ dæmone cõgressurus. Qui luctam init, vestes exuit, cum diabolo luctam initurus Messias omnibus honoribus
Messias abiecit opes & imperium. Phil. 2. se ipse spoliauit. *Exinaniuit semetipsum*, ait eius Apostolus, *formam serui accipiens*, nõ necessitate ductus, sed caritate, nõ vi, sed voluntate, vt illius exinanitio nos repleret, cælestibúsque donis cumularet. Hæc admiratur Ierem. cùm Deum Messiam sic al-
Ierem. 14. loquitur: *Exspectatio Israel, Saluator eius in tempore tribulationis, quare futurus es quasi colonus in terra, & quasi viator declinans ad manendum? Quare futurus es velut vir vagus, vt fortis qui non potest saluare?* Exspectatio Israel & Saluator Messias est, cur in terra sit futurus quasi colonus, id est, peregrinus, Propheta miratur, & quasi viator propriis ædibus carens ad alienas diuertens, & veluti vir vagus, Iudæam pedibus peragrans, quasi vir fortis, qui fortitudinem absconditam gerat, & seruare quemquam non pos-

se videatur. Sic ille Messiam describit, Deum & hominem inopem, propria domo carentem, peregrinum, & hominum opinione imbecillum, qui tamẽ diuina esset præditus fortitudine.

Abeant ergo quicumque Iudæi Messiam pauperem repudiant, & aureum effingunt, patrum imitatores, qui Moyse contempto, vitulum sibi au-
Exodi 32. reum, quem colerent, quique in terram promissionis illos duceret, effinxerunt. Vitulus sane aureus
Pseudomessias aureum vitulum. est Pseudomessias, quem cornibus ad ventilandas gentes armatum, aureumque, id est, opulentum, somniant: *Fac nobis Deos*, aiebant, *qui nos præcedant: Moysi enim huic viro, qui nos eduxit de terra Ægypti, ignoramus quid acciderit*, quasi verò dij effici possint, & creator a creatura possit efformari. Qui Deos sibi fieri postularunt, quid mirum si Messias mille faciant? Sed Deo, id est, vitulo, similes, quem fabricarunt, vt illos præcederet, non in terram promissam, sed in Tartarum, cornibúsque aureis eos impeteret, ac disperderet. Moysis cum Deo in monte
Iudæi olim mora Moysis impatiẽtes, nunc mora Messiæ patientissimi. Sinai colloquentis paruam moram ferre non valuerunt, quam si tulissent, non periissent: *Moysi*, inquiunt, *huic viro, qui nos eduxit de terra Ægypti, ignoramus quid acciderit.* Nunc Messiæ falsi longissimam & intolerabilem cunctationem tolerant, quam si non tolerarent, illum inuenirent, eóque inuento, in interitum non abirent. Vtinam modò quoque dicerent huic Messiæ, quem exspectamus, ignoramus quid acciderit: num claudus est, num ægrotat, num ludit, num in via somno est oppressus, num ab aliquo alio populo inuitatus, num in vincula coniectus? Quid caussæ est, cur tot non solùm annis, sed sæculis etiam, cunctatur? etiamsi testudineo gradu moueretur, iam adesse poterat. An venit forsitan, & incognitus nobis ad alios trãsiit? Surgat ergo vnusquisque nostrum, & cum sponsa
Cant. 3. *circumeat ciuitatem*, orbémque vniuersum, *per vicos & plateas quærat dilectum.* Et quidem si quæratis, si Ecclesiæ ciuitatem toto orbe diffusam circumeatis, ô Israelitæ, in Ecclesia verum Messiam inuenietis; non adeò cunctatus est; iam venit. Quod si nolitis, id vobis eueniet quod prophetis Baal, qui, vt nar-
3. Reg. 18. ratur, *Inuocabant nomen Baal de mane vsque ad meridiem, & non erat vox, nec qui responderet*, cùmque esset iam meridies, illudebat illis Elias, dicens: *Clamate voce maiore: Deus enim est, & forsitan loquitur, aut in diuersorio est, aut in itinere, aut certè dormit, vt excitetur.* Exspectabitis falsum Messiam, & inuocabitis, vt illi, Baalem, quod & facitis per tot sæcula, & nõ est, nec erit vox, nec qui respõdeat. Iam meridies est, si ad vos Elias venerit, iisdem vos verbis irrideret, quibus sacerdotes Baalis illusit. clamate voce maiori, quia forsitan Messias hic vester dormit, vt excitetur.

Pauper Messias vixit, quamuis esset ditissimus, eo quòd ad eam rem, quam perpetrauit, mundi videlicet redemptionem, & exemplũ, paupertas fuit maximè necessaria. Ceteroqui Messiæ regnum ditissimum est, & totius orbis omnia imperia lõgo post se relinquit interuallo, vt antiqui Vates diuino afflati Spiritu, cecinerunt, id quod ia nunc ostendere, & initio proposita testimonia explanare operæ pretiũ erit. Superat imperia omnia Iesu Messiæ ve-
Messiæ regnum excellit amplitudine. rissimi imperiũ. Primò amplitudine: cũ enim regna cetera exiguis aliquot terrarũ terminis circũscribantur, Christi regnũ nec terrarũ, nec cælorũ vllis finibus continetur. Hinc illud: *Data est mihi*
Matth. 28. *omnis potestas in cælo & in terra.* & illud: *Postula à me,*
Psalm. 2. *& dabo tibi gentes hereditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ.* & illud: *Dominabitur a mari vsque ad mare, & à flumine vsque ad terminos*
Psalm. 71. *orbis terrarum.* Ecclesia Christi Regnum est: ea verò,

vt ipſis oculis cernimus, nullis coercetur terminis, A à mari Oceano, Occidentali, vſq; ad Orientale, & à flumine, ſiue Iordane, ſiue Euphrate, vſq; ad terminos orbis terrarum protenditur. Vt omittam dicere Chriſtum non Eccleſiæ ſolùm Regem eſſe, verùm etiam gentium omnium, quæcumque in orbe degunt, immo dæmonum, & eorum, qui apud inferos cruciatu afficiuntur. Secũdò, excellit Regnum Chriſti duratione: Ecquodnam imperium hominum perpetuum eſt? nullũ ſane. Chriſti autem regnum, vt Vates, quorum teſtimonia ſunt allata, cecinerunt, eſt ſempiternum. *Stabilium thronum regni eius vſque in ſempiternum.* Dan. *Suſcitabit Deus regnũ, quod non diſſipabitur.* & : *Poteſtas eius, poteſtas æterna, quæ non auferetur, & regnum eius, quod nõ corrumpetur.* B Iſai. *Super ſolium Dauid, & ſuper regnum eius ſedebit, vt confirmet illud, & corroboret in iudicio, & iuſtitia amodò, & vſque in ſempiternum.* Pſal. *Sedes vel thronus tuus Deus in ſæculum ſæculi.* &: *Thronus eius ſicut Sol in conſpectu meo, & ſicut Luna perfecta in æternum.* Hanc regni æternitatem ſignificat Iſaias vnica littera Hebræa (ם Mem) clauſa: *Multiplicabitur*, inquit, *eius imperiũ*, Hebraice לְמַרְבֵּה הַמִּשְׂרָה lemarbe amiſrah. Duplex (Mem) habent Hebræi, alterum clauſum ſimile quadrato, alterum apertum: clauſo vtuntur in fine tantùm dictionis: at Iſaiæ hoc loco in principio dictionis (marbe) ſcriptum eſt, præter morem, inueniens videlicet Regnũ Meſſiæ clausũ fore, nullumque exitum, id eſt, finem habiturum; fore præterea quadratum, id eſt, ſtabile, quod nulla C vnquam vi poſſit euerti.

Excellit duratione Regnum Chriſti. 2. Reg. 7. Dan. 2 & 7 Iſaia 9. Pſalm 44. Pſalm 88. Iſaia 9.

Tertiò, excellit vi ac poteſtate. Ceteri Reges in corpora ceteraque bona peritura habẽt poteſtatẽ, at Chriſti imperium ad corpora animoſque pertingit. Vnde illud: *Timete eum, qui poteſt & animam & corpus perdere in gehennam.* Virga Chriſti, virga dicitur ferrea: *Reges eos in virga ferrea.* Regum ſceptra ſunt arundinea, & facile franguntur, & mollem tantummodò carnem poſſunt vulnerare; at Chriſti Sceptrum ferreum appellatur, propterea quòd frangetur numquam: vulnerat autem non imbecille ſolùm & mortale corpus, verùm etiam fortiſſimos atque immortales animos.

Excellit Chriſti Regnum ſi, ac poteſtate, opibus, fortitudine. Matth 10. Pſalm. 2.

Quartò, excellit opibus: abundat enim opibus D planè diuinis, tum caritatis auro virtutumque omnium gemmis fulgentiſſimis, tum ſacramentis, quę auri huius & gemmarum fodinæ ſunt locupletiſſimę. Cęleſtis verò Regni opes quis fando explicare poſſit.

Quintò, excellit fortitudine: *Nam portæ inferi*, vt prædixit Rex noſter, *non præualebunt aduerſus illud*, immò verò hoc Regnum reliqua regna omnia, tam hominum, quàm dæmonum comminuet, ipſumque ſolum ſtabit in æternitatem. *Suſcitabit Deus cæli regnum, quod in æternum non diſſipatur, & regnum eius alteri populo non tradetur; comminuet autem, & conſumet vniuerſa regna hæc, & ipſum ſtabit in* E *æternum.* Hoc lapis ille adumbrabat, qui ſine manibus è monte abſciſſus, ſtatuam, quæ quatuor orbis Monarchiarum imago erat, euertit, & æquauit ſolo. Lapis enim ſine manibus, id eſt, ſine viri opera è monte celſiſſimo, id eſt, Deipara Virgine, eductus, Chriſtus eſt.

Daniel. 2. Ibidem.

Sextò, excellit legibus, atque inſtitutis planè diuinis: quamobrem Eccleſia meritò regnum cælorum appellatur, quippe quæ cæleſtibus decretis gubernetur. Septimò, excellit vtilitate: homines namque è dæmonis ſeruitute eripit, filios Dei reddit, & æternę heredes vitæ. Octauò, excellit fine: finis regni huius eſt, æternos Reges efficere; neque verò fucata ac vitrea, ſed immortali gloria homines beare.

Excellit Chriſti Regnum legibus, vtilitate, fine, Regia nobilitate.

Denique excellit Regis inexplicabili nobilitate ac ſanctimonia: Regem enim habet Ieſum, Deum ſimul, atque hominẽ clemẽtiſſimum, iuſtiſſimum, opulentiſſimum, fortiſſimum, ſempiternum. Vide quibus nominibus afficiatur Rex noſter ab Iſaia: *Vocabitur nomẽ eius Admirabilis, Cõſiliarius, Deus fortis,* Iſaia 9. *Pater futuri ſæculi, Princeps pacis.* Admirabilis eſt Rex hic, admirabilis Deus, admirabili incarnatione factus homo admirabilis, admirabilis cõceptione, admirabilis ortu, admirabilis vita, admirabilis paupertate, laborũ perpeſſione, ac morte, admirabilis reſurrectione, & in cælum aſcenſione. Cõſiliarius eſt, quia ſalutaria toti orbi conſilia dedit. Ceteri Reges conſiliariis indigent, à quibus accipiant conſilia. Rex hic ipſe ſibi, & nobis cõſiliarius eſt. Nõ accipit, ſed dat conſilia: neque enim conſiliario eget, qui ſumma eſt ſapientia. Deus præterea eſt æterno æqualis Patri: Fortis ad debellandos hoſtes Tartareos, mortem atque peccatum. Pater futuri ſæculi, quia hoc aureum ſæculum, quod nunc eſt, Prophetæ vero tempore futurum erat; hanc auream ætatẽ gratiæ aureo ſplendore rutilantem ipſe genuit. Princeps denique pacis, quia hic eſt non typicus, ſed verus Rex Salomon, id eſt, pacificus, qui *Magnificatus eſt ſuper omnes Reges terræ, diuitiis & ſapientia.* 3 Reg. 10. Pſal 88. Ideoque meritò dicitur, *Thronus eius ſicut Sol*: quemadmodũ enim Sol cetera omnia ſidera, ita Regnũ Chriſti reliqua regna longe præcellit. Cùm Sol apparet, diſparent aſtra. Cùm Regnũ Chriſti in extremo iudicio apparuerit, regna terrena veluti exiguę ſtellæ euaneſcẽt. Quia verò Reges omnes ſuperat, ideo dicitur: *Rex regum, & Dominus dominãtium*; dicitur præterea geſtare in capite diademata multa. Nec enim tanto Regi vnum diadema ſatis eſt. Dicitur Salomon thronũ fabricaſſe ex ebore admirabilẽ, auro tectũ, gradibus, & aureis leonibus adornatum, reliquis omniũ Regũ ſoliis excellentiorẽ; quãobrem ſubiungitur: *Non eſt factũ tale opus in vniuerſis regnis.* Quid hæc vmbra deſignat aliud quàm Chriſti regnũ, cui nullũ par inueniri poteſt? Nõ enim eſt factũ tale opus in vniuerſis terrarũ regnis, quale eſt ſoliũ Chriſti: ex ebore eſt candidiſſimo; propter eximiã Regis ſanctimoniam auro tegitur, quod infinitas illius opes indicat; leonibus veluti munitur, quia fortiſſimũ eſt. Per gradus in ſoliũ Salomõ aſcẽdebat, ſic & Chriſtus per gradus, id eſt, per ſummos cruciatus ad regni gloriam peruenit, iuxta illud: *Nõnne hæc oportuit pati Chriſtum, & ita intrare in gloriam ſuam?* 3 Reg. 10. Regnum Chriſti ſuperat regna omnia. Apoc. 19. 3. Reg. 10. Thronus Meſſiæ. Luc. 24.

Terrarũ regna duobus cõparãtur modis, vel ſanguine in bello effuſo, vel hereditate; Chriſto regnũ vtroq; modo obuenit; debetur hereditate, quia Filius Dei eſt, vnde illud: *Filius meus es tu, ego hodie genui te, poſtula à me, & dabo tibi gẽtes hereditatẽ tuã, & poſſeſſionẽ tuã terminos terræ*, quia videlicet Filius meus es. Debetur quoq; propter effuſũ ſanguinem, vnde illud Paulli: *Videmus Ieſum propter paſſionẽ mortis gloria & honore coronatũ.* Iſa. *Factus eſt principatus ſuper humerũ eius.* Super humerum dicitur Meſſias portaſſe ſuũ principatum, quia Crucẽ, per quã principatum meruit, humeris in montẽ Caluariæ portauit, vt exponit Aug. Tunc, inquit, Chriſtus principatum ſuper humerũ habuit, quando Crucem portauit. Nõ incõgruè Crux ſignificat principatũ; nã per ipſam & diabolus vincitur, & totus mũdus ad Chriſti notitiã vel gratiã reuocatur. Sic Paul. dicit: *Factus obediens vſque ad mortẽ, mortẽ autem Crucis. Propter quod & Deus illũ exaltauit, & donauit illi nomẽ, quod eſt ſuper omne nomen.* Hæc Auguſt. Præterea, quia virgam Reges ſuper humeros ſolebant portare, cùm Rex ſit Chriſtus, principatũ, id eſt, inſignia imperij, ſuper humerũ geſtare ſcribitur. Eodẽ c. Iſaias ſic ſcribit:

Chriſto duobus modis regnũ debetur. Pſalm. 2. Heb. 2. Iſaiæ 9. D Aug ſer. 71. de tempore Phil. 2.

Virgam

Isaiæ 9. *Virgam humeri eius & sceptrum exactoris eius superasti,* &c. Virgam humeri appellat, quia super humeros gestabatur. Dicitur quoque Christus portasse principatum super humeros, id est, imperij sui onus: sic enim Regem dicimus regnum humeris portare; quia regni pondus sustinet. Imperij autem Christi onus grauissimum, fuit mors pro hominibus oppetenda, quod ille libēter subiit, vt Paullus scribit, pro gaudio sibi proposito: *Proposito sibi gaudio*, ait Paullus, *sustinuit Crucem, confusione contempta.* Gaudium autem Christo propositum illud erat, quod incredibile ex hominum salute capit: Rex enim noster salutis hominum cupidissimus, miro illos prosequitur amore, quem illæ vulnerum omnibus geminis fulgentiores cicatrices indicant, quas in perpetuum tanti amoris signum gerit.

Curdicatur principatus Christi super humerum eius.

Heb 12.

Ecquem Regem huic similem, nō dico inuenire, sed vel cogitando fingere poterunt Iudæi? Id ergo præstemus omnes quod Vates Regius imperat; quo loco Septuaginta verterunt: *Apprehendite disciplinam*, verti quoque ex Hebræo potest: *Osculamini filium*, id est, Regem, agnoscite Dei Filium, verum Deum adorate, Messiæ Deique vestri manus humili mente deosculamini. Quæ enim manus osculo digniores esse possunt, quam illæ, quæ vt nos æternæ mortis faucibus eriperent, clauis transfixæ sunt?

Psalm. 2.

Ad hanc quoque adorationem idem Regius Vates nos inuitat, iliis verbis: *Venite exultemus Domino, iubilemus Deo salutari nostro*; Hebraicè, iubilemus ל צור ישענו le sur iishenu, D. Hier. vertit: Iubilemus Petræ Iesu nostro. Psalm. de Messia conscriptus est, vt colliges ex Paullo. Initio Psalmi Vates hortatur Iudæos, vt Messiam, qui Petra est, Rupesque fortissima, in qua Ecclesia est ædificata, recipiant summa cum exultatione, cordisque iubilo: *Venite*, inquit, *exultemus Domino*, id est, Messiæ, iubilemus Petræ Iesu nostro. Deinde Deum esse Messiam & Regem magnum docet. *Quoniam Deus magnus Dominus, & Rex magnus*, scilicet est Messias, *super omnes Deos.* Præterea Messiæ potentiam ostendit. *Quia in manu eius sunt omnes fines terræ, & altitudines montium ipse conspicit; quoniam ipsius est mare, & ipse fecit illud: & aridam*, id est, terram, *fundauerunt manus eius.* Indicat item esse pastorem. *Nos autem populus eius, & oues pascuæ eius.* Post hæc Iudæos ab incredulitate & perfidia in Messiam deterret, exemplo Patrum, quos in vasta Arabiæ solitudine incredulitas prostrauit: *Hodie si vocem eius audieritis, nolite obdurare corda vestra*: Hodie, inquit, id est, hoc die siue tempore, Messiæ gratia, velut Solis splendore, illustrato: *Si vocem eius*, id est, Messiæ, si doctrinam, si præcepta audieritis, *nolite obdurare corda vestra*, nolite repugnare, nolite ferreo corde resistere; quinimò molli mente, veluti subacta tellure, doctrinæ eius semina excipite, & ad fructum vsque perducite. Proponit Deus exemplum perfidorum: *Nolite obdurare corda vestra, sicut in exacerbatione, secundùm diem tentationis in deserto, vbi tentauerunt me Patres vestri, probauerunt, & viderunt opera mea. Quadraginta annis proximus, siue offensus, fui generationi huic.* Potest etiam, quod dicitur quadraginta annis, coniungi cum verbis præcedentibus, vt Paullus indicat, hoc modo: *Probauerunt, & viderunt opera mea quadraginta annis.* Hoc enim annorum spatio in eremo vagati sunt.

Psalm 94. de Christo exponitur.

Heb. 4.

Hebr. 3.

Ad extremum, qualis sit Iudæorum populus prædicit: *Dixi, semper hi errant corde.* D. Hieronym. vertit: Et dixit populus errās in corde est. Quis nō videt suis coloribus descriptū esse hunc populum à fide Messiæ toto corde aberrantem, & diuinas circa Messiā cogitationes minimè cognoscētem? Quamobrem additur: *Ipsi verò non cognouerunt vias meas.* Nec vias cognouerunt Messiæ è cælo missi, id est, duos aduentus, priorem in summa paupertate & laborum perpessione, posteriorem in summa gloria ac maiestate, nec vias, id est, cogitationes, ac consilia Dei circa Messiam mittendum. Vnde cùm de Messia sermo esset, adiungit Dominus: *Nō enim cogitationes meæ, cogitationes vestræ, neq; viæ meæ, viæ vestræ; quia sicut exaltātur cæli a terra, sic exaltatæ sūt viæ meæ a viis vestris, & cogitationes meæ a cogitationibus vestris.* quasi dicat: Vos arbitrabimini Messiā fore opulentissimū, ac potētissimū, paupere & Cruci suffixū reperietis: aliud vos cogitatis de Messia, aliud ego: quantum enim cælū à terra distat, tantum distant cogitationes meæ de Messia mittendo, à vestris de eodem cogitationibus.

Isaiæ 55.

Concluditur Psalmus prædictione supplicij, quo increduli sunt afficiendi. *Quibus*, ait Dominus, *iuraui in ira mea, si introibunt in requiem meam*, modus est iurandi more humano, id est, hoc vel illud malum (per impossibile) mihi accidat, si Iudæi, qui Messiam non recipient, intrauerint in requiem meam, id est, cælestem gloriam, quasi dicat: Iuro illos non ingressuros, quemadmodum Patres eorum in terram promissam non sunt ingressi. Propterea Paullus sic admonet Hebræos: *Videte fratres nequando sit in aliquo vestrum cor malum incredulitatis discedendi a Deo viuo, sed adhortamini vosmetipsos per singulos dies, donec hodie cognominatur, vt non obduretur quis ex vobis fallacia peccati.* Item: *Timeamus ergo, ne forte relicta pollicitatione introeūdi in requiē eius, existimetur aliquis ex nobis deesse*, id est, timeamus, ne promissione neglecta introeundi in requiem Dei, videatur aliquis ex nobis, cùm erit introeundum, abesse. Vnde illud postea addit: *Festinemus ingredi in illam requiem, vt ne in idipsum quis incidat incredulitatis exemplum.* id est, toto conatu in cælestem properemus beatitudinem, ne id nobis, quod contigit Iudæis incredulis, contingat: illi propter incredulitatem in solitudine morte mulctati, in requiem Palestinæ non introierunt; nos verò si Messiæ fidem abiiciamus, acerbissimo casu afflicti in cælestis beatitudinis æternam requiem nō ingrediemur, quod faxit Deus ne eueniat.

Psalm 94.

Hebr. 3.

Hebr. 4.

CAPVT XIV.

De bellis Messiæ.

CRVENTA Messiæ bella, sanguine madentes campos, de hostibus victis triumphos, clausis animi oculis somniant Iudæi, vera illius bella & veros triumphos non cernunt. Et quidem cum acerrimis hostibus prælia facturum, & præclarissimos triumphos reportaturum, docent sacræ Litteræ, sed qualia prælia, quales triumphi sint, id verò est explicandum à Dauide: *Dominus* dicitur *fortis, & potens, Dominus potens in prælio.* & orat, vt aduersus hostes gladio accingatur, sagittasque illius prædicat: *Accingere*, inquit, *gladio super femur tuum potentissime: Sagittæ tuæ acutæ (populi sub te cadent) in corda inimicorum Regis.* prælium depingit & stragem hostium: *Dominus a dextris tuis, confregit in die iræ suæ Reges: Iudicabit in nationibus, implebit ruinas, conquassabit capita in terra multorū: De torrente in via bibet, propterea exaltabit caput.* Isaias verò cruentatis vestibus amictum Messiam inducit, hostium victorem ac triūphantem: *Quis est iste, qui venit de Edom, tinctis vestibus de Bosra?* Rogatur: *Quare rubrum est indumentum tuum, & vestimenta tua sicut calcantium in torculari?*

Psalm. 23.

Psal. 44.

Psal. 109.

Isai. 63.

respon-

Ezech 38. & 39. reſpondet; *Torcular caleaui ſolus, & de gentibus non eſt vir mecum; calcaui eos in furore meo*, &c. Præterea Ezechiel celeberrimum bellum cum Gog, & Magog, à Meſſia conficiendum vaticinatur.

De quibus igitur præliis hæc ſimilia ſint intelligenda, explanandum eſt, ſi priùs Meſſiam non eſſe Regem bellatorem, ſed pacificum oſtendemus. Hoc ſanè ſignificat mitiſſimus & ab omni *Exod.11.* certamine alienus agnus, cum quo à Prophetis cõfertur. Nam Meſſiam agnus ille adũbrabat, qui ſolemni ritu ſingulis annis paſchali tempore mactabatur; adumbrabant illi quoque duo agni, qui *Exod.9. Num.28.* iugi ſacrificio ſingulis diebus, alter mane, veſperi *Iſaiæ 53.* alter, immolabãtur. Agnum vocauit Iſaias: *Quaſi agnus coram tondente ſe obmuteſcet.* Ieremias ite Chriſti typus: *Ego*, inquit, *tamquam agnus manſuetus, qui portatur ad victimam.* Luſtra oculis quæſo animalia, nullum à feritate longius diſtans, nullum pacis amantius, quàm agnum reperies, cui ſimilis dicitur *Meſſias non eſt bellator.* Meſſias pacis ſtudioſiſſimus, non ſolùm coram tõdente, ſed etiam coram occidente ſe obmuteſcens. Terreni Reges non agnis, ſed leonibus, & pardis bellorum turbine orbem perturbantibus, ſimiles *Dan.7.* dicũtur. Daniel.7. *Videbam, & ecce quatuor venti cæli pugnabant in mari magno, & quatuor beſtiæ grandes adſcendebant de mari; prima quaſi Leæna, & ecce beſtia alia ſimilis Vrſo, & ecce alia quaſi Pardus, & ecce beſtia quarta terribilis, dentes ferreos habebat magnos, comedens, atque comminuens, & reliqua pedibus ſuis conculcans.* Hæc carptim ex Daniele. Primùm venti quatuor, è quatuor cæli plagis flantes, mare commouerunt, id eſt, mundum, cupiditates, & ambitiones, veluti venti furibundi, bellorum tempeſtate perturbarunt. Deinde è mari, id eſt, mundo hiſce ventis agitato, *Imperia orbis cum feris conferuntur animantibus.* aſcenderunt Reges & imperia belliis immanibus ſimilia. Primum Babyloniorum imperium ſimile fuit Leænæ, ſecundum Perſarum, Vrſo, tertiũ Græcorum, ſimile Pardo, quartum Romanorum, ſimile beſtiæ terribili dentes habenti ferreos. At Meſſias *Meſſias Agnus mitiſſimus.* ſimilis agno eſt. *Ecce*, inquit Baptiſta, *Agnus Dei,* *Ioan.1.* qui non ad debellandos homines, ſed ad debellanda venit teterrima peccatorum monſtra: *Ecce qui tollit peccatum mundi.*

Iſai.11. *Percutiet terram virga oris ſui, & ſpiritu labiorum ſuorum interficiet impium*, id eſt, Meſſias non armis, ſed ſanctimonia ac ſpiritali doctrina peccatum *Pſalm.2.* orbémque debellabit. *Ego autem conſtitutus ſum Rex ab eo ſuper Sion montem ſanctum eius*, id eſt, Eccleſiam, prædicans præceptum eius, id eſt, Non ſum Rex, vel Meſſias creatus, vt bella geram, ſed vt regium caritatis præceptum hominibus prædicem, nouamque legem mundo feram. Non ergo eſt Meſſias *Iſaiæ 42.* bellator, ſed præceptorum Dei prædicator. *Calamũ quaſſatum non conteret*, ait Iſai. *& linum fumigans nõ extinguet.* Si calamum non conteret, multo minus homines trucidabit; ſi linum fumigans non extinguet, multo minus hoſtibus vulnera atque interi- *Iſaiæ 9.* tum afferet. Addit Iſaias. *Non clamabit, nec audietur vox eius foris*, quod toto cælo à duce belligerante diſtat: ideoque meritò capite nono, inter alia nomina, *Principẽ pacis* appellat, cuius ſtudium totum, non in bella gerenda, ſed in pacem inter homines Deumque faciendam collatum ſit. Oſeas item: *Saluabo eos*, *Oſeæ 1.* ait Dominus, *in Domino Deo ſuo, & non ſaluabo eos in arcu, & gladio, & in bello, & in equis, & in equitibus.* Quid clarius dici potuit? ſaluauit nos Deus non in bello, ſed in Deo, id eſt, per Meſſiam, Deum ſimul, atque hominem, Cruci ſuffixum.

Pſal.32. Dixit Dauid ad Salomonem: *Fili mi, voluntatis meæ fuit, vt ædificarem domum nomini Domini Dei mei, ſed factus eſt ſermo Domini ad me, dicẽs: Multum ſanguinem effudiſti, & plurima bella bellaſti, non poteris ædificare domum nomini meo tanto effuſo ſanguine coram me*, &c. Non potuit Dauid ædificare templum Deo, eo quòd hoſtium ſanguine eſſet cruentatus; quo igitur modo poterit ſanguinolentus Pſeudomeſſias ciuitatem templumq; exſtruere, inimicorum cruore perfuſus? Non ergo bellator, ſed pacificator Meſſias, domum Deo exſtruxit, quod eodem loco ſub perſona Salomonis prædixit Deus, his verbis: *Filius, qui naſcetur tibi, erit vir quietiſſimus: faciam enim eum requieſcere ab omnibus inimicis ſuis per circuitum, & ob hanc cauſſam Pacificus vocabitur, & pacem & otiũ dabo in Iſraël cunctis diebus eius: ipſe ædificabit domum nomini meo; & ipſe erit mihi in filium, & ego ero illi in Patrem: firmaboq; ſolium regni eius ſuper Iſraël in æternum.* Senſum duplicem continent hæc verba, alterum de Salomone; alterum multo ſublimiorem de Meſſia. Is filius eſt Dauid; vir quietiſſimus, cuius vitaomni bellorum turbine caruit, ipſe Deo do- *Meſſias pacificus, & quietiſſimus.* mum, id eſt, Eccleſiam exſtruxit, ipſe idem Filius eſt Dei, Rexque à Deo in æternum confirmatus; quem nobis Zach. depingit non bellatore equo vectum, non armis terribilem, non exercitu ſtipatum, ſed aſello inſidentem: *Ecce*, inquit, *Rex tuus* *Zach 9.* *veniet tibi iuſtus, & ſaluator, ipſe pauper, & aſcendens ſuper aſinam, & ſuper pullum filium aſinæ.*

Quid adhuc bella ſomnias, lege ſequentia apud Zachariam: *Et diſperdam quadrigam ex Ephraim, & equum de Ieruſalem, & diſſipabitur arcus belli, & loquetur pacem gentibus, & poteſtas eius à mari vſque ad mare, & à fluminibus vſque ad fines terræ.* Pacem gentibus loquetur Meſſias, pacem, inquam, non bellum à mari mediterraneo vſque ad Oceanum, & à fluminibus Euphrate & Iordane vſque ad terminos terræ proferet imperium, non armorum vi ac ſtrepitu, ſed pacis ſuauitate ac quiete. Quòd ſi Iudæus roget, Quomodo ergo è captiuitate populum ſuum liberabit, ſi arma abiiciet, ſi pacem ſectabitur, ſi cum hoſtibus non belligerabit? Reſpõdeat illi Propheta idem Zacharias Meſſiam alloquens: *Tu quo-* *Zach 9.* *que*, inquit, *in ſanguine Teſtamenti tui emiſiſti vinctos de lacu, in quo non erat aqua.* En quomodo è captiui- *Meſſias ſanguine non alieno, ſed proprio effuſo ſuum populum liberauit.* tate vinctos ſuos liberabit: In ſanguine Teſtamenti, ait Propheta, in ſanguine, inquam, non alieno, ſed proprio: propterea enim ſanguinem non hoſtium, ſed ſuum effudit, vt populum ſuum è lacu inferorum & captiuitate ereptum in æternam libertatem vindicaret.

Præter hæc ſcripſit Rex Dauid de Meſſia præclariſſimum, cui titulum indidit huiuſmodi: In Salomonem, id eſt, in Pacificum. Ipſe verò Pſalmus pace & imperio Meſſiæ plenus eſt: *Suſcipiant*, inquit, *Pſal 71.* *montes pacem populo*, non bellum, *& colles iuſtitiam.* Iterum: *Orietur in diebus eius iuſtitia & abundantia pacis*, non abundantia belli. præterea: *Deſcendet ſicut pluuia in vellus.* Reſpexit Vates ad vellus illud Ge- *Meſſias Gedeonis ros in vellus deſcendit.* deonis notiſſimum ex cap. 6. Iudicum, Meſſiæque in orbem deſcenſum cum illo contulit: Deſcendet, inquit, Meſſias, ſicut olim ros in vellus deſcendit Gedeonis. Ros Gedeonis è cælo deſcendit, ſic Meſſias verus Deus è cælo venit. Secundò, ros deſcendit miraculosè, Deus quoque per ſummum miraculum humanam aſſumpſit naturam. Tertiò, ille roris deſcenſus in vellus, ſignum fuit Gedeoni datum à Deo conſequendæ ex hoſtibus victoriæ, ac ſalutis. *Si*, inquit Gedeon, *ſaluum facies per manum* *Iudicum 6.* *meam Iſraël, ponam hoc vellus lanæ in area; ſi ros in ſolo vellere fuerit, & in omni terra ſiccitas, ſciam quòd per manum meam liberabis Iſraël*, &c. Eumdem in modũ deſcenſus Meſſiæ in orbem ſignum fuit, nec ſolùm ſignum, ſed etiã cauſſa ſalutis ac victoriæ vniuerſi orbis.

orbis. Quartò, ros Gedeonis absque vllo sonitu in vellus descendit: nam pluuia si politos in lapides defluat, magnum excitat strepitũ, si defluat in vellus, nullum edit sonum. Sibi persuadent Iudæi Messiam magno cum famulorum, diuitiarum, gloriæ, & bellorum strepitu venturum, veluti pluuiam in locum perpolitis lapidibus constratum defluentem: decipi illos ostendit hæc similitudo. In secundum aduentum hic reseruatur sonitus. Tunc descendet sicut pluuia in lapides, siue tecta, toto orbe perstrepente; sonantibus, Sole, Luna, stellis, mari, terra, cælisque & aduentum eius terribilibus signis nuntiantibus. In primo verò aduentu descendit sicut pluuia in vellus absque vllo sonitu, id est, magna cum humilitate, manſuetudine, ac paupertate. Si libet, addamus duas alias illius velleris cum Christo similitudines. Ros Gedeonis prius quidem in solum vellus descendit, terra interim arida; deinde verò terram irrigauit, exsiccato vellere. Similem in modum Christus primùm in populum Israeliticum descendit, ex illo natus, in illo educatus est, in illo docuit, miracula edidit, vixit, & mortuus est; vellus igitur hoc sua doctrina, miraculis, & vita primum madefecit, toto interim orbe arido. Postea verò versa vice, vellus, id est, Israeliticus populus exsiccatus est, quia Messiæ doctrinam repulit: arida verò terra, id est, orbis, Christianæ fidei pluuia est irrigatus. Denique ros in vellus descendit absque vllo velleris nocumento, expressi sque à Gedeone è vellere exiit, absque vlla velleris læsione; sic diuinum Verbum è cælo descendit in vterum Virginis, & vestem sibi ex purissimo eius sanguine, veluti ex vellere mollissimo, ac tenuissimo, contexuit; ex vtero autem, veluti ros cælestis, absque vllo Virginitatis nocumento natali die in lucem prodiit.

Explicatur testimonia Scripturæ, quæ Messiæ bella sonant Psal. 23.

Sed testimonia illa iam explicemus, quæ Messiæ bella sonant. In primis, cùm Dauid Dominum in bello potentem appellat, nõ quidem de bello corporali ac sensibus subiecto, sed spirituali atque inuisibili loquitur. Fatemur enim Messiam bellum gessisse spirituale cum fortissimis & spiritalibus hostibus, diabolo, peccato, mundo, ac morte; deque iis superatis mirabiliter triumphasse. Spiritale bellum fuit, arma quoque spiritalia, non enses, non hastæ, loricæ, vel thoraces ferrei, aut clypei, sed humilitas, manſuetudo, patientia, caritas, iuxta illud Pauli: *Arma militiæ nostræ non carnalia sunt, sed potentia Deo ad destructionẽ munitionum*, &c. Dauidis ex Gigante reportatam victoriam mirabilem arma reddiderunt: abiecto enim ferro, baculo tantùm fundaque munitus, prostratum aduersarium ipso aduersarij ense interemit. Similiter Christum admirabilem arma faciunt, quibus vicit hostem: abiecto enim honore regio, militibus, exercitu; Cruci tantùm, veluti baculo innixus, profligatum hostem, gladio, quem hostis ipse fabricauerat, iugulauit. Mortem enim veluti gladium fabricauerat satanas, iuxta illud: *Invidia diaboli mors introiuit in orbem terrarum*: Morte autem Christi occisus est. Ipse quoque ad necem Christi Iudæos inflammauit, at ipsa eadem nece, quam machinatus est, periit, iuxta illud: *Lacum aperuit, & effodit eum, & incidit in foueam, quam fecit. Conuertetur dolor eius in caput eius, & in verticem ipsius iniquitas eius descendet.*

Messiæ bellum spirituale, arma quoque spiritalia.

2. Cor. 10.

1. Reg. 17.

Sap. 2.

Psalm. 7.

Habac. 3

Hæc arma Habacuc descripsit in Cantico: *Cornua*, inquit, *in manibus eius*, ideſt, Crucis cornua manibus gestabit Messias, quibus armis hostes in auras ventilabit, quemadmodum solent in area ventilari paleæ. Ne verò arma hæc cuiquam imbecilla viderentur, adiungit Vates: *Ibi abscondita est fortitudo eius*, id est, In illa Cruce opprobriis ac cruciatibus plena, nihilque habente virium, hominum impiorum opinione, in illa, inquam, Cruce latet Messiæ fortitudo: abscondita est Iudæorum oculis, sed fidei oculis est perspicua. Post arma victoriam canit: *Ante faciem eius ibit mors, & egredietur diabolus ante pedes eius*, id est, victa mors ante Christi faciem ibit, & ante pedes eius prostratus incedet diabolus.

In baculo meo, ait Iacob, *transiui Iordanem istum, & nunc cum duabus turmis regredior.* Similem in modum noster Iacob Christus in baculo Crucis tumentes, & amaras passionis pertransiuit aquas, demersusque in morte, emersit in resurrectione: in ascẽsione verò cũ turmis duabus, hominũ altera, altera Angelorũ in cælum conscendit. Quem cùm ascendentem Angeli contemplarentur, vt est Patrum sententia; Dionysij cap. 7. de cælesti Hierarchia, & Hieronymi, sic rogant: *Quis est iste, qui venit de Edom tinctis vestibus de Bosra?* &c. Edom Idumæa est, rubrum significat, Bosra verò opidum Moabitarum, vindemiam sonat: alludit Propheta ad nominum significationem. Rogat ergo, quis est hic, qui veluti è torculari exit, qui venit de Edom, id est, rubedine, qui venit tinctis vestibus de Bosra, id est, vindemia. *Iste formosus in stola sua gradiens in multitudine fortitudinis suæ.* tinctæ vestes Christo pulcritudinem afferebant. Nulla enim purpura Regem ita decorat, vt sanguineus ille amictus decorauit Christum. *Dilectus meus*, ait Sponsa, *candidus & rubicundus.* candidus admirabili innocentia, rubicundus sanguine passionis; qui dilecti rubor Sponsæ amorem maximè excitauit; nam, vt Bernard. ait, super omnia reddit amabilem Christum calix, quem bibit, opus redemptionis nostræ: hoc enim omnino amorem nostrum sibi vendicat. Iam verò quæ gemmæ, qui Smaragdi, qui Carbunculi, qui Adamantes, cũ quinq; illis vulneribus, vel pretio, vel pulcritudine, vel ornatu conferri possunt, quæ triumphator Christus in manibus pedibusque & latere gestat? Formosus est Christus in stola sanguineo rubore nitente, & vulnerum cicatricibus veluti fulgentissimis margaritis rutilante. Si quis Rex à prælio sanguine cruentatus multisque aduerso pectore pro populo suo acceptis vulneribus reuerteretur, Deus bone, quanto sui amore omnes intuentes inflammaret; ita Christus è prælio in cælum amictu sanguinolento, vulneribus apertis, sese referens, mirum est quantum in cælesti curia sui ardorem concitarit.

Genes. 32.

Locus Isaiæ 63. explicatur, Quis est iste qui venit de Edõ?

Isaiæ 63.

Cant. 5.

D. Bern. ser. 20. in Cant.

De hac stola simile illud est: *Lauabit in vino stolam suam, & in sanguine vuæ pallium suum.* Tam Iacob, quàm Isaias Christi sanguinem vinum appellant, neque id sine causſa: quemadmodum enim vinum rubrum est, sic sanguis. Præterea, *vinum*, vt canit Vates, *lætificat cor hominis*; sanguis Christi cordi mortalium lætitiam attulit immortalem: vinum homini vires addit; sanguis Christi mirificum nobis robur confert. Quid mirum si Christi sanguis vinum à Prophetis appelletur, cùm se ipse Christus vitem appellet? *Ego*, inquit, *sum vitis.* Vitis fructus vinum est, hominemque, cùm potatur, incendit; sic Christi sanguis & ardentissimus est, & magno cum ardore effusus, magnũ in corde, cùm potatur, calorem concitat.

Gen. 49.

Psalm. 103. Christi sãguis cur dicatur à Prophetis vinũ.

Ioan. 15.

Rogatus, respondet Christus apud Prophetam: *Ego sum qui loquor iustitiam, & propugnator sum ad saluandum*, Hebraicè (רב Rab) id est, multus, vel magnus ad saluandum: quasi dicat, Ego sum Messias iustissimus saluator; qui iustitiam loquor, Hebraicè, loquor in iustitia, qui satanam non vi, & potentia, sed iustitia volui vincere; Ego propugnator, & multus sum, siue magnus ad saluandum.

Isaiæ 63.

Pſalm. 129. Vt enim dixit Vates: *Copioſa apud eum redemptio.* adeò verò copioſa, vt fuerit infinita: infinitus enim fuit Meſſias Deus & homo, ad ſaluandum infinitos homines ſanguine effuſo, ſi extarent, redimere potuiſſet. Pergunt Angeli interrogare: *Quare ergo rubrum eſt indumentum tuum? & veſtimenta tua ſicut calcantium in torculari?* Reſpondet Chriſtus, vt victor ad victoriam indicandam, figurato ſermone; perinde ac ſi ſanguis, quo erat aſperſus, hoſtium fuiſſet cruor, non ſuus: *Torcular*, inquit, *calcaui ſolus.* Metonymicè ponitur continens torcular, pro contentis botris: *Calcaui*, inquit, *in furore meo hoſtes*, id eſt, Tartareos principes, peccatum, mortem, mundum, quemadmodum botri in pleno torculari calcari ſolent. *Et aſperſus eſt ſanguis eorum ſuper veſtimenta mea, & omnia indumenta mea inquinaui.* Nequaquam ſic intelligendum, ait Hieronymus, vt dæmones ſanguinem habere credamus, ſed tropologicè accipienda ſunt omnia, &c. Ænigmaticus ergo ſermo eſt, quo victoria de ſpiritalibus hoſtibus reportata ſenſibili modo deſcribitur, ſenſibuſque ſubiicitur. Hebræum nomen (נצח neſach) ſignificat fortitudinem, & victoriam, & ſanguinem, quia corporis fortitudo eſt. Montanus in Bibliis Regiis vertit: Spargetur victoria eorum ſuper veſtimenta mea, id eſt, victoria, quam de hoſtibus reportaui, ſparſit ſanguine veſtes meas: ipſa enim ſanguinis effuſione Chriſtus hoſtes vicit. Ceteri Duces tũc ſuperãtur, cùm ſuum ſanguinem effundunt; at Chriſtus cùm ſanguinem ſuum effudit, tũc victoriam reportauit.

D. Hier.

Iam verò hîc ego Iudæos appello, qui Meſſiam fingunt bella commiſſurum, eoſque rogo, num bella hæc Meſſias ſolus, an exercitu magno comitatus, ſit geſturus? ſolum negabunt, exercitu comitatum reſpondebunt. Atqui Meſſias ipſe ſolum ſe in prælium deſcendiſſe, hoſteſque profligaſſe aſſerit: *Torcular*, inquit, *calcaui ſolus, & de gentibus non eſt vir mecum*, id eſt, ne vnus quidem vir, ne vnus quidem miles. Dicent Iudæi ex gentibus non fore milites, ſed ex Iudæis. non ita reſpondebunt, ſi Hebraicè ſciuerint. Hebraicè enim legitur (migamim) id eſt, ex populis omnibus tam Iudæorum, quàm gentium non eſt miles vir mecum, & infrà. *Circumſpexi*, ait Meſſias, *& non erat auxiliator, quæſiui, & non erat, qui adiuuaret, & ſaluauit mihi brachium meum, & indignatio mea ipſa auxiliata eſt mihi.* Non igitur de corporali bello ait Scriptura, quod ſine magna militum multitudine geri non poteſt, ſed de ſpiritali illo, quod in Cruce commiſſum eſt cum ſpiritalibus aduerſariis à Chriſto ſolo. Torcular calcaui ſolus in Cruce. Solus ipſe aduerſarios veluti botros conculcauit, non fuit vir cum illo, non erat auxiliator, nec qui adiuuaret: nec enim opus erat. Solus Chriſtus ſatis ſuperque prælio fuit, ſolus ipſe conficere illud potuit, nullis militibus comitatus. Etſi verò Angelorum & hominum omnes copiæ cum hoſtibus fuiſſent congreſſæ, egiſſent nihil, quippe quę viribus caruiſſent ad peccatum profligandum neceſſariis. Saluauit, inquit Meſſias, mihi brachium meum, brachium, inquam, non gladium vibrans, ſed in Cruce extenſum. Indignationis autem meminit, id eſt, furoris in tenebrarum rectores, peccataque, concepti: hæc enim res eſt in toto terrarum orbe, quæ ſola diuinam moueat indignationem. Tolle peccatum, Dei indignationem ſuſtuliſti.

Solus Meſſias ſine exercitu hoſtes vicit.

Iſaiæ 63.

Apoc. 19. Affert huic loco Iſaiæ lucem locus alter Apocalypſis, in quo Ioan. indicat bella Meſſiæ non craſſo, & vulgari, ſed diuino, & ſublimiori modo eſſe mente concipienda. Vidit eo capite Apoſtolus è cælo aperto Chriſtum egredi, A equo albo vectum, ſanguine infecta veſte amictum, ore geſtantem gladium, quem cæleſtis exercitus, milites, id eſt, Angeli, candido byſſinoque ornatu, albis quoque equis inſidentes ſequuntur, ipſumque ait calcare torcular vini furoris iræ Dei omnipotentis. Deinde beſtiam cernit, & Reges terræ, exercituſque eorum, ad committendum cum Chriſto, & Angelis, prælium congregatos. Vocem præterea Angeli audit, volucres ad lanianda hoſtium cadauera in prælio occumbentium, euocantis. Denique victum Antichriſtum ſcribit: de eo enim loquitur, & in tartareos rogos præcipitatum; exercitum verò eius gladio ex ore Chriſti prodeunte trucidatum, & à volucribus diſcerptum. Nũquid in cælo equi ſunt, quorum curſu aduerſus Antichriſtum, eiuſque aſſeclas, Chriſtus, & Angeli concitabuntur? numquid gladiis, haſtis, aut bellicis tormentis bellum illud à Chriſto eſt peragendum? numquid ore Chriſtus gladium mouebit? Minimè: loquitur ergo Scriptura humano modo, & figurate Antichriſti, eiuſq; exercitus ſtragem explicat.

De prælio Gog, & Magog. Ezech 38. & 39.

Hoc eſt prælium illud celeberrimum ab Ezechiele deſcriptum, quod Meſſias faciet cum Gog, & Magog. Antichriſtum enim Ezechiel Gog appellat, Antichriſti verò exercitum Magog: nam Magog ſignificat ex Gog, id eſt, ex Antichriſto: Gog autem, teſte Hieron. ſiue Gag, ſignificat tectũ. Multis verò de cauſſis poteſt dici ſiagitioſiſſimus ille homo tectum: vel quia quemadmodum tectum domum tegit, ita ille ſub velamine ſanctitatis impietatem teget. Vel quia quemadmodum tectum pars eſt domus celſiſſima, ita ille erit ſuperbiſſimus, & vt Paullus ait: *Extolletur ſupra omne, quod dicitur Deus, aut quod colitur.* Præterea quia quemadmodum tectum omnibus imbribus, tempeſtatibus, Soliſque ardoribus expoſitum eſt; ita ille omnibus cupiditatibus, ſceleribuſque patebit. Item, quia quemadmodum pluuiali tempore ad tectum homines confugiunt; ſic funeſto illo tempore ad ſceleratiſſimum Regem, veluti ad tectum & aſylum, perditi homines omnibus ſceleribus cooperti ſeſe recipient.

Lege Hier. Ezech. 38. & Aug. lib. 20. de Ciuit. c. 11.

2. Theſſ. 2.

Apoc 20. *Antichriſti prælium.*

Quale hoc prælium ſit futurum Ioan. docuit, & Ezechielem explanauit: *Soluetur*, inquit, *ſatanas de carcere ſuo, & exibit, & ſeducet gentes, quæ ſunt ſuper quatuor angulos terræ, Gog, & Magog, & congregabit eos* (id eſt, Gog, & Magog, Antichriſtũ, & eius exercitum) *in prælium, quorum numerus eſt ſicut arena maris. Et aſcenderunt ſuper latitudinem terræ, & circumierunt caſtra ſanctorum & ciuitatem dilectam*, id eſt, Eccleſiam, &c. Immaniſſimum Eccleſiæ hoſtem debellauit Chriſtus non enſe, aut haſta, ſed igne è cælo miſſo, vt ſcribit Ioan. eodem capite: *Et deſcendit*, inquit, *ignis à Deo de cælo, & deuorauit eos.* immiſſa præterea peſte, imbre, grandine, & mutua cæde, vt docet Ezechiel: *Conuocabo aduerſus eum*, id eſt, Gog, *in cunctis montibus meis gladium*, ait Dominus Deus, *gladius vniuſcuiuſque in fratrem ſuum dirigetur, & iudicabo eum peſte, & ſanguine, & imbre vehementi, & lapidibus immenſis, ignem & ſulphur pluam ſuper eum & ſuper exercitum eius, & ſuper populos multos, qui ſunt cum eo*, &c. Et Paullus: *Reuelabitur*, inquit, *ille iniquus, quem Dominus Ieſus interficiet ſpiritu oris ſui, & deſtruet illuſtratione aduentus ſui eum*, &c. Quamobrem meritò Meſſias à Ioãne, vt ſuprà diximus, ore dicitur geſtare gladium, non manu, vt bellatores ſolent; propterea quòd oris Chriſti ſpiritus & imperium, vnicúmve illius verbum ſatis eſt ad diſperdendos omnes hoſtes. Quid verbum dixi? ipſa voluntate quidquid velit efficere poteſt.

Ezech. 38.

2. Theſſ. 2.

Alio

Prælium Messiæ cum impiis in iudicio extremo

Alio quoque prælio Messias impiorum hominum, & dæmonum exercitus, tunc omnino profligabit, & æternis Tartari carceribus constringet, cùm è cælo ad iudicium extremo tempore veniet.

Exponitur locus ex Psal. 109.

De hoc agit Vates: *Dominus*, inquit, *à dextris tuis*, ô Messia, *confregit in die iræ suæ*, scilicet Iudicij, *Reges, iudicabit* Messias *in nationibus, implebit ruinas*, id est, magnas edet strages, impios omnes ruere faciet in Tartarum perfecta & plena ruina. Prima ruina hominum, est in primum peccatum originale, secunda, in primum actuale mortiferum, tertia, in secundum & infinitæ aliæ. Has ruinas scelerum Christus extrema illa in Orcum ruina implebit. Tunc etiam implebit ruinas dæmonum. Prima ruina fuit, cùm e cælo ruerunt; secunda, cùm è cordibus hominum & idolis per Euangelicam prædicationem expulsi sunt; plenissima erit in die Iudicij, cũ in flammas tartareas præcipites dabuntur. Sequitur: *De torrente in via bibet*, &c. Messiæ passionem, & triumphum canit: bibit enim Messias ex torrente amaro ac turbido, id est, bibit amaras mortis & cruciatuum aquas, de quibus dicitur: *Intrauerunt aquæ vsque ad animam meam.* &: *Torrentem pertransiuit anima nostra.* bibit, inquam, in via, id est, obiter: quemadmodũ enim viator bibere solet è torrente, moxque ad iter reuerti; sic Christus bibit è torrẽte mortis; verum mox tertia die ad iter, id est, vitam reuersus est. Vnde illud D. Greg. Dominus in via bibit, quia mortem in transitu gustauit. *Propterea exaltauit caput*, quia ad summam euectus est dignitatem, admirabilemque triumphum de hostibus deuictis egit. Arnobius sic explanat, propterea exaltauit caput hominis deiectum: Nisi enim, inquit, Filius Dei in via bibisset, non exaltasset caput hominis deiectum ad terras, &c.

Psal. 68. *Psal. 123.* *D. Greg. l. 14. Mor. c. 29.* *Arnobius.*

Ad hoc extremum cum impiis certamen pertinet illud: vbi Deo Christo quadrigæ tribuuntur, & gladius, quo hominum multitudinem sit neci daturus: *Ecce Dominus in igne veniet, & quasi turbo quadrigæ eius: reddere in indignatione furorem suum, & increpationem suam in flamma ignis: quia in igne Dominus diiudicabit, & in gladio suo ad omnem carnem, & multiplicabuntur interfecti a Domino*, &c. Numquid in iudicij illa die homines impios Messias interficiet? minime interficiet morte hac temporaria, quæ animam à corpore separat, interficiet morte multò peiore, quæ animam & corpus à Deo æternaque felicitate seiungit, & cruciatibus addicit sempiternis. Eam ob mortem, quæ *mors secunda* in Apocal. appellatur, impij interfecti dicuntur à Domino, eorumque corpora & anima cadauera appellantur.

Isaiæ 66. *Apocal. 20.*

De iuitis eodem capite dicitur: *Egredientur & videbunt cadauera virorum, qui præuaricati sunt in me, vermis eorum non morietur, & ignis non extinguetur*, &c. Cadauera impiorum tartareo inflammata igne, ipsi impij sunt, viuenti morti, atque æternæ mancipati.

Isaiæ 66.

Huc etiam pertinet illud: *Clamate hoc in gẽtibus, sanctificate bellum, suscitate robustos: accedant, ascendant omnes viri bellatores. Concidite aratra vestra in gladios, & ligones vestros in lanceas. Infirmus dicat, Quia fortis ego sum. Erumpite & venite omnes gentes de circuitu, & congregamini; ibi occumbere faciet Dominus robustos tuos. Consurgant & ascendant gentes in vallem Iosaphat; quia ibi sedebo, vt iudicem omnes gentes in circuitu. Populi populi in valle concisionis; quia iuxta est dies Domini in valle concisionis*, &c. Perinde loquitur Propheta de congregatione gentium omnium ad iudicium, ac si ad prælium congregandæ sint in valle Iosaphat, quam appellat vallem cõcisionis; quia extremo illo prælio penitus impij concidentur, & veluti in torculari prementur. Quocirca eodem capite hoc etiam additur: *Mittite falces, quoniam maturauit messis; venite & descendite, quia plenum est torcular; exuberant torcularia, quia multiplicata est malitia eorum.* Alloquitur Angelos Deus, iubet demeti segetes, id est, impios, quòd iam superuenerint ad maturitatem, & in Tartaro veluti horreo cõdi. Iubet etiam torcularia botris, id est, sceleratis hominibus, referta calcari. Septuaginta sic vertunt: Introite, & calcate, quia plenum est torcular, & redundant torcularia. Lege Apocalypsin, similia his reperies.

Locus de iudicio Ioelis 3 *Ibidem.* *Apoc. 13.*

Huius prælij arma describuntur his verbis: *Accipiet armaturam Zelus illius, & armabit creaturam ad vltionem inimicorum. Induet pro thorace iustitiam, & accipiet pro galea iudicium certum, sumet scutũ inexpugnabile æquitatem: acuet autem duram iram in lanceam, & pugnabit cum illo orbis terrarum contra insensatos*, &c. Creaturarũ quoq; pugna depingitur verbis sequẽtibus: *Ibunt directe emissiones fulgurum, & tamquam à bene curuato arcu nubium exterminabuntur, & ad certũ locum*, id est, scopum, *insilient*, id est, fulgura è nubibus veluti arcu emittentur in scopum: *Et à petrosa ira plenæ mittentur grandines.* petrosa ira Græcè dicitur πετροβόλος, id est, petras iaciens, ira Dei efficiens grandinis lapides. *Excandescet in illos aqua maris, & flumina concurrent duriter Contra illos stabit spiritus virtutis*, id est, fortitudinis, spiritus Christi potentissimus. *Et tamquam turbo venti diuidet illos*, id est, veluti ventilando diuidet, *& in Tartarum abripiet, veluti paleas comburendas igne inextinguibili; & ad eremum perducet omnem terram iniquitatis illorum*, &c.

Locus Sapientiæ 5.

Restat de alio etiam Messiæ prælio dicere, eo scilicet, quo idololatriam superauit, gentiumque corda vicit, de quo sermo habetur in testimonio suprà commemorato. *Accingere gladio tuo super femur tuũ potentissime.* Gladius Messiæ, vt iam dictum est, spiritalis est; *gladius* autem *spiritus*, vt docet Paullus, *est verbum Dei.* Hoc gladio optat Propheta accingi Messiam, de quo ante dixerat: *Diffusa est gratia in labiis tuis.* Verba illa nostræ versionis, *Prosperè procede, & regna*, &c. verti quoque possunt ex Hebræo, vt vertit Pagninus, in hunc modum: Prosperare, equita super verbum veritatis, & mansuetudinis, & iustitiæ &c. Verbum enim veritatis, id est, doctrina verissima, Messiæ currus fuit, quo vectus totum percurrit orbem, illique salutem attulit, iuxta illud: *Quadrigæ tuæ saluatio.* D. Hier. vertit: Accingere gladio tuo super femur fortissimè, gloria tua, & decore tuo per appositionem; quasi gladius sit decor, & gloria bellatoris. Nam Verbum veritatis, siue doctrina Christi omni veritate plena, decor eius est, & gloria: quis enim non afficit summa laude Christum, cùm illius legem, doctrinamque considerat ab omni fuco, falsitateque magis alienam, quàm cælum à terra distat. Decor, & gloria Regis est gladius hærẽs lateri, eximij alicuius artificis admirabili fabricatus artificio, mille pyropis aliisque hujusmodi gemmis splendescẽs; at multo maior nostri Messiæ gloria est, Verbi gladius rutilantissimis margaritis ex ipso veritatis summo thesauro depromptis rutilans, fabricatus verò ipso summi artificis Dei ore. Quis nolit ab isto ense vulnerari, cuius vulnera vitam non auferunt, sed afferunt? Nónne Apoc. 1. è Christi ore vidit dilectus Apostolus prodeuntẽ gladiũ? quid hoc significat spectrũ? Verbum ipsum Christi gladium esse. Simili tropo verba diuina Messiæ sagittæ dicuntur eodem Psalmo: *Sagittæ tuæ acutæ*, quæ scilicet non carnem vulnerant, sed in corda penetrant; ideo subiungitur: *In corda inimicorum Regis*; vt scilicet ex inimicis faciant amicos. His sagittis idololatria profligata iacet, his subactæ gentes Christo colla subdidere. Vnde additur: *Populi sub te cadent.* Felix sub Christo cæsus, qui hominem à profundo peccati barathro

Præliũ, quo Messias idololatriã superauit. *Locus Psal. 44* *Ephes. 6.* *Habacuc 3.* *Apoc. 1. & 19.*

eductum in gratiam filiiq́ue Dei admirabilem extollit dignitatem: id nimirum ad tanti Meſſiæ pertinet gloriam, homines è ſuperbia peccatiſq́ue deiicere, non trucidandos, ſed ſummis dignitatibus ſubleuandos.

Si igitur Meſſiam bellatorem Iudæi exoptant, Meſſiam oſtendimus belli potentiſſimum. Deponant ex oculis velamen, de bellis tanti Regis ſubtiliori mente, & acutiori ingenio ratiocinentur. Non humanam ſolùm, ſed diuinam cum illa, in eadem hypoſtaſi copulatam naturam; non haſtas, enſes, clypeos, bellicaq́ue tormenta, ſed diuinam in Meſſia cum humana coniunctam potentiam; non terrenam, ac temporariam in Palæſtinam, ſed cæleſtem, ac æternam in cælum Meſſiæ redemptionem, quæ non gladiis, haſtiſq́ue, ſed Cruce fuerit peragenda, meditentur. Si bella volunt & victorias: primo Meſſias bello in Cruce tartareos principes, mortem peccatumq́ue profligauit. *Viſitauit enim Dominus*, vt eſt apud Iſai. *in gladio ſuo duro, & grandi, & forti, ſuper Leuiathan ſerpentem vectem, & ſuper Leuiathan ſerpentem tortuoſum, & occidit cetum, qui in mari erat.* Gladius durus, & grandis, & fortis, Crux fuit, quo ſerpentem Leuiathan, & cetum, id eſt, diabolum, Chriſtus ſuperauit. Dicitur autem ſerpens vectis, propter magnitudinem, ſiue longitudinem, ſimilem longitudini vectis longiſſimi; præterea, quia, inſtar vectis, fores animi quantum poteſt, Deo occludit. Secundo bello idololatriam fudit, totiuſq́ue orbis nationes ſub iugum miſit: quod etiam nunc cum teterrimo monſtro infidelitate, & aliis vitiis durat: nam vt dicitur Habac. 3. *In luce ſagittarum tuarum ibunt, in ſplendore fulgurantis haſtæ tuæ.* ibunt, inquam, vſque ad orbis finem Meſſiæ milites, & ſagittis illis Verbi diuini, de quibus diximus paullo antè, luce plenis, fulguranteq́ue haſta concionum, configent corda, quouſq́ue gentes creditura, omnes Meſſiæ ſuauiſſimo iugo ſubiiciantur. Duo reliqua ſunt prælia ad finem relicta orbis: tertio enim prælio Antichriſtum diſperdet: quarto atque extremo omnes impios proſternet, quotquot ab orbe condito in lucem editi ſunt, naſcenturq́ue vſque ad iudicij diem, & æternis Orci carceribus mancipabit. Vtinam viri Iudæi ſagittæ Meſſiæ acutæ in corda pertingant veſtra: Vtinam in hoc bello, quod ad iudicium vſque cum infidelitate gerit, vos victi cadatis, & ex eorũ felici numero, de quibus dicitur, *Populi ſub te cadent.* O terq́ue quaterq́; beati illi, quicumque ex vobis Chriſti ſagitta percuſſi: quemadmodum deſiderat ceruus ad fontes aquarum, ita ad fontem baptiſmi deſiderabunt, aquiſq́ue expiati puriſſimis Meſſiæ ſuo dabunt nomina, Regiq́ue ſummo Ieſu debitum perſoluent honorem, atque ſeruitutem.

Meſſiæ prælia quatuor Iſaiæ 27.

Habacuc 3.

CAPVT XV.

De Sponſa Filiiſq́ue Meſſiæ.

QVID mirum ſi homines Iudæi, qui carne omnia metiuntur, Meſſiam vxorem aſſerant ducturum, & liberorum generationi operam daturum. Scripturæ verò teſtimoniis in eam ſententiam ſe adductos dicent: nam Meſſiæ vxor Regina tribuitur, illis verbis: *Aſtitit Regina à dextris tuis in veſtitu deaurato circumdata varietate.* Tribuuntur itẽ filij: *Pro patribus tuis nati ſunt tibi filij.* Item: *Ponam*, inquit Dominus, *in ſæculum ſæculi ſemen eius.* Et Iſa. 53. *Videbit ſemen longæuum.*

Pſalm. 44.

Pſalm 88.

Iſaiæ 53.

Quid ni nos quoque fateamur quod diuinæ prædicant litteræ? & libenter quidem fatemur Meſſiam vxorem habere Reginam pulcerrimam, theſauris locupletem, nobilitate præſtantem, virtute præcellentem, ex qua filios, non annis; ſed diebus etiam ſingulis diuino procreet ſatu. Aſt aſſurgere à carne ad ſpiritum neceſſe eſt ei, qui ſingulare hoc coniugium contemplari velit: excelſum enim eſt ac diuinum, quale Meſſiæ Deo coniugium congruit. *Propter hoc*, ait Apoſtolus, *relinquet homo patrem, & matrem ſuam, & adhærebit vxori ſuæ: & erunt duo in carne vna. Sacramentum hoc magnum eſt. ego autem dico in Chriſto & Eccleſia.* Quibus verbis docet Meſſiæ vxorem eſſe Eccleſiam, eiuſq́ue ſpiritale coniugium Adami atque Euæ coniugio adumbratum: quemadmodum enim vir, & vxor arctiſſimo vinculo ſunt colligati, ſic Chriſtus, & Eccleſia, vir & vxor ſunt duo in carne vna. Eccleſia & Chriſtus duo ſunt in corpore vno: eſt enim corpus myſticum Eccleſia, cuius caput eſt Chriſtus. Præterea Chriſtus & Eccleſia eiuſdẽ carnis ſunt, vt Paullus ait eodem loco: *Nemo*, inquit, *vnquam carnem ſuam odio habuit, ſed nutrit, & fouet eam, ſicut Chriſtus Eccleſiam; quia membra ſumus corporis eius, de carne eius, & de oſſibus eius.* id eſt, membra ſumus corporis eius myſtici, carneq́ue conſtamus & oſſibus quemadmodum Chriſtus ipſe conſtat; eius quippe naturæ humanæ eſt Chriſtus, cuius eſt Eccleſia. Propter hanc Sponſam dilectiſſimam reliquit homo, id eſt, Chriſtus, quoad humanitatem, Patrem. Nam quoad diuinitatem numquam Patrem reliquit, ſemper ipſe in Patre fuit, & Pater in ipſo; ſecundùm humanitatem verò Patrem reliquiſſe dicitur, quia in terris per 33. annos in forma ſerui egit; reliquit item matrem, id eſt, Synagogam, à qua ſecundùm carnem ortus eſt, vt Bernard. interpretatur: Propter te, inquit, à Deo Patre exiuit, & matrem Synagogã reliquit, &c. Et adhæret vxori ſuæ Eccleſiæ, adhærebitq́, in ſempiternum: quemadmodũ enim Chriſtus æternus eſt, ſic & Eccleſia in cælum tranſlata erit ſempiterna.

Meſſia Sponſa Eccleſiæ.

Ephes. 5.

Gen. 2.

D. Bern. ſer. 2. de nupt. Cana.

Hæc eſt Eua illa ex latere in Cruce dormientis Adami, id eſt, Chriſti, efformata, & ex nomine eius appellata, de illa dicitur: *Vocabitur virago, quia de viro ſumpta eſt*; hæc vocatur Chriſtiana, quia de Chriſto ſumpta eſt: *Illa os ex oſſibus Adami, & caro de carne eius*; hæc os ex oſſibus Chriſti, & caro ex carne eius, & ſpiritus ex ſpiritu eius, & ſancta ex ſanctitate eius, & viua ex vita eius: Illa *dicta eſt Eua*, id eſt, vita, *eo quòd mater eſſet cunctorum viuentium*; hęc eamdem ſibi cauſſam vendicat, & cum cauſſa nomen idem, mater eſt omnium viuentium vita gratiæ: nemo enim hanc feliciſſimam vitam gratiæ viuit, qui Eccleſiæ filius non ſit. Hæc illa eſt Rebecca, quam verus Iſaac in tabernaculum ſynagogæ matris ſuæ introduxit, & accepit in vxorem, & in tantum dilexit eam, vt dolorem, qui ex morte matris eius, id eſt, ſynagogæ, acciderat, temperaret. Hæc illa Rachel pulcerrima, pro qua Iacob noſter non ſeptem ſolum, ſed 33. ſeruiuit annis: *Et videbantur illi pauci dies præ amoris magnitudine. Iacob*, vt dicitur in Gen. *diu noctuq́; æſtu vrebatur, & gelu, fugiebatq́; ſõnus ab oculis eius.* At Chriſti pro Eccleſia æſtus, & cruciatus, quis poſſit pro dignitate commemorare? meritò nomen illi imponemus illud, quo Sephora Moyſen affecit: *Sponſus*, inquit, *ſanguinum tu mihi es.* Sponſus ſanguinum optimo iure Chriſtus dici poteſt: ſiue enim aſpicias caput, ſiue manus, ſiue pedes, ſiue corpus reliquum, totus manat ſanguine, pro cariſſima ſibi Sponſa Eccleſia incredibili caritate ſimul cum vita profuſo. Hæc illa eſt Pharaonis filia, quam opulentiſſimus Salomon ex alia natione coniugio ſibi copulauit: Eccleſiã enim Chriſtus

Gen. 3.

Gen. 24.

De Eccleſia Gen. 29.

Gen. 31.

Exod. 4.

ſtus maximè ex gentibus ſibi adiunxit. Quòd ſi huius ſponſæ laudes expetis, librum totum Canticorum perlege, in quo diuino celebrantur encomio. Hæc illa eſt *Pulcra & decora ſicut Ieruſalem, terribilis vt caſtrorum acies ordinata*, hæc eſt, quæ *progreditur quaſi aurora conſurgens; pulcra vt Luna, electa vt Sol*, hæc eſt *hortus conclusus, fons ſignatus*. Hæc *lilium inter ſpinas*, quia Iudæorum, ethnicorum, Mahometanorumque cœtus, ſpinæ ſunt tartareo igne concremandæ, hæc ſola in mundo odoris lilium ſuauiſſimi.

Cant. 6. *Cant. 3.* *Cant. 2.*

De deſponſatione agitur illis verbis: *Et ſponſabo te mihi in ſempiternum; & ſponſabo te mihi in iuſtitia, & iudicio, & in miſericordia, & in miſerationibus; & ſponſabo te mihi in fide, & ſcies, quia ego Dominus.* Sponſam accepit Chriſtus Eccleſiam, ſibique colligauit coniugij nodo indiſſolubili: ideoque dicitur, Sponſabo te mihi in ſempiternum. Sponſauit autem eam ſibi in iuſtitia illa ſumma & iudicio, quo in Cruce pro peccatis omnibus ſummo iure Deo ſatisfecit; & in miſericordia, & in miſerationibus: admirabili enim miſericordia Eccleſiam ſibi copulauit, non ex meritis. Omni dote carebat ſponſa, omnique pulcritudine, in ſumma erat paupertate & miſeria, at, vt dixit olim Saul: *Non habet Rex ſponſalia neceſſe.* Ipſe opulentiſſimus Meſſias dotem ſponſæ confecit, pulcritudinem contulit, è ſumma miſeria ad ſummam extulit dignitatem. Quamobrem innixa dicitur ſuper dilectum ſuum: *Quæ eſt iſta, quæ aſcendit de deſerto, deliciis affluens, innixa ſuper dilectum ſuum?* Ecce inops illa ſponſa iam deliciis & diuitiis affluit; ſed vnde hæ deliciæ? à ſponſo illius innixa humeris, id eſt, meritis, ex humili loco ad excelſum honorem aſcendit. *Nigra eſt, ſed formoſa*: nigra ex primo parente, propter peccati nigrorem; ſed formoſa ex ſponſo, propter gratiæ pulcritudinem, qua ab illo eſt decorata. Auguſtinus: Nigra Eccleſia per naturam, formoſa per gratiam, nigra originali peccato, formoſa baptiſmi Sacramento, &c.

Oſea 2. De deſponſatione Eccleſiæ. *1. Reg. 18.* *Cant. 8.* *Cant. 1.* *Aug. ſer. 86. de tempore.*

Eccleſiæ igitur illud congruit, quod de ſynagoga Dominus commemorat: *Proiecta es ſuper faciem terræ, in abiectione animæ tuæ, in die qua nata es.* Confert ſynagogam cum puella mox poſt partum in ſumma rerum omnium egeſtate prope viam aliquam expoſita; quales omnes ſumus antequam baptizemur. Deinde à ſe prædicat vita donatam: *Tranſiens*, inquit, *per te, vidi te conculcari in ſanguine tuo, & dixi, cùm eſſes in ſanguine tuo, Viue: dixi, inquam, tibi: In ſanguine tuo viue.* Poſtea eamdem duxiſſe vxorem oſtendit: *Et tranſiui per te, & vidi te, & ecce tempus tuum, tempus amantium*; id eſt, perueniſti ad annos pubertatis & nuptiarum: *Et expandi amictum meum ſuper te, & operui ignominiam tuam, & iuraui tibi, & ingreſſus ſum pactum tecum, ait Dominus Deus, & facta es mihi*, ſcilicet ſponſa, vel vxor. Ecce depictam ſynagogæ, & Eccleſiæ paupertatem ac miſeriam, antequam à Deo conuerteretur: ecce Dei quoque miſericordiam, expoſitam puellam in ſanguine ſcelerum volutantem, nudam atque inopem, coniugio ſibi copulauit, mirumque in modum exornauit, quod ſequitur: *Laui te*, inquit, *aqua, & mundaui ſanguinem tuum ex te* (primus enim baptiſmus eſt, cuius ſalutari aqua peccatorum ſanguis eluitur.) *Et vnxi te oleo*, id eſt, gratia Spiritus ſancti, *& veſtiui te diſcoloribus, & calceaui te hyacintho, & cinxi te byſſo, & indui te ſubtilibus, & ornaui te ornamento, & dedi armillas in manibus tuis, & torquem circa collum tuum, & dedi inaurem ſuper os tuum* (ſunt inaures ornamentum vultus, ſuſpenſum per vittam in frontem, vel ornamentum aurium) *& circulos auribus tuis, & coronam decoris in capite tuo, & ornata es auro, & argento, & veſtita es byſſo & polymito, & multis coloribus, ſimilam & mel, & oleum comediſti, & decora facta es vehementer nimis, & profeciſti in regnum.* Hæc de ſynagogæ ornamentis, itemque Eccleſiæ, quæ omnia e Chriſti meritis emanarunt.

Eccleſia ante deſponſationem ſimilis puellæ expoſitæ. *Ezech. 16.* *Eccleſiæ ornamenta à Chriſto donata.*

Denique, vt Oſeæ ſuprà notata verba ad finem adducamus. *Sponſabo*, inquit Dominus, *te mihi in fide.* Nequaquam in legis iuſtitia, ait Hieronymus, ſed in fide & gratia Euangelij. Ornamenta ergo huius pulcerrimæ ſponſæ illo corporeo ornatu ab Ezechiele indicata, ſunt fides inprimis, virtutum omnium fundamentum, ſpes, caritas, gratia, patientia, fortitudo, ceterique virtutum habitus, qui, veluti muliebris quidam mundus, Eccleſiam admirabilem in modum exornant. *Veſtiui te*, inquit, *diſcoloribus*: non enim vnius coloris tantùm Eccleſiæ veſtis eſt, ſed multarum virtutum niteſcit ſplendoribus. *Calceaui te hyacintho*, id eſt, muniui pedes ſpiritales, ſcilicet, affectus hyacinthynis calceis, id eſt, cæleſtibus fidei, atque ſpei & caritatis cogitationibus. *Cinxi te byſſo*, id eſt, caſtitate, veluti cingulo byſſino ac candidiſſimo, carnis effrenatas cupiditates coercui. *Indui te ſubtilibus*, id eſt, veſtibus ſubtiliſſimis, non craſſis, ſed ſericis, id eſt, ſpiritalibus. *Dedi armillas in manibus tuis*, id eſt, aurea opera; *Torquem in collo tuo*, aurea verba; auream doctrinam, quæ collo funditur; *Dedi inaures* obedientiæ; & *coronam capiti*, id eſt, ſummum Pontificatum. *Similam & mel comediſti* in menſa Euchariſtiæ auguſtiſſimæ ſimul, ac dulciſſimæ oleum gratiæ in reliquis Sacramentis. Denique *decora facta es vehementer nimis*; nihil enim Eccleſia in toto orbe pulcriùs eſt.

Ezech. 16. *Apoc. 12.* *Cant. 6.*

Hæc eadem ornamenta ab illis adumbrata ſunt, quæ famulus Abrahami Rebeccæ dono dedit à fonte abeunti, qua de re audiamus Auguſtinum: Vbi, inquit, inuenitur ſponſa illa, quæ Chriſto ſocianda erat? Vbi niſi ad aquam? Niſi Eccleſia ad aquam baptiſmatis veniſſet, Chriſto ſociata non eſſet. Rebecca ergo Abrahæ puerum inuenit ad puteum, & Eccleſia inuenit Chriſtum ad baptiſmi Sacramentum; puer obtulit inaures aureas ad ornandam faciem Rebeccæ, & Chriſtus verba diuina margaritis omnibus pretioſiora dedit Eccleſiæ, & armillas poſuit in manibus Rebeccæ, & Chriſtus dedit opera ſancta in manus Eccleſiæ, &c. Quia verò Eccleſia, vt ſuprà diximus, omnem ornatum à Chriſto accepit, addit Auguſtinus: Quomodo Rebecca nec inaures habere potuit, nec armillas in manibus, niſi Iſaac per ſeruum ſuum tranſmitteret: ita & Eccleſia nec verba diuina in auribus, nec opera ſancta habere potuiſſet in manibus, niſi hæc illi Chriſtus per ſuam gratiam, & per ſuos Apoſtolos contuliſſet. Hæc Auguſtin. Quemadmodum veſtis hominis tegit nuditatem, ita Chriſtus noſtram omnium operit paupertatem. Vnde meritò Paullus: *Quicumque*, ait, *baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis*, ſcilicet veluti veſtem, qui nudos vos, & omni merito carentes ornatiſſimè veſtiuit. Et Eccleſia dicitur *mulier amicta Sole*, id eſt, ipſius Chriſti radiis ac ſplendore; & *pulcra vt Luna*, quæ lucem à Sole mutuatur. Hæc de deſponſatione.

Aug. ſer. 71. de tempore. *Gen. 24.* *Gal. 3.*

Chriſtus ſpiritaliũ cum Eccleſia nuptiarũ Sir, pronubi cõcionatores.

Nuptiarum pronubi ac paranymphi Apoſtoli fuerunt, ſuntque etiam hodie concionatores, qui gentibus Euangelium annuntiant: quod indicat Paullus: *Deſponsi*, inquit, *vos vni viro Virginem caſtam exhibere Chriſto.* Vnum Eccleſiæ virum Chriſtum, Eccleſiam Virginem caſtam, pronubum Paullum, hæc verba oſtendunt. Theophylactus: Corinthios, inquit, ſponſæ loco poſuit Paullus, ſeipſum autem pronubi vice locat, &c. Sunt autem

2. Cor. 11. *Theophyl.*

boni huius ſponſæ paranymphi zelotypi, zelo Dei ardent, ne à quoquam ſponſa lædatur magnopere curant. Talis pronubus Paullus: *Æmulor*, inquit, *vos Dei amulatione*, id eſt, zelotypiam de vobis concipio, vt exponit Theodoretus. Nam vt Chryſoſtomus hoc loco ſcribit, zelotypæ ſunt animæ, quæ immodico dilectorum amore flagrant; & non aliunde naſcitur zelotypia, quàm ex vehementi dilectione. Cùm igitur probi concionatores Eccleſiam maximè diligant, illiusque ſponſum Chriſtum, zelo ardent, zelo, inquam, Dei, vt Paullus ait: *Æmulor vos Dei amulatione*, id eſt, zelo, vt Græcè habetur. Deus, inquit Theophylactus, zelare dicitur, quòd nimia nos dilectione proſequatur, non quòd aliquid inde commodi lucretur, ſed vt nos ſeruet, ad ſe ipſum nos colligit ac ſibi agglutinat, & cet. Huiuſmodi zelus eſt Chriſti concionatorum, zelo Dei ſponſam proſequuntur, non quòd inde aliquid lucrentur, ſed vt eam ſeruent, & ab omni corruptione liberent. Talis, ait Chryſoſt. explicans Paullum, Dei zelus, talis & meus eſt, magnus ſcilicet, & purus.

Theodoret. D. Chryſoſt. Theoph. Chryſoſt.

Vtinam multos inueniat Eccleſia huiuſmodi pronubos, in quibus hic fulgeat zelus magnus & purus; id eſt, non quærens quæ ſua ſunt, ſed quæ Ieſu Chriſti. Hos paranymphos, vt obſeruauit Chryſoſtomus & Theophylactus, Abrahæ ille famulus, de quo iam diximus, adumbrauit, qui Rebeccæ pronubus fuit, illamque longo quæſitam itinere ad ſponſum adduxit. Typus erant, ait Chryſoſtomus, quæ de Abrahamo leguntur: etenim ille ſeruum fidelem miſit deſponſaturum filiam gentilem, & Deus miſit miniſtros ſuos deſponſaturos filio Eccleſiam, &c. Famulus hic poſtquam domum Rebeccæ peruenit, cùm appoſitus eſſet cibus: *Non comedam*, reſpondit, *donec loquar ſermones meos*. Quo loco Gloſſa interlinealis ſic habet. Non quærit famulus, id eſt, concionator, quæ ſua ſunt, non vult metere carnalia, niſi priùs ſeminauerit ſpiritualia, &c. Non enim concionator probus concionatur vt comedat, ſed comedit, vt concionetur. Hæc de paranymphis.

Gen. 24.

Sponſæ ſi quæris dotem quis illam explicet? Videamus, ait Chryſoſtomus 2. Cor. 11. quid ferens Paullus non deſponſarit, quales dotes, non aurum, non argentum, ſed regnum cælorum, &c. Et Auguſtinus: Eccleſia, inquit, accipit in præſenti pretioſam arrham, ſanguinem ſponſi ſui, acceptura dotem poſtmodum regni ſui, &c. Veniet tandem feliciſſimum tempus illud, quo per gloriam ſponſo coniungetur, quæ nunc per gratiam coniuncta eſt: tunc dos hæc regni cælorum opulentiſſima ſponſæ tradetur, cùm venerint extremæ, & optatiſſimæ illæ nuptiæ, de quibus Ioan. *Gaudeamus*, inquit, *& exultemus, & demus gloriam ei, quia venerunt nuptiæ agni, & vxor eius præparauit ſe, & datum eſt illi, vt cooperiat ſe byſſino*, &c. Item: *Beati qui ad cœnam nuptiarum agni vocati ſunt*, &c. Faxit Deus, vt nos quoque vocemur.

D. Chryſoſt. D. Aug. ſer. 75. de temp. Apoc. 19.

Adſtat Regina à dextris Meſſiæ. 1. Eccleſia. Pſal. 44.

Ex his iam conſtat, quæ ſit Regina illa, ſiue coniux, vt vertit D. Hieronymus, quæ à dextris adſtat Meſſiæ; Eccleſia eſt, cui cæleſte regnum ſponſus parauit *A dextris adſtat*, quia cariſſima ſponſa eſt; *in veſtitu deaurato*, quia caritate ſplendeſcit; *circumdata varietate* virtutum omnium. Omnis autem gloria eius ab intus eſſe dicitur, vt intelligamus præcipuum Eccleſiæ ornatum in virtutibus, Spiritusque ſancti donis conſiſtere. Externa tamen ornamenta, externas quoque habet ceremonias, oculis ſubiectos ritus, fimbrias habet aureas, quæ ex interna veſte prominent extrinſecus, quibusque maximè decoratur. Inclinare aurem iubetur ſponſi A verbis, quia, vt Paullus ait; *Fides ex auditu*, obliuiſci populum ſuum, & domum patris ſui, id eſt, ethnicos & Iudaicos ritus. Additur: *Et concupiſcet Rex decorem tuum, quoniam ipſe eſt Dominus Deus tuus, & adorabunt eum.* Quibus verbis docetur qualis ſit huius Reginæ ſponſus, videlicet Meſſias Deus & homo. Hæc vxor eſt.

Rom. 10.

Filij autem Meſſiæ ſunt Chriſtiani; qui præclariſſima generatione, *non ex ſanguinibus*, vt eſt apud Ioannem, *neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, ſed ex Deo nati ſunt.* De iis dicitur: *Leua*, ô Eccleſia, *in circuitu*, orbis ſcilicet totius, *oculos tuos, & vide: omnes iſti congregati ſunt, venerunt tibi; filij tui de longe venient, & filiæ tuæ de latere ſurgent.* Et: *Numquid parturiet terra in die vna? aut parietur gens ſimul, quia parturiuit, & peperit Sion filios ſuos?* indicat locus Eccleſiæ in pariendo celeritatem. Non enim, vt ait Hieronymus in hunc locum ſcribens, multo tempore, vt populus Iudæorum per Abraham, Iſaac, & Iacob, & duodecim Patriarchas, & rurſus per liberos eorum, ac nepotes, creuit in maius; ſed ad euangelicam prædicationem ſtatim omnis mundus concepit, & parturiuit, & *peperit maſculum*, quem Pharao & Herodes conabantur occidere. Item, Peperit, inquit, Sion maſculum, Dominum Saluatorem, qui in toto ſimul orbe generatus, quod nullus audiuit, quod nulla narrat hiſtoria, aut alicuius doctrina: vt omnes breui tempore crederent nationes, & de vniuerſis gentibus vna gens fieret Chriſtianorum, &c. Hoc autem potentiæ fuit diuinæ, ideoque ait Dominus ſe filios Eccleſiæ parere eodem capite: *Numquid ego, qui alios parere facio, ipſe non pariam? dicit Dominus, ſi ego, qui generationem ceteris tribuo ſterilis ero*, &c.

Filij Meſſiæ Chriſtiani ſunt. Ioan. 1. Iſaia 60.

Iſaia 66.

D. Hieron.

Quid multa? clamat parturiens Eccleſia, quia ſponſo ſuo natos parere conatur; iuxta illud Paulli: *Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur in vobis Chriſtus.* Similitudinem Patris, id eſt, Chriſti, referunt probi filij huius ſponſæ, ideoque Paullus: *Donec*, inquit, *formetur Chriſtus in vobis.* Formam Chriſti, & imaginem ex vtero trahunt; vnde etiam illud: *Omnes filij Dei eſtis per fidem in Chriſto Ieſu: quicumque enim in Chriſto baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis.* quaſi dicat, Omnes eſtis filij, & Patri Chriſto ſimiles: illum enim induiſtis, illius in vobis imago in baptiſmate inſignita eſt atque impreſſa.

Apoc. 12. Gal. 4. Gal. 3.

Habet autem mater hæc, quæ tot filiis lac cæleſte ſuppeditare poſſint, vbera refertiſſima: lac, cæleſtis eſt doctrina ex vtroque petita Teſtamento. Non poterat fieri, ait Hieronymus eodem capite, vt quæ erat puerpera careret lactis abundantia, in educationem eius gentis, & paruulorum, qui ſimul nati fuerant, vt præberet eis duo vbera veteris ac noui Teſtamenti, ad præbendum rationale lac, &c. Nec doctrina ſolùm, ſed ipſis Chriſti meritis, & ſanguine paſcit natos; quocirca ſimilia botris dicuntur illius vbera: *Statura tua aſſimilata eſt palmæ, & vbera tua botris.* Botri pleni ſunt rubenti vino, vbera Eccleſiæ, id eſt, Sacramenta, Baptiſmus, Confirmatio, Pœnitentia, & reliqua, maximeque auguſtiſſima Euchariſtia, plena ſunt purpureo Chriſti ſanguine.

D. Hieron. Cant. 7.

Videt ergo, ô Iudæi, videt Meſſias ſemen longæuum, vt Iſaias prædixit: *Si poſuerit*, inquit, *pro peccato animam ſuam, videbit ſemen longæuum.* Si Meſſiam vultis habere ſemen longæuum, cur ab eo alteram vaticinij partem repellitis? videlicet, Si poſuerit pro peccato animam ſuam. Poſuit Meſſias animam ſuam pro peccato, in Crucem ſublatus eſt, vt peccatum aboleret: ideoque tantam natorum cernit multitudinem, quos ſummo cum dolore in Cruce veluti mater edidit in fidei gratiæque lucem.

Iſaia 53.

Quam-

Quamobrem non dixit Dominus: Ego qui alios A
Isaiæ 66. gignere facio, ipse non gignam? sed, *Ego qui alios parere facio, ipse non pariam?* sine dolore enim gignũtur filij; at non sine parturientis grauissimo dolore pariuntur. Peperit ergo Deus filios tunc, cùm in crucem actus, inauditos veluti parturiens subiit cruciatus. Hic fuit Dei, & dignus Deo partus vniuersa hac, quæ oculis subiicitur, rerum machina multo præcellentior: nihil enim filiis Dei in toto terrarum orbe est præcellentius. Quia verò semen Messiæ erit sempiternum, dicitur, quod suprà obiiciebatur: *Ponam in sæculum sæculi semen eius. Pro patribus autem nati sunt illi filij* (quod habetur Psalm. 44.) quia pro Patriarchis & Prophetis illis antiquis, filios Apostolos Ecclesiæque Pontifices genuit, quos B
Psal 88. *Psal. 44.* super omnem terram principes constituit.

Denique habemus filios, habemus & vxorem Messiæ pulcerrimam, ornatissimam, nobilissimam,
D. August. ser. 119. de tempore. addo etiam & Virginem. Quam ob caussam Augustinus Ecclesiam cum ipsa Deipara confert, quia perpetua virginitas cum singulari coniuncta fecunditate condecorat: Sancta, inquit, Maria, Virgo peperit, & Virgo permansit, sic & Ecclesia parit &
Ecclesia Virgo parit. virgo est. Et si consideres, Christum parit, quia membra eius sunt, qui baptizantur; si ergo membra Christi parit, Mariæ simillima est. Hæc ille. Et sermon. 25. Humano coniugio, sponso femina traditur, vt virgo iam non sit. Ecclesia verò virgo esse non posset, nisi sponsum Filium Virginis inuenisset. Item magna est sponsi, & singularis di- C
gnatio, meretricem inuenit, virginem fecit. Sed quæ sit hæc Ecclesiæ virginitas quæris; fidei virginitas est. In fide, ait Augustinus, virgo est Ecclesia.

Idolorum cultus appellatur fornicatio in diuinis litteris. Quemadmodum in Prophetarum libris idolo-
Osee 1. *Ierem. 2.* latria dicitur fornicatio, sic fides merito Virginitas appellatur: *Fornicans fornicabitur terra à Domino*, id est, idola colet. Ieremiæ: *In omni colle sublimi, & sub omni ligno frondoso, prosternebaris meretrix*; synagogam meretricem vocat, quòd in collibus sub frondosis arboribus, simulacra adorando, se prosterneret; Ezechiel. *Fabricasti lupanar tuum in capite omnis*
Ezech. 16. *viæ, & excelsum tuum fecisti in omni platea*, &c. Lupanaria appellat altaria, siue excelsa, in quibus cum D
idolis fornicabantur. eiusdem Prophetæ locus exstat celebris hac de re. Duæ enim sorores meretrices insignes eo capite describuntur; quarum maior Oolla, minor Ooliba nominatur, id est, Samaria & Ierusalem: vtraque enim idola coluit.
Ezech. 23. *Fornicata*, inquit Deus, *est super me Oolla*, id est, Samaria, regnum decem tribuum, *& insaniuit in amatores suos, in Assyrios propinquantes*, & cet. Deinde de regno Iuda, quod dicitur Ierusalem & Ooliba; *Ooliba*, id est, Ierusalem, *plusquam illa*, id est, Samaria, *insaniuit libidine*, & plura alia. Meritò ergo fidei
Fidei sinceritas, dicitur Virginitas. sinceritas Virginitas, meritoque Ecclesia Virgo dicitur, quòd sponso suo incorruptam atque inuio-
D. Chrysost. latam fidem perpetuò seruet. O nouas res, ait Chry- E
sostomus 1. Cor. 11. in mundo virgines manent ante nuptias, post nuptias non item, hic autem non sic. Nam licet non sint virgines ante nuptias, post nuptias virgines fiunt, &c. Virgines, inquam, fidei sinceritate. Quemadmodum verò non satis est sponsæ virginitas corporis, sed multa requiruntur alia vt sponso placeat: sic non satis est virginitas fidei, sed caritas quoque necessaria est; vt anima placeat Christo.

CAPVT XVI.

De diuinitate Messiæ.

IVDÆI diuinitatem Messiæ denegant, merum hominem opinantur, humanitatis solùm humilitatem mente attingunt, ad diuinitatis celsitudinem non ascendunt. Christiani clarissimo fidei lumine illustrati, Dei Filium incarnatum, secundam sacrosanctæ Trinitatis personam, Deum verum, Patris sapientiam, æternumque verbum esse confitentur. Id quod sacræ litteræ locis quamplurimis tradiderunt. Vt ab Isaia celeberrimo Propheta initium faciamus, ipso nomine, quod Messiæ imponit, B
Deum esse palam asserit. *Ecce*, inquit, *virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emmanuel*, id est, nobiscum Deus: verè enim tunc nobiscum Deus fuit incarnatus, cùm Christus cœtus hominum adiuit, & in terris versatus est. Quod alius quoque Vates prædixit: *Hic*, inquit, *est Deus noster, & non æstimabitur alius aduersus eum; hic adinuenit omnem viam disciplinæ, & tradidit illam Iacob puero suo, & Israel dilecto suo. Post hæc in terris visus est, & cum hominibus conuersatus est.* Sed ad Isaiam sermo redeat. *Deus Messias ex Is. 7.* *Baruch 3.*

Messiam Regem aliis nominibus exornat, quæ tam humanam, quàm diuinam, vna in hypostasi naturam inesse, planè ostendunt. *Paruulus*, ait, *datus est nobis*, si paruulus, ergo homo erat: Deus enim paruulus esse non potest; *Et filius datus est nobis*, cuius sit filius Vates non explicat, quod fecisset, si de homine solùm loqueretur. Filium absolutè vocat, quia Messiæ, de quo scribit, proprium est filij nomẽ. Etenim ex tribus augustissimę Trinitatis personis, sola secunda Filius & est, & nominatur, idque nomen hereditario iure possidet; vnde Paullus: *Tanto*, inquit, *melior Angelis effectus, quanto differentius præ illis nomen hereditauit. Cui enim dixit aliquando Angelorum: Filius meus es tu, ego hodie genui te*, &c. Nomen ergo filij Christus à Patre per æternam generationem hereditauit; cuius generationis vi procedit vt filius. Quocirca quod dixit Isaias: *Filius datus est nobis*, de filio Dei intelligendum est, quem Deus nobis paruulo indutum corpusculo ipsa natali die donauit. Addit, *Vocabitur nomen eius Admirabilis, Consiliarius, Deus, Fortis, Pater futuri sæculi, Princeps pacis.* Attende nominum maiestatem, quæ nulli hominum, sed Deo homini solùm congruere possit. Ecce apertè Deum vocat; vocabitur אל, el, Hebraicè, id est, Deus. *Isaiæ 9.* *Hebr. 1.*

Idem Isaias aduentum Messiæ suspirat, non è terra solùm, sed è cælo etiam, quia Deus est. *Rorate*, inquit, *cæli desuper, & nubes pluant Iustum, aperiatur terra, & germinet Saluatorem*; deinde eodem capite: *Tantùm*, inquit, *in te est Deus, & non est Deus absque te, verè tu es Deus absconditus; Deus Israel Saluator.* Deum absconditum vocat, quia in humanitate latebat, præterea quia Iudæis est abscondita Messiæ diuinitas; nam Septuaginta Interpretes ita sunt interpretati: In te Deus est, & non est Deus præter te: tu enim es Deus, & nescimus, Deus Israel Saluator. Indicant ergo propterea dici Deum absconditum, quòd nesciuerint illum Iudæi, nec agnouerint Deum esse Israel Saluatorem. Superiora verba, *Tantùm in te est Deus, & non est Deus absque te*, Septuaginta, vt vides, ad eumdem Messiam retulerunt. Modò in codicibus Hebræis referuntur ad Ecclesiam, quia pronomen, te, Hebraicè feminini generis est, hoc sensu: Solùm in te ô Ecclesia colitur Deus, & absque te, id est, extrema te, non est Deus, id est, *Isaiæ 45.*

non colitur. Nos cum Septuaginta Interpretibus ad Chriſtum dicimus pertinere etiam verba hæc: Tantùm in te eſt Deus. Docet enim Propheta in Chriſto duas eſſe naturas; alteram humanam, alteram diuinam; diuinam autem eſſe in humana abſconditam. Ideo ait: *Tantùm in te eſt Deus*, id eſt, in nullo alio homine, ſed in te ſolùm ô Meſſia eſt Deus, verbum diuinum naturæ humanæ in vna eademque hypoſtaſi copulatum, abſque te non eſt Deus alter: vnicus enim Deus eſt. Verè tu es Deus in humanitate abſconditus Iudæis, qui te non cognoſcunt.

De eodem loquitur Meſſia, & Deum appellat: laudat initio capitis Deum, quòd Meſſiam miſerit: *Iſaiæ 25.* *Confitebor*, inquit, *nomini tuo, quoniam feciſti mirabilia*, B *cogitationes antiquas fideles, Amen.* In aduentu namque Meſſiæ, quod ab æternitate cogitauerat Deus ac decreuerat, perfecit, mundumque redemit, cogitationes antiquas appellat, id eſt, æternas de Meſſia mittendo, & orbe redimendo, fideles, id eſt, ſtabiles, conſtantes: numquam enim propter vlla hominum peccata ſententiam mutauit. Gratias deinde agit ob excidium vrbis Ieruſalem, quæ Meſſiam occidit, & ob Romanorum, ceterarumque gentium ad fidem conuerſionem. *Poſuiſti*, inquit, *ciuitatem Ieruſalem in tumulum, & domum alienorum*: Gentibus enim alienis tradita eſt, vt non ſit ciuitas, & in ſempiternum non ædificetur; non enim ædificabitur vmquam Ieruſalem, aut ciuitas erit, in qua Iudæi habitent, & imperium obtineant. *Super hoc laudabit te populus fortis*, id eſt, Romanus; *ciuitas gentium robuſtarum*, id eſt, Roma, *timebit, & colet te.* Poſt hæc de Meſſiæ doctrina, & mundi redemptione facit verba, hoc pacto: *In monte hoc*, id eſt, in ciuitate Ieruſalem, quæ in excelſo loco ſita erat, *faciet Dominus omnibus populis conuiuium pinguium, conuiuium vindemiæ, pinguium medullatorum, vindemiæ defæcatæ.* Conuiuiũ hoc Euangelium ſignificat, quod Ieroſolymis doceri cœpit, in eo pinguia, & medullata fercula, ab omni falſitatis fæce defecata, & puriſſima vina apponuntur. Nam veriſſima Chriſti doctrina animi palato ſuauiſſima eſt, mentemque reficit iucundiſſimè, quemadmodum opiparæ epulæ corpus paſcunt. Sequitur: *Et præcipitabit in monte* D *iſto faciem vinculi colligati ſuper omnes populos, & telam, quam orditus eſt, ſuper omnes nationes. Præcipitabit mortem in ſempiternum*, & cetera. De redemptione loquitur. Omnes homines peccati vinculo obſtricti erant, quod vinculum colligatum vocat Vates, ſuper omnes populos, huius vinculi colligati faciem per crucem ſuſtulit Meſſias, telam, quam cacodæmon ex variis erroribus contexuerat, diſrupit, mortem vtramque tam animi, quàm corporis præcipitauit. Ad extremum, qui Meſſiam exſpectabant gaudio exultantes: *Ecce*, inquit, *Deus noſter iſte*, ſcilicet Meſſias, *exſpectauimus eum, & ſaluabit nos; iſte Dominus*, Hebraicè, יהוה, Iehouah, *ſuſtinuimus eum*, id eſt, exſpectauimus (repetitur enim Hebrai- E cè idem verbum) *& exultabimus & lætabimur in ſalutari eius*, &c.

Præterea de proſperitate Eccleſiæ ſcribit in *Iſaiæ 35.* hunc modum: *Lætabitur deſerta & inuia; & exultabit ſolitudo, & florebit quaſi lilium, germinans germinabit lætabunda, & laudans.* Fuerat Eccleſia gentium ſolitudini, inuiæque ac ſterili regioni ſimilis, ante Chriſtum. Poſt Chriſtum verò mirum in modum hæc ſolitudo exultauit, miros flores, roſas, liliaque protulit. Quidquid enim ornamenti in ſynagoga erat, id in Eccleſiam tranſlatum eſt. *Gloria*, inquit, *Libani data eſt ei, decor Carmeli & Saron.* Libanus & Carmelus montes fuere Iudæorum amœni; Saron A quoque amœna fuit eorumdem regio, gloria ergo Libani, Carmeli, & Saron, id eſt, totius ſynagogæ, data eſt ei, id eſt, Eccleſiæ. Omnis Iudææ amœnitas in ſolitudinem, & ſterilitatem verſa eſt, omnis Eccleſiæ ſterilitas in amœnitatem eſt commutata. Cur ita? *Quia*, vt ait Propheta, *ipſi videbunt gloriam Domini, & decorem Dei noſtri*; id eſt, ipſi Eccleſiæ incolę videbunt fidei clariſſimis oculis gloriam Domini, & decorem Dei noſtri Meſſiæ. Et poſt pauca ait: *Deus ipſe veniet, & ſaluabit nos*, id eſt, Meſſias. *Tunc aperientur oculi cæcorum, & aures ſurdorum patebunt; tunc ſaliet ſicut cervus claudus, & aperta erit lingua mutorum.* Quis neſciat huiuſmodi multa miracula à Chriſto edita?

Item de redemptione vaticinatur. *Hæc dicit Do-* *Iſaiæ 52.* *minus: Gratis venundati eſtis*, cacodæmoni, propter peccatum Adami, & alia quæ adieciſtis; *& ſine argento redimemini*, ſanguine Meſſiæ. & infrà: *Ego ipſe, qui loquebar, adſum*, id eſt, ego ipſe Deus, qui loquebar per Prophetas, incarnatus adſum, vos vt redimam ſine argento. Sequitur: *Quam pulcri ſuper montes pedes annuntiantis & prædicantis pacem, annuntiantis bonum, prædicantis ſalutem, dicentis Sion, Regnabit Deus tuus*, id eſt, Meſſias. Pulcros enim Apoſtolorum pedes vocat annuntiantium Eccleſiæ per Chriſtum allatam ſalutem Chriſtique regnum.

Deus Meſſias loquitur. Repudiatam ſynagogam prædicat, quod Euangelium non audierit ac C receperit. *Quis*, inquit, *eſt hic liber repudij?* &c. *Ecce* *Iſaiæ 50.* *in ſceleribus veſtris dimiſi matrem veſtram, quia veni, & non erat vir; vocaui, & non erat qui audiret.* Deinde potentiam diuinam ad redimendum orbem habere ſe indicat: *Numquid*, ait, *abbreuiata, & paruula facta eſt manus mea, vt non poſſim redimere, aut non eſt in me virtus ad liberandum?* quaſi dicat, maximè eſt, nempe diuina, qua poſſum vel ipſum mare & flumina in terram aridam conuertere, totique cælo tenebras offundere. Ecce in increpatione mea deſertum faciam mare, ponam flumina in ſiccum, induam cælos tenebris, & cet. Poſt hæc de doctrina verba facit: *Dominus*, inquit, *dedit mihi linguam eruditam*, &c. Et de paſſione: *Corpus meum dedi percutientibus, & genas meas vellentibus*, &c. Cùm ergo loquatur Deus toto hoc capite, neque alia interponatur perſona, ex eo probatur Meſſiam eſſe Deum & hominem.

Ieremias cùm in paſtores gregem dilacerantes *Meſſias De-* inuectus eſſet, de ſummo Paſtore Meſſia hæc ſubii- *ex Ieremia* cit: *Ecce dies veniunt, dicit Dominus, & ſuſcitabo Dauid* *23.* *germen iuſtum, & regnabit Rex, & ſapiens erit, & faciet iudicium, & iuſtitiam in terra.* Quaſi dicat: Ecce dies veniunt optatiſſimi, & paſtorem Meſſiam Dauidis Filium mittam, ſapientiſſimum Regem populi mei, ac iuſtiſſimum, qui oues meas, & ſapienter, & iuſtè paſcat. Additur: *In diebus illis ſaluabitur Iuda, & Iſrael habitabit confidenter; & hoc eſt nomen, quod vocabunt eum, Dominus iuſtus noſter.* In diebus, inquit, Meſſiæ ſaluabitur Iuda, ſecundùm ſpiritum: erit enim Meſſias Saluator, & Iſrael non carnalis, ſed ſpiritualis in pace habitabit. Nomen autem, quo Meſſiam appellabunt, hoc eſt, Dominus, Hebraicè יהוה, Iehouah, id eſt, Deus, iuſtus noſter.

Spiritus oris noſtri, Chriſtus Dominus, Hebraicè *Thren. 4.* (יהוה טשיח, Meſiach Iehouah.) id eſt, Meſſias Deus, *captus eſt in peccatis noſtris, cui diximus: In vmbra tua viuemus in gentibus.* Rabbini ſic interpretantur: Spiritus oris noſtri Chriſtus Domini, id eſt, Ioſias Rex. At Septuaginta Interpretes viros doctiſſimos illis opponimus, qui ſic verte-

runt,

runt, Χριστὸς κύριος, id est, Christus Dominus, quos secutus D. Hieronymus eodem modo transtulit. Est enim de Messia vaticinium singulare, spiritus quem ore haurimus, Christus Deus, captus est, & occisus propter peccata nostra, sub cuius vmbra, id est, auxilio, inter gentes viuimus. Spiritus autem oris appellatur; quia quemadmodum ex spiritu, quē ducimus, vita corporis, sic ex Christi gratia, vita animi pendet.

Christus Deus ex Osea.

Osea 3.

Oseas Iudæorum ad Christum extremo mundi tempore conuersionem prædixit: ipsum verò Christum Deum esse indicat: *Longo*, inquit, *tempore Israelitæ Deo vero, Rege, templo, sacrificiis, Sacerdotibusq; carebunt, nec tamen simulacra colent*: quo in statu nostris temporibus manent. Non enim fornicatur synagoga, vt cum Osea loquar, id est, non exhibet idolis cultum diuinum. Nec est viro, quia à Deo libellum accepit repudij. *Post hæc*, ait, *reuertentur filij Israel, & quærent Dominum Deum suum, & Dauid Regem suum.* vtramque Messiæ naturam aperit. Dominum Deum Iudæorum, propter diuinam, Dauidem, propter humanam à Dauidis genere assumptam, appellat; sequitur: *Et pauebunt ad Dominum*, Hebraice (יחוה Iehouah) id est, summo cum timore, & reuerentia, Messiam Deum agnoscent, & venerabuntur, &c.

Mich. 5.

Michæas dum Messiæ patriam quasi intento digito ostendit, eius quoque æternitatem, ac diuinitatem testatur, his verbis: *Et tu Bethlehem Ephrata paruulus es in millibus Iuda; ex te mihi egredietur, qui sit dominator in Israel, & egressus eius ab initio a diebus æternitatis.* Hominem esse Messiam Vates docet, quòd patriam habeat Bethlehem, ambitu quidem vrbem paruulam; Maximi autem Regis natali maximam. Deum esse ostendit, cùm addit: *Egressiones, siue emanationes eius* (est enim Hebraice numerus multitudinis) *ab initio, à diebus æternitatis.* dixerat: Ex te, ô Bethlehem, egredietur Israelis Rex. Ne verò Messias humanam tantùm egressionem, siue Natiuitatem habere crederetur, qua ex sanctissimo vtero Matris integerrimæ in opido Bethlehem in lucem exiit; adiunxit: *Egressus eius ab initio, à diebus æternitatis.* quasi dicat: Ex vrbe Bethlehem egredietur homo Messias, ast alium quoque habet egressum multo præcellentiorem, quo non ex paruo opido in tempore, sed ex Patre egreditur in æternitate. Aliam habet Natiuitatem, qua non ex matre, sine patre homo, sed ex Patre sine Matre Deus oritur. Egressiones autem numero dixit plurali, quia semper à Patre iugi quadam, ac sempiterna emanatione procedit: quemadmodum si quis iugem lucis à Sole egressum, appellaret egressiones.

Zach. 2.

Lauda & lætare filia Sion, quia ecce ego venio, & habitabo in medio tui, ait Dominus. Et applicabuntur gentes multæ ad Dominum in die illa, & erunt mihi in populum; & habitabo in medio tui: & scies quia Dominus exercituum misit me ad te. De aduentu Verbi diuini sermo est Vati; & de gentium vocatione. Ecce ego venio ad te ô Sion, id est, Ecclesia, & in medio tui habitabo, ait Dominus, Hebraicè (Iehouah) id est, Messias Deus; & gentes multæ Deum agnoscent, & colent, eruntque Dei populus. In medio autem tui, in Sacramento Eucharistiæ habitabo, sciesq; Deum Patrem misisse me ad te. Liquet hoc ex loco, Filium Deum esse, & à Deo Patre missum, indicanturque duæ Triadis Augustissimæ personæ. De Spiritu sancto hîc mentio non fit; fit tamen Isaiæ 48. quo capite hæc exstant Messiæ Dei verba: *Et nunc Dominus Deus misit me, & Spiritus eius.*

Isaiæ 48.

Apud eumdem Prophetam Zachariam Deus sic loquitur: *Effundam super Domum Dauid, & super habitatores Ierusalem spiritum gratiæ, & precum, & aspicient ad me, quem confixerunt.* Effudit Deus super Ecclesiam, quæ Dauid, id est, Messiæ domus est, & Ierusalem vera, Spiritum sanctum gratiæ precationumque auctorem: *Postulat enim pro nobis gemitibus inenarrabilibus*, vt Paulus ait. Et aspiciunt Christiani ad Deum, quem crucifixerunt, planguntq; eius mortem, veluti mortem vnigeniti. Dicuntur autem Christiani confixisse Deum Messiam, quia ad expianda flagitia à nobis commissa Cruci est affixus. Exponi quoque potest locus de Iudæis Ecclesiæ primitiuæ ad Christum conuersis, qui summo cum dolore Messiæ mortem sunt lamentati, vel de Iudæis prope mundi finem conuertendis, vel denique de Iudæis, qui Messiam à se repudiatum extremo illo Iudicij die magno cum dolore, & plangore conspicient. Aspicient, inquit, in me Deum verum, quem confixerunt Cruci: *Et plangent eum planctu, quasi super vnigenitum*, &c. Hoc est quod Christus dixit: *Parebit signum filij hominis in cælo, & tunc plangent omnes tribus terræ.* Hunc verò planctum cum planctu confert celebri, quo Regis Iosiæ mors à familiis Israelitici populi, viris, feminisque deplorata est. Quocumque autem modo vaticinium intelligatur, ex eo planè efficitur, Messiam Cruci affixum Deum esse.

Rom. 8.

Matth. 24.

Zach. 13.

Item Patris sempiterni vox illa est Messiam Filium suum morti tradentis: *Thramea suscitare super Pastorem meum, & super virum cohærentem mihi, dicit Dominus exercituum: percute Pastorem, & dispergentur oues.* Quis hic est Pastor, in quem dat pater gladio potestatem? Quis hic vir Deo cohærens? sane non alius quàm Messias, populi Dei Pastor, & Deo cohærens; quia humana illius natura diuinæ eodem in supposito cohaeret. Vatabli versio sic habet, Super virum coæqualem mihi. Est enim Christus vir Deo Patri coæqualis, quia Deus est. Alij vertunt, Super virum proximum meum, eodem omnes spectant versiones, & Messiæ diuinitatem ostendunt.

Malach. 3.

Ecce ego, ait Deus, *mitto Angelum meum, & præparabit viam ante faciem meam, & statim veniet ad templum suum dominator, quem vos quæritis, & Angelus Testamenti, quem vos vultis.* De Messia est vaticinium, & Ioanne Baptista, illius præcursore. Ecce ego mittam præcursorem meum Ioannem, qui viam præparabit ante me. Ioanne verò præcedente veniet in templum suum dominator Messias, quem exspectatis, ille magni consilij Angelus, fœderisque noui siue Testamenti nuntius & auctor. Dominator appellatur Messias, & in templum suum, id est, Ierosolymitanum venturus dicitur, quia Deus est: templum enim illud, templum Dei erat, nec vlli, nisi Deo vero tribuitur.

Psalm. 2.

Ex Psalmis, Messias Deus.

Ad Psalmos gradum faciamus. Regius Vates de Messia conscripsit; initio hostium aduersus eum fremitum, inanesque conatus memorat: *Quare*, inquit, *fremuerunt gentes, & populi meditati sunt inania aduersus Dominum, aduersus Christum eius?* Post alia, Messiam ipsum loquentem facit hunc in modum: *Dominus dixit ad me, Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Filius ergo Dei Messias est, quòd si Filius, ergo Deus: vt enim filius hominis homo est, ita Filius Dei non potest esse nisi Deus. Quæres, quandonam Filium hûc genuit Deus? *Ego*, inquit, *hodie genui te.* Æterna quædam splendidissimaq; dies æternitas est, quam nulla nox consequitur, nullæ nubes obscurant, nulla vicissitudinis

obumbratio obtegit. In hac die clariſſima, Pater Filium, Deus, Deum, ſapientiſſimus, ſapientiſſimum, omnipotens, omnipotentem, pulcerrimus, pulcerrimum generat. Ideoque: *Ego*, ait, *genui te hodie*, id eſt, hoc æternitatis clariſſimo die, qui cœpit numquam, deſinet numquam, qui præteritum ignorat, futurum neſcit, totuſque ſimul exiſtit, nec inſtantibus copulatur, neque horis conſtat, neque è cæli motu pendet, neque in menſuram cadit vllam.

Pſalm. 109. De eadem æterna generatione Pater loquitur illis verbis: *Ex vtero ante Luciferũ genui te.* Lucifer aſtrum Veneris ſignificat, vſurpaturque hoc loco pro omnibus aſtris, diciturque Filius Dei genitus à Patre ante Luciferum; propterea quòd eius generatio æterna ſit; aſtraque omnia, & mundum anteceſſerit. Pro vtero, eſt Hebraicè רחם rechen, quæ vox feminæ vterum ſignificat; dicitur autem ex vtero Pater Filium gignere, vt intelligamus longè diuerſam eſſe diuinam generationem ab humana; homines namque aliena ad gignendum vulua indigent, Pater ſolus admirabilem hanc generationem perficit. Ex vtero ſuo genuit, quia alieno non fuit opus: dicitur præterea ex vtero genitus filius, quia filius hominis genitus in vtero manet; ſic Filius Dei in vtero, id eſt, ſinu Patris perpetuò eſt, iuxta illud: *Vnigenitus, qui eſt in ſinu Patris*, &c. *Ioan. 1.* Præterea, quia Filius Verbum Patris eſt, verbum autem eſt conceptus vteri alicuius, videlicet intellectus. Noſter intellectus veluti vterus recipit ſpecies intelligibiles ab obiecto, illiſque receptis, veluti ſemine, gignitur conceptus. Pater verò ex eſſentia ſua per infinitum illum vterum, id eſt, intellectum ſuum, non recepta aliqua imagine intelligibili, ſed ipſa diuina eſſentia inſtar imaginis concurrente, & infinito intellectus vtero veluti recepta, infinitum gignit Verbum, ſe ipſum dum intelligit. Ideóque ſapientia diuina, quæ Filius Dei eſt, dicitur *Prou. 8.* concepta ab æternitate: *Nondum*, inquit, *erant abyſſi, Pſal. 109.* *& ego iam concepta eram*, videlicet in vtero Patris. Similiter eodem capite, eadem Sapientia: *Ante omnes*, ait, *colles ego parturiebar*, videlicet ex vtero Dei.

Initio eiuſdem Pſalm. Meſſias Deus eſſe indicatur: *Dixit Dominus Domino meo*, ait Rex Dauid, *ſede à dextris meis.* Quis hic eſt, quem Dauid Dominum ſuum appellat? non alius ſanè, quàm Meſſias. Cui Dauidis Domino dixit Dominus Pater; Sede in cælo à dextris meis. Sed cur Meſſiam Filium ſuum, Dauid Dominum ſuum vocat? videlicet ob diuinitatẽ, quam in illo agnouerat. Deus ergo Meſſias eſt, Filius Dei, Sapientiáque Patris ab æterno genita.

Pſalm. 71. Quod indicatur etiam illis verbis: *Ante Solem permanet nomen eius.* Hebraicè legitur ante Solem (יהי linnon) nomen eius. Verbum autem (linnon) ſignificat filiabitur, vt docent Burgenſis, Pagninus, Vatablus, & Caietani interpres, à נין nin, quod ſignificat filium; eſtque ſenſus, ab æterno nomen Meſſiæ, Filius erit: eſt enim, vt diximus, nomen Filij proprium Verbo diuino, quia ab æterno à Patre gignitur. Chaldæus vertit: Antequàm creatus eſſet Sol præparatum erat nomen eius.

Prou. 30. Idem oſtenditur in Prouerb. *Quis aſcendit in cælum atque deſcendit? Quis continuit ſpiritum*, id eſt, ventum, *in manibus ſuis? Quis colligauit aquas quaſi in veſtimento?* videlicet in nubibus. *Quis ſuſcitauit*, id eſt, erexit, *& conſtituit omnes terminos terræ? quod nomen eius, & quod nomen Filij eius, ſi noſti?* Vides Prophetam aſſerere Deum habere Filium, cuius nomen agnoſcere olim fuerit difficillimum? iis adiunge illud:

A *Ego*, ait Deus, *ero illi*, ſcilicet Meſſiæ, *in Patrem, & ipſe erit mihi in Filium.* & illud: *Ipſe*, ſcilicet Meſſias, *inuocabit me, Pater meus es tu*, &c. Senſu enim humiliori locus ille de Salomone; hic de Dauide; ſenſu ſublimiori de Meſſia vterque intelligitur. *2 Regum 7.* *Pſal. 88.*

Pſal. 44. totus de Meſſia eſt. Ex mentis ſtomacho cæleſtibus epulis referto verbum illud bonũ Vates Regius eructauit; atq; inter alia: *Sedes*, inquit, *tua Deus in ſæculum ſæculi, virga directionis, virga regni tui.* Hoc eſt, O Deus Meſſia ſolium tuũ ſtabit in ſempiternum; ſceptrũ verò tuum rectum eſt, iuſtitiæ fulgentiſſimis pyropis ſplendens. Vides Meſſiam Deũ appellari? Et verſu ſequenti: *Vnxit te Deus, Deus tuus, oleo lætitiæ*, &c. Id eſt, O Meſſia Deus, ô Deus vncte, B vnxit te Deus tuus; Deus, inquã, tuus ſecundùm humanitatẽ, vnxit te oleo lætitię, id eſt, Spiritu ſancto. Iã verò ſapientiam Patris (quo nomine Filius Dei appellatur, quòd Verbũ ſit, ſiue conceptus Patris, quæcũque ſcit Pater cõtinens, & repræſentans) æternã eſſe, atq; proinde Deũ, ex Prouerbiis fit cõpertum, & ex libro Sapientiæ, atq; Eccleſiaſtico. Apud Eccleſiaſticũ verò præclarum exſtat diuinitatis Meſſiæ teſtimonium: *Inuocaui*, inquit, *Dominum, Patrem Domini mei, vt non derelinquat me in die tribulationis*; id eſt, Inuocaui Deum Patrẽ Meſſiæ, Domini, & Dei mei. Reſpexiſſe videtur ad illud Dauidis: *Dixit Dominus Domino meo*, &c. *Pſal. 44.* *Eccli. 51.* *Pſal. 109.*

CAPVT XVII.

Meſsiam eſse Deum, quòd in Teſtamento veteri Saluator appelletur.

C Ex diuinis liquet litteris Deum eſſe Saluatorem. Pſal. *Deus noſter, Deus ſaluos faciẽdi, & Domini Domini exitus mortis.* Iſa. *Ecce Deus Saluator meus.* & *Ego ſum, ego ſum Dominus, & non eſt abſque me Saluator.* Oſe. *Saluator non eſt præter me.* Iſa. *Deus iuſtus & Saluator non eſt præter me.* Si igitur Deus Saluator eſt, potiſſimam, maximamq; ſalutem, nẽpe animi à peccatis expiationem, quis homini tribuet, qui Deus ſimul & homo non ſit? Atqui ſalus hæc Meſſiæ tri- *Meſſias Saluator & Deus.* D buitur à Prophetis, & Saluator appellatur, ergo Deus eſt. Zach. *Ecce Rex tuus veniet tibi iuſtus, & Saluator.* Iſa. *Deus ipſe veniet, & ſaluabit nos.* Itẽ: *Haurietis aquas in gaudio de fontibus Saluatoris.* Et: *Aperiatur terra, & germinet Saluatorem.* Itẽ: *Dedi te in lucem gentiũ, vt ſis ſalus meavſque ad vltimum terræ*; non Iudæorũ ſolum, ſed orbis totius ſeruatorem, Meſſiam fore indicat Dominus. & *Propter Sion nõ tacebo, & propter Ieruſalem non quieſcam, donec egrediatur vt ſplendor iuſtus eius, & Saluator eius vt lãpas accendatur*; id eſt, propter Sion, & propter Eccleſiam non deſinam orare Deum, nec deſinam vaticinari, donec Meſſias veluti Sol ſplendidiſſimus oriatur toti orbi; & veluti lãpas fulgentiſſima ad illuminandos mortales inflãmetur. Deinde: *Dicite Filiæ Sion, Ecce Saluator tuus veniet.* Hunc Saluatorem Iacob extremo in ſpiritu ſuſpirans aiebat: *Saluare tuum exſpectabo Domine.* Hũc in mundo verſantem fidei oculis cernens Dauid canebat: *Notum fecit Dominus ſalutare ſuum, in cõſpectu gẽtium reuelauit Iuſtitiam ſuam*, &c. In hoc Habac. exultans dicebat: *Ego autem exultabo in Deo Ieſu meo.* & Iob: *Scio*, ait, *quòd redemptor meus viuit. Et in carne mea videbo Deum meum, quem viſurus ſum ego ipſe, & oculi mei conſpecturi ſunt*, &c. Carneis oculis affirmat Iob viſurum ſe Deum redemptorem ſuum. Ergo Deus redemptor, Saluator, & homo eſt, qui carneis oculis videri poſſit. *Iſaiæ 62.* *Ibidem.* *Gen. 49.* *Pſal. 97.* *Habacuc 3.* *Iob 19.*

Sed Iudæi Meſſiam eſſe dicent Saluatorem corporum, non animorum. At iam ſuprà de Meſſiæ bel-

Salus Meſſiæ maximè animorum. Dan. 9.

bellis,& redẽptione egimus.Saluatorem verò eſſe maximè animorum, quos è peccati iugo liberarit, Prophetæ prædicarũt.Danielis 9.Meſſias venturus dicitur,vt conſummetur præuaricatio,&finem accipiat peccatum,& deleatur iniquitas,&adducatur iuſtitia ſempiterna.Hæc omnia animi ſalutẽ ſignificant, quæ in iuſtitia, peccatorũmque abolitione conſiſtit. Ezechiel : *Effundam ſuper vos aquam mundam,& mundabimini ab omnibus inquinamentis veſtris, & ab vniuerſis idolis veſtris mundabo vos, & dabo vobis cor nouum,& ſpiritum nouum ponam in medio veſtri, & auferam cor lapideum de carne veſtra, & dabo vobis cor carneum , & ſaluabo vos ex vniuerſis inquinamentis veſtris*,&c.Hæc Meſſiæ ſalus eſt ,ſuper populum ſuũ aquam baptiſmi mundam effundere , flagitiorum maculas eluere , vana ſimulacra dæmonum orbe expellere,cor nouum , & ſpiritum nouum largiri, lapideum auferre,cereum, & ad omnem virtutem flexibile hominum pectoribus inſerere. Hæ ſunt illæ aquæ , quas in gaudio de fontibus Saluatoris hauriendas Iſaias vaticinatur, ſcelerum expiatio, gratia,omniumque virtutum riui,& Zacharias : *In die*,inquit,*illa erit fons patens domui Dauid , & habitantibus Ieruſalem,in ablutionem peccatoris,&menſtruatæ.Et erit in die illa(dicit Dominus exercituum) Diſperdam nomina idolorum de terra*,&c.Fons omnibus patens Meſſias eſt:hæc enim illius verba ſunt: *Si quis ſitit,veniat ad me, & bibat*. fons ergo eſt,ex quo hauritur aqua,quæ animis cæleſtem munditiem , diuinumque nitorem affert,quæ omnibus animi morbis medetur , quæ ardentiſſimam cupiditatũ ſitim extinguit.Hæc Meſſiæ ſalus,quæ Dei ſalus eſt;Meſſias ergo Deus.

Ezech 36. *Iſaiæ 12.* *Zach. 13.* *Ioan. 7.*

Iob 14.

Quis poteſt facere mundum , ait Iob , *de immundo conceptum ſemine? Nonne tu qui ſolus es?* Solus Deus,vt Iob affirmat, ſcelerum maculis aſperſos homines poteſt eluere;Chriſtus eos ſuo eluit ſanguine; ergo Deus eſt:ſanguine vero Chriſti ſcelerum eluendas maculas prædixit Dauid, cùm ſceleris à ſe commiſſi precatur veniam: *Incerta*, inquit , *& occulta ſapientiæ tuæ manifeſtaſti mihi*. Quæ ſunt hæc incerta , & occulta ſapientiæ Dei Dauidi manifeſtata? incarnationis ſanè & paſſionis Meſſiæ myſteria ; quamobrem ſanguine illo aſpergi ſe , perpetratique adulterij ſordes elui petit, quem à Meſſia fundendum prænouerat : *Aſperges* , inquit , *me Domine hyſſopo* , ſcilicet ſanguinis Meſſiæ , *& mundabor* ; *lauabis me* eius ſanguine , *& ſuper niuem dealbabor*.Vides ſanguini Chriſti ſcelerum tribui ablutionem,nec ablutionem ſolùm, ſed etiam eximiũ, ac plus quàm niueum candorem.Abluere poteſt aqua ſordes Æthiopis , candidum ex atro reddere non poteſt; ſanguis verò Chriſti abluere poteſt impium , nec abluere ſolùm , verùm etiam ex teterrimo reddere candidiſſimum. Super niuem, inquit , dealbabor. Non enim ſolùm abluit, id eſt, peccatorum ſordes animo pellit , ſed etiam plus quàm niueum gratiæ, virtutumque candorem affert.

Pſalm. 50.

Petit ergo Rex egregius flagitium expiari ſuum innocentis agni ſanguine, quo ſciebat mundi totius ſcelera expianda. Quod Iſaias quoque præuidit, cùm de Meſſia in hunc modum loquitur . *Iſte aſperget gentes multas*. Non potuerunt tot ſanguinis flumina , quot ex Hebræorum emanarunt victimis , vel vnius hominis crimina abſtergere ; Meſſiæ verò ſanguis , gentes multas aſpergere , totumque terrarum orbem potuit perpurgare : videlicet , quia ſanguis eſt Dei. Vnde diuus Cyrillus in libro de Recta fide ad Reginas: Niſi, inquit , Deus verus eſſet Chriſtus,quæ eſſet vtilitas per ſanguinem eius? vel quomodo noſtram mundabit conſcientiam à mortuis operibus ? ſanguis enim communis hominis quid magis habet , quàm ſanguis hircorum ? nihil certè, quàm quod ille eſt rationalis animalis , hic verò bruti.Quoniam autem is,qui ex Deo eſt , carne aſſumpta poſuit pro omnibus ſuum ſanguinem ; hac ratione & purgare poteſt credentes in ipſum , & à mortuis operibus liberare.Hæc ille. Sapientiæ 16. *Neque herba, neque malagma ſanauit eos , ſed tuus Domine ſermo,qui ſanat omnia*,&c.Nulla herba,nullum medicamentum,nullius ſanguis hircorum,aut taurorum , hominibus Tartarei ſerpentis morſu exulceratis , ſanitatem conferre potuit , ſolus Dei λόγος,id eſt,ſermo, ſolum diuinum Verbum , quod omnia ſanat, curationem potuit adhibere. *Non legatus, neque Angelus ſed ipſe Dominus ſaluauit eos*. ſic habetur in verſione Septuaginta Interpretum;nam vt dicitur in Pſal. *Domini eſt ſalus*, non legati , non Angeli,non hominis,non ſanguinis hircorum,aut taurorum.

Sap. 16. *Iſaiæ 63.* *Pſalm. 3.*

Quocirca Meſſias Patrem his verbis affatur: *Sacrificium & oblationem noluiſti,aures autem perfeciſti mihi*.quaſi dicat:Antiquæ oblationes, & ſacrificia, nec vi ad peccata expianda prædita erant , nec Iuſtitiæ tuæ faciebant ſatis: ideoque ea reſpuiſti. Aliud expetebas ſacrificium,Pater,à me in Cruce offerendum,quod ad crimina delenda vim haberet infinitam,ac diuinam.Quamobrem aures perfeciſti mihi, id eſt , obedientiſſimum me aſſumpta humanitate ſeruum tibi feciſti vſque ad mortem, mortem autem Crucis. Paullus Septuaginta Interpretes ſecutus vertit : *Corpus autem aptaſti mihi*, id eſt, humanitatem mihi in vtero Virginis fabricaſti , in qua poſſem pro mundi ſalute immolari . Idem eodem Pſalmo aliis repetit verbis : *Holocauſtum & pro peccato non poſtulaſti ; tunc dixi: Ecce venio* ; id eſt , cùm holocauſta, & quæ pro peccato offerebantur, victimas ad ſoluenda peccata non quæreres , tunc dixi : Ecce venio in mundum , ecce venio in Cruce immolandus, vt hac vna hoſtia , poſt tot victimas , tandem litetur.

Pſalm. 39. *Hebr. 10.* *Pſalm. 39.*

Cùm magnus ille fidei pater Abrahamus Iſaacum filium cariſſimum in montem duceret mactandum,ferretque ligna holocauſti natus , pater ignem admouendum ; rogauit Iſaac : *Ecce ignis,& ligna, vbi eſt victima holocauſti? Reſpondit Abraham ; Deus prouidebit ſibi victimam holocauſti.* Non enim erat Iſaac victima , qua cæſa litare Abrahamus poſſet ; ideoque à cœpto deſiſtere iuſſus eſt : prouiderat nimirum ſibi Dominus victimam holocauſti Meſſiam , qua percuſſa litatum eſt. Hac verò infiniti pretij hoſtia litatum canitur : *Benedixiſti*,ait Vates,*Domine terram tuam , auertiſti captiuitatem Iacob , remiſiſti iniquitatem plebis tuæ , operuiſti omnia peccata eorum ; mitigaſti omnem iram tuam , auertiſti ab ira indignationis tuæ*. Hoc eſt, iam litatum, iam placata Agni immaculati ſacrificio diuina Iuſtitia eſt per Chriſtum in ara Crucis immolatum, Dei benedictionem Abrahamo promiſſam terra eſt conſecuta, ſcelera condonata,captiui è dæmonis ſeruitute educti , concepta in mortales à Deo ira ſanguine Meſſiæ effuſo ſic reſtincta,vt ſolet ingens flamma aquę effuſione reſtingui.

Genes. 22. *Chriſto immolato litatum eſt.* *Pſalm. 84.*

Rege Dauide ſumma annonæ difficultate per tres annos iugiter laboratum; oraculum datum, propter Saulis demortui in Gabaonitas iniuriam, ſupplicium ſumi , in filiis eius , qui iniuſtè egerat,vindicatum. Septem ſuffixi Cruci. Deus poſt hæc, terræ propitius ; annona reddita. Similis fuit in orbe per 4. annorum millia diuinæ annonæ,

2. Reg. 21.

Iſaiæ 52. *Sanguis Chriſti nos abluit, ſicti marum vero ſanguis hominũ peccata nõ potuit expiare.* *D. Cyrillus.*

id eſt,gratię,inopia.Ex oraculo acceptũ propter demortui primi parentis crimen,adiectaque alia,pœnas dari. Vindicabatur in filiis crimen patris : at nullus ſoluendo erat, nec ſimul omnes, etſi cruci ſuffigerentur, meritum poterant reddere ſupplicium,denegatamque Dei gratiam impetrare. Enim verò omnes paterna erant labe commaculati.Quòd ſi nulla fuiſſent labe aſperſi, neque verò ſic poſſent ſatis diuinæ facere Iuſtitiæ; diuinitus ergo difficillimi diſſolutio reperta eſt nodi ; effectumque vt & Adami filius pœnas ſolueret , & cumulatiſſimè diuinæ Iuſtitiæ ſatisfieret.

Deus homo factus eſt,Adamique filius,diuina, humanaque natura, in eamdem hypoſtaſim coëũte; vt pœnas,quas diuina dare nõ poterat,daret humana; pretium verò ſatisfactioni infinitum , quod humana præſtare nequibat , præſtaret diuina. Atque ita effectum eſt , vt Deo, atque homine Cruci affixo, Adami filius,omni labe carens , Adami patris,&hominum ceterorum debitum,infinito pretio diſſolueret;iure ſummo diuinæ iuſtitiæ ſatisfieret; propitius orbi redderetur Deus ; denegatam pluuiam in terras largiter effunderet ; diuinæ annonæ,id eſt,gratiæ,inopiam in ſummam abundantiam conuerteret;infinitoque oblato ſacrificio homo poſt 4.annorum millia litaret.

CAPVT XVIII.

De diuinitate Meſſiæ , ex Teſtamento nouo.

CONCINIT admirabili harmonia veteri Teſtamento nouum;ſuauiorem tamen, ac clariorem ſonum nouæ fides,quàm veteres edunt; veteres hactenus tetigimus , nouas quoque locus hic monet vt pulſemus.D. Hilarius quinque proponit modos , quibus probetur Chriſtum Deum eſſe: Deum,inquit,Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum his modis nouimus; Nomine , Natiuitate , Natura, Poteſtate,Profeſſione , &c. Hos igitur modos perſequamur,& Chriſtum verum Deum eſſe ex nouo Teſtamento oſtendamus.

D. Hilarius l 7.de Trin. Probatur Chriſtũ eſſe Deum.

Primus modus. Ioannis 1.

Primus modus ex Nomine eſt;quia Dei nomẽ ChriſtoScriptura ſacra tribuit.*Deus erat Verbum*.&: *Scimus quoniam Filius Dei venit, & dedit nobis ſenſum*, id eſt,mentem,& intellectũ,Græcè νοῦν,*vt cognoſcamus verum Deum,& ſimus in vero Filio eius*.hic, id eſt, verus Filius eius,eſt verus Deus,& vita æterna.Et: *In hoc cognouimus caritatem Dei,quia ille animam ſuam pro nobis poſuit*. Fatetur Ioãnes Deum,id eſt,Chriſtũ pro nobis mortuum.

1.Ioan.1.

1.Ioan.3.

Actor.20. Similiter Paullus:*Attẽdite*,inquit,*vobis,& vniuerſo gregi,in quo vos Spiritus ſãctus poſuit Epiſcopos,regere Eccleſiã Dei, quã acquiſiuit ſanguine ſuo*. Deus acquiſiuit Eccleſiã ſanguine ſuo, ergo ſanguinẽ habet , ergo homo eſt,ergo Chriſtus eſt Deus,& homo.Et:*Erat Deus in Chriſto mũdũ recõcilians ſibi*;erat,inquã,diuina natura in Chriſto humanitati in eodem ſuppoſito coniuncta;quod ſimiliter dixit ad Coloſſ.*In quo habitat plenitudo diuinitatis corporaliter*, id eſt, plena & tota diuinitas corpori & carni Chriſti copulata eſt.Ad Rom. *Quorum patres,ex quibus eſt Chriſtus ſecũdùm carnem, qui eſt ſuper omnia Deus benedictus in ſæcula,Amen*. Ad Philippenſ. *Cùm in forma*, id eſt, natura,*Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo*.Vt enim ait Auguſtinus lib.1.contra Maximinum;Natura erat,non rapina : non enim vſurpauit hoc,ſed natus eſt hoc:id eſt, non vſurpauit diuinitatem,ſed natus eſt ex Patre,Deus de Deo.

2.Cor.5.

Coloſſ.1.

Rom.9.

Philip.2.

D.Auguſt.

Ad Titum: *Exſpectantes beatam ſpem,& aduentum gloriæ magni Dei,& Saluatoris noſtri*.Ad Roman.*Omnes ſtabimus ante tribunal Chriſti: ſcriptum eſt enim:Viuo ego,dicit Dominus,quoniam mihi flectetur omne genu; & omnis lingua confitebitur Deo.Itaque vnuſquiſque pro ſe rationem reddet Deo*.Manifeſtè hoc loco Paullus docet,tribunal Chriſti eſſe tribunal Dei,ipſumque Deum eſſe.Præclara etiam illa D. Thomæ vox diuinitatem Chriſti perſpicuè confitetur : *Dominus meus,& Deus meus*.

Tit.2.

Rom.14.

Iſaiæ 45.

Ioan.20.

Obiicient Ariani, etiam Moyſem Deum appellari:*Ecce conſtitui te Deum Pharaonis*. non dicitur Deus abſolutè; ſed Deus Pharaonis, metaphoricè. Numquid,ait D.Hilarius, non adiecta eſt nominis cauſſa, cùm dicitur,Conſtitui te Deum Pharaonis? vrgebunt,abſolutè dici:*Ego dixi Dij eſtis*. reſpondetur,manifeſtum eſſe dictos Deos per participationem,nõ per naturam. Appellat Hilarius huiuſmodi appellationes deputatiuas, aut aſſumptiuas : At cum gaudio,inquit,Deus erat Verbum,demonſtratum intelligo eſſe , quod eſt. Quod reliquis etiam teſtimoniis conuenit:omnia enim Chriſtum Deũ abſolutè appellant , non per participationem , ſed per naturam.

Exodi 7.

Pſalm.81.

2. Modus. Secundus modus ex Natiuitate:Nam filius, & pater,eiuſdem naturæ ſunt,ſi pater homo eſt,filius quoq; homo eſt. Equus gignit equum,leo leonem, Deus gignit Deum. At Chriſtus eſt Filius Dei , ergo Deus. Auguſtinus l.1.contra Maximinum:Quare,inquit , verus Deus Chriſtus?reſpondet : Quia verus Dei Filius:ſi enim animalibus dedit Deus,vt non generent niſi quod ſunt,homo hominem generat , canis canem , & Deus Deum non generet? Hęc ille.Auctor quæſtionum ex vtroque teſtamento quæſtione 122.Ea,inquit,ratione,qua filij hominum homines ſunt,Dei Filius Deus eſt , naſcendo omnia conſecutus eſt Dei : nec enim conueniens erat,degener dici Verbum Dei. Et Auguſt. libro 2. contra Maximinum Arianum , cap.6. Vos, inquit, Ariani Dei Filium ita degenerem vultis, vt ipſam Patris ei ſubſtantiam denegetis,&c.Nam ſi dicitur à patre filius degenerare, qui patris fortitudinem, vel mores , vel ſapientiam non aſſequitur , multò magis degenerare idem filius diceretur, ſi à patris natura deficeret:Dei ergo Filius à Deo Patre degeneraſſe meritò dicẽdus,&degener appellãdus eſſet, ſi naturã Patris diuinã nõ haberet.Quis autẽ dicat Deũ degenerẽ habere Filium vnigenitum ?fatendum ergo à natura Patris non degeneraſſe , atque adeò natura Deum eſſe ex Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero.Diuus Hilarius:Manus Filij,manus Patris eſt:non enim degenerat per natiuitatem natura,ne eadem ſit,&c. Diuus Cyrillus libr.12.Theſauri,cap.15 . Quomodo, inquit , verus genitoris fructus aliud natura, quàm genitor ſuus erit ? Nam ſicut non naſcuntur ex dumis vuæ , ſic neque ex vite naſcuntur dumi. Quoniam ergo Pater natura eſt Deus,erit Filius quoque Deus natura. Aliter minoris erit dignitatis,quàm creaturæ ſuæ. Creaturæ enim conſubſtantialem ſibi fructum ex ſe ipſis producunt,Deus autem,ſecundùm hæreticos, non natura Deum ex ſe generabit , quod abſurdum penitus eſt,&c.

D. Auguſt.

D. Hilarius l.7.de Trin.

D. Cyrillus l.12.Theſauri,c.15.

3.Modus. Ioan.10. Tertius modus ex Natura:Eamdem enim naturam diuinam Chriſtus habet,quàm Pater. *Ego & Pater vnum ſumus*.item :*Pater in me eſt, & ego in Patre*.Chriſtus,& Pater vnum ſunt,quia vnam & eãdem habent eſſentiam: Pater in Filio, & Filius eſt in Patre, eamdem ob cauſſam , quia Patris eſſentia eſt in Chriſto , & Chriſti diuina eſſentia eſt in Patre.Nam,vt ait Diuus Damaſcenus , indiuiſibilis eſt diuinitas in diuiſis , id eſt, in Perſonis , ac

D.Damaſc. l.1. de Fide c.11.

ve-

veluti in tribus Solibus, inſeparabili nexu inter ſe cohærentibus, vna eadémq; eſt lucis temperatio atque cõiunctio. *Tres ſunt, qui teſtimoniũ dant in cælo Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus, & hi tres vnũ ſunt*, i. eiuſdem eſſentiæ: hanc eſſentiæ identitatẽ, Nicænæ Synodi Patres, celebri illo nomine Græco, ὁμοούσιῳ cõtra Arianos tutati ſunt. Trecenti decẽ & octo Patres, ait D. Hilar. in fine lib. de Synod. ὁμοούσιον receperũt. Et D. Ambr. Ariani, inquit, nolunt, ὁμοούσιον Patri filium dici, quia nolunt verũ Dei filium confiteri, ſicut Auctor ipſorũ Euſeb. Nicomedienſis Epiſt. ſua prodidit, dicens, Si verũ Dei filium, & increatũ dicimus, ὁμοούσιον cũ Patre, incipimus confiteri. hæc lecta cũ eſſet epiſtola in concil. Niceno, hoc verbũ in tract. fidei poſuerũt Patres, quòd id viderũt aduerſarijs eſſe formidini, vt tamquã euaginato ab ipſis gladio, ipſorũ nefandæ hæreſis caput amputarent. Hæc Ambr. Significat autẽ nomẽ græcũ ὁμοούσιος, latinè cõſubſtantialis. i. eiuſdẽ ſubſtãtiæ & eſſentiæ.

1. Ioan. 5.
D. Hilar.
D. Ambr. l. 3. de Fide, c. 7

Quartus modus, ex poteſtate; multiplex enim poteſtas, Deum eſſe Chriſtum probat. Primò, Poteſtas creandi. *Omnia per ipſum facta ſunt. Per quem fecit, & ſæcula. Cum eo erã cuncta componens. In ipſo condita ſunt vniuerſa, in cælis, & in terra, viſibilia & inuiſibilia. Tu in principio Domine terrã fundaſti, & opera manuũ tuarũ ſunt cæli.* Secundò, poteſtas gubernãdi cõſeruandique orbẽ. *Quæcunque Pater fecerit, hæc & filius ſimiliter facit.* Item, *Pater meus vſque modò operatur, & ego operor*; operatur Pater orbẽ gubernando ac cõſeruando, operatur eodẽ modo Chriſtus. *Omnia per ipſum, & in ipſo creata ſunt, & ipſe eſt ante omnes, & omnia in ipſo conſtant.* i. per ipſum, & in ipſo cõdita ſunt omnia, & ipſe eſt rebus omnibus conditis prior; prætereà omnia in eo conſtant, & conſeruantur. *Cùm ſit ſplendor gloriæ, & figura ſubſtãtiæ eius, portánſque omnia verbo virtutis ſuæ, purgationẽ peccatorũ faciens, ſedet ad dexteram maieſtatis in excelſis*; Portans, inquit. i. gubernans ac ſuſtentans omnia, verbo virtutis. i. potẽtiæ ſuæ. Tertiò, Poteſtas reuocandi in vita mortuos. *Sicut Pater ſuſcitat mortuos, & viuificat, ſic & filius quos vult, viuificat.* Vide quã amplã habeat filius mortuos ſuſcitandi poteſtatem. Quos vult, inquit, viuificat, id eſt, poteſtatem habet in omnes mortuos: arbitratu ſuo poteſt illos reſtituere vitæ, quemadmodũ Pater. Quartò, Poteſtas iudicãdi; *Pater omne iudicium dedit filio.* Quintò, Poteſtas miracula patrandi, propria auctoritate, quibus pleni ſunt Euangeliorũ libri. Sextò, Poteſtas peccata remittẽdi. *Vt ſciatis quia filius hominis habet poteſtatẽ in terra dimittendi peccata, ait Paralytico, Surge*, &c. Cùm Scribę animo illud voluerẽt, quis poteſt dimittere peccata, niſi ſolus Deus? habere ſe eã poteſtatẽ, quæ ſolius eſſet Dei, ac proinde Deũ eſſe miraculo confirmat.

4. Modus.
Ioan. 1.
Hebr. 1.
Prou. 8.
Coloſſ. 1.
Hebr. 1.
Pſal. 101.
Ioan. 5.
Coloſſ. 1.
Hebr. 1.
Ioan. 5.
Ibidem.
Marci 2.
5 Modus.

Quintus modus, ex Profeſſione, profeſſus enim eſt Chriſtus, ſe vnum eſſe cum Patre, natura, & potentia. *Omnia, quæ habet pater, mea ſunt*; quibus verbis profitetur diuinitatem Patris eſſe ſuam. *Et mea omnia tua ſunt, & tua mea ſunt. Quod dedit mihi Pater maius omnibus eſt*, dedit enim Pater Chriſto diuinitatem, quæ rebus omnibus præſtat. *Creditis in Deum, & in me credite*; in me, inquam, quia Deus ſum. Rogatus prætereà à Caipha Pontifice paulò antequàm in Crucem ageretur; Filiũ Dei ſe eſſe, ac Meſſiam, coram omnibus, qui aderant, Scribis, & Phariſæis profeſſus eſt; *Propterea magis quærebant eum Iudæi interficere, quia non ſolum ſoluebat Sabbathum, ſed & Patrem ſuum dicebat Deum, æqualem ſe faciens Deo.* Hanc cum Patre æqualitatem profitebantur etiam mirabilia opera, de quibus ille: *Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi; ſi autem facio, & ſi mihi non vultis credere, operibus credite, vt cognoſcatis & credatis, quia Pater in me eſt, & ego in Patre*, &c. Eodem cap. cùm dixiſſet: Ego & Pater vnũ ſumus, &c. etia Iudæi intellexerunt Chriſtum ſe profiteri Deũ: *Homo*, inquiunt, *cùm ſis facis teipſum Deum*. At ille non correxit hoc Iudæorum dictum, quin potiùs cõfirmauit, & inter cetera adiunxit; *Vt credatis, quia ego in Patre, & Pater in me eſt. Ego ex Deo proceſſi*, per æternam, ſcilicet generationem. Item, *Antequã Abraham fieret ego ſum*. Item, *Si non credideris, quia ego ſum, moriemini in peccato veſtro*. Item, *Dicebant ei, Tu quis es? dixit eis, Principium, qui & loquor vobis.*

Ioan. 10.
Ioan. 16.
Ioan. 17.
Ioan. 10.
Ioan. 14.
Ioan. 5.
Ioan. 10.
Ibid.
6. Modus.

Præter hos quinque modos, aliis quoque poteſt oſtendi Chriſti diuinitas. Sextus modus, ex æternitate; Deus namque eſt, quia in Scriptura ſacra æternus eſſe oſtenditur. *In principio erat Verbũ. Chriſtus heri & hodie, ipſe & in ſæcula*. i. Chriſtus heri, id eſt, ab æterno, & hodie, id eſt, tempore præſenti, & in ſæcula. i. in æternũ. *Ego ſum primus & nouiſſimus*. i. æternus, ante quẽ nullus, poſt quẽ nullus, carẽs principio & fine.

Ioan. 1.
Hebr. 13.
Apoc. 1.
7. Modus.

Septimus modus, ex imperio; nam Chriſtus dicitur abſolutè Dominus, qui ſolius Dei titulus eſt. *Hic eſt omnium Dominus. Solum dominatorem, & Dominum Ieſum Chriſtum negantes*, &c. *Dicitur Dominus gloriæ, Rex Regum, & Dominus dominantium. Vos vocatis me magiſter & domine, & bene dicitis; ſum etenim. Certiſſimè ſciat omnis domus Iſrael, quia Dominum eum & Chriſtum fecit Deus*, id eſt, quia Deus fecit Ieſum Dominũ rerum omnium, & fecit eum Chriſtum, id eſt, Meſſiam & Regem totius orbis. Fecit autem Deus Dominum Chriſtum per incarnationem; nam propter vnionem hypoſtaticã, homini Chriſto, Domini titulus debetur, præterea per Crucem eumdẽ adeptus eſt.

Act. 10.
Epiſt. Iuda.
1. Cor. 3.
Apoc. 17. & 19.
Ioan. 13.
Act. 2.
8. Modus.

Octauus modus, ex titulo Kedemptoris, ſiue Saluatoris, quemadmodũ enim Creatoris titulus, ita & Redemptoris, ſiue Saluatoris, ſoli tribuitur Deo. *Non eſt abſq; me Saluator. Apud Dominũ miſericordia, & copioſa apud eũ redẽptio; ipſe redimet Iſrael ex omnibus iniquitatibus eius. Factus eſt Chriſtus nobis iuſtitia, & ſanctificatio, & redẽptio. In quo habemus redemptionem & remiſſionẽ peccatorum. Dedit redemptionem ſemetipſum pro omnibus. Natus eſt vobis hodie Saluator. Eduxit Iſrael Saluatorẽ Ieſum. Saluatorẽ exſpectamus Dominũ noſtrum Ieſum Chriſtum*, & aliis locis.

Iſaiæ 43.
Pſal. 129.
1. Cor. 1.
Col. 1.
1. Tim. 2.
Luc. 2.
Act. 13.
Philip. 3.
9. Modus.

Nonus, ex honore, quia diuinum honorẽ tribuit Scriptura Chriſto. *Vt omnes honorificent Filium ſicut honorificant Patrem*, eadẽ videlicet latria, quæ Patri exhibetur. *Animalia illa quatuor, & viginti quatuor ſeniores ceciderunt corã agno, exhibentes illi latriam. In nomine Ieſu omne genu flectatur*, &c. *Omnes ſtabimus antẽ tribunal Chriſti, ſcriptum eſt enim: Viuo ego, dicit Dominus, quoniam mihi flectetur omne genu, & omnis lingua confitebitur Deo.* Tribunal Chriſti oſtendit Paulus tribunal eſſe Dei, cui omne genu ſit flectendum, & ab omni lingua laus exhibenda. *Adorẽt eum omnes Angeli eius*, ſcilicet latria. *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti.* Eumdẽ honorem, eamdemq́ue dignitatẽ, & eſſentiam hæc verba, Patris eſſe planè ſignificant, Filij, & Spiritus ſancti, quippe qui pariter & æqualiter, ad perficiẽdum baptiſmatis Sacramentũ, in ipſa fidei ianua inuocentur. At oppones, illo capite Apocalypſis notato, dicitur *Agnus dignus accipere diuinitatẽ*, ergo illa carebat. Reſpondemus, habebat diuinitatem Agnus, ſed dicitur dignus eam accipere ab hominibus, id eſt, dicitur dignus, quia ab hominibus verus Deus eſſe agnoſcatur, & diuinis honoribus colatur. Crucis enim ignominia diuinos honores promeruit, quod dixit Paulus: *Propter quod, & Deus exaltauit illum, & dedit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen*, id eſt, propter Crucis ignominiam, dedit illi nomen Dei, quod omnibus antecellit. dedit, inquã, vt ab omnibus Deus eſſe cognoſceretur, & Deus verus appellaretur, diuinoq́ue honoraretur cultu.

Ioan. 5.
Ioan. 10.
Apoc. 5.
Phil. 2.
10. Modus.

Decimus, ex omni ſcientia, In quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ abſconditi. Præterea & aliis locis dicitur ſapientia Patris. Prædicamus Chriſtũ Dei virtutẽ, & Dei ſapientiam, &c. Sapien-

Coloſ. 2.
Pro. 8. & 9.
Eccl. 24.
1. Cor. 1.

Ioan. 16. tiam autē Dei quid poteſt latēre? Nūc ſcimus quia ſcis omnia, & non opus eſt tibi, vt quis te interrogaret, &c. Si obiicias illud: De die autē illa vel hora, Matth. 24. Marci 13. ſcilicet iudicij, nemo ſcit: neque Angeli, neq; Filius hominis, niſi Pater. Reſpondemus, Chriſtum neſcire diem iudicij à ſemetipſo, quia ſcit ſcientia communicata à Patre. Similis loquendi modus ille Ioan. 7. eſt: Mea doctrina nō eſt mea, ſed eius qui miſit me. Appellat ſuā doctrinā, non ſuā; quia à Patre illam acceperat: ſimilē in modū ait ſuam ſcientiā de die iudicij, non eſſe ſuam, quia à Patre non erat communicata. Vel dixit Chriſtus ſe neſcire diē iudicij, Act. 1. vt Apoſtolis patefaceret: Non eſt veſtrūm, ait Act. 1. noſſe tempora vel momenta, quæ Pater poſuit in ſua poteſtate, nouerat ergo arcanum diem, ſed Diſcipulis & Eccleſiæ minime aperiendum. Alij aliter exponunt hæc Chriſti verba: ſed ſuo loco copioſiūs explicabuntur. Quod autem omnia Chriſto nota ſint, docet etiam Paulus: Hebr. 4. *Viuus*, inquit, *eſt ſermo*, ſiue viuum Verbum *Dei, & efficax*, &c. *Et non eſt vlla creatura inuiſibilis in conſpectu eius: omnia autem nuda, & aperta ſunt oculis eius*, &c.

11. Modus. Vndecimus ex cognitione & perſcrutatione cogitationū: nam peculiaris Deo, eſt huiuſmodi cognitio: 3. Reg. 8. Ierem. 17. *Tu ſolus noſti omnia corda filiorum hominū. Ego Dominus ſcrutans corda, & probans renes.* De Chriſto autem idem dicitur: Apoc. 2. Matth. 9. *Scient omnes Eccleſiæ*, ait Chriſtus, *quia ego ſum ſcrutans renes & corda. Cum vidiſſet cogitationes eorum, non credebat ſemetipſum eis, eo quòd ipſe noſſet omnes.* Item: Ioan. 2. Luca 16. *Ipſe ſciebat quid eſſet in homine. Ipſe ſciebat cogitationes eorū.*

12. Modus. Duodecimus: Quia vbique eſt. Matth. 18. *Vbi ſunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi ſum in medio eorum.* Vnde efficitur Chriſtum eſſe vbique: ſi quidē vbique eſſe Ioan 3. poſſunt congregati in nomine eius. *Nemo aſcendit in cælum, niſi qui deſcendit de cælo, Filius hominis qui eſt in cælo.* Chriſtus erat in terra, & erat in cælo ſimul: ergo Deus eſt, nulli enim creaturæ hoc poſſit cōtingere.

Denique nomen ipſum Ieſu, Chriſtū Deum eſſe Iſai. 43. teſtatur. Etenim Deus aſſerit: *Non eſt alius me ſaluator:* cùm ergo Chriſtus ſit Ieſus, id eſt, Saluator; quis Matth. 1. neget Deum eſſe? *Vocabis nomen eius Ieſum, ipſe enim ſaluū faciet populū ſuum à peccatis eorū.* Sed de hoc auguſtiſſimo nomine, ſuo dicendū loco. nūc pergamus.

CAPVT XIX.

De Eliæ aduentu.

Malach. 4. ELIAM Prophetam ante Meſſiam mittendum, docet Malachias: *Ecce ego mittam vobis Eliam Prophetam, antequam veniat dies Domini magnus & terribilis: & conuertet cor Patrum in filios*, &c. Sed hallucinantur Hebræi, dum ante primum aduentum mittendum putant: quia vt ſuprà iam diximus, duos Meſſiæ aduentus non agnoſcūt. Nos autē duos Meſſiæ aduentus agnoſcimus. alterum in ſumma humilitate ad mortē ſubeundam: alterū in ſumma Maieſtate ad iudicium exercendū. Prior præteriit, poſteriorem exſpectamus; iuxta illud Pauli: Tit 2. *Exſpectantes beatam ſpem & aduentū gloriæ magni Dei, & Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti.* De priori illud eſt: *Ecce Rex tuus veniet tibi iuſtus & Saluator, ipſe pauper, & aſcendens ſuper aſinam*, &c. Zachar. 9. Iſaiæ 42. Iſaiæ 53. Pſal 71. Et illud: *Calamū quaſſatum non conteret, & linum fumigans non exſtinguet.* Et: *Vidimus eum, & non erat adſpectus, deſpectum, & nouiſſimum virorū, virum dolorum*, &c. Illud item: *Deſcendet ſicut pluuia in vellus, & ſicut ſtillicidia ſtillantia ſuper terram.* Et illud: Pſal. 21. *Ego autem ſum vermis, & non homo, opprobrium hominum, & abiectio plebis.* Illud Dan. 9. quoque: *Occidetur Chriſtus.* Et ſexcenta alia.

Duplex Meſſiæ aduentus.

Ad poſteriorem ea pertinent, quæ Meſſiæ maieſtatem, furorem, & iudicium ſonat, quale illud eſt: Pſal. 96. *Nubes & caligo in circuitu eius, iuſtitia & iudicium correctio ſedis eius: ignis ante ipſum præcedet, & inflāmabit in circuitu inimicos eius: illuxerunt fulgura eius orbi terræ, vidit, & commota eſt terra: Montes ſicut Cera fluxerunt à facie Domini, à facie Domini omnis terra. Annuntiauerunt cæli iuſtitiā eius, & viderunt omnes populi gloriam eius.* Et illud: Deus Deorum Dominus locutus eſt, & vocauit terram, à Solis ortu vſque ad occaſum, ex Sion ſpecies decoris eius. Deus manifeſtè veniet, Deus noſter, & non ſilebit: ignis in conſpectu eius exardeſcet: & in circuitu eius tempeſtas valida. Aduocauit cælū deſurſum, & terrā diſcernere populum ſuum, &c. Illud quoque: Iſaiæ 13. *Ecce dies Domini veniet crudelis, & indignationis plenus, & iræ, furoriſq; ad ponendum terram in ſolitudinē, & peccatores eius conterēdos de ea: quoniam ſtellæ cæli, & ſplendor earum, non expandent lumen ſuū: obtenebratus eſt Sol in ortu ſuo: & Luna non ſplendebit in lumine ſuo: & viſitabo ſuper orbis mala, & contra impios iniquitatem eorum: & quieſcere faciam ſuperbiam infidelium, & arrogantiam fortium humiliabo*, &c.

Quæ verba tum Babyloniorum, tum vel maximè impiorū in die iudicij ſupplicium prænuntiant, pro ea quæ in Scriptura reperitur, ſenſuū fœcunditate.

Ad ſecundū aduentum Eliæ miſſio pertinet. Malach. 4. Ad hunc quoque Chriſti aduentū, Eliæ pertinet miſſio: de ſecundo enim aduentu ſermo ille habetur: *Ecce dies venit ſuccenſa, quaſi caminus, & erunt omnes ſuperbi, & omnes facientes impietatē ſtipula, & inflammabit eos dies veniens, dicit Dominus exercituū, quæ non derelinquet eis radicē & germen*, &c. Camino inflammato ſimilis erit dies iudicij, qua gratiæ ſucco carētes, aridæque ſtipulæ ſimiles impij, omni ſpe ſublata ad priſtinas aliquando voluptates redeundi, ſempiternis flamis addicentur. *Non derelinquet*, inquit, *eis radicē & germen.* Si radix in terra relinquitur, renaſci arbor poteſt: ſin euellitur, penitus ſpes perit, eradicabit igitur illa dies impios: quia omnū bonorū ſpem miſeris auferet. De probis ſequitur: *Et orietur vobis timentibus nomen meum, Sol iuſtitiæ, & ſanitas in pennis eius, & egredicmini, & ſalietis, ſicut vituli de armento, & calcabitis impios, cùm fuerint cinis, ſub planta pedum veſtrorū, in die qua ego facio, dicit Dominus exercituum*, &c. Erit dies illa iudicij probis quidē ſplēdidiſſima, improbis obſcuriſſima, his enim Sol Chriſtus in ſempiternam noctem occumbet: illis verò, in ſempiternā diem exorietur. *Orietur*, inquit, *vobis timentibus nomen meum, Sol iuſtitiæ.*

Theodor. Chriſtus vt Sol in iudicio probis ēt orietur. Sol autem dicitur in iudicio Chriſtus, vt Theodoretus docet, quia quemadmodum Sol exoriens, ſomno oppreſſos excitat, ſic Chriſtus in iudicio apparens longo mortis ſomno ſopita corpora ſuſcitabit. Sol præterea dicitur, quia diem tunc æternitatis clariſſimū, beatis corporibus efficere incipiet. Duæ noctes ſunt impiorū, altera peccati altera gehennæ. Duo quoq; dies Sanctorū, alter gratiæ, alter gloriæ, vtrumque hic noſter fulgentiſſimus Sol efficit, gratiæ diem efficit in hoc orbe terrarū, quem tamen hominū culpa, multæ ſæpe nubes obſcurat, gloriæ diem clariſſimū, in orbe cælorū efficiet, cuius ſplēdori nullæ ne tenuiſsimæ quidē nubeculæ efficere poterunt. Tertiò, Sol appellatur, quia beatitudinis dies illa erit, beatitudo autē, in cōſpiciendo Deo poſita eſt, ad conſpiciendū verò Deum glorię, lumine. i. huius Solis radiis indigemus. Quartò, quia illa die *illuminabit Chriſtus*, vt Paul. ait, *abſcōdita tenebrarum.* 1. Cor. 4. Quēadmodū nocturno tempore, nec pulcerrimarū rerū gratia, nec deformiū apparet turpitudo, Sole autē exoriente, vtraque fit conſpicua: ſic hæc tenebroſo tempore, à multis nec virtutum pulcritudo, nec vitiorū cernitur fœditas, Chriſto autē in iudicij die inſtar Solis illuceſcente, tā hæc quā illa cunctis hominibus apparebit. quamobrem merito Chriſtus dicitur illa die *Sol iuſtitiæ*, id eſt, Sol ipſam illuminans Iuſtitiam: etenim quæ nūc veluti in tenebris deliteſcit, illa die quantum ſplendorem habeat, conſtabit. Iuſtitiam viri iuſti nunc temporis, potius caligine occultare ſtudent, quā in oculis hominum ponere: tunc temporis caliginē hanc noſtri Solis radij diſcutient, latentemque virtutem in

publi-

publicum totius orbis theatrum magna cum laude producēt. Sol deinde iuſtitiæ dicitur, quia quemadmodū à Sole Lux, ſic à Chriſto omnis iuſtitia emanat. Tertio, quia illa die iuſtitię radios emittet: quam que iuſte iuſtos beet, impios verò damnet, vniuerſo orbi patefaciet. Denique Sol dicitur iuſtitiæ, id eſt, Sol iuſtus ſiue iuſtificator, more Hebræo, dies enim illa iuſtitiæ eſt & iudicij.

Chriſtus Sol iuſtitiæ, malis ſanitatem fert.

Tribuit autem Scriptura Soli poëtice ſalutiferas alas: *Sanitas in pēnis*, id eſt, alis eius: propter agilitatem Chriſti ſummā, qua e Cœlo ad iudicium deſcēdet. Si enim Angelis alæ tribuuntur, Chriſto multo æquius. Salutiferæ dicuntur, quia ea die omnibus numeris abſolutā ſalutē beatis Dominus conferet. Vt medici cæleſtis munere fungeretur, ad nos venit, medicinā attulit animis: à corporibus mortem depellere noluit, ne corporum ſanitas perpetua, in perniciē animi redundaret: ſananda in iudicij diem reſeruauit. Ideoque illa die allaturus dicitur ſanitatem, tum animis, tum corporibus, quæ è cinere in vitam excitata, donabit ſanitate, eaque perpetua *Egredimini* (inquit) *& ſalietis ſicut vituli de armento, & calcabitis impios.* Egredieſtur e ſepulchris beati illi homines, doteq; agilitatis præcellētes ſalient, ſicut vituli de armēto. Septuaginta vertūt: Salietis ſicut vituli e vinculis relaxati: e Mortis namq; vinculis relaxata corpora, lætiſſimos ſaltus e terra vſque in altiſſimos cœli montes dabunt: impioſque Dæmones, atque homines conculcabunt. Cernis hęc omnia ad iudicij diem pertinere?

Poſt hæc Deus Iudæis legē Moyſis memoria tenere, eamque ſeruare iubet, quamdiu, ſcilicet, Meſſias nō venerit: illius enim ętatis hominibus neceſſaria erat Moſaicę legis obſeruatio, ſimul cū Chriſti gratia, vt iudicij euaderent ſupplicium. Tandē Eliæ aduedtus prędicitur ante iudiciū, de quo verba facta fuerāt. *Ecce ego mittam vobis Eliam Prophetam antequam veniat dies Domini magnus & horribilis*, id eſt antequam veniat dies Iudicij. *Et conuertet corda parum in filios*, &c. Docet quorſum Elias ſit vēturus, videlicet, vt Iudęi ad Patrū fidem conuertātur, à qua penitus degenerarūt. *Convertet*, id eſt, reducet, *cor Patrum*, id eſt Patriarcharū, Abraham, Iſaac, Iacob, & cæterorū: *in filios*, Iudæos, *& cor filiorum, ad Patres eorum*, id eſt, efficiet Elias, vt vnum ſit cor Iudæorum, & Patriarcharum, eadem ſit legis intelligentia ſpiritalis, idem amor, Meſsiæ eadem volūtas, eadem Chriſti fides, eadem religio: efficiet vt Iudęi Meſsia, in quem Patres crediderunt, amplectantur, Antichriſtumq; repudient. Vnde conſtat Iudęos, nūc ea nō credere, quę Patres crediderunt, quippe qui Chriſtum, quē Patriarchæ ſummo deſiderio ſuſpirabant, eiuſque legem reiecerint. Aliter: *Conuertet cor patrum ad filios*, id eſt, Patriarchas Iudæis reddet beneuolos, ſunt enim Iudæis infenſi Patres, quòd Meſsiam Cruci ſuffixerint, & à fide degenerarint: cùm ergo Elię perſuaſi ſermonibus fidem receperint, Patriarcharum ſibi gratiam conciliabunt. Conuertet etiam cor filiorum, id eſt, Iudæorum, ad Patres. quantumcunque enim Iudæi, Patriarcharum ſe amatores fingant, à Patriarchis longe diſident corde. Elias igitur, diſidētia corda Iudæorum ad Patres cōuertet: Ne veniat Dominus, & percutiat terrā anathemate: id eſt, ne cū venerit Chriſtus ad Iudicium, Iudæos omnes funditus perdat, Eliam mittet, qui ad Chriſti fidem illos reuocet, Iudiciique ſuppliciis eripiat.

Elias Iudæos conuertit. Malach. 4.

Eccli 48.

Ad hæc reſpexit Eccleſiaſticus de Elia verba faciens: *Inſcriptus* (inquit) *es in iudiciis temporū, lenire iracundiam Dei, conciliare cor Patris ad filium, & reſtituere tribus Iacob.* Inſcriptus dicitur Elias apud Malachiam lenire iracundiam Dei, id eſt, ad placandam iram diuinam, in iudiciis temporum, & ad conciliandum A cor patrū ad filios, id eſt, ad reducēdos Patriarchas ad amorem Iudæorum, vt expoſuimus: græce habetur ἐπιστρέψαι, id eſt, ad cōuertendum. Et ad reſtituēdas tribus Iacob, id eſt, reparādas, & ad Chriſtum reducendas, Iudæi Meſsiam expectant, qui tribus Iacob reſtituat: inanes has eſſe ſpes Eccleſiaſticus demonſtrat, dum non per Pſeudomeſsiā reſtituendas, ſed per Eliam ad Chriſtū eſſe reuocandas pronuntiat. Alio quoq; ſenſu ſuperiora illa verba explanari poſſunt, hunc in modum: Conuertet Elias cor patrū, id eſt, ſummi Pontificis, Epiſcoporum, & Sacerdotū, qui plebis Chriſtianæ Patres ſunt, conuertet, inquā, in filios, id eſt, in Iudæos, iam effectos Eccleſiæ filios, & ipſorum Patrum. Et cōuertet cor B filiorum, id eſt, Iudæorum iam filiorum, ad patres eorum, id eſt, Pontifices, Sacerdotes, à quibus abhorrent, id eſt, Iudæos Chriſtianis, & Chriſtianos Iudæis, per vnam eamdemque fidem conciliabit.

CAPVT XX.

De abrogatione veteris legis.

MOYSIS Legē appellat Scriptura ętternam. Videbitur ergo alicui imperito non eſſe abrogata, ſed etiā nunc robur habere, vt Iudæi contendunt. *Erit fœdus meum*, ſcilicet circumciſionis in carne veſtra *in fœdus æternum. Cuſtodiant filij Iſraël Sabbatum, &c. Pactum ſempiternum. Celebrabitis eam*, ſcilicet diem Paſchatis, *ſolemnem cultu ſempiterno. Præceptum eſt ſempiternum in generationibus. Hic liber mandatorum Dei, & lex, quæ eſt in æternum*, alijs locis. *Geneſ. 13. Exod. 31. Exod. 12. Leuit. 23. Baruc. 4.*

C

De hac legis abrogatione iam diximus li. 1. c. 11. Allata verò teſtimonia nihil habent virium, propterea quòd æternitas illa, quæ legi tribuitur, non vera eſt ętternitas, quæ omni fine careat, ſed æternitas quædā temporaria. Vtraque lex ſuo modo æterna dicitur. Noua quòd ad iudicium vſque ſit permanſura. Vetus, quòd ad Meſsiā vſque fuerit rata. Vtriuſque æternitas, eſt tēporaria. Sine vllo autem fine æternitas gloriæ erit & ſupplicij, non Legis. Temporaria hæc æternitas, ſiue ſeculū, ſiue lōgum tempus, Hebraïco nomine dicitur, עולם golam. Ait Anna mater Samuelis, *Ducā eum vt appareat ante conſpectum Domini, vt maneat ibi iugiter.* Hebraïce נך עולם gad golam, id eſt, vſque in æternum. *Æterna lex æternitate quadam tēporaria. 1. Reg. 1.*

D

Dicitur Samuel manſurus in conſpectu Dei in Templo vſq; in æternū, id eſt, iugiter, vt noſter Interpres optime vertit, *Seruiet tibi vſq; in æternum.* nunquid poteſt ſeruitus æterna eſſe? poteſt. Sed æternitate tēporaria durabat autē illa æternitas ſeruitutis paucis annis, videlicet vſq; ad Iobileū. Si igitur ſerui qui è domo heri diſcedere nolebat, æterna ſeruitus dicitur, cur nō diceretur lex vetus æterna, quāuis ad Meſsiā vſq; tantūmodo, robur eſſe habitura? *Deut. 15.*

Ne tranſgrediaris terminos golam, id eſt, antiquos, ſiue æternos. *Erit mihi Dauid ſeruus ſempiternus*, aiebat Achis ille Rex Geth. appellantur *colles æterni*, id eſt, antiqui, מ עולם *me golam*, id eſt, *ab æterno: à ſæculo*, ſiue ab antiquis temporibus, *confregiſti iugū. Iſti ſunt potētes, me golā*, id eſt, ab ęterno, vel ſęculo, *viri famoſi.* Cum ergo hac dictione, *golam*, legis æternitas ſignificetur, pro temporaria æternitate multorū annorum, quibus vſque ad Meſsiā robur habuit, ſumenda eſt, non autē pro æternitate perfecta, vt liquet. Eundem in modum ſumenda eſt. Cum Phineæ ſacerdotium promittitur ſempiternum. *Ecce do ei* (ait Dominus) *pacem fœderis mei, & erit tam ipſi, quàm ſemini eius, pactum ſacerdotij ſempiternum, quia zelatus eſt pro Deo ſuo*, &c. Placuit Deo ſummopere Sacerdotis zelus. Ideoque Sacerdotium illi pollicetur golam, id eſt, æternum. At ſacerdotium Phineæ nuſquam extat, abolitum iam eſt, nec tenuiſſimum quidem illius *Proverb. 22. 1 Reg. 27. Geneſ. 49. Deut. 33. Ierem. 2. Geneſ. 6. Num. 25.*

E

veſtigium apparet. Quid ergo? nõne æternum pollicitus eſt Deus Pontificatum? æternum pollicitus eſt, ſed æternitate quadam temporaria, non perpetua, quæ finem haberet nullum. Quod de Phineæ Pontificatu, idem de lege veteri dicimus.

Præterea ex abundanti addimus, potuiſſe Deum ſempiternam legem Iudæis tradere, quæ æterna diceretur, quod in ſempiternũ eſſet ſuapte natura Iudæos obſtrictura, niſi Deus illã antiquaret. Æterna igitur dicitur lex, quia ſuapte natura, niſi abrogata eſſet, Iudæos in ſempiternũ ſuis præceptis deuinxiſſet. At quia conſtat per Meſſiam eſſe abrogatã, omni vi iam caret. Erit ergo ſenſus iuxta hanc interpretationem, cùm dicitur fœdus ęternũ, mandatum æternum, &c. Hoc fœdus, hoc præceptum, hic ritus erit ęternus ſuapte natura, quia lex Dei ſuapte natura æternam vim habet, niſi antiquetur: erit æternus, præterea veſtra ex parte: hoc tamen mihi poteſtatem non tollit reſcindendi legem meam.

Æterna item lex dici poteſt, quod ad præcepta attinet Decalogi moralia. Illa enim in ſempiternum ſeruabuntur, quippe quę iuris ſint naturalis, ab ipſa natura, hominum mentibus inſculpta, ideóque lapideis tabulis merito inſcripta ſunt, quòd in nullam veniant abrogationem. Cætera iudicialia, ac cæremonialia in charta ſunt exarata, non in lapide firmiori, quod tandem aliquando eſſent antiquanda. Adde iis rationem quartam, legi veteri æternæ nomen idcirco congruere, quòd ſpirituali ſenſu ſit ſeruãda ſemper. Si enim circumciſio corporis non ſeruantur, at ſeruanda eſt circumciſio cordis, ſi Sabbati otium reiicitur; at contemplationis otiũ maxime negotioſum retinetur, ſi tauri, ſi hirci non mactantur, at cupiditates effrenatæ immolantur. Si cæteri ritus ſecundum literam exploduntur, at ſecundum ſpiritũ conſeruantur. Hinc illud Diui Cyrilli Tranſitus ad veritatem ab vmbris, legem Moyſis non tollit, ſed manifeſtiorem eius mẽtem exhibet. Et ita ęternam legem nominatam eſſe dicimus, minime enim ceſſauit, quæ in nobis impletur, iuxta ſpiritalis cultus modum, &c.

D. Cyril. li 9 contra Iulian.

Quis neget Meſſiam maiorẽ eſſe Moyſe? ne ipſi quidem Iudæi. Hebræi enim antiqui, illud: *Exaltabitur, & eleuabitur, & ſublimis erit valde*, in hũc modum expoſuerunt. Exaltabitur Meſſias pluſquam Abraham, & eleuabitur pluſquã Moyſes, & ſublimis erit valde, pluſquã Angeli Dei. Si igitur Moyſes legislator fuit, cur Meſſiæ, legiſlatoris honor detrahetur? Multo quidem fuit maior Meſſię, etiam hac ex parte honor, quàm Moyſis. Moyſes enim acceptam à Deo Angelorum interuentu legem, vni tantum populo tradidit, at Meſſias à ſe cõditam legem, non vni populo, ſed vniuerſo Orbi tulit. Nemo negarit, Meſſiam totius Orbis Dominũ eſſe, ac Regem, cùm palam id Scriptura prædicet, vt ſupra vidimus, opus ergo erat leges ſuis ſancire populis, quibus iuſte, ſanctęq; vniuerſus terrarũ orbis adminiſtrari poſſet. At dicet Hebræus, ſatis erat vetus lex, hac potuiſſet Orbem obſtringere. Nõ ergo fuiſſet Meſſias legiſlator, ſed legis iam latæ propagator. Præterea lex vetus Iudæorum ſolũ populo data erat, tam populo, quàm ſtatui & tẽpori, quod Meſſiam præcedebat, congruens ac peculiaris. Toti Orbi terrarũ lex alia noua ac vniuerſalis conſtituenda fuit, qua tam Iudæi, quã reliqui omnes populi conſtringerentur.

Iſaiæ 52.

Meſſias legis latoris præſtãtior Moyſe.

Deut. 18. *Prophetã ſuſcitabo eis* (ait Dominus) *de medio fratrum ſuorum ſimilem tui, & ponam verba mea in ore eius, &c.* Propheta hic Meſſias eſt, ſimilis autem dicitur Moyſi, tum ob alia, tum quia legem tulit vniuerſo Orbi, quemadmodũ populo Iudæorum Moyſes. *Suſcitabo* (ait Deus) *Prophetam ſimilem tui*: Id eſt, qui legiſlator ſit, nouaq; condat decreta populo, nõ ex Ægyptiaca, ſed ex diabolica captiuitate liberato. Euſebius lib. 3. de demõſtratione, cap. 2. Moyſes (inquit) cùm leges ab ipſo poſitæ, ſoli Iudaïcæ genti cõuenirent, idq; in terra Iudæa duntaxat, aut circum eã, & eum, qui eſſet, non ſolũ Iudæorum, ſed etiam aliarũ gentium Deus, oporteret ad ſe cõgnoſcẽdum, & colendum, ſuppeditare ea, quæ cunctis itẽ gentibus vtilia forent, merito alterũ Prophetam ſuſcitandũ vaticinatur. Et li. 1. c. 3. ſic ſcribit: Etiam ipſe Moyſes viſus eſt optime intelligere, futurum eſſe aliquando, vt leges, quas ipſe tuliſſet, omnibus gentibus accommodari non poſſent. Ad ea verò oracula comprobanda, & conficienda, quæ Abrahæ reddita ſunt, altero opus eſſe Propheta, ſcilicet, Chriſto.

Euſeb.

Præterea, duas leges Scriptura vetus commemorat, alteram in monte Sinai datam, alteram e Sione egreſſam. Lex Moyſis in monte Sinai data eſt, lex altera Meſſiæ eſt, quæ è monte Sion prodiuit. Iſaiæ & Micheæ: *De Sion exibit Lex, & Verbum Domini de Ieruſalem, & iudicabit gentes*, &c. Iudicare, Hebræis eſt gubernare, vnde iudices gubernatores appellant, in libro Iudicum. Lex in Sinai data Iudæos ſolũ iudicauit, id eſt, gubernauit: lex autem e Sione egreſſa iudicat gentes omnes, id eſt, totum Orbem gubernat. Etenim Chriſtianæ legis primi promulgatores Apoſtoli ex Sione, & Ieruſalem, ſpiritus diuini facibus inflammati prodierũt, nouamq; mundo legem multis coruſcantẽ miraculis promulgarunt. Quod Dauid quoque cecinit illis verbis: *Virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion, dominare in medio inimicorum tuorum.* Iſaias & Michęas Legẽ: Dauid Meſſię ſceptrum, ex Sion docet à Deo emittendũ, quia dominari cœpit Meſſias in Ieruſalẽ, in primæua ex Iudæis collecta Eccleſia. Sed tam exiguis terminis tantũ ſceptrum coërceri nõ potuit, e Sione igitur emiſſum, totum terrarum Orbem ſub ſuum miſit principatum, ſceptrum nouum lex noua eſt comitata. Virgam virtutis, lex virtutis, id eſt, diuinæ potentiæ, cœlorum Regnum cœleſtis lex eſt ſecuta.

Iſai 2. Mich. 4.

Dua leges, altera in Sinai data, altera ex Sione egreſſa.

Pſalm. 109.

Inſuper Sacerdotium lex ſequitur, vnde illud Pauli: *Tranſlato Sacerdotio, neceſſe eſt, vt & legis tranſlatio fiat.* Sacerdotium autem Aaronicum abrogatu eſt. Ergo & lex vetus. Aaronicum autem Sacerdotium abrogandũ à Meſſia, Dauid docet, præclaro illo loco *Tu es* (inquit) *Sacerdos in æternum, ſecundũ ordinem Melchiſedech:* fore Meſſiam Sacerdotem prædicat, nõ tamen ſecundùm Aaronis ritus, ſed ſecundùm ordinem Melchiſedech. Neque enim tauros, & hircos Deo Meſſias aut immolauit, aut immolãdos docuit, ſed ſemetipſum Patri, in Crucis ara, cruentam victimam, ſubque panis & vini velamine, incruentam hoſtiam, Melchiſedechi inſtar, obtulit. Quem ſacrificandi ritum admirandum, ſacerdotibus ſuis tradidit, Aaronico ritu abrogato.

Hebr. 7. Aaronicum Sacerdotium cum lege abrogatum. Pſalm. 109.

Qua de re Deus ſic loquitur: *Nõ eſt mihi voluntas in vobis* (dicit Dominus) *& munus non accipiam de manu veſtra, ab ortu enim Solis vſque ad occaſum magnum eſt nomen meum in gentibus, & in omni loco ſacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda.* Eximia ſane ſunt hæc verba, & rem Chriſtianã perſpicuè demonſtrãt. Docet imprimis Deus, Iudæos à ſe repudiatos: *Non eſt*, inquit, *mihi voluntas in vobis*: Id eſt, iam populus meus eſſe deſiiſtis, nõ vos amo, nõ curo, vt dilectũ populum, libellum do repudij. Deinde, Aaronica ſacrificia reiicit: *Munus* (ait) *non accipiam de manu veſtra*: Septuaginta vertunt ſacrificium. Tum gentium vocationem prædicit, *ab ortu Solis vſq; ad occaſum magnũ nomen meum in gẽtibus.* Poſt, Aaronis victimis repudiatis, vnicum, idque auguſtiſſimum Euchariſtiæ ſacrificium, offerendum indicat: *In omni loco ſacrificatur & offertur nomini meo oblatio munda*, id eſt, incruenta, quæ ablutionibus, vt animalium victimæ, non indigeat,

Malach. 1.

geat, sed ipsa homines abluat. Quid enim Eucharistia mundius, quæ totum mũdum mundat, totiusq; munditiæ fontem Christum continet? Ex his igitur constat explosum esse Aaronis sacerdotium, quod templi Iudaici finibus circumscriptum fuit, institutumq; aliud multo præstãtius, quod toto viget Orbe terrarũ. Cum Sacerdotio autẽ simul lex extincta est.

Extinctum item Sacerdotium Aaronis, legemque Mosis, vox illa testatur, quam scribit Iosephus, auditam à Sacerdotibus templum ingressis, ipso Pentecostes festo die. Erat autem vox hæc: *Migremus hinc*, qua Angeli legis Iudaicæ, populi, & templi repudium testati sunt, diuina que sacra, ritus, protectionem, ab eo in Gentes demigrasse significarunt: Cœlestium enim virtutum vocem illam fuisse, credit Hieronymus in Epistola ad Damasum, & in commentarijs Ezechielis capite vndecimo, Iosephus refert auditam vocẽ in templo Angelorum, & fortitudinem cœlestium, quæ prius in vrbis præsidio erant: Abeamus ex his sedibus, &c. Prædictum hoc quoque à Christo est. *Ecce*, inquit, *relinquetur vobis domus vestra deserta. Vinea facta est dilecto meo, in cornu filio olei, & sepsit eam, & lapides elegit ex illa, & plantauit eam electam, & ædificauit turrim in medio eius, & torcular extruxit in ea, & expectauit vt faceret vuas, & fecit labruscas, &c.* Enumerat Vates primum beneficia, quæ in vineam suam, id est, in Israëliticam plebem Deus contulit, deinde quos fructus tulerit, commemorat, suppliciumque prædicit. *Vineam plantauit in cornu filio olei*, id est, in terra Iudæa, excelsa vt cornu, & montosa, vel in Regno filio olei, id est, pingui solo, & fœcundo. Septuaginta vertunt, in loco pingui. Diuino auxilio circumsepsit, turrim, id est, celsissimum in ea templum extruxit, vt D. Hieronymus interpretatur: Ædificauit, inquit, turrim in medio eius, templum videlicet, in media ciuitate, &c. In templo autem altare holocaustorum, torcularis instar locauit, victimarum semper sanguine redundans: vnde illud: *Sanguinem hostiarum fundes in altari meo.* Lapides, id est, idola gentium, diuini que cultus impedimenta elegit, id est, collegit ex ea, foraq; que expulit, nihil denique, quod vineæ dilectæ opus sit, denegauit. At, expectauit vt faceret vuas, & fecit labruscas: Septuaginta vertunt, & fecit spinas.

Iosephus, li. 7. de Bel. Iud c. 12.

Vox à Sacerdotibus audita Migremus hinc. D. Hieron.

Matth. 23. Isai. 5.

D. Hieron.

Deut. 12.

Quod igitur supplicium huiusmodi debetur vineæ? *Ecce relinquetur domus vestra deserta: Auferam sepem eius, & erit in direptionem, diruam maceriam eius, & erit in conculcationem, & ponam eam desertam, non putabitur, & non fodietur, & ascendent super eam vepres, & spinæ, & nubibus mandabo, ne pluant super eam imbrem.* Quis est, qui hæc non cernat, si oculos in vineam Israëliticam conjiciat? Sepem videmus ablatam, maceriam dirutam, id est, diuinum auxilium, quo olim protegebatur, ademptũ, nec putatas vites, nec palmatum solum, vepribus & spinis vndique plenum, cœlesti rore pluuiaque priuatum. Præcelsam autem illam turrim, id est, antiquum religioneque præcipuum templum, solo cernimus exæquatum, ritus obliteratos, ceremonias extinctas, sacrificia abolita, sacerdotes officio abdicatos. Quis verò neget simul cum hac turri, cum templo, & ciuitate Ierusalem, in qua templum fuit, cui veluti fundamento Iudaici ritus innitebantur, legem quoque veterem concidisse?

Matth. 23. Isai. 5.

Deserti Iudæi.

Hinc illud Chrysost. homil. 1. aduersus Iudæos: Quemadmodum (inquit) faber iactis fundamentis, erectis parietibus, concamerata testudine, ipsaq; concamerationc in vnum lapidem in medio positum connexa, si eum tollat, totam ædificij compagem soluerit; similiter Deus, cùm Ierusalem ciuitatem feciſſet quasi nodum totius religionis Iudaicę, ac mox eam subuerterit, nónne pariter & vniuersum ejus ciuitatis statum dissoluit? &c. Nodum to-

D. Chrysost.

A tius Iudaicę religionis appellat Chrysostomus ciuitatem Ierosolymam, propter templũ, in quo solo sacrificare licebat. *Caue ne offeras holocausta tua in omni loco, quẽ videris, sed in eo, quem elegerit Dominus, in vna tribuum tuarum offeres hostias, & facies quæcunq; præcipio tibi,* &c. lege quoque Deuteron. 16. hoc soluto nodo Iudaicus status lexque concidit. Solutus autem nodus à Deo est, id est, templũ exustum Dei permissu, ipso etiam Tito Imperatore, qui ciuitatẽ ceperat, repugnante, vt intelligerent Iudæi, sublato templo, legem quoque cultumque Iudaicum esse abrogatũ. Sed Iosephum Iudæũ audiamus de sui templi exustione sic scribentem.

Templum nodus Iudaicæ religionis, in quo solo licebat sacrificare. Deut. 12. & 16.

Templum Tito inuito exustum. Iosephus l. 7 de Bel. Iud. c. 10.

Militũ (inquit) quidam nõ expectato cuiusquam B edicto, neq; tantum facinus veritus, sed diuino quodam motus impetu, à contubernali suo sustollitur, & ex ardente materia raptum ignem in fenestram inserit auream, vnde ad mẽbra circum templum ędificata de Septẽtrionali regione aditus erat. Flamma excitata, Iudæorũ clamor exoritur, & ad subueniendum properabãt. Mature autem hoc Tito quidam nuntiat: Et ille (namque casu in tabernaculo quiescebat, sicut à prœlio redierat) exilit, templumque curriculo petit prohibiturus incendium, omnesque post eum duces & hos agmina perterrita sequebantur. Cæsar autem voce simul, ac dextera pugnantibus, signo dato, ignem iubebat extingui, sed neque vox eius audiebatur, nutumque dexteræ non C attendebant. Intro currentium verò agminum impetum, non præcepta neque interminationes continebant, sed quo furor eos duceret, sequebantur.

Ad ipsos verò introitus conferti, multi quidem sese inuicem conculcabant, multi autẽ ardentibus adhuc & fumantibus porticuum incidentes ruinis eadẽ quæ victi patiebantur. Cùm verò ad templum accessissent, edicta quidẽ Cæsaris non audire simulantes, præcedentem quisque vt ignem immitteret, hortabatur. Cæsar autem vbi neque impetum, insanientium militũ, continere poterat, & flamma dominabatur, intro cũ rectoribus ingressus, & sanctum templi & quæcumque illic erant aspexit. Cùm autem flamma nondum ex vlla parte ad interiora penetrasset, existimans illud opus posse seruari, & D ipse prosiluit, militesque rogare, vt ignem restinguerent, conabatur.

Et liberalem centurionem, de stipatoribus suis, fuste mulctatos, qui non obedirent, iussit arcere. Illorum autem furor, bellique impetus vehementior, Iudæorum odia, & Cæsaris reuerentiam id prohibentis metum, superabant. Pleroque autem prędarũ spes incitabat, suspicantes intus omnia referta esse pecunia, quoniam fores auro factas conspicerent. Præterea quidam miles ex ijs qui intrauerant, cùm Cæsar ad inhibendum incendium cucurrisset, ignem iam cardinibus portæ subiecerat.

Tumque subitò, postquã flamma intus apparuit, & duces cum Cæsare discedebant, & stantes extra, E succendere nemo prohibebat. Templum quidem hoc modo inuito Tito exuritur. Hæc Iosephus.

Iosephus.

Inuito quidem Tito exustum est templum, sed non inuito Deo: Quod idem Iosephus libro eodẽ 7. capit. 9. sensit, his verbis: Templum plane Dei sententia iam dudũ igne dãnauerat, euolutisque temporibus aderat fatalis dies, qui erat decimus mensis Augusti, quo etiam prius à Rege Babyloniorũ fuerat concrematum, &c. Noũimus ex his verbis Iosephi Iudæi, templum Dei sententia exustum à Romanis, quod & Iudæorum scelera promerebantur, & Iudaicę legis abrogatio Christianæque religionis promulgato efflagitabat, incendij quoque diem intelligimus fuisse decimam Augusti mensis, quo die iam olim Chaldæorum flammis conflagrauerat.

Templum Deo volente exustum decimo die Augusti.

Non defuit tempore illo pſeudopropheta (vt idem autor teſtatur cap. 11.) qui miſeris Iudæis nuntiaret, iubere Deum illos in templum aſcendere, ſigna ſalutis accepturos.

Qui autem dicto habuere fidem, nõ ſalutis ſigna, ſed flammarum ardore correpti, atrocem accepere necem. Salutis autem ſigna in templo accipiẽt, qui deflagrationis illius cauſas attento animo conſideraverint. Oportebat namque vetera exuri, vt noua renaſcerentur.

Templum non potuerũt Iudæi extruere. D. Chryſoſt.

Diuina autem Chriſti voluntas, ac potentia, quæ templum euertit, paſſa non eſt per tot ſæcula, illud iterum à Iudæis excitari. Conati id ſunt, ſed conatus eadem potentia in nihilum abiere. Qua de re præclare D. Chryſ. oratione 2. aduerſus Iudæos: Cum (inquit) Iulianus Imperator vocaret Iudæos ad ſacrificandum Idolis, ac mox obijceret illis priſcum culturæ ritum, dicens: A veſtris maioribus Deus hoc modo cultus eſt.

Etiam nolentes tum fatebantur, quod fas nõ eſſet extra ciuitatem Ieroſolymam immolare victimas, ſed totam (inquiebant) religionem violant, quicunque ſacrificant in terra aliena, proinde ſi vis nos videre ſacrificãtes, redde nobis ciuitatem Ieruſalem, reſtitue templum, exhibe ſancta ſanctorum, colloca Arcam, & ſacrificabimus nunc, quemadmodũ olim. Verùm cùm Deus eſſet, qui ciuitatẽ Ieroſolymam ſubuerterat, fieri nequaquam potuit, vt quæ Deus decreuerat, vnquam euerteret humana potentia.

Iulianus quidem & pecunias impendit, & præfectis negotium dedit, viros primates & artifices vndiquaque accerſi iuſſit, nihil non fecit, nihil non tentauit, paulatim ac ſenſim hoc agens, ſperanſque futurum, vt ſi poſſet Iudæos ad ſacrificandũ inducere, facilè illos reuocaret ad cultus ſimulachrorum, ſimul & illud fore ſperabat inſanus, vt Chriſti ſententiam fruſtraretur, quæ non patitur templũ illud inſtaurari. Verùm Deus protinus declarauit, quòd Dei decretum omnibus eſt potentius, quodque valida ſunt opera ſermonum Dei. Nam ſimul atque tentaſſent hunc impium conatum, cœpiſſentque nudare fundamenta, multumq; terræ exhauſiſſent, reſtaretque vt iam ſtructuram aggrederentur, protinus ignis exiliens è fundamentis exuſſit multos, & intempeſtiuam pertinaciam interrupit. Hæc vbi reſciuit Imperator, veritus ne vltra progreſſus, in ſuum ipſius caput ignem accerſeret, deſtitit. Hæc Chryſoſt. eiuſdem rei meminit homil. 4. in Matthæum, meminere quoque Nicephor. lib. 10. hiſt. Eccleſ. cap. 32. & 33. Sozom. lib. 5. cap. 21. Theodor. loco ſuprà indicato hoc lib. 2. cap. 8. & D. Gregor. Nazianz. Oratione 2. in Iulianum. Nicepho. & Sozomenus addunt, Iudæorum veſtes tunc temporis, crucis apparuiſſe conſignatas notis, quibus ſignis ad fidem Chriſti Cruci ſuffixi vocarentur. Adiungit Nazianzenus, in Cœlo fulgentem præterea crucem fuiſſe conſpectam.

Euerſa ergo eſt antiquæ illius vineæ turris, dirutum Iudæorum aſylum, neque inſtaurari vllo modo poteſt, quò confugiant, non habent, ſacrificia illorum Deus reſpuit, & cum ſacrificijs legem. Ne quæſo dolete Iſraëlitæ, ne nobis vobiſque tantum inuidete bonum. Mutata lex eſt, at in legem multo præſtantiorem, mutata ſacrificia, ſed in ſacrificium *Pſalm. 49.* interuallo infinito præcellentius. *Nunquid manducabo carnes taurorum, aut ſanguinem hircorum potabo?* ait Dominus, quaſi dicat, non indigeo veſtris tauris aut hircis, neque enim brutorum animantium carnibus veſcor. Addit: *Immola Deo ſacrificium Laudis:* Quid nam Εὐχαριστίας nomen ſignificat? nónne gratiarum actionem? quid gratiarum actio aliud eſt, quam laus? meritò ergo Euchariſtiæ ſacrificium laudis A poteſt appellari. Non immolantur Deo tauri & hirci, ſed ſacrificium laudis in Eccleſia immolatur, cum auguſtiſſimæ Euchariſtię ſacrificium offertur. Tauros atque arietes Ethnici cõmentitijs immolabant dijs, eoſdem Iudæi Deo immolabant vero. Si fidem ſpectes, ac pietatem, diuinumque imperium, inter Ethnicorũ Iudæorumque victimas magnum diſcrimen cernes, ſi verò externam ſacrificiorum faciem aſpicias, nihil aut parũ diſcriminis reperies. Exploſa ſunt ſacrificia, quibus ipſæ quoque Gentes fidei oculis orbatæ, ad colendos fictos deos vtebantur. Dignam habet Deus victimam, dignum ſibi ſacrificium, quo Chriſtus Deus homoque verus, pretij Hoſtia infiniti offertur. Quo mihi multitudinem B victimarum veſtrarum? dicit Dominus: *Plenus ſum;* *Iſaiæ 1.* Hebraicè, שבעתי Sabagti, id eſt, ſatur ſum, ſaturatus eſt Deus Iudæorũ ſacrificijs vſque ad faſtidium. Iam epulas illas faſtidit, menſam, id eſt, templum & altare Iudæorũ ab oculis iuſſit remoueri, noſtram verò menſam faſtidiet nũquam, ijs enim epulis extructa eſt, quæ nec Deo nec homini faſtidium vnquam párere poſſint, cùm ipſamet dulcedo ſint, atq; ſuauitas. Menſa, id eſt, Iudæorum altare, Deum impleuit, id eſt, ſaturauit, ideo dixit: *Plenus ſum.* Quemadmodum verò homo ſatur cibis appoſitis veſci non poteſt, finemque veſcendi facit, ſic Deus ſatur victimis Iudaicis, eis iam non veſcitur, finemque veſcendi fecit. At ſi de noſtra loquamur mẽſa, meritò dicat Deus alio ſenſu: *Quo mihi multitudinem victimarum veſtrarum? Plenus ſum*, id eſt, quorſum mihi opus ſunt veſtra ſacrificia, ô Iudæi? nõ placent, non arrident: Plenus ſum Euchariſtiæ ſacrificio, hoc me implet, hoc meam dignitatem adæquat, hoc tanti nominis menſuram complet, offertur Deo Deus & homo, victima eſt Deus homo, digniſſima ipſo Deo.

Iurauit Dominus, & non pœnitebit eum: Tu es Sacerdos *Pſalm. 109.* *in æternum ſecundùm ordinem Melchiſedech:* veluti pœnituit Deum ſacerdotij ſecundùm ordinem Aaronis, quia hoſtijs parũ delectatus, quas offerebat, illud antiquauit. At Sacerdotij ſecundùm ordinem Melchiſedech, id eſt, Sacerdotij Chriſti, nunquam illum pœnitebit: Quia hoſtia mirũ in modum oblectatur, quam offert, nullo vnquam tempore illud abroga- D bit. Iurauit Dominus, & nõ pœnitebit eum vnquam tanti Sacerdotij, quo Chriſtus infinito amore digna victima offertur. Excelſa ſunt hæc, non pertingit huc Iudæorum mens. Quia celſa, ideo digna Deo excelſo: Orent vt poſſint pertingere, credant, vt intelligant, iuxta illud, ex verſione Septuaginta in- *Septuaginta Interpret. Iſaiæ 7.* terpret. *Niſi crediderit is, non intelligetis.*

CAPVT XXI.

De eadem legis abrogatione.

E TRIPLICEM legem Deus vnus atque trinus hominibus tradidit, quæ quid amplectendum, quid fugiendum, quid amandum, quid odio habendum, quid agendum, quidve cauendum eſſet, edoceret. Prima lex naturæ dicitur, quia hominũ mentibus ab ipſa natura inſcripta eſt, de qua Paulus: *Oſtendunt* (ait) *Gentes opus legis ſcriptum in cordibus ſuis.* *Triplex lex, naturæ, Moyſis, & Chriſti, ad Rom. 2. Deut. 5.* Secunda lex Moyſis vetuſque appellatur, Moyſis, quia à Moyſe promulgata, vetus, quia olim populo Iudæorum eſt data. Tertia lex Chriſti, quòd à Chriſto lata, noua, quòd veteri ſucceſſerit, gratiæ, quòd totius gratiæ fons ſit, nominatur. Prima lex naturę, nec abrogata eſt, nec abrogari poteſt. Tertia gratię, abrogari quidem poteſt, ſed abrogabitur nunquam. Secunda Moyſis, & abrogari potuit, & re ipſa abrogata eſt. Prima lex naturæ, & tertia gratiæ, omnes populos

populos ac nationes Orbis terrarum obſtringunt. Secunda Moyſis vnum tantummodo Iudæorũ populum deuinxit, quę abrogationis fuit quędam quaſi præmunitio. Nec verò putes legem naturalem à lege Moyſis & lege gratię eſſe ſeparatam, vtriuſque magna pars eſt: ſicut enim gratia naturam, ſic lex diuina legem præexigit naturalem.

Tria præceptorum genera lex Moyſis continet, quædã Moralia, quæ ad mores, alia cæremonialia, quæ ad cæremonias ſacroſque ritus, alia iudicialia, quæ ad iudicia pertinent. Legis naturæ decem præcepta moralia ſunt, atque in lege præcipua. Ea enim ſola in monte Sinai tremenda Angeli voce ſunt promulgata, ea ſola in duabus lapideis tabulis digito Dei ſunt exarata. Quod probatur ex ijs verbis: *Deut. 5.* *Hæc verba (*ſcilicet decem mandata*) locutus eſt Dominus in monte, de medio ignis, & nubis, & caliginis, voce magna, nihil addens amplius. Et ſcripſit ea in duabus tabulis lapideis, &c.* Cæremonialia præcepta, & iudicialia, tradita ſunt Moyſi: deinde populo, quem terribilis vox ab audiendo deterruerat. *Loquere tu nobis,* (aiunt) *& audiemus, non loquatur nobis Dominus, ne fortè moriamur.* Ingenium expreſſere ſuum, Moyſem, non Deum Chriſtum volunt audire, loquere tu nobis ô Moyſes, (etiam hodie dicunt) loquatur nobis lex tua, illam audiemus, non loquatur nobis Dominus Meſſias, ne fortè mundo peccatiſque moriamur.

Præceptorum legis tria genera, Moralia præcipua, Exod. 20.

Magna igitur pars legis atque præcipua, imò ipſa legis medulla, decalogus erat tabulis inſcriptus, & in Arca fœderis ſeruatus. Adeò verò magna pars, vt *D. Auguſti.* Auguſtinus in quæſtionibus ſuper Exodum lib. 2. quæſt. 140. dixerit, cætera omnia præcepta legis ad Decalogum reuocari. Cùm tam multa, inquit, locutus ſit Deus, duæ tantùm tabulæ dantur Moyſi. Nimirũ, cætera omnia, quæ præcepit Deus, ex illis decem præceptis pendêre intelligũtur, quomodo hęc ipſa rurſus decem præcepta ex duobus, dilectione ſcilicet Dei & proximi, in quibus tota lex pẽdet & *Philo.* Prophetæ, &c. Lege Iudæum Philonem de Decalogo. Illud (inquit) ſciendum, decem præcepta eſſe ſummarium legum ſpeciatim proditarum, in toto legiſlatoris ſacro volumine, &c. Hæc magna legis pars æterna eſt, hæc medulla poſt legẽ antiquatam adhuc viuit, non tamen quia legis Moyſis pars; ſed quia naturæ lex eſt, & legis nouæ pars, viuit, viuetq; in ſempiternum. Cætera præcepta cæremonialia, & iudicialia, quæ Decalogi velut appendices & additamenta quædam erant, mortua ſunt, quia temporaria erant. Mortuum ſceptrũ Iudæorum eſt, mortuum Sacerdotium, mortua Reſpublica, ſola lex viuet? Mortuum eſt ſceptrum, mortuaque Reſpub. mortua quoque ſunt præcepta iudicialia, quibus ſceptrum Réſque publ. adminiſtratur. Mortuum eſt ſacerdotium, mortua ſimul præcepta cæremonialia, quibus ſacerdotiũ gubernatur, mortua ſunt, nec vlla eſt hominis potentia, quæ illa in vitam reuocare poſſit, quippe quæ manu Dei potentiſſima ſint conſepulta: Iuxta illud: *Deut. 34.* *Mortuus eſt Moyſes ſeruus Domini, iubente Domino, & ſepeliuit eum, &c.* qua de re diximus lib. 1. c. 11. Non nos Moyſem occidimus, id eſt, non abrogauimus illius legem, iubente Domino, id eſt, iubente Meſſia Deo, vita lex exceſſit, & ſepulta eſt.

Deus Moyſem, id eſt, legem ſepeliuit.

Deut. 34. Oſtendit Dominus Moyſi terram Repromiſſionis, dixitque ad eum: *Vidiſti eam oculis tuis, & non tranſibis ad illam.* Legem ſuam ſignificare Moyſem quis neſciat? Moyſi igitur, id eſt, legi, oſtendit Deus terram repromiſſionis, id eſt, Eccleſiam, lacte & melle manantem, quia in lege deſcripta ac adumbrata Eccleſia eſt, attamen nõ tranſibis, inquit, ad illam. Id eſt, ô lex Moyſis, videbis, delineabis, & depinges Eccleſiam, at nõ tranſibis ad illam, non ſeruaberis

A in illa. *In Arca non erat aliud niſi duæ tabulæ lapideæ, quas poſuerat in ea Moyſes.* Solus ergo Decalogus legis naturæ in Arca erat. Cur? quia ſolus Decalogus eſt perpetuus, ſolus ex legis veteris præceptis in Arca Eccleſiæ Chriſti permanſit. *3. Reg. 8.*

Diuerſa Regna, diuerſæque Reſpublicæ, diuerſas flagitant leges, diuerſa igitur Regna, diuerſæq; Reſpublicæ, Synagoga, & Eccleſia, diuerſas leges poſtularunt. Habuit legem veterem vetus Synagoga, habet legem nouam noua Eccleſia. *Vetera, nouis ſuperuenientibus, projicietis.* Origenes, vetera habuimus legem, & Prophetas, vetera autem veterum, ea, quæ ante legem fuerunt ab initio, cùm mundus factus eſt. Venerunt Euangelia noua, venerunt & Apoſto- B li, quibus nouis ſuperuenientibus ejicimus vetera. Quomodo ea ejicimus? legem ſecundùm litteram ejicimus, vt ſtatuamus legem ſecundùm ſpiritum. Hæc ille. *Ne memineritis priorum, & antiqua ne intueamini. Ecce ego facio noua.* Inter alia quæ noua fecit, nouum quoque condidit Deus teſtamentum, quod ſe facturum multo antè Iudæis prædixerat. *Ecce dies veniunt, dicit Dominus, & feriam domui Iſrael & domui Iuda fœdus nouum, non ſecundùm pactum, quod pepigi cum Patribus eorum in die, qua apprehendi manum eorum, vt educerem eos de terra Ægypti.* Quid clarius? fœdus ſiue teſtamentum pollicetur nouũ, non ſecundùm pactum, quod pepigit in monte Sinai, id eſt, diuerſam à veteri, imò extincto veteri: nam vt Paulus ait, *dicendo nouum fœdus, veterauit prius* fœdus, ſiue teſtamentum. *Leuit. 25.* *Origenes.* *Vetera ejiciemus.* *Iſaiæ 43.* *Ierem. 31.* *Hebr. 8.*

C Quid? non fuit fas Deo, ô viri Iſraëlitæ, quod omnibus legum latoribus fas eſt, legem, quam tulit, mutare, & in aliam præſtantiorem transferre? quis hoc neget, niſi planè è mentis ſtatu deturbatus? Adeò ne bona lex vetus fuit, vt non potuerit alia ferri melior? Atqui iam libro primo ſatis oſtẽdimus multo præſtantiorẽ eſſe veteri nouam. Ezechieli verò non bona dicuntur legis veteris præce- *Ezech. 34.* pta. *Dedi* (inquit Deus) *eis præcepta non bona: Et iudicia, in quibus non viuent.* Non bona autẽ dicuntur præcepta cæremonialia, id eſt, non perfecta, vt lib. 1. oſtendimus: non bona præterea, quia magnam illam gratiæ bonitatem vi ſua non præſtabant, non bona, quia litera occidit, non bona, comparatione meliorum legis nouæ, vt D. Gregorius docet in 38. ca- D put Iob, libr. Moral. 28. cap. 17. Mala, inquit, *D. Gregor.* quaſi mala eſſe deſinunt comparatione peiorum: Et bona quaſi bona non ſunt, comparatione meliorum. Nam ſicut peius delinquenti Iudææ, de Sodoma atque Samaria dicitur: *Iuſtificaſti ſoroves tuas, in omnibus abominationibus tuis, quas operata es,* ita melioribus noui teſtamenti præceptis ſubſequentibus, præcepta bona, quæ rudibus data ſunt, non bona eſſe memorantur. Hæc ille. *Legis præcepta cur appellentur non bona.* *Ezech. 16.*

Paruulos infantes faſcijs matres conſtringunt, maiori verò præditos ætate, pretioſis veſtibus ornant: Sic Deus Iudæos veluti infantes (ſtatus enim ille infantium erat) multorum præceptorum veluti quibuſdam faſcijs puerilibus conſtrinxit, Chriſtianos autem, quorum ſtatus prouectã indicat ætatem, antiquorum mandatorum reiectis faſcijs, nouæ legis aureis veſtibus, id eſt, gratia & charitate, decorauit. D. Greg. Moral. lib. 28. cap. 27. Deus (in- *D. Gregor.* quit) dum rudes Iudæorum populos, nõ aperta ſpiritus prædicatione edocuit, ſed figurata locutione, præceptis literæ aſtrinxit, adhuc infirma ſapientes, *Legis præcepta faſcijs ſimilia.* verborum ſuorum caligine, quaſi pannis infantiæ obuoluit, vt mãdatis groſſioribus ligati creſcerent, ne malè liberi in ſuis voluptatibus perirent, &c. Exuite viri Iſraëlitæ veteres faſcias, aureas nouę legis veſtes induite. *Vſque quo paruuli diligitis infantiam,* *Prouerb. 1.* (clamat Sapientia diuina,) *& ſtulti ea, quæ ſibi ſunt noxia, cupient, & imprudentes odibunt ſcientiam? conuertimini*

ad correptionem meam: En proferam vobis ſpiritum meum, & oſtendam vobis verba mea. Vſque quo diligitis ô Iudæi infantiam, vſquequo diligitis legis faſcias, & incunabula? Quis vir in cunis iaceat? *Iudæi infantiam non relinquunt.* Quis prima crepundia non deſerat? vſquequo quæ vobis noxia ſunt, veteris legis mandata cupietis,& Chriſti veram ſcientiã habebitis odio? Conuertimini ad diuinæ ſapientiæ correptionẽ,diuina enim ſapientia Chriſtus eſt, Dei Verbum, ipſe non literam, quæ occidit, ſed ſpiritum, qui viuificat, vobis proferet, non verba, id eſt, præcepta Moyſis, ſed verba ſua oſtendet,non Moyſis graue, ſed ſuum leue iugum, veſtris ceruicibus imponet.

Dixi ex D. Gregorio legis præcepta faſcijs infantilibus, & cunabulis, fuiſſe ſimilia, addo ex Auguſtino, & ipſam legẽ materni vteri inſtar habuiſſe. Quemadmodum enim in vtero fœtus efformatur, enutriturque, quoad in lucẽ exeat, ita in lege veluti quodam vtero efformabatur & præparabatur Iſraelitarum populus, quoad in ſplendorem Meſſiæ legiſque nouæ prodiret. Quemadmodum vterus non diuturnum habitaculum præbet,hominemq; ſuſcipit foras in orbem terrarum emittendum: Sic lex non perpetuum domicilium Iudæis *Lex inſtar habuit vteri.* præbuit, illoſque ſuſcepit, foras in legem nouam, regnumque Chriſti educendos. Præterea quemadmodum vterus hominem nequit perficere, & ad virile robur adducere, ſic lex populum nequiuit perfectum efformare,diuinæque gratiæ robore do- *Pſalm. 58. D. Auguſt.* nare, vterus ergo fuit lex. Sed vt dicitur: *Iudæi errauerunt ab vtero*,id eſt,à lege(vt Aug.interpr.ſerm.02. de Sanctis.) *Locuti ſunt falſa.* Ab vtero vt tenelli infantes diſcedere, & in lucem legis Chriſtianę venire nolunt,radios ſplendoris pertimeſcunt,& veluti abortiui fœtus,ex vteri tenebris,in tenebras Tarta- *Origenes.* ri præcipitantur. Origenes,in Iob lib.3. Sicut abortiua de ventre matris exeuntia nõ viderunt lucem, ſed ex tenebris vteri in tenebras exeunt ſepulchri: Sic impij de tenebris in tenebras eunt. Et hom. 7. in lib. Numer. Sicut (inquit) aborſus, imperfectus, & incompoſitus eſt partus, ita Iudæorum populus aliquanto quidem tempore intra vuluam matris, id eſt, intra Synagogæ inſtitutionem poſitus fuit, ſed peccatis intercedentibus, formari ad integrum viuificarique non potuit. Et ideo abiecti ſunt,velut aborſus imperfectus & immaturus.

Quid plura? Theatro Synagoga ſimilis fuit, in quo mille figuræ,milleque typi Meſſiam vẽturum, ciuſque regnum delineantes, non perpetuum præ- *Auguſt.* bebant ſpectaculum. Nam vt ait Aug. lib. 22. contra Fauſtum, capite 24. Illorum hominum non tantum lingua, ſed etiam vita fuit prophetica, totumque illud regnum gentis Hebrææ magnus quidam Propheta erat. Quemadmodum igitur poſt actam tragœdiam, theatrum bombycinis auratiſq; aulæis exuitur, diſſoluitur, atque euertitur,ſic poſt- *Synagoga Theatrum iam diſſolutum.* quam typos,imagineſque Meſſiæ, Synagoga,Lexq; exhibuit, omnibus ornamentis ſpoliata, diſſoluta, atque euerſa eſt. Id quod Tabularũ illa fractio olim *Exod. 32.* præſignificauit: *Iratus Moyſes valde, proiecit de manu tabulas, & confregit eas ad radicem montis, &c.* Auguſtinus in quæſtionibus in Exod. lib. 2. quæſt. 144. Ira- *Tabulæ fractæ fractæ lex. D. Auguſt.* tus(inquit) Moyſes videtur tabulas fregiſſe,magno tamen myſterio, figurata eſt iteratio Noui teſtamenti,quoniam vetus fuerat abolendum, & conſtituendum nouum,&c. Priores tabulæ fractæ ſunt, non itidem poſteriores, videlicet, quia prior lex vetus reſcindenda erat, poſterior noua nullo tempore antiquanda.

Fluuius Iordanis poſtquam Iudæorum regiones *Lex Iordani fluuio ſimilis.* alluit, in mare mortuũ illabitur, irrigandi ſue vim amittit; eundem in modum Lex,quæ veluti Iordanis, Iudæos, non gentes irrigabat,in mare tandem mortuum, id eſt, in mortem & abrogationem influxit,irrigandique Iudæos vires amiſit. Quemadmodum Iordanis aquæ, mare mortuum ingreſſæ, non abluunt, ſed inquinant, ſic Lex poſtquam abrogata eſt, non prodeſt, ſed obeſt. Equidem mari mortuo videtur ſimilis Lex, quod nullum piſcem, ſed multũ picis habet, ſiue bituminis, neſcio quid picis, quid bituminis Lex habet,ſic enim Iudęis inhæſit,vt ab ea etſi mortua atq; fœtẽte auelli nolint.

Qui Rex ampliſſimum palatium exędificare decreuit,typo id priùs ex viliori materia confecto deſignat, typum verò, palatio exædificato,abjicit. Ita Deus, cum Eccleſiam,id eſt, cœleſte plane in terris templũ,extruere conſtituiſſet; typis prius ipſam & imaginibus in Lege Moyſis deſcripſit; typorũ verò Legem templo extructo abrogauit. Hoc eſt,quod dixit alijs verbis Origenes homil. 10.in Leuit. Sicut *Origenes.* (inquit)ij,quibus artificiũ eſt,ſigna ex ære facere,& ſtatuas fundere,antequam verum opus æris producãt, aut argẽti, vel auri, figmentũ prius luti,ad ſimilitudinem futuræ imaginis [illegible]ant,nõ quòd figmentum neceſſarium ſit; ſed vſq; quò opus, quod principale eſt, expleatur. Cùm autem fuerit effectum *Lex typus.* opus, propter quod figmentum luti fuerat formatum, vlus eius vltrà non quæritur. Tale aliquid intellige, etia in ijs,quæ in typo & figura futurorum in Lege vel ſcripta vel geſta ſunt. Venit enim ipſe Artifex, & auctor omnium,& Legem,quæ vmbram habebat futurorum bonorũ,trãſtulit ad ipſam imaginem rerum. Deleta eſt terrena Ieruſalẽ, vbi cœleſtis apparuit, in templo non remanſit lapis ſuper lapidem,ex quo verum templum Dei,facta eſt caro Chriſti. Ex quo venit verus Pontifex Chriſtus, nuſquam eſt ille Pontifex prior,venit verus Agnus,qui ſe ipſum obtulit hoſtiam Deo, cuncta illa antiqua ſacrificia velut pro tempore poſita ceſſauerũt. Veluti formæ fuerunt, è luto fictæ, per quas veritatis exprimebantur imagines. Propterea diuina diſpenſatio procurauit,vt & ciuitas ipſa,& templũ, & omnia illa, pariter ſubuerterentur, ne qui fortè adhuc paruulus, & lactens in fide, ſi videret illa conſtare, dum ſacrificiorum ritum,dum miniſteriorum ordinem ſtuperet, ipſo diuerſarum formarum raperetur intuitu. Sed prouidens Deus infirmitati noſtræ, & volens multiplicari Eccleſiam ſuam, omnia illa ſubuerti fecit,& penitus auferri,vt ſine vlla cunctatione, illis ceſſantibus, hæc vera eſſe, pro quibus in illis typus præceſſerat,crederemus. Hæc Origenes.

Lege D.Cyrillum Alexandrinum, in Dialogo de *D.Cyrillus.* Adoratione, & Cultu in Spiritu, & veritate; libr. 1. Cùm (inquit) Chriſtus ſe veniſſe dicat,non vt ſoluat legem, ſed potius vt perficiat, noli putare ſubuerſionem eorum, quæ olim ſancita ſunt, euerſionem,ſed veluti reformationẽ eſſe factam,& eorum, quæ in figuris adumbrata erãt,vt ita dicam,recuſionem ad expreſſiorem formã veritatis. Ac tale quiddam à Chriſto fieri oportuit. Qui in tabulis picturiſque artificium exercent, non ſtatim ac pingere incipiunt,eam ſpeciem picturis inducunt, cui nihil deſit,& quæ ex omni parte perfecta ſit, ſed ſimpliciori prius, ac minus venuſto colore, illas adumbrant,& longe obſcuriores antea figuras,quam fortaſſe velint,oculis exponunt. Denique vmbris illis illinunt colorem cuique decentiſſimum, ac maxime congruum, ita vt diores illæ figuræ, ac perſpicuam ac longe præſtantiorem, quam antea fuerat, ſpeciem tranſeunt. Iam verò qui ex ære fingendi artem profitentur, ſi forte ſtatuam efficere velint, de cera priùs tenuem formam educũt, deinde igne illam abſumentes, colliquefactum æs infundunt, atque ita ad abſolutã formam atq; pulchritudinem

opus

opus perducunt. Igitur cùm fuerit vmbris illis superinducta colorum varietas, atq; illas è cera figuras, æs absumserit, videri posset priores illas formas improbatas, atq; euersas esse. Id verò secus est: Nam & faber ęrarius, & pictor verè dixerint. Nos quidem minime destruximus vmbras, neque ita rudes illas figuras abiecimus, vt inutiles omnino sint, sed potius impleuimus. Quod enim in vmbris adhuc atque figuris obscurius, ac minus venustũ videbatur, id ad illustriorem formam peruenit. Hæc Cyrillus.

Et lib. 9. aduersus Iulianum. Constituit, ait, Deus, quæ per Mosem tradita sunt in vmbris & figuris, vt essent congrua doctrina mẽtibus discipulorũ, non vt semper crassis illis inhęrerẽt, & spiritali ac mentali cultu excideret. Sed in vmbris accepta veriorũ præmonstratione, scirent prouehi ad meliora, & pulcherrime ac scienter in viam veræ vitæ transirent. Etenim sicut ij, qui artẽ ęrariam benè norunt, liquefacta cera præmonstrant futurorum figuras, non vt ars vlteriùs non progrediatur, sed vt in illis eorum, quæ nondum facta sunt, præluceat pulchritudo. Vbi igitur ille artifex opus perfecerit, si figuras è medio tollat, nõ condẽnabitur. Sic postquàm illuxit Christus, qui est veritas, & ipsius cultus introductus est, figurarũ imbecillitatẽ meritò despiciamus. Imagines enim erant spiritalium. Hęc ille.

Denique quemadmodum Deus primò ligneum tabernaculum fundamentis carens atque mobile à Mose, deinde lapideum, aureúmque templum firmissimis fundamẽtis impositum, atq; permanens, à Salomone construi voluit: sic legem priùs dignitate inferiorem, & mobilem condidit, atque abrogandam, nouam posteà multò præstantiorem sanciuit stabilem, atque perpetuam. Etenim totum Iudæorum Regnum, Lex, & Respubl. mobilis erat, & à Messiæ aduentu, potestateque pendebat, quod ostendũt verba illa: *Prophetam suscitabo eis de medio fratrum suorum, similem tui, & ponam verba mea in ore eius, loquetúrque ad eos omnia, quæ præcepero illi: qui autem verba eius, quæ loquetur in nomine meo, audire noluerit, ego vltor existam.* Ex aduentu ergo & dictis Messiæ Summi Prophetæ, Iudæorum status suspensus fuit, si legem ille retineri, retinenda; sin mutari iussisset, mutanda erat. Quia ergo iam venit, mutariq; legem iussit, ipsis Iudæis inuitis, ac repugnantibus, mutata est.

Iudæorũ status mobilis & à Christo pendebat. Deus. 28.

Meritò verò atque optimo iure est mutata, tum ob alias rationes, quas li. 1 cap. 11. reddidimus, tum quia si lex vetus vigeret, Iudaicíque ritus à Christi populo seruarentur, nõ Christi populus, sed Mosis, non Christianus, sed Iudaicus videretur. Quis enim Iudæos non appellaret, quos circumcidi, à porcina carne abstinere, Sabbata colere, tauros, & hircos immolare, ad Ierosolymitanum templum ter singulis annis cõfluere, cætera{que} Mosaicæ legis præcepta obseruare cerneret? Cumque Moysis præcepta plurima, Christi sint paucissima, si miscerentur, plurima Mosis eminerent, pauciſſima Christi, etsi maxima, in tanta cæterorum multitudine lateret. Oportuit ergo vt Christianus populus à Iudaico esset diuisus, vt Christi mandata præcellerent, vt Christi gloria suo in populo esset conspicua: Iudaicam legem sepeliri, aliosque ritus, aliam institui legem, quæ Christiana à Christo diceretur, illiúsque gloriam sine alterius legis permixtione cũctis nationibus prædicaret. Præterea, vnum populum illis præceptis obstringi æquum fuit, vniuersum verò terrarum orbem ad circumcisionem, Iudaicósque ritus compellere, non visum est Deo rationi consentaneum. Abrogata ergo lex est meritò, neque vires habet.

Cur abrogata lex.

Malach. 4.

Futile verò est argumentum Iudæorum ex Malachia depromptum, quo non abrogatam confirmant: *Memento* (inquit Deus) *legis Mosis serui mei.* &c. cùm de tempore iudicij loqueretur, ergo ad tẽpus vsq; iudicij lex permanebit. Plumbeus gladius hic est. Nam Iudæis Iudaicam legem commendat sermo diuinus, antequã rescinderetur. Locũ illi afferant, in quo post abrogationẽ, ab aliquo Propheta eam iussi sint obseruare, nihil enim mirum, si quo tempore habebat robur, illius temporis Iudæis dicatur: *Mementote legis Mosis*, cùm de iudicio sermo sit, quia Iudæi illi, si legem Mosis non obseruassent, grauissimas in iudicio pœnas soluissent. Obseruat etiam Paulus Burgensis non dixisse Deum: Seruate Legem Mosis, sed Mementote legis. Etenim legis obseruatio ad tempus solum spectat, quo rata fuit, memoria verò ad tempus etiam, quo est abrogata, pertinet. *Soluitur argumentum.*

Quamuis ergo Legis obseruationem reiiciamus, memoriã complectimur. Legem à Deo datam veneramur, legimus, euoluimus, scrutamur, nõ vt seruemus, sed vt Messiam in eius typis, veluti speculis intueamur. Vt enim qui in speculo (ait D. Cyrillus in Dialogo de Adoratione libro primo) contemplantur, imaginem & figuram rei veræ vident, non ipsam rem, sic qui Christianæ conuersationis pulchritudinem videre desiderant, si lege tanqua speculo vtantur, optimè quod cupiunt assequentur, ipsam enim rerum imaginem, ad veritatem transferendo, liquidò perspiciẽt, quid Deo acceptum, gratumque sit, &c. Obseruatio viuæ legis est, memoria ad mortuam quoq; pertingit, mortuorum quoque meminimus, etsi mortua lex sit, memoriam tamen illius habere oportet, quæ Christo Opt. Max. viam muniuit, & diuinũ testimonium perhibuit. Obseruatio præsentis est, memoria absentis: Mementote itaque Iudæi legis Mosis, sed non tanquam præsentis, non tanquam ratæ, & vim habẽtis, sed tanquam absentis, id est, tanquam abrogatæ, & omni robore carentis. Abest enim à vobis, quia irritam illam Deus fecit, atque rescidit. *D. Cyrillus.*

Addamus alia argumẽta. In primis illud Christi. *Non veni soluere legem aut Prophetas, sed adimplere: Amen quippe dico vobis, donec transeat cœlum, & terra, Iota vnum, aut vnus apex non præteribit à Lege, donec omnia fiant.* Ecce Christus affirmat se non venisse ad dissoluendam legem, ipsius verò etiam apices opere præstandos docet, donec transeat cœlum, & terra. Ait item se venisse ad implendam legem: tunc autem dicitur res impleri, cũ aliquod quod deerat additamẽtum, ipsa eadem permanẽs, & non destructa recipit, ergo lex vetus eadem permanens, nec abrogata, nouæ recepit additamentum. Præter hæc adiungit: *Qui ergo soluerit vnum de mandatis istis minimis, & docuerit sic homines, minimus vocabitur in Regno cœlorum: qui autem fecerit, & docuerit, hic magnus vocabitur in Regno cœlorum.* *Alia argumenta ex Euangelio proponũtur, & soluuntur. Matth. 5.*

Mandata hæc quæ minima appellantur, legis veteris mandata sunt, de ijs enim Christus loquebatur, vt illatio ostendit, & verborum flagitat contextus. Ergo qui legis veteris mandata seruarit, & seruanda docuerit, magnus erit in Regno cœlorum. *Matth. 24.* Deinde Christus, *Orate*, inquit, *vt non fiat fuga vestra in hyeme, vel Sabbato*, &c. Rogo, cur hortetur ad orãdum ne fuga fiat Sabbato, Ierosolymorum excidio imminente? Respõdet D. Hieronymus: Orare debent, ne fuga eorum hyeme, vel Sabbato fiat, quia in hyeme duritia frigoris prohibet ad solitudines pergere, & in montibus, desertísque latitare. in Sabbato, aut trasgressio legis est, si fugere voluerint; aut mors imminens, si remãserint. Efficitur ergo ex ijs Christi verbis, discipulos, quo tempore Ierusalem à Romanis euersa est, Sabbati, atque adeò legis religione fuisse obstrictos, alioqui fugæ nullum afferret impedimentum Sabbati obseruatio. Præterea Paulus *D. Hieron.*

affir-

affirmat ſe legem non deſtruere, ſed ſtatuere, ergo lex ſtabilita, eſt non abrogata. *Legem*, inquit, *deſtruimus per fidem? abſit. Sed Legem ſtatuimus.* *Rom. 3.*

Verum ſtabili fundamento impoſita veritas, nec mutari poteſt, nec mutare. Abrogata lex Moſis obſtringit neminem. Primus locus ex Matth. probat quidem Chriſtum legem ſeruaſſe ad mortem vſque, ſed non probat eam cõfirmaſſe, ratámve poſt mortem habuiſſe. *Non veni*, inquit, *ſoluere legem, ſed adimplere*, quia non ſoluit legẽ, ſed obſeruauit. Neq; ſolùm obſeruauit, ſed etiam impleuit, quippe qui legis fuerit plenitudo, atque idcirco ſemetipſum exinanierit, vt legem cumulatiſſime compleret. Vacui erant omnes legis typi, vacuæ promiſſiones, vacua Prophetarum vaticinia, ipſa lex gratia ſpiritúque carebat. *Matth. 5.* *Quomodo Chriſtus legem impleuit.*

Cùm venit plenitudo temporis, venit quoque plenitudo legis, miſit Deus Filium ſuũ factum ex muliere, factum ſub lege, vt eos, qui ſub lege erant, redimeret, Prophetarum vaticinia, legis typos, & promiſſa impleret, gratiá ſpiritumque largiretur, Decalogo perfectionem vltimam adderet. Decalogum enim Chriſtus impleuit, addendo ac perficiendo, vt perſpicuum eſt ex capite 5. Matthæi, permanetque in lege noua ſanctiſſimis additamentis illuſtratus. Cetera vmbras continentia impleuit, quæ adumbrabant præſtando, ideoque abrogata ſunt, quia vmbræ à Sole illuminatæ euaneſcunt.

Euaneſcit quoque argumentum ex verbo Impleo ſumptum, quo probatum eſt legem non eſſe abrogatam, ſed nouis additamentis auctam. Quæcumque, inquit Theophylactus, lex adumbrauit, Chriſtus perfectè depinxit. illa dixit: Ne occidas. Chriſtus dixit: Ne temere iraſcaris: ſicut & pictor non corrumpit lineamenta prima, ſed magis illuſtrat & adimplet. Illud autem quod ſequitur: *Donec tranſeat cælum & terra, Iota vnum, aut vnus apex non præteribit à lege, donec omnia fiant*, de typis intelligendum eſt, quemadmodum & illud: *Facilius eſt cælum & terram præterire, quàm de lege vnum apicem cadere.* Nihil enim typorum incaſſum abiit, omnes legis vmbræ a Chriſto ſunt illuminatæ, omnes figuræ ad veritatem perductæ. *Lex enim per Moſem data eſt, gratia & veritas per Ieſum Chriſtum facta eſt.* In lege veritatis figuratio eſt, poſtea autem refulſit veritas, vt dixit D. Cyrillus lib. 8. contra Iulianum. *Theophyl.* *Luca 10.* *Ioan. 1.* *D. Cyril.*

Quod verò obiicitur: Chriſtum præcepta legis minima appellare, eaque docenda & ſeruanda præcipere, concedi poteſt, ſi de eo tempore ſolùm intelligatur obſeruatio, quo vim lex habuit; de reliquo neganius.

Verumtamen de præceptis legis nouæ locum multi explanant. Vter ſenſus ſit verior, & totius huius loci enarrrationem quære ſuo loco. Obiectioni de ſabbato excitatæ reſpondemus, Chriſtum locutum more Iudaico, ad indicanda illius temporis pericula. More autem Iudaico ſabbatum ita colebatur, vt fas non eſſet, longum iter ea die facere. Incommodum ergo tempus ad fugiendum, nomine ſabbati, voluit patria phraſi ſignificare, quamuis Chriſtiani nulla illius religione obſtringerentur. Adde Chriſtum non de Chriſtianis ſolum, ſed de reliquis etiam Iudæis qui ſabbatum colebant, eſſe locutum.

Pauli verba legem non ita ſtatuunt, vt obſeruari debeat. Legem, inquit, non deſtruimus tamquam impiam, ſed ſtatuimus, id eſt, confirmamus ipſam bonam eſſe, à Deo datam, nec fidei contrariam, immo quamdam ad fidem præmunitionem. Vel, Legem ſtatuimus, id eſt, perficimus, cùm fidem, & gratiam Chriſti, legis perfectricem prædicamus. Vel, Legẽ ſtatuimus, quod ad legis attinet medullam, id eſt, Decalogum confirmamus, & per gratiam corroboramus, in illum namque nulla cadit abrogatio.

Aliter, non deſtruimus omnẽ legem per fidem, ita vt ſine lege viuamus, qui Chriſto nomina dedimus, ſed legem alterã nouam ſtatuimus atque ſtabilimus, cuius mandatis pareamus. *Ego per legem, legi mortuus ſum, vt Deo viuam*, &c. Quaſi dicat, Etſi legi veteri ſim mortuus, tamen non ſine lege viuo, per legem enim nouam, legi veteri ſum mortuus. *Gal. 2.*

LIBER TERTIVS.

MESSIAM VENISSE CONFIRMATVR IN PRIMIS EX ABLATIONE SCEPTRI IVDAICI GENESEOS XLIX.

CAPVT PRIMVM.

NOTISSIMA in re primum ſignum aduentus Meſſiæ poſitum eſt, videlicet in ipſo Iudaico Sceptro. Quid notius Iudæis Sceptro, quo gubernantur? quid Regum ſplendore clarius? quid moderatorum Reipub. honore manifeſtius? In hac Sceptri clariſſima luce ſignum habent, Meſſiæ aduẽtus clariſſimũ. Enimverò prędictum eſt à Iacob Patriarcha, Iudaici Sceptri fulgorem, donec Meſſias veniret, non exſtinguendum. Cùm ergo iam diu exſtinctum cernant, ſequitur tamen Meſſiam iam pridem veniſſe. A

Si Deus fulgentiſſimam facem præcelſa è turri oſtentaſſet, tum affirmaſſet non exſtinguendam, donec veniret Meſſias, qui cæcus non eſſet, exſtinctamque videret, nónne protinus colligeret Meſſiam iam veniſſe? Præcelſa è turri, id eſt, Iudæa, fulgens Iudæorum Sceptrum Deus veluti facem extulit, cui non malè illud accommodari poteſt; *Paraui lucernam Chriſto meo*, affirmauit deinde non abolendum, donec Meſſias adeſſet, abolitũ vident Iudæi: cur igitur Meſſiam iam veniſſe negant? Equidem exſtinctam lucernam, ablatum Sceptrum, inficiari non poſſunt: niſi velint ad fabulam confugere, *In Sceptro Iudæorũ poſuit Deus ſignũ Meſsiæ aduentus.* *Pſal. 131.*

gere, quæ in montibus Hala & Habor, vel potius in Vtopia, id est, nullibi, Rempubl. quandam commenta est, in qua Reges de tribu Iuda habeāt principatum. Ad eam verò, die dumtaxat sabbati transiri posse fingit, duabus ingentis magnitudinis arboribus mutuo complexu, per fretum iter præbentibus, quod inter præaltos illos montes, terrarumque continentem interiacet, ne quis accensam adhuc facem videre, & Regum horum statum sabbati religione ab itinere prohibitus, audeat explorare. Rabbi Moses Ægyptius apud Burgensem 1. parte Scrutinij dict. 3. ait, capita transmigrationis, quæ sunt Babylone, locum Regis obtinere.

Rabbi Moses.

Sed fabulę faceſſant, extinctam facem, euersum Iudæorum regnum, ipsi cæci vident; idque probatur ex Osea: *Dies*, inquit, *multos sedebunt filij Israel, sine Rege & sine Principe*, &c. Quod vaticinium de hac Iudæorum captiuitate intelligitur. Nunc igitur sedent Iudæi sine Rege & sine Principe. Hoc autem aduentus Messiæ certissimum argumentum esse, verba illa probant, quæ, cùm extremum traheret spiritum, magnus Patriarcha fecit.

Osea 3.

Gen. 43.

Non auferetur (ait Iacob) *Sceptrum de Iuda, & dux de femore eius, donec veniat qui mittendus est, & ipse erit expectatio gentium.* Chaldaica Paraphrasis sic habet: Non auferetur qui facit potestate, de domo Iuda, & Scriba de filijs filiorum eius, vsque in sæculum, donec veniat Messias, cuius Regnum, & ei obediet populi. Septuaginta interpretes ad hunc modum: Non deficiet princeps ex Iuda, & Dux ex femoribus eius, donec veniat, quæ reposita sunt ei. Id est, donec veniant summa Messiæ bona, quæ Iudæ tribui sunt reseruata, ex tribu enim Iuda Christus ortus est, illa que potissimum cum Christus venit, decem tribubus in captiuitatem abductis Iudæam colebat. Sic legit D. August. libr. 12. contra Faustum capit. 42. & lib. 16. de Ciuit. cap. 41. D. Cyprianus lib. 1. ad aduersus Iudæos, Chrys. Cyrillus, Clemes Alex. & Eusebius.

Iacob vaticinium.

D. August. Cyprian. Chrysost. Cyril. Euseb. Clem. Alex.

In alijs codicibus legitur, ὧ ἀπόκειται, id est, cui repositu est. quam lectionem sequitur D. Ignatius, D. Irenæus, Ambrosius, & alij. D. Hieronymus in Ezechielem cap. 21. hoc pacto illam interpretatur, Christus inquit, est, cui repositum est Imperium & Sacerdotium sempiternum, de quo loquebatur Iacob: Non deficiet princeps ex Iuda, neque dux de femore eius, donec veniat, cui repositum est, & ipse erit expectatio gentium. hæc Hieronymus. Diuiserunt Septuaginta interpretes dictionem hebræam, שילה Silo in duas particulas, Se. id est, quod, & Lo, id est, ei: Donec veniat quod ei, sic licet, repositum est, vel Donec veniat cui repositum est, id est, ille, cui repositum est regnu, vt Origenes exponit li. 4. Periarchon, & D. Cyrillus contra Iulianum lib. 8. Non per vnu, inquit, Prophetarum accersitæ sunt gentes, neque etiam per Mosem, vel per aliquem alium, sed Christo potius repositu fuit, vt imperaret, non iam soli Iudææ, sed etiam omnibus gentibus, &c. Compertu ergo est ex his verbis, non fuisse auferendum Sceptrum ex Iuda, & Ducem de femore eius, donec Messias veniret. At verò ablatum iam Sceptrum est, & dux de femore Iudæ, vt res ipsæ loquuntur, ergo iam Messias venit. Constrictos argumento Iudæos tenemus, vtinam veritatem oculis irradiantem agnoscere velint.

D. Hieron.

Orig. Cyril.

Galatinus. Abulens.

Sed ô populum infelicem, qui oculos veritati occlusit, falsitatisque laqueis maluit, quàm veris argumentis obstringi. Ad hebræam vocem effugiunt, sic enim hebraice legitur עד כי יבא שילה gud ci iabo Siloh, id est, donec veniet Messias. Quidam ergo, vt scribit Galatinus lib. 4. cap. 4. & Abulensis Genes. 49. nomen Hebræum Siloh pro oppido Silo accipiendum aiunt, in quo fuit Tabernaculum, & Arca fœderis: Vaticinium verò de Saule intelligendum volunt, qui Rex fuerit vnctus in Siloh, Sceptrumque transtulerit ex tribu Iuda in tribum Beniamin, ex qua oriundus erat. Sed tribus rationibus hæc interpretatio euertitur, Prima est, quia verba vaticinij illi non cōsentiunt: neq; enim dixit Iacob: Non auferetur Sceptrum donec veniat aliquis vngendus in Silo, sed Donec veniat ipse Siloh. Secūda, quia Saul non est creatus Rex in Silo, sed in Maspha, & in Galgala: vnctus autem à Samuele olei lenticula in Ramatha. Arca autē fœderis tum temporis non in Silo erat, sed in Cariathiarim Tertia, quia Saulis tempore non est ablatum Sceptrum à Iuda, quin potius, eo occiso tribui Iudæ traditum, nempe Dauidi eiusque posteris, qui ex tribu Iudæ trahebant originem.

Iudæorū interpretationes friuolæ. 1. Reg. 10. 1. Reg. 11. 1. Reg. 10. 1. Reg. 7.

Aliud igitur effugium Iudæi inuenerūt: De Rege Ieroboam quidam vaticinium exposuere quem aiunt in Silo coronatum, à tribu Iuda in tribum Ephraim, e qua genus ducebat, Sceptrum trāstulisse, decem enim tribus a Regibus Iuda, ad Ieroboam defecerunt. At cæcutientium hoc est effugium, qui quà effugiant non vident.

3. Reg. 12.

Nam Ieroboam non est creatus Rex in Silo, sed in Sichē, vt colligitur ex 3. Reg. 12. deinde Ieroboam non abstulit regnu regibus Iuda, quamuis enim decem tribus illum secutæ fuerint, reges tamen è tribu Iuda ad captiuitatem vsq; Babylonicam Reipubl. clauum tenuere. Præterea, vt iam suprà diximus, non habetur in vaticinio, Non auferetur Sceptrum, donec aliquis veniat in Silo, sed Donec veniat Silo.

Hoc effugio depulsi, ad maximum Iudaïci nominis hostem Nabuchodonosorem sese recipiunt, aiuntque nonnulli locum de Nabuchodonosore interpretandum, qui ad delendos Iudæos missus est, Sceptrumque Iudæ abstulit. hæc interpretatio placuisse videtur Apostatæ Iuliano, vt colliges ex 8. li. Diui Cyrilli contra Iulianum. At non vident Iudæi cum Apostata Iuliano, Sceptrum Iudæ non esse ablatum à Nabuchodonosore, cum post captiuitatem Babylonicā Principes e Tribu Iuda, vt Zorobabel, & alij, Reipubl. Israeliticæ gubernacula tractarint. Præterea, nec de hoste, Iudæorumque euersore Nabuchodonosore, sed de Messia Iacob vaticinabatur, vt Chaldæus Paraphrastes docet, nec Nabuchodonosor Siloh dici potest. id est, missus, siue mittēdus, per Antonomasiam, sic enim hoc loco nomē missus, siue mittēdus, intelligendum est, per excellentiam vsurpatum, quia sine vllo additamento ponitur. quasi dicat Iacob: Non auferetur Sceptrum, donec veniat ille mittendus per Antonomasiam, ille desideratus, ille longo desiderio optatus, illa expectatio gentium, ideo que subiecit: Et ipse erit expectatio gentium, ijs adde quæ sequuntur, non Nabuchodonosori, sed Christo cōuenire. lauabit in vino stolam suam, & in sanguine vuæ pallium suum, &c. quibus verbis passio Messiæ ænigmatice adumbratur, vt alio loco explicamus.

D. Cyril.

Quid Sanctissimo Patriarchæ cum impio Nabuchodonosore, vt de illo in extremo halitu vaticinia ederet, populi que sui, & Iudæ, quem laudabat euersorem, missum à Deo, & gentium expectationem appellaret? Aliæ erant sanctissimi Iacobi cogitationes, alia suspiria, ô Hebræi: de mundi ille redēptore, non de euersore, de Misso à Patre ad seruandos Iudæos, non de impulso à superba dominandi cupiditate ad trucidandos, de optatissimo redemptore, non de formidabili atque excrando oppressore, de Rege cœli, non de Rege Babylonis, de Messia, non de Nabuchodonosore cogitabat.

Messiam suspirabat, Messiam loquebatur, Messiam

ſiam expectabat, vnde illud ex imo pectore votum: *Salutare tuum expectabo Domine*, quæ verba ſic explanat præclare Chaldęus Paraphraſtes: Salutare tuum expecto Domine, dixit Pater noſter Iacob, non expecto ſalutare Gedeonis filij Ioas; quę eſt ſalus temporalis, neque ſalutare Samſonis filij Manue, quæ eſt ſalus tranſitoria: ſed expecto redemptionem Meſſiæ filij Dauid, qui venturus eſt ad accerſendum ſibi filios Iſraël, cuius redemptionem deſiderat anima mea. Hæc ille. Ex quibus eſt compertum, tum Sancti Patriarchæ deſideria Meſſiam ſpectaſſe, tum Meſſiæ ſalutem non eſſe temporariam, belloque partam, ſed ęternam, ſanguine effuſo comparatam.

Chaldæus Paraphr.

Herodē quidā Meſsiam eſſe putauerunt. Epiphan. hæreſi 20.

Quemadmodum hi ad Nabuchodonoſorem, ſic alij ad Herodē vaticinium retulere, eumque Meſſiam eſſe aſſeruere, vt docet Diuus Epiphanius vnde Herodiani ſunt appellati. Herodiani (ait Epiphanius,) Herodem putabāt Chriſtum, qui in omnibus Scripturis, legeque, & Prophetis expectatur. Et ob id ipſum decepti Herodem iactabant, inducti ex dicto illo *non deficiet princeps ex Iuda, neque dux ex femoribus ipſius, donec veniat cui reſeruatur*, &c. Hieronymus quoque aduerſus Luciferianos, cap. 8. Tertullianus de præſcriptionibus capit. 45. & D. Damaſc. in libro de hæreſibus, Herodianos ſcribunt, putaſſe Herodem eſſe Meſſiam. Abſurdus adeò hic error eſt, vt refutatione nulla indigeat. Sicuti, & alius Ioſephi error qui Sacrarum literarum oraculo hoc, ſiue ſimili, Veſpaſiani Imperium deſignatum fuiſſe ſcripſit libro 7. de bello, capite 12. Quod maxime (inquit) Iudæos ad bellum excitauerat, reſponſum erat ambiguum itidem in Sacris libris inuentum, quòd eo tempore, quidam eſſet ex eorum finibus, orbis terræ imperiū habiturus. Id enim illi quidem quaſi proprium acceperunt, multique ſapientes interpretatione decepti ſunt. hoc autem planè reſponſo Veſpaſiani deſignabatur imperiū, qui apud Iudęam creatus eſt Imperator. Falſo de Veſpaſiano Ioſephus verè de Chriſto Hegeſippus interpretatur libro 5. capite 44. In literis, inquit, vetuſtis, quas Sacras vocat, manebat impreſſum, quod ſecundùm illud tēpus futurus eſſet vir, qui de regione Iudæorum imperium aſſumeret in orbem terrarum. Quę res Iudæos in tāto furore poſuit, vt ſibi non ſolùm libertatem ſed etiam regnum pollicerentur. Id ad Veſpaſianum referendum putarunt, prudentiores ad Dominum Ieſum, &c.

Gen. 49. D Hieron. Tertul. D. Damaſc.

Ioſephus Veſpaſiano oraculū tribuit.

Hegeſippus.

Præter has interpretationes, alias legi Iudęorum friuolas & nugatorias verſiones quæ verba vaticinij deprauāt. Prima eſt. Non accedet Sceptrum ad Iudam, donec occumbat, ſiue cadat Siloh, id eſt, non tradetur ſceptrum tribui Iudæ donec Silo locus, in quo arca fœderis collocabitur, cadat, iuxta illud, *Repulit Tabernaculum Ioſeph, & tribum Ephraim non elegit, ſed elegit Tribum Iuda*, & paulò ante dixerat: *Repulit Tabernaculum Silo*. Nititur hæc deprauatio ſignificationibus Hebręorum verborum ישך Saſur, & יבא Sabo, nam סור Sur declinare ſignificat, vnde Loth ſic Angelos alloquitur: Suru na el beth gabdecem, id eſt, *declinate obſecro in domum pueri veſtri*

Verſiones Iudæorum nugatoriæ.

Pſal. 77.

Gen. 19.

Sabo verò ſignificat venire, & occidere, cum dicitur de Sole occumbente, Lo Sabo, id eſt, *non occidet* ſcil. Sol tuus. Quod igitur alij interpretantur, Lo Saſur, id eſt, non auferetur, & Gad ci Sabo, id eſt, donec veniat, vertitur Non declinabit, vel non accedet, donec occidat. Sed hebræas literas videtur ignorare, qui hanc interpretationē commentus eſt. nam verbum סור Sur, cùm accedere ſignificat, coniungitur cū præpoſione hebræa, אל el, id eſt, ad, cùm verò ſignificat, recedere, cum prępoſitione מן min, id eſt, à, copulatur. quemadmodum apud Latinos verbum declino. dicimus enim declino ad te, id eſt, accedo, & declino à te, id eſt, recedo. Hoc autem loco cum hac ſecunda præpoſitione, min, connectitur, vnde efficitur, vt nullo modo verti poſſit, non accedet Sceptrum ad Iudam, ſed vertendum omnino ſit, nō recedet, vel nō auferetur Sceptrum à Iuda.

Isai. 6.

Præterea Arca tranſlata eſt ex Silo, ceciditque locus ille à dignitate, quam ab ea acceperat, longo tempore antequam Sceptum Tribui Iudę traderetur: Ergo falſa eſt interpretatio. Adde Silo loco, quo Arca locaca fuit, minime congruere illud, quod ſequitur: *Ipſe erit expectatio gentium*, gentes enim Silo non expectarunt.

Secunda. *Non auferetur Sceptrū de Iuda, & dux de femore eius in æternum*, quia veniet Meſſias. duæ particulæ עך-כי Gad-Ci, quæ coniunctim vno ſpiritu ſignificāt vſquequò, vel donec, ſeparātur hoc pacto, Gad, id eſt, in æternum, Ci quia. At qui nec ſeparārunt Septuaginta interpretes, nec Chaldæus, nec in Scriptura diuina ſeparatas oſtendent Iudęi, ſemper enim coniunguntur, & ſignificant donec. Præterea hæc quoque verſio Meſſiam veniſſe cōfirmat, illius enim ſenſus huiuſmodi eſt. Non auferetur Sceptrum ex Iuda, ſed in hac Tribu perpetuabitur in æternum, quia veniet Meſſias ex Tribu Iuda Rex æternus, qui Imperium in tribu Iuda perpetuet. Videmus autem Sceptrum ex Tribu Iuda ablatum, ergo iam venit Meſſias, qui illud perpetuat.

Similis farinæ eſt tertia deprauatio: Non auferetur, vel recedet Tribus de Iuda, & dux de femore eius, donec veniat Meſſias. Sic autem vertitur, eo quòd dictio hebræa שבט ſebet, quam virgam, ſiue Sceptrum interpretamur, non ſolùm Sceptrum ſignificet, ſed etiam Tribum. Hæc porrò verſio Meſſiam quoque veniſſe cōfirmat. Etenim ablata iam eſt Iudæ tribus, & dux de femore eius, ex terra repromiſſionis: Ergo iam Meſſias venit. Præterea, neſcio qui de Sceptro tyrannorū vaticinium intelligendum putarunt, in hāc ſententiam: Non auferetur Sceptrum tyrannorum de Suda, donec veniat Meſſias. At perſpicuum commentum eſt, tum quia multorum annorum ſpatio poſt obitū Iacob, tribus Suda principatum obtinuit, & ab omni tyrannorum principatu libera fuit, tùm quia Iacob de Sceptro tyrannico non loquitur, ſed de Sceptro Iudaico, vt verba plane oſtēdunt: *Non auferetur Sceptrum de Iuda, & dux de femore eius*, &c.

Denique additamēto, vaticinij ſenſum ſic Iudæi corrumpunt: Non auferetur ſceptrum de tribu Iuda, interpretantur, vt detur alteri tribui, donec veniat Meſsias. quoquò ſe vertant, nullum reperient effugium. Quis cæcus nō videat hanc appendicem falſam eſſe, & à vaticinio longè abhorrere? quid? Auferetur ſceptrum vt detur alienigenis, non auferetur vt detur alteri tribui? Nouum Prophetam eſſe oportebat, qui nouum vaticinium veteri adderet, at nihil minus quàm Prophetæ ſunt Iudæi. Verus ergo ſenſus eſt, quem iam propoſuimus. Non auferetur imperium, & principatus à Iuda, donec veniat Meſsias. Ablatum principatum inficiari nequeunt Iudæi, ergo fateantur neceſſe eſt, Meſsiā iā veniſſe.

CAPVT III.

Quonam tempore ablatum ſit ſceptrum Iudæ.

ABLATVM eſſe à tribu Iuda ſceptrum, atque adeò Meſsiam veniſſe Orbis clamat, quonam tempore, & à quonam Rege ablatum ſit, inueſtigandum reſtat. Communis ſententia fert Herodis primi

primi tempore, ab eodem Rege ablatum. Ea vero non caret difficultate. Refellitur enim in primis; quod multo ante Herodem, ij principes, qui ſceptrum tenuere, non ex tribu Iuda, ſed ex aliis tribubus fuerint oriundi. Ergo multo ante Herodem à tribu Iuda ſceptrum eſt ablatum. Etenim quamuis à Dauide vſque ad Zorobabelem, ex tribu Iuda principes extiterint, attamē à Zorobabele vſque ad Chriſtum, ex alijs tribubus gubernatores ad clauū Reipub. ſediſſe videntur: Machabæi videlicet, qui cùm Sacerdotes fuerint, tribui Leuiticæ ſunt aſſignandi. Idque confirmatur ex Ioſepho, qui ait principes Iudęorū poſt reditū à captiuitate Babylonica fuiſſe Pontifices, ex tribu Leuitica. Penes Pontifices inquit, fuit ſumma autoritas, donec Aſamonęorū, id eſt, Machabęorum genus regnum obtinuit. Præterea, Chriſtus natus eſt, atque adeò Meſsias venit in Orbem anno Herodis 33. vt D. Epiphanius teſtatur hæreſi vigeſima; ergo ſi Herodes ſceptrum abſtulit, antequam Meſsias veniret, id eſt, oriretur, illud abſtulit, quod vaticinio repugnat. Non auferetur ſceptrum donec veniat.

Ioſephus lib. 11. Antiq. cap. 4.

Reſpondemus nihilominus ſceptrum, id eſt, Iudaicæ Reipubl. adminiſtrationem, tribui Iudæ fuiſſe ablatam ab Herode, eo tempore, quo venit Meſsias, vſque ad Herodem verò, gubernatores ex eadem tribu Iuda Reipub. gubernacula tractaſſe. Porrò Iacob de tempore Iudicum non loquitur, nondum enim tunc temporis traditum erat ſceptrum tribui Iudę. Etenim iudices vſque ad Regem Saulē ex varijs tribubus fuere. Ioſuë ex tribu Ephraim, Iephte, & Gedeon, ex tribu Manaſſe, Barach ex tribu Nephtalim, Samſon ex tribu Dan, Heli, & Samuel ex tribu Leui, Saul Rex ex tribu Benjamin. Saule occiſo traditum eſt ſceptrum tribui Iudæ, ex qua Dauid, eiuſque poſteri ad captiuitatem vſque Babylonicam regnarunt.

Ablatum ſceptrum ab Herode.

Nō eſt ablatum ſceptrū in Babylonica captiuitate.

In Babylonica captiuitate ablatum ſceptrum voluit impius Apoſtata Iulianus. Ablatum quidem eſt, ſed non penitus, poſt aliquot enim annos redeuntibus in Palæſtinā Hebręis, rediit & ſceptrum Iudę, Zorobabele è tribu Iuda principe Rempub. adminiſtrante. Zorobabelem autem (vt placet D. Cyrillo lib. 8. contra Iulianum) poſteri ſecuti ſunt, vſque ad Herodem: Quomodo ceſſaſſe dicit Iulianus (ait Cyrillus) regnum Dauidis in Sedechia, cum Zorobabel poſt captiuitatis tēpus, in Regni ſolio conſederit, fueritque de tribu Iuda, tranſmiſſumq; ſit per poſteros illius ſceptrum, vſque ad regnū Herodis, qui ex matre quidem fuit Iudęa, ex patre alienigena? tum vbi defecerunt de tribu Iuda, qui principatum gererent, natus eſt Chriſtus. Hęc D. Cyrillus.

D. Cyrillus.

D. Hieron.

Item D. Hieronymus Sophonię primo: Vſque ad illud, inquit, tempus aduentus Chriſti, perſeuerarunt Reges Iudę de ſtirpe Dauid, ſecundùm Prophetiam Iacob: *Non deficiet princeps ex Iuda*, &c. Philo Annij in Breuiario, Duces ex domo Dauid vſque ad Machabæos enumerat.

Ioſephus.

Ioſephus Iudęam Ariſtocratico Imperio gubernatam ſcribit libro vndecimo antiquitatum, cap. 4. Incoluerunt Ieroſolyma Iudęi, inſtituta ea Reipublicę forma, quę per Optimates adminiſtratur, cum paucorum dominatu. Penes Pontifices enim fuit ſumma autoritas, donec Aſamonęorum, id eſt, Machabęorum gens Regnum obtinuit, hęc Ioſephus. Optimates igitur aliqui, ſi non omnes, qui Rempublicam adminiſtrabant, & Machabęi ex tribu Iuda originem ducebant, ſi non paterno, ſaltem ſanguine materno. Quod ſatis eſt, vt obſcurum vaticinium verum ſit. Signum enim quoddam aduentus Meſsię præbens, prędicit Iacob non eſſe auferendam Reipubl. adminiſtrationem à viris è Iudę tribu ortis, ſiue paterno eſſent genere orti, ſiue materno.

Pontificibus autem ſumma in Reipubl. poteſtas ideo forte contigit, quia cum tribu Iuda, ad quam ſpectabat Regnum, permixti coniugio erant. Permiſcebantur enim duæ tribus, Leuitica, & Iudæ, connubiis. Nam Aaron Eliſabetham, Ioiadas Pontifex Ioſabetham, filiam Regis Ioram, ex tribu Iuda vxores duxerunt. Itaque ſenſus prędictionis hic eſt. Non auferetur ſceptrum: ſiue virga de tribu Iuda, & Dux, Hebraicè מחקק mechoqeq, id eſt, leges & decreta ſanciens, de femore eius, nō auferetur Reipubl. Iſraëliticæ adminiſtratio, principatus, & legū ferendarum poteſtas ab hominibus è tribu Iudæ, ſiue paterno ſanguine, ſiue materno oriundis, donec veniat Meſsias. Herodis autem tempore ablatus eſt hic principatus, pontificibus, ſenatui Sanedrin, & optimatibus, è tribu Iuda originem trahentibus. Erant autem Sanedrin iudices Septuaginta, quos ab Herode extinctos Hebræi dicunt, de iis alibi copioſius.

Nonnullis placuit Machabæos genere paterno è tribu fuiſſe Iudæ, idque confirmatur illis verbis: *viri Iuda magnificati ſunt valdè*, id eſt, Machabæi, verior ſententia eſt Lyrani, Carthuſiani, Abulenſis, & Burgenſis in Scrutinio, ex tribu Iudæ procreatos, ſi maternum genus ſpectes, ſi paternum, ex Leuitica, quippe qui Sacerdotes eſſe non poſſent, niſi paternam originem ex Aarone traherent. Verba illa ex libro primo Machab. deprompta, ſignificant viros, id eſt, fratres, & milites Iudæ Machabęi, valde fuiſſe magnificatos: Græcè legitur, & vir Iudas & fratres eius magnificati ſunt valdè. Ex his facilè ſoluitur primum argumentum: Machabęi enim, & multi ex optimatibus, qui Reipubl. clauum tenuerunt vſque ad Herodem, è tribu Iuda fuerunt, eo modo quo expoſuimus.

Machabęi quomodo ex tribu Iudæ. 1. Mach. 5.

Objicitur huic expoſitioni: Non ſatis eſſe Machabæos materno ſanguine à Iuda procreatos, vt ſceptrum dicatur in tribu Iuda permanſiſſe, alioqui pari ratione dici potuiſſet ſacerdotium in tribu Iuda fuiſſe, quia multi Sacerdotes maternam originem è Iudæ ſtirpe ducebant, & Regnū fuiſſe in tribu Leui, quia Reges è Leuitica etiam tribu oriri poterant, dici quoque poſſet Deiparam Virginē materno ſolùm ſanguine è tribu Iuda profectam, ſiquidem hoc ſatis eſt, vt Chriſtus è tribu Iuda dicatur exortus.

Reſpondetur, ſatis eſſe Machabæis fœmineum Iudę ſanguinem, vt ſceptrum in familia Iudæ dicatur permanſiſſe, quemadmodum noſtra tempeſtate ſatis eſt fœmineus ſanguis, vt Regnum in familia cuiuſuis Regis dicatur perſtitiſſe. Pari autem ratione concedimus dici potuiſſe Pontificatum in tribu Iuda fuiſſe, non tamen tanquam debitum tribu Iudę, ſed Leuiticæ, & Regnum fuiſſe in tribu Leui, non tamen veluti debitum tribui Leui, ſed tribui Iudæ. At Virgini Deiparę non fuit ſatis maternus Iudę ſanguis, vt Chriſtus abſolutè è tribu Iuda ortus diceretur, ſed neceſſarius fuit ſanguis Iudæ paternus. Machabęis ſatis fuit maternus, quia ſimpliciter ex tribu Leui erant Sacerdotes, ex parte verò minore, id eſt, fœminea, à tribu Iudæ originem habebant, quę ſatis eſt ad vaticinij veritatem, quemadmodum noſtro tempore ſi quis prędiceret: Non auferetur ſceptrum è domo potentiſsimi Regis Hiſpanię, vera eſſet prædictio, ſi in poſteris Regis, ſiue paterno ſiue materno ſanguine, ſceptrum perſtaret.

Reſpondere aliter poſſumus cum Diuo Cyrillo iam citato, poſteros Zorobabelis ex tribu Iuda paterno ſanguine procreatos, Reipubl. gubernacu-

Posteri Zorobabelis Reipub. gubernarũt vsque ad Christum.

la vsque ad Christum tractasse, sceptrumque, id est, administrationem Regni tenuisse, quamuis penes Pontifices summa fuerit autoritas, vt Iosephus scripsit. Nam ad posteros Zorobabelis sceptrũ iure pertinebat, ergo quamuis Pontifices summa potestate potirentur, illos quoque in Repub. gubernãda præcipuum locũ obtinuisse verisimile est; quod si quis dicat, Zorobabelem posteris caruisse, à D. Matthæo refellitur, qui capite primo, pronepotes vsque ad Christum recẽset. Ad hos sceptrum iure spectabat; vt perspicuum est: quis ergo illis sceptrum omnino eripuit ante Herodem? sed de posteris Zorobabelis dicemus in genealogia Christi.

Secundo argumento initio proposito respondetur, illud, donec, non adeò presse, & scrupulose sumendum, sed ampliori intellectu, morali modo in hanc sententiam: Non auferetur sceptrum de Iuda, donec veniat Messias, id est, vsque ad eum Regem, quo regnante Messias veniet, is Herodes fuit.

Aliter respondet Annius in annotationibus Philonis, ablatum sceptrum anno Herodis 21. quo Christus natus est, non antea. Nam vt Philo ait in Breuiario, fessi tandem Hebræi vltrò Herodi atque eius posteris Regnum obtulerunt, iurantes in fide ipsius, ac posterorum, se permansuros, regnauitque Herodes tyrannico principatu annis 31. Postea igitur traditum est illi sceptrum legitime, & tunc ablatum.

Verumtamen Philonis ille liber esse, non videtur doctis, præterea etsi tyrannico principatu, ante illũ annum Herodes imperarit, tamen iam sceptrum abstulerat.

Alia expositio vaticinij.

Alia erit Vaticinij expositio facilior, quæ nos ab omni difficultate expediet, si Iudam, non vnã tantummodo tribum, sed vniuersos Iudæos à Iudę tribu sic appellatos, significare intelligamus, hunc in modum: Nõ auferetur sceptrum à Iuda, id est, à Iudæis, & Dux de femore, & generatione eorũ, id est, perpetuo Iudæi in terra repromissionis Reges, & Reipubl. administratores, siue ex hac, siue ex illa tribu sint, habebunt, donec veniat Messias, postquã venerit, nullus erit Dux, nullum sceptrum in terra repromissionis, nulla Respubl.

Quasi dicat Iacob, existimabitis ô Iudæi temporarium Iudææ Regnum à Messia mirum in modum fore extollendum, sceptrumque Iudaicum toti terrarum Orbi daturum iura sperabitis, at longè vestra opinione fallemini, nam vsque ad Messiam tantummodo temporarium sceptrum permanebit. Postquam venerit Messias, Iudæorum Regnũ, principatusque euanescet, Respublica vniuersa miserandum in modum corruet; populus in æternam captiuitatem, exiliumque abducetur. Ille verò aliũ sibi populum ex gentibus quæret. Ideoque subiicit; Ipse erit expectatio gentium. Hęc omnia Iacob illo Vaticinio voluit intelligi, cuius veritatem exitus satis superque probauit.

Obiiciet quispiam; Iacobum loqui cum filio Iuda, atque ideo non de Iudæis vniuersim, sed de sola tribu Iuda, intelligendam hanc prędictionem. Respondemus, iure optimo de Iudęis cum filio Iuda Patrem loqui. Primò, quia ad Messiam Vaticinium pertinebat, qui à Iuda erat oriturus. Secundò, quia Iudæi hoc nomen à Iuda acceperunt, post Babylonicam captiuitatẽ teste Iosepho: Iudæi, ait, dicti sunt ex die, qua à Babylone profecti sunt, ex tribu Iuda, quæ prior ad illa loca peruenerat; vnde & ipsi, & prouincia à tali appellatione vocantur. Hæc ille. Tertiò, quia cùm sceptrũ ablatum est, decem tribus in captiuitate agebant, tribus præcipuè Iuda Iudææ incolebat; Quartò, quia penes Iudam fuit sceptrum longo tempore, & ad Iudam pertinebat. Quintò, quia hoc obscuræ Prophetiæ est, cum Iuda loqui, & de Iudæis agere.

Iosephus lib. 11. Antiq. cap. 5.

Lege D. Athanasium in libro de Incarnatione Verbi; Præsente, ait, Sancto sanctorum, id est, Christo, merito obsignata est visio, & Prophetia, & Regnum Ierosolymitanum desiit, tamdiu enim vngebantur apud eos Reges, donec vngeretur Sanctus sanctorum. Et Moyses quoque eodem spatio Regnum Iudęorum circumscribit. Idque huiusmodi vaticinio: *Non deficiet princeps ex Iuda, neque de femoribus Iacob, donec venerint ea, quæ reposita sunt, & ipse est expectatio gentium*: Vnde Saluator clamat dicens; *Lex & Prophetæ vsque ad Ioannem prophetarunt*. Si ergo, vel nũc vllus est apud Iudęos, aut Rex, aut Prophetа, aut visio; recte inficiantur venisse Christum. Sin autẽ neque Rex, neque vlla Prophetia supersit, sed obsignata est in posterũ omnis Prophetia, & ciuitas, & templũ capta, quorsum ista impietas & tergiuersatio? vt cum ista facta videant, Christũ negent, &c. Lege item Augustinum, Iudęi (inquit) Herodem alienigenã regem habere maluerunt, quo regnãte natus est Christus: Iam enim venerat plenitudo tẽporis significata prophetico spiritu, per os Patriarchæ Iacob vbi ait: *Non deficiet princeps ex Iuda, neque Dux de femoribus eius, donec veniat, cui repositum est, & ipse erit expectatio gentium*. Non ergo defuit Iudęorũ Princeps ex Iudæis, vsque ad Herodẽ, quem primum acceperũt alienigenam regem, &c. Non dixit Augustinus nõ defuit princeps ex tribu Iuda, sed non defuit princeps Iudęorum ex Iudæis.

Augustin. lib. 18. de ciuit. Dei, cap. 45.

Similiter Chrysost. Genes. 49. Vaticinium exponit his verbis; Tamdiu durabunt Iudaica, & principes Iudæorum, quoad venerit Christus; non dixit, & principes ex tribu Iuda, sed Iudęorum. Et in libro, quem aduersus Ethnicos scripsit, quod Christus sit Deus; Tẽpus (ait) quo affuturus erat Christus, Iacob manifestauit, sic dicens: *Non deficiet Princeps ex tribu Iuda*, &c. Nam tunc apparuit Christus, cũ iam deficerent principes Iudaici. Et sceptris Romanorũ subderentur. Iustinus Martyr: Vestrũm est exquirere, quod ad tempus, Princeps, atque Rex apud Iudęos, eorum verus ac proprius fuerit. Fuit profecto vsq; ad illud, cũ Christus extitit, & se patefecit, qui prophetiarum interpres fuit, quemadmodum prędictũ est per Moysem, non defuturum Principẽ in Iudęa, dum is cui Regnum promissum, reseruatũque erat, veniret. Iudas enim Iudęorũ genus fuit, a quo etiam Iudęi nominati sunt, vsque posteaquam Christus extitit, & apparuit, Iudęis quoque imperauistis, eorumque regiones obtinuistis. Et in Dialogo cum Tryphone, Iacob vaticinatus est, duos Christi aduentus futuros, in eorumque priore, illum patibilẽ fore, isque cùm venisset, nec Prophetam, nec Regem, in genere vestro, id est, Iudęorum futurum. Item, postquam Christus apud vos visus est, & mortem pertulit, proprio Regi parêre desijstis, terra vestra deserta, &c.

Iustinus martyr in Apologia 2.

Eusebius vero apertissime libr. 3. de demonstratione Euangelica cap. 2. sic scribit. Iudam hic (id est, in hoc vaticinio) nõ ipsam tribum intelligit Iacob, sed quoniam denominatione quadam, posterioribus temporibus à regali tribu Iuda, omnis Iudæorum natio dicta est, ita quidem vt hodie quoque Iudęi nominentur, valde mirabiliter, & propheticè, omnem Iudaicam gentem, Iudam nominauit, sanè vt nos quoque Iudęos appellare consueuimus. Tum affirmat nõ prius defuturos ex gente ipsorum principes ac duces, quàm is aduenerit, quem prophetia significat. Porro hic simulatque aduenerit, Iudęorum quidem principatum esse dissoluẽdum, ipsum vero non Iudęorum amplius; sed gentium fore expectationem. Hęc Eusebius. Lege eundem Eusebium

Eusebius D. Thomas in Genesim.

bium lib.1.hist.cap.6.Diuus quoque Thomas (si illius sunt commentarij) Christus (inquit) non solũ debebat esse finis tribus Iudę,sed etiam totius status Iudaici;Et ideo loquendo de regno Iudaico, prout erat finiendum in Christo,non solùm debuit loqui de Regno tribus Iudę, sed etiam de tota regali potestate totius Synagogæ:Et ideo quod ait;Non auferetur sceptrum ; intelligendum est,quòd Regnum fundatum in tribu Iuda,non auferetur populo Iudaico,donec veniat Christus.Licèt enim ad tempus fuerit de facto interpolatum,vtpote cum fuerunt in captiuitate , nõ tamen fuit vsque ad Christum,totaliter ablatum,neque vnquã vsque ad Christum,iure perditum,aut ablatum.Hæc ille. A

Iuxta hanc sententiam 2.argumento respondebimus,sceptrum non omnino fuisse ablatum ab Herode ante Messiam ; Herode enim regnante Iudæi Rempublicam administrabant , sacerdotes erant, Pontifices, & populi duces ; Cum autem Messias venit,Respub.Iudęorum à Romanis deleta , extincta que est , ac tunc temporis sceptrum , siue virga (id est,Reipublicæ in terra repromissionis administratio)Iudæis est ablata omnino, quæ iam ante ab Herode magna ex parte erat subtracta : de vaticinio Iacob hæc satis sint. B

Ezech.21. Locus Ezechielis de ablatione sceptri & Pontificatus Iudaici.

Similis locus est apud Ezechielem : *Tu profane impie Dux Israel,cuius venit dies,in tempore iniquitatis præfinita;hæc dicit* Dominus Deus, *Aufer cidarim,tolle coronam, nónne hæc est , quæ humilem subleuauit ; & sublimem humiliauit ? Iniquitatem , iniquitatem,iniquitatem ponam eam. Et hoc non factum est , donec veniret , cuius est iudicium, & tradam ei.* Regem Israëliticum alloquitur Propheta, Sceptrum, & Pontificatum prædicit auferendum:at non omnino quousque Messias veniat. Auferę(inquit Dominus) cidarim Sacerdotalẽ , tolle coronam regiam,vt enim ait D. Hieron.cidaris insigne est Pontificis,corona siue diadema Regis indicium. Hæc enim est,quæ honores, & opes indignis contulit;humilem,id est, abiectione dignum extulit,sublimem,id est,dignum honore depressit. Hæc corona,& cidaris Israel est,quæ Barabbam latronem subleuauit, & sublimen Christum humiliauit : *Iniquitatem,iniquitatem , iniquitatem ponam eam,* id est,ostendam puniendo iniquam fuisse coronã, & cidarim;ter autem repetit, quia ter Iudæorum Rempub.euertit;semel per Chaldæos , cum in Babylonicam captiuitatem sunt adducti ; iterum per Antiochum Epiphanem;ad extremum per Romanos,quo tempore omnino corona cidarisque periit. Pagninus vertit,subuersionem,subuersionem, subuersionem ponam eam. C D

Post hoc sequitur : *Et hoc non factum est , donec veniret , cuius est iudicium, & tradam ei* , id est, non euertetur omnino Iudæorum regnum per Romanos, non peribit omnino cidaris,& corona , donec veniat Messias , cuius est Iudicium , & Imperium; & tradam ei cidarim, coronamque , Summum pontificatum,& regnum domus Dauidicæ.In hunc sensum interpretatur D. Hieron. hunc locum.Nõne (inquit)hæc est cidaris, & corona, quæ nihil fecit iudicio,sed quos volebat exaltabat, & quos volebat humiliabat? Propterea iniquitatem ponam tibi in perpetuum,quæ non statim tibi reputata est;sed donec veniat Christus , cuius est iudicium. Hæc ille: Septuaginta vertunt:Donec veniat cui congruit, & tradam ei,quod Theodoretus sic exponit; Non extinguam Regiæ cognationis scintillam, quoad venerit , ad quem attinet, cuique conuenit ; id est, Christus, & ipsi tradam regnum , cùm apparuerit ille,tunc tradito ipsi regno,istos exterminabo. Hæc Theodoretus. E

D. Hieron.

CAPVT III.

Venisse Messiam probat templi secundi euersio.

QVEMADMODVM Messiam iam venisse sceptri ablatio, ita templi quoque secundi probat euersio. Enimverò prædictum à Prophetis erat Messiam in secundum templum venturum,illudq; præsentia sua,veluti Solis clarissimi illustraturum. Atqui æquatum solo secundum templum est;ergo iam venit Messias , iamque illud præsentia sua , & concionibus illustrauit. Malach. *Veniet ad templum suum , dominator , quem vos quæritis , & Angelus testamenti , quem vos vultis .* Aggæi : *Hæc dicit* Dominus exercituum , *adhuc vnum modicum est, & ego commouebo cœlum & terram , & mare & aridam , & mouebo omnes gentes , & veniet desideratus cunctis gentibus , & implebo domum istam gloria , dicit* Dominus exercituum . *Meum est argentum , & meum est aurum,dicit* Dominus exercituum. *Magna erit gloria domus istius nouissimæ , plusquam primæ, dicit* Dominus exercituum , &c. Locus prophetæ etiã à Talmudistis de Messia intelligitur ; vt ostendit Gal. qui cunctis gentibus dicitur desideratus; vel vt hebraicè habetur,desiderium cunctarum gentium. Similiter Cant. *totus desiderabilis appellatur,* hebraicè, totus ipse desideria. *Malach. 3.* *Aggai 2.* *Galatinus lib. 4. cap. 96* *Cant. 5.*

Pollicetur igitur Deus se Messiam optatissimum missurum in secundum templum, quod tunc temporis Hebræi exædificabant. *Adhuc* (inquit) *vnum modicum* , id est, post modicum tempus, cœlum & terram , mareque aduentu stupendo Dei incarnati commouebo , impleboque domum istam diuina gloria Messiæ;neque vero deerunt ad fabricandam exornandamq; impensæ;meum enim est omne argentum,omneque aurũ. quod si cum primo templo à Salomone Rege extructo , hoc secundũ conferatur,scitote maiorem fore templi huius gloriam quàm Salomonici.Nõ vt nomine,sic gloria secundum erit:prima gloria erit secundi, secunda primi. Etenim Salomonicum Messię caruit præsentia. *Impleuit* primum *nebula*, secundum verò Messiæ præsentia illustratum,humanitate, diuinitateque illius completum,mirum in modum præcellet. *Aggai 2.* *3. Regum. 8.*

Quid ad hæc Hebręus respondebit ? nunquid non esse Prophetę verba ? nunquid non recte esse explicata? at neque Prophetę verba esse negare,neque male esse explicata probare poterit. Nónne Deus cœlũ,terramque aduentu Christi commouit: nónne gentes omnes?nónne Christus templum secundum,gloria prędentię,vocis suauissimę, ac doctrinæ suæ compleuit? *Erat* (ait Luc.) *diebus docens in templo , noctibus vero morabatur in monte , qui vocatur Oliueti ; & omnis populus manicabat* , id est, mane ibat *ad eum in templo , audire eum.* ô templum glorioſum, quod Dei filium infantem excepit,puerum Doctores audientem , interrogantémque vidit , virum doctorem , concionatorémque habuit. ô porticus beatas , quæ non Prophetarum , sed ipsius diuini Verbi voce suauissima personuerunt. Arcam fœderis vxor Phineæ , Gloriam appellauit : *Translata (inquit)est gloria ab Israël* , eo quòd capta esset Arca Dei,ideoque filium, quem peperit Icabod nominauit,id est,vbi gloria?& meritò quidẽ ablatam ait ab Israële Arcę gloriam,auferenda enim erat vmbrarum illa gloria, vera gloria Christi rutilante. *Lumen (ait Simeon)ad reuelationem gentium,& gloriam plebis tuæ Israël.*Si quærit illa Icabod, id est, vbi gloria? sic respondetur;in templo est gloria Israël, in templo est *Christus templum suum præsentia gloriosum reddit.* *Luc. 21.* *1. Reg. 4.* *Luc. 2.*

gloria vera Christus. *Implebo* (inquit Deus) *domũ istam gloria*; scilicet Messię. Nam si arca lignea gloria fuit templi, quanto maior gloria templi, omnium thesaurorum Dei viuens Arca Christus?

Rabbi Salomon ait, Maiorem gloriam templi secundi non à Messia, sed tum ab ędificij magnitudine, tum à diuturnitate profectam, propterea quod secundum templum pluribus steterit annis, & ab Herode splendidius, magnificentiusque, quàm primum exędificatum fuerit. At minimi momẽti gloriam esse annorum decem durationem quis nõ videat? Decem enim tantummodo annorum spatio superauit posterioris templi duratio, durationem prioris, vt ipse Rabbi Salomõ opinatur, prius quadringentis decem annis, posterius quadringentis viginti perstitit. Prętera si gloriam duratio cõfert, sane lapis & ferrum glorioſius esset homine, quia durat diutius. Templi autem secundi maiorẽ fuisse gloriã, quàm Salomonici, Chrysostomus concedit Tom. 5. in Demonstratione quod Christus sit Deus. Quamuis (inquit) destructũ sit templum, tamen vbi post septuaginta annos redierunt Israëlitę, statim excitatum est, fuitque priore multo prędarius, &c. Idem sentit 1. Cor. hom. 34. Neque id nostram explicationem euerteret, si diceremus duplici ratione maiorem fuisse gloriam templi secundi, quàm primi, tum quia fuisset magnificentius, tum quia Messiam excepisset.

D. Chrysost.

Sed nos respondemus, non loqui Deum de gloria diuitiarum templi, aut de gloria ędificij, sed de gloria præsentię ac maiestatis suę, de qua dicitur: *Operuit nubes tabernaculum testimonij, & gloria Domini impleuit illud; nec poterat Moyses ingredi tectum fœderis, nube operiente omnia, & maiestate Domini coruscante, quia cuncta nubes operuerat* 3. Reg. 8. *Nebula impleuit domum*, id est, templum Domini, *& non poterant sacerdotes stare, & ministrare propter nebulam, impleuerat enim gloria Domini domum Domini*. & 2. Paral. 7. *Maiestas Domini impleuit domum, nec poterant sacerdotes ingredi templum Domini, eo quod implesset maiestas Domini templum Domini.* In templo primo, & tabernaculo, pręsentiam suam Deus per nubẽ, in secundo per humanitatem ostendit. Maior igitur multo fuit gloria, qua secundũ templũ, quàm illa, qua primum compleuit. Cùm ergo ait, *Implebo domum istam gloria*, vt in locis citatis, sensus est, Implebo domum istam gloria maiestatis, & pręsentię diuinę, verus enim Deus, homoque verus Messias, in illa sępe versabitur. Ideoque subiungit: *Magna erit gloria domus huius nouissimæ, plus quam primæ*; quia in prima Deus per nubem, in hac per humanitatem apparebit.

Exod. 40.

3. Reg. 8.

2. Paral. 7.

Quęnã gloria Domini implenerit domum Domini.

Quod si opponas verba illa interiacentia: *Meum est argentum, meum est aurum*, quę videntur significare sermonem de gloria haberi diuitiarum, & ędificij. Respondemus verba illa inserta esse reliquis, nõ vt indicarent sermonem esse de gloria opum; sed vt significarent Iudęis carnalibus, Deum ad fabricandum templum, esse opulentissimum. Spiritali enim promisso de Messia, carnale est intertextũ de templi impensis, vt suprà est explicatum.

Ribera Aggæi 2.

Probare conatur doctissimus quidam Aggęi interpres, templum Herodis templo Salomonis fuisse opibus glorioſius; id tamen licet conetur; nõ ita probat, vt negari non possit. Vt enim concedam porticibus, ędificijque magnitudine fuisse magnificentius, aliis rebus fuisse videtur inferius. Nam templum Salomonicum fuisse constat aureis laminis vndiq; ad pauimentum vsque coopertum, quas aurei clauis tabulis magni pretij cõfigerent. Sic enim scriptum est: *Pauimentum domus texit Salomon auro intrinsecus, & extrinsecus operuit, atque vestiuit oraculum auro purissimo, domum quoque ante oraculum operuit auro purissimo, & affixit laminas clauis aureis. Nihilq; erat in templo, quod non auro tegeretur*, & 2. Paral. 3. *Porro aurum erat probatissimum, de cuius laminis texit domum, & trabes eius, & postes, & parietes, & ostia; & clauos fecit aureos, ita vt singuli clauiculos quinquagenos appenderent. Cœnacula quoque texit ex auro.* Item, *omnes parietes templi per circuitum sculpsit variis cælaturis, & torno, & fecit in eis Cherubim, & palmas, & picturas varias, quasi prominentes de pariete, & egredientes.* Quid simile habuit Herodis templum? nunquid probare quisquam poterit purissimi auri laminis omni ex parte cõtectum coruscasse?

3. Reg. 6.

2. Paral 3. An templum secundũ fuerit opibus glorioſius tẽplo primo.

Iosephus.

Omnis probatio ex Iosepho petitur; ille vero lib. 15. Antiquit. cap. 14. quo loco Herodis ædificium describit, auri nullam mentionem facit; lib. verò sexto de bello cap. 6. externam templi faciem auro exornatam refert ijs verbis; Exterior facies nihil, quod animus, aut oculi mirarentur, non habebat; crustis enim aureis grauissimis vndiq; tecta, ad primos ortus, igneo splendore lucebat. Hospitibus quidem adeuntibus pro monti niueo similis videbatur; nam vbi deaurata non erat templum, candidissimum erat. In summo autem aureis verubus horrebat acutissimis, ne ab insidentibus auibus pollueretur. De externa tantum templi eaq; Orientali facie loquitur, de qua item hæc eodem capite: Erant totę frontes inauratę, ac prima ędes omnis perlucebat extrinsecus, auroque circum interiorẽ fani partem splendida cuncta occurrebant. Græca sic habent: Κεχρύσωτο τὰ μέτωπα πάντα, καὶ δὶ αὐτῆς ὅτε πρῶτος οἶκος ἔσωθεν ἅπας κατεφαίνετο, μέγιστος ὢν, καὶ τὰ περὶ τὴν εἰσωπύλην, πάντα λαμπόμενα χρυσῷ, τοῖς ὁρῶσιν ἐπέπτιλον. Id est, inauratę erant frontes totę, & per ipsam (portam scilicet vestibuli) prima domus intus tota apparebat, magna existens, & quæ erant circum interiorem portam (scilicet primæ domus) omnia splendentia auro, cernentibus occurrebant. Videsne Iosephum non loqui de interiori templi parte, sed de exteriori? si auro fulgebat interior, cur hac de re ne verbum quidẽ vnũ fecit, cum exterioris partis, & portarum, aureum ornatum sigillatim explicarit? Quæ igitur oculis conspicua erant, veluti portæ, fores, externusque paries, auro fuere exornata, quæ verò non patebant, hoc ornatu in templo Herodis videntur caruisse. Summa enim templi laus tacenda non fuerat, summa verò est, intrinsecus omni ex parte purissimi auri laminis fuisse contectum.

Objicies, Herodis templum externam faciem habuit inauratam, ergo internam quoque domum, quippe quę exteriori parti præcelleret. Negamus, nam templum ab Israëlitis exędificatum externum tantùm habuit ornatum aureũ, eodem ergo ornatu Herodes contentus, internum non adhibuit. *Intrauit Antiochus in sanctificationem cum superbia, & accepit altare aureum; & candelabrum luminis, & vniuersa vasa eius, & mensam propositionis, & libatoria, & phialas, & mortariola aurea, & velum, & coronas. Et ornamentum aureum, quod in facie templi erat, & comminuit omnia*, &c. Ecce mẽtio fit ornamenti aurei, quod erat in facie templi, non autem intus. Postea sic scribitur restitutũ: *Ornauerunt faciem templi coronis aureis, & scutulis.* Vnde colliges eam templi partem fuisse ornatiorem. Fuit itaque Herodis templum hac in re Salomonico inferius.

1. Mach. 1.

1. Mach. 4.

Vasorum prętera multitudine. Nam templum Herodis Iosepho autore eodem 6. lib. vnum tantũ habuit aureũ candelabrum, & mensam vnam. Salomonicum decem habuit aurea candelabra, decẽ mensas aureas: *Fecit Salomon candelabra aurea decem, & posuit ea in templo, quinque à dextris, & quinque à sinistris. Nec non & mensas decem, & posuit eas in templo quinq; à dextris, & quinque à sinistris*, &c. De multitudine

2. Paral. 4.

verò

Iosephus l. 8. antiquit. c. 3. verò cæterorum vasorum quæ Iosephus scribit, digna sunt admiratione. Obtulit (inquit) Salomon multitudinem mensarum, & vnam quidē valdè præcipuam auream, super quam ponebant panes Dei: Et huic proximas decem millia altero modo factas, super quas vasa iacebant, id est, phialæ, & pateræ, aureæ quidem decem millia, argenteæ verò quadraginta millia, fecitque candelabra decem millia, ex quibus vnum in templo recondidit, vt per diē luceret, &c. Repugnat Scripturæ Iosephus, significat enim in templo Salomonis vnum tantùm fuisse cādelabrum, & mensam vnam, cùm (vt diximus) decem fuerint candelabra, decemque mensæ.

Addit præterea: *Fecit Salomon vasa vini fusilia octoginta millia, & phialas aureas decem millia, argenteas duplici numero, pateras aureas ad offerendum in eis similam conspersam ad altare, octoginta millia, & argenteas duplici numero. Crateras autem in quibus similam cum oleo fermentabant, aureas quidem quinquaginta millia, argenteas duplici numero. Mensuras autem similes eis, quæ Mosaicæ vocabantur, & asserones, aureas quidem viginti millia, & argenteas dupliciter. Thuribula verò aurea, quibus offertur incensum, viginti millia, similiter & alia Thuribula, in quibus portabant à maiori altari ignem ad minus altare, quod erat in templo, quinquaginta millia.* De æreis verò vasis sic scribitur; *Propter multitudinem nimiam, non erat pondus æris, & : Erat autem multitudo vasorum innumerabilis, ita vt ignoraretur pondus æris.* Tot vasa aurea, argentea, ærea, Herodis templum habuisse quis probabit? Dices, Cyrum vasa ablata à Chaldæis restituisse; fateor, sed illorum numerus extat Esdræ: *Omnia vasa aurea, & argentea quinque millia quadringenta.* Quid hic numerus, etsi integer permansisset, habet momenti, cum numero iam commemorato comparatus? At, hæc vasa ab Antiocho erepta sunt, vt dicitur Machab.

Vasa templi Salomonis. *3. Regum 7.* *2. Paral. 4.* *Esdra 1.* *1. Mach. 1.*

Quid dicam de vestibus Pontificijs ac sacerdotalibus? ijs quis persuadebit, non excelluisse prius tēplum? stolas sacerdotales (ait Iosephus) Pōtificibus, & superhumerales, & rationales, ex auro, & gēmis, mille. Corona verò, in qua Deū Moyses scripserat, vna fuit, & ad hanc diem vsque permansit, sacerdotales autē stolas ex byssō cōtextas, & Zonas purpureas cum cingulis, decem millia, & tubas secundum præcepta Moysis, ducenta millia. Item, stolas Leuitarum hymnos dicentium, ex byssō ducenta millia, & instrumenta musica, & nabla, & cinnira ex electro, quadraginta millia. Hæc ille.

Vestes sacerdotales. *Iosephus.*

De Aula verò, siue Atrio templi à Salomone extructo. Mirabilis (inquit) & omni sermone præcipua fuit, etsi dici potest, etiam contemplationem visionis ipsius, excedebat aula, quæ foris erat. Circumdedit autem porticibus hanc aulam, duplicibus columnis, eas ex lapide naturali portantibus, quarum camera erat e cedro, & laquearibus exsculptis; bases autem in ijs omnibus fecit argēteas. Nunquid in porticu Herodis bases columnarum argenteæ fuerunt?

Aula templi Salomonis.

Iam verò quæ fuit maxima templi illius gloria; nónne Propitiatoriū, & Arca fœderis, quę in intima, prēcipuaq; tēpli parte collocata erat, & Cherubini, quos Paulus vocat *Cherubim gloriæ*? Secundum autem templū, Arca, Propitiatorio, Cherubinisque caruit, si Iosepho credimus lib. 6. de bello cap. 6. In intima (inquit) templi parte (quam scilicet Sancta sanctorum vocamus) nihil prorsus erat positum.

Ad Hebr. 9. Secundum templum caruit Arca. Propitiatorio & Cherubinis.

Prēterea, secundum templum quinque rebus caruisse dicitur, quę primum nobilitabant. Primo Arca, Propitiatorio, & Cherubinis. Secundo Vrim, & Thumim, de quibus postea dicetur. Tertio prophetię spiritu; nam à Malachia, vsque ad Ioannem Baptistam nulli Prophetę extitere. Quartò, prēsentia Dei, qui in Oraculo templi apparebat. Quinto, igne Sacro, qui è cœlo descenderat. De ijs Chrysostomus. Num & illud (inquit) ab hominibus factū: quod Prophetę cessauerunt? num & spiritus gratia sustulerunt? num alia, quę apud vos fuere magnifica, destruxerunt; veluti vocem de Propitiatorio reddi, vim vnctionis, declarationem, quę fiebat in lapidibus Sacerdotum, &c. Vide Galatinum lib. 4. cap. 9. & Genebrardum anno mundi 3640.

Secundum templum quinque rebus caruit. *D Chrysost. Orat. 3 ad. uersus iudaos.* *Galatinus.* *Genebrardus.*

Adde his, ad templi gloriam maximè attinere Pontificum probitatem, & Sacerdotum, ædificatoris quoque. Templi vero Herodiani, Pontifices fuisse homines, qui Pontificatum tunc temporis venale pretio comparabant, nec eo perpetuo fungebantur; ędificatorem fuisse Herodem, hominē alienigenam, tot infantium cędę cruentatum, qui in ipsis cunabulis Messiam vita priuare conatus est. Vnde Rupertus Aggęi 2. Herodes (inquit) templum illud, quoniam priore erat minus, depositi, & in antiquā magnitudinem reformauit, multis & magnis ædificiis decorauit. Sed hoc nunquam Dominus exercituum, pro gloria reputare sit dignatus, quod homo funestus, Rex impius, operatus est; exæquari, vel etiā prędferri contendens Regi sapientissimo Salomoni. Gloria verò fuit templo illi, quod in eo Deus homo factus, offerri est dignatus, &c.

Rupertus.

Ad hęc Herodes templum fabricare decreuit anno regni sui 18. teste Iosepho, absoluit annis nouē, anno sui Regni 27. Christus ortus est anno eiusdem Regni 32. vel 33. templum ergo paucis ante Christū annis est extructū; eius vero cultus, & gloria, quemadmodum Lex vetus, vsque ad Christi mortē vixit, cum Christo sepulta est. Vixit autē Christus annis 33. tempus ergo totū glorię templi Herodiani fuit annorū circiter quadraginta. Ecquis dicat momentaneā gloriam quadraginta annorum, etsi magnā, cum gloria templi Salomonici plus quā quadringētorum annorū conferendā? Ex iis colliges templum Salomonis gloria prędcelluisse templo secūdo, si alia spectes. Quod si de Messiæ gloria summa agatur, Templum secūdum Salomonico fuisse multo glorioſius. Hæc enim vna gloria ornamenta cętera ita obscurat, vt Sol reliqua sydera.

Iosephus lib. 15. Antiq. cap. 14.

Ad extremum, soluendus restat nodus. Videbitur enim alicui, Vatem non loqui de tēplo, quod Christi impleuit gloria; Enimuero Christi gloria Herodianū impleuit. Vates vero Aggęus de templo Zorobabelis loquebatur. Respondetur; templū Zorobabelis & Herodis pro eodem reputari; propterea quod Herodes, quod antea extructum erat, nec ab hostibus euersum, instaurarit, & amplificarit.

Aliud quoque eadem Aggęi verba suppeditant argumentū. Post modicū enim tempus Messiam mittēdum pollicetur; quia nō fallit Deus; *Adhuc* (inquit) *modicum*, &c. *Et veniet desideratus cunctis gentibus.* Atqui post pollicitationem illam longissimū tempus effluxit, circiter bis mille annorum; ergo iam Messias venit. Respondebit Hebręus modicam appellari eo loco hanc annorum summam cum ętternitate Dei collatam, iuxta illud: *Mille anni in conspectu tuo tanquam dies hesterna.* At Deus eo loco non ad ętternitatē suam refert annos, sed humano ac cōsueto loquendi modo loquitur cum hominibus Messiā expectantibus, ex quorū opinione bis mille annorum summa non potest appellari modica.

Apud Aggæum Messias post modicum mittendus dicitur, ergo iam venit. *Psalm. 89.*

Stante ergo secundo templo venit Messias, vt ex verbis Malachię & Aggei probatur. Quibus accedit Ieremię quoque testimonium: *Hæc dicit Dominus; Ecce ego conuertam conuersionem tabernaculorum Iacob, & tectis eius miserebor, & ædificabitur ciuitas in excelso suo: Et templum iuxta ordinem suum fundabitur*, &c. De ędificatione & tempore secūdi templi loquitur Vates, vt per-

Ieremiæ 30. *Locus Ieremiæ.*

vt perſpicuum eſt. Deinde de eodem tempore adiungit: *Et erit Dux eius ex eo, & princeps de medio eius producetur*; id eſt, Meſſias ex populo Iſraelitico tunc temporis orietur. Chaldæus ſic interpretatur; Meſſias eorum, de medio eorum reuelabitur. Ortus ergo Meſſias eſt iam olim, antequam ſecundum templum & Iudæorum Reſpub. rueret.

CAPVT IIII.

Veniſſe Meſsiam confirmat Romanæ Monarchiæ ruina.

CÆTERIS tribus Monarchiis, Chaldæorum, Perſarum, Græcorum, quartam Romanorum præcelluiſſe compertum eſt. In præcellentiſſimę huius Monarchię occaſu, quemadmodũ in Iudaici ſceptri, templique ruina, ſi oculos Hebræi habent; aduentus Meſſiæ manifeſtum ſignum intuebuntur. *Daniel. 2.* Prędictum enim à Daniele eſt Meſſiam tunc venturum, cùm hæc ſtaret Monarchia; illa verò iam corruit, quid igitur reſtat, niſi Meſſiam, antequam illa rueret, veniſſe? Sed Prophetam vaticinantem audiamus. Mirabile ſpectrum vidit Nabuchodonoſor Rex in ſomnis à Deo oblatũ, ſtatuam videlicet ſatis notam, Orbis quatuor Monarchias adumbrantem. Caput auream, Chaldæorum; pectus, argenteaque brachia, Perſarum, & Medorum: venter, æreaque femora, Græcorum; ferreæ tibiæ Romanorum Imperium ſignificabant. Hæc poſtquam Daniel aperuit, tum ſubiicit: *In diebus regnorum illorum ſuſcitabit Deus Regnum, quod in æternum non diſſipabitur, & Regnum eius alteri populo non tradetur; comminuet autem, & conſumet vniuerſa regna hæc, & ipſum ſtabit in æternum; ſecundum quod vidiſti, quod de monte abſciſſus eſt lapis ſine manibus, & comminuit teſtam, & ferrum, & æs, & argentum, & aurum*, &c. *Meſsias venit Romanis Monarchiã obtinentibus.*

Non negabũt Iudæi agi hoc tam illuſtri loco de Meſſię Regno, nullius enim Regis, pręter Meſſiam, Regnum eſt ſempiternum. Hoc verò Regnũ apertè Daniel docet tũc in Orbe ſuſcitandum, cum aliqua ex quatuor Monarchiis ſtaret. *In diebus* (inquit) *regnorum illorum*, non in diebus regnorum omnium illorum ſimul, non enim ſimul extiterunt omnia illa regna; ſed in diebus alicuius ex illis, durãte aliquo ex illis quatuor Monarchicis imperiis, ſuſcitabit Deus Regnum Meſſiæ. Non ſuſcitauit regnantibus Chaldæis, Perſis, aut Græcis; ergo ſuſcitauit Imperium Orbis tenentibus Romanis. Id quod factum eſt, vt vaticinium impleretur. Auguſto enim Romano Monarcha Orbem gubernante, Meſſias in Bethlehemitico oppido natus eſt, cuius ortum cũ Euangeliſta Lucas memoriæ proderet, ſub qua Monarchia naſceretur, diuinitus ſcripſit: *Exiit* (inquiens) *edictũ à Cæſare Auguſto, vt deſcriberetur vniuerſus Orbis*, &c. *Lucæ 2.* quaſi diceret; vaticinatus eſt Daniel, Meſſiam ſub vna ex quatuor Monarchiis venturum: En ſub vltima Monarchia, cùm illa maximè floret, in lucem à Virgine editur.

Ipſum verò Virginis partum eodem capite Daniel is, lapis ille adumbrabat abſque manibus e mõte abſciſſus, id eſt, abſque viri opera ex immaculato Deiparæ vtero progenitus, vt præter alios D. Irenæus interpretatur. Hoc (inquit) eſt, quod, ſine manibus, ſignificabat, quod non operãtibus humanis manibus, id eſt, virorum illorum, qui ſolent lapides cędere, in hunc mundum Chriſti aduentus erat, id eſt, nõ operante in eum Ioſeph, ſed ſola Marię cooperante diſpoſitione. Hic enim lapis à terra, & ex virtute, & arte cõſtat Dei. Propter hoc autẽ & Iſaias *Chriſtus lapis ſine manibus è monte abſciſſus Daniel. 2. D. Ireneus. l. 3. aduerſus hæreſ. c. 28.*

A ait: *Sic dicit Dominus, ecce ego mitto in fundamenta Sion lapidem pretioſum electum, ſummum, angularem, honorificum*, vti non ex voluntate viri, ſed ex voluntate Dei, aduentum eius, qui ſecundùm hominẽ eſt, intelligamus. Hæc Irenęus. Eundem in modum intellexit Iuſtinus Martyr in Dialogo, Sine manibus (ait) excidiſum cùm Daniel dicit lapidẽ, hoc ait non eſſe opus hominis, ſed conſilij rerum parentis Dei, qui eum profert. Similiter Auguſt. Præciditur (inquit) lapis ſine manibus, ſine opere humano, quia ſine amplexu maritali de Virgine exortus eſt Chriſtus. Et Hieron. Abſciſſus eſt lapis Dominus, atque Saluator ſine manibus, id eſt, abſque humano ſemine ex vtero virginali, &c. *D. Iuſtinus Martyr.* *D. Auguſt. tract. 9. in Ioan.* *D. Hieron.*

B Obiiciet Hebræus, Regnum Chriſti non comminuiſſe regna omnia, quamobrem illo lapide nõ ſignificari. Reſpondemus, hanc vaticinij partem cumulatiſſimè implendam eo tempore, quo Chriſtus ad iudicãdos homines redierit. Tunc enim comminuet & conſumet vniuerſa mundi regna, ſoluſq; cum Patre, & Spiritu Sancto, in cœleſti Eccleſia regnabit in ſempiternum. Cœpit autem impleri cùm Chriſti Regnum, humanorũ regnorum ſtatuas, & ſimulachra, ſimulachrorumque cultores Romanos Imperatores cõminuit, ac conſumpſit; Romanumque Imperium ſub ſuauiſsimũ Euangelij ſui iugum miſit. Iis adiunge, regna terrena Chriſtum comminuiſſe, ac contriuiſſe, cùm vanas eſſe opes, inanes honores, terrenorumque regnorum delicias, tam C exemplo, quàm verbo perdocuit. *Chriſtus cõſumet in iudicio regna omnia.*

Obiicitur ſecundo, imperium Romanum adhuc ſtare, quod cõfirmatur hoc modo: Ex Imperio Romano orietur Antichriſtus prope finem mũdi, ergo ad finem vſque mundi Romanum permanebit Imperium. Quod autem ex Imperio Romano ſit Antichriſtus naſciturus, probatur ex Daniele: *Ecce* (inquit) *cornu aliud paruulum ortum eſt, de medio eorum*, id eſt, Antichriſtus eſt ortus de medio decem cornuum quartæ beſtiæ, id eſt, Imperij Rom. Et in fine capitis ait, *decem Reges Romani regni tunc in Orbe futuros, cum Antichriſtus orietur*, quos decem cornua adumbrant. Vnde Hieronym. Dicamus (inquit) quod omnes ſcriptores Eccleſiaſtici tradiderunt, in conſummatione D mundi, quando Regnum deſtruendũ eſt Romanorum, decem futuros Reges, qui Orbem Romanum inter ſe diuidãt, &c. ergo nunc Imperiũ Romanum eſt, & in conſummatione mundi deſtruetur. Reſpõdetur, non extare Romanorum Monarchiam, vt eſt compertum. Quòd ergo vidit Daniel natum Antichriſtum inter cornua quartæ beſtiæ, ſignificat Antichriſtum oriturum in aliquo ex regnis, quæ olim Romano Imperio parebant. Etenim quo tempore ille veniet, Monarchię Romanorum antiquę regiones, in decem regna diuiſæ erunt; quæ decẽ cornua à Daniele dicuntur. Ex illis orietur cornu paruulũ, id eſt, Antichriſtus. *Dan. 7.*

Obiicitur tertiò, ex eodem Daniele colligi, Meſſiam Romanorum Imperio iam deleto, imperaturum Orbi. Eo enim capite, quatuor beſtias cernit Daniel, quibus quatuor prædictæ Monarchię delineantur. Quarta verò beſtia, quæ Romanorum Regnum omnium conſenſu deſignat, antequam Meſſię Imperiũ traderetur, interfecta, ignique combuſta fuiſſe dicitur. Ergo ante Imperium Meſſiæ, Romanum deletum eſt Imperiũ. *Aſpiciebam*, (inquit Daniel & vidi) *quoniam interfecta eſſet beſtia*, (ſcilicet quarta) *& perüſſet corpus, & traditum eſſet ad comburendum igni, aliarum quoque beſtiarum ablata eſſet poteſtas, & tempora vitæ conſtituta eſſent eis, vſque ad tempus, & tempus*. Deinde ſequitur de Meſſiæ Imperio vaticinium. *Aſpiciebam ergo in viſione noctis, & ecce cum nubibus cœli quaſi filius hominis veniebat, & vſque ad antiquum dierum.* *Dan. 7.*

dierum peruenit, & in conſpectu eius obtulerunt eum, & dedit ei poteſtatem, & honorem, & Regnum, & omnes populi, tribus, & linguæ ipſi ſeruient; poteſtas eius, poteſtas æterna, quæ non auferetur, & Regnum eius quod non corrumpetur. Hęc Daniel.

Reſpondendum eſt, Danielem cap. 7. de Imperio locutum Chriſti, quod poſt Romanum Regnum extinctum, poſt Antichriſtum in tartareas flammas præcipitatum, poſt iudicatum terrarum Orbem, in cœlo terraque erit glorioſiſsimum. Capite autem ſecundo, cùm ait, lapidem abſque manibus abſciſſum, in diebus regnorum illorum; eundem Meſsiã prædixiſſe, florente Romanorum Monarchia, in Orbe ex vtero virgineo naſciturum.

Quò ſe vertent Iudæi? ad falſitatem ſe vertunt;

Pſal. 57. *Errauerunt ab vtero, locuti ſunt falſa.* Regnum Romanorum, regnúmque Chriſti, & Eccleſiæ, vnum & idẽ eſſe aiunt, vt teſtatur Paulus Burgenſis Danielis octauo. Aſt in media luce hallucinantur, nec videre volunt Monarchiam Chriſti & Eccleſiæ toto cœlo à Monarchia Romanorum ſæculari eſſe diſtinctam. Nam Romanorum Monarchia ab Auguſto Cæſare cœpit, Monarchia Eccleſiæ poſt Chriſti paſſionem; illa bello ac formidine, inuito Romano populo parta eſt, hæc Chriſtianorum per totum Orbem prędicatione, omnibus populis lubentiſsimis eſt propagata; illa Auguſtum Cæſarem, Tiberium, reliquoſque Romanos habuit Imperatores, hæc Chriſtum habet Monarcham è cœlo gubernantem: ſummos verò Pontifices illius vicarios in terris rem Chriſtianorum publicam adminiſtrates; illa caduca fuit, ac perijt, hæc æterna eſt, ex Orbe terrarum in Orbe cœlorum tranſitura, atque inibi in ſempiternũ permanſura. Illa Monarchiæ Græcorum ſucceſſit, hæc Romana florente cœpit, illa beſtiæ ſimilis fuit, hæc cœleſtium Seraphinorum ſimilitudinem, ſpeciemque refert; illa ab hominibus poteſtatem habuit, hęc à Deo habet; neque enim ab alio poteſt Eccleſiæ poteſtas in animos, quam à Deo emanare. Illius terrena tantùm fuit poteſtas, huius maxime Cœleſtis eſt; cœlorum enim claues Romano Pontifici Deus tradidit. Denique illa Regnum fuit animale, ac corporale, hæc regnum eſt cœleſte, ac diuino Spiritu plenum. *Regnum meum* (ait Chriſtus, Regni huius Monarcha) *non eſt de hoc mundo*; non eſt Romanorũ Regnum ô Iudæi, ſed longe ab illo diuerſum. Non eſt hominum inuentum, non habet ab hominibus poteſtatem; non opibus, armis, honoribus, mundique voluptatibus conſtat. Cœleſte eſt, Dei inuentum, diuina poteſtas, gratiæ, virtutumq; fons, omnium bonorum origo.

Bargenſis. Monarchia Eccleſiæ diſtincta eſt ab Imperio Romanorum ſæculari.

Ioan. 18.

Præter hæc, quàm ſint diuerſa hæc duo regna, ſatis ſuperque oſtendunt à Romanis in Eccleſiam excitatæ turbulentiſſimæ tempeſtates. Vix caput extulerat Chriſtiana Eccleſia, cum terribilis beſtia magno oris hiatu ferreos exacuens dentes, in illam irruit, ſed inanis impetus fuit; vanus beſtiæ conatus, prædam non deuorauit, quin potius dentes, etſi ferreos fregit. Paruulus enim lapis, abſque manibus è monte abſciſſus, non aliena manu coniectus, proprio, non alieno impetu, proprijs non alienis viribus, nempè diuinis, ſtatuam deiecit, Romanumque Imperium, Romanoſque Imperatores ad pedes Põtificis ſui proſtrauit. *Lapis quem reprobauerunt ædificãtes,*

Pſal. 117. *hic factus eſt in caput anguli*, ô Iſraëlitæ, lapis ille paruulus, Meſsias ille humilis, quem vos reprobaſtis, inſuper & occidiſtis, is factus eſt in caput mundi. Nõne caput mundi Roma? hic Chriſtus colitur, hic adoratur, hic ſui Regni ſedem ad iudicij vſque diem collocauit, *à Domino factum eſt iſtud, & eſt mirabile in oculis noſtris*; ſi non eſt in veſtris quoque oculis mirabile, idcirco non eſt, quia luce carent. Lucem à Deo poſtulate ſubmiſſo animo, poſtulatam dabit; tunc quẽadmodum in noſtris, ſic in veſtris oculis mirabilis erit lapis reprobatus, in capite anguli & in capite mundi collocatus. Ergo (obgannit Iudæus) Romanum Regnum, eſt Regnum Chriſti, ſiquidem Romæ imperat. Negamus Romanum Regnum eſſe, de quo Daniel agit, terrenum, immane, belluæ effigie demonſtratum. Quintum Regnum eſt Meſſiæ, longiſſime à Romana illa Monarchia, vt vidiſtis diuerſum; tametſi è Romana Vrbe, toti terrarum Orbi iura dicat cœleſtia, ac ſpiritualia. Quintum Regnum eſt, quod quarti Regni, id eſt, Romanorum ſtatuas, idololatriã, idololatraſque Imperatores euertit, illudque ſibi diuina poteſtate ſubiecit, Romanaque vrbe cedere fecit.

CAPVT V.

Veniſſe Meſsiam confirmant Danielis Hebdomadæ ſeptuaginta.

NON ſolùm in occaſu Sceptri Iudaici, Templi, Romanæque Monarchię, aduentus Meſſię certiſſima ſigna propoſuit Scriptura ſacra, quæ iam vidimus: verùm etiam definitum, atque abbreuiatum tempus deſignauit, quo eſſet in orbem venturus, vt mox videbimus. Nam apud Danielem celeberrimũ vatem Gabriel Angelus, vſque ad Meſsię acerbiſsimam necem, humanique generis ex duriſsima peccati captiuitate redemptionem, Hebdomadas enumerat ſeptuaginta. Quemadmodum enim Babylonicæ captiuitati per Cyrum terminãdæ ſeptuaginta anni, ſic peccatorum captiuitati per Meſſiam diſſoluendæ, ſeptuaginta hebdomades commodè à Deo ſunt deſtinatæ. Orabat Daniel Deum poſtquã ſeptuaginta captiuitatis Babylonicæ anni iam efluxerant, vt populum in ſuam aſſereret libertatem, tum ſubitò adfuit Gabriel Angelus, orantique vtrãque prædixit liberationem, tum è Babylonis, tum vel maximè ex peccati ſeruitute; erat enim vtraque cõnexa, prior nimirũ vmbra & imago poſterioris.

Dan. 9.

Daniel (inquit Angelus) *nunc egreſſus ſum, vt docerem te, & intelligeres. Ab exordio precum tuarum egreſſus eſt ſermo: ego autem veni, vt indicarem tibi, tu autem animaduerte. Septuaginta hebdomades abbreuiatæ ſunt ſuper populum tuum, & ſuper vrbem ſanctam tuam, vt conſummetur præuaricatio, & finem accipiat peccatum, & deleatur iniquitas, & adducatur iuſtitia ſempiterna; & impleatur viſio & Prophetia; & vngatur Sanctus ſanctorum. Scito ergo, & animaduerte: ab exitu ſermonis, vt iterum ædificetur Hieruſalem ad Chriſtum Ducem, hebdomades ſeptem, & hebdomades ſexaginta duæ erunt; & rurſum ædificabitur platea, & muri in anguſtia temporum; & poſt hebdomades ſexaginta duas occidetur Chriſtus. Et non erit eius populus, qui eum negaturus eſt. Et ciuitatem, & Sanctuarium diſſipabit populus cum duce venturo, & finis eius vaſtitas; & poſt finem belli ſtatuta deſolatio. Confirmabit autem pactum multis, hebdomada vna, & in dimidio hebdomadis deficiet hoſtia, & ſacrificium; & erit in templo abominatio deſolationis; & vſque ad conſummationem & finem perſeuerabit deſolatio.* Hęc Angeli vaticinatio; cuius ſententia quàm vera ſit, ipſe exitus comprobauit; eam autem perſpicue breuiterque, ſic pro tenui noſtra parte explicamus.

Dan. 9.

Explicantur Angeli dicta de 70. hebdomadibus.

Septuaginta hebdomades (ait Gabriel) non illæ quidem dierum, ſed annorum, quæ annos efficiunt quadringentos nonaginta, abbreuiatæ ſunt, deciſæ, à Deo definitæ, ac decretæ. Pluſquam tria annorum millia à perpetrato peccato effluxerunt, necdum redemptor aduenit; at non tam longum, quouſque veniat, reſtat tempus, abbreuiatum à Deo eſt, & in ſeptuaginta annorum hebdomadas contractum. Abbreuiatæ ſunt ſeptuaginta hebdomades ſuper

populum tuum Israël, & vrbem Hierusalem, pro qua precaris, vt consummetur præuaricatio, & finē accipiat peccatum, & deleatur iniquitas.

Deus bone, quam perspicue de Christo vaticinatur, quis præuaricationem primi parentis, sanguine deleuit? Quis peccato in genus humanū crudeliter grassanti, finem imposuit? quis iniquitatis lucem, quæ cunctos infecerat, aboleuit? Sane Christus Deus, homoque verus, qui si homo solùm esset, peccato summo iustitiæ iure non satisfeciſſet, si Deus tantùm esset, sanguinem quem funderet, non habuisset. Iā verò illud quod sequitur: *Et adducatur iustitia sempiterna, & impleatur visio, & prophetia*, in quē alium quadrare potest? quis iustitia exulantē in terras adduxit? quis Prophetarum visiones, vaticiniaque cumulatissime impleuit? Christus profectò iustitia è cœlo euocauit, cruore effuso promeruit, sempiternum illi domicilium in animis hominum collocauit, quæcumque de Messia Prophetæ & viderunt, & prædixerunt, perfecit: Qui, vt Tertullianus scribit aduersus Iudæos, signaculum fuit omnium Prophetarum, adimplens omnia, quæ retro de eo Prophetæ nuntiauerant.

Illud autem, quod additur, quàm apertum est? *Et vngatur Sanctus Sanctorum*, Ecquem hominum Sanctū Sanctorum diuinæ literæ appellarunt, siue sanctitatem sanctitatum, vt hebraicè legitur, præter Messiam? Messias vnicus est Sanctus Sanctorum, siue Sanctitas Sanctitatum; quippe qui sanctos omnes longè superet, fonsque sit totius sanctitatis, à quo omnes sancti, quidquid habent sanctimoniæ, hauserunt, haurientque perpetuò. Vnctus autem est, non spectabili oleo, ab aliquo vel sacerdote, vel propheta, sed oleo spiritali ac cœlesti, sanctissimo spiritu. Iam vides quā perspicuè Angelus Gabriel de Messia loquatur.

Hebdomadas deinde septuaginta in tres partes diuidit, in septem hebdomadas, & sexaginta duas, vnamque celeberrimam, atque extremam, in qua Christus cruci suffixus peccatum aboleuit, sempiternamque iustitiam in terrarum orbem adduxit. *Ab exitu*, inquit, *sermonis, vt iterum ædificetur Hierusalē, vsque ad Christum siue Messiam ducem, hebdomades septem, & hebdomades sexaginta duæ erunt*, hoc est, ab exitu, &c. vsque ad tempus, quo Massias in Palæstina palam apparebit, populoque concionari, & miracula patrare incipiet, erunt hebdomades sexaginta nouem, quæ efficiunt annos 483. Christus enim initio septuagesimæ hebdomadæ cœpit concionari & miraculis splēdescere. In prioribus illis septem hebdomadis, quæ annos continet 49, plateæ Hierusalem domusque, & muri, magno cum labore exædificabuntur. Post has verò septem, & alias sexaginta duas hebdomadas, hoc est, post sexaginta nouem, in ipsa septuagesima, & vltima hebdomada, *occidetur Messias. Et non erit eius populus qui eum negaturus est*, scilicet Iudaicus, hebraice ואבלו ve en lo, id est, & non ei, his pauciſſimis verbis hic sensus inest; Non erit ei subaudi, populus Iudaicus, qui eum negauit.

Septuaginta interpretes subintellexere (iudiciū) atque adeò sic vertunt; Et destruetur vnctio, & iudicium non est in eo, id est, Christi vnctio excellētissima disperdetur, vnctum eum, id est, Messiam esse non agnoscent Iudæi, quin potius occident. Item, disperdetur vnctio Iudæorum, quia si vnctum Messiam recepissent, ab eo vngendi fuerant cœlesti gratia, doniſque Spiritus sanctissimi. *Et iudicium non est in eo*, id est, in eo occidendo iudicium nullum, nulla æquitas, nulla iustitia à Iudæis seruata est, odium & inuidiam, non iudicium, sunt secuti. Græcè legitur, κρίμα, quod omnem damnationem quoque significat, vnde exponi etiam potest; Et iudicium non est in eo, id est, in Christo, nulla fuit damnatio, nulla dānationis causa, veluti innocentissimus agnus vita priuatus est.

Hebraice verbum est כרת carath, quod significat occidere, & excindere. Vnde Pagninus vertit, excidetur Christus, scilicet velut arbor. Quēadmodum enim arbor semel abscissa, repullulat, iuxta illud Iob: *Lignum habet spē si præcisum fuerit, rursum vireſcit, & rami eius pullulant*, sic Christus excisus quidem est vt arbor, sed tertia die repullulauit. *Si in ligno viridi* (ait ille) *hæc faciunt*, &c. arborem viridem se appellat, quia excisa mox reuiruit. Iob 14. Luca 23.

Quia verò Gabriel necē Messiæ prædixerat, meritum pro tanto scelere supplicium subiungit; quāuis in has septuaginta hebdomadas id supplicii nō inciderit. *Ciuitatem*, ait, *& sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo; & finis eius vastitas, & post finem belli, statuta desolatio.* Occidetur quidem Christus, sed non ferent impune tantum facinus Iudæi; Romanus enim populus cum duce, id est, Imperatore venturo Tito, meritas pœnas sumet, ciuitatem Ierusalem, post Babylonicum exilium extructam euertet, templumque solo æquabit. *Et finis eius vastitas*, hebraice, finis eius in inūdatione, quocirca Septuaginta vertūt, succidetur sicut in diluuio. Fuit enim inundanti diluuio similis atrox illa calamitas, quæ ob necem sanctissimo Messiæ illatam, Iudæos oppressit, atque vastauit. Quemadmodum verò diluuium antiquū pauci effugere, quos diuinitus fabricata arca suscepit, sic hoc pauci ex Iudæis euasere, quos diuina in Christū fides amorque liberauit, cęteri vel acerbissimæ mortis, vel incredulitatis præda fuerunt.

Restat hebdomada vna, eaque extrema septuaginta hebdomadum, de hac sic Angelus: *Confirmabit autem pactum multis hebdomada vna; Et in dimidio hebdomadæ deficiet hostia, & sacrificium: Et erit in templo abominatio desolationis: Et vsque ad consummationem, & finem perseuerabit desolatio.* Dicitur hæc fœliciſſima hebdomada, quæ septem continet annos vltimos, confirmasse pactum, quia in illa Messias suo sanguine nouum pactum, siue testamentum confirmauit, vnde sanguis Christi dicitur sanguis noui Testamenti confirmator, vt lib. 1. iam diximus. Confirmauit item pactum nouum miraculis, & doctrina, tum ipse Christus, tum eius Apostoli tota illa hebdomada in Iudæa. De vltima hebdomada.

In dimidio autem eius defecit hostia, & sacrificium Iudæorum, quia in dimidio illius hebdomadæ Christus corporis, sanguinisque sui augustissimū instituit sacrificium, seque in cruce veluti altari, holocaustum patri obtulit gratissimum, qua oblata hostia ritus Iudaici, ceremoniæ, sacrificiaque abrogata defecerunt, vimque omnem amiserunt. Deincepsque, vt D. Leo ait homil. 8. de passione, carnalium sacrificiorum varietate cessante omnes differentias hostiarum vna corporis & sanguinis Christi implet oblatio, vnumque est pro omni victima sacrificium. Etenim postquam verus Abel, id est, Christus, sacrificium Deo obtulit, respexit Dominus ad Abel, & ad munera eius. Ad Cain verò, id est, Iudaicum populum fratris sui interfectorem, & ad sacrificia & munera eius, non respexit. D. Leo.

Aliter quoque possunt hæc verba exponi; *in dimidio hebdomadæ deficiet hostia, & sacrificium*, hebraicè legimus וישבית Iasbith, id est, requiescere faciet, scilicet Deus hostiam & sacrificium. Fecit enim Deus in ipsa septuagesima hebdomada requiescere Messiam in sepulchro à redemptionis opere, quod patrarat; quemadmodum ipsa septima die ab opere creationis requieuerat; fecit, inquam, requiescere Messiam in sepulchro, qui in cruce hostia fuerat, & sacrificiū. Ideo præclarè dicitur, requiescere faciet hostiam, & sacrificium à cruciatibus, & doloribus, Cen 4.

bus, quos in altari crucis ſeſe Patri offerendo pertulit. Vnde Auguſt. Sabbatum, quo Deus requieuit initio ſeculi, prænuntium eſſe vult Sabbati, quo Dominus requieuit in ſepulchro. Quid mirum, ait, ſi Deus iſtum diem, quo erat Chriſtus in ſepulchro quieturus, volens etiam hoc modo prænunciare, ab operibus ſuis in vna die requieuit? &c.

Auguſt. l. 4. de Geneſ. ad literã, c. 11.

Dixit verò Angelus: *Confirmabit multis pactum.* Quemadmodum Chriſtus dixit: *Hic eſt ſanguis noui Teſtamenti, qui pro vobis, & pro multis, effundetur.* Sufficienter pactum omnibus confirmauit, quemadmodum ſi de ſufficientia agitur, ſufficientiſsime pro omnibus ſanguinem fudit. at quemadmodum efficaciter pro multis ſanguinem teſtamenti confirmatorem fudit, ita efficaciter multis teſtamentum ipſum, ſiue pactum confirmauit. Vel dicendum, multis, dictum pro omnibus. Nam, vt Auguſt. ait lib. 20. de ciuit. cap. 23. ponit aliquando Scriptura pro omnibus vocabulum, multos.

D. Auguſt.

Poſt hæc ſupplicium repetit, & inculcat Angelus, quo Iudæi à Deo ob necem Meſsiæ affecti ſunt. Quamuis enim multo poſt ſeptuaginta hebdomadas acciderit, quadrageſimum circiter annum poſt Domini paſſionem, tamen quia cum crimine coniunctum eſt, poſt crimen commemoratum, ſupplicij quoque ſemel & iterum meminiſſe oportuit.

Theodoret.

Quæ autem fuerit illa in templo deſolatio abominationis, longum eſſet nunc explicare, ſunt enim ea de re variæ, diſcrepanteſque ſententiæ, quas tũc Deo fauente explicabimus, cùm ad eum Matthæi locum perueniemus, in quo de hac abominatione Chriſtus fecit mentionem. Sed nunc paucis mihi videtur lectio Hebraica diſcutienda, ea verò ſic habet על כנף שקוצים משמם al cenaph ſiquſim meſomem. Al præpoſitio præter cæteras ſignificationes, ſignificat ſuper; canaph ſignificat alam, & templi pinnaculum: quod enim Matth. 4. dicitur Græcè πτερύγιον, Latine pinnaculum, in Syriaco Euangelio appellatur Canepha, id eſt, faſtigium templi, in quod Satanas Chriſtum pertulit. Quamobrẽ hoc loco Danielis canaph pinnaculum templi ſignificare videtur, ſenſuſque noſtræ lectionis eſt: Et erit in templo abominatio deſolationis, id eſt, ſuper pinnaculum templi, in celſioribus templi partibus, & in ipſo denique templo. Hæc autem abominatio (vt exiſtimo) fuit templi violatio à ſeditioſis Iudæis, qui è templo veluti munitiſsima arce aduerſus hoſtes pugnarunt, illudque multo effuſo ſanguine polluerunt.

Dan. 2.

Quid ſit abominatio deſolationis.

Qua de re Ioſephus ſic ſcribit zelotæ (ſic enim vocabantur a zelo patriæ) occupato interiore templi aditu, ſuper eius portasin ſacris foribus arma ponũt & abundare quidem ſe ſuis neceſſarijs confidebãt, ſacrarum enim rerum copia ſuppetebat, nihil impium exiſtimantibus, crebri fiebant impetus, & miſſilium iactus, totumque polluebatur cædibus tẽplum. Miſsilia machinarum vi ad aram vſque templumque peruenientia, in ſacerdotes ſacra celebrãtes cadebant, ac multi, qui properantes ab vltimis finibus terræ, ad ſanctiſsimũ locum veniſſent, ante ipſas hoſtias procubuerunt, aramque ſuo ſanguine imbuere. Indigenis autem mortuis alienigenæ, ac ſacerdotibus profani miſcebantur, perq; atria diuina ſtagnum fecerat diuerſorum cadauerũ ſanguis. Hæc ex Ioſepho carptim, omiſsis ijs, quæ ad rẽ noſtram non attinẽt, cauſa breuitatis. Hæc verò templi violatio, antequam Romani vrbem obſiderent, contigit, cùm ipſi inter ſe Iudęi diſſiderent, bello ciuili perirent, templúmque polluerent. Quocirca Ioſephus adiungit: Quid tantum paſſa es ô miſerrima ciuitas à Romanis, qui tua inteſtina ſcelera flammis purgaturi introiêre? Iam enim Dei locus

Ioſephus lib. 6. de bello cap. 1.

Ioſephus.

A non eras, neque manere poteras, domeſticorum funerum facta ſepulchrum, & quæ fanum ciuili bello tumulum conſtitueras. Veſpaſianus quoque lib. 5. cap. 2. Iudæorum inteſtina mala non ignorans, iam ante dixerat, Deum meliùs, quam Romanos diſponere, qui ſine labore Iudæos Romanis traderet, nulloque periculo victoriam condonaret: proinde manibus propriis intereuntibus inimicis, maximoque malo, id eſt, ſeditione turbatis, debere Romanos potius periculorum ſpectatores eſſe, quã cum hominibus mortem appetentibus, atque inteſtina rabie inſanientibus, confligere. Itemque dixit: Iudæos bello domeſtico, ac diſſenſione tumidos, B miſerabiliora pati quotidie, quàm Romani in vrbe intromiſsi, eos captos afficerent.

Templũ ipſi Iudæi polluerũt indignãtibus Romanis.

Cùm verò Hieruſalem à Romanis obſeſſa iam eſſet, de templi contaminatione ſcribit hæc idem auctor: Seditioſi ſupra ſacras portas, iacula, & baliſtas, & ſaxorum diſpoſuere tormenta, vt omne quidem circum fanum ſpacium, multitudine mortuorum ſepulchro, templum verò ipſum caſtello ſimile videretur. In loca verò ſancta, & inacceſſa, cum armis adhuc & manibus gentili cæde calentibus, inſiliebant. Et ad hanc proceſſere iniuriam legis, vt quam Iudæos indignationem oporteret exercere, ſi hæc Romani admitterent, ea tunc in Iudæos propria ſacra temerantes, vterentur Romani milites, C &c. Non milites ſolùm indignabantur Iudæis, templum violantibus, verùm Titus etiam ipſe, Veſpaſiani Imperatoris filius, bellique dux, eiſdem eam profanationem exprobrauit, eodem Ioſepho teſte lib. 7. cap. 4. Nónne (ait Titus) vos ſceleratiſsimi, cancello ſanctum locum pertexiſtis? nónne literis græcis, ac noſtris, id eſt, latinis, inciſas tabulas conſtituiſtis, quibus ne ſepta cuiquam tranſgredi liceret, edicitur? nõne eos, qui tranſiſſent, quamuis Romanus quis eſſet, vobis necare promiſimus? Quid igitur in eo, etiam mortuos conculcaſtis, ô nequiſſimi, aut cur templum, & externi, & gentilis ſanguinis confuſione, polluiſtis? Hæc Titus.

Ioſephus. l. 7. c. 4.

Si quis ſepta templi trãſgrederetur, etſi Romanus eſſet, occidebatur.

Hanc ergo violationem, puto abominationẽ appellari, hoc ſenſu. *Et erit in tẽplo abominatio deſolationis*, hebraicè, abominationes, numero plurali, hoc eſt, erit abominanda violatio templi, erunt in templo homines abominatione digni, qui in templum veluti in arcem ſe recipient, ex eo pugnabunt, illudq; cædibus, & ſanguine, profanabunt. Quia verò ex tẽpli pinnaculis, ſuperioribúſve locis iacula emittebant, dicitur hebraice, erit ſuper pinnaculum abominatio. Abominatio enim erat, e templi pinnaculis pugnare, ciueſque interficere, in cuius atria, ei qui cadauer tetigiſſet, ingredi nefas fuit.

Objicitur huic ſententiæ. Hanc abominationem non poſſe dici deſolationis, eo quod non euerterit templum, & vrbem, quam Romani exciderũt. Sed quiſquis hoc obiecerit, legat quæſo Ioſephũ, & intelliget hos ſeditioſos homines, qui templum occuparunt, & templum ipſum euertiſſe, & ciuitatem. Etenim ſi non obſtitiſſent hi, ciuitatem Iudæi Tito humaniſsimo Duci, Romaniſque tradidiſſent, quod ſi feciſſent, nec templum nec ciuitas æquata ſolo fuiſſet. At permiſit Deus ſeditioſorum abominationem, ac obſtinationem, vt ciuitas omnino excinderetur, templum igne deflagraret, Chriſtiq; illud vaticinium impleretur: *Non relinquent in te lapidẽ ſuper lapidem, eo quod non cognoueris tempus viſitationis tuæ.*

Luc. 19.

Fuiſſe autem illam ſeditioſorum abominationẽ deſolationis, oſtendit Titus apud Ioſephum, cùm Ananus quidam & Archelaus, ex ſeditioſorum numero ad illum profugerunt. Aiebat enim non voluntate, ſed neceſſitate veniſſe, nec ſalute dignos eſſe, incenſam ipſorum cauſa patriam deferentes.

Ioſephus. l. 7. c. 7.

En

En Titus ſeditioſos euerſionis patriæ cauſam effectricem eſſe affirmat. & lib.7.c.13. ſic ſeditioſos alloquitur idem Titus,etiam ſaturati eſtis patriæ malis ô viri,quibus neque virtutis noſtrę, neque infirmitatis propriæ venit in mentem , ſed inconſulto impetu ac furore,perditis populum,& ciuitatem,ſimul ac templum,ipſi quoque iuſtè perituri ? Quoties vici, toties vos ad pacem tanquam victus prouocaui. Cum propè ad templum,acceſſiſſem, conſulto iterum legis belli oblitus , parcere vos propriis ſanctis orabam,templumque ſeruare, data vobis exeundi copia,& fide ſalutis; vel etiam pugnare alio tempore ſi velletis in alio loco, facultates præbui,iſta omnia ſpreuiſtis, & templum manibus veſtris incendiſtis,&c. Hæc Titus, Præterea abominatio deſolationis, id eſt, euerſionis & incendij , dici poterat illa templi profanatio,eo quòd cauſa fuerit illius incendij, quo templum conflagrauit : ſi enim ex templo non fuiſſet pugnatum , templum non fuiſſet inflammatum.Lege Ioſephum lib.7. de bello cap.9.& 10. Ad hæc,nõne ſtrages à ſeditioſis editæ,qui templum obtinebant,ſatis ſunt,vt abominatio dicantur deſolationis? vt omittam alia;Idumæos illi in ciuitatem noctu intromiſere, à quibus ea nocte octo millia hominum interfecta commemorat Ioſephus lib.5.cap.vlt. Deinde 6.libri initio ſic ſcribit:Tam Zelotæ,quam Idumæi,paſsim plebem,quaſi nefandorum animalium gregem,irruendo mactabant;& vulgus quidem in quolibet loco deprehenſum necabatur;correptos autem nobiles, & adoleſcentes vinctos in carcerem concludebant,ſpe nonnullos eorum ſibi poſſe ſociari nece dilata . Verum hæc nullum mouebant, ſed cuncti mortem præoptauerant, dummodo ne aduerſus patriam communem nequiſſimè conſpirarent.Sæuiſſima tamen ante cædem verbera ſuſtinebant exulcerati plagis atque tormentis, cumque iam corpus non ſufficeret cruciatibus,tandem gladium merebantur. Duodecim autem millia nobilium periere,&c.

Ioſephus.

Nec illud hoc loco prætermittẽdum, quod idem Ioſephus ſcribit: Vetus,inquit,quidam ſermo ferebatur , tunc demum ciuitatem captum iri, ſancta quoque flammis exurenda eſſe lege belli,cum ſeditio fuiſſet exorta,fanumque Dei propriæ manus ante violaſſent . Quibus Zelotæ, nihil de eorum fide dubitantes,miniſtros ſe præbuerunt,&c. Vetus igitur ſermo ferebat,Iudęorum ſeditionem,templique violationem, cauſam vel ſignum fore deſolationis, quis ſit is ſermo non docet Ioſephus.Forſitan antiqui Hebræi ante Chriſtum , ex hoc Danielis loco, illum deprompſerunt, eoque modo Danielem interpretati ſunt,quo nos interpretamur.

Ioſephus l.5.c.2.

Iis adde , etſi ſeditioſi illi euerſionem ciuitati, temploque non intuliſſent , tamen templi illam profanationem, rectè appellari potuiſſe abominationem deſolationis, propterea quod etſi non cauſa efficiens,tamen ſignum fuiſſet deſolationis; vt ſignum enim deſolationis proponitur à Chriſto Optimo Maximo . *Cũ videritis abominationem deſolationis, ſtantem in loco ſancto,*&c. Id eſt, cùm videritis violari templum, in arcem conuerſum, & ex illo pugnare homines ſeditioſos, hoc ſignum ſit vobis certiſsimum excidij tum vrbis, tum templi : tunc igitur, quia imminet vrbis obſidio, & euerſio à Romanis, qui in Iudæa ſunt,fugiant in montes,&c.

Matth.24.

Dicet aliquis templum illud tunc temporis, antiquatis Chriſti morte ſacrificijs,cæremonijſq; Iudaicis abrogatis,locus ſacer nõ erat,ergo nec rectè dicitur violatum,nec rectè appellatur illius violatio , abominatio: abominanda enim violatio, eſt loci ſacri execranda profanatio . Reſpondemus, Danielem & Chriſtum loqui,ex opinione Iudæorum, quibus locus templi maximè ſacer, etiam tũc ducebatur,abominandaque illis credebatur profanatio.Præterea , quamdiu cum honore Synagoga ſepeliebatur,Iudaicique ritus , Iudæis conuerſis ad Chriſtum , permittebantur, templum ipſum iam ante Deo dicatum , non omni religione videtur caruiſſe,ideoque abominatio dicitur illius contaminatio.

Alij arbitrãtur abominationem deſolationis appellari exercitum Romanorum,qui Ieruſalem circumdedit & euertit . Abominatio quidem dicitur, quia ex ijs hominibus erat conflatus,qui idola colebant,deſolationis, quia vrbem templumque deſolauit. Fauet D. Lucas huic explanationi,qui pro veris illis Chriſti: *Cum videritis abominationem deſolationis,* &c. Hæc ſcripſit; *Cum videritis circũdari ab exercitu Hieſalem,tunc ſcitote quia appropinquat deſolatio eius* . Verùm hæc explanatio non ſatis congruit cum verbis Danielis, & Chriſti . Danielis enim verba huiuſmodi ſunt; *Et erit in templo abominatio deſolationis* ; Verba autem Chriſti hæc: *Cum videritis abominationem deſolationis quæ dicta eſt à Daniele Propheta ſtantem in loco ſancto.* At exercitus Romanorum,qui vrbem circundabat,nõ ſtabat in loco ſancto,non ſtabat in templo, ſed longè à templo extrà vrbem.Lucas autem aliud ſignũ euerſionis,aliud Matthæus indicauit.

Matth.24.

Congruet explanatio cum verbis Danielis & Chriſti,ſi abominationem, vel abominationes deſolationis,vt hebraicè legitur , dicamus appellari Romanorum abominanda vexilla in templo erecta:Nam Romanos vexilla in templo erexiſſe,Ioſephus refert:Romani, inquit , poſtquam ſeditioſi ad ciuitatem confugere,templo,itemque omnibus circum locis ardentibus, ſigna in fano poſuere, contra portam Orientalem . Hique ibi ſacrificio celebrato,maximis cum clamoribus , declarabant Titũ Imperatorem.Hoc eſt,quod Daniel ait,erunt ſuper pinnaculum abominationes deſolationis , id eſt,in editis locis templi figentur execranda vexilla Romanorum,qui vrbem,templumque deſolabũt.Hæc eſt abominatio(vt Dominus loquitur) ſtans in loco ſancto.Nec ſolum in templo , ſed in turribus etiam vrbis fixere ſigna,vt idẽ Ioſephus narrat lib.7. cap. 6. Muris,inquit, potiti Romani , ſigna in turribus poſuere,& plauſu,ac lætitia victoriam,& cantu celebrabant,&c. Addiderim tertium ſenſum , poterit abominatio deſolationis,abominandas flammas ſignificare,quæ templum combuſſerunt. Hoc pacto, erit in templo abominatio deſolationis,id eſt,erunt in templo abominandæ flammæ,quibus templum deflagrabit,ac deſolabitur.

Ioſephus l.7.c.13.

Romani in templo ſigna poſuere.

Ad extremum,non fore inſtaurandum Iudæorũ antiquum ſtatum,prædicit Angelus illis verbis : *Et vſque ad conſummationem & finem perſeuerabit deſolatio.* Quaſi dicat, poſt excidium à Chaldæis illatum , inſtaurabitur Iudæorum Reſpublica; at poſt euerſionem à Romanis patratam, nullo vnquam tempore reuiuiſcet ; vſque ad conſummationem & finem mundi,illius deſolatio perſeuerabit.

Prædicit igitur Angelus,primò,à Meſſia expianda peccata,ſempiternamque iuſtitiam in orbẽ afferendam.Secundo,implendas prophetias. Tertio, Meſſiam intra ſpatium ſeptuaginta hebdomadũ, id eſt,490.annorum venturum. Quartò,occidendũ poſt hebdomadas ſexaginta nouem, in ipſa hebdomada ſeptuageſima. Quintò , Iudæorum legem & ſacrificia abroganda.*Deficiet*,inquit, *ſacrificium & hoſtia.*Sextò,vrbem & templum à Romanis euertendũ. Septimò, Reipublicæ Iudaicæ euerſionem fore perpetuam. Quæ omnia exitus comprobauit.

Angeli prædictio.

Numerent igitur Iudæi vnde velint has hebdomadas,ſi placet à Sedechia,à Cyro,à captiuitate Babylonica,

bylonica,vel quærant alia quæcunque effugia. Sane reperient,iam pridem præteriiſſe. Si autem effluxere ſeptuaginta hebdomades,Meſſiæ aduentui deſtinatæ;perſpicuum eſt Meſſiam iam veniſſe,occiſum eſſe,peccata hominum ſuo cruore expiaſſe, ſempiternam iuſtitiam adduxiſſe, prophetias impleſſe,ſacrificia,rituſque Iudaicos abrogaſſe. Compertum quoque Iudæorum Rempublicam ob necem Meſſiæ ſuo illatam,à Romanis ſolo æquatam,nullo vnquam tempore inſtaurandam.

Vnde incipiãt hebdomades, vbi deſinant. Vnde autem incipiant hebdomades,ſi quæras, & vbi deſinant. Reſpondeo,quòd ex dictis exploratũ eſt,cœptas ab exitu ſermonis, vt iterũ ædificaretur Ieruſalem,poſt captiuitatem Babylonicã; finẽ autẽ accepiſſe paulo poſt paſſionem Chriſti Optimi Maximi. Exitus autem ſermonis, vt iterum ædificaretur Ieruſalem ; ſignificat ſermonem, vel promiſſionem, vel facultatem,ad extruendam vrbem Ieruſalem, profectam ſiue egreſſam ab ore Dei, vel prophetæ, vel Regis Perſarum.

Ieremi.29. Huiuſmodi exitus quinque fuere. Primò,exiit ab Ieremia ſermo reuerſionis populi e Babylonica regione in Iudæam, poſt ſeptuaginta annos. Exijt, inquam, anno (vt videtur) quarto Sedechiæ Regis vltimi Iudæorum, ante captiuitatẽ annis 7. nã cap. 28. huius anni mentionẽ fecit Vates. Secundò exijt ſermo,ſiue promiſſio ex ore Dei,vt ædificaretur Ieruſalẽ,cũ Gabrielẽ Angelũ ad Danielẽ miſit. Miſit autẽ Angelũ ad Danielem anno primo Darij Regis *Dan.9.* Medi ; vt conſtat ex initio capitis ipſius Danielis. Tertiò exiit ſermo ab ore Cyri Regis Perſarum, qui primo anno Regni ſui Iudęis poteſtatẽ fecit redeũdi in patriã,templũque extruẽdi, vt dicitur 2. Paral. *2.Paral.vlt. 1.Eſdr.1.* & 1. Eſdr. Facultatẽ etiã dediſſe videtur exædificandæ vrbis,nec enim ad agros, ſed ad ciuitatem incolendam Iudæos remittebat in Iudæam. Quartò exiit ſermo ab ore Darij Hyſtaſpis Regis Perſarum ; is enim amplã largitus eſt facultatẽ Iſraëlitis extruendi *1.Eſdr.6.* templũ anno Imperij ſecundo, vt narratur 1. Eſdręe. Quod ſi facultatem largitus eſt extruendi templi, largitus etiam videtur extruendæ ciuitatis. Quintò exiit ſermo ab ore Artaxerxis Longimani, Regis itẽ Perſarũ,qui vigeſimo anno regni ſui, vt proditũ eſt *2.Eſdr.2.* memoriæ 2. Eſdr. permiſit Neemiæ e Babylonia in Iudęã reuerti,ad ędificandã Hieruſalẽ, quod ille ſũmo cũ labore præſtitit. Lege ſecundũ Eſdræ lib. c. 4.

Igitur hebdomadas Danielis,doctorum alij à primo,alij à ſecundo exitu,alij ab alijs cœpiſſe volunt. Longum eſſet eorũ ſententias recenſere, annoſque ad calculum vocare. Neque verò id nunc facere eſt opus, cùm ſatis conſtet, hebdomades ſeptuaginta, vndecumque numerentur,iam effluxiſſe, atq; adeò Meſsiam iam veniſſe,& eſſe à Iudæis occiſum,quod probare volumus.

CAPVT VI.

Dominum Ieſum eſſe Meſsiam, atque adeò iam veniſſe Meſsiam, oſtenditur ex conuenientia veteris Teſtamenti cum rebus Ieſu Opt. Max.

MIRA ſanè eſt veteris Teſtamenti cum nouo conſonantia,diuinus planè concentus,quem quia animi auribus fideliter hauriunt, & mirum in modum oblectantur,& Ieſum Optimum Max veriſsimum eſſe Meſsiã, in quẽ antiqua vaticinia omnia quadrant,magna cum oblectatione cognoſcũt. *D Ambroſ.* Vt enim Ambroſius ait in commentarijs D. Luc. c. 2. Omnis legis veteris ſeries, futuri typus fuit. Sed longiſſimam hanc ſeriem perſequi, omnesque eius typos,& vaticinia excutere,infinitum eſſet. Exigit ſuo iure argumentum hoc,& quidem præclariſsimum,& plæclaro aliquo ingenio digniſsimũ,magnũ opus,libroſq; multos. Nobis ſit ſatis ex tot dapibus nonnihil nunc libare, cùm vero ſigillatim de Chriſti geſtis agemus,quæ in rem erunt veteris Teſtamenti myſteria enucleare.

Quærendus autem eſt Meſsias tam in ipſa ſcripturæ litera(multa enim de Meſsia literali ſenſu intelligenda ſunt)quàm ſub literæ velamine, ſiquidẽ multa quoque ſub literæ cortice Meſsiæ,Eccleſiæq; myſteria deliteſcere perſpicuum eſt, vt ſuprà diximus,egregieque Origenes docuit initio commentariorum in Leuiticum iis verbis: Sicut in nouiſſimis diebus,Verbum Dei ex Maria carne veſtitum,proceſſit in hunc mundum,& aliud quidem erat, quod videbatur in eo,aliud,quod intelligebatur : Carnis enim aſpectus in eo patebat omnibus, paucis verò & electis dabatur diuinitatis agnitio,ita & cum per Prophetas,vel legiſlatorem, verbum Dei profertur ad homines,non ſine competentibus profertur indumentis. Nam ſicut ibi carnis, ita hîc literæ velamine tegitur,vt litera quidem aſpiciatur, tanquam caro,latens verò intrinſecus ſpiritalis ſenſus, tanquam diuinitas ſentiatur. Hæc ille.

In principio ergo Geneſeos,aduentus, mortiſq; Meſsiæ fundamentum iecit Moyſes , cauſamque propoſuit. Hoc autem fundamentum,hæc cauſa, Adami peccatum fuit,quod vniuerſi generis humani maſſam,quaſi venenatũ peſtiferumque fermentũ, infecit. In illo enim vno homine, omnes homines, vnus homo fuere,vt Auguſtinus docet, ideoque ab *D.Auguſt.* illo veluti fonte,omnes riuuli,ſerpentis tartarei veneno ſunt imbuti. In libro tertio de peccatorũ meritis & remiſsione capite 7. ſic ſcribit Auguſtinus: In Adam omnes tunc peccauerunt, quando in eius natura illa inſita,in qua eos gignere poterat, adhuc omnes,ille vnus fuerunt. Item eodem loco: Quid- *Cauſam aduentus Meſsiæ ſcilicet, peccatum Adami, Moyſes initio Geneſ. expoſuit.* quid erat in futura propagine, vita vnius hominis, ſcilicet Adami,continebat. & in libro 2. de nuptiis, & concupiſcentia cap. 5. Per voluntatem malam Adami omnes in eo peccauerunt, quando omnes, ille vnus fuerunt,de quo propterea ſinguli peccatũ originale traxerunt. Hæc ille. Vnde merito primus ille homo,non aliud,quàm commune hominis nomen habuit: Adam enim hominem ſignificat, quoniam veluti communis quidam homo erat, in quo reliqui omnes continebantur.

Memoriæ proditum eſt, Caligulam Romanum Imperatorem aliquando in hæc verba exclamaſſe: Vtinam populus Romanus vnam ceruicem haberet: videlicet, vt vno ictu poſſet totum populum abolere. Tartareus ſerpens plus quàm Caligula optabat,adeptus eſt,hic in vno populo vnam optabat eſſe ceruicem,quam feriret;ille in vniuerſo hominum genere vnam reperit,quam acutiſsimo peccati gladio cæderet. Illa vna Adami ceruix, totius humani generis ceruix erat, quod totum in Adamo principe,capiteque ſuo continebatur. Illa quoque vna Adami percuſsio,capitis totius humani generis percuſsio fuit; hominumque omnium non corporis ſolùm,verùm animi etiam mors acerbiſsima. *In Adamo omnes homines Diabolus occidit, quia ex eo omnes peccatũ traxit originale.*

Hoc itaque Adami peccatum Moyſes, initio ſui eximij operis,poſteaquam de mũdi creatione egit, memoriæ hominum prodidit, propterea quod aduentus Meſsiæ cauſa fuit. Peccatum autem Angelorum ſilentio præterijt , eo quòd Meſsias in orbem venit,nõ vt angelos,ſed vt homines redimeret,& à peccati ſeruitute immaniſsima liberaret. Angelum Moyſes ſubitò introducit in diabolum conuerſum, *Cur peccatũ Angelorum ſilentio præterijt Moyſes.*

ſerpen-

ſerpentiſque ore cum fœmina colloquentẽ, at quomodo in Diabolum ſit conuerſus, minimè enarrat; de peccato ſolùm agit, quod Meſſiæ ſanguine delẽdum erat. Id tantùm docet, ſerpentem funeſtiſsimum, in clariſſimum illum totius humani generis fontem Adamum, iuſtitia, gratia, ſcientiaque pleniſsimum, virus mortiferum euomuiſſe; humanumque genus, quod vniuerſum illo ex fonte aquam haurit, occidiſſe, quia hæc fuit Meſsiæ aduentus cauſa, hominum è peccato originali, reliquiſq; proprio actu commiſsis, veluti ex morte ſuſcitatio; non Iudæorũ in Palæſtinam, quam ipſi ſommiant, reuocatio.

Comminatus eſt homini Deus grauiſsimũ mortis ſupplicium, ſi arboris vetitæ fructu veſceretur. *In quacunque* (inquit) *die comederi, morte morieris.* Credit autem Auguſt. varia mortis genera comminatum. Cùm quæritur (inquit) quam mortem Deus primis hominibus fuerit comminatus, vtrum animæ an corporis, an totius hominis, an illam, quæ ſecunda dicitur? Reſpondendũ eſt; Omnes. Hæc ille. Mortẽ continuo ſubiit Adamus animi, quia gratię pretioſiſsimo dono, & originali iuſtitia priuatus eſt, morte corporis etſi non protinus eſt affectus, tamen eadem die, qua peccatum cõmiſit, mori cœpit, mortiſque neceſſitatem incurrit. Auguſt. Ego (inquit) die mutata in deterius eſt, viaque natura, atque a ligno vitæ ſeparatione iuſtiſſima, mortis in primis parentibus etiam corporalis, neceſſitas facta eſt. Præterea mortis æternæ, quam ſacræ literæ ſecundam vocant, debito ſe obſtrinxit. Tãti ſerpens cauſa mali, non hic, quem humum corpore verrentem cernimus, ſed ille, qui è cœlo cecidit, hoc indutus tanquam idoneo ſuæ nequitiæ inſtrumento. A primo parente in filios vtraque mors emanauit, tam animæ, quàm corporis, mors quoque illa, quam ſacræ literæ ſecundam vocant, qua homo in pœnis vinit æternis, ex illo fonte effluxit.

D. Auguſt. l. 13 de Ciuit. Dei, c. 12.

Auguſt. l. 13 de Ciuit. Dei c. 23.

Triplicem mortem intuxit peccatum Adami.

Erat igitur humanum genus triplici obnoxium morti, animi, corporis, mortique ſecundæ in cruciatu æterno, idque fraude Dæmonis. Potentiſſimo indigebant tot mortui excitatore è tot mortibus, nẽpe Verbo Dei. *Miſit* ergo (vt dicitur Pſal. 106) *Verbum ſuum, & ſanauit eos, & eripuit eos de interitionibus eorum*, nõ de vna ſola interitione ſiue morte, ſed de multis interitionibus eripuit: quia à morte animi, à morte corporis, à morte æterna liberauit. Hæc cauſa fuit, cur Deus homo factus eſt, ô Hebręi. Homo enim, qui ſolummodo homo eſſet, vitam mortuis à ſerpẽte occiſis reddere nequibat. Nam, vt ait Chryſoſt. Cecidit natura noſtra eo caſu, vt reſtitui nullo modo à quoquam, niſi ab illa Dei potẽtiſsima manu poſſet, qui hominem creauit, is ſolus tot mortis generibus occiſum potuit excitare; vnde idem Chryſoſtomus eadem homilia: Non poterat (inquit) aliter natura noſtra exurgere, niſi qui in principio eam effinxerat, manum porrexiſſet. Quemadmodum mundus hic magnus, ſi euerteretur, à ſolo Deo in priſtinum poſſet ſtatum reuocari; ſic paruus mundus, id eſt, homo, ſerpentis dolo euerſus, ab eodem ſolo Deo potuit inſtaurari.

Verbum Dei hominẽ à triplici morte eripuit. Chryſ. hom. 10. Ioan.

D. Chryſoſt.

At dicet Hebræus, potuiſſet Deus homines hac multiplici morte liberare: Quamuis homo non eſſet factus, quid igitur opus fuit humanam naturam aſſumere, ac mori? Reſpondemus, potuiſſe quidem Deum abſque humana natura, vitæ omnes homines reſtituere, tam animi quàm corporis. Atque adeò fatemur Verbi diuini incarnationem, & perpeſſionem, non fuiſſe abſoluto modo neceſſariam ad homines redimendos, vt docet D. Auguſt. lib. 13. de Trinitate cap. 20. Verumtamen aſſerimus, tãto malo conuenientius remedium inueniri non potuiſſe. Auguſtin. Eos (inquit) qui dicunt, ita ne defuit Deo modus alius, quo liberaret homines à miſeria mortalitatis huius? parum eſt ſic refellere, vt iſtũ modum aſſeramus bonum, & diuinæ congruum dignitati: verum etiã vt oſtẽdamus, non alium modum poſſibilem Deo defuiſſe, cuius poteſtati cuncta æqualiter ſubiacent, ſed ſanandæ noſtræ miſeriæ cõuentintiorem modum alium non fuiſſe, nec eſſe oportuiſſe, &c. Hic modus Dei erga nos ſummum amorem patefecit, hic omnium virtutum exemplar Chriſtum ad imitandum nobis propoſuit, hic amorem noſtrum erga tantum amatorem excitauit; hic Dæmonem victorem per naturam ipſam humanã, quã in Adamo vicerat, vicit in Chriſto, hic ex ſummo iure, iuſtitiæ diuinæ ſatisfecit, hic miſericordiæ diuinæ infinitum pelagus hominibus Angeliſque demonſtrauit.

Incarnatio verbi maxime conueniens remedium hominis ſanando.

Potuit quidem Deus liberali voluntate peccata hominibus condonare, potuit diabolũ ſumma potentia vincere. Verũ (vt ait Auguſt. 13. de ciuit. cap. 13.) diabolus non potentia Dei, ſed iuſtitia ſuperandus fuit. Iuſtitia ergo in cruce ſuperatus eſt, & iuſtitia illa, qua maior excogitari nequit; quippe quæ in ipſo Dei corpore, omniũ quę homines cõmiſerunt, ſcelerum, vltrix fuit. Etenim Chriſtus Opt. Max. omnia in ſe hominum ſcelera ſoluenda receperat, hominumque debitũ veluti fideliſsimus fideiuſſor, in ſe tranſtulerat; vt dixit D. Greg. Nyſſenus in Oratione de Chriſti Natiuitate, his verbis: Seipſum dedit quaſi pretium, quo redimeret eos, qui capti ac detenti erant, vt tanquã fideiuſſor quidam, tranſlato in ſe debito, liberaret eum, qui detinebatur ab iis, quorum erat in poteſtate, &c. Hinc illud Iſai. 9. *Puer natus eſt nobis, cuius principatus ſuper humerum eius*; Principatum enim ferebat Chriſtus ſuper humerum, quia orbẽ vniuerſum, cui imperat, ſuper humeros ferebat impoſitũ, vt quia ſoluendo orbis non erat, diuinæ iuſtitię pro orbe ſatisfaceret.

Auguſtinus. Diabolus nõ potentia ſuperatus, ſed iuſtitia.

D. Gregor. Nyſſenus hominis debitũ Chriſtus in ſe tranſtulit, ſoluendum. Iſai. 9 Principatus ſuper humerũ Chriſti.

Quemadmodũ neci ereptus eſt Iſaac, ictum verò paterni gladij, qui ſupra caput eius vibrabatur, aries veluti clypeus oppoſitus excepit; ita morti ereptus eſt homo, ictum verò diuini gladij, qui iugulũ illius petebat, innocentiſsimus agnus Chriſtus, veluti ſcutum obiectum ſuſtinuit. Quamobrem meritò à Dauide Deus ſcutum appellatur. *Tu autem Domine* (ait ille) *ſuſceptor meus es.* Hebraice, magen bagadi, hoc eſt, ſcutum circa me, vel ſcutum pro me. D. Hieron. ſic vertit: Tu autem Domine clypeus circa me, quo loco Septuaginta verterunt: *Miſericordiam, & veritatem diligit Deus*; hebraicè legimus, ſemes v magen lehouah, hoc eſt, vt vertit Hieronymus, Sol, & ſcutum Dominus. Deinde ſequitur, *gratiam & gloriam dabit*, &c. Scutum enim eſt Deus incarnatus crucique affixus, quod diuini gladij ictum ab homine propulſat; Sol item eſt, qui humani cordis tenebras pellit, Sol qui gratiæ lucem in terris, gloriæ verò lumen in cœlo donat. Sol eſt, quia bona omnia quæ luce ſignificantur, largitur: ſcutum eſt, quia mala omnia à nobis arcet.

Pſal. 3.

Pſal. 83.

CAPVT VII.

Secundus locus ex capite 3. Geneſ.

INITIO Geneſeos, vt diximus, iecit Moyſes incarnationis, perpeſsionisque diuini Verbi fundamentum, dum Adami peccatum literis conſignauit. Capite verò tertio, ipſam incarnationem, perpeſsionemque à Deo hominibus promiſſam docuit. Dirum enim ſerpentem nequiter exultãtem, quòd fœminam induxiſſet in fraudem, illiuſque opera virum

Gen. 3.

rum præcipitem egiſſet in peccatum, his verbis diuina miſericordia plenis, Deus compeſcuit. Inimicitias ponam inter te & mulierem, & ſemen tuum, & ſemen illius: Ipſa conteret caput tuum, & tu inſidiaberis calcaneo eius. Quibus diuini verbi incarnationem, perpeſsionemque veluti in ænigmate depinxit. Mulier enim illa, inter quam & ſerpentē inimicitias Deus poſuit perpetuas, Virgo eſt ſanctiſsima, cuius in viſceribus puriſsimis, diuinum Verbum naturam aſſumpſit humanam. Etenim grauiſsimas cum Dracone tartareo geſſit Virgo inimicitias; adeò vt nullam ſibi infeſtiorem fœminam, ille vnquam ſit expertus. Nec fuit Siſaræ infeſtior Iahel, cuius caput adacto per tempora clauo perterebrauit; nec Holopherni infeſtior fuit Iudith, quē pugione obtruncauit, nec Eſther Regina Amano, quem Rex Aſſuerus in crucem egit, quam fuit Virgo ſanctiſsima Draconi, cuius immane caput cōtudit, quod vniuerſo hominū generi peſtiferis faucibus teterrimum venenum affauerat. Quantumuis autē Virginis calcaneo crudelis ſerpens fuerit inſidiatus, leuiſsimum tamen, vel tenuiſsimi peccati venialis morſum, inferre nunquam valuit.

Virgo Deigenitrix cōtriuit caput ſerpentis.

Hæc eſt Meſsię veri Dei veriq́ue hominis mater; hęc ſecunda Eua, hoc eſt, vita, quę vitam mortalibus attulit, mortemque ac peccatum à prima Eua in orbem illatum expulit. Defenditur (ait Greg. Nyſſenus) & purgatur mulier à muliere. Prima aditum, & locum introëundi peccato dedit; hæc verò introeūti iuſtitiæ ſubſeruiuit, illa conſilium ſerpentis amplexa, atque ſecuta eſt, hæc interfectorem ſerpentis præbuit, illa per lignum peccatum introduxit, hæc per lignum bonū inuexit, id eſt per crucem. Et Auguſtinus: Cùm nemo, inquit, ſuccurreret, ad fęminā cauſa reuertitur, & origo per originem detrūcatur; origo peccati per genitricem Chriſti. Merito ergo Moyſes, poſtquam ſcripſerat peccatum, per fęminā à ſerpente ſeductam, in orbem ingreſſum, protinus alteram nobis propoſuit fœminam, ſerpenti inimiciſsimā, per quam peccatū expulſum, & iuſtitia in orbem eſt introducta. *Inimicitias* (inquit Deus) *ponam inter te, & mulierem.*

D. Gregor. Nyſſenus in orat. de Natiuit.

D. Auguſt. ſer. 17. de natali Domini.

Promiſsio incarnationis. Geneſ. 3.

Neque verò ſolius fęminę meminit, ſed filij quoque eius, ex quo vt ex fonte omnia in orbem bona emanarunt, ideoque addit: *Et inter ſemen tuum, & ſemē illius.* En tibi admirabilem Verbi incarnationem, à Deo hominibus promiſſam, ipſo eodem die, quo infauſto ſe crimine obſtrinxerant. Expende, quæſo, ſingularem Dei erga noſtrum genus clementiam, prius crimini perpetrato remediū promittit, quàm pœnas de reis ſumat. *Dum iratus fueris* (ait Habac.) *miſericordiæ recordaberis*, iratus erat Deus primis parentibus ob peccatum commiſſum, ſed iratus miſericordiæ recordatur, commiſſoque peccato ſtatim medicinam pollicetur. Vnde D. Leo Summus Pontifex: Deus, inquit, omnipotens & clemens, cuius natura bonitas, cuius voluntas potentia, cuius opus miſericordia eſt, ſtatim vt nos diabolica malignitas veneno ſuæ mortificauit inuidiæ, prędeſtinata renouādis mortalibus, ſuę pietatis remedia, inter ipſa mundi primordia præſignauit. Denuntians ſerpenti futurū ſemen mulieris, quod noxij capitis elationem ſua virtute contereret, Chriſtum ſcilicet, in carne venturum, Deum, hominemque ſignans, &c.

Habac. 3.

D. Leo ſer. 2. de Natiuit.

Chriſtus mulieris, id eſt, Virginis prædictū ſemen.

Chriſtum appellat Deus ſemen mulieris, non autem viri, vt obſeruauit Rupertus: quoniā ex Virgine abſque viri opera conceptus, natusque eſt. De quo ſemine (ait Rupertus) hęc dicuntur, niſi de vno, qui eſt Chriſtus? ipſe namque ſolus ita ſemen mulieris eſt, vt non etiam viri ſemen ſit. Filius ergo mulieris nō viri dicitur Chriſtus, quia ex Spiritu ſancto cōceptus in orbem prodijt, immortales cū ſerpētibus

A inimicitias geſturus. *Inimicitias* (inquit) *ponam inter te, & mulierem, & inter ſemen tuum, & ſemen illius*, id eſt, Chriſtum: has verò inimicitias ad mortem vſque perſecutus eſt, donec crucis baculo caput Draconis contriuit, illumque è mūdo expulit; *Princeps*, inquit, *huius mundi eiicietur foras*, vnde illud: *Tu humiliaſti ſicut vulneratum ſuperbū, in brachio virtutis tuæ diſperſiſti inimicos tuos*, Etenim Chriſtus caput ſerpētis contriuit ſua potentia; Virgo autem per Chriſti gratiam. Vnde D. Leo & alij legunt, ipſum ſcilicet ſemen, id eſt, Chriſtus, conteret caput tuum. Hebraicè nunc habetur, hu, id eſt, ipſum ſemen. Septuaginta interpretes vertūt; Ipſe ſcilicet Chriſtus; noſter videtur legiſſe (hi) id eſt, ipſa.

tom. 12.

Pſalm. 88.

B Semen verò ſerpentis dicuntur Dæmones, qui veluti illius filij ſunt; dicuntur etiam impij homines, quales Phariſæi erant, quibus Chriſtus dixit: *Vos ex Patre Diabolo eſtis.* hoc autem Draconis ſemen quā fuerit vſque ad mortem crucis, inimicum ſemini mulieris, quis non videt? Sed capiti inſidiari nō potuit ſerpens, id eſt, diuinitati, inſidiatus eſt calcaneo, infirmæ Chriſti parti, id eſt corpori, quod omnibus tormentis excruciatum ſuffixit cruci. At quemadmodum à tergo inſidiantem colubrum conuerſus viator baculo conterit, ſic Chriſtus inſidiantis Diaboli caput, ipſo crucis ligno contudit. Ipſe (vt vertunt Septuaginta) conteret caput tuum, ſcilicet crucis ligno. Tu inſidiaberis calcaneo eius, id eſt, cor-

Ioan. 8.

Chriſtus cōtriuit caput ſerpentis baculo crucis.

C pori: at ipſe eodē hoc calcaneo, id eſt, corpore vulnerato, & vita priuato, conculcabit caput tuum, vitamque hominibus reſtituet ſempiternam.

Hanc vitam hominibus per mulierem ſerpenti inimicam reſtituēdam, cum Adamus ex verbis hiſce audiuiſſet, vxorem ſuam, Euam, ſiue hebraicè חוה Chaua, id eſt, vitam nominauit; tum quòd mater futura eſſet viuentium per Chriſti redemptionē; tum quod hoc nomine vellet ſibi vitam à Chriſto afferendam in memoriam reuocare. Alioqui mirādum ſanè eſt, cur Adam vir ſapientiſsimus, eam vxorem voluerit vitam appellare, quæ mortem mūdo inuexit, eoque tempore nomen impoſuerit, quo à Deo ob commiſſum peccatum acerbam ſententiā audierat. Vnde Rupertus: Quid (inquit) inſanius, quàm in tali articulo Euam dicere eam, quæ nō ha-

D bet vitam? dicere matrem cunctorum viuentium eam, quæ potius eſt mater cunctorum morientium? Verùm Rupertus iniquior fuit Adamo, quā par eſt, dum ſic ſcribit: Deo dicenti: *Donec reuertaris in terram, de qua ſumptus es; quia puluis es; & in puluerem reuerteris*: adeò Adamus non credidit, vt econtrario vocaret nomen vxoris ſuæ Euam, id eſt, vitam, eo quòd eſſet mater cunctorum viuentium, &c. Nec enim credibile eſt, Adamum nō credidiſſe Deo; ideoque nomen vitæ impoſuiſſe vxori. Alia eſt ratio, quam reddidimus, vt alias omittamus, nomine illo vitæ, vitā per mulierem, quæ beatū Semen erat paritura, mūdo afferendam ſignificare voluit. Vitam quoq; appellauit; vt diuinum beneficiū vitæ, ſibi, vxoriq; donatæ ſemper mēte recoleret. Cùm enim ob peccatū morte digni eſſent, iuxta illud: *In quocūque die comederis eo, morte morieris*: vita à Deo donati ſunt.

Rupertus.

CAPVT VIII.

Ex tertio cap. Geneſ. tertius locus.

PECCATVM Adami omnium malorū ſeminarium, æternæ memoriæ prodidit Moyſes, ipſius deinde peccati remediū, Virginis filiū fore indicauit. Poſt hæc, cuiuſmodi fuerit, ante hoc remedium

Status hominum post peccatum Adami, à Moyse adumbratus.

allatum, hominum ſtatus, ſub typo edocuit. Scribit enim, Deum primos parentes à paradiſo expuliſſe. Ecce hominum (ante aduentum Chriſti) ſtatū. Quēadmodum primi parentes è Paradiſo terreſtri, ita è Paradiſo quoque cœleſti cum poſteris propter peccatū ſunt expulſi. Illa enim expulſio ex terreſtri, ex pulſionem ex cœleſti, adumbrabat. Adhibita verò cuſtodia ſignificabat, nullum ex hominibus, paradiſum cœleſtem ingreſſurum, antequam diuinæ iuſtitiæ, cuius nota verſatilis erat gladius, ſummo iure eſſet ſatisfactum. Nec Adamus quamuis peccatum pœnitentia acerba diluerit, nec Noë, nec Abraham, nec vllus hominum, ante Chriſti aduētum, Paradiſum cœleſtem ingreſſus eſt. Vbi ille venit, animamque in cruce exhalauit, protinus cūctis antiquis Patribus Paradiſi aditum reſerauit, id quod illis verbis eſt ſignificatum, *Hodie mecum eris in Paradiſo.* D. Greg. Quia ante aduentum Mediatoris Dei & hominum, omnis homo quamuis probatæ vitæ fuerit, ad inferni clauſtra deſcendit, dubium non eſt. Quoniam homo, qui per ſe cecidit, per ſe ad Paradiſi requiem redire non potuit, niſi venerit ille, qui ſuæ incarnationis myſterio eiuſdem nobis Paradiſi iter aperiret. Vnde poſt culpam primi hominis, ad Paradiſi aditum, romphæa flammea poſita eſſe memoratur, quæ & verſatilis dicitur, pro eo quod quandoque veniret tempus, vt etiam remoueri poſſet, &c.

D. Gregor. 12. Moral. c. 7.

Porrò verſatilis gladius dicitur Hebraicè מתהפכת mitaphéceth, id eſt, vertēs ſe; Vertebat ſe ille gladius, vertit ſe quoque gladius diuinæ iuſtitiæ, & conuertit ſe, ſi nos conuertamus nos. Vertit autē ſe, & conuertit in vaginam, cùm Chriſtus animā in cruce egit; ideoque recondito iam diuinæ iuſtitiæ gladio in vaginam, & via in Paradiſum cœleſtē aperta, cuius illa aditum occludebat, latroni dixit: *Hodie mecum eris in Paradiſo.*

CAPVT IX.

Quartus locus ex 4. Geneſ. de Caino & Abele.

CAPITE quarto necis illius imaginem ante oculos proponit Moyſes, qua à fratre ſuo, id eſt, Iudæorum populo, Meſsias crudeliter occiſus eſt. Nam Meſsiæ innocens Abel, Iudaici populi impius Cain, imago eſt. Paſtor Abel Chriſti Paſtoris, Cain, qui hebraicè dicitur עבר ארטה Gobed adama, id eſt, ſeruiēs terræ Iudæorum terrenis bonis ſeruientium, typum gerit. Inuidiæ ſtimulis agitatus miſer Cain, Abelem foras in agrum eductum occidit; eiuſdem inuidiæ aculeis concitati Iudæi, Chriſtum foras in montem Caluariæ perductum, interfecerunt.

Vmbra necis Meſsiæ, Abelis mors.

D Aug l. 12. contra Fauſt c. 9.

Auguſtinus Occiditur (inquit) Abel à fratre: occiditur Chriſtus à populo Iudæorum; ille in campo, hic in Caluariæ loco, &c.

Pœnam fratricidij indixit Deus Caino, eandem, quam indixit Iudæis; ſimiles fuere fratricidio, ſimiles quoque ſupplicio. Vagantur enim Iudæi ſuper terram, vt Cain, ex Patria, Regnoque in alias regiones exterminati. *Vagus* (inquit Deus) *& profugus eris ſuper terram.* Et Chriſtus: *Cadent in ore gladij*, ſcilicet Iudæi; *& captiui ducentur in omnes gentes, & Ieruſalem calcabitur à gentibus*, &c. Rupertus: Vagum (inquit) & Profugum Iudaicum populum Chriſtus eſſe voluit, quia videlicet & eorum ſparſa captiuitas, & ipſorum Scriptura, teſtimonium perhibent, quòd frater ipſorum, quem occiderunt, iuſtus erat, & quòd nihil horum, quæ prædicamus, fides Chriſtiana confinxit, &c.

Luca 21.

Rupertus in Geneſim.

Illa quoque Caini vox, vt ait Auguſtinus, Iudæorum eſt, qua cùm rogaretur à Deo; Vbi eſt Abe frater tuus? reſpondit: Neſcio, nunquid cuſtos fratris mei ſum ego? Auguſtinus lib. 12. contra Fauſtum cap. 10. Vſque adhuc (inquit) quid nobis reſpondent Iudæi, cum eos interrogamus de Chriſto, niſi ſe neſcire Chriſtum, quem dicimus? fallax enim Cain ignoratio, Iudæorum eſt falſa negatio. Eſſent autem quodammodo Chriſti cuſtodes, ſi Chriſtianam fidem accipere & cuſtodire voluiſſent: nam qui cuſtodit in corde ſuo Chriſtum, non dicit, quod Cain; Nunquid cuſtos fratris mei ſum ego? Hæc Auguſtin. Illa item Dei verba myſterium continent: *Vox ſanguinis fratris tui Abel clamat ad me de terra*, quibus ſanguinis à Chriſto ſummo cum amore effuſi ingens, cœloſque penetrans clamor ſignificatur. Sed vt Paulus ſcribit, *melius clamat ſanguis Chriſti, quàm Abelis*; Abelis enim ſanguis vindictam, Chriſti ſanguis veniam, peccatorumque inclamat remiſsionem. Theophylactus ad Hebr. 12. Chriſti (inquit) ſanguis ſplendidiorem vocem edit, & ſignificatiorem, & clariorem, per res ipſas clamans, quoniam omnes ſanctificauit, &c.

Iudei vt Cain Abelē, id eſt, Meſsiā neſciunt.

D. Auguſt.

Hebr. 12.

Quod autem Abelis ſacrificium Deus gratum habuit, Caini verò oblationem reprobauit, ex ſententia Ruperti indicat, Chriſti ſacrificium Deum habere acceptum; Iudæorum verò oblationes nullius iam eſſe momenti. *Reſpexit Dominus ad Abel, & ad munera eius: ad Cain autem, & ad munera eius non reſpexit.* Sic hoc tempore reſpicit ad Chriſtum Pontificem Sūmum, ſecundum ordinem Melchiſedech, & ad munera ac ſacrificia eius; Iudæos autem & munera eorum non reſpicit. Rupertus: Iam (inquit) non reſpicit Dominus ad iuſtum Cain, id eſt, Iudæorum populum, & ad munera eius; dicit enim illi Pſal. 49. *Non accipiam de domo tua vitulos, neque de gregibus tuis hircos.* Prophetico quoque teſtimonio palam eſt, quia ad Abel, id eſt, Chriſtum, & ad munera eius Deus reſpicit; dicit enim de illo Spiritus ſanctus Pſal. 109. *Tu es ſacerdos in æternum ſecundū ordinē Melchiſedech.* Hæcille.

Abelis ſacrificium, id eſt, Chriſti, reſpicit Deus, Caini, id eſt, Iudaici populi victimas non reſpicit. Gen. 4.

Rupertus.

Abel autē ſacrificiū Deo obtulit de primogenitis gregis ſui, & de adipibus eorum, Chriſtus ſeipſum primogenitū, plenum adipe diuinitatis, plenum adipe totius gratiæ, ac deuotionis, in cœna & in cruce obtulit Patri, quotidieque in Eccleſia Catholica per ſuos offert Sacerdotes. Sacrificium Chriſti plenum eſt adipe diuinitatis, adipe quoq; totius cōſolationis & gratię, quo ij, qui diuinæ menſę animo puro atque humili conuiuæ ſunt, impinguātur, iuxta illud: *Sicut adipe, & pinguedine repleatur anima mea, & labijs exultationis laudabit os meum*, & illud: *Holocauſtum tuum pingue fiat.* Pingue quidem eſt Chriſti holocauſtum in ſeipſo. vt autem in nobis pingue fiat, vt gratię ac deuotionis pinguedinem noſtris infundat animis, precamur. Rupertus; Nos cum Propheta dicimus, holocauſtum tuum pingue fiat, vt videlicet ſicut tunc, vbi per ſemetipſum hoc Sacramentum condidit Chriſtus; ita & nunc, vbicunque idem per Eccleſię manus ipſe conficit, pinguedo ſpiritus & vitę adſit: ne quemquam noſtrūm propter peccata ſua, diuinę virtutis adeps refugiat, & ipſe macrum ſacrificij corpus ſolummodo dentibus indignè conterendo, corporis & ſanguinis Domini reus exiſtat.

Geneſ. 4.

Sacrificium Chriſti.

Pſalm. 62.

Pſalm. 19.

Rupertus.

CAPVT X.

Quintus locus ex cap. 6. Gen. de Arca Noë.

EXPVLSO Caino, id eſt, populo Iudæorum, ob necem Meſsiæ; Deus alium ſibi populum aſciſcit,

Eccleſiæ extruendæ typus. Gen. 6.

aſciſcit, Eccleſiamque ædificat. Quid enim aliud ſignificat ingẽs illa Arca Noë iuſſu Dei extructa, quã Catholicam Eccleſiam à verò Noë chriſto Optimo Maximo exædificatam? נח Noach, enim, id eſt quies, Chriſtus eſt, vt illa indicant verba Matth. *Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati eſtis, & inuenietis requiem animabus veſtris.* Quaſi dicat, venite ad me, & inuenietis Noach verum, id eſt, requiem veram, in medijs pelagi fluctibus. De noſtro Noë vera eſt Lamechi prædictio. *Iſte conſolabitur nos ab operibus manuum noſtrarum, in terra, cui maledixit* Dominus. Vnde Paulus; *Per Chriſtum abundat conſolatio noſtra.*

Matth. 11. Chriſtus Noë, id eſt, requies. Eccleſia Arca Noë. Geneſ 5.

2. Cor. 1. 1. Cor. 3.

Hic Noë Arcam, id eſt Eccleſiam fabricauit. *Dei ædificatio eſtis.* Ex lignis verò læuigatis fabricata eſt, quia læuigatos ac dolatos, hoc eſt, omni vitiorum B ſcabritie carentes, omnium virtutum ornatu expolitos chriſtianos, optat Dominus. Septuaginta vertunt; ex lignis quadratis, quocirca D. Auguſtin. de lignis (inquit) quadratis Arca fabricatur, ſicut Eccleſia de Sanctis conſtruitur, ad omne opus bonũ ſemper paratis, quadratum enim, quacumque verteris, firmiter ſtat, &c. In Arca omnis generis erant animantia, in Eccleſia ſunt omnium nationum homines; ex animantibus, quæ arca continebantur, munda quædam fuere, alia immunda, ex hominibus, qui in Eccleſia viuunt, iuſti quidam ſunt, alij iniuſti. Tres contignationes habuit Arca, tres ſtatus habet Eccleſia, illis tribus contignationibus ſignificatos, ex Auguſtini ſententia, infimum coniu- C gum, ſuperiorem viduarum, ſupremum Virginum. Nidos præterea habet ſiue manſiunculas diuerſas, hoc eſt, diuerſas religioſorum familias, varios vitæ ſtatus, varios meritorum gradus, quemadmodum in cœlo variæ quoque ſunt manſiones.

D. Auguſt. l. 12. contra Fauſt. c. 14.

D. Auguſt. l. 15. de Ciuit. c. 26.

Bitumine eſt oblita, hoc eſt, charitate; eſt enim, vt ait Auguſtin. bitumen feruentiſſimum & violentiſsimum gluten, ſignificans dilectionis ardorem. Beda ait, bitumine patientiam, & continentiam ſignificari. Poſſunt eodem adumbrari virtutes omnes, quæ Eccleſiam muniunt, ac tuẽtur. Intrinſecus, extrinſecuſque bitumine linitur, quia virtus & intus in corde latet, & extrinſecus in opere apparet. Bitumine munita eſt Arca aduerſus fluctus; virtute munitur Eccleſia aduerſus omnes mundi tempeſta- D tes. Fluctibus quatitur, at nõ demergitur: nam *Portæ inferi non præualebunt aduerſus eam*; quia illam e cœlo ille, qui extruxit, ſapientiſsimus Noë Chriſtus regit, in terris verò Chriſti vices gerens Sũmus Pontifex medijs in vndis gubernat. Ambroſius: Eccleſia (inquit) etſi vndarum fluctibus aut procellis ſæpe vexatur, tamen nunquam poteſt ſuſtinere naufragiũ; quia in arbore eius, id eſt, in cruce, Chriſtus erigitur, in puppi pater reſidet gubernator, proram Paracletus ſeruat ſpiritus: etſi ſeculum iſtud tanquã pelagus ſortitur infeſtum, nunquam alliditur ad ſaxum, nec mergitur ad profundum. Hæc Ambroſius.

Auguſt. l. 12. contra Fauſt. c. 14.

Beda in Geneſim.

Eccleſia non poteſt naufragium facere. Ambr in lib. de Salomone c. 4.

Qui igitur ſaluus eſſe volet, ab Arca ne diſcedat, illiuſque ſummo Rectori Pontifici, fide ſumma E obediat; ſi ſecus faciat, medijs fluctibus abſorptus peribit, quod teſtatur D. Hieronymus: Ego (inquit) cathedrę Petri communione conſocior, ſuper illam petram ædificatam Eccleſiã ſcio. Quicunque extra hanc domum agnum comederit, prophanus eſt, ſi quis in arca Noë non fuerit, peribit regnante diluuio. Hęc Hieronymus. Ambroſius verò ex hac Arca ſiue naui ait, omnes omnium hæreticorum hæreſes ſuperari. In iſta (inquit) naue Eccleſiæ, antra Montani feliciter præterimus, inde in Photinianam charybdim non incidimus: Inde in Barathrum Vrſacij & Valentis non incurrimus: inde Arium archipiratam non timemus, illam ſtellam ſeruantes in cœlo, quæ Magos perduxit ad Chriſtum, inde Syrtes gen-

Hieron. ad Damaſum. Extra Arcã Noë, id eſt, Romanam Eccleſiam pereunt hæretici regnante diluuio.

A tilium, & periculoſas hæreſes, & ſcopulos euitamus, quos ſuperiacens aquæ tenuis occultat allapſus, quia hæretici ſub prætextu nominis Chriſtiani, abſconſa perfidiæ ſaxa, fallaci confeſsione oris obducunt, in quæ homines dum illis, quod Chriſtiani ſint, fides habetur, impingunt. Hæc ille. Noſtri autẽ temporis hæretici ſub prætextu noui Euangelij abſconſa perfidiæ ſaxa fallaci ſcripturarum interpretatione obducunt, in quæ incauti homines & cæci miſerandum in modum impingunt. Sed quemadmodum antiquarum; ſic & nouarum hæreſum erit finis. Omnes quicunque extra Chriſti Arcam Romanam Eccleſiam ſunt, miſerando diluuio peribũt. Ipſa verò Eccleſia omnibus fluctibus ſuperatis, omnibus hæreſibus extirpatis, quemadmodum Arca ſuper montes Armeniæ requieuit, ita ſuper celſiſsimos cœli montes, tandem poſt mille pericula, poſt mille exantlatos labores, feliciſsimè requieſcet.

CAPVT XI.

Sextus locus ex cap. 12. Geneſ. de promiſsione Meſsiæ facta Abrahamo, & de immolatione Iſaac.

Capite 11. Geneſ. primos Meſſię primogenitores, à Sem filio Noë, vſque ad Abraham, enumerat Moyſes, eiusque genealogiæ partem contexit. Capite deinde 12. cum idolorum cultus Satanæ *Gen. 12.* verſutia in orbem fuiſſet inductus; narrat, populi, à quo Meſſias erat oriturus, primum parentem Abrahamum, ex Chaldæa in terram repromiſsionis Meſſiæ patriam, à Deo fuiſſe euocatum; vt ſtirps eſſet, atque caput gentis illius, ex qua Meſsiæ Sanctiſsima mater eſſet originem habitura. Eo capite fit illi prima de Meſsia promiſsio; In te benedicentur vniuerſæ cognationes terræ, eadẽ promiſsio eidem Abrahamo repetitur capite 22. addito iuramento, de *Gen 22.* quo Zacharias Ioannis pater: *Iuſiurandum* (inquit) *Luca 1.* *quod iurauit ad Abraham patrem noſtrum, daturum ſe nobis, vt ſine timore, de manu inimicorum noſtrorum liberati ſeruiamus illi in ſanctitate & iuſtitia.* In hunc modum intellexit diuino illuminatus ſpiritu Zacharias, verba illa Dei *Semen Abrahæ Chriſtus, in quo benedicũtur omnes gentes.* Gen. 22. *Per memetipſum iurauí, quia feciſti hãc rem, & non pepercíſti filio tuo vnigenito propter me: Benedicã tibi, & multiplicabo ſemen tuum, ſicut ſtellas cœli, & velut arenam, quæ eſt in littore maris, poſſidebit ſemen tuum portas inimicorum ſuorum, & benedicentur in ſemine tuo omnes gentes terræ.* Et Paulus: *Abrahæ* (inquit) *promittens* Deus, *quoniam neminem habuit, per quem iuraret maiorem, iurauit per ſemetipſum,* *Ad Heb. 6.* &c. Item; Abundantius volens Deus oſtendere pollicitationis hæredibus, immobilitatem conſilij ſui, interpoſuit iuſiurandum. Hæredes autem pollicitationis Abrahamo factæ (vt ait Theophylactus) nos *Theophil.* ſumus fideles, qui in ſemine Abraham Chriſto, benedicti ſumus. Vnde illud Pauli: *Abrahæ dictæ ſunt* *Ad Gal. 3.* *promiſsiones, & ſemini eius,* non dicit, & ſeminibus quaſi in multis, ſed quaſi in vno, & ſemini tuo, qui eſt chriſtus, &c.

Conſtat ergo Chriſtum eſſe ſemen Abrahami præcellens, in quod præcipuè Deus intendebat oculos, dum hæc promittebat, quamuis minus præcipuè; Iſaac quoque ſemẽ Abrahæ minus præcipuũ reſpiceret. Hoc ſemen per totum terrarum orbem abundantiſsimè multiplicauit, iuxta illud: *Si granum* *Ioan. 12.* *frumenti mortuum fuerit, multum fructum affert.* Quemadmodum enim frumenti ſemen mortuum, ſic Abrahami ſemen multiplicatum eſt. Quis (ait Origenes) iam expoſitione indiget, vt ſciat, ſemen Chriſti *Origenes hom. 9 in Geneſim.*

quomodo multiplicetur, qui videt à finibus terræ, vsque ad fines terræ, propagatã prędicationẽ Euangelij, & nullum penè esse iam locũ, qui semen verbi non susceperit? Multiplicatur autẽ hoc semen sicut stellæ cœli, & sicut arena maris, quia ex Christianis quidam stellis similes sunt, gratiæ splendore fulgẽtes, cœloque mente infixi, alij arenã maris referunt, terrenis rebus mancipati, & mundi fluctibus expositi. Possidet portas inimicorũ suorum, qui tartareos hostes vicit, quasq; possidebant nationes sub iugum suum suaue misit. De his inimicis loquitur Zacharias in Cantico, cùm ait, pollicitum esse Deum, *daturum se nobis, vt de manu inimicorum nostrorum liberati seruiamus illi in sanctitate, & iustitia.* Non enim Deo in sanctitate seruire possumus, nisi prius de manu spiritalium inimicorũ liberemur. Denique in hoc semine benedicuntur omnes gentes terræ, quia propter Christum Optimum Maximum, cœlesti benedictione à Deo donati sumus, iuxta illud Pauli: *Benedixit nos in omni benedictione spirituali, in cœlestibus, in Christo.*

Iam verò, vt obseruat Origenes tẽpore passionis Isaac, promissio renouata est, quę pertinebat ad eum populum, qui passionẽ Christi ac resurrectione seruatur. Etenim passio illa siue immolatio Isaac, Christi passionem, immolationemque perspicue adumbrabat, cùm Isaac videmus humeris ligna holocausti baiulantem, Christi typum clarissimũ cernimus crucem suam humero ferentis. Isaac vt in strue lignorum Deo in holocaustum offerretur, in terram Visionis perrexit, Christus vt in cruce Patri immolaretur, in Caluariæ locum mœstissimum iter fecit: Isaac tamen non est in holocaustũ oblatus, Christus verò est immolatus, propterea quòd, vt Augustinus ait, Isaac figura erat, non veritas. Figuræ satis fuit indicare veritatem, id est, Christum, oportuit, quod indicabatur, complere. Præterea non est immolatus Isaac, quia illius sanguine redimi mundus non poterat. Isaac (ait Aug.) crucis meruit signa portare, apprehendi meruit, vinciri meruit; non tamen aliquid mundo contulisset, si potuisset occidi, &c.

Ad hæc, nõ est occisus Isaac, sed occisus est aries, cuius caput vepribus inhærebat, vt significaretur Christi diuinitatem omnium tormentorũ fuisse expertem, humanitatẽ cum diuinitate ipsa copulatam, cruciatus omnes excepisse. Etenim Isaac, id est, risus, merito Christi diuinitatem significat, quæ totius risus, id est, lętitiæ, fons est; aries verò humanitatem. Sic hęc intellexit Origenes: Patitur, inquit, Christus, sed in carne, & pertulit mortẽ, sed caro, cuius aries forma est. Verbum verò in incorruptione permansit, &c. & Aug. Quia, inquit, in passione non diuinitas crucifixa creditur, ideo non Isaac, sed aries immolatur. Nec mysterio caret, quod dicitur, aries ille inter vepres hæsisse capite; corona enim illa ex spinis contexta, quæ tremendo Summi Regis capiti imposita est, rudi penicillo adumbratur.

Hæc promissio Abrahamo facta, fit quoque filio eius Isaac: *Benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ.* Fit item nepoti Iacob: *Benedicentur in te, & in semine tuo, cunctæ tribus terræ.* Eam verò ad Messiam pertinere, docet Dauid; *Benedicentur*, inquit, *in ipso omnes tribus terræ, omnes gentes magnificabunt eum.*

Ioan. 1.

Ephes. 1.

Origenes.

Isaac Christi typus crucem ferentis, non est occisus, quia umbra erat.

D. Augustin. ser. 71. de tempore.

Aug. ser. 17. de Natali Domini.

Orig. hom. 8. in Gen.

D. Aug. ser. 31. de temp.

Gen. 26. Gen. 28.

Psal. 71.

CAPVT XII.

Septimus locus de Iacob, & Esau, Genes. 25. 26. & 27.

Gen. 2.

POPVLVM Iudaicum reprobandum, gentium verò populum à Deo eligendum, typus Esau docet, & Iacob. Nam, vt ait D. Irenęus lib. 4. cap. 38. Non solùm prophetationes Patriarcharum, sed & partus Rebeccæ prophetia fuit duorum populorum. Duos populos hi duo fratres adumbrant, Iudaicum Esau primogenitus, Christianum Iacob natu minor. Nam primogenitum suum appellat Deus populum Hebræorum. & Paul. *Iudaici*, inquit, *populi est adoptio filiorum, gloria, & testamentum, & legislatio, & obsequium* (Græce λατρεία, hoc est, cultus Dei) *& promissa, & Patres, ex quibus est Christus secundum carnem*. Hæc ad primogenitum spectabant Esau.

Exod. 4. Rom. 9.

Ast primogenituram Esau abstulit Iacob, sic bona, quæ ad populum Iudæorum attinebant, abstulit populus Christianus. Iam enim non de Iudæis, sed de Christianis dicitur, ipsorum est adoptio filiorũ, gloria, & testamentum vtrumque, vetus ac nouum, & legislatio, & obsequium, siue latria, cultusque diuinus, & promissiones. Denique, & Messias, in quo omnes gentes terræ benedicuntur. Nam, vt ait Apostolus: *Fracti sunt naturales rami*, id est, Iudæi, *populus autem gentium cum oleaster esset, insertus est in illis, & socius radicis, & pinguedinis oliuæ factus est.* D. Irenæus lib. 4. cap. 38. Iunior (inquit) populus, id est, Christianus, primogenitum Christum accepit, cùm eum repulit populus ætate prouectior, id est, Israëliticus, dicens: non habemus Regem nisi cæsarem. In Christo autem vniuersa benedictio; & propter hoc benedictiones prioris populi, à Patre surripuit posterior populus, quemadmodum Iacob abstulit benedictionem Esau. Hæc Irenæus.

Rom. 11.

Christianus populus benedictionem Iudaici populi surripuit, vt Iacob benedictionẽ Esau. D. Irenæus.

Eiusdem populi incredulitas in parente Iacob adumbrata est claudicante. Claudicauerunt enim Israëlitæ quondam, cùm idola coluerunt, iuxta illud Eliæ: *Vsquequo claudicatis in duas partes?* &c. Claudicant nunc, quia non rectè de Messia & de Deo sentiunt, legemque nouam repellunt. Emarcuit item neruus Iacob, propterea quod emarcuit in Israëlitis fides, quæ neruus est animi.

3. Reg. 18.

Iam verò lucta illa Angeli cum Iacob, Christi cũ posteris eius Iudæis colluctationem indicauit. Luctatus est vir cum Iacob, id est, Christus cũ populo Iudęorum, prævaluit Iacob aduersus. Angelum magni consilij, quia Christum cruci affixit. At non potuisset vllis viribus aduersus Angelũ Iacob prævalere, nisi sponte Angelus fortissimus homini imbecillimo cessisset, vireſque angelicas cohibuisset. Eũdem in modum non potuissent vllis viribus Iudæi, aduersus Christum prævalere, homunculi aduersus Deum omnipotentem, nisi ille diuinas vires compressisset, in crucemque agi voluisset. Beda in Gen. cap. 32. Vir, inquit, qui luctabatur cum Iacob, Christum significat, cui ideo prævaluit Iacob, quia populus Israël, cuius ille tunc figuram gessit, in passione prævaluit Domino, & quasi cum infirmo in carne Christo luctamen habuit. Aug. ser. 80. de tempore: Luctabatur, inquit, Iacob cum Angelo, quia populus Iudęorum luctaturus erat cum Christo: vincebat Iacob Angelum, quia Iudæorum populus vsque ad mortem Christum persecuturus erat, &c. Angelus tetigit neruum Iacob, & emarcuit, Christus verò tetigit neruos Reip. Iudaicæ, omneſque exaruerunt. Idem Augustinus de verbis Domini ser. 40. Tantum, inquit, potuit victus, vt & femur tangeret, & claudum faceret, &c. Illa verò Angeli verba: *Dimitte me, iam enim ascendit aurora*; Christi resurrectionem adumbrant; habuit enim Iacob, id est, populus Iudæorum Christum in sepulchro tribus diebus, cùm aurora tertij diei ascendere cœpit, tunc eum inuitus, & insçius è sepulchro veluti dimisit. Augustinus ser. 80. de tempore, *Dimitte me*, &c. hoc resurrectionem Domini figurauit, quia Dominus ante lucem legitur resurrexisse, &c.

Christo volenti prævaluit populus Iudaicus, qui illum crucifixit, quèad modũ Iacob aduersus Angelum prævaluit. Beda. D. Augustin.

CAPVT

CAPVT XIII.

Octauus locus de Scala Iacob, Geneſ. 28.

Gen. 28.

CELEBERRIMA illa, totáque orbe decantata Scala, quam Iacob dum peteret Meſopotamiã, vidit per quietem, optatiſsimam Verbi diuini incarnationem nobis indicauit. In cœlo apparuit Deus Angelis comitatus, & Scalæ innixus, veluti deſcenſum in terras iam parans. Stabat ſuper Scalam, vt ex Hebræo verti quoque poteſt, quia pedes in ſcala habebat, veluti deſcẽſurus, quaſi diceret, ipſa ſtationis ſignificatione, ô Iacob, non poſſunt homines in cœlũ conſcẽdere; nec Scala eſt vlla, per quam aſcẽdant; nec ſi Scala eſſet, aditus patet, cùm fores ſint occluſæ, aduenit tempus, cùm ego deſcendam, humanamq; naturam ex Virgine de ſtirpe tua aſſumã; tunc ſimilem huic ſcalã erigam, cœli fores reſerabo, iter à terra in cœlum vſque aperiã. Quæ omnia facta iam videmus. Deus enim e cœlo deſcendit, in vtero Virginis homo eſt factus, fores cœli reſerauit, & veluti ſcalã à terra in cœlũ tendentem extruxit.

Chriſtus ſcalam in cœlũ ducentem extruxit.

Eodem loco pollicitationem de Meſsia, Abrahamo, & Iſaaco factam innouat Dominus: *Benedicentur*, inquit, *in te, & in ſemine tuo, cũctæ tribus terræ*, ex cũctis enim terræ tribubus vocat Deus homines huius promiſſionis hæredes, qui in ſemine Abrahami, Iſaaci, & Iacobi, id eſt in Chriſto benedicantur. Quamobrem illud adjicitur; *Terram, in qua dormis, tibi dabo, & ſemini tuo*, non de terra ſolum promiſsionis, ſed de cœleſti maximè regno ſermo eſt, cuius illa typus erat; nam cœleſte Regnum ſub typo promittitur Iacob, & ſemini eius, dummodo credat, & præcepta obſeruet. Sequitur: *Erit ſemen tuum quaſi puluis terræ*: Dilataberis ad Orientem, & Occidentem, & Septentrionem, & Meridiem. Videmus ſemen Abraham, & Iacob non carnale, ſed ſpirituale, dilatatum verſus omnes cœli plágas, iuxta illud Chriſti:

Matth. 8.

Multi ab Oriente, & Occidente venient, & recumbent cum Abraham, Iſaac, & Iacob in regno cœlorum, filij autem regni eiicientur in tenebras exteriores, &c. Filij regni erant Iudæi, quia ad illos regnum Rexque Meſſias pertinebat; ſed tantam hanc benedictionem, pro lentis edulio, vt Eſau, id eſt, pro caducis huius mundi rebus, vendiderunt; ideoque foras eiiciuntur in tenebras Tartari exteriores; poſtquam in interioribus mentis tenebris vitam ducunt tenebroſiſsimam. Poſt admirabilem viſum Iacob expergefactus, *lapidem, quem expoſuerat capiti, in titulum erexit. vnxitq; oleo*; ea vnctione Chriſtum adumbrauit, qui lapis eſt; quem ædificantes reprobauerunt, vnctus autem oleo lætitiæ præ conſortibus ſuis, ab vnctione enim Chriſti, id eſt, vncti, nomen accepit. Auguſtin. de verbis Domini ſerm. 40. Iacob poſuit lapidem, & perfudit oleo, agnoſcite Chriſma, agnoſcite & Chriſtum. Ipſe eſt enim lapis, quem reprobauerunt ædificantes, &c. Indicauit Iacob Chriſtum vncto lapide, indicauit quoque Eccleſiam nomine: nam nomen vrbis Bethel, id eſt, domum Dei appellauit. Bethel autem, id eſt, domus Dei, Eccleſia eſt, à Chriſto extructa, cuius ille fundamentum, lapiſque angularis eſt. in Bethel, id eſt, domo Dei; Scala cœlum tangens apparet, quia in domo Dei ſola, id eſt, Eccleſia iter in cęlum patet. Cui maximè illa Iacob verba congruunt: *Quam terribilis eſt locus iſte, non eſt hic aliud niſi domus Dei & porta cœli.* Etenim terribilis eſt Eccleſia aduerſus Tartareos hoſtes, omnique veneratione digna propter præſentiam Chriſti in auguſtiſsima Euchariſtia. Domus Dei illa eſt, & porta cœli, quia per illam in cœlum mortales ingrediuntur. Verè Dominus eſt in loco iſto; at Iacob, id eſt, Iudæi à Iacob nati neſciunt, quouſque cœli illis aperiantur, ſcalaque oſtẽdatur, quæ in cælos ducit; *Vere Dominus eſt in loco iſto* (ait Iacob) *& ego neſciebam.*

Lapis à Iacob vnctus Chriſtum indicabat. D. Auguſt.

D. Augu. ſer. 79. de tempore, ſcalam, quam Iacob vidit, crucis quoque figuram fuiſſe ſentit, quæ verè ſcala eſt, per quam in cœlum homines conſcendũt, ſine qua ad inferos deſcendũt. illi innixus erat Deus propterea quod cruci ſuffixus eſt Chriſtus, verus Deus & homo, crucique innixus pependit. Aug. Iacob Dominum in cacumen ſcalæ videbat incumbere: quid eſt in ſcalã incumbere, niſi in ligno pendere? &c. Eandem crucem baculo Iacob ſignificatã putat eodem ſer. *In baculo meo* (ait Iacob) *tranſiui Iordanem iſtum, & ecce cum duabus turmis regredior.* Hũc in modum Chriſtus, in baculo crucis, paſsionis Iordanem, ſiue potius turbulentiſsimum mare pertrãſiuit, ſed in vitam die tertio reuerſus, cum duabus, imò cũ infinitis pene angelorum, hominũque turmis, in cœlum regreſſus eſt. Iacob (ait Auguſt.) ad accipiendam vxorem exhibuit baculum, & Chriſtus ad redimẽdam Eccleſiam detulit crucis lignum, &c.

D. Auguſt. Crux Chriſti ſcala, & baculus Iacob.

Gen. 32.

Ad accipiendam verò vxorem, cum baculo Iacob ex patria in Meſopotamiam alienam regionem peregre profectus eſt, Chriſti ea in re typus, (vt docet idem ſanctiſsimus Pater ſermone 80. de tempore) qui è cœlo in orbem terrarum deſcendit, vt Eccleſiam ſibi copularet. Quomodo Chriſtus (inquit Auguſtinus) venturus erat in mundum, vt iungeretur Eccleſiæ, ita in beato Iacob hoc præfiguratum eſt, quando in regionem longinquam peregrinatus eſt, vt coniugium ſortiretur, &c. Sponſam reſpexit Iacob apud puteum non ſine myſterij ſignificatione, quia per aquam baptiſmi Sponſam ſibi Chriſtus Eccleſiam copulauit. Aug. loco iam notato: ſi diligenter (ait) auditis fratres, poteſtis agnoſcere, non fuiſſe ſine cauſa, quod ſancti Patriarchæ matrimonia ad fontes, aut puteos inueniunt, Rebecca, quæ iungẽda erat Iſaac, ad puteum inuenitur, & Rachel, quã accepturus erat Iacob, ad puteũ agnoſcitur, & Sephora, quæ Moyſi iũcta eſt, ad puteũ reperitur. Sine dubio aliqua in ijs ſacramenta debemus agnoſcere. Et quia ij tres Patriarchæ typũ Domini Saluatoris præferebant, ideo ad fõtes vel puteos inueniũt matrimonia, quia Chriſtus ad aquam baptiſmi inuenturus erat Eccleſiam. Hæc ille.

Baptiſmus.

Non vnam tamen vxorem tantùm, ſed duas duxit Iacob, pro illius temporis facultate, Liam, atque Rachelem, quæ duos adumbrarunt populos Chriſto coniunctos. Liam enim, id eſt, Iudæorum populum prius, quia Iudæi prius quàm gentes in Chriſtum crediderunt; Rachelem, id eſt, gentium populum, poſt Iudæos Chriſtus ſibi adiũxit. Auguſtinus: Lia, inquit, Iudæorum, Rachel gentium populum figurauit. Iſtis duobus populis velut duobus parietibus tanquam lapis angularis iunctus eſt Chriſtus, &c. Lia non eſt furata ſimulchra patris, at in tabernaculo Rachel, ea idola latuerunt. Similiter populus Iudęorũ, quo tempore Chriſtus venit, idola nec furabatur, nec colebat, at gentiũ populis is cultus communis erat. Aug. hoc obſeruauit: Lia, inquit, nõ eſt furata idola patris, ſed Rachel, quia poſt aducntum Chriſti non vſquequaq; Synagoga idolis ſeruiſſe cognoſcitur, ſicut de gẽtibus cõprobatur, &c.

Lia Iudæorũ populũ, Rachel quia idola furata eſt. Ethnicorum nationes ſignificat D. Auguſt. ſer. 80.

At miſera Synagoga Chriſtum abiecit, gẽtes verò Chriſtum ſuſceperunt, idola, quæ colebant, abiecerunt: id quod idolorum illa abiectio ſignificauit, quæ ipſius Iacob mandato facta eſt. *Iacob conuocata omni domo ſua, ait: Abiicite deos alienos, qui in medio veſtri ſunt, & mundamini, ac mutate veſtimenta veſtra, ſurgite & aſcendamus in Bethel, vt faciamus ibi altare Deo, qui exaudiuit*

Gen. 35.

Ebræi idola abiecerunt.

exaudiuit me in die tribulationis meæ, & socius fuit itineris A *mei. Dederunt ergo ei omnes deos alienos, quos habebant, & inaures, quæ erant in auribus eorum; at ille infodit eas subter terebinthum, quæ est post vrbem Sichem,* &c. Hæc omnia ij fecere, qui in Bethel, id est domum Dei, Christi Ecclesiam, ascenderunt, abiecerunt deos alienos, idola subter arborem, id est, Christi crucē, perpetua execratione, veluti terra obruerunt, inaures, id est, aures prurientes, vanæ, falsæque doctrinæ appetentes, infoderunt, salutari baptismi aqua mundati, vestimēta animi, id est, habitus moresque mutarunt.

In Bethel ingressi sunt, vbi altare est exædificatum, in quo augustissimum Eucharistiæ sacramentum, Sacrificiumque tremendum singulis diebus a-

D. Ambros. dorant, atque venerantur. D. Ambros. de Iacob, & B Vita beata; Fides (inquit) Ecclesiæ omnem obser-

Rupertus. uantiam gentilitatis aboleuit. & Rupertus in hunc locum Geneſis: His, inquit, profectibus, ascendendum est in Bethel, id est, domum Dei, quæ non est a-

Crux Christi terebinthus. sub qua idola sepeliuntur. lia, quàm Ecclesia Christi. Primum est pristinos abdicare errores, & vnius veri Dei fidem profiteri, quod est auferre deos alienos, deinde baptizari, quod est mundari, ac deinceps ambulare in nouitate vitæ, quod est vestimenta mutare, &c. Præter hæc arborem subter quam idola infossa sunt, ait Rupertus, crucem significare, his verbis: Terebinthus arbor resinam generās pretiosissimam, lignum crucis, quod virtutis est optimæ significat; subter quam omnia peccata nostra sepeliuntur, vt eorum vltra C nullum vestigium reperiatur.

Hæc fecit Rachel, id est, Ecclesia, pulchris prædita oculis, quibus in Christo non humanitatem solùm, verùm diuinitatem etiam acutissime cernit. Rachelis oculi (est in Glossa ordinaria) decori, quia Euangelium videre meruit. Verum Lia, vt est in diuinis literis, lippis erat oculis, quia non videt Synagoga mentis lippitudine obcæcata suum Messiam. Viderunt & crediderunt in illum ex Iudæis quamplurimi, qui Rachelis sunt. Vidit Baptista Ioannes, & cæteris indicauit, viderunt Apostoli, discipulique reliqui, & multa postea Israëlitarum millia, alij vi-

Iudæorum partim credentium, partim non credentium typus Iacob. tiorum lippitudine obruti videre noluerunt. Id verò præsignificauit Iacobi illa claudicatio, vt docet Augustſerm. 80. Quia, inquit, non totus populus Iu- D dæorum infidelis extitit Christo, sed nō parua multitudo in nomine eius legitur credidisse, ideò Angelus tetigit femur Iacob, & claudicare cœpit. Per enim ille, in quo claudicabat, Iudæos, qui in Christū non crediderunt, figurabat, ille verò, qui sanus remansit, illorum typum gessit, qui Christum Dominum receperunt, &c.

Idem indicauit lucta Iacob, & benedictio; In eo

D. Augusti. (inquit Augustin.) quod vincebat Iacob Angelum, Iudæos persecuturos Christum significabat; in eo quòd benedictiones petebat, illum populum figurabat, qui in Christum Dominum crediturus erat, &c. Non fuit perpetua Iacob claudicatio, paulo post

D. Hieron. sanitati restitutus est, vt aiunt Hebræi, teste D. Hie- E ronym. in hebraicis traditionibus. Tradunt, inquit, Hebræi, quòd claudicantis Iacob femur, in ciuitate Salem conualuerit, & sanatum sit, propterea eandem ciuitatem Salem, id est, curati atque perfecti vocabulum consecutam. Hæc Hieronym. Nam Salem perfectum significat, vel completum. Idem sentit Abulensis, & Caiet. & Chaldæus: Venit, inquit, Iacob sanus in ciuitatem Sichem. Nec vero est verisimile, fratri Esau occurrisse claudum; si enim claudus veniſſet obuiam, ludibrio ei fuisset. Sanatio hęc claudicationis, indicat futurum aliquando, videlicet prope mundi finem, vt filiorum Iacob Iudæorum claudicatio sanetur.

CAPVT XIV.

Octauus locus de Ioseph, Genes. 37. & sequentibus.

IOSEPH filium Iacob, patri charissimum, Chri- *Ioseph Christi typus.*
sti Dei Filij dilectissimi gessisse typum, nemo Christianus dubitare potest. Quippe qui non gestis solùm, verùm ipso etiam nomine, à Pharaone Saluator mundi appellatus, Christum totius orbis Saluatorem adumbrarit. Tunica polymita, id est, coloris varij, indutus est Ioseph; omnium virtutum, omniumque charismatum varietate, indutus est CHRISTVS. Missus est Ioseph a Patre ad quærēdos fratres; missus est CHRISTVS à Patre ad quærendos homines, quos fratrum loco habet. Si roges illum, vel in præsepio iacentem, vel oppida Iudææ percurrentem, vel cruci suffixum, Domine quid quæris?? Ioſephi verbis respondebit: *Fratres meos quæ-* *Gen. 37.*
ro. A fratribus inuidia percitis, odio habitus est Ioseph; à fratribus Iudæis eodem vitio flagrantibus, odio habitus est Christus. Venditus est Ioseph fratris Iudæ consilio paucis argenteis, emptus ab Ismaëlitis: Venditus est Christus à discipulo Iuda argenteis triginta, emptus à Pharisæis, & Scribis, non Iacob, sed Ismaëlis filiis, neque enim digni erant, qui Israëlitæ, sed Agareni, & Ismaëlitæ vocarentur.

Fera pessima deuorauit Ioseph, id est, fratrum inuidia, fera pessima occidit Christum, id est, Iudæorū furor. Ioseph tunicam fratres cruore imbuerunt, Christi corpus Iudæi sanguine cruentarunt. Iacob Ioseph mortuum credebat, at fallebatur, quia viuēs ille toti Ægypto imperabat, Iudæi Christum nunc *Gen. 37.*
mortuum esse credunt, sed decipiuntur, quia resurrexit ille, viuit, totique cœlo & terræ dominatur. Filij Iacob, vt Ioseph mortuum esse in animum patris inducerent, mendaciū de tunica sanguine intincta confinxerunt. Iudęi ex illis nati, vt Christum nō resurrexisse populo persuaderent, simile mendacium commenti sunt, aiunt militibus: *Dicite, quia discipuli* *Matth. 28.*
eius nocte venerunt, & furati sunt eum, nobis dormientibus: Et diuulgatum est hoc apud Iudæos, &c. Vides impudens mendacium simile mendacio filiorum Iacob. Fratres sua inuidia, suaque venditione, dum extinguere *Gen 41.*
vellent Ioseph, ad summum imperium extulerunt: Iudæi suo odio, illataque morte, dum penitus illius honorem, nomenque delere conantur, Christum ad summam gloriam euexerūt. Vt enim Paulus ait: *humiliauit semetipsum, factus obediens vsque ad mortem cru-* *Ad Philip.*
cis, propter quod & Deus exaltauit illum, &c. Ioseph in 2.
summum imperium elatus, in sua potestate totius Ægypti horrea habuit, Christus in summam gloriā euectus, totius gloriæ, totiusque gratiæ horrea possidet. Denique, Ioseph in tanta potestate diu vixit, patri fratribusque ignotus, Christus in tanto terræ cœlique Imperio viuit, regnatque à Iudæis minimè cognitus. Post multos annos fratribus Ioseph quis esset, aperuit, post multa secula Christus Iudęis Messiam se esse patefaciet.

De hoc typo August. verba facit hunc in modū, *D. August.*
Diligebat Iacob Ioseph, quia Deus pater diligit vni- *serm de*
cum suum, sicut ipse dixit; *Hic est filius meus dilectus.* Ia- *temp. 81.*
cob misit filium suum, vt de fratribus suis solicitudinem gereret, & Deus Pater misit vnigenitum suū, vt genus humanum peccatis languidum visitaret. Videntes Ioseph fratres, de morte illius tractauerūt, sicut videntes Iudæi Christum, vt eum crucifigerēt, vno omnes consilio statuerunt. Ioseph expoliauerunt fratres sui tunica polymita, & talari; Iudęi

Christum

Chriſtum per mortem crucis expoliauerunt tunica corporali. Ioſeph exutus tunica mittitur in ciſternã,& Chriſtus expoliatus carne humana,deſcendit in infernum. Ioſeph poſteaquam de ciſterna leuatur,Iſmaëlitis,id eſt,gentibus venditur,& Chriſtus poſteaquam de inferno regreditur , ab omnibus gentibus,fidei commercio comparatur. Ioſeph à penuria frumẽti ſaluat Ægyptum, & Chriſtus à fame verbi Dei liberat mundum. Niſi Ioſeph fratres ſui vendidiſſent,defecerat Ægyptus,niſi Chriſtum Iudæi crucifixiſſent,perierat mundus. Ioſeph interpretatur augmentatio, ſiue ampliatio, ſed in illo Ioſeph ampliationẽ non habuit,niſi ſola Ægyptus, in noſtro verò Ioſeph Chriſto,augmentum habere vniuerſus meruit mundus. Hæc Auguſtinus.

D. Auguſt. Et Sermone 82.admirabiliter, nec ſine cauſa, effectum eſſe docet,vt Ioſeph tamdiu patrem latuerit in Ægypto. Qui diligenter,inquit,attendit,rem nimis admirabilẽ Deum feciſſe cognoſcit. Non credo ſine cauſa fuiſſe,quod Dominus,qui ſe toties dignatus fuerat oſtendere Iacob, per tot annos noluit ei indicare,quod viueret Ioſeph,ſed permiſit eũ,longa afflictione conſumi. Si hoc quiſquam ſine certa & euidenti ratione factum eſſe credit,vel hoc cõſideret,quod nec filius eius Ioſeph,in tam proximo poſitus, permiſſus ſit ad Patrem ſuum mittere, vt ei nuntiaret,quod non ſolùm viueret, ſed etiam in grandi honore floreret; ab illo enim loco, vbi erat Iacob, vſque in Ægyptum, vix erant trecenta miliaria, vnde frequentiſſimè & ex Ægypto in locis illis, vbi Iacob erat,plurimi properabant, & ex illo loco ad Ægyptum infinitæ multitudines aſſiduè confluebant, &c. Huius afflictionis cauſam fuiſſe putat Iacob purgationẽ; Quia,inquit, ſine iſtis minutis peccatis,Iacob eſſe non potuit, volens Deus ipſa parua peccata in hoc ſeculo tribulationis igne conſumere, implet in eo illud : *Vaſa figuli probat fornax*, &c. cauſa hæc moralis eſt. Alia cauſa eſt mythica,fecit hoc Deus,vt adumbraret Iudæos in ſumma ſui veri Meſſię ignoratione lõgo tempore verſaturos, poſtea verò eiuſdem Meſſiæ miſericordia, in illius cognitionem eſſe venturos. Sed de Geneſi hæc ſint ſatis.

Cur tamdiu latuerit Ioſeph in Ægypto?

Eccleſ. 27.

CAPVT XV.

Ex Exodo, & reliquis libris Moyſis.

IN EXODO Iſraëlitarum ſub Pharaonis iugo ſeruitus,& per Moyſem deinde liberatio, humani generis ſub diaboli tyrannide captiuitatem , & per Chriſtum deinde redemptionem,adumbrat. Miſertus eſt Dominus captiuorum,apparuitque Moyſi in rubo ſenticoſa,& inflammata igne,admirabilẽ delineans miſericordiã, admirabilemq; amoris flammam,qua exardeſcens in Orbem terrarum,ad liberandum captiuum genus hominum,Verbũ diuinũ per incarnationem deſcendit. *Vidi*,inquit.*afflictionem populi mei,& ſciens dolorem eius deſcendi, vt liberem eum*, &c. Manus autem illa,quam Moyſes e ſinu leproſam protulit,lepram vitiorum,qua cuncti homines erant infecti,eadem admirabiliter ſanitati reſtituta, ſalutem per Chriſtum admirabiliter mundo allatam indicauit.

Typi Exodi humana cap tiuitatis, & per Chriſtũ redemptionis. Exodi 3.

Virga in ſerpentem conuerſa,quam Moyſes primum fugit,deinde apprehendit,Crucem Chriſti ſignificat,quæ ſerpentes,id eſt peccata omnia, mira potentia deuorauit. Serpens prudẽtiæ nota eſt,iuxta illud: *Eſtote prudentes ſicut ſerpentes*, Crux Chriſti ſummæ Dei ſapientiæ,qua Diabolum vicit, eſt ſignum.

Matth. 10.

A Auguſt. Crux, inquit, quæ infidelibus ſtultitia eſſe creditur,ſicut dicit Apoſtolus,*gentibus ſtultitia*. verſa eſt in ſerpentem,hoc eſt,in ſapientiam , & in tantã ſapientiam, quæ omnem mundi iſtius ſapientiam deuoraret, &c. Virgam in ſerpentem conuerſam Moyſes primum quidem fugit, poſtea verò apprehẽdit,ſic Iudæi Moſaicæ cultores legis,Chriſti Crucem modò fugiunt,tandem ad finem Orbis apprehendent.

Auguſt ſer. 86 de tempore. 1. Cor 1. Serpens ſapientiæ nota. Exod. 4.

Antequam ex Ægyptiaca ſeruitute in libertatem vindicarentur,immolari à Iudæis agnos,magna ceremonia edi, eorumque ſanguine oſtia domorum imbui,iuſſit Deus. Id nimirũ ſignificans,e dira peccati ſeruitute,Agni,id eſt,Chriſti ſanguine,homines B liberandos, eoque imbuendos : præterea eiuſdem Agni corpore, veluti cibo dulciſſimo reficiendos. Ipſum quoque tempus,id tempus ſignificauit, quo noſter Agnus eſt immolatus,mẽſe videlicet Niſan, paſchali tempore. Ipſum item nomen Phaſe, ſiue Paſcha,quod tranſitum ſignificat, Chriſti Domini tranſitum indicauit, vnde illud : *Ante diem feſtum Paſchæ , ſciens Ieſus , quia venit hora eius , vt tranſeat ex hoc mundo ad Patrem.* Primogeniti verò Ægyptiorum occiſi , idola comminuta , dæmonum , atque idololatriæ adumbrarunt per Chriſtum ſtragem,nam dæmones primogeniti ſunt,quia ante homines , & reliquas creaturas, primò cum cœlo empyreo à Deo conditi.

Exod 12. Agnus Paſchalis. Phaſe trãſitum Chriſti indicabat. Ioan. 13. Exod 12.

C Poſt agnum immolatum Iſraëlitæ ex Ægypti carcere, magna cum lætitia in brachio Dei extento liberantur. Poſt Chriſtum immolatum Patres omnes, è carcere Limbi (vt appellant) ſumma cum exultatione egrediuntur, vniuerſumque hominum genus (dummodo præſtet,quæ Chriſtus iubet) è dęmonis captiuitate in brachio Dei in Cruce extẽto eripitur. Exeunt ex Aegypto Iſraëlitæ auro, argentoque locupletati,exeunt homines ex infidelitate,& peccato, magnis Dei donis exornati. Non enim Chriſtus à peccato ſolùm nos liberat , ſed cœleſtibus etiam opibus, gratia, & charitate,aliiſque virtutibus , & beneficiis locupletat.

In brachio extento in Cruce. Deus populũ ſuum liberauit. Deut 5.

Ingrediuntur Hebręi mare rubrum,vt in terram repromiſſam pergant,ingrediuntur Chriſtiani,mare baptiſmale,vt in cœlum iter faciant. Rubri enim D maris aqua,baptiſmalem aquam adumbrat, vt Paulus indicat: *Patres*,inquit,*noſtri omnes ſub nube fuerunt,& omnes in Moyſe baptizati ſunt in nube,& in mari.* Baptizati autem dicuntur,quia baptiſmi typum exhibuerũt. Quemadmodum maris aqua,omnes Aegyptios demerſit , ſic baptiſmi ſalutaris vnda omnia peccata obruit: *Vnus ex eis*,id eſt, Aegyptiis,*non remanſit.* & : *Reuerſæ ſunt aquæ , & operuerunt currus , & equites , cuncti exercitus Pharaonis , qui ſequentes ingreſſi fuerant mare,nec vnus quidem ſuperfuit ex eis* , ſimiliter nec vnum quidem peccatum ſupereſt,omnia baptiſmi aquis obruta demerguntur.

1. Cor. 10. Exod. 14. Baptiſmus. Pſalm 105. Exodi 14.

Poſt demerſionẽ Aegyptorum in mari , interdiu E nubis,per noctẽ ignis columna pręcedente, viamque indicante,in terrã promiſſam iter dirigunt Hebræi. Poſt demerſionem omnium criminum in baptiſmate,fidei,charitatiſque columnis pręeuntibus, viamque monſtrantibus in cœlum promiſſum tendunt Chriſtiani. Eſt enim fides columnæ nubis inſtar, quia totam Eccleſiæ domum fulcit,& euidẽtia caret. Charitas vero ignea columna eſt, quæ Chriſtiani animum corroborat, ſuoque ſplendore illuminat,atque incendit. Iter habent Hebræi,non per amęnos hortos,ſed per ſolitudinem aſperam,& incultam: iter habere Chriſtiani debẽt,non per amœnas voluptates,ſed per aſperam, arctamque pœnitentiæ viam: *Arcta enim via eſt,quæ ducit ad vitam*,vt Dominus docuit. Sed ſi aſpera via eſt, ſuauiſſimum è

Fides columna nubis. Charitas columna ignis. Exod. 13. Matth 7. Arcta via in cœlum ducit ſed non deeſt Mana.

Exod. 16. cælo Manna defluit, quod itineris omnem asperitatem mitigat, & emollit, si terrenæ absunt voluptates, non desunt cœlestes. Si occurrunt aquæ Mara amaritudine infectæ, occurrit etiam Crucis lignum,
Exod. 15. dulcitudine plenum, quod amaritudinem laborum conuertit in dulcedinẽ. Si bellum infert Amalech, cœleste adest auxilium.

Deut. 32. *Sicut aquila prouocans ad volandum pullos suos* (ait Moyses) *& super eos volitans, expandit alas suas, & assumpsit eum, atque portauit in humeris suis.* Aegypto veluti nido implumes Hebræi continebantur, sine vllis ad volandum viribus, at Deus vt aquila, misso Moyse nũtio, prodigijs ad volatum eius prouocauit, expandit alas protectionis suæ, assumpsit eos ex Aegypto, & veluti humeris, per solitudinem portauit. Sic vniuersum hominum genus, implume, viribus carebat, quibus ex nido peccati volaret ad Deum, aquila succurrit nobilissima Christus prouocãs ad volandũ pullos suos, eximio amore expandit alas, id est, manus in cruce, & assumit eos ex peccatis, & portat in terrã repromissionis in humeris suis, crucis opere, flagellorumque multitudine pressis, quemadmodũ pastor ille Euangelicus ouem perditam humeris reduxit in caulas. Portauit veluti humeris Israelitas Deus per solitudinem, portat etiã nos Christus, suis auxilijs veluti humeris fulciens, ac ducit per viam hanc arctam & angustam. Eam verò huiusmodi auxilia latam efficiunt, & amplam, iuxta illud Psalmographi: *In tribulatione dilatasti mihi.*

Christus aquila prouocans ad volandum pullos suos.

Psal. 4.

Denique post multa pericula, multasque de hostibus reportatas victorias, terrã repromissam posse derũt Hebræi, post multa discrimina, dimicationes, ductaque ex hoste trophęa, cœlum promissum possident Christiani. Verùm non Moyses, sed Iosuë in terram promissam populum introduxit, quia non lex Mosaica, sed Iesus Christus homines potuit in cęlestem patriã introferre. Obiit Moyses antequam Iordanem fluuium transiret: Obijt lex Mosaica, nec baptismi flumen transgredi potuit. Ignorarũt tunc Israëlitæ Moysis sepulchrum, ignorãt nũc, nec scire volunt legis interitum. Iubente Domino Moyses vitam cum morte commutauit, iubente Domino lex vetus in nouam commutata est. Vides, vt cum Ambrosio dicam, omnem legis veteris seriem, futuri fuisse typum. Multa ex tabernaculo, multa ex sacerdotio, multa ex sacrificiis, multa ex toto itinere Israëlitarum, multa ex cæteris scripturę libris, rerum ad Messiam attinentium mysteria depromi possent. Latissimus patet ad excurrẽdum campus, sed habenas oportet inhibere, cursumque aliò flectere.

Iosue 6.

Deut. 34.

CAPVT XVI.

De promissione Messiæ, quæ extat Deuteronomij 18.

DECALOGI in monte Sinai, tremẽda Dei voce promulgatio; magno terrore perculit Hebræos. Quamobrem à Moyse petierunt, vt Deum ipse audiret, & quę ab illo acciperet, ad eos referret.

Deut. 5. Quod memoriæ proditum est hoc pacto: *Accesserunt ad Moysem omnes Principes tribuum, & maiores natu, & dixerunt: Ecce ostendit nobis Dominus maiestatem, & magnitudinem suam, vocem eius audiuimus de medio ignis, & probauimus hodie, quod loquente Deo cum homine, vixerit homo. Cur ergo moriemur, & deuorabit nos ignis hic maximus? Si enim audierimus vltra vocem Domini Dei nostri, moriemur, quid est omnis caro, vt audiat vocem Dei viuentis, qui de medio ignis loquitur, sicut nos audiuimus, & possit viuere? Tu magis accede (ô Moyses) & audi cuncta, quæ dixerit Dominus Deus noster tibi, loquerisq; ad nos, & nos audientes, faciemus ea,* &c. Placuit Deo hic populi terror, vt liquet ex eodem cap. *Audiui* (inquit Deus) *vocem verborũ populi huius, quæ locuti sunt tibi, bene omnia sunt locuti. Quis det talem eos habere mentem, vt timeant me, & custodiant vniuersa mandata mea in omni tempore,* &c.

His eximiam addit Messiæ promissionem, vt constat ex Deuteron: *Prophetam* (ait Moyses) *de gente tua, & de fratribus tuis sicut me, suscitabit tibi* Dominus Deus tuus, *ipsum audies, vt petisti à* Domino Deo tuo *in Horeb, quando cõcio congregata est, atque dixisti: Vltra non audiam vocem Domini* Dei *mei, & ignem hunc maximum amplius non videbo, ne moriar, & ait* Dominus *mihi, bene omnia sunt locuti. Prophetam suscitabo eis de medio fratrum suorum similẽ tui, & ponam verba mea in ore eius, loqueturq; ad eos omnia, quæ præcepero illi: qui autem verba eius, quæ loquetur in nomine meo, audire noluerit, ego vltor existam,* &c. Propheta hic, quem Deus suscitandum promittit, Messias est, vt docet D. Petrus Act. 3. & D. Stephanus Actor. 7. Promissus autem est opportuno sane tempore, cum legem Deus ferebat veterem, vsque ad Messiam tantummodo duraturam. Quasi diceret, hanc legem nunc obiter in itinere fero, aliquãdo abrogandam. Nam Prophetam similẽ tui legislatorem excitabo, videlicet Messiam, qui hanc antiquet, nouam aliam sanciat. Ad hæc, cùm terribilem Dei vocẽ in monte Sinai, igne atque caligine circumfusi, populus audire recusaret, Messias ei promittitur, qui non in monte Sinai caligine, nube, & igne circumuallatus magno cum horrore, sed in ipsa Iudęa summa mãsuetudine, amore, & humilitate circumseptus sine vllo terrore, legem ferat. Quasi diceret Deus: Non possunt Israëlitæ audire vocem Dei in maiestate loquentis, audient vocem Dei in summa humilitate verba facientis.

Deut. 18.

Prophetam pro missus ut dixi Deut. 18. Christus est.

Act. 3. & 7.

Propheta autẽ dicitur Christus, quia futura omnia pręsciebat, & prædicere poterat; similis Moysi, quia quemadmodum Moyses populum ex Aegypti, ita ille homines ex peccati seruitute, in libertatem vindicauit. Quemadmodũ Moyses legẽ tulit, miracula in Aegypto edidit, populi Israëlitici ductor fuit, sic Christus legem, & quidem præstantiorẽ sanciuit; miracula, sed multo plura in Iudæa patrauit, populique maximi, scilicet Christiani, ductor & princeps est. Illud quoque multo pręstãtius Christo congruit, quod de Moyse Dominus affirmat: *In omni domo mea fidelissimus est, ore enim ad os loquor ei, & palam, & non per ænigmata, & figuras Dominum videt,* &c. Nam fidelissimus est Christus: in omni domo Dei, id est, Ecclesia, vt Paulus ait ad Hebr. 3. his verbis: *Et Moyses quidem fidelis erat in tota domo* Dei, id est, Synagoga, *tanquam famulus in testimonium eorum, quæ dicenda erant:* Christus verò tanquam filius in domo sua, quæ domus sumus nos, &c. Christi prętera præcellentissima anima non per ænigmata & figuras, sed palàm & apertissimè diuinam cernebat essentiam, & sine ore ad os cum Verbo diuino loquebatur. Similis ergo Moysi Christus fuit, quamuis eo multo fuerit præcellentior.

Num. 12.

Ad Hebr. 3.

Cur Christus Propheta dicatur similis Moysi.

Hac item similitudine significasse mihi videtur Deus, Christi humanitatẽ: est enim Deus Christus, sed similis Moysi, quia homo, quemadmodum Moyses, iuxta illud Pauli: *In similitudinem hominum factus,* &c. Posuit item Deus verba sua in ore Prophetæ huius. Quid enim diuinũ illud Christi os aliud quã Dei verba loquebatur? Quid aliud loqui poterat os diuini verbi, quã Verba diuina? Iam verò suppliciũ Prophetæ verba non audientibus indictum, Iudęos incurrisse, ipsi toto orbe dispersi, palàm faciũt. Noluerunt Christi verbis obtẽperare, doctrinam repudiarũt, cœlestem doctorem crucifixerũt, vltor Deus nefarium scelus Reipublicæ totius excidio vltus est. Ha-

Philip. 2.

eſt. Habemus ergo hoc loco ſingularẽ Meſsię promiſsionem, Chriſto Dominoque noſtro maximè congruentem, quemadmodum & illæ alię congruunt, quæ Abrahamo, Iſaaco, Iacobo, & Dauidi factæ ſunt.

Breuis Meſsiæ vita ex Prophetis.

MOramur, ſed mora iucunda. Quem enim non oblectet, ad perſcrutandum ſcripturarum theſaurum adhibita cunctatio? Igitur antequam ad ipſum Euangeliũ explanandum veniamus, breuem Chriſti vitam ex ipſis Prophetis præmittamus, ex qua quam conſonet nouo Teſtamento vetus, quiuis poſsit intelligere.

CAPVT XVII.

De conceptu Meſsiæ & ortu.

Iſai. 7. DE Meſsiæ conceptu, & ortu, celebre extat vaticiniũ, apud Iſaiam domui Dauid prolatum: *Audite*, ait, *domus Dauid, nunquid parum vobis eſt moleſtos eſſe hominibus, quia moleſti eſtis & Deo meo? propter hoc dabit* DOminus *ipſe vobis ſignum: Ecce Virgo concipiet, & pariet filiũ, & vocabitur nomen eius Emmanuel*, &c. Domui Dauid propoſitum eſt hoc ſignum, quia ad hanc domum maximè pertinebat Meſsias ex Dauidis ſtirpe orturus. Signum autem, hoc eſt, miraculum, & quidem maximum, & inauditum proponitur, non vulgare aliquid, qualis ortus fuit Ezechiæ, vel filij Iſaię, qui ſolito more ex fœmina amiſſa virginitate, viroque concepti, ortique ſunt. Si puella (ait Hieron.) & nõ virgo pariat, quale ſignum poterit appellari? Audite (Iſaias inquit) domus Dauid, ex qua optatiſsimus ille Meſsias mundo feliciſsimè naſcetur, nũquid parũ vobis eſt moleſtiã Prophetis exhibere, etiámne Deo per incredulitatem veſtram moleſti eritis? propter hanc moleſtam incredulitatem, dabit Deus ipſe vobis ſignũ, vt fidem vobis, totique orbi afferat, vtque deſinant homines eſſe moleſti Deo. Nam incarnatio fidem Iudæis gentibuſque peperit, hominesque Deo reddidit amicos.

Ecce Virgo concipiet & pariet.

Aliter, propter hoc, quia impij eſtis, & moleſti Prophetis, & Deo, ô Iudęi, dabit Dominus vobis ſignum incarnationis, vt ab impietate & criminibus liberet, quibus Deo moleſtiam exhibetis. Alius quoque ſenſus eſt: Nũquid parũ vobis eſt moleſtos eſſe Prophetis, quia moleſti eſtis & Deo meo? Hebraicè, quia labore afficietis Deum meũ; id eſt, quia Deum incarnatũ affligetis, & crucifigetis. Propter hoc, id eſt, vt crucifigatur Deus, humanã carnem aſſumet ex Virgine: *Dabit ipſe vobis ſignum*, &c. Non per vnum aliquem ſeruum (ait D. Baſilius) miniſtrum, aut famulum dat, ſed ſuo ipſius miniſterio, etenim legem ordinauit per Angelos in manu mediatoris Moyſis, hoc verò ſignum dedit ipſe domui Dauid. Datum autem eſt, non iam ipſi Achaz, ſed vniuerſæ domui Dauid, hoc eſt, Dominus ſecundum carnem, quod præeminebat in vniuerſa cognatione Dauid. Hæc Baſilius in Iſaiæ commentariis. Sequitur ſignum.

D. Baſil.

Ecce virgo concipiet, & pariet filium: Ecce ſignum ſtupendum, miraculum inauditum: Virgo Deipara illęſa virginitate concepit, peperitque non hominẽ quemlibet, ſed Deum & hominem, ideoque ſequitur: *Et vocabitur nomen eius Emmanuel*, id eſt, nobiſcum Deus. Cõplectitur ergo hoc ſignũ multa miracula, eaque ingẽtia. Etenim Virginẽ cõcipere ſalua corporis integritate miraculum ingens eſt; Virginem virginitate inuiolata párere, miraculum ſtupendũ eſt, infantem ex vtero Virginis naſci Emanuelem, id eſt, qui Deus ſimul ſit & homo, omnia miracula ſuperat. Signum autem meritò appellatur miranda Virginis conceptio, non ſolùm quia miraculum fuit maximum, verùm etiam, quia ſignũ fuit; nec tantùm ſignum, ſed cauſa quoque ſalutis humano generi collatæ. Hæc fuit digna Deo conceptio, dignus Deo partus, admirabilis, inauditus, extra omnem conſuetudinem, totius naturę leges, metaſque ſuperans.

D. Ignatius. Partus Virginis decebat Deum.

Talis conceptio, talis decebat Emanuelẽ partus. Hinc illud Magni Ignatij epiſt. 13. ad Heronẽ: Corpus, inquit, Adæ ex quatuor elementis eſt factum, Eua verò de latere Adæ, glorioſum verò habitaculum Domini, de ſola Virgine. Decebat enim opificem, non ſecundùm humanam conſuetudinem natiuitate vti, ſed glorioſe & nouè, vt decebat naſci factorem, &c. D. item Cyrillus Alexandrinus: Verbum, inquit, de nobis accepit corpus, non viro operante, ſed ex ſancta Virgine, nouo & mirabili modo, & vltra naturæ leges; oportebat enim talem eius fieri partum, ſecundùm carnem, inquam, & ex muliere, vt habeat diuinum quiddam ingreſſus eius in mundum, & oſtenſio, nihil autem omnino ad faciendum difficilè eſt omnipotenti. Hęc ille. Cętera, quæ ad hoc vaticinium ſpectãt, quæque obiici poſſent, lege inferius.

D. Cyrillus. l. 8. contra Iulian.

Iſai. 9. De eodem Chriſti conceptu & ortu idem Iſaias: *Paruulus* (inquit) *natus eſt nobis, & filius datus eſt nobis.* Quis hic paruulus niſi Meſsias? qui filius dicitur abſolutè à Vate, quia filius Dei eſt, quaſi dicat, filius Dei datus eſt nobis. Nomina deinde numerat huius maximi paruuli, nec onus tacet, quod humeris portat, videlicet principatũ ſuum, qui orbis eſt vniuerſus: *factus eſt principatus ſuper humerum eius*, quia orbem vniuerſum impoſuit eius humeris Pater redimendum. Solent Reges ſceptra manibus geſtare, ita vt humeros contingant, ideoque dici poſſunt ea ferre manibus, & humeris: paruulus igitur hic, Rex iam eſſe in ipſo ortu declaratur, qui principatum, id eſt, inſigne Imperij, videlicet ſceptrum, humeris ferat. Vnde illud Magorum: *Vbi eſt, qui natus eſt Rex Iudæorũ?*

Principatus ſuper humerum Chriſti.

D. Baſil. ſic expoſuit: Cuius principatus eſt ſuper humerum eius, hoc eſt, regnum & poteſtas in ipſius cruce; in crucem enim exaltatus, ad ſeipſum pertraxit omnia. Hæc ille. Ex quibus hic ſenſus colligitur; Chriſti principatus fuit in cruce, & quia crux impoſita eſt humeris Chriſti, ideo ſuper humeros eius dicitur eſſe principatus, dicitur autẽ principatus eſſe in cruce, quia per illam meruit Chriſtus orbis imperium.

D. Baſilius.

Nomina Meſsiæ.

Nomina adeò ſplendida ſunt, vt in ſolum totius ſplendoris fontem Chriſtum quadrare poſsint: *Vocabitur nomen eius, Admirabilis*: Incarnatione, conceptu, ortu, miraculis, vita, atque doctrina; omnia enim in illo fuere mirabilia. *Conſiliarius*: nemo enim conſilia, atque præcepta orbi attulit præſtãtiora ac ſalubriora, & rationi magis conſentanea, quæ qui ſequitur ſalutem, qui reſpuit, exitium ſibi comparat. *Deus*: quia filius eſt Dei Patris, eandem naturam diuinam habens. *Fortis*: quia omnia poteſt. *Pater futuri ſeculi*: quia Pater Chriſtianorum huius ſeculi, quod tempore Iſaiæ erat futurum; Pater eſt & effector huius ętatis fœliciſsimę; Pater etiã eſt futuri ſeculi, ſiue ęternitatis in cęleſti gloria, totiuſq; pacis & felicitatis princeps. Prętera vocatur Chriſtus: *Admirabilis*, quia admirabili ſapientia homines redemit. *Conſiliarius*: quia admirabili cõſilio iuſtitiæ diuinę ex ſummo iure ſatisfecit. *Deus*: quia Deum eſſe oportebat, & hominem, qui hominem ex acerbiſsima tyrannide in libertatem aſſereret; *Fortis*: quia Satanã, mortẽ, peccatumque ſuperauit: *Pater futuri ſeculi*, id eſt, hominũ futuri ſeculi, quia omnes, qui futura vita in cęlis perfruen-

fruentur, per acerbos genuit cruciatus; profligatisque hostibus pacem illis peperit ęternã, à qua Princeps pacis appellatur.

Isaiæ 11. Idem Vates: *Egredietur*, ait, *virga de radice Ieſſe, & flos de radice eius aſcendet; & requieſcet ſuper eum ſpiritus* Domini, &c. De radice Ieſſe, ſiue Iſai, Patris Dauid, tanquam Virga pręclariſſima nata eſt Virgo Deipara. Ex virga hac conceptus, ortuſq; eſt Chriſtus veluti flos, & odore & candore pretioſiſſimus. *Ego* (inquit ille) *flos campi, & lilium conuallium.* Campi flos eſt, omnibus, quicunque carpere velint expoſitus; flos eſt ex virga, id eſt, Virgine ſine vlla violatione ortus; flos eſt fructus promittens & pariens maximos, flos eſt, in quo veluti apis mellifica, Spiritus ſanctus requieuit; ex quo mel gratiæ hominibus tribuendũ collegit: niſi enim merita huius floris extitiſſent, Spiritus ſanctus mel gratiæ nobis non dediſſet. Vnde ſequitur: *Requieſcet ſuper eum ſpiritus* Domini, videlicet quemadmodum apis requieſcit ſuper florẽ, ſed apis diſcedit à flore, ſpiritus nunquam diſceſſit à Chriſto. Bernar. hom. 2. ſuper Miſſus eſt. In hoc, inquit, Iſaiæ teſtimonio florẽ filium, Virgam intellige matrem; & Hieron. Nos Virgã de radice Ieſſe ſanctam Mariam Virginem intelligamus, & florem Dominum Saluatorem, &c.

Virgo Delpara virga Ieſſe, ex qua flos. id eſt. Chriſtus, eſt egreſſus. Cant. 2.

D. Bern. D. Hieron.

Indicat autem floris partus, Virginis in partu integritatem; quemadmodum flos è Virga vel arbore ſine vlla violatione, imò cũ magnã oritur pulchritudine; ſic Chriſtus ex Virgine ſine vlla lęſione, imò cum magno virginitatis decore ortus eſt. Forſitan alluſit Propheta ad Virgam Aaronis, quæ olim floruit, Virginiſque Deiparæ typus fuit; quaſi dicat: Egredietur ex radice Ieſſe Virga quędam Aaronicæ ſimilis; quę ſine humano cultu & viri opera, florem producet candidũ, ac rubicundum, odoris medicamentique præſtantiſſimi, iuxta illud: *Dilectus meus cãdidus & rubicundus, electus ex millibus.* Bernard. homil. 2. ſuper Miſſus eſt: Quid, inquit, Virga Aaron florida, nec humectata, niſi virginem concipientem portẽdebat, quamuis virum non cognoſcentem?

Cant. 5. D. Bern.

Iſaiæ 8. Idem Iſaias: *Acceſsi ad Prophetiſſam, & concepit, & peperit filium; & dixit* Dominus *ad me, voca nomen eius, Accelera ſpolia detrahere, feſtina prædari.* De integerrima Virgine vaticinium ænigmaticum eſt. Chriſtoque Opt. Max. *Acceſsit Iſaias mentis acceſſu ad Prophetiſſam omnium maximam, omnium ſanctiſsimam, cum qua nullus Propheta poteſt conferri*; ad Virginem nimirum Deiparam. Acceſſit intellectus, propheticique ſpiritus greſſu, ad Virginis domunculam, in qua concepit ex Spiritu ſancto; & ad Chriſti pręſepe, in quo peperit filium, orci vaſtatorem. Quocirca nomina hæc illi imponere iubetur: *Accelera ſpolia detrahere, feſtina prædari* hoſtes tartareos. Hinc illud: *Cum fortis armatus cuſtodit atrium ſuum, in pace ſunt omnia, quæ poſsidet, ſi autem fortior eo ſuperueniens vicerit eum, vniuerſa arma eius auferet, in quibus confidebat, & ſpolia eius diſtribuet*, &c. Baſil. in commentariis Iſaię: Ipſe eſt, qui velociſſimè prædã reportauit, Chriſtus, de quo & ſcriptum eſt: *Aſcendens in altum captiuam duxit captiuitatem, accepit dona in hominibus.* Nam quòd Maria Prophetiſſa fuerit, ad quam proximè acceſsit Iſaias, per prænotionem Spiritus; nemo contradixerit, qui ſit memor verborum Mariæ, &c. Lege Galatinum libro ſeptimo, capite 16. & Euſebium lib. 7. de Demonſtratione, ca. 2. Idem Iſai. *Propter Sion* (inquit) *non tacebo, & propter Hieruſalem non quieſcam, donec egrediatur, vt ſplendor iuſtus eius, & Saluator eius, vt lampas accendatur*, &c. hoc eſt, non deſinã vaticinari, Deum orare non deſiſtam, donec Meſsias, vt Sol nouus exoriatur, & inſtar fulgentiſsimæ facis inflammetur: tunc autem inflammata eſt lampas, cum igne diuinitatis, Chriſti humana natura veluti accẽſa eſt, iuxta illud Bedę, Luc. 25. Lucerna lumen in teſta eſt, lumen verò in teſta eſt diuinitas in carne, Item: accendit mulier lucernam, quia ſapientia Dei apparuit in humanitate.

Iſai. 8. Acceſsit ad Prophetiſſam Iſaias, id eſt, Virginem Deiparam mentis greſſu.

Luc. 11.

D. Baſil.

Iſai. 62.

Bedã.

Eundem admirandum cõceptum admiratur Ieremias, nouumque & inauditum appellat, *Nouum*, inquit, *creauit Dominus ſuper terram, fœmina circumdabit virum.* Fœmina hæc fœminarum omnium decus, atque ornamentum, Virgo eſt ſanctiſsima, quæ virum Chriſtum vtero circumdedit, vnde illi canit Eccleſia: *Quem totus non capit orbis, in tua ſe clauſit viſcera, factus homo.* Nouum autem fuit hoc & admirandum Dei opus, ideo dixit Vates: *Nouum creauit Dominus ſuper terrã.* Hieronym. in hunc modum exponit: Nouã (inquit) rem creauit Dominus ſuper terram, abſque viri ſemine fœmina circumdabit virum, gremio vteri ſui, &c. Virum autẽ appellat Vates Chriſtum, in vtero exiſtentem, quia quamuis corpore eſſet infans, intellectu ac ſapientia viros omnes angeloſque ſuperabat. Hieronym. Fœmina circumdabit virum gremio vteri ſui, qui iuxta incrementa quidẽ ętatis, per vagitus, & infantiam, proficere videbitur ſapiẽtia, & ętate, ſed perfectus vir, in ventre fœmineo ſolitis menſibus continebitur. & Bernard. homil. 2. ſuper Miſſus eſt: Vir, inquit, erat Ieſus, nec dum etiã natus, ſed ſapientia, non ætate, animi vigore, non viribus corporis, maturitate ſenſuum, non corpulentia membrorum, &c.

Ieremæ 31. Fœmina circumdabit virũ, id eſt, Virgo Chriſtum.

Hieron in commentar.

D. Hieron.

D. Bern.

Item Patrem ſic alloquitur Chriſtus: *Tu es, qui extraxiſti me de ventre, ſpes mea ab vberibus matris meæ, in te proiectus ſum ex vtero.* Natiuitatis ſuæ mirabilẽ modum commemorat. Extraxiſſe enim dicitur Pater Chriſtum de ventre Virginis, non vulgari, ſed inuſitato, & mirabili modo, conſeruata matris virginitate. Cæteros infantes abſque miraculo natura è ventre, magno cum dolore & læſione matrum extrahit: At Chriſtum Deus ipſe, per ſummum miraculum, abſque vllo matris dolore, abſque vlla virginitatis imminutione extraxit. Id quod præſignificauit lapis ille apud Danielem è celſo monte abſque manibus abſciſſus, qui ſtatuam percuſſit, atque euertit; e celſo quippe monte, id eſt, Virgine, fortiſſimus lapis Chriſtus abſque obſtetricis manibus natus eſt. *In te*, inquit, *proiectus ſum ex vtero.* Hebraicè, ſuper te proiectus ſum, manibus potentiæ tuæ, non obſtetricum ſum exceptus. Præterea, ſuper te proiectus ſum, ſuper tuam diuinitatem, tunc diuinitati vnitus, proiectus ſum ex vtero Deus & homo. Spes mea tu, ab vberibus matris meæ. Nullus infans pręter Chriſtum, ab ipſo vtero, ipſiſque matris vberibus, ſpei actus habuit. Quocirca indicatur ab vberibus matris, ſecundum rationis functiones, virum fuiſſe perfectiſsimum. Perſpicuum autem eſt, Dominum ſpei actus circa Deum, aut animæ beatitudinẽ non habuiſſe, eo quod ſpes illa ſpectet, quæ nondũ habentur, Chriſtus autem Dei conſpectu frueretur. Habuit tamen ſpei actus, vt docet D. Thom. 3. part. quæſt. 7. art. 4. circa gloriam corporis, & alia quæ nondum fuerat conſecutus.

Pſalm. 21. Pater Chriſtum ex vtero extraxit.

Daniel. 2.

D. Thom.

Huc etiam illud ſpectat: *In Sole poſuit tabernaculum ſuum, & ipſe tanquam ſponſus procedens de thalamo ſuo.* Deus enim, qui videri non poterat ab hominibus, ſupra Solem in cœlo empyreo, tabernaculum ſuum, id eſt humanitatem, poſuit in terris ſub Sole, & in ipſo Sole, id eſt, palam coram hominibus, vt ab omnibus cerni poſſet, iuxta illud Iſaiæ: *Videbit omnis caro ſalutare Dei.* Et ipſe tanquam pulcherrimus ſponſus, ſpõſam ſuam Eccleſiam quærens, proceſsit è thalamo ſanctiſsimo, pretioſiſsimis virginitatis aulęis adornato, hoc eſt, Deiparæ Virginis vtero. Dominus (inquit Aug.) vt aduerſus regna temporalium errorum belligeraret, non pacem, ſed gladium miſſurus in terram, in tempore vel in manifeſtatione poſuit tanquam

In Sole poſuit Chriſtus tabernaculum.

Pſalm. 18.

Iſai. 40. Luc. 3.

D. Aug.

tanquam militare habitaculum ſuum, id eſt, diſpen- A ſationem incarnationis ſuæ, & ipſe procedens de vtero virginali, vbi Deus naturæ humanæ tanquam ſponſus ſponſæ copulatus eſt, exultauit ſicut fortiſſimus, & cæteros homines incomparabili virtute præcedens, ad currendam viam, &c. De Sole loquitur Vates eo Pſalmo, qui in cœlo lucet, & de Meſſia quoque, qui mũdi Sol eſt, hoc quem cernimus, multo ſplẽdidior. Generationem explicat humanam, cum dixit: *Ipſe tanquam ſponſus procedens de thalamo ſuo*, cùm verò addit: *A ſummo cœlo egreſsio eius*, Deum è cœlo deſcendiſſe, & in thalamo Virginis hominem factum canit.

Tranſeamus ad natale Meſſiæ ſolum, prius tamen
Prouerb. 30. ex Prouerb. obſcurum vaticinĩ enucleemus: *Tria* B (inquit Sapiens) *ſunt difficilia mihi, & quartum penitus ignoro, viam Aquilæ in cœlo, viam colubri ſupra petram, viam nauis in medio mari, & viam viri in adoleſcentia.* Alia ex Hebræo lectio eſt non improbata: *Et viam viri in adoleſcentula.* Iuxta hanc verſionem, quartũ, quod penitus ſapiens ignorat, via eſt viri, id eſt, Chriſti, in adoleſcentula, Virgine Deipara. Hebraice enim legitur אלמה Alma, quod vocabulum Iſai. 7. Septuaginta interpretes Virginem vertunt. Hoc quartum cum cæteris tribus confert, quaſi diceret: Quemadmodũ aquila in aëre, coluber in ſaxo, nauis in pelago, ne tenuiſsimũ quidẽ, poſtquã tranſierũt, veſtigiũ relinquũt, ita infans ille maximus, qui & infans ſimul erit, & vir, & Deus, nullum penitus cũ in Virginis C vterũ ingredietur, cumque ex eo egredietur, viæ ſuę ſignum, in corpore integerrimo relinquet. Vnde
D. Chryſol. ſer. 142. Chryſologus: Qui ingreditur, inquit, & egreditur, & introitus ſui, & exitus, nulla veſtigia relinquit, diuinus habitator eſt, &c. Virginẽ igitur eſſe docet matrem Meſſiæ ſanctiſſimam. Deinde Synagogã oſtẽdit eſſe adulteram, ſub metaphora mulieris, quę frequens eſt in Prophetis. *Talis*, inquit, *eſt*, id eſt, ſine veſtigio impreſſo, & via mulieris adulteræ, ſcilicet Synagogæ Iudæorum, *quæ comedit & tergens os ſuum dicit, non ſum operata malum.* Similitudo petita eſt à fœmina, quę poſtquam cibum ſumpſit, os abſtergit, ſeque comediſſe quicquam negat. Eundem in modũ Synagoga Meſſiam ſuum egit in crucem, dæmonique D tanquam adultera, occiſo viro, ſeſe mancipauit, os verò abſtergit, & ſe comediſſe negat, quia Meſſiam ſe occidiſſe, adulteram ſe eſſe, dæmonique adhærere inficiatur: nullumque veſtigium in ſe tanti ſceleris agnoſcit.

Via viri in adoleſcẽtula, id eſt, Chriſti, in Deipara Virgine.

D. Ambroſ. in libro de Salomone, hæc aliter interpretatur, ex verſione Septuaginta interpretum, quę huiuſmodi eſt: Tria ſunt mihi impoſſibilia ſcire, & quartũ, quod non cognoſco. Semitas nauis nauigantis, vias ſerpentis ſupra petrã, & veſtigia aquilæ volantis, & quartum, quod non cognoſco, vias viri in iuuentute, &c. Hæc verba (ait Ambroſ.) ex communi ſenſu, quaſi de vulgo videntur collecta, ſed in omnibus ſunt ſancta myſteria. Nauẽ ergo, in frag- E mento, ait Chriſtum ſignificare crucifixum: quemadmodum enim nauis vectores, ita Chriſtus homi-
D. Ambroſ. nes, in cœleſtem portum ducit. Sed ipſa Ambroſij verba audiamus: Chriſtus, inquit, eſt nauis, in qua aſcendunt omnium credentium animæ, quæ, vt firmius inter fluctus euehatur, de ligno fabricatur, & ferro configitur: hoc autem eſt Chriſtus in cruce, &c. quod verò nauis nullum in mari veſtigium relinquat, indicare docet, Chriſtũ ex Virgine integerrima abſque vlla virginitatis iniuria editũ in lucẽ. Tranſit, inquit, nauis per mare, & nulla in vndis veſtigia remanent, quia venit Chriſtus de cœlo, aure concipitur, vtero portatur, & talis Maria Virgo remanſit, poſtquã peperit, qualis fuit antequam Verbum aure conceperit, & vtero geſtauerit. Hæc ille.

Similem in modum in lib. de Salomone cap. 3. quod ſequitur: Vias ſerpẽtis ſupra petram, de Chriſto interpretatur. Hæc, inquit, eſt petra, id eſt, caro Chriſti, nulla inimici iniquitate reſperſa, in qua ſerpentis, id eſt, peccati alicuius veſtigium, nõ apparet. Et cap. 2. de via Aquilę ſic ſcribit: Cuius hominis tam altus ſenſus, & tantus eſt, vt explicare poſſit, quomodo illa tanta maieſtas, de cœlo, aut venire dignata fuerit, aut redire? Quis enim cognoſcet, quemadmodũ Verbũ in Virginem venerit? id eſt, quod ait, veſtigia Aquilę volantis, id eſt, Chriſti Domini aduenientis ad terrã, ac redeuntis ad cœlos, veſtigia comprehendi, enarrarique non poſſe. Quæ ſit via viri in iuuentute, cap. 5. ita explanat; Chriſtus eſt vir, cuius viæ cognoſci in iuuentute non poſſunt: quis enim æſtimare animo poſſit, aut capere, quanta ille opera exercuerit, cum ſecundùm hominem moraretur in terris? quæ itinera virtutum duxerit? &c.

Chriſti Via, Aquilæ, nauis, & ſerpentis ſupra petram.

Quod autem adiũgitur de muliere adultera, quæ os abſtergit, poſtquam comedit, & negat ſe malum eſſe operatam, de Eccleſia interpretatur, quæ antequam ad Chriſtũ conuerteretur, idola colebat, multiſq; criminibus ſe contaminauerat; à Chriſto verò abſterſa eſt, & abluta, omniq; peccato liberata. Meretrix, inquit, iſta, Eccleſiæ typus eſt, aliquãdo in gẽtibus conſtituta, idolorũ cultibus vitiata, quã falſorum Deorum adulteram fecerat multitudo. Hanc poſteaquã Dominus baptiſmatis fonte perfudit, ablutionẽ & criminis accepit & nominis. & in fragmento: Merito dicit ſe nihil feciſſe mali, quia per regenerationis ſacramentum ita ſunt eius abolita peccata, ac ſi facta non fuiſſent, nec ſunt in Dei memoria, vt Ezech. teſtatur dicens: *Vita viuet, & non morietur, omnium delictorum eius quæcunque fecit, non recordabitur ei.* Hæc Ambroſius.

Baptiſmus, omnia peccata ablues.

Ezech. 18.

Hæc eadem verba de Meſſia quoque interpretãtur Lyranus & Galatinus lib. 7. cap. 15. Rabbinus item Iudęorũ, quem illi vocant Rabbenu hacados, id eſt, magiſtrum noſtrũ ſanctum, vt idem Galatinus refert, in hunc modum expoſuit. Via Aquilæ in cœlis eſt Rex Meſsias, qui poſt paſsionem ſuam aſcendet in cęlũ: Via nauis in medio maris; hic item eſt Rex Meſsias, cuius vita ſicut nauis in medio mari agitabitur: Via colubri ſupra petrã, hic eſt etiam Rex Meſsias, qui ſe faciet vt colubrum, quem Moyſes ſupra petram poſuit; vt duceret filios Iſraël in terram ſanctam. Rabbi autem Iudas dixit: Et via colubri ſupra petram, hic eſt Rex Meſsias, qui trãſibit per petram, poſtquam ſepultus erit, & ab ipſa egredietur, nec videbitur qua tranſierit. Et via viri in Alma; hic quoque eſt Deus, amans filias Ieruſalem, vt generaretur Rex Meſsias ex vna earum; cõcipiet autem & pariet, remanebitque Virgo, ſicut dictum eſt: *Quia creauit Deus nouum ſuper terram, fœmina circumdabit virum*, hoc eſt, Deum. Hæc Rabbinus ille.

Lyranus, Galatinus.

Ieremi. 31.

CAPVT XVIII.

De loco, in quo Meſsias natus eſt.

LOCVM, in quo Meſsias ortus eſt, prædixit Michæas Propheta: *Et tu Bethlehem Ephrata, paruulus es in millibus Iuda, ex te mihi egredietur, qui ſit dominator in Iſraël, & egreſſus eius ab initio à diebus æternitatis.* Alloquitur vates Bethlehẽ, quę alio nomine dicitur Ephrata, vt docet D. Hieronymus in traditionibus Hebraicis in Geneſin: Ephrata, inquit, & Bethlehẽ vnius vrbis vocabulũ eſt, ſub interpretatione conſimili, ſiquidẽ in frugiferam, & in domum panis vertitur, propter

Michææ 5.

D. Hieron.

propter eum panē, qui de cęlo deſcendiſſe ſe dicit, &c. Tu, inquit, Bethlehē, quæ etiam Ephrata nominaris, paruulum es oppidū in millibus oppidorum, vel in multis millibus hominum Iuda. Attamē clariſsimi ducis ortu euades maxima, ac nobiliſsima ciuitas, ex te enim orietur Meſsias Iſraēlis Imperator, homo verus, qui in te in tēpore naſcetur, Deus verus, qui ex Patre natus eſt in æternitate. Vides Meſsiæ Dei æterni patriam à Prophęta manifeſtè prędictam, quod Iudæos non latuit, qui Herodi interroganti, vbinam Meſsias eſſet oriturus, hoc Michææ vaticinium reddiderunt.

Vſque ad Chriſtū Iudæorum permanſit Reſpub. & ſtatus.

Sequitur apud Michæam: *Propter hoc dabit eos vſque ad tempus, in quo parturiens pariet.* De Virgine integerrima loquitur, eiuſque partu ſanctiſsimo, in hanc ſententiā, propter hoc; quia Meſsias in Bethlehem ex Iudęis eſt naſciturus: Dabit Deus eos vſq; ad tempus, id eſt, permittet Iudæos potiri Iudæa, patietur Rempub. Iudaicam ſtare vſque ad tēpus, quo Virgo pariet Meſsiam. Poſtea enim, quia Meſsiam crucifigent, è Palæſtinę ſolo expellentur. Vide quæ ſuprà diximus, cùm explicauimus vaticinium Iacob: *Non auferetur ſceptrum de Iuda*, &c. Sic interpretatur Euſebius: Hic (inquit) parientem intelligit Michæas eam, quæ in ſuperioribus oraculis virgo nominata eſt, & prophetiſſa, quæ illum Emanuelē, & magni conſilij Angelum erat paritura. nam vſque ad huius tempora, eiuſque, qui de ipſa erat oriturus, quę ad priorem, id eſt, Iudaicum populum pertinēt, ſteterunt; quippe cum eis pręſcriptio temporis data eſſet, vſque ad tempus parientis, hoc eſt, vſque ad mirabilem ortum eius, qui de Virgine naſceretur, poſt quem ſublatum eſt ipſorum regnum, &c. Et D. Hieronymus: Dabit, inquit, Dominus templū, & Hieroſolymam, & Iudæos, vſque ad illud tempus, quo Virgo pariet, quæ poſtquam pepererit, & natus paruulus acceperit ſpolia Samariæ, & virtutē Damaſci, interfecto populo Iudæorum, reliquiæ Iſraēl ſaluabuntur, &c. Hæc ille. Aliter quoque exponit de Eccleſia hoc pacto: Dabit Iudæos, eoſq; regnare permittet, vſque ad tempus parientis, quando completur illud Iſai: *Lætare ſterilis, quæ non paris, erumpe, & clama, quæ non parturis;* (ſcilicet Eccleſia) *quoniam multi filij deſertæ magis, quàm eius, quæ habet virum*, id eſt, Synagogę, &c. Lege eiuſdem Hieronymi Epitaphium Paulę, in quo hęc verba Paulæ tribuit: Salue Bethlehem domus panis, in qua natus eſt ille panis, qui de cœlo deſcendit. Salue Ephrata, regio vberrima, atque καρποφόρε, cuius fertilitas Deus eſt. De te quondam Michæas vaticinatus eſt; Et tu Bethlehem, &c. In te natus eſt Princeps, qui ante Luciferum genitus eſt, cuius de Patre natiuitas omnem excedit ętatē, & tamdiu in te Dauidici generis origo permāſit, donec virgo pareret.

Euſebius lib. 7. de Demōſt. cap. 4.

D. Hieron.

Iſai. 54.

Pſalm 131. D. Hieron.

In eodem Epitaphio, Diua Paula illud: *Inuenimus eā in Ephrata*: de loco natiuitatis Chriſti expoſuit his verbis; Oculis (inquit) prophetalibus Dauid, quem nos veniſſe iam credimus, ille venturum eſſe cernebat: *Ecce audiuimus eum in Ephrata, inuenimus eum in campis Syluæ*, vnde loquitur confidenter: *Introibimus in tabernaculum eius, adorabimus in loco vbi ſteterunt pedes eius*, &c. De eodem natiuitatis loco eadem verba interpretatur D. Hilarius in commentariis Pſalm. 131. Ephrata, inquit, eadem eſt, quæ Bethlehem, in qua Dominus natus ex Maria eſt, illic primū requies Dei auditur, vbi primū vnigenitus Deus corpus humanę carnis habitauit, & quod in Ephrata auditur, in campis Syluę inuenitur. Initium itaque Eccleſiæ in Bethlehē auditur, eſſe enim cœpit à Chriſto, ſed in gētibus reperitur, quę ſunt ex cāpis Syluę, ex horrentibus nitidæ, ex ſterilibus fructuoſę, ex ignis pabulo vitalis cibi regio, ex ferarum cubilibus Dei

D. Hilar.

A requies, domus, templum, atque poſſeſsio. Hęc Hilarius. Similiter Euſebius: Precanti, inquit, Dauid, & videre cupienti locum, ac tabernaculū Dei Iacob, ipſe Bethlehem locus oſtenſus eſt, quapropter cum dixiſſet: *Ecce audiuimus eam in Ephrata*, adiungit, dicēs: *Adorabimus in loco vbi ſteterunt pedes eius*; planiſsimè igitur in his verbis in Ephrata, quę eſt Bethlehem, ipſe Deus Iacob, locū ſibi, ac tabernaculū poſiturus canitur, quod cum Michææ Prophetia concordat. Hactenus Euſebius. Hic idē cōmentarius eſt D. Cyrilli in homil. contra Neſtoriū: Vbi, inquit, erit Chriſti generatio, & in quo loco naſcetur? Audi manifeſtè dicentem: *Ecce audiuimus eam in Ephrata*, &c. Illud itē eiuſdem Pſalmi, *Illuc producam cornu Dauid, paraui lucernam Chriſto meo*, de Bethlehem interpretatur Euſeb. his verbis: Vbi tandē ait Deus, ſe producturū cornu Dauid, niſi in Bethlehem, atque in Ephrata? inde enim cornu Dauid Chriſtus, quatenus ad naturā pertinet humanam, quaſi ingens lumen exortum eſt. Hic item Chriſtus lucerna à Deo prępara eſt. Fuerit autem hęc lucerna quaſi intelligibilis lucis humanum corpus, per quod inſtar teſtacei vaſis, tanquam per lucernam, proprij luminis radios in omnes, quicunque ignorātia Dei & profundis tenebris premebantur, emiſit, &c.

Euſebius lib. 7. de Demonſt. ca. 5.

B

Pręter hęc, Meſsiam in oppido Bethlehem naſciturum, à Propheta Abacuc prędictū Gręci docent, illis verbis: *Deus ab Auſtro veniet*, hoc eſt, Deus veniet à plaga auſtrali; eſt autē Bethlehem in plaga auſtrali Iudęæ, quemadmodum reliqua tribus Iudæ oppida; quamobrem ciuitates tribus Iudæ, ciuitates Auſtri appellantur: *Ciuitates Auſtri clauſæ ſunt*, id eſt, tribus Iudę (ait Hieronymus) & Heruſalem, quę iuxta ſolitudinem ad Auſtrum verſa eſt. Theodoretus in commentariis: Abacuc, inquit, Dei & conſeruatoris noſtri incarnationem prędicit, in Bethlehem factā, quę in conſideratione ſitus Ieroſolymitani vergit ad Auſtrum, & Africum. Et Theophylactus: Vaticinatur Propheta, quod ex Bethlehem veniet Chriſtus, quę ad auſtralem & Africam plagam reſpectu Ieroſolymorum ſita eſt. Idem ſentit, vt alios omittam, D. Irenęus lib. 3. aduerſus hęreſes, cap. 23. Euthymius item in commentarijs cantici Abacuc: *Deus, inquit, ab Auſtro veniet*, hoc eſt, egredietur ex Bethlehem; ſita autem eſt Bethlehem ad Hieruſalē, in auſtrali plaga, &c. Hanc eandem explanationē tribuit D. Hieronymus Hebręo cuidam. Audiui (inquit) ego quendam Hebręum iſtum locum ita differere, quod Bethlehem ſita ſit ad Auſtrum, in qua natus eſt Saluator, & ipſum eſſe, de quo dicatur, Deus ab Auſtro veniet, hoc eſt, naſcetur in Bethlehem, & inde conſurget, &c.

Deus ab Auſtro, id eſt, Bethlehē auſtrali venit. Abac. 3.

Ieremi. 13. D. Hieron.

Theodoret.

Theophyl.

D. Irenaus. Euthymius.

C

D

CAPVT XIX.

Quorſum Meſsias venerit.

DE ortu & loco natiuitatis diximus: nunc de Meſsię munere dicamus. Venturum Meſsiam, vt homines non debellaret, ſed doceret, prędixit in primis Iſaias apud quē Meſsias ipſe hūc in modum loquitur: *Spiritus Domini ſuper me, eo quod vnxerit me, ad annuntiandum manſuetis miſit me, vt mederer contritis corde, & prædicarem captiuis indulgentiam, & clauſis apertionem, vt prædicarem annum placabilem Domino, & diem vltionis Deo noſtro, vt conſolarer omnes lugentes, vt ponerem lugentibus Sion, & darem eis coronam pro cinere, oleum gaudij pro luctu, pallium laudis pro ſpiritu mœroris.* Ecce quorſum Deus Meſsiam Regem vnxit, & in orbem terrarum miſit, non vt ſuperbas opulentaſq;

Iſai. 61.

E

natio-

nationes bellica fortiudine, armisque subigeret, sed vt mansuetis, & humilibus Euangelium nuntiaret; de ijs enim fit mentio, qui illud receperunt, non de superbis, qui repudiarunt: *In mansuetudine* (ait D. Iacobus) *suscipite insitum verbum, quod potest saluare animas vestras.* Vt contritis corde medicinam afferret; Hebraice est: Ad alligandũ fractos corde, id est, vt alligaret vulnera peccatorum; sumpta à chirurgis metaphora, qui vulneribus mederi, eadémque alligare solent. Vt prædicaret ijs, qui Satanæ tyrannide premebantur, indulgentiam ac libertatem, & carcere peccati conclusis emissionem. Vt promulgaret annum placabilem; Hebraicè רצון rason, id est, annum diuinæ placabilitatis, & beneuolentię, annum diuinæ gratiæ, tempus quo placuit Deo mundum redimere; annum Iubilęi, quo libertas seruis Satanæ est data, & orbis è potestate Dæmonis ereptus, ad Dominum est reuersus. Vt notam faceret diem vltionis, quæ per crucem sumpta est de hostibus humani generis, morte, peccato, ac Satana; diem quoque iudicij extremi, quo scelera mundi vniuersa, Deus vlciscetur. Vt lugentes Sionis, id est, qui in Sione, id est, Ecclesia sunt, quique non voluptatibus, sed lamentis, & pœnitentię se dedunt, cõsolaretur, pro cinere & pœnitentia, Regni cœlestis coronam daret, pro luctu, spiritus diuini lætissimum vnguentum; pro mœrore, pallium laudis, gratiarum actionis, & gloriæ sempiternæ. Septuaginta interpretes vertunt; Dare lugentibus Sion, dare eis gloriam pro cinere, vnctionem lætitiæ lugentibus, habitum gloriæ, pro spiritu mœroris. Ecce Messiæ functiones.

Iacob. 1.

Christus nouos cælos, nouamque terram condidit, Isai. 51.

Venit item Messias, vt nouos cœlos, nouam terram, nouã Sionem, nouũ populũ, conderet, id quod idem vates Isaias, his verbis prædixit: *Posui* (ait Deus Messiam alloquens) *verba mea in ore tuo, & in vmbra manus meæ protexi te, vt plantes cœlos, & fundes terram, & dicas ad Sion, populus meus es tu.* Quæro, quænam terra, quinam cœli, post terram, & cœlos ab initio temporis à Deo productos, conditi sint? Quęro, quisnam sit is tam admirandæ potestatis, vt nouos cœlos plantare, nouam terram fundare possit? Deus sit necesse est; opus enim hoc diuinam planè potentiam flagitat. Noui sane cœli Ecclesiæ sunt in varijs terræ plantatę regionibus, quæ diuersos habent Episcopos, ac Pastores, vnam tamen omnes Ecclesiam Catholicam vni Pastori Christi Vicario Pontificique summo obtemperantem efficiunt. Etenim quemadmodum reliqui cœli primo mobili patent, eiusque ductu, motuque feruntur, sic reliquæ totius Orbis Ecclesiæ Pontifici summo obtempetant, eiusque imperium sequuntur. Noua quoque terra eadem Ecclesia est, mira florum, arborum, fructuumque spiritalium varietate vestita. Hæc noua Sion est, id est, specula, speculam enim nomen Sion significat. Atqui ex Ecclesiæ veluti ex specula altissima, hostium aduentum, insidias, technas, perspicimus, virtutum decorem, Dei Optimi Maximi naturam, operaque admirabilia contemplamur.

Isai. 51. Redemit Orbẽ Christus.

Venit præterea Messias ad redimendum Orbem, id habes eodem Isaiæ: *Consurge, consurge brachiũ Domini, consurge sicut in diebus antiquis, in generationibus sæculorum, numquid non tu percussisti superbum, vulnerasti draconẽ? nunquid non siccasti mare, aquam abyssi vehemẽtis, qui posuisti profundum maris viam, vt transirent liberati? Et nunc qui redempti sunt à Domino reuertentur, & venient in Sion laudantes, & lætitia sempiterna super capita eorum*, &c. D. Hieronymus: Salutem, inquit, suam Deus, & iustitiam sempiternã eis promiserat in auxilium, quæ non est alia, præter Christum brachium Domini, de quo supra dixerat; Et in brachio meo gentes sperabunt. Vnde populus loquitur ad brachium Domini, & eius deprecatur aduentum, & promissum implorat auxilium, dicens:

A *Consurge*, &c. Habemus ergo ex Hieronymo brachiũ Domini hoc loco Messiam appellari, per quẽ veluti per brachiũ Deus Orbẽ redemit. Petit Propheta, vt potentia diuini huius brachij, ita se exerat, in liberãdo humano genere è seruitute Satanæ, queadmodum olim in liberando Hebræorum populo à captiuitate, Pharaonis se exeruit. *Consurge*, inquit, *sicut in diebus antiquis*, cum superbum Pharaonem draconi similem fluctibus obruisti, Hebræoq; populo per tumidũ mare, admirandã viã aperuisti. Deinde redimẽdum similem in modum genus humanum testatur, Et nunc (ait) id est, etiam nunc, hoc tempore, redimentur homines à Messia, & reuertentur à peccatis, venientque summa cum lætitia in Ecclesiam, quẽ-
B admodum olim redempti sunt Israëlitę e captiuitate Pharaonis, reuersique sunt magno cum gaudio in terram Patribus promissam.

Gratis venundati estis, & sine argento redimemini. Gratis humanũ genus vnius pomi pretio venditum est; & *sine argento*, inusitato quodam pretio, & inaudito, id est, sanguine Messiæ redemptum. Gratis venditum, sed non gratis, infinito pretio recuperatum. *Sion in iudicio redimetur, & reducent eam in iustitia*, non gratis redempta est Ecclesia, sed in iudicio, & iustitia. Quidquid enim summa Dei iustitia exigebat pretij, abunde persolutum est. *Isai. 52.* *Isaiæ 1.*

Iudicabit pauperes populi, & saluos faciet filios pauperum, & humiliabit calumniatorem. Calũniator hic diabolus est, C διάβολος, enim græcè, latinè dicitur calumniator; huc calumniatore Messias humiliauit, ab eiusque seruitute nos eripuit, non armorum potentia, sed humilitate. Humiliatus enim humiliauit. *Tu humiliasti sicut vulneratum superbum:* in quem locũ sic Aug. Humiliasti te Domine, & humiliatus est superbus; superbus enim per superbiã superbos tenebat: humiliatus est Magnus, credens autem in eum factus est paruus, dũ nutritur paruus exemplo Magni facti parui, quod tenebat, perdidit diabolus, quia superbus non nisi superbos tenebat, dato tantæ humilitatis exemplo didicerunt homines damnare superbiam suam, imitari humilitatẽ Christi. Humiliatus es & humiliasti, vulneratus es, & vulnerasti, &c. *Psal. 71.* *Christus humiliatus, humiliauit.* *Psal. 88.*

Addit Vates regius: *Ex vsuris, & iniquitate redimet animas eorum, & honorabile nomen eorũ corã illo*: qualis Messiæ redemptio futura sit, indicatur, animorum videlicet præcipuè à peccatis, quæ vsurę merito dicũtur, quia debita sunt, & vsuræ grauissimæ, quibus se obstringunt flagitiosi homines. Augustinus: Quæ (inquit) sunt istæ vsuræ, nisi peccata, quæ etiam debita nominantur? Lectio hebræa, in sequentibus, nunc habet, vt vertit D. Hieronymus: Et pretiosus sanguis eorum in oculis eius, sanguis pro vita ponitur, fuit autem pretiosa hominum vita coram oculis Messię, siquidem ne illi vitam amitterent æternam, mortem ille obire voluit. Septuaginta vertunt: *Honorabile nomen eorum coram illo*, mutatione vnius literæ, vt constat
E hebraice scienti. Fuerunt autem honorabilia & pretiosa nomina hominum, coram Christo, propterea quod, vt in libro vitæ aureis literis scribi possent, sanguinem ipse suum veluti aureum pigmentum offerre non recusauit. *Psal. 71.* D. *August. peccata debita sunt & vsuræ, ex quibus Christus nos liberauit.* *Psal. 71.*

Neque verò animos solùm, sed corpora etiam à morte redemit Christus, quæ tandem ad extremum iudicij diem, vitæ perpetuę restituet. *De manu mortis liberabo eos, de morte redimam eos, ero mors tua ô mors, morsus tuus ero inferne.* De duplici morte loquitur, de morte æterna, quæ apud inferos nunquã moritur; de morte etiã tẽporali, quæ animũ separat à corpore. Hebraicè priori loco est שאול seol, quæ vox infernum significat; quo modo vertunt Septuaginta: *De manu inferni liberabo eos.* liberat ergo nos Dominus de manu *Osea. 13.* E *mortis duplicis fauces nos eripuit Christus.*

& poteſtate Seol, id eſt, Inferni, & de morte quoque liberauit, quæ corporis animique vincula diſſoluit, cum in Iudicij die homines in vitam reuocabit. Sequitur: *Ero mors tua, ô mors, morſus tuus ero Inferne*, hoc eſt, mea morte te, ô mors, interimã, mordebo te ô Inferne, Mortem dixit ſe omnino interfecturum, quia in die Iudicij peribit omnò mors, ita vt omnes homines in vitam nunquam morituri excitentur. At inferni morſum ſe appellauit, propterea quod non omnes homines ex Inferno eripit: ſed veluti morſum infigit Erebo: dum probos ſolũmodo viros liberat, improbos illius cruciatibus in ſempiternum mancipat. Quod quidem attinet ad ipſum Meſſiam, omnes ex Orco liberauit, ſanguinem enim fudit, cuius vna gutta, Tartari flammas omnes poteſt reſtinguere. Per Chriſtũ nõ ſtat, ſed per homines, quominus Orci cruciatus euadãt. ipſi tanti mali cauſa ſunt.

Montanus vertit, exciſio tua ero Inferne, quæ verſio ſignificat Chriſtum ſanguine ſuo infernũ exciditſſe. Illud, Mors tua ero ô mors, verti quoque poteſt: Verba tua ero ô mors: cuius verſionis hic erit ſenſus, ô mors, dicetur, euulgabitur inter omnes, me Deũ mortuũ eſſe. explicat hic ſenſus admirabilem modum, quo Deus mortẽ morte occidit, infernum q; moriẽdo momordit. Rupertus paſſiuè accepit morſum, hoc ſenſu: Morſum mihi infiges ô inferne. Sed non video quomodo recte dici poſſit infernum infixiſſe Chriſto morſum, cui, licet ad eum deſcenderit, nihil nocuit, cum victor deſcenderit, ac debellator.

Oſea 13. Chriſtus exſiccauit venas inferni id eſt peccata.

Addit idem Propheta Oſeas: *Adducet vrentem ventum Dominus de deſerto aſcendentem, & ſiccabit venas eius, & deſolabit fontem eius, & ipſe diripiet theſaurum omnis vaſis deſiderabilis*: De inferni venis, fonteque ſermo eſt, quas Chriſtus Dominus immiſſo vrente vento exſiccauit. Venæ autem, per quas homines veluti aquæ, in infernum veluti profundiſſimum ciſternã influunt, peccata ſunt. eadem ſunt fons ſuppliciorum omnium, quæ apud inferos impij perpetiuntur. has igitur inferni venas, hunc fontem, immiſſo flagrantiſſimo Auſtro, id eſt diuino ſpiritu Chriſtus arefacit, dum per Spiritus Sancti gratiam mundi peccata deleuit. Diripuit ipſe prætereà theſaurum omnis vaſis deſiderabilis, hoc eſt, limbum, vt appellãt. hic enim theſaurus erat ſubterraneus, & opulentiſſimus, in quo Sanctorum Patrum animæ ſub terra, veluti ſummi pretij, ſummique deſiderij vaſa, recondebantur. D. Hierony. Vaſa, inquit, deſiderabilia, quæ in theſauro retinebantur inferni, Sanctos intelligimus, quos alligato forte, dominus eripuit, & tulit de inferis, & quaſi vaſa pretioſiſſima ſecum perduxit in paradiſum, &c. Poſſunt etiam vaſa pretioſa iuſtos homines ſignificare, quos Chriſtus Dæmoni perpetuò eripit, vt in cœlo veluti abaco collocet ſplendidiſsimo, Rupertus: Chriſtus, inquit, diripiet theſaurũ omnis vaſis deſiderabilis, quia ipſe eſt ille, qui fortior ſuperuenit, cum fortis armatus cuſtodiret atriũ ſuum, & vniuerſa arma illius diſtribuit. Vas deſiderabile, & theſaurus pretioſus vtique eſt omnis electus. Hæc ille.

Limbus theſaurus pretioſiſsimorum vaſorum, id eſt, Patrum. D. Hieron.

Chriſtus vaſa pretioſa Dæmoni eripuit, id eſt, animas electorum Rupertus.

Item: *Adorabunt eum omnes reges terræ, omnes gentes ſeruient ei, quia liberabit pauperem à potente, & pauperem cui non erat adiutor.* Reddit hoc loco vates cauſam, cur gentes Chriſto ſint ſeruituræ; Videlicet, quia earum redemptor eſt. Nam ſi Deo æternam debemus ſeruitutem, quòd nos crearit, eandem vel etiam maiorem debemus, quòd nos redemerit, cũ maius beneficium redemptio ſit, quam creatio. Pauperrimum igitur hominum genus, omni deſtitutum ope, liberauit Meſſias à potente, id eſt, Satana, qui veluti potens tyrannus, miſeros homines ſcelerum conſtrictos catenis, ſub ſuo imperio continebat. Addit Vates, *cui non erat adiutor.* Etenim nec Angelorum, nec hominum quiſpiam, afferre homini potuit auxilium, grauiſsimumque iugum e ceruicibus illius excutere: neque verò ipſe abſque auxilio crudeliſsimi tortoris manus potuit euadere. Vnde illud D. Augu. Pſal. 129. Idoneus potuit eſſe homo ad caſum ſuum, non eſt idoneus ad reſurrectionem ſuam, &c. Solus poterat pauperem liberare Chriſtus, quia Deus & homo. nam vt ait D. Leo ſerm. 1. de Natiuitate, niſi Chriſtus eſſet verus Deus, non afferret remedium. & Auguſtinus in commentarijs huius Pſalmi: Idem (inquit) eſt potẽs, qui calumniator ſuperiùs eſt dictus, quem potẽtem ad homines ſibi ſubdendos, & in captiuitate retinẽdos, non virtus eius fecit, ſed humana peccata. Idem ipſe eſt fortis dictus Matth. 12. ideò & hic potens, ſed qui humiliauit calumniatorem, *& intrauit in domum fortis, vt eo alligato vaſa eius diriperet*, hic liberauit egenum a potente, & pauperem, cui non erat adiutor. Non enim hoc efficere potuit, vel cuiuſquam virtus, vel quiſquam homo iuſtus, vel aliquis Angelus. Cum ergo nullus eſſet adiutor, ipſe aduenies ſaluos fecit eos. Hęc Auguſt. Verti ex hebræo poteſt: & liberabit egenum à potente, & pauperem, & non adiutor ei, ſcilicet Meſſiæ. hoc eſt, quõ dicitur apud Iſaiam: *Torcular calcaui ſolus, & de gentibus non eſt vir mecum*: quibus verbis indicatur, Meſſiam non bello, exercituq; ex multis militum millibus conflato, ſed cruce, omni hominum auxilio deſtitutum, à potente liberaturum pauperem.

D. Auguſt.

D. Leo.

D. Auguſt.

Chriſtus ſi no eſſet Deus non afferret remedium hominis.

Matth. 12. Chriſtus nullo tumulte Angelo vel homine redemit hominem.

Iſaia 63.

Pſal. 128.

Deniq; præclaro illo Pſalmo, in quo de profundis vates clamat, Meſſiæque aduentum ſperare docet, Iſraelis Spiritalis Redemptor Meſſias eſſe demõſtratur; qui hoſtes non præliis, ſed cruce frangat, ac ſuperet. Initio Pſalmi quo in loco res eſſent humanæ ſine Chriſto aperit, Deique opem expoſcit Vates. In profundis malis, ac calamitatibus genus humanũ ſine Meſſia eſſet, ideoque; *De profundis*, inquit, *clamaui ad te Dõmine*, hoc eſt, quaſi de profunda fouea, veluti ex profundo pelago, ſiue barathro, hic enim hominum ſine Meſſia locus, hæc ſors eſt, Erebi, peccatiq; profunditas, vt ex profundis eruatur, veluti Ionas alter ex ventre Ceti clamat. Clamat, (inquit Auguſtinus) ſub molibus, & fluctibus iniquitatum ſuarum. Petit deinde ne iniquitates vt Iudex ſeuerus obſeruet, atque excutiat, vel ne peccata ſeruet ac retineat, quod faceret ſi Meſſiam non mitteret Deus, ſed potiùs Meſſia miſſo per eius merita condonet; *Si iniquitates obſeruaueris*, & retinueris, nec dimiſeris per merita tui Chriſti, vel, Si peccata obſeruaueris, & vt ſeuerus iudex, ſine meritis Chriſti exquiſieris, *Domine quis ſuſtinebit?* vel etiam ex hebræo, Quis ſtabit? quis iniquitatum pondus, & iræ tuæ ſuſtinere poterit, quin concidat, & in profundum Tartarum pondere preſſus ruat? ô Deus non obſeruabis iniquitates; *Quia apud te propitiatio eſt*, per Chriſtum, quia apud te propitiatorium viuum eſt Meſsias, cuius merita hominũ iniquitatibus propitium te reddunt. hebraicè, סליחה Selicha, id eſt, venia, ſiue remiſsio tecum eſt omnis autem peccatorum remiſsio per Meſsiã, verum totius orbis propitiatorium, hominibus conceditur. Vel dicitur Meſsias propitiatio, ſiue remiſsio, qui cauſa eſt omnis remiſsionis, vnde illud Pauli: *Qui factus eſt nobis ſapientia, & iuſtitia, & ſanctificatio, & redemptio.*

Pſalmus de profundis exponitur de Meſſia.

D. Auguſt.

Peccatorum remiſsio per Meſsiam.

1. Cor. 1.

Sequitur: *Propter legem tuam ſuſtinui*, id eſt, expectaui te Domine. hoc loco meminit Propheta legis, id eſt, pacti initi cum Patribus, hoc ſenſu; Expectaui te ô Deus, expecto vt mittas tuum Meſsiam, propter legem, & pactum tuum, & promiſsionem, quæ in lege extat ſcripta, de Meſsia mittendo. Item propter legem tuam, quæ tota Meſsiæ typis, & vmbris, & vaticinijs plena eſt. Chaldæus alijs literis legit, verbum ראת raa, quod ſignificat videre, atq; ita vertit; Apud te in-

Pſal. 71.

Homo erobatadiutore, Chriſto indigebat adiutore.

te indulgẽtia est, vt videaris; quæ versio præclarè incarnationi conuenit Messiæ, hoc sensu; Apud te est peccatorũ remissio, vt propter remittenda peccata, ipse in terram descendas, naturã humanã assumas, & ab hominibus in assumpta natura videaris. Expectationem suam exaggerat, & repetit; *Sustinuit anima mea in verbo eius, sperauit anima mea in* Domino, hoc est, anima mea sperauit, & sperat in Domino, & in verbo eius, id est, in promissione eius de Messia facta Patribus. *D. Hieron.* D. Hieronymus sic vertit ex hebræo; Sustinui Dominum, sustinuit anima mea, & verbum eius expectaui, hoc est, expectaui Deũ, expectauit anima mea, & verbum eius diuinum, quod secunda sacrosanctæ Trinitatis persona est, in mundum venturũ, & naturam humanam assumpturum speraui, & spero.

Hortatur post hæc Israelem, ne spem de mittendo Messia amittat; *A custodia*, inquit, *matutina vsque ad noctem*, id est, semper, perpetuò, tota die, *speret Israël in* Domino, quòd Messiam optatissimũ mittet. Ex hebræo verti quoque potest; Anima mea ad Dominum, præobseruantibus matutinam lucem, obseruantibus matutinam lucem. ideóque Caietani interpres sic conuertit; Anima mea Domino, supra expectantes mane, expectantes mane. Confert vates desiderium Messiæ, quo flagrabat, cum desiderio ægrotorum, iter facientium, & negotiatorum, qui matutinam lucem ad releuandum morbum, iter, negotia que celeriter peragenda, anxiè expectant, & obseruant ipsum verò Messiæ aduentum similem esse innuit, luci matutinæ, quasi dicat: Anima mea Messiæ clarissimum aduentum expectat, illumque suspirat, plusquam illi, qui vel morbo afflictati, vel negotijs, & itineri cursu veloci conficiendo, intenti, noctis longitudinem incusant, lucisque matutinæ aduentum vehementer optant. Chaldæus sic interpretatus est: Anima mea expectauit Dominum, plusquam obseruantes custodias matutinas, quas obseruant, vt offerant oblationem matutinam. Qui sensus Messiæ admirabilem indicat oblationem, hoc pacto: Anima mea Deum expectat, eximiumque illud tempus, in quo Messias seipsum in cruce, veluti agnũ immolatum, pro mundi peccatis Deo offeret. expectat verò Messiam anima mea, plusquam obseruantes custodias matutinas in templo, vt summo mane sacrificium matutinum faciant, quod sacrificij à Messia faciendi typus est.

Tandem fore prædicit, vt Messias veniat, mundúmque redimat, qualisque sit ea redemptio aperiti nimirum ex iniquitatibus, & copiosa. *Quia*, inquit, *apud* Dominum *misericordia, & copiosa apud eum redemptio, & ipse redimet Israel ex omnibus iniquitatibus eius*. Erant nunc Iudæi, & armatum sibi nescio quem Messiam somnient, militúmque robore stipatum, qui redimat Israël, nõ ex iniquitatibus, quibus est inquinatus, sed ex regionibus, in quas est exterminatus. *Copiosa*, inquit, *apud eum redemptio*, copiosa quidem. Primum, quia per copiosam sanguinis effusionem. Deinde, quia per sanguinem non taurorum, aut hircorum, sed Dei in crucem sublati, effecta est. Præterea, quia nõ vni vel alteri, sed infinitis etiam peccatis abolendis satis est. ad hæc, quia non pluribus tantùm, sed omnibus, imò innumerabilibus hominibus redimendis sufficit. adde, quia non vnius tantum, sed omnium temporum omniumque sæculorum captiuis, vt in libertatem vindicari possint, infinitum pretium contulit. Ad extremum, quia non ex peccato solum animas eripit, sed gratia etiam, Spiritusque sancti donis, in orbe terrarum exornat, tam animas verò, quàm corpora è mortis potestate erepta, perpetua gloria in cœlo empyreo decorat.

Christus redemit ex iniquitatibus Israëlem, non ex regionibus.

Si captiuum, quem centum aureis Rex posset redimere, præ amore magno centum aureorũ millibus redimeret, copiosa sanè ea diceretur, amoréq; plenissima redẽptio. Potuisset Rex summus Christus vniuersum genus hominum, vel vna sanguinis gutta, vel vna etiam lachryma redimere: At amore, iustitiaq; exigente miris cruciatibus, cruce, sanguinisque liberali effusione redemit. numquid non optimo iure copiosa hæc, iustissima, amorisque plenissima redemptio appellabitur? Si viginti millium captiuorum turba, magno pretio à Rege redempta, vestibus bombycinis, aureisque amicta, donis maximis affecta, ex Africa Olysiponem ingrederetur, quis eam redemptionẽ copiosam non prædicaret? Cùm igitur in spiritali Hierusalem, id est, Ecclesia, infinitam propemodũ captiuorũ multitudinẽ cernamus, à Christo infinito pretio e Satanæ potestate redẽptam, vestitu charitatis deauratam, virtutũ varietate circumdatam, Spiritus sancti eximijs donis ornatam, quis copiosam Christi redemptionẽ mirificis verbis prædicare vnquam desinet? hæc fuit digna Deo redẽptio: nemo enim præter Deum tam copiosam, vt exposuimus, redemptionem efficere potuit: *Ipse*, inquit, *redimet Israël ex omnibus iniquitatibus eius*, non homo aliquis, qui humanam duntaxat haberet naturam, non Angelus, sed Deus & homo, potuit redimere. Quamobrem Augustus Ipse, inquit, redimet Israël ex omnibus iniquitatibus eius, quia Israël vendere se potuit, & fieri venundatus sub peccato, redimere se ab iniquitatibus non potest, ille potuit redimere, qui se non potuit vendere, qui non commisit peccatum, ipse est redemptor à peccato.

Copiosa Christi redemptio.

Homo nõ potuit se redimere, potuit se vendere.

Ex ijs cõtat nõ bello, in quo Iudæi spẽ collocant, effectã Messiæ redemptionẽ, sed cruce: nõ enim bellum, sed crux ex iniquitatibus redimere potest. Lege Isaiam, vbi Propheta Iudæos non tẽporis solũ illius, quod Christum præcesserit, sed cõsequentis etiã obiurgat, quòd in armis non in Deo salutis spem collocarint. *Væ*, inquit, *qui descendunt in Aegyptum ad auxiliũ, in equis sperantes & habentes fiduciam super quadrigis, quia multæ sunt, & super equitibus, quia præualidi nimis, & non sunt confisi super sanctum Israël, & Dominum nõ requisierunt*. Videas his verbis depictos Iudæos, qui Messiæ prælia meditantur. *Væ illis*, ait Vates, *qui non sunt confisi super sanctum Israël*, hoc est Messiam, & illum non requisierunt. Sed potius in Ægyptum descendunt ad auxilium quærendum, hoc est, ad homines confugiunt, humanúmque auxilium suis malis afferre posse remedium putant. In equis sperant, super quadrigis Messiæ, quas somniant, fiduciam habent. Quale autem sit humanum auxilium, ostendit vates his verbis: Ægyptus, ait, *homo, & non Deus; & equi eorum caro, & non spiritus*. hoc est, falsi Messiæ, quem expectatis, auxilium humanum est, non diuinum, tam ipse Pseudomessias, quàm eius satellites, homines sunt, & nõ Deus: atqui redemptio vestra auxilium Dei flagitat, Deum incarnatum postulat, ab hominibus perfici nequit. Deinde Deum ipsum incarnatum auxilium allaturum vaticinatur, hunc in modum. *Quomodo si rugiet Leo, & catulus leonis super prædam suam, cum occurrerit ei multitudo pastorum, à voce eorum non formidabit, & à multitudine eorum non pauebit, sic descendet Dominus exercituum, vt prælietur super montem Sion, & super collem eius*. Confert Deum Messiam cum leone, leo enim est de tribu Iuda: similis, inquit, erit Messias Deus leoni, cui vociferantium pastorum occurrit multitudo, at ille nullum inuictus formidat, eorumque pro nihilo ducit clamorem. Circumdabunt leonem è tribu Iudæ, Iudæi veluti pastores vociferantes: Crucifige, crucifige eum, ille verò neminem timebit, omnes illorum vociferationes spernet, præliabitur vt leo aduersus tartareos hostes, super montem Sion, & collem eius, id est, in ipsa ciuitate Hierusalem in monte Caluariæ. Confert item Messiam in cruce extensum

Messias non redemit bello sed cruce.

Messias vt leo Iudæ auxilium tulit.

Meſsias in cruce extenſus, auisprotegens Eccleſiam.

ſum cum auibus, extenſis alis volantibus: *Sicut aues,* inquit, *volantes, ſic proteget Dominus exercituum Hieruſalem, protegens, & liberans, tranſiens, & ſaluans.* Chriſti crucem hoc ænigmate depingit, quemadmodum volãtes aues alas in aëre, ſic Meſſias brachia in cruce expandet, ſubq; brachijs expanſis proteget Hieruſalẽ

Matth. 23. ſpiritalem, Eccleſiã ſuam, iuxta illud: *Quoties volui congregare pullos tuos ſub alas, & noluiſti,* &c. Verbo quoque ſequente Meſſiæ mortem indicat: *Tranſiens,* inquit, *& ſaluans,* hebraicè פסח Paſoach, id eſt, tranſiens, verbum eſt, à quo ducitur Paſcha, id eſt, tranſi-

Ioan. 13. tus, ſignificatur igitur Chriſti Paſcha, id eſt, tranſitus ad Patrem, iuxta illud: *Sciens quia venit hora eius, vt tranſeat ex hoc mundo ad Patrem.* Tranſiens Chriſtus, & ſaluans, duobus verbis, & redemptio, & redemptionis modus eſt explicatus. Traſiens in paſchate, id eſt, mortem oppetens, & hac morte ſaluans homines, & redimens.

Meſsias vicit Diabolũ abſque gladio.

Denique docet Vates redemptionem non bello perficiendam, aut hominum auxilio, ſed diuino crucis gladio, tartareum Aſſur, ſiue Goliam ſuperandum. *Cadet,* inquit, *Aſſur, in gladio,* non viri, *& gladius,* non hominis, *vorabit eum, & fugiet,* non à facie gladij, *& iuuenes eius vectigales erũt, & fortitudo eius à terrore trãſibit, & pauebunt fugientes principes eius.* Diaboli typus fuit Aſſyrius Rex Sennacherib, cuius exercitum Angelus interfecit, eſt ergo ſenſus typum reſpiciens: O Iudæi ne Meſſiam bellatorem ſomniate, vincetur Aſſyrius, id eſt, Satanas, qui homines tyrannide premit crudeli, at non gladio vincetur humano, ſed Meſſiæ diuino, id eſt, cruce, iuuenes quoque eius & principes, id eſt, dæmonum exercitus profligabũtur, & ſub iugum à Meſſia mittentur. *Propterea fortitudo eius,* id eſt, Dæmonis, *à terrore tranſibit,* non enim terret fortem Chriſtianum Dæmonis magnum robur, quia à Chriſto ſcit eſſe alligatum fortem armatum.

1. Cor. 10. Septuaginta interpretes vertunt; Petra circumdabuntur quaſi vallo, & vincentur. *Petra autem* (vt cum Apoſtolo loquamur) *erat Chriſtus,* ab hac petra quaſi vallo circumdati Dæmones victi ſunt. Verba, quæ ſequuntur, ſcilicet; *& pauebunt fugientes principes eius,* verti quoque poſſunt, vt vertit Pagninus. Et pauebunt à vexillo principes eius; Vexillum verò, quod horrent Erebi principes, crux eſt. Vides qualis ſit Meſsiæ redemptio, quam abhorreat à ſomnijs Iudæorum.

Præter hæc, venit Meſsias ad abluenda baptiſmo hominum ſcelera, ad exterminandam idololatriam, ad vocandas gentes in Regnum cœlorum, ad inſerendum hominibus nouum cor ſpiritumque nouũ

Ezech. 36. Functiones Meſs. largiendum. hæc omnia habes apud Ezechielem: *Tollam vos de Gentibus, & congregabo vos de vniuerſis terris, & adducam vos in terram veſtram, & effundam ſuper vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis veſtris, & ab vniuerſis idolis veſtris mundabo vos, & dabo vobis cor nouum, & ſpiritum nouum ponam in medio veſtri, & auferam cor lapideum de carne veſtra, & dabo vobis cor carneum,* &c.

Ioan. 11. In primis de congregatione illa loquitur Deus, de qua Ioãnes: *Prophetauit,* inquit, *Caiphas, quòd Ieſus moriturus erat pro gente,* & non tantùm pro gente, ſed vt filios Dei, qui erant diſperſi, congregaret in vnum. Filios ergo Dei diſperſos congregaturus prædicitur Meſsias ex omnibus Gentibus, eosque in terram ſuam, id eſt, Eccleſiam adducturus. De baptiſmo deinde; *Effundam,* inquit, *ſuper vos aquam mundam.* De idolorum abiectione illud eſt; *Ab vniuerſis idolis veſtris*

Iſai. 44. *mundabo vos.* De corde nouo & ſpiritu; *Dabo vobis cor nouum,* &c. Et Iſaias: *Effundam aquas ſuper ſitientem, & fluẽta ſuper aridam, & effundam ſpiritum meum ſuper ſemen tuum, & benedictionem meam ſuper ſtirpem tuam.*

Exath. 47. De aquis baptiſmatis idem Ezechiel vaticinatur: *Ecce,* inquit, *aquæ egrediebantur ſubter limen domus,* id eſt, templi ad orientem: aquæ namque baptiſmatis de templo Dei, id eſt, Eccleſia Chriſti egrediuntur, & verſus Orientem tendunt, quia per illas baptizati in Orientalẽ, id eſt, cœleſtem regionem veluti nauigãt. Erant hæ aquæ quodam loco non admodum profundæ; *Traduxit,* inquit, *me,* ſcilicet Angelus, *per aquam vſque ad talos.* alijs verò locis profundiores; *Traduxit me per aquam vſque ad genua, deinde vſque ad renes,* & profundiſsimæ; *Torrentem,* inquit, *non potui pertranſire,* quoniam intumuerant aquæ profundi torrentis, qui non poteſt tranſuadari. Similem in modum incrementum ſumpſere baptiſmi aquæ, primo quidem non admodum profundæ Iudæam ſolùm irrigarũt, poſtea verò in fluuium maximum, qui totum Orbem irrigat, euaſerunt. Præterea aquæ illæ templi in mare mortuum influxere, mariſque aquas ſanauerunt, *Introibunt,* inquit, *mare, & exibunt, & ſanabuntur aquæ, & omnis anima viuens, quæ ſerpit, quocunque venerit torrens, viuet, & erunt piſces multi ſatis, poſtquam venerint illuc aquæ iſtæ, & ſanabuntur, & viuent omnia, ad quæ venerit torrens,* &c. Ecce baptiſmi vim, in Orbem vniuerſum veluti in mare quoddã mortuum influxit, mortuo vitã contulit, piſcibuſque optimis, id eſt, Chriſtianis illud compleuit. *Viuent,* inquit, *omnia ad quæ venerit torrens.* Eximiè effectus baptiſmi deſcribitur, quæ vita eſt ſpiritalis, in quaſcunque terræ regiones hic torrens venit, viuunt homines vita ſpiritali, cum illius aquis ritè abluuntur, quo non penetrat, vita carent.

Baptiſmi aquæ.

Zach. 14.

De ijſdem aquis ſermo habetur apud Zachariam: *In die illa exibunt aquæ viuæ de Hieruſalem, medium earum ad mare Orientale, & medium earum ad mare nouiſsimum, in æſtate, & in hyeme erunt.* Significat Vates baptiſmi aquas Orientem, Occidentemque irrigaturas; Exibunt, inquit, tam ad mare Orientale, quod eſt mare mortuum, ſi cum Hieruſalem conferatur, quam ad mare nouiſsimum, quod eſt Mediterraneum, & Occidentale; id eſt, Orientem verſus, Occidentemque fluent. Neque verò vllo vnquam tempore ad iudicij vſque diem deficient; *In æſtate* (ait Vates) *& in hyeme erunt.* Idẽ Zach. *Erit fons patens domui Dauid, & habitantibus Hieruſalem, in ablutionem peccatoris & menſtruatæ.*

Zach. 13.

Hic fons baptiſmus eſt, domui Dauid, id eſt, Chriſti, patet, nullus ad illum accedere, nullus ſalutiferis aquis animi ſordes abluere prohibetur. Huc peccator, huc menſtruo facinorum ſanguine inquinata anima accedit, ipſaque niue candidior, ipſis ſtellis purior diſcedit.

De euerſione verò ſimulachrorum tẽpore Meſſiæ Zacharias, poſtquam fontem fore patentem domui Dauid vaticinatus eſt, addit; *Et erit in die illa dicit Dominus exercituum, diſperdam nomina idolorum de terra, & non memorabuntur vltra.* Similiter, poſt verba illa de aquis ex Hieruſalem exeuntibus, ſubijcit; *Et erit Dominus Rex ſuper omnem terram, in die illa erit Dominus vnus, & erit nomen eius vnum,* hoc eſt, Iupiter, Saturnus, Mars, cæteraque idola Dei nomine non afficientur, vnus Deus in vniuerſa terra coletur, idola conterentur. Et Sophonias: *Attenuabit omnes Deos terræ, & adorabunt eum vir de loco ſuo, omnes Inſulæ gentium,* id eſt, Deum verum colent viri, quiſque in ſuo loco, & regione, non in ſola Iudæa, colent eum omnes inſulæ gentium, Iſaias: *Dominus exercituum nomen eius, & redemptor tuus ſanctus Iſraël, Deus omnis terræ vocabitur,* &c. Sophon. *Reddam populis labium electum, vt inuocent omnes in nomine Domini, & ſeruiant ei humero vno, vltra flumina Æthiopiæ, inde ſupplices mei, filij diſperſorum meorum, deferent munus mihi,* &c. Reddidit Dominus tempore Meſsiæ populis labium electum, id eſt, Chriſtianæ fidei confeſsionem, ſeruiunt omnes eidem Deo humero vno, id eſt, eodem cultu, eadem fide, ſub eodẽ leui onere, & iugo ſuaui legis nouæ;

Zach. 13.

Zach. 14.

Sophonia 2. Idololatria per Meſsiam exterminata. Iſai. 54.

Sophonia 3.

per-

Ierem. 16. peruenit autem cultus Christi vltra flumina Æthiopiæ. Ieremias: *Domine fortitudo mea, & robur meum, & refugium meum, in die tribulationis, ad te gentes venient ab extremis terræ, & dicent: Verè mendacium possederunt Patres nostri, vanitatem, quæ eis non profuit.* Septuaginta vertunt: Dicent, quomodo falsa possederunt Patres nostri idola, & non est in eis vtilitas, &c. de simulachris sermo est, à gentibus repudiatis, vt Hieron. interpretatur.

Ezech. 37. Filios Israël, id est, Christi filios dispersos, cuius typus fuit Iacob, siue Israël, ait Dominus se in Ecclesiam, terram suam adducturum, in qua omnibus abiectis inanium deorum simulachris, vnum Regẽ Christum, vnumque Deum venerentur. *Ecce,* inquit, *ego assumam filios Israël de medio nationum, ad quas abierunt, & congregabo eos vndique, & adducam eos ad humum suam, & faciam eos in gentem vnam in terra, in montibus Israël, & Rex vnus erit omnibus imperans, & non erunt vltra duæ gentes, nec dividentur amplius in duo Regna. Neque polluentur vltra in idolis suis, & abominationibus suis, & cunctis iniquitatibus suis. Et saluos eos faciam de vniuersis sedibus, in quibus peccauerunt, & emundabo eos, & erunt mihi populus, & ego ero eis Deus, & seruus meus Dauid Rex super eos, & pastor vnus erit omnium eorum,* &c. Typicus est sermo, & latentibus mysterijs plenus, filij Israel typicè filij Christi appellantur, hos ex omnibus nationibus congregat Dominus, in humum suam, id est, Ecclesiam adducit, & in montibus Israël, id est, Ecclesiis Christi, quę veluti montes in terra valde eminent, in gentẽ vnã Christianam, in populũ vnum, regnũque vnum redigit. Nec enim, vt olim Israëlitæ, in duo regna tẽporaria, quorum alterum Iuda, alterũ Israel appellatum est, diuidebantur: sic Christiani in duo vel plura regna spiritalia diuisi sunt. Nam omnes vnam efficiunt Catholicam Ecclesiam, quæ vnum tantùm regnum est, vnicum Regem, vnicumque pastorem habet Dauidem, id est, Christum, filium Dauidis, cuius vices in terris Summus Pontifex, Ecclesiæ totius pastor, vniuersique huius regni gubernator gerit. Neque diuidentur, ait, amplius in duo regna, vt olim Israëlitæ, neque polluentur vltra in idolis suis, en idolorum exterminationem, *& seruus meus Dauid*, id est, Christus, *Rex super eos, & pastor vnus omnium*. Idem repetit iuxta: *Dauid*, inquit, *seruus meus princeps eorum in perpetuum*. Ecquis nam Dauid perpetuus esse potest? ecquis mortalis homo regnum potest in sempiternum administrare? cuinam id permisit vnquã, aut permittet mors, quę omnium regnorũ gubernacula e manibus Regum extorquet? Solus Christus æternus Rex est, æternusque pastor, qui Ecclesiæ regnum in terris, ad iudicij vsque diem, in cœlo verò in sempiternum gubernabit.

Isaiæ 30. Isaiæ quoque de idolis abiiciendis mentio fit. *Dabit,* inquit, *vobis Dominus panem arctum, & aquam breuem, & non faciet auolare à te vltra doctorem tuum. Et erunt oculi tui videntes præceptorem tuum, & aures tuæ audient verbum post tergum monentis. Hæc est via, ambulate in ea, & non declinetis, neque ad dexteram, neque ad sinistram: Et contaminabis lamellas sculptilium argenti tui, & vestimentum conflatilis auri tui, & disperges ea sicut immunditiam menstruatæ, egredere dices ei*, &c. In posteri ori parte huius vaticinij idola exterminanda prædicit vates, in priori aliam Messię functionem prædicat.

Messias orbis doctor. D. Hieron. Venit enim Messias in orbem, vt orbis doctor esset, vtque cœli viam hominibus indicaret. *Dabit,* inquit, *vobis Dominus panem arctum, & aquam breuem*, hoc est, vt Hieronymus interpretatur, Euangelicam doctrinam, arctam & breuem, quæ legis veteris præcepta abrogauit. Euangelicus (inquit Hieronymus) sermo prædicitur, qui prolixiosis legis obseruationibus, atque mandatis, in vno verbo recapitulauit omnia, *Diliges proximum tuum sicut teipsum*, consummatum enim, & abbreuiatum sermonem fecit Dominus super terram, &c. Possunt etiam hoc loco duo illustrissima Sacramenta, Eucharistia & Baptismus, ijs verbis occultè significata intelligi, hoc sensu: *Dabit vobis Dominus panem arctum*, id est, Eucharistiam, quæ panis arctus appellatur, propterea quod sub arcta, imò arctissima panis specie, ingenti miraculo, Christus se nobis exhibet in escam dulcissimam. Hebraicè לחם צר lechem sar, quod verti etiam potest, panis afflictionis, vel angustiæ. vocatur autem Eucharistia, cœlestis, dulcissimusque panis, panis angustiæ & afflictionis, quia afflictos, mœstosque homines recreat, ac corroborat. Aqua verò breuis, baptismus dicitur, quia breui & modica aqua tantum Sacramẽtum perficitur, quod vniuersa hominis delicta abluit. Hebraicè dicitur aqua לחש lachas, id est, arcta, vel aqua oppressionis, vt vertit Pagninus, quæ scilicet oppressos criminum mole liberat, vel quæ peccata omnia opprimit, & veluti fluctibus cũctos Ægyptios obruit. *Eucharistia & Baptismus.*

Sequitur: *Et non faciet amolare à te vltra doctorem tuum, & erunt oculi tui videntes præceptorem tuum*, &c. Doctor hic Christus est, qui ab Ecclesia sua numquam auolat, semper enim in Eucharistia præsens adest, semper eam docet, semper veluti post tergum monet, viámque cœli demonstrat. In Eucharistia eum intuentur Christiani omnes, quamuis velamine veluti alterum Moysem contextum, viderunt quoque eum Apostoli. Iudęique reliqui in Iudęa versantem, De hoc eodem doctore Ioël: *Filij Sion exultate, & lætamini in Domino Deo vestro, quia dedit vobis doctorem iustitiæ.* quam scientiam doctor Messias mundo sit traditurus, his verbis docetur: *Dedit,* inquit, *doctorem iustitiæ,* id est, qui iustitiã doceat. Vnde Isai. Ecclesię filij dicũtur Dei discipuli, & à Deo docti: *Ponã,* inquit, *vniuersos filios tuos doctos à Domino*, & Oseæ *Tempus autem requirendi Dominum, cùm venerit, qui docebit vos iustiam*. Sed de Messiæ passione iam aliqua vaticinia ijs adnectamus. Ioël. 2. *Christiani à Deo docti.* Isai. 54. Osee 10.

CAPVT XX.

De passione Messiæ ex capite quinquagesimo tertio Isaiæ.

CEleberrimum est omnium ore, atque scriptis, caput in quo de Messiæ passione Isaias præclarè vaticinatus est: operæ igitur pretium erit præclarissimum caput breuiter exponere, Messiæque passionem in Propheta veluti in Euangelista descriptã legere. Ab incredulitate Iudæorum exordium ducit. *Quis credidit auditui nostro, & brachium Domini cui reuelatum est?* quibus verbis (vt ait Hieron.) raritatem credentium significat ex Iudæis, quod confirmat Ioannes: *Cum tanta,* inquit, *signa fecisset coram eis Christus, non credebant in eum, vt sermo Isaiæ Prophetæ impleretur, quem dixit: Domine quis credidit auditui nostro, & brachium Domini cui reuelatum est?* Et Paulus: *Sed non omnes,* inquit, *obediunt Euangelio*: Isaias enim dicit: *Domine quis credidit auditui nostro?* Ergo fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi, &c. Quo loco expositum Paulus, quid significet auditus apud Isaiam, duplex enim potest esse sensus illorum verborum: *Quis credidit auditui nostro?* alter est, *quis credidit auditui nostro,* id est, sermonibus quos accepimus, & audiuimus à Deo de Messiæ passione; alter, *quis fidem adhibebit auditui nostro,* hoc est, verbis nostris de Messia, cùm ea audierit. Hunc secundũ sensum indicat Paulus, cum ex auditu Isaiæ infert; ergo fides ex auditu. Auditus verò, de quo Paulus loquitur, auditus est, quo percipiũtur Isai. 53. Ioann. 12. Rom. 10.

tur ab auditoribus verba concionatorum Messiæ, de eodem igitur loquitur Isaias.

Etenim auditus sumitur pro sermone, qui auditur, quemadmodum visio pro re quæ videtur: vnde illud Moysis: *Vadam, & videbo visionem hanc magnam*. 2. Reg. 23. *Fecit eum* (scilicet Banaiam) *sibi Dauid auriculare à secreto*. hebraice: Et posuit eum Dauid ad auditum suum, id est, vt audiret eius arcana. Et: *Dauid pergens ad Imperium tuum*, hebraicè: Pergẽs ad auditum tuum, id est, pergens ad ea, quę ab ore tuo auditu acceperit. *Domine audiui auditionẽ tuam, & timui*, id est, audiui verba tua. Quemadmodum ergo dicitur auditio tua, id est, quæ à te emanauit, ita hoc loco auditus noster dicitur ab Isaia, id est, qui à nobis Messiæ concionatoribus emanabit.

Exod. 3. *2. Reg. 23.* *Audiui credere quid sit.* *1. Reg. 22.* *Abac. 3.*

Brachium Domini Messias appellatur, quia omnia per ipsum facta sunt, vt Augustinus infra citatus ait. præter ea, quia homines per eundem magna fortitudine sunt redempti, victa mors, & peccatum, Diabolus magna potentia superatus: *Fecit potentiam in brachio suo* ait Deipara Virgo. D. Gregor. Christus (inquit) est brachium, de quo Propheta ait, *& brachium Domini, cui reuelatum est?* Augustinus tractatu 53. in Ioannem; Satis (inquit) ostendit brachium Domini, ipsum filium Dei nuncupatum, non quòd Deus Pater figura determinetur carnis humanæ, eique filius tamquam membrũ corporis hęreat, sed quia omnia per ipsum facta sunt; ideo brachium Domini dictum est, &c. Similiter D. Hieronym. Isaiæ 51. Salutem suam & iustitiam sempiternã promiserat Dominus in auxilium, quæ non est alia præter Christum, brachium Domini; de quo suprà dixerat: *Et in brachio meo gentes sperabunt*. Hæc ille. Hoc igitur brachium Domini fortitudinis infinitæ, qualis fortitudo ad superãdum peccatum, mundum, mortem, Diabolumque necessaria erat, paucis ex Iudęis reuelatum est, quia pauci crediderunt: ideo ait Propheta: *Brachium Domini cui reuelatum est?* Hebraicè, super quem reuelatum est? est enim reuelatio fidei, & infusio è cælo, proficiscitur à Deo, hominem superat, & veluti lux cœlestis super hominis intellectũ affulget, cui illud congruit: *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine, dedisti lætitiam in corde meo*: Fides lumen est è diuino vultu veluti splendidissimo Sole in intellectum hominis emanans, illumque magna cum cordis lætitia illuminans, quemadmodum circumfulsit Paulum lux de cœlo; sic quemlibet Christianum, inuisibile inde lumen fidei illustrat, quo brachium cernat Domini, id est, Messiam.

D. Greg. 32. mor. c. 5. *D. August. Brachiũ Domini Messias* *Psalm. 4.* *Act. 9.*

Postquam Iudæorum incredulitatem indicauit, de ipso Messiæ humili aduentu, & passione agit Vates, quæ incredulitatis causa fuit, iuxta illud Pauli: Isaiæ *Prædicamus Christũ crucifixũ, Iudæis scandalũ. Et ascendet* (ait Isaias) *sicut virgultum coram eo, & sicut radix de terra sitienti*. Ascendit Messias coram Iudæorum populo, veluti tenerũ atq; humile virgultũ, & sicut radix è terra arida & sterili. Humilis enim inter Iudęos apparuit, nullis regiæ nobilitatis, aut potentiæ insignibus adornatus; quæ res incredulitatem illis peperit. Non fuit Messias primo aspectu arbori illi similis, quæ Regi Nabuchodonosor secundum quietem obiecta, regiam maiestatem, & opulentiam, proceritate, ramorúmque diffusione, & fructu copioso adumbrauit. *Magna* inquit, *arbor, & fortis, & proceritas eius contingens cælum folia eius pulcherrima, fructus eius nimius.* Sed similis fuit humili virgulto, radicique è solo inculto exurgenti. Rectè autem radici comparatur, quia quemadmodum ex deformi, telluréque oppressa radice, rami pullulant; ita ex Messia ab omnibus despecto, cruciatibusque oppresso, omnis gratia, omnis hominum virtus, sanctimoniáque pullulauit. Oritur ex radicis humilitate arboris vigor omnis, fructus atque pulchritudo; oritur ex Christi humilitate Ecclesiæ decor omnis, sanctitas atque gloria. Latet, nec videtur radix, quæ succum, alimẽtumque vniuersæ arbori subministrat, latet etiam, nec nisi per fidem videtur à nobis in terris Christus, qui gratiam virtutésque omnes Ecclesiæ vniuersæ suppeditat. Augustin. Passus est Christus, humiliatus est, consputus est, non habebat speciem, homo apparebat, cùm Deus esset; sed quomodo radix non est pulchra, sed intus habet vim pulchritudinis suæ. Attendis arborem pulchram & amœnam, si radix ostẽdatur tibi, nulla pulchritudo in ea est; noli contemnere, quod abiectum est, inde processit, quod miraris; crucifixus est, vulneratus est, ecce hic species nõ est, sed in Ecclesia gloria radicis pollet, &c.

Messias humilis. *Daniel. 4.* *Messias radix omnium bonorum.* *D. August. hom. 36. Tom. 10.*

Septuaginta interpretes verterunt: Annunciauimus quasi paruulum coram eo, sicut radix in terra sitienti. Dictio enim יונק ioneq, sugentẽ significat, & ramum, siue tenerum virgultum; propterea paruulum interpretati sunt, hoc sensu: Annunciauimus Messiam Deum nasciturum hominem, similẽ paruulis, & vbera sugentibus, annunciauimus illum Deum magnum, quasi paruulum, veluti infantem, reliquis similem; cum tamen etiam in ipsa infantia, & in ipso matris vtero, totius sapientiæ plenitudinem sit habiturus. Erit autem sicut radix de terra sitienti orta, &c.

Iã de passionis figura: *Non est*, inquit, *species ei, neque decor, & vidimus eum, & non erat aspectus, & desideravimus eum; despectum, & nouissimum virorum, virum dolorum, & scientem infirmitatem, & quasi absconditus vultus eius, & despectus; vnde nec reputauimus eũ*. In cruce pendentis Messiæ lamentabilem formam depingit Propheta. Pulcherrimum illud corpus sputis, alapis, verberibus, sanguinéque deformatum, speciem non habebat, aut decorem. Vidimus eum Prophetæ, & non erat in eo aspectus, aut ornatus vllus. Verum tamen desideravimus eum, etsi omnino regio splendore carentẽ, & instar latronis cruci suffixum; etenim si oculis carneis deformis, oculis fidei desiderabilis, ac pulcherrimus, videbatur. Desideravimus eius aduentũ; eius sanguinem, eius redemptionem, quemadmodum tellus arida cœlestem, qua irrigetur, & efflorescat, fructusque paturiat, pluuiam desiderat. Vidimus eum, & desideramus, despectũ omnibus hominibus, ipsi etiam latroni Barabbæ posthabitum, virum doloribus cruciatum, infirmitatem, plagasque hominum expertum. Verti ex Hebræo potest illud, scientem infirmitatem, notum infirmitate. Etenim Messias notus orbi fuit propter carnis, quã assumpsit, infirmitatem, & dolores, cognoscitúrque etiam hodie, sempérque cognoscetur, ex cruce veluti signo, tantíque ducis vexillo, *prædicamus Christum*, ait Paulus *crucifixum*.

Lamẽtabilis Messiæ in cruce pendẽtis forma. *Messias desideratus.* *1. Cor. 1.*

Abscondit autem vultum suum (ait Hieron.) vt humano corpore, diuina potentia celaretur. Quasi *absconditus vultus eius*; quia Regi similis fuit, qui non agnoscitur, quòd vultũ pallio contexerit; Sic Messias vultum regium, regiámque occultauit maiestatem; vnde nec reputauerunt eum Iudæi, hoc est, nullo honore dignum existimauerunt. Septuaginta vertunt; Auersa est facies eius, despecta est, & non est reputata. August. Auertit, inquit, se Dominus, ne illum intelligerent illi, qui eum crucifigebant, & Ser. 59. de Verbis Domini secundùm Ioannem; Occultabat, inquit, Christus maiestatem, promptam habebat infirmitatem; contemptum est in illo, quod prõtum erat, nec cognitum, quod occultum erat; si enim cognouissent, numquam Dominum gloriæ crucifixissent. Hæc ille.

Absconditus vultus Messiæ. *D. Hieron.* *D. August. hom. 36. Tom. 10.*

At quænam causa tantæ ignominiæ ac cruciatus?

Verè,

Languores noſtros Meſsias tulit.

Verè, inquit, *languores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portauit; & nos putauimus eum quaſi leproſum, & percuſſum à Deo, & humiliatum; ipſe autem vulneratus eſt propter iniquitates noſtras, attritus eſt propter ſceleranoſtra, diſciplina pacis noſtræ ſuper eum, & liuore eius ſanati ſumus. Omnes nos quaſi oues errauimus, vnuſquiſque in viam ſuam declinauit, & poſuit Dominus in eo iniquitatem omnium noſtrûm*, &c. His verbis Propheta cauſam aperuit, cur Meſſias tot opprobria, doloréſque ſubierit; nos in cauſa fuimus, languores enim noſtros, id eſt, peccata humeris ipſe tulit, cruciatúſque peccatis debitos perpeſſus eſt. Iudæi verò veluti leproſum illum exiſtimarunt, qui meritas Deo criminum ſuorum pœnas daret; at nõ pro ſuis, ſed pro noſtris flagitijs tot cruciatibus eſt affectus. *Diſciplina pacis noſtræ ſuper eum*; hoc eſt, punitio & caſtigatio, quæ nobis pacem peperit, quæ nos in gratiam Dei, pacémque reduxit, ſuper eum fuit; pro obtinenda nobis à Deo pace, diſciplinam, id eſt, caſtigationem pertulit acerbiſſimam; & liuore eius nos ægri ſanati ſumus. Ægros autem nos fuiſſe, & medicina hac indiguiſſe oſtendit, cũ adiungit: *Omnes nos quaſi oues errauimus, vnuſquiſque in viam ſuam declinauit, & poſuit in eo Dominus iniquitatem omnium noſtrûm*: errauimus omnes ſicut morbidæ oues, paſtoris autẽ huius humeris in caulas reducti, ſanatíque ſumus.

Septuaginta vertunt; Omnes quaſi oues errauimus, homo via ſua errauit, & Dominus tradidit eum iniquitatibus noſtris. Enim verò peccata noſtra carnifices fuere, quibus eſt traditus Chriſtus, à quibus ligatus, verberatus, crucíq; eſt ſuffixus. Ex hebræo transferri quoque poteſt; Dominus fecit currere in eum iniquitatem omnium noſtrûm; nam veluti feræ immaniſſimæ, rugiẽtéſq; leones, ſcelera noſtra in Meſſiam incurrerunt, crudelitérque cruciatũ, vita priuarunt. Verba illa; *Nos reputauimus eum quaſi leproſum percuſſum à Deo & humiliatum*; in hunc quoque modum ex hebræa lectione verti poſſunt; Nos putauimus eum leproſum, percuſſum Deum, & humiliatum, id eſt, nos Iudæi putauimus Meſſiam leproſum, cùm tamen eſſet Deus percuſſus & humiliatus propter nos.

Oblatus Meſſias eruci ſponte.

Qua verò mentis conſtantia, qua voluntate, quanta manſuetudine, ac patientia, acerbiſſima tormenta pertulerit, verba ſequentia docent. *O blatus eſt, quia ipſe voluit, & non aperuit os ſuum; ſicut ouis ad occiſionẽ ducetur, & quaſi agnus coram tondente ſe obmuteſcet, & non aperiet os ſuum.* Non inuitus, inquit, patietur hos cruciatus Meſſias, ſed ſponte. *Voluntariè ſacrificabo tibi*; Sic voluntarie ſacrificauit Deo Chriſtus, obtulitque ſe ipſum in crucis altari, in holocauſtum odoris ſuauiſſimi, veluti agnum immaculatum, ſicut ouis ad occiſionem & ſacrificium ductus eſt, & quemadmodum agnus coram tondente obmuteſcit, ſic ille obmutuit coram interficiente, atque immolante.

Pſalm. 118.

Expende quæſo diligenter verba omnia, vide quã verè, rectéque Chriſto Ieſu congruant, quámque perſpicuè abſque inuolucris Spiritus ſanctus de Meſſiæ paſſione loquatur. Vnde D. Auguſt. poſteaquam nonnulla huius capitis verba recitauit, Iudæos hiſce interrogationibus vrget; Euangelium, inquit, eſt, an prophetia? Quid dicunt contra iſta Iudæi? Nónne mirum eſt, audire eos iſta, habere illos iſta, legere illos iſta, eos iſta nõ inuenire, de quo dici potuerint, niſi de illo vno, qui in Euãgelio prædicatur per Orbem terrarum; & adhuc non eſſe Chriſtianos, ſed ſic eſſe illos cæcos aduerſus euidentiſſima eloquia prophetarum? Ad Iſaiam reuertamur.

D. Auguſt. Tom. 10. hom. 36.

De anguſtia, ait, & de iudicio ſublatus eſt, hoc eſt, non diu hæc tormenta durarunt, de anguſtia enim, & oppreſſione, & de iudicio illo, quo ad crucem condemnatus obijt, ablatus, & liberatus eſt, ſiue acceptus à Deo. Verbum Hebræum ſignificat, acceptus & ablatus eſt. D. Hieronym. interpretatur; De tribulatione atque iudicio ad Patrem victor aſcendit. Septuaginta interpretes vertunt hunc in modum; In humilitate iudicium eius ſublatum eſt, id eſt, propter ſummam humilitatem, in qua apparuit, iudicij eius iuſtitia ablata eſt, iniquè iudicatus eſt. Si enim in maieſtate apparuiſſet, nunquam Dominum gloriæ crucifixiſſent.

D. Hieron.

Chriſti iudicium in humilitate ſublatũ eſt.

De quo verò loquatur, occultè indicat Propheta dicens, *Generationem eius quis enarrabit?* Quaſi dicat, hic, de quo verba facio, quem nouiſſimum virorum, virúmque dolorum appello, quem pro ſceleribus noſtris pœnas exſoluturum nuntio; hic, inquã, adeò eſt excelſus, vt nullus hominum illius poſſit generationem verbis explicare. De vtraque generatione tam diuina, quàm humana locus intelligitur ab Hieronymo, & aliis Patribus, vtraque enim eſt inenarrabilis. Cum hoc ſenſu Patrum poteſt & alius ſtare; generationem filiorum eius, quos crucis doloribus veluti parturiens genuit, quis enarrabit? quis eorum multitudinem, natiuitatem ex Spiritu ſancto, & aqua, nobilitatem, virtutéſque miras dicendo complecti poterit? hæc autem filiorum admirabilis generatio, ac multitudo, inde orietur, quia abſciſſus eſt de terra viuentium, quia occiſus & crucifixus eſt. Septuaginta vertunt; quia tollitur de terra vita eius. Præterea alio ſenſu, generationẽ eius à matre temporalem, quis explicabit? quia veluti lapis ille Danielis ſine manibus, id eſt, ſine viri opera abſciſſus eſt de terra viuentium, Virgine Deipara; ex qua nullum opus mortuum, omnia viua, & charitate inflammata orta ſunt. Item: *Generationem eius* à Patre æternam, *quis enarrabit?* quia abſciſſus eſt, hoc eſt, diuiſus (quod ſignificat verbum Hebræum) & ſeparatus, à terra viuentium, non eſt ſicut cæteri homines viuentes, eſt ab illis abſciſſus, & infinito interuallo diuiſus, quia filius eſt Dei, æterna & inenarrabili generatione productus.

Generatio Meſsiæ inenarrabilis.

Loquitur deinde Dominus, & paſsionis cauſam repetit: *Propter ſcelus populi mei percuſſi eum.* addit Propheta paſsionis præmium. *Dabit impios pro ſepultura, & diuitem pro morte ſua.* Duplicem huius loci ſenſum indicat Hieronymus, prior eſt: Dabit pro ſepultura Chriſti impios, ethnicos, & pro morte eius, dabit illi diuitem Iudæorum populum; vt ex vtroque populo vna confletur Eccleſia, cuius Rex ſit & Põtifex Summus. Diuitem autem Iudæorum populum vocat, vt Hieronymus cenſet, quia illius erat teſtamẽtum, & legiſlatio, & Prophetæ, imò & ipſe Meſsias. Septuaginta; Diuites pro morte ſua; vſurpatur numerus pro numero. Hoc ſenſu præmium mortis Chriſti indicatur. Poſteriori ſignificatur de occiſoribus ſumptum ſupplicium, is eſt huiuſmodi: Tradet impios diuitéſque Iudæos Romanis in vltionem mortis, ſepulturæque ſuæ. Hebraicè verti quoq; poteſt; Dabit impios ſepulchrum ſuum, & diuitem in mortibus, vel morte ſua. Explicatur myſterium baptiſmi, in quo cum Chriſto ſepultæ ſunt gentes olim impiæ, & opes gratiæ maximas compararunt. *Dabit impios ſepulturam ſuam*, hoc eſt, ſecum ſepeliet in aquis baptiſmi impios, faciet impios ſimiles ſepulturæ ſuæ. Iuxta illud Pauli: *Conſepulti ſumus cum illo, per baptiſmũ in mortem, vt quomodo Chriſtus ſurrexit à mortuis, per gloriam Patris, ita & nos in nouitate vitæ ambulemus.* Chriſtus ex ſepulchro reſurrexit, nouámque deinceps vitam egit, ſic is, qui in aquis baptiſmi ſepelitur, ex hoc ſepulchro veluti reſurgit, nouámque vitam deinceps traducit, & vt Paulus loquitur, in nouitate vitæ ambulat. *Dabit præterea diuites in morte ſua*; id eſt, in morte ſua veluti theſauro opulentiſsimo, homines diuites reddet; eſt enim mors Chriſti omnium ſpiritualium diuitiarum theſaurus infinitus.

Paſsionis præmium, & ſupplicium Iudæorum.

In baptiſmo ſepulturam Chriſti imitamur. Ad Rom. 6.

tus. Nostræ versionis hic quoque sensus esse potest; Dabit Deus Christo impios homines iustitia exornãdos, pro sepultura, & dabit diuitem Spiritus sancti opibus Ecclesiam, pro morte sua, vel eius; vel dabit diuites Reges, populósque opibus affluentes, pro morte, Christo.

Innocentia Messiæ patientis.

Post hæc, Messiæ patientis summam innocentiam Vates prædicat: *Eo quòd*, inquit, *iniquitatem non fecerit, neque dolus fuerit in ore eius, & Dominus voluit conterere eum in infirmitate.* De hac Christi innocẽtia interpretatur D. Cyrillus in epist. 39. ad Achacium de apopõpæo illud Psalmi: *Factus sum sicut homo sine adiutorio, inter mortuos liber*; Erat, inquit, Christus inter mortuos liber, hoc est, immunis à peccato ne cobnoxius nobiscum mortis sententiæ.

Cyrillus. Psal. 87.

Tandem crucis fructus Propheta enarrat; *Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longæuum, & voluntas Domini in manu eius dirigetur; pro eo quòd laborauit anima eius, videbit, & saturabitur; in scientia sua iustificabit ipse iustus seruus meus multos, & iniquitates eorum ipse portabit. Ideo dispertiam ei plurimos, & fortium diuidet spolia*; pro eo quòd tradidit in mortem animam suam, & cum sceleratis reputatus est; & ipse peccata multorum tulit, & pro transgressoribus rogauit. Primus crucis arboris fœcundissimæ fructus, est semen longæuum; hoc autem semen Christiani sunt toto Orbe diffusi, quorum æuum æternum erit in cœlesti gloria, si fidem operibus, charitatéque conuestiant. Ex Hebræo transferri potest: Si posuerit peccatum animam suam, videbit semen longæuum, hoc est, si vitam suam obtulerit hostiam pro peccato, videbit semen &c. Nam nomen hebræum אשם asam, significat delictum, & hostiam pro delicto: In hunc modum loquitur Paulus, cum sic scribit: *Eum qui non nouerat peccatum, pro nobis peccatum fecit.* Peccatum, inquit, id est, hostiam pro peccato, fecit Pater Christum innocentissimum agnum, qui peccatum in se nullum nouerat; omnia autem hominum peccata egregiè cognoscebat. Pater igitur Christum nullius peccati sibi conscium peccatum fecit; homines verò mille peccatis coinquinatos fecit iustitiam; quamobrem addit Paulus: *Pro nobis peccatum fecit*, scilicet Christum, *vt nos efficeremur iustitia Dei in ipso*, hoc est, vt nos per ipsum, per hanc victimam immaculatam, in Cruce immolatam, efficeremur iusti, omnibus peccatis per pœnitentiam contritis, odióque habitis, & illius sanctitate atq; merito expiatis.

Fructus crucis Messiæ & mortis.

2. Cor. 5.

Secundus fructus passionis, est voluntatis diuinæ expletio; *Voluntas*, inquit, *Domini in manu & operibus eius, dirigetur, & prosperè procedet*, erat autem Dei volũtas hominum redemptio & iustificatio. Tertius, saturatio Christi; *pro eo, quòd laborauit anima eius, videbit*, scilicet homines redemptos, *& saturabitur*. Quemadmodum qui laborat, post laborem cibum sumit iucundissimè, sic Christus post passionis laborem eximium, cibo saturatus est suauissimo, nempè hominum sanctitate. Quartus, hominum iustificatio: *In scientia sua iustificabit ipse iustus seruus meus multos, & iniquitates eorum ipse portabit*, hoc est, per doctrinam Euãgelicam, quæ Dei scientiam, verámque cognitionẽ affert, ipse iustus omni peccato carens, omni iustitia abundans, seruus meus secundùm humanitatem, multos iustificabit, & quas illi debebant prò peccatis pœnas, ipse pendet. Quintus, de tartareis hostibus victoria, & spoliorum diuisio. *Ideo* (inquit Dominus) *dispertiam ei plurimos, & fortium diuidet spolia*, hoc est, quia crucis mortem acerbissimam subijt, & pro impijs pœnas soluit, plurimos illi captiuos è captiuitate Dæmonis ereptos, dispertiam, & fortium hostium ablata spolia ipse victor diuidet. Vnde illud: *Cum fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt ea, quæ possidet; si autem fortior eo superueniens vicerit eum, vniuersa arma eius auferet, in quibus confidebat, & spolia eius distribuet*, &c. Extrema verba Messiam inter latrones crucifigendum præsignificant, & pro ijs, à quibus in crucem agebatur, oraturum. *Et cum eo crucifigunt duos latrones, vnum à dextris, & alium à sinistris eius, & impleta est Scriptura, quæ dicit: Et cum iniquis reputatus est.* Luc. *Iesus autem dicebat: Pater dimitte illis, non enim sciunt, quid faciunt.* Hæc Isaias capite quinquagesimo tertio.

Luc. 11.

Messiam inter latrones crucifigendum, & pro inemicis oraturum. Matt. 15. Luc. 23.

CAPVT XXI.

De eadem Messiæ passione ex Isaiæ capite quinquagesimo secundo, & quinquagesimo, & ex Psalmo vigesimo primo.

DE eadem Messiæ passione vaticinatur Isaias in fine capitis 52. his verbis: *Ecce intelliget seruus meus, exaltabitur & eleuabitur, & sublimis erit valdè: sicut obstupuerunt super te multi, sic inglorius erit inter viros aspectus eius, & forma eius inter filios hominum. Iste asperget gentes multas, super ipsum continebunt Reges os suum; quia quibus non est narratum de eo, viderunt, & qui non audierunt, contemplati sunt*, &c. Ecce, inquit, Messias seruus meus secundùm humanitatem, summa prudentia, & sapientia præditus erit, ad summam inter homines angelósque omnes gloriam euehetur. Verumtamen tormenta multa perpetietur, eritque hominibus admirationi. Quemadmodum super te, ô Messia, multi obstupuerunt, sic secundùm hanc admirationem, erit inglorius aspectus tuus; hoc est, respõdebunt tormenta, & opprobria, hominum admirationi, erunt admirabilia. Quis enim non admiretur Deum colaphis percussum, sputis conspersum, verberibus affectum, cruci suffixum? Aliter, primò quidem multis eris admirabilis propter doctrinam, & miracula omni admiratione digna; postea verò despectui duceris, quemadmodum obstupescent super te multi propter doctrinam, & miracula, ita posteà despicient, & crucifixum contemnent. At verò hæc opprobria, & tormenta, magnum gentibus parient emolumentum. *Iste asperget* sanguine suo, & baptismi aquis salutiferis, *gentes multas*, cuius asperfionem sanguinis regius exoptabat Vates, cum sic precatur; *Asperges me Domine hyssopo*, scilicet sanguine Messiæ imbuto, *& mundabor*. Ex Hebræo vertitur etiam hunc in modum, Sic asperget gentes multas. estque sensus; sic inglorius, sic cruci affixus & opprobrijs affectus, gentes multas expiabit, & à captiuitate tartarea liberabit, non armis indutus, & ferreo pugnans gladio, sed sanguine cruentatus, & lignea certans cruce.

Isaiæ 52.

Psal. 50.

Sequitur; *Super eum continebunt, & claudent Reges os suum*, reuerentiæ causa, iuxta illud Iob: *Quando procedebam ad portam ciuitatis, & in platea parabant cathedram mihi; videbant me iuuenes, & abscondebantur, principes cessabant loqui, & digitum superponebant ori suo, vocem suam cohibebant Duces, & lingua eorum gutturi adhærebat*. Est etiam admirationis nota silentium; poterit ergo hoc Regum silentium admirationem Regum significare. Non enim Regibus solùm; sed cunctis mortalibus, summam pariunt admirationem gesta Messiæ, si mente pura ac prudenti expendantur. Reges autem res Messiæ admirantur, quia multi Reges, multique populi illius fidem amplexi sunt. vnde subiicit Vates; *Quibus non est narratum de eo viderunt, & qui non audierunt, contemplati sunt.* De Ethnicis populis Regibusque sermo est; quibus de Messia narratum non erat, ij Messiam per fidem viderunt, gestaque

Iob. 29.

eius

eius præclariſſima contemplati ſunt.

Iſaiæ 50. Item apud eundem Vatem, Meſſias hunc in modum loquitur: *Dominus aperuit mihi aurem, ego autem non contradico, retrorſum non abij, corpus meum dedi percutientibus, & genas meas vellentibus, faciē meam nō auerti ab increpantibus, & conſpuentibus in me.* hoc eſt, à Domino audiui, & accepi, quàm acerba mihi ſubeunda ſint tormenta, ego vero non repugno, non refugio. Corpus meum flagellantibus, & barbam ipſam vellentibus, faciē conſpuentibus, & cū increpatioue alapas infligentibus, libentiſſimè obtuli. Hæc ex Iſaia ſint ſatis.

Pſal 21. de paſsione Meſsiæ conſcriptus. Dauidis ſuauiſſimam citharam, acerbiſſimis Meſſiæ doloribus, & opprobrijs perſonantem, parumper audiamus. *Ego* (inquit Meſſias) *ſum vermis, & non homo, opprobrium hominum, & abiectio plebis, omnes videntes me deriſerunt me, locuti ſunt labijs, & moue runt caput; ſperauit in Domino, eripiat eum, ſaluum faciat eum, quoniam vult eum,* &c. En quibus affectus fuerit opprobriis Dominus, vermem ſe appellat, non hominem, quòd inſtar viliſſimi vermis, hominum conculcationi fuerit expoſitus, & occiſus. Euthymius ſcribit ea ratione appellari vermem, quòd vermibus piſces ineſcari ſoleant: Chriſti autem carne magnus cetus diabolus ſit ineſcatus. Chriſti (inquit) caro, ſub qua diuinitas veluti occultus quidā hamus latebat, inſtar vermis, facta eſt eſca in capturam ceti, id eſt, diaboli: nam cùm cetus hic ad illam eſcam hiaret, latente diuinitatis hamo penetratus eſt, &c. Secundo Regum Dauid dicitur quaſi tenerrimus ligni vermiculus, quia vt Rabanus ait, ſicut ligni vermiculus, tener quidem, & fragilis, ac paruus, fortiſſimum lignum terebrat, & conſumit; ſic Dauid domi affabilis, quietus, & humilis, in certamine robuſtum ſe & intolerabilem hoſtibus exhibebat. Similem in modum noſter Dauid Chriſtus quaſi tenerrimus fuit ligni vermiculus, externa quidem ſpecie humilis, ac deſpectus; at ſua hac teneritudine, & humilitate, fortiſſima ligna, imò fortiſſimos hoſtes peccatum, mortem, diabolum, mundumque corroſit, atque euertit. Vnde Euthymius hoc Pſalmi loco; Vermis (inquit) tametſi ſpecie exiguus ſit, materiam tamen corrodendo perdit; ita Chriſtus licet aſpectu exilis videretur, tamen Dæmonum poteſtatem diſperdidit.

Cur Chriſtus vermem ſe appellat. Pſal. 7. Euthymius.

2. Reg. 23.

Dauid tenerrimus ligni vermiculus, & Chriſtus.

Euthymius.

Præterea in diuinis literis color rubeus dicitur vermiculus, Iſai. *Si fuerint peccata veſtra rubra ſicut vermiculus*; Thren. *Qui nutriebantur in croceis*; hebraicè, qui nutriebantur in vermiculo, hoc eſt, in veſtibus coccineis. Oriuntur hi vermes rubei in cocco, id eſt, granis, rediguntúrque in puluerem, quo veſtes ſerice, infectæ, purpureum colorem contrahunt. non ſine ratione huic vermiculo poteſt conferri Chriſtus. Quemadmodum enim rubeus vermiculus occiſus, colorem veſtibus coccineum præbet, ſic ſuo rubens Chriſtus ſanguine, crucíq; ſuffixus, purpureum gratiæ colorem animis hominum tribuit. Reperiemus etiam in bombycibus ſimilitudinem. Vt vermes hi ſericas pretioſaſque veſtes hominibus ſuppeditant, ita Chriſtus animis noſtris amictū præſtitit pretioſiſsimum. Vermis ergo fuit, quo Diabolus eſt ineſcatus, vermis qui coccineo charitatis colore homines ornauit, vermis, qui veſtes gratiæ, virtutúmque omnium incredibilis pretij, nobis ſuppeditauit.

Iſaia 1. Thren 4.

Confertur Chriſtus cum vermiculo rubeo & cū bombycibus.

Vermis fuit omnibus expoſitus iniurijs; *Omnes* inquit) *videntes me deriſerunt me, locuti ſunt labijs, & mouerunt caput*, illudendi cauſa, qui Euangelium legit, Prophetam intelligit, eadem enim canit, quæ Euāgeliſtæ ſcripſerunt. Matth. *Prætereūtes blaſphemabāt eum, mouentes capita ſua; principes ſacerdotum, & alij aiebant: Cōfidit in Deo, liberet nunc eum.* Id eſt, quod Dauid dixit;

Matth. 27.

A *Speranit in Domino, eripiat eum, ſaluum faciat eum, quoniam vult eum.* De Scribis verò, & Phariſais Chriſti hoſtibus ſic vaticinatur: *Circumdederūt me vituli multi, tauri pingues obſederunt me, aperuerunt ſuper me os ſuum, ſicut leo rapiens, & rugiens.* Quis non videat ſæuos illos leones aperto rugientes ore, & dicentes: *Reus eſt mortis*; itemque clamantes; *Crucifige, crucifige eum.* Ieremiæ: *Facta eſt mihi hæreditas mea, ſicut leo in ſylua dedit contra me vocē ſuā.* Hieronym. Facta, inquit, eſt hæreditas quondam Domini populus Iudæorum, contra eum quaſi leo in ſylua, quando pari aduerſus illum in paſsione voce clamauit, &c.

Ieremi. 12.

Sāguis Meſsiæ ſicut aqua effuſus.

B De ſanguinis verò effuſione; *Sicut aqua* (inquit Meſsias) *effuſus ſum*, inſtar aquæ, quæ nullo in pretio habetur, effuſus eſt à Iudæis Chriſti ſanguis; effuſus autem ſordidiſſimas hominum mentes abluit. Beda ſic exponit; Sicut aqua effuſus ſum, viliter, ſine omni circumſpectione & cura ab eis damnatus ſum; ſicut aqua inter cæteros liquores, incirc ūſpectius effunditur, &c. Aqua, inquit, Auguſtinus quando effunditur, aut abluit, aut irrigat; effuſus eſt Chriſtus ſicut aqua; abluti ſunt ſordentes, irrigatæ ſunt mētes. D. Thomas addit, aquam præterea viam reddere lubricam; ſic ſanguis Chriſti effuſus vt aqua, Iudæis viam lubricam reddidit, quibus fuit occaſio lapſus, & ſcandali, iuxta illud: *Prædicamus Chriſtum crucifixum, Iudæis quidem ſcandalum*, &c. D. Auguſtinus: Sicut aqua, ait, effuſus ſum, lapſi ſunt perſecutores mei, &c. Lapſi autem ſunt Chriſti perſecutores, quia propter Chriſti mortem, acerbiſſimas dedere pœnas, è regno exturbati. Beda; Aqua effuſa & lapſum parat, & ſordes abluit, & terram irrigat; ſic mors Chriſti lapſum perſecutoribus Iudæis parauit, iuxta illud: *Ecce poſitus eſt hic in ruinam*; ſordes peccatorum abluit, & corda imbre rigauit.

Beda.

D. Auguſt.

D. Thomas.

1. Cor. 1. D Auguſt.

Beda.

Luca 2.

De cruciatibus in paſsione toleratis: *Diſperſa ſunt omnia oſſa mea, factum eſt cor meum tanquam cera liqueſcens, in medio ventris mei. Aruit tamquam teſta virtus mea, & lingua mea adhæſit faucibus meis, & in puluerem mortis deduxiſti me.* Diſperſa ſunt Chriſti oſſa ſanctiſsima præ dolore, acerbiſsimiſque tormentis, toto corpore in cruce extento. Si Ezechias Rex morbo cruciatus, hunc in modum loquitur; *Quaſi leo contriuit omnia oſſa mea*; quid par eſt dicere Chriſtum ſuffixum cruci? Diuus Auguſtinus, Haymo, & Beda, myſticè de Apoſtolis exponunt, qui corporis Chriſti myſtici, id eſt, Eccleſiæ, oſſa fuere. Hæc oſſa diſperſa ſunt omnia Chriſto patiente, quia omnes Apoſtoli fugere; vnde illud: *Percutiam paſtorem, & diſpergentur oues*; diſperſa ſunt oſſa Chriſti, ſed non confracta, ſic enim ſcriptum eſt; *Os non comminuetis ex eo*; Similem in modum Apoſtoli diſperſi quidem ſunt, ſed non omninò fracti ac comminuti.

Pſal. 21.

Iſaiæ 38.

D. Auguſt. Haymo. Beda.

Apoſtoli diſperſi in paſſione. Zach. 13. & Matth. 26.

Exod. 12. & Ioan. 19.

Quale autem fuerit in cruce Chriſti cor, ſequentia indicant verba: *Factum eſt cor meum tanquam cera liqueſcens, in medio ventris mei*, id eſt, in medio viſcerum meorum; venter enim ſignificat viſcera. quemadmodum cera ignis ardore liqueſcit; ſic cor illud diuinum omni ſolatio priuatum, horribilis mœroris, ac pauoris vi, tormentorúmque magno dolore angebatur, & veluti liquefiebat. Simile eſt illud: *Diſſolutum eſt cor eorum, & non remanſit in eis ſpiritus*; Et: *Pertimuit cor populi, & ad inſtar aquæ liquefactum eſt*. Præterea cor Chriſti in paſsione veluti cera liquefactum eſt, amoris incredibilis igne, in cruce enim quantum nos diligeret, oſtendit. Hic idē amoris vehementiſsimi ignis, vires corporis abſumpſit, ſanguinémque exhauſit; quemadmodum ſolet ignis teſtę humorem penitus exhaurire; Vnde ſequitur:

Cor Chriſti ſicut cera liqueſcens.

Ioſue 5. Ioſue 7.

Aruit tamquam teſta virtus, id eſt, fortitudo, & robur meum, adhæſit lingua mea faucibus meis. D. Gregorius Iob ſecundo, exaruiſſe ait Chriſti robur, vt teſtam;

D. Gregor.

Aruit tanquæ testa Christi fortitudo.

testam; quia quemadmodũ testa per ignem durescit, & roboratur, sic Christi caro per passionem roborata est, & ad summam gloriam peruenit; Sicut testa, inquit, virtus Christi exaruit; quia susceptæ carnis infirmitatem, passionis igne roborauit, &c. Et

D Hieron. in Psal. D. August.

D. Hieronymus: Non aruit Christus sicut fœnum vt caderet, sed quasi testa vt firmaretur. Augustinus quoque: Quomodo, inquit, testa ante ignem mollis est, post ignem fortis; Sic Domini nomen, ante passionem contemnebatur, post passionem honorificatur.

Denique hic idem amor in puluerem mortis Dominum deduxit; *In puluerem*, inquit, *mortis*, hoc est, in puluerulentum sepulchrum, quo mors homines condit, deduxisti me. Etenim Christi corpus sanctissimum sepulchro quidem conditum est, in puluerem autem non est redactum. Alio quoque sensu dicere Dominus potuit, in puluerem mortis deduxisti me; quia si vita priuatum corpus naturæ suæ permissum fuisset, in puluerem, vt cætera hominũ corpora, abiisset; at diuinę potentię fuit incorruptio, & resurrectio. Chaldæus interpretatur, in domum sepulchri conclusisti me.

Mortis acerbissimæ genus non præterijt Vates, in crucem agendum Dominum, manus. pedésque clauis configendos perspicuè vaticinatur. *Foderunt manus meas, & pedes meos, dinumerauerũt omnia ossa mea*; quid apertius dici potuit? Nónne milites manus, pedésq; Christi cruci confixerunt, corpúsque ita extenderunt, vt numerari ossa possent? At subterfugient Iudæi, dicent, scriptum esse hebraicè caari, id est, sicut leo; non caru, id est, foderunt; nihil tamen efficient; nostram enim lectionem veriorem esse probãt Septuaginta interpretes Iudæi; probat & Hieronymus, qui foderunt transtulit; cum tamen versionem Psalmorum efficere vellet, quam Iudæi non possent calumniari, vt constat ex Epistola ad Sophronium. ergo tempore Hieronymi nostra lectio vera erat; quã etiam agnoscunt antiqui Hebræi, vt Eugubinus, & Montanus in paraphrasi Psalmorum testantur, & Glossa hebræa Numer. vigesimo tertio, citata à Genebrardo, quæ obseruat in exemplaribus correctis hoc loco scribi caru, non caari, & quando scribitur caari, legi caru. Præterea in libro variarum lectionum, quem Hebræi vocant Massoreth, id est, traditionem, vtraque lectio habetur, nostra caru, & illa altera caari. Adde lectionem Iudæorum decurtatam esse, & eclipticam, verbo carentem. Quid enim significat: Sicut leo manus meas, & pedes meos? hęc enim est illorum lectio. Quòd si aliquid significat, id nulli alij, quam Christo congruit. nunquam enim Dauidis manus, vel pedes, hostes veluti leones discerpserunt; at Christus rectissimè dicere potest: Sicut leo manus meas, & pedes meos, videlicet lacerarunt. Nã milites leonum instar, clauis veluti dentibus, potentissimas illas manus, & pedes illos sanctissimos laniarunt. Vide quam parum profit Iudæis suffugium. Verùm nos ad finem pergamus.

Foderũt manus & pedes Messiæ.

Vestimenta Christi milites diuiserunt, & in tunicam inconsutilem sortem miserunt; vt scribit Euãgelista Ioannes: Vide quam consonet Propheta: *Diuiserunt*, inquit, *sibi vestimenta mea, & super vestem meam miserunt sortem*. O miserãdam Iudæorum cæcitatem, qui in media luce cæcutiunt: Christi crucem & passionem scandalum sibi faciunt, & offendiculum, in quod impingentes corruant. Cum tamen ne illis scandalo esset, tam apertè ab Isaia & Dauide sit prædicta.

Hactenus de passione Dauid. Cætera ne longior sim præteribo. De titulo tamen Psalmi, quia non vulgaris est, non nihil adiiciam. Is ex versione Septuaginta interpretum huiusmodi est: *Pro susceptione*

Titulus Psal. 21.

matutina; susceptionem autem matutinam D. Augustinus resurrectionem putat significare, quæ temporis fuit matutini, & alij similem in modum. Cæterum, aduerte in Psalmis susceptorem dici auxiliatorem & susipere esse auxiliari, propterea quòd qui auxiliatur, ex periculis susipit, atque eripit. *Dicet Domino susceptor meus es tu*. Et: *Dextera tua susceptit me*, id est, defendit: ita hoc loco, susceptio defensionem significat, & auxilium; estque tituli sensus; Pro susceptione matutina, hoc est, pro auxilio matutino. Implorat enim Christus à Patre auxilium matutinum, hoc est, vt tenebras mortis depellat, & lætissimam resurrectionis lucem velociter afferat. Dereliquit quidem Pater filium medijs in fluctibus passionis naufragantem, ob peccata nostra, vnde initio huius Psalmi clamat; *Deus, Deus meus, quare me dereliquisti?* venit in altitudinem maris, & tempestas demersit eum, mórsque veluti immanis cetus, vasto hiatu excepit. At tertia die, verum Ionam in littus resurrectionis placidissimum Patre imperante euomuit. Hęc fuit susceptio ex ventre ceti, hoc auxilium matutinum ac velox.

D. Aug. Psalm. 90. Psalm. 17.

Christus est matutinus à canibus oppressus.

Ex Hebræo, alia est versio, suauissimi sensus, vertit Hieronymus; Pro cerua matutina, potest quoque verti; Pro cerua auroræ: quæ versio suauissime Christum cum cerua animalium, vt Plinius ait, placidissima confert. Quemadmodum mitis cerua à venaticis exagitatur canibus, sic Christus matutino tempore à rabidis vexatus hominibus, domum Pilati adductus, verberibus laniatus, ad crucem perlatus. Vox mitissimæ huius ceruæ, illa est hoc Psalmo: *Circumdederunt me canes multi*. Heu quot illam canes circumdederunt, quam sæuos diuino illi corpori dentes infixerunt; nec verò ab ea infectanda destitere, quousque vitam eripuerunt. Verumtamen velox est, & saltu agilis, mira velocitate, tertia die matutino tempore, mortis tartariq; voragine superata, è sepulchro exilijt, celeriq; saltu in cœlum vsq; peruenit. Sed cur non dicitur ceruus, sed cerua? Propterea forsitan, vt passionis dolores indicentur. Etenim ceruæ magnos in partu dolores, & difficultates pati dicuntur; vnde apud Iob ex versione Septuaginta interpretum legitur; *Obseruasti dolores partus ceruarum*; & in nostra versione habetur: *Pariunt*, scilicet ceruæ, *& rugitus emittunt*. Christus autem veluti cerua mitissima, in cruce summis cum doloribus ac cruciatibus, nos veluti peperit, & in lucem gratiæ edidit.

Cerua difficiles habet partus.

Iob 39.

Iis adde, Ceruis esse cum serpentibus pugnam. Vestigant cauernas (ait Plin.) nariumque spiritu extrahunt renitentes. Nostræ ceruæ cum quonam hoste in passione pugna fuit? nónne cum tartareo serpente, non tamen spiritu narium, sed longo multorum cruciatuum dolore, pestiferum colubrum è cauernis nostrorum pectorum extraxit. Scribit idem auctor ceruos febrium non sentire morbos, febribúsque mederi eorum carnes. Quasdã, inquit, principes fœminas scimus, omnibus diebus matutinis, carnem ceruorum degustare solitas, longo æuo caruisse febribus, quod ita demum existimant ratum, si vulnere vno interierit. Quæ pestilentior febris esse potest, quàm peccatum? hanc non est experta cerua auroręChristus. *Iniquitatem non fecit* (ait Isaias) *neque dolus fuit in ore eius*; Vt huic medereturfebri mortiferæ, candidissima, innocentissimáq; cerua, non vno, sed multis sauciata est vulneribus, & à canibus crudeliter occisa. Quod si principes illæ fœminæ longo tempore febribus caruere, quòd ceruorum carnibus vescerentur, quis dubitet eum, qui ceruæ matutinæ carnem, sanguinémque sæpè degustarit, longo tempore, imò per totam vitam peccatorum mortalium febribus posse carere.

Cerui pugnãt cum serpentibus Plinius. l. 8. c. 32.

Febribus medentur ceruarum carnes.

Isaiæ 53.

Chal-

Chaldæus titulum vertit, *Super potenti oblatione perpetua auroræ, hymnus Dauid*, &c. Quæ verſio Chriſti paſſioni egregie cõgruit. Fuit enim in cruce Chriſti oblatio potens, quæ Deum vniuerſo hominum genero infenſum placare, totius orbis debitum ſoluere, immanes hominum hoſtes, peccatum, Satanam, mortémque ſuperare potuit. Nulla fuit vnquam potentior oblatio, nullum excogitari poteſt potentius ſacrificium, cuius vires in ſæcula mundi omnia, in omnes ætates, in totã denique æternitatem extenduntur; ideóque merito in titulo additur epithetum alterum, *ſuper potenti*, inquit, *oblatione perpetua*; potens fuit oblatio Chriſti, eſt item perpetua, quia in ſæcula omnia, in ipſam quoque æternitatẽ permanet; quidquid enim gloriæ, per totã æternitatẽ felix illa beatorum hominum propago poſſidebit, id vniuerſum huic oblationi debetur. Præterea perpetua dicitur oblatio; quia perpetuò ad extremum vſque mundi diem, in Eccleſia Chriſtus crucifixus, Patri in auguſtiſſimo Euchariſtiæ ſacrificio offeretur. Meritóque auroræ oblatio appellatur; *Super potenti*, inquit, *oblatione perpetua auroræ*; quia ab aurora offerri incipit.

Oblatio Meſſiæ in cruce potens & perpetua.

Euangeliſtæ ſacrificiũ oblatio eſt auroræ, potens, & perpetua.

A

B

CAPVT XXII.

Meſsiam veniſſe oſtenditur nonnullis Iudæorum dictis.

C

EXtat in libro Sanhedrin, teſte Galatino libro quarto, capite vigeſimo, huiuſmodi de annis Meſſiæ ſententia, à Iudæis recepta in Talmud: *Sentẽtia ex domo Eliæ. Sex millibus annorum erit mundus, & iterum deſtruetur: duo millia inanitatis; duo millia legis; duo millia dierum Meſsiæ.* Et in libro, hauodazara, id eſt, ſeruitus aliena, ſic ſcribitur: *Tradidit domus Eliæ, ſex millium annorum durationem fore mundi, horumq; duo milla eſſe inanitatis; duo millia legis, & duo millia dierum Meſsiæ.* Significat traditio à Iudæis recepta ſex annorum millibus mundum duraturum, duo millia vocat inanitatis, propterea quòd nulla fuerit data à Deo ſcripta lex; duo millia legis, ſcilicet, ſcriptę & veteris, duo millia Meſſiæ, & legis nouæ. Ex ea efficitur legem veterem eſſe abrogatum, ſiquidem duobus tantùm annorum millibus vſque ad Meſſiam fuit habitura robur. id enim ſignificant verba illa, duo millia legis. Efficitur prætereà, Meſsiam fuiſſe venturum quarto mundi millenario; ſed id tempus iam diu eſt elapſum, ergo iam Meſsias venit.

Traditio hebræorum domus Eliæ.

Rediguntur in anguſtias Iudæi, vt vel Meſsiam veniſſe concedant, vel traditionem abnegent; commenti ergo ſunt euaſionem in eptam. Fatentur quidem quarto millenario Meſsiam fuiſſe venturum, ſed aduentum propter peccata Iudæorum retardatum aiunt, quam cauſam traditioni annectunt. ita enim ſcribitur traditio, & cauſa hæc, in collectaneis Rabbi Iacob filij Salomonis de Meſsia: Docet domus Eliæ (id eſt Schola) ſex mille annis erit mundus, duobus mille inanitas; duobus mille lex; duobus mille dies Meſsiæ. At propter iniquitates noſtras, quæ multiplicatæ ſunt, elapſi ſunt ij, quos præterijſſe cernimus, &c. Vides Iudæos apertè fateri tempus aduentui Meſsiæ deſtinatum iam præterijſſe. Scholion Rabbi Iacob in traditionem ſic habet, Duobus mille annis inanitas; quoniam nondũ lex data erat, ſed mundus erat velut inanitas, & chaos, à primo homine vſque ad quinquageſimum ſecundum annum Abrahæ. Duobus mille annis lex; nempe ab hominibus, quos Abraham, & Sara, Deo conuerterunt, vſque ad Meſsiæ aduentum. Duobus mille dies Meſſiæ: debuit enim poſt expletos bis millenos annos legis aduenire Meſsias, & ſoluere captiuitatẽ Iſraëlis; At propter iniquitates noſtras, quæ multiplicatę ſunt, Meſsias non affuit ad extremum quarti illius millenarij, elabentibus vltra annis multis. Hęc Rab. Iacob. Similem in modum reſpondet Gloſſa Rab. Salomonis; Propter peccata, inquit, noſtra, quæ multiplicata ſunt, non venit Meſsias in fine quarti millenarij. Vtinam hi Rabbini peccata cognouiſſent ſua, iiſque remedium poſtulaſſent, at neque peccata cognouerunt, nec remedium quæſierunt, ſed friuolam reſponſionem effinxerunt. Eadem enim ratione reſpondere poſſent, Meſsiam nunquã venturum propter Iudæorum peccata; in iiſdem enim, in quibus nunc iacent vitijs, perpetuò iacebunt, niſi verum Meſsiam agnoſcant. Non eſt ea Dei bonitas, vt propter Iudæorum flagitia vniuerſi orbis medicinam, plus quàm mille quingentorum annorum ſpatio retardarit. Aliorum Rabbinorum dicta lege apud Burgenſem, prima parte Scrutinij diſt. 3. capite quarto, & apud Genebrardum in fine Chronologiæ.

Miraculum hic adſcribam, quod idem Epiſcopus Burgenſis in Hiſpania eueniſſe teſtatur, ſecũda parte Scrutinij diſtinct. 6. cap. 10. Duo ex Iudæis (vt narrat) prophetarum loco habiti, redemptionis ſignum anno à Chriſto nato 1295. fore conſpiciendum, cæteris prædixerunt, in ſpem conſpiciendi ſigni adducti, ieiunijs, eleemoſynis, atque orationibus, ante parati, albis ex more veſtibus è lino, vel ſerico amicti, Synagogas ingreſsi ſunt. Miſericors verò Deus, antiquæ erga hunc populum miſericordiæ recordatus, quod ſperabant, redemptionis veriſsimum ſignum oſtendit. Albis omnium veſtibus admirandum crucis ſignum impreſsit, ex quo verum Meſsiam iam veniſſe, crucique ſuffixum eſſe, facile ſi vellent, poſſent intelligere. Quàm verum autem ſit hoc miraculum, his verbis Burgenſis teſtatur. Ego, inquit, teſtificor coram Deo, qui hoc ſignum contigiſſe ſæpiſſimè audiui, ab antiquioribus Iudæis, nemine cõtradicente in ipſo facto, niſi ſolùm in cauſa facti, quia quidam eorum hoc attribuebant magicis artibus. Hæc Paulus Burgẽſis Epiſcopus, qui vt ex Iudaiſmo chriſto nomen dedit, ita Iudæorum res egregie perſpectas habuit.

Burgenſis.

Miraculum: cruces in veſtibus Iudæorum.

D

Huc accedit reſponſum illud, cuius Ioſephus fecit mentionem: Quod, inquit, maximè Iudæos ad bellum contra Romanos excitauerat, reſponſum erat ambiguum, in ſacris literis inuentum, quòd eo tempore quidam eſſet ex eorum finibus Orbis terræ habiturus imperium. Quiſnam quæſo hic erat alius quàm Chriſtus Optimus Maximus, qui ex Iudææ finibus ortus, totius Orbis obtinet principatum? De Chriſto autem Ioſephus ipſe Iudęus honorificentiſſimam fecit mentionem, quódque mirandum magis eſt, Meſsiam fuiſſe confitetur. Eodem, inquit, tẽpore fuit Ieſus, vir ſapiens, ſi tamen virum eum fas eſt dicere; erat enim mirabilium operum patrator, & doctor eorum, qui libenter vera ſuſcipunt; plurimóſque tam ex Iudæis, quàm de gentibus ſectatores habuit. Chriſtus, id eſt, Meſsias hic erat; quem accuſatum à noſtræ gentis principibus Pilatus cum addixiſſet cruci, nihilominus non deſtiterunt eum diligere, qui ab initio cœperant; apparuit enim eis tertia die viuus, ita vt diuinitus de eo Vates hæc & alia multa miranda prædixerint. Hæc Ioſephus.

Ioſephus l. 7. de bello, c. 21.

Ioſeph. l. 18. antiq. Ioſephi de Chriſto teſtimonium.

Denique omnes termini aduentus Meſsiæ à Iudæis præfixi iam præterierunt, vt oſtendit Burgenſis loco ſupra indicato; & in collectaneis de Meſsia Rabbi Iacob ex Talmud hæc habentur: Ex pronuntiatis magiſtri, expleti ſunt omnes termini (poſiti de ad-

de aduentu Meſſiæ) ac res pendet à ſola pœnitentia, & bonis operibus, &c. Hoc vtinam recte Iudæi intelligerent, etenim nõ ex noui Meſſiæ aduentu, ſed ex noua pœnitentia pendet redemptio Iſrael, ſi pœnitentiam egerit, verumque Meſſiam Ieſum, ſuæ potentiæ radijs, toto Orbe fulgentem agnouerit, & coluerit, ſalutem, redemptionémque conſequetur.

Non defuerunt quoque Iudæi, qui vt Lyranus refert in libello contra Iudæos conſcripto, Meſſiam veniſſe, natumque ipſa die, qua templum à Tito eſt incenſum, dixerunt. Quòd ſi roges, vbinam tamdiu moretur? cur non appareat? vbi nam lateat? vbi degat? ad fabulas ſeſe conuertunt. Reſpondent quidam, cum Angelis vitam traducere, quẽ in modum Moyſes olim quadraginta diebus vixit, in monte Sinai, donec Dei iuſſu in conſpectu hominum ſe dẽt. Alij vltra montes caſpios interim morari. Alij per orbem vagari inſtar pauperis, ac leproſi, in ſummaob populi crimina abiectione, iuxta illud Iſaiæ: *Nos reputauimus eum quaſi leproſum.* In collectaneis Rabbi Iacob e Talmud, hæc leges: Rabbi Ioſua occurrit Eliæ ſtanti ad oſtium ſpeluncæ Rabbi Ioſuæ filij Iohai, & dixit, veniam-ne in venturum ſæculum? vbi autem Elias reſpondiſſet, ſi voluerit Dominus: iſte ſubiecit Rabbi Ioſua, duos quidem vidi, ac vocem trium audiui; deinde interrogo, quando venturus ſit Meſſias? qui reſpondit: vade interroga illum ipſummet, qui ſedet in porta Romę; hoc autem tibi ſignũ, ecce inuenies ſedentem inter pauperes portantes dolores, &c. Vides procelloſo in pelago fluctuantes Iudæos, & veritatis relicto portu, quò ſe vertant ignorantes.

Iam natus eſt Meſſias ex ſententia nonnullorum Iudæorum.

Iſaiæ 53. Vbi ſit Meſſias ex ſentẽtia Iudæorũ

CAPVT XXIII.

Meſſiam veniſſe probatur rationibus.

Prima Ratio. PRima ratio ex miſerrimo ſumitur Iſraëlitici populi ſtatu. Si chariſſimum filium primogenitum, ab optimo, iuſtiſſimóque patre domo eiectum paterna hæreditate, & omnibus, quibus affluebat bonis ſpoliatum, toto Orbe vagum, atque exulem cerneremus; ob ingens profectò aliquod ſcelus id factum diceremus. Iam verò nónne Iſraëliticus populus: *primogenitus Dei filius* appellatur? nónne Deo olim fuit chariſſimus? nonne in terram lacte & melle manantem introductus, & vt chariſſimus filius melle, lacteque nutritus? Hunc primogenitum, chariſſimumq; filium, poſt Chriſti necem acerbiſſimam, à ſanctiſſimo, iuſtiſſimoq; Patre Deo, e terra Patribus promiſſa expulſum, è patria exterminatum, omnibus quibus abundabat, bonis mulctatum, Regno, templo, Sacerdotibus, Prophetis, omnibus antiquæ Reipub. ornamentis priuatum, toto orbe abſque vlla libertatis quæ affulgeat ſpe, iam ſpatio mille quingentorum annorum diperſum cernimus. Quis ergo cæcus, ob atrox aliquod facinus tam graui ſupplicio, filium hunc chariſsimum affectum eſſe non videat? Curnam primogenitus filius ſic punitus eſt? cur Romanis militibus traditus? cur Romano gladio diſcerptus? cur vrbs præclariſsima Hieruſalem ab hoſtibus capta? cur templum auguſtiſsimum, diuini olim numinis ſedes, incenſum? cur Sancta ſanctorũ flammis vltricibus abſumpta? cur florentiſsima Iudæorum Reſp. euerſa? cur vt euerteretur, diuino auxilio ſpoliata? Quod tantum Iudæi ſcelus tam horribili pœna, támque longa Dei obliuione dignũ commiſerunt? Nunquid idolis diuinum honorem tribuerunt? nunquid Prophetas morte mulctarunt? nunquid vitulos Samariæ, quos colerent, ſuſcitarunt? Minimè. Quid igitur? Meſsiam verum repudiarunt, ſuffixeruntque cruci, ab illius verò Apoſtolis, & nuntijs ad pœnitentiam prouocati, audire noluerunt, hic tanti ſons ſupplicij, hæc perpetuæ huius captiuitatis cauſa. Quærant aliam Iudæi, nullam reperire poterũt; quæ tam longam Dei obliuionem, & captiuitatem efficere potuerit.

Cauſa malorum quæ Iudæi patiuntur. Meſſias eſt repulſa.

Fecerunt filij Iſrael malum in conſpectu Domini, iratuſq; contra Iſrael Dominus, tradidit eos in manus Chuſan Raſathaim regis Meſopotamiæ, ſeruieruntq; ei octo annis, & clamauerunt ad Dominum, qui ſuſcitauit eis Saluatorem Othoniel. Iudicum 3. Iudicum 4. 6. 10.

Item, ſeruierunt Eglon Regi Moab decem & octo annis: clamauerunt ad Dominum, qui ſuſcitauit eis ſaluatorem Aod. cap. 4. Tradidit illos Dominus in manus Iabin regis Chanaan, clamaueruntque ad Dominum, ſaluatorem eis dedit Barac. & cap. 6. Fecerunt filij Iſraël malum in conſpectu Domini, qui tradidit illos in manu Madian ſeptem annis, tandem ſaluatorem excitauit Gedeonem, capite decimo, Peccatis veteribus iungentes noua; fecerunt malum in conſpectu Domini, & ſeruierunt idolis, iratus Dominus tradidit eos in manus Philiſthijm, & filiorum Ammon, afflictique ſunt, & vehementer oppreſsi, per annos decem & octo. Sed à Iephte ſunt liberati capite decimotertio. Rurſum filij Iſrael fecerunt malum in conſpectu Domini, qui tradiditeos in manus Philiſtinorum quadraginta annis, at dẽdit eis Deus fortiſsimum iudicem Samſonem, poſtea Samuelem, reges deinde Dauidem, & reliquos. Denique Sedechia regnante, à rege Babylonico Nabuchodonoſor victi, & in Babylonicam captiuitatem abducti ſunt, verùm poſt ſeptuaginta annos; patriæ reſtituti. Vides Iſraelitas, clamantes ſemper à Deo fuiſſe exauditos; ſemper in libertatem vindicatos, vides ſemper à Deo ſaluatores populi excitatos. In quibus excellentem quoque obtinent locum Iudas Machabæus, & fratres, qui deuaſtatam ab Antiocho Iſraëliticam Rem. priſtino nitori poſt breue tempus reſtituerunt. Olim poſt octo annos, poſt decem & octo, poſt quadraginta, poſt ſeptuaginta à Deo exauditi ſunt, & ab hoſtiũ poteſtate erepti. Nunc autem poſt tot annorum centurias, cum idola non colant, cùm legem Moſis obſeruent, cum Deum quotidie precentur, nec exaudiuntur, nec vllam auxilij ſcintillam affulgentem cernunt. Clariſſimum ſanè perfidiæ illorum argumentum, perſpicuum præteriti aduentus Meſſiæ ſignum hoc eſt, quem quia occiderunt, & occiſum agnoſcere noluerunt, nec adhuc volunt, in tanto luctu, & ſqualore verſantur.

Deus olim ante occiſionem Meſſiæ ſemper clamantibus Iudæis ſuccurrit, nunc penitus eos deſeruit.

Iudicũ 13.

Speciosam illam oliuam. id eſt, Iudaicam Rempub. vt Deus appellat, ob idololatriæ ſcelus, olim iuſtitię diuinæ ſecuri percuſsit, atque deiecit, dum in Babylonicum exilium expulit, ita tamen deiecit, vt radices non auulſerit. At ob immaniſſimam Meſſiæ cædem, non ſolùm ſecuit arborem, verùm etiam e ſolo patrio penitus eradicauit: Vnde Auguſtin. lib. 1. de conſenſu Euangeliſtarum cap. 12. Pro grauiſſimo (inquit) ſcelere occiſi Chriſti, Iudæi ex ipſa Hieroſolyma, quæ erat regni eorum caput, penitus eradicati, & Romano Imperio ſubiugati ſunt, &c, Pullulauit oliua poſt 70. Babylonici exilij annos, floruit, fructuſque produxit. Poſt necem verò Meſsiæ, mille quingenti acti ſunt anni, nec verò fructum, aut flores, aut folia, aut tenuiſsimum aliquod germen arbor profert. Videlicet quia eradicata eſt.

Exodi 4.

Ioro. 11.

D. Auguſt.

De hoc Iudæorum ſupplicio, eiuſque cauſa, Rabbi Samuel in Epiſtola ad Rabbi Iſaac, capite 25. his verbis ſcribit: Paueo Domine mi, quod nos apoſtatauimus à Deo in primo aduentu iſtius iuſti, id eſt, Chriſti, cui expreſsè conueniunt omnia, quę

ſcripta

ſcripta ſunt apud nos in libris legis & Prophetarum. Propter quam apoſtaſiam Deus ſic protendit in longitudinem dierum, captiuitatem iſtam nobis, etſi expectamus ſaluatorem aliũ ab iſto, nihil prodeſt nobis. & argumentum eſt euidens nobis, illa captiuitas, quæ fuit in Babylone ſeptuaginta annorum, & quantum ad tempus, quia breue, & quantũ ad gratiam, quia Daniel Propheta fuit captiuus nobiſcum, per quem Deus conſolabatur nos in libertate propinqua.

Sed hæc captiuitas iam peruenit ad complementum mille annorum, neque eſt Daniel nobiſcum, & omnes tribus ſunt in diſperſione, elongatæ à domo Sancta. ſignum eſt euidens peccatũ eſſe generale, in omnibus nobis, quod peccatum perſeuerat in nobis. Hæc ille, & alia, quæ breuitatis
Zach. 14. cauſa omitto. Idem Rabbinus illud: *Percute paſtorẽ, & diſpergentur oues*, non malè in hanc ſententiam interpretatur: Timeo (inquit) Domine mi, quòd illud verbum Zachariæ: *Percutiam paſtorem, & diſpergentur oues*, fuit completum, quando nos percuſſimus paſtorem iſtorum puerorum, ſcilicet Apoſtolorum, & ex tunc nos oues diſperſæ fuimus per vniuerſum orbem, & iſti filij noſtri ſurrexerunt loco prophetarum: quod apparet ex hoc, quod Deus poſt illos non miſit nobis prophetas, &c. Ipſum ergo ſupplicium, ipſe Iudæorum ſtatus, ipſa toto orbe diſperſio, ipſa Dei longa obliuio, Meſsiam illum eſſe clamat, quem in crucem egerunt. Paſtorem percuſſerũt, propterea diſiectis caulis, diſperſæ ſunt oues, mortiferiſque in paſcuis errant.

2. Ratio. Secunda ratio ex orbis commutatione in frugem meliorem depromitur. Quemadmodum enim, qui primùm caligine nocturna tectum, aërem, algentemque, deinde caligine diſcuſſa illuminatum, caloreque ardentem videt, Solem ortum eſſe, nequaquã dubitat, ita qui Orbem terrarum craſſis idololatriæ tenebris, olim circumfuſum, vitiorumque frigore torpentem, poſtea verò Catholicæ fidei ſplendore illuſtratum, & charitatis ardore incenſũ cõſiderat, iuſtitiæ iubar, id eſt, Meſsiã, iã aduenisse nõ ambigit. Deus bone, quàm miſero in ſtatu res erãt humanę, ante Chriſti aduentum; Gentes vniuerſas vitiorum vincula obſtrinxerant ſimulachrorũ, toto orbe cultus vigebat, Iupiter, Mars, Venus, cæteraque monſtra huiuſmodi, diuinum ſibi honorem vſurpauerant; virtutis lumen extinctum, religio nulla, nulla erat pietas, nullus Dei in populis gentium cultus, ſi
Pſalm. 75. paucos aliquot inſigni virtute viros excipias. *Notus in Iudæa Deus, & in Iſraël magnum nomen eius*, canebat egregius Vates. At Chriſti Opt. Max. aduentum, quæ rerũ commutatio, quàm fœlix mundi conuerſio ſecuta eſt; ſcelerum pluſquam ferrea vincula diſrumpuntur, toto orbe idolorum cultus pellitur. Iupiter, Mars, Venus, cæteraque mõſtra effugantur, adeò vt ſola nominum veſtigia remanſerint, ex quibus eorum fugã deprehendere poſſimus. Virtutis ſplẽdor apparet, religio floret, pietas regnat, Dei ſummi, verique cognitio, maria, terraſq; peruadit; notus non in Iudæa ſola, ſed in toto orbe Deus, & in mundo magnum nomen eius. Hæc mutatio dexteræ excelſi, hæc illa Dei celeberrima, Abrahamoque promiſſa benedictio: *In ſemine tuo benedicentur omnes gentes*, hic à vero Sole, id eſt, Meſsia, orbi allatus ſplendor. Ergo *ortus iam Sol eſt*. Si cæci ſunt Iudęi, nec viſu capere poſſunt eius ſplendorem, ſaltem percipiãt ardorem. Siquidem *non eſt, qui ſe abſcondat à calore eius*, vt
Pſalm. 18. eſt in Pſalm.

3. Ratio. Tertiam rationem profert, eximia Chriſtianę religionis ſanctimonia, digna planè Deo, digna, quę ſanctiſſimum Meſsiam Dei filium, autorem, atque inuentorem habuerit. Quidnam excogitari poteſt Chriſtianę religioni ſanctius? quid purius? quid rationi magis conſentaneum? ab omni vel leuiſſima culpa abhorret, omnium virtutum egregias functiones continet, caduca bona flocci pendit, pro cœleſtibus ſanguinem, vitamque libentiſſime profundit. Religio hęc, ac fides ſanctiſſima, diuinis miraculis cõfirmata, permultis argumentis explorata, doctiſſimorum virorum doctrina, ac ſanctitate conſtabilita, tot Martyrum teſtimonio, ſanguineq; comprobata, in qua nihil omnino eſt, quod quis iure poſſit reprehendere, hęc, inquam, religio ac fides, quę falſa eſſe nequit, Meſsiam veniſſe, eumque eſſe Ieſum Opt. Maximum profitetur. Iam ergo Meſsias venit, eſtque Ieſus Dei atque Virginis filius.

Hebręum rogo, quidnam in Chriſtiana fide ac religione poſsit iure incuſare? Nihil (inquiet) in moribus reprehendo, ſunt enim omnes rationi, diuiniſque duarum tabularum præceptis congruentes. At multa creditis, quæ intellectus non capit. Trinitatis nimirum, Euchariſtiæ, & incarnationis myſteria. Atqui aduertere te oportet, ô Hebręe, Deum mortalium omnium intellectum, cogitationeſque longe ſuperare. Infinitus enim eſt, nullis finibus, aut terminis circumſcribitur. Quid igitur mirum, ſi eius opera Euchariſtię, & incarnationis, ſi eius naturam, & perſonas, intellectu aſſequi nõ poſsimus? quid mirum, ſi ſimia hominis opera non aſſequatur? ſi veſpertilionum oculi Solis iubar nequeant intueri? quales noſtros eſſe oculos ethnicus Philoſophus Ariſtoteles affirmauit libro ſecun- *Ariſtot.*
do Metaphyſ. capite 1. Quemadmodum (inquit) *Scientia & opera Dei ſuperãt humanum intellectum.*
veſpertilionum oculi ſe habeant ad lumen diurnũ, ita & animę noſtræ mens ad ea, quæ natura ſunt omnium manifeſtiſſima. *Mirabilis facta eſt ſcientia tua ex me* (ait Regius Vates) *confortata eſt, & non potero ad eam*, hoc eſt, vt Chryſoſt. exponit, Exaltata eſt ſcientia tua ſuper me, validior facta eſt, quàm vt mea ratione poſſit comprehendi, adeò eſt mirabilis, adeò magna. In hunc ſenſum D. Hieronym. *D. Hieron.*
ſic vertit: Mirabilior eſt ſcientia me, excellentior eſt, nõ potero ad eam, videlicet aſcendere, vel pertingere. Illud enim ex me, more hebræo ſignificat, præ me, mirabilis eſt tua ſcientia præ me, hoc eſt, quàm vt eam aſſequi poſsim. Mirabilis eſt ſcientia, mirabilis natura, mirabilia opera, adeò vt non hominum ſolùm, verùm angelorum quoque naturale intellectus acumen vincant. *Facit* (ait Iob) *Iob. 9.*
magna, & incomprehenſibilia, & mirabilia, quorum non eſt numerus. Veniat tibi in mentem fumus ille, caligo, nubes craſſiſſima, quæ montem Sinai olim cõtexit: *Cœperunt audiri tonitrua, ac micare fulgura, & Exod. 19.*
nubes denſiſsima operire montem. Item: *Totus mons Sinai fumabat, eo quòd deſcendiſſet Dominus Deus ſuper eum in igne, & aſcenderet fumus ex eo quaſi de fornace*, & cap.
20. *Moſes acceſsit ad caliginem in qua erat Deus.* Quid fumus, quid nubes, quid indicat caligo, in qua erat *Res quas ſi des docet intellectus acumine celſiores ſunt.*
Deus? nimirum Dei naturam, & opera, mortaliũ intellectum ſuperare, atque latere. quod intellexit D. *D. Cyrill.*
Cyrillus in homilia cõtra Neſtorium. Per tenebras (ait) ſignificabatur, cognitionem Dei comprehendi non poſſe, &c.

Quemadmodum is, qui Solis magnitudinem oculis metiri vult, magnopere fallitur: Sic is, qui Dei naturam intellectu complecti conatur, maximè decipitur. Ex Aſtrologia magnitudo Solis, ex fide Chriſtiana natura agnoſcitur Dei. fieri enim nõ poteſt, vt homo, qui animæ ſuæ naturam, ſeque ipſum, & res terrenas explorate cognoſcere nequit, Dei maieſtatem, incarnationem, & ſtupenda opera abſque fidei cœleſti lumine cognoſcat. Quocirca Auguſtinus de Ariano hæretico loquens in oratione *D. Auguſt.*

contra Iudæos, Paganos, & Arianos : Arianus, inquit, hæreticus, insana contumacia, vult de verbo in corde Patris manente disputare, cum semetipsum non valeat intelligere. Insane hæretice prius redi ad te, considera te totum, si potes comprehendere te, & tunc disputa de illo, qui fecit, & me, & te, &c. Item: Demonstra, inquit, mihi, atque explica parua ista inferiora, & tunc tibi credam, posse te inuestigare superiora, &c. In hanc sententiam interpretatur illa Dauidis, quæ supra retulimus, verba: *Mirabilis facta est scientia tua ex me.* Non valuit Dauid (ait Augustinus) comprehendere se, & exclamauit Deo dicens: *Mirificata est scientia tua ex me, inualuit, & non potero ad illam*, hoc fuit dicere, quando te possum cõprehendere tam magnum, qui meipsum non valeo explicare extremum, & paruum? Hæc ille. Denique
D. Cyrillus. vt ait D. Cyrillus lib. 6. in Iulianum: In tantum sapientia Dei sumus inferiores, quantum & natura
Isai. 55. minores. id quod per Isaiam dixit: *Non enim cogitationes meæ, cogitationes vestræ, neque viæ vestræ, viæ meæ, dicit Dominus, quia sicut exaltantur cœli à terra, sic exaltatæ sunt viæ meæ à vijs vestris, & cogitationes meæ à cogitationibus vestris.*

Quemadmodum ergo celsissimum cœlum nullus homo, etsi altissimas adhibeat scalas, digito potest contingere, ita celsissimas Dei cogitationes, nullus intellectus, etsi rationis omnes admoueat gradus, ratiocinationibus valet deprehendere. Vnica
Vide Deus agnoscitur. est scala Iacob, fides Christiana, per quam ad altissimam Dei cognitionem magno mentis vigore peruenitur. Magnarum enim hic vigor est mentium
D. Leo. (ait magnus Leo Serm. 2. de Ascensione) incunctanter credere, quę corporeo non videntur intuitu, & ibi figere desiderium, quo nequeas inferre conspectum, &c.

Id ergo, quod tibi in fide Christiana displicet, ô hebręe, videlicet, quod intellectus captum eius mysteria superent, eandem fidem veram esse confirmat. Etenim digna Deo ea sunt mysteria, eaque opera, ad quæ naturalis mentis nostræ vis pertingere nequit. Id ipsum eadem mysteria vera esse demonstrat. Nam si vera non essent, ab hominibus essent ficta: at verò ea solent homines, vt credãtur, fingere, quæ intellectus captum non superant, hæc autem diuina fidei mysteria intellectus nostri captũ superant, ergo ficta non sunt, sed à Deo edocta. Id ipsum præterea diuina ea esse indicat, diuina enim potentia opus est, vt quæ intellectu perspicuè non complectimur, verissima esse credamus, mortemq; pro fide habita oppetamus. Atqui cernimus terrarum Orbem profundissimis mysterijs firmissimam habuisse fidẽ, verioraque ea arbitrari Christianos, quæ obscuro fidei lumine cernunt, quàm quæ ipsis oculis vident; cõpertum est item viros doctissimos, ac sanctissimos, pro fide hac omnes cruciatus perpeti, mortemque libenter subire. Quæ igitur potẽtia alia, quàm diuina hæc efficere potest? digitus sanè Dei est hic, qui ab ipso Deo tradita esse fidei Christianæ dogmata indicat.

4. Ratio. Quartam rationem nobis exhibet Messię genus. Verum hunc esse Messiam probo, quia fictus non est. Ethnici namque nullum expectabant Messiam, quid Messias esset, non nouerant, Sibyllis exceptis, & aliquot aliis. si fictum & commentitium voluissent, aliquem potius ex ethnicis hominibus, Regẽ vel Imperatorem, quàm ex Iudęis elegissent. Non deerant Cyri, Alexandri, Cęsares, similesque alij, nobilitate inclyti, bellica fortitudine clari, gloria, opibusque pręcellentes. Quis quęso, Messiam Iudęum, eumque cruci suffixũ, adorare gentibus persuasit? cuius tanta fuit eloquentia? tanta persuadendi vis? Quis Iudęo Regi superbissimas nationes nulla vi bellica adhibita subiecit? Quis Romanum Imperium potentissimum sub illius iugum sine vllis armis misit? Quis illius legem, mundi ceruicibus sine prælio imposuit? cuius tanta fuit potentia? tanta fortitudo? Diuina quidem fuit persuadendi vis, diuina potentia, diuina fortitudo, id, quod is intelliget, qui rem secum tacitus considerarit.

Legis Christianæ difficultas. Considera, quæso, primo legis ipsius difficultatem; deinde tempus, quo promulgata est; ad extremum ipsos illius promulgatores. Si voluptatibus refertam legem hominibus Messias sanciuisset, si caduca bona se colentibus tribuisset, si facillima factu facere, facillima intellectu credere, præcepisset, non adeò mirum, quod persuasisset. At lex Euangelica, ac Christiana, voluptates execratur, labores, cruces, atrocia certamina proponit, caduca bona spernit, cœlestia pollicetur, difficilia factu, difficilia intellectu præcipit. Huiusmodi verò legem persuadere, ac sancire difficillimum est. Ad hæc, non fabulosis, sed eruditis temporibus, tamque excultis lege Mosaica, & Philosophi., hominibus item doctis & intelligenti iudicio præditis à Iudæis, à Romanis, à Græcis, promulgata est, nullamque disputationem subterfugit, nullum veritatis examẽ subire recusauit.

Quam docta autem illa ætas fuerit, perspicuum est, colligesque ex illis Marci Tullij verbis, quę ab Augustino referuntur 22. lib. de ciuitate Dei cap. 6. Ex quo intelligi potest (inquit Tullius) permultis annis ante Homerum fuisse, quàm Romulum, vt iam doctis hominibus, ac temporibus ipsis eruditis, ad fingẽdum vix quicquam esset loci. Antiquitas enim recepit fabulas, fictas etiam nonnunquã incondite, hæc ętas autem iam exculta, præsertim eludẽs omne, quod fieri non potest, respuit, &c. Hæc Tullius de temporibus Romuli, quę veriora multo sunt de temporibus Christianæ legis, quę post Ciceronis & Augusti tempora cœpit promulgari. Ætas erat illa magis quàm ea, de qua Tullius loquitur, erudita, & iam exculta, cum ad fingendum vix quicquam esset loci, omne quod fieri nõ potest, respuens. Vnde Augustinus lib. illo 22. cap. 7. Cum sexcentis (inquit) ferme annis ante Scipionem Romulus fuerit, atque illa ętas iam fuisse doctrinis dicatur exculta, vt quod fieri nõ potest, omne eludens respueret, quanto magis post sexcentos annos, ipsius tempore Ciceronis, maximeque postea sub Augusto, atque Tiberio, eruditioribus vtique temporibus, resurrectionem Christi, atque in cęlos Ascensionem, tanquam id, quod fieri non potest, mens humana ferre non posset, eludensque auribus, cordibusque respueret, &c. Hac ętate huiusmodi consequentibus seculis eruditissimis, tum in Iudæa Iudæis multis, sacrarum literarum peritissimis, tum in Græcia Græcis, tum in ipso mundi vertice Roma Romanis, Christum Messiam, Deumque esse fide constantissima creditum est, & ab eo lata lex magna hominum obseruatione recepta.

Tempore eruditio lex Christiana promulgata doctissimis hominibus & recepta.

M. Tullius.

D. August.

Iam verò, quibus administris negotium tam eximium, quibus opificibus tam magnum & arduum opus, quibus oratoribus tam difficilis rei persuasio cõmissa est. Non oratoribus, sed piscatoribus, non diuitibus, sed pauperibus, non nobilibus, sed ignotis, & terreno genere obscuris. Piscatores, corda hominũ expiscati sunt, pauperes diuitibus obscuri claris, & nobilitate præstantibus, admirabiliter persuaserunt. August. Ineruditos (inquit) liberalibus disciplinis, & omnino quantum ad illorum doctrinas attinet impolitos, non peritos Grammatica, non armatos Dialectica, non Rhetorica inflatos piscatores, Christus cum retibus fidei ad mare huius seculi misit, atque ita ex omni genere tam

Quales fuerint Apostoli, legis Christianæ promulgatores.

D. August. lib. 22. de ciuit. cap. 5.

tam multos piſces,& tanto mirabiliores,quanto rariores,etiam ipſos Philoſophos,cepit.Hæc ille.

Nunc rogo: Quæ tanta fuerit hæc potentia, quę Euangelicam legem voluptatibus aduerſantem toto Orbe ſtabiliuit? quæ eruditis ſeculis, prudentium hominum,Iudæorum,Romanorum, Græcorum,cæterarumque gentium pectoribus Chriſtianam fidem,pro Chriſto omni ſe vitæ diſcrimini offerre paratam,inſeruit? quæ piſcatorum pauperum linguam, ad hęc mirabilia efficienda extulit? Diuina ſanè potentia eſt, diuina vis,quæ ideo ſuæ fidei promulgatores piſcatores elegit, vt ipſa diuinitas

D. Ambroſ. in comm in Luc. cap. 6. his in rebus magis eluceret.D, Ambroſius: Aduerte (inquit)cœleſte conſilium, non ſapientes aliquos, non diuites, non nobiles,ſed piſcatores, & Publicanos,quos dirigeret,elegit,ne traduxiſſe prudētia, ne redemiſſe diuitiis,ne potentiæ,nobilitatiſque autoritate,traxiſſe aliquos ad ſuam gratiā videretur, vt veritatis ratio,non diſputationis gratia præualeret,&c. & D.Hieronymus Matth.4.Piſcatores(ait)

D. Hieron. & illiterati mittuntur ad prædicādum,ne fides credentium,non virtute Dei,ſed eloquentia,atque doctrina, fieri putaretur. Auguſtinus item Mundus

D Auguſt, lib. 2. de ciuit. cap. 5. (inquit) propterea numero exiguo ignobilium,infirmorum,imperitorum hominum credidit, quia in tam contemptibilibus teſtibus , multo mirabilius diuinitas ſe ipſa perſuaſit,eloquia namque perſuadentium quæ dicebant,mira fuerunt facta,non verba,&c.

Satis hæc erant,ſed cōtinere me nō poſſum, quin aurei oris,hoc eſt Chryſoſtomi, aurea verba ex demōſtratione quòd Chriſtus ſit Deus,proferam,quę quartam hanc rationem ſuo ſplendore illuſtrent. Magna(inquit vir præclariſſimus) magna res foret, & diuinæ virtutis,etiamſi nemo interturbaret, eſſetque pax ſumma,& multis ſimul adnitentibus,& reluctante nullo,poſſe intra tam breue tempus, totum Orbē à conſuetudine mala, qua præoccupatus fuit,liberari,& in aliam induci. Verùm hoc multo maius,quod nō ſolū in aliā inducitur,ſed in multo difficiliorem, non ſolùm enim diuerſa conſuetudo erat,ſed voluptate firmata.Duo violenta.Quę enim acceperat à patribus, auis, & proauis, & Philoſophis,& Rhetoribus,ea reſpuere docebatur,quod ſane difficillimum erat, at difficilius nouam accipere conſuetudinem,illamque valde laborioſam.

D. Chryſoſt. Abduxit enim Chriſtus à voluptate, & induxit ad ieiuniū;abduxit ab amore opum, & induxit ad amorem paupertatis;abduxit à luxu, & induxit ad temperantiam;abduxit à via lata,& ſpatioſa, & induxit in auguſtam,& arctam,& induxit aſſuetos vię latæ.Et perſuaſit eis.Quot autem perſuaſit? non viginti,vel centum,ſed omnibus ferme ſub Sole habitantibus.Et per quos perſuaſit? per viros vndecim illiteratos,ineloquentes, obſcuros , pauperes : Hi Eccleſiam ædificarunt. quomodo, & qua ratione? virtute eius,qui iuſſit; ille enim præuius omnia faciebat,reddens etiam facilia,quæ dura.Niſi enim diuina quædam virtus effeciſſet , nequaquā hæc vel principium vel præludium accepiſſent. Quomodo enim ille dixit,fiat cœlum,& monſtrauit opus : fiat terra,& illius ſubſtantia producta eſt:fulgeat ſol,& indicauit aſtrum,omniaque verbo operatus eſt, eodem modo idem & Eccleſias illas plantauit. Et ver-

Matth. 16. bum hoc,*ædificabo Eccleſiam meam*,hæc omnia operatū eſt.Ita Chryſoſtomus.

Quinta ratio. Quintam rationem miracula præbent, quibus Chriſtiana lex,veluti diuinis ſigillis,eſt confirmata. Ieſum enim Meſsiam,eiuſque legem diuinam eſſe, multis Deus miraculis comprobauit,quæ & recentiora ſunt, quàm miracula,quibus Iudæorum legē ſanciuit,& à teſtibus ſanctiſſimis atque certiſsimis A tradita. Quemadmodum illis ſua ſcripſit Moyſes, cæteriqúe ſcripturę veteris autores,ſic nobis noſtra ſcripſere Euangeliſtæ, homines ea autoritate,& vitę ſanctimonia præditi , vt nemo ſuſpicari poſſit quicquam ab illis confictū. Quid enim vtilitatis ex ea fictione ſibi quærere potuerunt homines ij, qui omnes humanas vtilitates,opes,honores,inanē gloriam,pro nihilo duxere , vitamque libenter morti pro Chriſti lege obtulere?Nec ſolus Chriſtus miracula edidit, verùm etiā diſcipuli, ſectatoreſq; eius, imò in hoc vſq; tempus miracula non deſunt, quæ diuinæ huic veritati fidem faciunt.

Rith. de ſanct. o Vict. lib. de Trin. cap. 2. B Tot,tamq; certis miraculis confirmata eſt Chriſtiana religio,vt vir ſanctiſsimus,pariterque doctiſſimus,Richardus de Sancto Victore,genus inſaniæ videri dicat, de Chriſtiana fide, vel, leuiter dubitare.locus eſt illuſtris, ideoque eius verba aſcribam. Hoc(inquit)ſupra modum mirabile,quia quotquot veraciter fideles ſumus,nihil certius, nihil cōſtantius tenemus, quā quod fide apprehendimus. ſunt namque patribus cælitus reuelata,& tam multis,tā magnis, tam miris prodigijs diuinitus confirmata, vt genus videatur eſſe dementię,in his,vel aliquantulum dubitare. Innumera itaque miracula , & alia, quę non niſi diuinitus fieri poſſunt, in huiuſmodi fidem faciunt, & dubitare nō ſinunt. Vtimur

C itaque in eorum atteſtatione, ſeu etiam confirmatione,ſignis pro argumentis,prodigiis pro experimentis. Vtinam attenderent Iudæi,vtinam animaduerterent pagani,cum quanta conſcientiæ ſecuritate,pro hac parte ad diuinū iudicium poterimus accedere. Nónne cū omni confidentia Deo dicere poterimus?Domine ſi error eſt,à te ipſo decepti ſumus, nam iſta in nobis tantis ſignis & prodigijs confirmata ſunt,& talibus, quę non niſi per te fieri poſſunt.Certe à ſummæ ſanctitatis viris ſunt nobis tradita, & cum ſumma & authentica atteſtatione probata,te ipſo cooperante , & ſermonem confirmante ſequentibus ſignis.Hęc Richardus. In qui-

Fidei certitudo multis miraculis cō firmata.

D bus id,quod dicit; Domine ſi error eſt , à te ipſo decepti ſumus,per exuberantiam quādam ſermonis, & per impoſſibile dictum eſt. Fieri enim nequit,vt aut in fide error, aut in Deo deceptio reperiatur. Hic præterea ſenſus illis verbis ineſt : Domine ſi error eſt, à te ipſo decepti ſumus , at decipere quenquam non potes,ergo error non eſt , ſed veriſſima fides.

Dicent Iudæi , in Beelzebub ejiciebat Chriſtus dęmonia,eiuſque miracula,& diſcipulorum,magię tribuent.Sed cur miracula Moſis Deo,miracula vero Chriſti magię aſcribent? Chriſti, diſcipulorumq; eius vita,quid commune habuit cum cacodęmone? nunquid eximiam humilitatem? nunquid ſingularē charitatem? nunquid admirabilem patientiam? nū-

E quid virtutes prœcellentiſſimas , à quibus quàm eſt cacodęmon alienus , tam ſunt ab eo aliena miracula? Qui fieri potuit,vt cacodæmones vera miracula ederent,qualia fuere omnia à Chriſto edita? qui fieri potuit, vt ſuis ipſi miraculis ſe perderent? conſtat enim,Chriſti miraculis inanium deorū ſolo æquata ſimulachra,hominum flagitia euerſa,cacodęmonum furorem frenatum , vires eneruatas. Quis ergo,niſi planè amens, ſentiat à cacodęmone ea miracula effecta, quibus illius regnum eſt euerſum,& potentia profligata,quæque naturæ omnes vires ſuperarunt.

Miracula Chriſti veriſsima.

Inſulſam fabulam commenti ſunt Iudæi, vt Lyranus ſcribit,dixere Chriſtum vi nominis quadriliteri, יהוה iehoua,patraſſe miracula , quod nomen illud venerandum, recta nouerit efferre pronunciatione . Eam enim hi cenſent eſſe nominis vim, vt ſi quis rectam illius prolationem ſit aſſecutus,

Fabula Iudæorum.

miracula posſit efficere. Si roges, quonam modo il- A
lam Christus assecutus sit? respondent, ex lapide
quodam, quē in templo reperit, nomen Iehoua re-
cte efferre didicisse, fuisse enim eo in lapide olim
arcā testamenti collocatam, & nominis explicatio-
nem inscriptam. ô lepidum Hebræi caput, siue po-
tius lapideum, quod tam insulsam de lapide fabulā
non in rem suā, sed nostram potius, valuit effinge-
re. Non enim à Iudæis stat fabula, sed à nobis. Quod
volumus, confirmat. Nam vis nominis Iehoua, non
potuit ea patrare miracula, quibus aliquid falsi con-
firmaretur, alioqui Deus, cuius virtus nomini qua-
drilitero inerat, falsitatem comprobasset. Ergo si
miracula Christi, vt fingunt, vi nominis Iehoua pa-
trata sunt, veritatem testabantur: testabantur verò B
Iesum esse Messiam, verumque Deum Dei Patris fi-
lium, verum igitur hoc erat.

Quod si qui proterui Iudæi, miracula à Christo,
eiusq; discipulis facta esse inficientur, illud audiant
D. August. lib. 22. de ciuit cap. 5. August. Si per Apostolos Christi, vt eis crederetur,
miracula facta esse non credunt, hoc nobis vnum
grande miraculū sufficit, quod terrarum orbis sine
miraculis credidit, &c. Vel ergo orbis terrarū absq;
1. Cor. 1. miraculis *Christum crucifixum Iudæis scandalum, gentibus,*
vt Paulus ait, *stultitiam*, pauperibus hominibus prędi-
cantibus, Deum esse credidit, diuinosque illi hono-
res tribuit, idque est miraculū maximum, quod sola
Dei potentia potuit efficere, vel multis conspectis
miraculis ad fidem vocatus est, concedendumque
est, Christi discipulos multa miracula patrasse, quod C
est verissimum. Nam cum diuina sapientia disponat
omnia suauiter, per miracula Ethnicos, initio ex
idololatria ad fidem Christi, & Iudæos ex lege Mo-
sis vocauit, quemadmodū per miracula, populū an-
tiquum ex Ægypto in terram promissionis eduxit.
D. August. Vt enim August. ait lib. 22. de Ciuit Dei c. 5. Apostolis
non loquentibus tantum, sed etiam mirifica facien-
tibus signa, homines crediderunt.

Miracula nō sunt semper necessaria. D. Gregor. Neque vero semper necessaria miracula sunt. Nā
vt ait D. Gregor. homil. 29. in Euangelia: Vt ad fidē
crescceret multitudo credentium, miraculis fuerat
nutrienda. Quia & nos cum arbusta plantamus, tā-
diu eis aquam infundimus, quousq; ea in terra iam
coaluisse videamus. At si semel radicē fixerint, irri- D
D. August. li. 22. de Ci. uit. Dei, c. 8. gatio cessabit. Hęc ille. Et Aug. hanc Ethnicorū pro-
ponit quæstionem: Cur, inquiunt, nunc illa miracu-
la, quæ prædicatis facta esse, non fiunt? Respondet,
possem quidem dicere necessaria fuisse, priusquam
crederet mundus, ad hoc vt crederet mūdus. Quis-
quis adhuc prodigia vt credat inquirit, magnum est
ipse prodigium, qui mundo credente nō credit, &c.
D. Ambros. Ambros. item in Comment. Ep. 1. ad Cor. ca. 13. In-
ter initia, inquit, fieri oportuit miracula, vt funda-
menta fidei acciperent firmitatem, &c. Nec tamen
ita facta initio sunt, vt nunc etiam nō fiant, sed plu-
ra tunc facta sunt, & per scripturam sacram pluri- E
Etiam nunc fiunt miracula. bus notiora, vt docet August. loco citato: Etiā nunc
(ait) fiunt miracula siue per sacramēta, siue per ora-
tiones, vel memorias Sanctorū, sed non eadem cla-
ritate illustrantur, vt tanta, quanta illa, quæ in scrip-
turis sunt, gloria diffamentur. Canon namque sa-
crarum literarum illa facit vbique recitari. Hęc au-
tem vbi fiunt, ibi sciuntur, vix à tota ciuitate, vel lo-
co. Multa huiusmodi miracula eodem narrat capi-
te, & de S. Stephani miraculis hæc scribit: Si mira-
cula sanitatum (vt alia taceam) ea tantūmodo velim
scribere, quæ per gloriosissimum Stephanum facta
sunt: in colonia Calamensi, & in nostra, plurimi cō-
ficiendi sunt libri, nec tamen omnia colligi
poterunt, sed tantùm de quibus libel-
li dati sunt, qui recitarentur
in populis, &c.

CAPVT XXIV.

Aliis rationibus idem confirmatur.

Sexta ratio. SEXTAM rationē ostēderunt nobis Christi vati-
cinia, quæ exitu ipso comprobata, verissimum
fuisse Prophetam probāt. Cū ergo verus & sanctis-
simus Propheta fuerit, Messiamque se esse affirma-
rit, efficitur planè id esse verissimum. Agedum, non-
nulla Christi vaticinia proferamus, ex quibus He-
brēus verum fuisse Prophetam intelligat. In primis
quis nisi verus Propheta Ecclesię fundationem, ex-
ędificationem, de hostibus victorias, potuit vaticina-
ri? *Tu* (ait noster summus Vates) *es Petrus, & super hāc* *Matth. 16.*
petram ędificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non præua-
lebunt aduersus eam, & tibi dabo claues regni cælorum, &c.
Hæc antequam fierent, imò cum fieri nullo modo *Christi vaticinia verissima, & exitu ipso comprobata.*
posse viderentur, à Christo prædicta esse, & vt præ-
dicta sunt, eo modo euenisse compertum est. exitum
vaticinij, oculis ipsis Iudæi intuentur. Vident veluti
fortissimam Rupem, in capite mundi Roma collo-
catam, totique orbi conspicuam, Pontificem Sum-
mum Petri successorem, in ea conspiciunt funda-
tam Ecclesiam Dei Ciuitatem, totoque orbe exędi-
ficatam, aduersus quam etsi magni è portis inferо-
rum emissi sunt exercitus, sciunt prævalere nō po-
tuisse. Eundem Pontificem cœlorū claues manibus
præferentem, cœlestia iura vniuerso terrarum orbi
dantem, oues Christi diuinis in pascuis pascentem
cernunt. Qui hæc, antequam ne tenuissimum quidē
vestigium habere possent, prædixit, verus fanè ô
Hebræi Propheta, verus videns est, qui antequam
essent, omnia vidit.

Secundū vaticinium est de Euangelio promulgā-
do: *Prædicabitur*, inquit, *hoc Euangelium regni, in vniuerso* *Matth. 24.*
orbe, in testimoniū omnibus gentibus, &c. Si Propheta Chri-
stus nō fuit, si futura nō pręuidit, rogo Hebręū, qua-
nā ratione Euangeliū toto orbe promulgandū prę-
dicere potuerit? prædixit, quod prędixit effectū est.
In Europa, in Asia, Africa, India, tā ea, quę ad Orien-
tē, quā quæ ad Occidentē Solem sita est, Euangeliū
regni cernimus prędicatum. Quis igitur nisi captus
mēte, Christū verū fuisse Vatem inficietur? Simile
huic vaticiniū de cōuersione gentiū extat: *Alias oues* *Ioan. 10.*
habeo quæ non sunt ex hoc ouili, & illas oportet me adducere, &
vocē meam audient, & fiet vnū ouile, & vnus pastor. Huc il-
lud spectat: *Dico vobis, quod multi ab Oriente & Occidente* *Matth. 8.*
venient, & recumbent cum Abrahā & Isaac, & Iacob in regno
cælorum. Filij autē regni eiicientur in tenebras exteriores, &c.

Tertium vaticinium est de discipulorum perse-
cutionibus: *Venit hora, vt omnis, qui interficit vos, arbi-* *Ioan. 16.*
tretur obsequium se præstare Deo. Et: *Tradent vos in conci-* *Marc. 13.*
lijs, & in synagogis vapulabitis, & ante præsides & reges stabi-
tis, propter me in testimonium illis. Quartum de glorioſa *Magdalenæ fama per totū vulgata orbem.*
Magdalenę fama, toto orbe promulganda: *Vbicunque*,
inquit, *prædicatum fuerit hoc Euangelium in toto mundo, di-* *Matth. 26.*
cetur & quod hæc fecit in memoriā eius. Lege Chrysost.
in orat. 2. contra Iudæos: Reginis (inquit) omnibus
ac regibus celebrior est nunc hæc mulier, nec vlla
ætas obliuioni tradidit, quod factum est, quis hoc fe-
cit? nónne Deus hanc famam per omnia terrarum
loca disperſit? proinde dic mihi, num huiusmodi
prædicere virtutis humanæ videtur, &c. Quintum,
de morte & resurrectione sua: *Ecce ascendimus Hie-* *Matth. 20.*
rosolymam, & filius hominis tradetur principibus Sacerdo-
tum, & Scribis, & condemnabunt eum morte, & tradent
eum gentibus, ad illudendum, & flagellandum, & crucifigendū,
& 3. die resurget. Quæ omnia vt sunt prænuntiata,
sic euenerunt.

Vltimum

Vltimum vaticinium ſit de euerſione Hieruſalē A encomium,quantum paupertatis,obedientiæ, reli-
Luc.19. Reip. que Iudaicæ: *Venient dies in te,& circumdabunt te inimici tui vallo, & circumdabunt te, & coangustabunt te vndique, & ad terram prosternent te, & filios tuos, qui in te*
Luc.21. *sunt,& non relinquent in te lapidē super lapidem,* &c. Et: *Cum videritis circumdari ab exercitu Hierusalem,tunc scitote quia appropinquat desolatio eius,* & infra: *Erit pressura magna super terrā, & ira populo huic, & cadēt in ore gladij, & captiui ducentur in omnes gentes,& Hierusalem calcabitur à gentibus,* &c. Vaticinij veritatem ſuo malo hodieque experiuntur Iudæi. Nec verò reſpondere poſſunt fictum eſſe vaticinium poſt rei euentum,ſiquidē ab Euangeliſtis antequā res eueniret,conſcriptū eſt. Etenim florentibus Hieroſolymis ſcripſit Matthæus Lucaſq; de Iudęorū excidio prædictionē, vt conſtat ex ijs,quæ ſupra dicta ſunt de tempore,quo euangeliū literis cōmendarunt. Cognoſcant ergò Hebræi ex B his, veluti ex vngue leonē e tribu Iuda: inſtar enim vnguis imò nihili,hæ ſunt vaticinationes, ſi cum Chriſti ſciētia,rerumq; futurarū cognitione cōferantur,cuius tanta erat,eſtque certitudo,vt optimo
Matth.24. iure dicat: *Cœlum & terrā transibunt,verba autem mea non præteribunt.* Conſtat itaque Prophetam fuiſſe Chriſtū: fuiſſe autem ſanctiſſimū mores prædicant. Sanctiſſimus hic Propheta Meſsiā ſe eſſe affirmat,idq; miraculis confirmat,quis niſi inſanire velit,ei fidē nō
Septima ratio. habeat? Septima ratio ex iis viris ducitur,qui Chriſtianā colunt,& coluere religionem,in iis enim viris credendū eſt eſſe verā religionē, qui & doctiſsimi ſunt,vt fidei veritatem exploraſſe, & ſanctiſsimi, vt à Deo Sanctorum amatore, illuſtrati eſſe vi- C deantur. Iam verò quis infinitos propemodum viros numerando queat recenſere,qui & doctrina toto orbe celebres,& ſanctimonia illuſtres,Chriſtia-
Chriſtiana religio virorum eſt & doctiſsimorū & ſanctiſsimorum. nam fidē, religionemq; ad mortē vſque coluerūt, hanc ſolam veram,hanc diuinam,hanc cunctis hominibus neceſſariā,reliquas ſectas,falſas, pernicioſas,mortiferaſque tota animi aſſeueratione cenſuerūt? Quàm acre fuerit Auguſtini,Hieronymi, Gregorij,Ambroſij,Baſilij,Chryſoſtomi, Nazianzeni, Thomæ Aquinatis,Bonauenturę iudicium, quàm magnum ingenij acumē,quàm eximia vitæ ſanctimonia,ſi latet Hebręos,eorum ſcripta legant, quæ & autorum ſanctitatem redolent, & iudicio, inge D nioq; plena ſunt. legant aliorū quoque Patrum libros,quos numerare longum eſſet,in eorum vitam diligenter inquirant,ex libris ſummam doctrinam, ex vita ſummam probitatem agnoſcent. hi omnes viri, aliiq; innumerabiles illis ſimiles, haud dubiè ſapientiſsimi,& probitate conſpicui, Chriſtianę fidei,noſtroq; Meſsię,& vita & libris,teſtimoniū perhibuerunt. Digni ſanè ſunt,quibus fides habeatur, quippè qui & intellectus acumine polleant,quo vera à falſis diſcernant,& ſingulari virtute præſtent, quę Dei lumine illos eſſe colluſtratos prędicēt. Ad prouidentiam enim Dei pertinet,eos viros, qui caſte, integreq; viuunt, fidei veritatem edocere, & à falſa religione,ne pereant,liberare. Quis ergo,qui E rationis ductum ſequi velit,dicat Auguſt. Hierony. Chryſoſtomū,totque viros vita integerrimos, doctrina ſapiētiſsimos, diſcēdæ veritatis auidiſsimos, à Deo non eſſe edoctos, ſed in Meſsiæ cognitione erraſſe,& periiſſe? Deus-ne cœleſtes planè viros errare patietur? Ecquis rationis ſectator hoc credat?

Circumſpicite, quæſo, Hebræi, vniuerſum terrarum orbem,quot in eo ſint,fuerintque religioſę familiæ,tam virginū, quam virorum,qui rebus omnibus caducis remittentes nuntium, obedientiæ iugo colla ſubiecere,à ſanctiſsimis viris Baſilio,Benedicto,Brunone,Bernardo,Dominico,Franciſco, Ignatio inſtitutę, conſiderate, quanta in eis fuerit, ſitque hodie ſanctimoniæ laus, quantum caſtitatis

quarumq; virtutum decus expendite; Anachoretarum multitudinem', qui ab hominū commercio recedentes,in abditas ſe ſolitudines receperunt, ijs adiūgite. Ecquis hominum, ſenſus communis non expers, tantam vitæ ſanctimoniam cum errore veri Meſsiæ eſſe poſſe coniunctam ſibi perſuadeat? Meſsias igitur eſt Ieſus. Omnis enim hæc ſanctimonia (cuius ne veſtigium quidem inter vos oſtendere poteſtis) Ieſum verum eſſe Meſsiam clamat,verum Dei filium,& verum eſſe Deū veriſsime profitetur, & vt Paulus ait: *In medio nationis praue, atq; peruerſæ, ſicut* Ad Phil.2. *luminaria in mūdo,verbū vitæ continēs,* fidei lumine à Meſsia accepto lucet. Quemadmodum enim Meſsias verus Deus Solem & reliqua ſidera luce olim incēdit, ita animos Chriſtianos veluti noua orbis aſtra,fidei ſplendore nunc inflammat,quo circumfuſi ea cernunt,quę vos in craſsiſsimis vt olim Ægypti tenebris iacentes,& vt talpæ oculis capti,in terra vobis cubilia fodientes,videre non vultis.

Octauam rationem ſuppeditat Chriſtianæ reli- 8. Ratio.
gionis de hoſtibus victoria, admirabilis conſeruatio,ac propagatio. Etenim inter gladios, flammas, equuleos, immaneſque cruciatus, mirum in modum creuit,ipſoſque Romanos Imperatores, à quibus cruciabatur,abſque vllis armis,diuina ſibi virtute ſubiecit. Eccleſia (ait D. Hieronymus in vita D. Hieron.
Malchi) perſecutionibus creuit, martyriis coronata eſt. & Chryſoſtomus in oratione contra gentiD. Chryſoſt.
les: Piſcatorum, inquit,inſtituta in ſingulos dies magis florent,& quidē non per apertam quādam, vt ſic dixeris,planiciem,non per quietē, ſed per afflictionem,per bella,per pugnas,ad noſtrā vſque ętatem perducta ſunt. & in oratione ſecunda contra
Eccleſiā perſecutiones nō poſſunt extingnere. Iudęos: Quot bella aduerſus Eccleſiam concitata ſūt? quot exercitus inſtructi? quot arma mota, quod afflictionum,& vindictę genus non excogitatū, ſartagines,catapulta,lebetes,fornaces, lacus, & præcipitia,beſtiarū dentes,maria, & præſcriptiones,aliaque innumera tormentorum genera, neque dictis memoranda,nec factis tolleranda, nihil tamen horum diſſoluit Eccleſiam,&c. Tertullianus item, in Tertullian.
libro ad Scapulam ca.5. Nō deficiet hęc ſecta chriſtianorum,quam tunc magis ædificari ſcias,cum cędi videtur. & in fine Apologetici: Plures efficimur, quoties metimur,ſemen eſt ſanguis Chriſtianorum, &c. Leo quoque magnus in ſer. 1. de Apoſtolis Pe- D. Leo.
tro & Paulo: Nullo,inquit,crudelitatis genere deſtrui poteſt,Sacramento crucis Chriſti,fundata religio. Non minuitur perſecutionibus Eccleſia, ſed augetur, & ſemper dominicus ager ſegete ditiore veſtitur,dum grana,quæ ſingula cadunt,multiplicata naſcuntur, &c.

Quemadmodum abiectione & morte ſemen creſcit,iuxta illud Chriſti: *Si granum frumenti mortuum* Ioan.12.
fuerit, multum fructum affert; ſic perſecutionibus, & martyrijs, Eccleſia creuit, in nihilum tyrannorū redactis conatibus, quorum veluti immanium belluarum fremitus præuidit regius Vates, inaneſque fore prædixit: *Quare*, inquit, *fremuerunt gentes, & po-* Pſalm.2.
puli meditati ſunt inania? aſtiterunt reges terræ, & principes conuenerunt in vnum,aduerſus Dominum, & aduerſus Chriſtum eius. Quemadmodum leones Danielem deuo- Dan 14.
rare,ſic Iudæi, ac tyranni Eccleſiam Chriſti abolere,Deo prohibente nequiuerunt: omnes eorum conatus fruſtrati, cruciatus irriti, fremitus vani, meditationes inanes fuere: *Meditati*, inquit, *ſunt* Apoc. 13. &
inania. Ioannes belluas duas immanes cernit, in 14.
Eccleſiam; Chriſtumque irruentes,capite nihilominus ſequenti, Chriſtum videt agno ſimilem ſuper montem Sion ſtantem. Quantumuis enim Eccleſiam furentes belluæ,ſiue Iudæi, ſiue ethnici,ſiue

Mahometani impetant, semper ille super montem Sion, hoc est, Ecclesiam, stabit, & regnabit in sempiternum. Quocirca eodem Psal. post gentium fremitus, inanesque populorum meditationes, sequitur:

Psal. 2. *Ego autem constitutus sum Rex ab eo super Sion*, id est, Ecclesiam, montem sanctum eius. Fremant immanes belluæ, rugiant leones, meditentur inania populi, astent reges terræ, & principes conueniant in vnũ aduersus Dominum & aduersus Christum, id est, Messiam eius, nihil efficere poterunt. Ego Ecclesiã vt Rex tuebor, Christianæque Reipublicę perpetuò clauum tenebo.

Diuinum sane est hoc opus, diuinæ dexteræ est hęc Ecclesię, inter tot tempestates veluti arcæ Noë, conseruatio, & in cœlũ nauigatio. Quod sanè præclarum illud dictum prędari viri Gamalielis pro-

Actor. 5. bat; *Si est*, inquit, *ex hominibus consilium hoc, aut opus, dissoluetur; si vero ex Deo, non poteritis dissoluere.* Non potuere tot tyrannorum tormenta, tot Christianorum strages, tot hominum, tot cacodæmonum conatus, fidẽ Christi dissoluere, non est ergo ex hominibus consilium hoc, vt ait Gamaliel, sed omnipotentis dexteræ opus admirabile.

Psalm. 128. *Sæpe expugnauerunt me*, ait Ecclesia, *à iuuentute mea, etenim non potuerunt mihi*, quia videlicet diuino protegor auxilio. Oppugnauerunt hostes ciuitatẽ Dei, vbi primum cœpit Hierosolymis exędificari, à fundamentis, à iuuentute, ab initio Ecclesiam sunt persecuti, sed quod maximè optabant, non sunt consecuti. Qua de re præclarè Chrysost. in oratione contra gentiles: Euangelica prædicatio (ait) non cùm iam vbique tradita, ac solidè stabilita esset, aduersas bellatorum manus sustinuit, sed vix dum in auditorum animis infixa atque insita, iam inde ab initio, coacta est depugnare contra vniuersum terrarum orbem, contra principatus, contra potestates, cõtra mundi dominos, atque rectores tenebrarum seculi huius, contra spirituales versutias: fidei enim scintilla nondum benè accensa, fluuij atque abyssi vndiquaque influebant. Vos autem nequaquam latet, non perinde esse plantam eam reuellere, quę multis iam annis radices altè egerit, vt eam, quam nuper seueris. Hæc ille. & in oratione secunda contra Iudæos: Si irruissent, inquit, hęc acerba, posteaquã iam radices egerat, & per omnes mundi partes plantatum erat Euangelium, non perinde fuisset admirãdum, non fuisse subuersam Ecclesiam: cæterũ cùm in ipso doctrinæ exordio, nuper iacto fidei semine, teneris etiam num auditorum mentibus, tot procellæ bellorum eruperint, res nostras non solùm nulla ex parte fuisse diminutas, verùm etiam multã accessionem adiunctam fuisse, hoc nimirũ superat omne miraculum, &c.

Ecclesia cum primum cœpit exędificari, cœpit oppugnari.

D. Chrysost. Quocirca in Psal. citato dicitur: *etenim non potuerũt mihi*, id est, oppugnarunt me hostes, sed præualere portæ inferi non potuerunt. Idem Chrys. cõtra Gentiles: In Christianæ (ait) pietatis scintillam aduersariorum mare inundabat, ea verò scintilla ciusmodi inundatione non solùm non restinguebatur, sed & maior & illustrior, inde cum exurgeret quoquouersum statim omnia suo flatu comprehendebat, aduersariorum partes facilè perdens, atque

D. Augusti. consumens, &c. Exercuerunt me (ait Augustinus eodem Psalm.) non oppresserunt, valuerunt mihi sicut ignis ad aurum, non sicut ignis ad fœnum; ignis enim accedens ad aurum, sordem tollit, accedẽs ad fœnum in cinerem vertit, &c. Non perit, sed rutilat igne expurgatum aurum; at hæc eius est natura, vt igne nõ absumatur, quin potius splendescat magis; non periit, sed rutilauit tormentorum flammis probata Ecclesia: at hęc hominũ, quibus Ecclesia constat, natura est, vt flammis cedant, tormẽtis vincantur, vitam opesque maximè cõseruatas velint. Vnde ergo habet Ecclesia, vt in medijs flammis veluti aurum non pereat, sed rutilet, opes, voluptatesque spernat, nullis cruciatibus à fide Christi diuelli possit? non est hęc illius natura, sed diuina gratia, diuina potentia, quæ Christianæ fidei atq; charitati tam mirabile robur pręstitit, vt nulla tormentorum immanitate terreatur. Vt enim ait magnus Leo in ser. 2. de Ascensione. Christianam fidem non vincula, non carceres, non exilia, non fames, non ignis, non laniatus ferarum, nec exquisita persequẽtium crudelitatibus supplicia terruerunt. Pro hac fide per vniuersum mundum non solùm viri, sed etiam fœminæ, nec tantùm impubes pueri, sed etiam tenerę virgines, vsque ad effusionem sanguinis decertarunt, &c. *D. Leo.*

Decertarunt, inquam, non suis, sed Dei viribus, victoriamque de hostibus reportarunt. Agnoscite ergo quicunque à Christi fide alieni estis, diuinam in fide Christi tuenda ac propaganda potentiam, eamque fidem, quam Deus tuetur & propagat, verissimam, & ab omnibus hominibus amplectẽdam esse intelligite.

Nona ratio. Nona ratio ex Christianæ Theologiæ maiestate petitur, quæ profectò si animo perturbationibus vacuo, & veritatis amante expendatur, non poterit verissima sapientia non videri. Etenim si vera sapientia ea est, quæ de Deo, diuinisq; rebus verè alteq; sapit, & eloquitur, nulla sanè in toto terrarum Orbe secta, nulla Schola fuit, aut esse potest, quæ vel de diuinitate altius, quàm Christiana, vel de creatis rebus verius, vel de moribus sanctius sapiat, acutius differat, præclarius eloquatur. Nam de Dei natura, personis, bonitate, sapientia, potentia, æternitate, gloria, quid sublimius? de iustitia, quid iustius? de misericordia, quid misericordius? de amore erga homines vsque ad incarnationem, & mortem quid dulcius? de Angelis, quid rationi congruẽtius? de animorum immortalitate, quid aptius? de Sacramentis, quid sanctius? de peccatorum supplicijs, & expiatione, quid verius? de virtutum operibus, ac præmijs: quid credibilius ea doctrina, quam Christiana Theologia tradit, excogitari potest? Confer, quæso (vt ethnicorum deliramenta relinquamus) Christianam Theologiam cum Mahometanorum fabulis, vel cum Iudæorum Thalmude, egregiam sapientiam cum dormientium somnijs vel vetularum nugis, tibi conferre videberis. Possem hoc loco ex Mahometanorum Alchorano, & Iudæorum Thalmude fabulas ineptiasque pene aniles recẽsere. Sed quid opus est in his deliramentis immorari? ad decimam rationem transeamus, & ad Euangelij enarrationem properemus.

CAPVT XXV.

De vaticiniis Sibyllarum.

DECIMA ratio ex vaticinijs sumitur Sibyllarũ, quas non est dubium multa de Christo Opt. Max. prædixisse. Etenim Messiæ aduentũ non solũ à prophetis apud Iudæos, verùm etiã à Sibyllis fœminis virginitate florentibus apud Ethnicos, Deus voluit nunciari. Vnde Magnus Constantinus in oratione ad sanctorum cœtum: Sibyllam, inquit, ego beatam puto, quam seruator vatem ad diuinandũ de sua in nos prouidentia delegit, &c. Sibyllæ Paulus Apostolus apud Clementem Alexandrinum lib. 6. Stromatum, Hystaspem adiungit, qui apertè de Christo scripserit. Libros (ait) græcos sumite, agnos-

Constantin. Magnus.

agnoſcite Sibyllam,quomodo vnum Deum ſignificet,& ea,quæ ſunt futura,& Hyſtaſpem ſumite & legite,& inuenietis Dei filium multo clarius, & apertius eſſe ſcriptum , & quem admodum aduerſus Chriſtum multi reges inſtruent aciem , qui eũ habent odio,& eos,qui nomen eius geſtant, & eius fideles,& eius tolerantiam,& aduentum. Hæc apud Clementem Paulus.

Hyſtaſpes & Sybilla de Chriſto vaticinia edidere ethnicis, Prophetæ Iudæis.

Libros Sibyllæ , & Hyſtaſpis legere ſuadet Paulus , at Ethnici ſimulachrorum cultores ab eorum lectione homines Dæmonis opera olim deterruerunt,ne falſo idolorum cultu repudiato,ad verum Dei cultum conuerterentur. Id quod docet D. Iuſtinus martyr in ſecunda Apologia pro Chriſtianis ad Antonium Imperatorem, his verbis: Opera malorum geniorum mors conſtituta & definita eſt in eos,qui Hyſtaſpis,vel Sibyllæ,vel prophetarum vatumq; libros legunt,vt metu homines , qui legunt, abducant ab eo, ne bonarum rerum cogitationem accipiant, ſibi autem ſeruos eos detineant. Quod quidem tandem perficere minimè potuerunt.Non ſolùm enim ſine metu eos legimus,ſed vobis quoque vt videtis conſiderandos afferimus , quod exploratum habeamus fore, vt ea, quæ omnibus grata ſunt,appareant,&c.Nicephor.quoque lib. 8. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ cap.29.à Græcis docet diuinas res eſſe prædictas.Et Græci,inquit,diuinarum rerũ quædam prænuntiarunt,item : Erat poteſtatis diuinæ , vt equidem iudico, ad futurarum rerum certiorem conſenſum,non ſolùm per peculiares miniſtros futura prædicere, verũ ſenſum quoque aduenis,& alienis,ad id vti.Perinde atque muſicus quiſpiam gratum,& iucundum decantans carmen,ſuperuacaneas quoque percurrit plectro chordas,aut ornatus gratia,ſupra eas,quę ex vſu ſunt,alias etiam adiicit , &c.

Hyſtaſpis & Sybillæ de Chriſto vaticinia. *D Iuſtinus Martyr.* *Nicephorus.*

Habuerunt ergo Iudęi ſuos prophetas,nec defuerũt Ethnicis ſuę Sibyllæ,quæ diuino afflatæ numine Meſſiæ aduentum,paſſionem,regnumque prædicarent,quod profectò Chriſtianæ religionis argumẽtum eſt maximum.Quamobrem operæ pretiũ erit, earum nõnulla vaticinia,à grauiſſimis petita ſcriptoribus,hoc loco conſcribere.

De feliciſſima Chriſti ætate vaticinatum Sibyllã liquet ex illo carmine principis poëtarum:

Vltima Cumæi venit iam carminis ætas.

Deſcripſerat enim Cumæa Sibylla feliciſſimam Chriſti ætatem,omnibus bonis ſpiritualibus redundantem. Eam ob cauſam Magnus Conſtantinus Imperator,in oratione habita ad cœtum Sanctorũ, Virgilij verſus de Chriſto intellexit:Tiberij(inquit) temporibus Saluatoris aduentus mundo eluxit, & ſanctiſſimæ religionis myſterium vigere cœpit , & noua ſecuta eſt populi propagatio , de qua arbitror præſtantiſſimum Italię poëtam ita ceciniſſe:

Conſtantinus Magnus.

Iam noua progenies cœlo demittitur alto, &c.

Reliqua item carmina de Chriſti aduentu exponit.Imò putat optimus imperator,Maronem poëtã Chriſti aduentum cognouiſſe , videlicet ex Sibyllinis verſibus.Vidit credo poëta (ait Conſtantinus) beatum & eximium aduentus ſaluatoris myſteriũ. Diuus etiam Auguſt.lib.10.de Ciuit. Dei cap.27.carmina illa eiuſdem Virgilij:

Te duce,ſi qua manent ſceleris veſtigia noſtri
Irrita, perpetua ſoluent formidine terras.

De Chriſti tempore Sibyllæ vaticinium. D. Auguſt.

Chriſto aſſignat,& Sibyllæ dictũ cenſet continere.De Chriſto,inquit,etiã poëta nobiliſsimus, poëticè quidem , quia in alterius adumbrata perſona, veraciter tamen,ſi ad Chriſtum referas,dixit:

Te duce,ſi qua manent ſceleris veſtigia noſtri
Irrita,perpetua ſoluent formidine terras.

Hoc non à ſeipſo dixiſſe in illo verſu indicat:

A *Vltima Cumæi venit iam carminis ætas.*

Vnde hoc à Cumæa Sybilla dictum eſſe , incunctanter apparet. Hæc Auguſt.

Nomen Chriſti Sybilla acroſtichide,id eſt, multorum verſuum literis initialibus prędixit.Si primas literas ſumas,hæc verba efficies. Ἰησοῦς χριστὸς θεοῦ υἱὸς σωτήρ,hoc eſt,Ieſus Chriſtus Dei filius ſeruator. Carmina de iudicio conſcripta ſunt,extantq; apud Auguſtinum 18.lib.de Ciuit.Dei cap. 23. & in oratione aduerſus Iudæos,& Paganos,tomo quoq; 2. bibliothecę Patrum lib.8.oraculorũ Sibyllinorũ , in oratione item Magni Conſtantini Auguſti iam citata, in qua cęteris nominibus additur etiam Crux. Idẽ Conſtantinus Magnus in oratione citata, putat hãc B acroſtichidem a Cicerone latinitate eſſe donatam. Perſpicuum,inquit,eſt,Ciceronem hoc poëma cum forte legiſſet,in latinũ conuertiſſe ſermonem,ſuiſque ſcriptis attexuiſſe,& apud Tulliũ nullibi extant hæc carmina.lib.tamen 2. de Diuinatione de acroſtichide Sibyllæ ſic ſcribit : Non eſſe, inquit,illud carmen furentis,cum ipſum poëma declarat, tũ ea, quæ ἀκροστιχὶς,dicitur, cũ deinceps ex primis verſus literis,aliquid connectitur,id certè magis eſt attenti animi,quam furentis.Hæc ille.

De Chriſti nomine. *Cicero.*

Iſa.c.11.Chriſtum florem appellauit è radice Ieſſe, conſentit Sibylla, cuius teſte Lactantio Firmiano lib. 4. de vera ſapientia , de Chriſto hæc ſunt verba:

C ἀνθήσει δ' ἄνθος καλαρὸν. *Lactantius.*

Id eſt , florebit flos purus. Dicitur flos à Sibylla Chriſtus,dicitur quoque

πάντα λόγῳ τεύξων, πασάν τε νόσον θεραπεύων.

Hoc eſt,omnia verba faciens, cunctiſque morbis ſanitatem afferens.

De excitatis à Chriſto mortuis, & alijs miraculis , ſic illa : *Chriſtus ſies omnia verbo faciens: omnes morbos pellens De miraculis Chriſti.*

νεκρῶν ἀνάστασις ἔσται,
κωφῶν ἀκοαὶ βρόμῳ ἐς' ὠκύς, ☾ καφὸς ἀκούσει,
καὶ τυφλοὶ βλέψουσι, λαλήσουσ σ' ὁ λαλέοντες.

Hoc eſt, mortuorum reſurrectio erit,& claudorũ curſus velox,ſurdus audiet,cæci videbunt,muti loquentur. Rurſus de miraculis :

D κύματα πεζεύσει, νόσον ἀνθρώπων ἀπολύσει.
ζείσει τεθνηκῶτας, ἐπώσεται ἄλγεα πολλοῖς
ἐκδὲ μιᾶς πηγῆς ἄρτε, κόρ☾ ἔσσεται ἀνδρῶν,

Fluctus perambulabit , morbos hominũ ſoluet; excitabit mortuos, dolores pellet à multis. Ex vno autem fonte panis,ſatietas erit virorum.His vltimis verbis de auguſtiſſimo Euchariſtię Sacramento veriſimile eſt vaticinari Sibyllam, quod fons eſt cęleſtis panis vniuerſam ſatians Eccleſiam,niſi velis de miraculo agi quo quinque hominũ millia quaſi ex quodam panis fonte,in manibus Chriſti & Apoſtolorum ſcaturiẽte,ſaturata ſunt.Id clarius his verſibus complexa eſt: *Fons panis, in manibus Chriſti.*

ἐν ἄρτοις ἄμαμίντε. ☾ ἐχθύεσσι δοιοῖσιν
ἀνδρῶν χιλιάδας σὺν ἐρήμῳ πίντε κορέσσει.
καὶ τὰ περισσεύοντα λαβὰν, μῦ κλάσματα πάντα,
δωδέκα πληρώσει κοφίνους, ἑὸς ἐλπίδα πολλῶν.

Hoc eſt: In panibus ſimul quinq; & piſcibus duobus,hominum millia quinque in deſerto ſaturabit, quæq; ſuperfuerint accipiẽs,poſt fragmenta omnia duodecim cophinos implebit,in ſpem multorum.

Chriſti verò paſſionem admirabiliter prędixit. De alapis & ſputis hæc : *De alapis Chriſti & ſputis.*

εἰς ἄνομους χέρας, καὶ ἀπίστων ὕστερον ἥξει.
δώσουσι δ' θεῷ ῥαπίσματα, χερσὶν ἄνομοις.
καὶ κόμασιν μιαροῖσι, τὰ πλύσματα φαρμακόεντα.

Hoc eſt: In manus iniquas & perfidorum veniet, dabunt Deo alapas manibus impuris,& ore immũdo ſputa virulenta. De admirando ſilentio. *De ſilentio mirando.*

καὶ κολαφιζόμεν☾ σιγήσει, μήτις ἐπιγνῶ,
τὸν λόγ☾, ἢ πόθεν ἦλθεν, ἵνα φθιμένοισι λαλήσῃ.

Colaphis affectus tacebit, ne quis agnoscat, quod verbum, & vnde venit, vt mortuis loquatur.

De flagellis Christi.

De flagellis:

δώσει δ' εἰς μάστιγας ἁπλῶς ἀγνὸν τότε νῶτον.

Dabit in flagella simpliciter castos humeros.

De corona spinea, felle, & aceto.

De Corona spinea:

καὶ στέφανον φορέσει τὸν ἀκανθινόν.

Et Coronam feret spineam.

Item Synagogam increpans, quod Deum suum non agnouerit.

αὐτὴ γὰρ σὺ ἄφρων τὸν σὸν θεὸν οὐκ ἐνόησας.
παίζουσ' ἀθανάτοισι νοήμασιν, ἀλλὰ κ' ἀκάνθαις
ἔπλεξας στεφάνῳ, φοβερὴν τε χολὴν ἐπέρασας.

Ipsa tu insipiens Deum tuum non cognouisti, ludentē in mortalibus cogitationibus, sed spinis coronasti Corona, horribileque fel miscuisti.

De felle item & aceto:

ἧς δὲ τὸ βρῶμα χολὴν, κ' εἰς δίψαν ὄξος ἔδωκαν,
τῇ ἀφιλοξενίᾳ ταύτην δείξαντι τραπέζαν.

In cibum fel, & in sitim acetum dabunt, inhospitalitatis hanc ostendent mensam.

Quod autem dixit Isaias, *vidimus eum, & non erat aspectus, nouissimum virorum, virum dolorū*, &c. Sibylla hoc carmine complectitur:

οἰκτρὸς, ἄτιμος, ἄμορφος, οὐ οἰκτροῖς ἐλπίδα δώσει

Miserandus, sine honore, sine forma, in miserabilibus spem dabit.

De Solis Eclipsi, & velisciſsione.

De solis miranda defectione, & veli, quod templo erat oppansum, scissione.

ναὸς δὲ σχισθήσεται πέπλωμα, τὸ μέσσῳ
νυξὶ ἔσαι σκοτόεσσα, πέλωρ δ' οὐ τρισὶν ὥραις.

Templi scindetur velum, & medio die nox erit tenebrosa, ingens tribus horis.

De resurrectione.

De Resurrectione die tertia:

τὸ θανατῶ μοῖραν τελέσει τρίτον ἦμαρ ὑπνώσας.
τὸ τοῖ' ἀποφθιμένων ἀνακύψας εἰς φάος ἥξει.
πρῶτος ἀναστάσεως κλητοῖς ἀρχὴν ὑποδείξας.

Et mortis sortem finiet, tribus diebus dormiens, & tunc à mortuis excitatus in lucē veniet; primus resurrectionis vocatis principium ostendens.

De abrogatione legis Mosaicæ.

De abrogatione Mosaicæ legis:

ἀλλ' ὅτε ταῦτ' ἄπαντα τελεσθῇ ἅπερ ἔπος,
εἰς αὐτὸν πᾶς λύσεται νόμος.

Sed quando hæc omnia perfecta erunt, quæ dixi in ipsum, scilicet Christum, soluetur lex tota.

Lactantius.

Hæc omnia Græca carmina, quibus vt vides Christi Passio, Resurrectio, & miracula, mirabiliter prædicta continentur, antiquissimus, & locupletissimus testis Lactantius Firmianus, Sibyllę esse testatur, & veluti sagittas aduersus Ethnicorum incredulitatem iaculatur, libro quarto de vera sapiētia, non facturus nisi auctoritatis haberent pondus, veritatisque momentum. Diuus item Augustinus

D. Augusti.

ijsdem Sibyllinis versibus, veluti è torrente sumptis lapidibus, frontem percutit Goliæ, in Oratione contra Iudæos, Paganos, & Arianos. Alios, inquit, versus Sibyllinos Christi passionem apertius demonstrantes, intentissimè audiamus:

In manus iniquas infidelium postea veniet.
Dabunt Deo alapas manibus incestis.
Et oribus immundis expuent saliuas venenosas.
Dabit autem in verbera, omnino innocens dorsum.
Et colaphos accipiens, tacebit, ne quis agnoscat,
Quod verbum, & vnde venit, vt mortuis loquatur.
Et Coronam spineam portabit.
In cibum autem fel, & ad sitim acetum dabunt.
Inhospitalitatis hanc monstrabunt mensam.
Ipsa enim stulta Deum tuum non cognouisti.
Ludentem mortalibus mentibus, & spinis
Coronasti Corona, horridumq; fel miscuisti.
Templi vero velum scindetur: & die
Medio nox tenebrosa nimis tribus horis.
Et mortis fatum finiet, trium dierum somno suscepto.
Et tunc à mortuis regressus in lucem veniet.
Primus resurrectionis initium reuocatus ostendet.

Hæc omnia citat Augustinus in illa Oratione, & in libro decimo octauo de Ciuitate Dei, cap. 23.

Extat quoque apud Sozomenum libro secundo Ecclesiasticæ historiæ capite primo, & apud Nicephorum lib. 8. cap. 9. de Cruce præclarum hoc carmen,

Decretum Christi.

ὦ ξύλον μακάριστον ἐφ' ᾧ θεὸς ἐξετανύσθη.

O lignum beatum, in quo Deus extensus est.

Quantum verò auctoritatis habeat, ostendit idē autor ijs verbis. Apud Græcos confessa res est, hoc esse Sibyllæ carmen: quare & lignum crucis, & eius veneratio à Sibylla pręsignificata est. Hæc ille.

Constantini Magni.

Magnus præterea Constantinus in oratione iam indicata, Sibyllæ Erythrææ verba recitat, quæ desiderium quo flagrabat aduentus Christi patefaciunt: Erythræa (ait Constantinus) etiam cum Deo sic loquitur: Quid mihi Domine diuinandi necessitatem imponis, ac non potiùs è terra in sublime sublatam, ad diem vsque Sanctissimi aduentus tui reseruas?

EPILOGVS.

D. Augusti. tract. 55. in Ioan.

SED iam huius lib. 3. finis sit. Faxit Deus, vt intelligant Hebræi, quis legis, quàm mordicus tenent, finis sit, videlicet Christus Optimus Maximus, finis sine fine: finis, vt Augustinus ait, perficiens, non interficiens, finis quousque eamus, non vbi pereamus. Finis hominis mors est, sed finis interficiens. finis est Dei conspectus, sed finis perficiens: nō est Christus finis interficiens, vt mors, sed perficiens, vt æterna felicitas, quippe qui suo nos beet conspectu. Vę miseris Hebræis, qui finem reiiciunt perficientem, vt finem inueniant interficiētem. Grauida Christo lex erat (ait August. serm. 1. de Ioanne Baptista) iam lætissimus, optatissimusq; partus, legis cortice, & litera, veluti vtero olim inclusus, in lucem editus est, & *vidimus* nos Christiani *gloriam eius gloriam quasi vnigeniti à patre, plenum gratiæ & veritatis.* Sed tantæ gloriæ *lux in tenebris* cęcorum Hebræorum *lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt. Tanquā sponsus* Messias iam *processit de thalamo suo*, vt dicitur Psal. *exultans veluti gigas, viam cucurrit, à summo cœlo egressio eius & occursus eius vsque ad summū eius, nō est, qui se abscōdat à calore eius.* Sed heu infelix Synagoga, tempore feruentissimo friget, alget, tremit.

Christus finis legis, non interficiens, sed perficiēs.

Lex Christo grauida. D. Augusti.

Ioan. 1.

Psalm. 18.

Iam hyems transiit, vt cecinit Salomon, *imber abiit, & recessit, flores apparuerunt in terra nostra, tempus putationis aduenit, vox turturis audita est in terra nostra, ficus protulit grossos suos, vineæ florentes dederunt odorem suum.* Transiit hyems, Synagoga transiisse ignorat; imber apud illam peccati maximus, tempestas perfrigida, flores virtutum omnium apparuerunt in terra nostra, hoc est Ecclesia, in Synagoga flores exaruerunt, tēpus putationis aduenit, hoc est, putandi legis veteris mandata: quemadmodum enim in vinea nonnulli amputantur palmites, alij fructum allaturi relinquuntur, sic in lege veteri reliqua omnia amputata sunt prępcepta, decalogus relictus vim suam in noua habet, non tamen quòd veteris legis iam abrogatę sit, sed quod ad naturalem legem, nouamque spectat. Synagoga putationis hoc tempus horret, putatam esse legem non putat, ideoque perit: quemadmodum enim non putatis vitibus perit vinea, sic non putata lege perit Synagoga. Vox turturis castissimę, hoc est, castissimæ virginitatis, audi-

Cant. 2.

ta est

ta eſt in terra Eccleſię: Synagogę aures nondum penetrauit, ficus protulit groſſos ſuos, & vineæ florentes dederunt odorem ſuum, id eſt, Eccleſiæ toto Orbe diffuſę indicē ſpiritalis veris, & ęſtatis fructū produxere, odoremque fidei, & charitatis, Synagogæ afflauere. At illa non trahitur hoc odore, nō ſurgit, non properat ad Chriſtum. In lucem clariſſimā editum pulcherrimum legis partum domo pellit, quem in modum olim pulcherrimū infantem Moſem, in carecto fluminis Nili, mater expoſuit.

Synagoga inops Chriſtum repulit: Eccleſia opulētiſſima vt luti Moſem Pharaonis filia excepit. D. Auguſt.

Verumtamen bene ſe habet res, pauperrima mater Moſem expoſuit, opulentiſſima Ægyptij regis filia expoſitū excepit, ſimili modo pauperrima Synagoga Chriſtū repulit, diuinis, humaniſque opibus locupletiſsima Eccleſia amplexa eſt, quod Auguſtinus dixit ſer. 86. de tempore, his verbis: Moſes à matre ſua proiicitur, & à Pharaonis filia inuenitur, atque colligitur, & Chriſtus Dominus à Synagoga, de qua natus eſt, repudiatur, & ab Eccleſia inuenitur atque ſuſcipitur. Vnus popellus Chriſtum repudiauit, ſed totus orbis cǫplexus eſt, Hebræorum gēs vna reiecit, mundi gentes omnes receperūt, inopes Iudæi repulerunt, mūdi nationes opulētiſſimę adorant, fęces Iſraël reſpuerūt, orbis principes, regeſq; colunt. Hoc eſt, quod dicit Iſai: *Parū eſt vt ſis mihi ſeruus ad ſuſcitandas tribus Iacob, & fæces Iſraël conuertendas dedi te in lucem gentium, vt ſis ſalus mea vſque ad extremū terræ.*

Iſai. 49.

Eccleſia in domū Synagoga Chriſtū cupit introducere Cant. 3.

Suſcepit Eccleſia Chriſtum, ſed Synagogæ licet ingratæ non obliuiſcitur, id cupit, & conatur, vt à Synagoga quoque ſuſcipiatur. *Inueni quem diligit anima mea* (ait Eccleſia) *tenui eum, nec dimittam, donec introducam illum in domum matris meæ, & in cubiculum genitricis meæ.* Tenuit, tenet, tenebitq; perpetuò Chriſtum, nec vnquam dimittet, eadem verò charitate, qua illum tenet, vrgetur vt Synagogam quoque matrem ſuam tanti boni faciat participem: *Non dimittam*, inquit, *donec introducam illum in domum matris meæ*, id eſt, Synagogę, à Synagoga enim, id eſt, à Iudęis, ortā eſſe Eccleſiā nemo ignorat. In hāc ſententiā hæc Cāticorum verba exponit D. Greg. Mater, inquit, Eccleſiæ Synagoga extitit, quia ex ipſa ſanctos prædicatores habuit, à quibus verbū veritatis ſuſcepit, per quod in fide regenerata fuit. In domū matris dilectū Eccleſia introducet, quādo in fine mūdi per prędicationē, in plebē Iudaicā Chriſtiana Sacramēta immittet. In cubiculū autē quaſi in ſecretiorem partē domus eū introducet, quia ex eadē plebe ita plurimos conuertet, vt omnes mundi ſarcinas abiiciant, & in intimis cogitationibus ſoli Deo placere cōcupiſcant. Hæc Gregorius.

D. Gregor. Magnus.

Hoc ergo in optatis Eccleſia habet, hoc cupimus quicunque Chriſto nomē dedimus; vt Meſſiā ſuum Hebræi agnoſcant ac recipiāt. Miſeret nos populi Hebręi, qui eò magis eſt miſerādus, quo ſuæ miſerię cauſam minus intelligit; eo magis eſt deplorandus, quo impendentē ſibi æternū cruciatū minus præuidet, eo voce maiore vocādus, quo magis ad eum, quā ad Ethnicos, Meſſias à Deo miſſus pertinet. Miſeret nos populi olim Deo dilecti, milleq; ab eo beneficiis affecti, à quo Meſſias ipſe verus Dei filius, ſecundū carnē ortus eſt. Id quod Paulus in memoriam reuocans anathema pro illo eſſe deſiderabat; *Optabam* (ait Paulus) *ego ipſe anathema eſſe à Chriſto, pro fratribus meis; qui ſunt cognati mei ſecundum carnem, qui ſunt Iſraëlitæ, quorū adoptio eſt filiorū, & gloria, & teſtamentum, & legiſlatio, & obſequiū, & promiſſa, quorū Patres, ex quibus eſt Chriſtus ſecundū carnē, qui eſt ſuper omnia Deus benedictus in ſecula*, &c. Miſeret nos veſtri ô Hebręi, ideoq; quibus poſſumus vocibus, & ſcriptis vos iuuamus, & in vaſto pelago naufragis quaſdam veluti tabulas proiicimus, quas ſi capiatis, in litus fidei tranquillum Deo ducente perueniatis.

Miſeret nos Hebræi populi.

Ad Rom. 9.

O viri Hebræi, eſtote, quęſo, veri, ſpiritaleſq; Hebręi, tranſitū ſonat nomen, tranſite à lege veteri in nouā, à litera ad ſpiritū, ab incredulitate ad fidem. Hęc Abrahami fides fuit, hęc Iacob, hæc antiquorū Patrū, & Iudæorū, qui veri, quē nos colimus, Meſſiæ olim ſuſpirabāt aduētum: *Attendite* (ait Iſaias) *ad Abrahām Patrem veſtrum, & ad Sarā, quæ peperit vos*, qui videlicet abſq; lege Moſis, ſalutē per Chriſtū ſunt cōſecuti. Ne attēdite ad incredulos parētes, qui Chriſti fidē odio habent, perfidiamq; ſuā in vos transfundunt, audite Dauidē patrē veſtrū: *Audi filia & vide, & obliuiſcere populū tuum, & domū patris tui*, &c. Ne ſequamini inſipientium hominum errorē, ne dicite, parētes noſtri hoc crediderūt, nos filij idē credemus. Sic olim Ieremiæ ſanctiſſimo vati idololatræ reſponderunt, cum de idololatriæ crimine arguerētur: *Sermonem, quem locutus es ad nos in nomine Domini, non audiemus ex te, ſed facientes faciemus omne verbū, quod egredietur de ore noſtro, vt ſacrificemus reginæ cœli, & libemus ei libamina, ſicut fecimus nos, & patres noſtri, reges noſtri, & principes noſtri, in vrbibus Iuda, & in plateis Ieruſalem.* Hæc eadē veſtra vox eſt: Sicut fecimus nos, & patres noſtri, Reginæ cœli, hoc eſt, lunę ſacrificātes, patrum ſuorū errorē illi imitabātur, ita & vos Meſſiā verū repellētes, parentum veſtrorum perfidiā inconſiderate imitamini. Congruit illud vobis, quod de Ethnicis dixit Arnobius: Fieri, inquit, malunt alieni errori acceſſio, quā ſibi credere, defenſio cōmunis furoris eſt, furētium multitudo. Malunt Iudæi fieri alieni, id eſt, paterni erroris acceſsio, quā Eccleſię teſti omni exceptione maiori, quā Scripturis, quā Deo ipſi, tam lōga captiuitate Meſsiā iam veniſſe clamāti credere, defenſio cōmunis perfidi eſt patrū perfidorum perfidia, ſerieſq; ſucceſsionis (vt Aug. ait Pſal. 67.) cōfirmat errorē. Ait Dominus: *poſt Baalim*, id eſt, deos fictos, *abierunt Iſraëlitæ, quos didicerunt à patribus ſuis.* Ita nunc poſt perfidiam abeunt, quàm diſcunt à patribus.

Fides Abrahamiin Chriſtum. Iſaiæ 51.

Pſalm. 44.

Ierem. 44. Iudæi ſequūtur non Abrahami fidē ſed parentū errorem.

Arnobius li. 8. contra Gentes.

D. Auguſtin. ſerm. 9.

At ô viri Hebræi, vt noſter Hieronymus egregiè aſſerit, in commentariis Ieremiæ 9. nec parentum, nec maiorum error ſequendus eſt, ſed auctoritas ſcripturarum, & Dei docentis imperium. Vos non Scripturas, non Prophetas, non veritatē, non Dei imperium, ſed inſipientium parentum & vetularū veſtigia ſequimini, in vetitumque ſemper nitimini: Congruitque vobis illud Poëtæ: *Nitimur in vetitū ſemper, cupimuſq; negata.* Vetita vobis erat idololatria, at vos in vetitum nitebamini, idola paſsim olim colebatis; vetita nunc vobis eſt lex Moſis, abrogata ac mortua, in vetitū nitimini, legem obſeruare totis viribus conamini, imperatā Chriſti fidem reſpuitis, cupitiſque negata legis Moſis mandata. Scripturas, quæſo, prophetas, Dei imperium, quod vobis, toto Orbe, virtute eximia, miraculiſque coruſcans Eccleſia nuntiauit, ſequimini.

Hieronym. Non eſt ſequēdus communis error, vel parentū.

Iudæi nituntur in vetitum.

Ieſum Optimum Maximum, quē omnia ſcripturarum vaticinia prædicant, Meſsiam à Deo miſſum eſſe credite, Moſis legem, quæ ad Meſsiam iter muniebat, ipſo Meſsiæ aduentu abrogatam vobis perſuadete, nouam veteri multo præſtantiorem totis viribus ſeruate. hoc ſi faciatis, æternam felicitatem, ni faciatis, æternos cruciatus vobis propoſitos eſſe agnoſcite. id quod ænigma propoſitum adumbrat. Virga à Moſe proiecta in terram in ſerpentem vertitur, ſerpens manu apprehenſus fit virga. quid hoc indicat? Meſsiæ virgam, ſiue ſceptrum, à vobis proiectum ac repudiatum in ſerpentem vobis conuerti, qui vos deuoret, id eſt, æternis tartari flammis mancipet. Quod ſi illud apprehendatis, ſi recipiatis, ſi adoretis, virga vobis erit, baculus, fortitudo, ſalus, felicitaſque ſempiterna.

Exod. 4.

LIBER

LIBER QVARTVS,
DE ÆTERNA CHRISTI GENERATIONE.
IOANNIS I.

IN principio erat verbum: & verbum erat apud Deum: & Deus erat verbum. Hoc erat in principio apud Deũ. Omnia per ipſum facta ſunt: & ſine ipſo factum eſt nihil, quod factũ eſt. In ipſo vita erat: & vita erat lux hominum: & lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehẽderunt. Fuit homo miſſus à Deo, cui nomen erat Ioannes. Hic venit in teſtimonium, vt teſtimonium perhiberet de lumine, vt omnes crederent per illum. Non erat ille lux, ſed vt teſtimonium perhiberet de lumine. Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. In mundo erat, & mundus per ipſum factus eſt, & mundus eum non cognouit. In propria venit, & ſui eum non receperunt. Quotquot autem receperunt eum, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius. Qui non ex ſanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, ſed ex Deo nati ſunt. Et verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis (& vidimus gloriam eius, gloriam quaſi vnigeniti à Patre) plenum gratiæ & veritatis.

CAPVT PRIMVM.

De Euangelio Ioannis agitur: & prima verba, In principio erat verbum, explanantur.

CHRISTVS, de cuius ſalutari in orbem aduentu hactenus verba fecimus, hypoſtaſim vnam, ſiue ſuppoſitum habet, duplicem verò naturam, diuinam, & humanam; duplicemque generationẽ, ſiue natiuitatem, alteram æternam à patre, alteram in tempore à Deipara Matre, vtramque admirabilẽ. De humana poſtea agendum eſt cum Matthæo & Luca, de diuina generatione, hoc loco ante omnia dicendum cum dilecto Apoſtolo Ioanne. Is enim, quem ſuprà oſtendimus Aquilæ ſymbolo indicatum, altiſſimè euolans, altiſsimum Euangelio ſuo principium dedit. Quàm verò altè euolarit, indicat Auguſtinus tract. 36. in Ioannem his verbis: Cæteri Euangeliſtę, tanquam cum Domino homine in terra ambulant, de diuinitate eius pauca dixerũt, Ioãnes autem quaſi piguerit in terra ambulare, erexit ſe non ſolùm ſuper terram, & omnem ambitũ aëris & cœli, ſed ſuper omnem etiam exercitum Angelorum, & peruenit ad eum, per quem facta ſunt omnia, dicens: *In principio erat verbum.* Hæc Auguſtinus.

Chriſti duplex generatio.

D. Auguſt.

Hieronymus verò in Prologo Matthæi, admirandum hunc volatum, felicem temeritatem appellauit: Coactus, inquit, eſt Ioannes de diuinitate Saluatoris altiùs ſcribere, & ad ipſum, vt ita dicam, Dei verbum, non tam audaci, quàm felici temeritate, prorumpere. felicem temeritatem appellet pro ſua autoritate eximia Hieronymus, nos felicem dicamus volatum. Quem mihi Aquila illa adumbrat grandis, magnarum alarum, longo membrorũ ductu, plena plumis & varietate, quę venit ad Libanũ, tulit medullã cedri, ſummitatem frondiũ eius auulſit, & tranſportauit eã in terrã Chanaam. Literali ſenſu babylonicus Rex ſignificatur, qui alas habuit magnas, id eſt, copias magnas, magnum exercitum, ornatum pennis diſcoloribus, varijs nimirum populis, quippe venit ad Libanum, regnum Iſraëliticum, cedri medullã, opes, quæ regni medulla ſunt, & frondium ſummitatem, regẽ Iechoniam cũ proceribus, in regionem babylonicã tranſtulit. Senſu autem ſpiritali Ioãnes deſignatur: eſt enim ille Aquila grãdis magnarum alarum, quę ad altiſsimum montẽ Libanũ, hoc eſt, cœlũ euolauit, altiſsimæque cedri, hoc eſt, diuinitatis, medullam in terras inde deportauit. Quidni dixerim cedri medullam, ipſas Patris, & Filij, & Spiritus Sancti perſonas? Quemadmodum cedrus conſpicua oculis eſt, cedri medulla abſcondita latet, ſic olim diuinitas, hominum rectè ſententium intellectui perſpecta erat, Deum enim eſſe nouerant, at Patris, & Filij, & Spiritus Sãcti perſonę latebãt, perſonis namque trinum Deum eſſe ignorabant, cedrum cernebant, medullam nõ item. Volauit ad Libanum magnarũ Aquila alarũ Ioannes, cedri medullã ad nos attulit, Deũ Patrem eſſe, & Filium, & Spiritum Sanctum, homines edocuit. Enim vero in Euangelio Ioannis, doctrina de Sacroſancta Trinitate maximè ſplendeſcit. Aquilæ verò

D. Hieron.

Volatus D. Ioannis altiſsimus.

Ezech. 17.

Ioannes Aquila.

Sacrosancta Trinitate maximè splendescit. Aquilæ verò huius alas D. Hieronymus Isa.6. virginitatem appellat: Ioannes,inquit, Petro tardius ambulante, elatus virginitatis alis, cucurrit ad Dominum, qui in secreta diuinę se natiuitatis immergens,ausus est dicere, quod cuncta secula nescierant: *In principio erat verbum*,&c.Et lib.1.aduersus Iouinianum:Ioannes noster quasi aquila ad superna volat,& ad ipsũ Patrem peruenit dicens:*In principio erat verbum*,exposuit virginitas,quod nuptiæ scire non poterunt. Hactenus ille.Laurentius item Iustinianus in serm. de Ioan.Euang. Geminæ (inquit) puritatis,id est, carnis, & mentis suffragio fultus Ioannes,tanquã spiritualis aquila, vsque ad verbi solium pertingẽs, ait:*In principio erat verbum*, &c. Rupertus similiter in proœmio commentariorum in Ioan. Hanc,inquit, aquilã cordis mũdicia iuuit, vt claritatẽ Solis æterni,plus cæteris diuinæ visionis animalibus, posset mentis acie contemplari.Theophylactus præterea, in præfatione Ioannis:Dilectus est Ioannes,præ discipulis omnibus maxime à Domino,eò quòd absolute mitis erat,suauissimisque moribus, ac mundo corde,nempè virgo, vnde & amplius notitiæ Dei donum ei cõcreditum est,mysteriisque plerisq; incognitis ipse dedicatus est.*Beati enim mundo corde,quoniam ipsi Deum videbunt*.Hæc ille. Venerabilis quoque Beda Ioan.1.Ioãnes,inquit,singulari priuilegio castitatis meruit, vt cæteris omnibus miraculorum Christi scriptoribus,altius diuinæ maiestatis simul caperet,ac patefaceret arcanum,&c.

Ioannis alæ, virginitatis. D.Hieron.

Laurentius Iustinianus.

Rupertus.

Theophyl.

Beda.

Altissimè ergò nostra euolauit Aquila, cæterisq; præcellentius edidit Euangelium:Id quod magnus Basilius docet in Homilia, quam scripsit in principium Ioannis:Omnis, inquit, Euangeliorum vox reliquis omnibus Sancti Spiritus præceptis eminentior esse dignoscitur, quòd in aliis per prophetas seruos,in Euangelijs autem per se Dominus nos est allocutus.In ipsius autem Euãgelij laudibus, & sermonis magnitudine, & sententiarum grauitate,Ioannes filius tonitrui prima cobtinet.Hæc Basilius.

D. Basilius.

Meritò autem filium tonitrui Ioannem appellat, sicuti Dominus appellauit. Enim verò tonitrui sonitus a cęteris differt,loco,magnitudine, ac terrore. Primùm reliqui sonitus à terra,tonitrui sonitus è cœlo est,ideoque dicitur Psal.28.*vox Domini*. Poëtæ quoque Deum idcirco Tonantem vocant.Sic Ioannis vox:*In principio erat verbum*,&c.è cœlo sonat, non à terra,à Deo,non ab homine, nec humanum pectus verbum tãtum suis viribus concipere, nec humanum os in lucem proferre, nec humana manus literis potuit exarare Ex cœlo descendit Verbũ diuinum in vterum Virginis,ex cœlo quoque descendit hoc verbum:*In principio erat verbum*, cæteraque in cor Ioannis Virginis, eructauitque virgineum cor eius,verbum bonum, virginea vero lingua calamus fuit,scribæ velociter scribẽtis,id est,diuini spiritus,à quo intellectus illius illuminatus, & lingua edocta,& calamus ita directus est,vt à veritate nullo modo posset aberrare. De hac Euangelici Verbi (vt ita dicam) incarnatione,Rupertus in prologo Ioannis sic scripsit: Hanc, inquit, margaritam, id est,Euangelium, Deus dilectæ Ioannis animæ pro monimento dilectionis præcipuæ, fixit in pectore. Vt verbum, quod Maria Virgo sola protulit in carne, ipsum huius socia virginitas, præ omnibus Sanctis, viua mortalibus promeret voce.Et in commentarijs capitis primi: Ecce veritas carnem de virgine assumens, eadem de virginali Ioannis anima generatur, vocẽ corporeã induens, vt pro nobis cõtra hęreticã prauitatẽ dimicet,&c.

Ioannes tonitrui dictus.

Tonitrui sonitus differt à cæteris,loco, magnitudine terrore,sic Ioannis vox.

Rupertus.

Euangelium Ioannis Margarita.

Veritas de virginali Ioannis anima genita.

Deinde magnus est tonitrui sonitus,ac vehemẽs; magna item nostri tonitrui Ioannis vox,adeò vt in toto terrarum orbe sit exaudita,iuxta illud:*In omnem terram exiuit sonus eorum*: Præterea tonitruum terror est mortaliũ, Ioãnes terror est hæreseon.Hęreseon quidem terror,veræ autem fidei astrum, vt docet D.Cyrillus in Oratione habita Ephesi,quę extat in actis Concilij Ephesini.Beatus, inquit, Euangelista astrum reuera magnum,& apprime illustre,astrum saluberrimum ijs, qui in pietate acquirenda negotiantur,veritatisque studiosi, rectam fidem habere cupiunt. Si quis itaque ad hunc modum nauigare cupit,is Theologi huius voces, velut astrũ quoddã mente accipiat, eaque ratione falsos hęreticorum fluctus transmittet,& in tranquillum portum euadet.Hęc ille.

Psal.18.

D.Cyrillus. Ioãnes astrũ illustre.

De Tonitruo dicitur: *Vox Domini confringentis cedros, & comminuet eas tanquam vitulum Libani,& dilectus quemadmodũ filius vnicorniũ.* Ecce tibi tonitruũ Ioannem, quod superbas hæreses,aduersus Christi diuinitatẽ insurgẽtes, veluti Libani celsas cedros voce sua cõfringat,& veluti in macello vitulũ discerpat. Ecce dilectũ discipulum vnicornis filio similẽ robore, præstantique aduersus hæreses,& eorũ parentẽ Satanã fortitudine.Terret hoc tonitruũ hæreses, terret Satanam. At veræ fidei, charitatisque amantes suauissima veluti musica recreat, atque oblectat. Chrysostomus in prologo commentariorum in Ioannem:Omni,inquit,Cytharœdo Ioannes,omniq; musica suauius,vtiliusque procinit,est ei prosceniũ vniuersum cœlum,theatrum orbis terræ, spectatores Angeli,& quicunque homines angeli sunt, aut fieri desiderant,&c.

Psalm.28.

Ioãnes cœlestis Cithara-œdus.

Denique cũ tonitruo emicat cęlestis ignis, cum Ioanne emicat igneus cœlestisq; amor.quid enim aliud Ioannes loquitur, quàm cœlestem amorem; quid aliud scribit,quid aliud à nobis flagitat, quàm ætherea charitatis flammas? vt enim omittam Euangelij,& Epistolarum,quas conscripsit, micantia amoris fulgura. D. Hieronymus in commentarijs Epistolæ ad Galat.ca.6.testatur,cum Ephesi moraretur vsque ad vltimam senectutem, nec posset in plura vocem verba contexere, nihil aliud per singulas solitum proferre collectas,nisi hoc:Filioli diligite alterutrum.

Ioãnis amor.

Merito ergo *tonitrui filius* dicitur à Christo Opt. Max.cuius vox potentissima est Euangelium, quod inter cętera,vt Basilius dixit,primas obtinet. quemadmodũ inter animantia illa,quæ ab Ezechiele cõmemorantur,aquila eminebat, sic inter Euangelistas eminet Ioannes:*Facies*(inquit) *Aquilæ desuper ipsorum quatuor*.D. Gregorius eodem capite,Iure,inquit, locus Aquilę non iuxta,sed desuper esse describitur, quia Ioannes verbum Patris, dum apud Patrem esse denuntiat,super Euangelistas cæteros virtute contẽplationis excreuit,cũ quibus,& simul de eius diuinitate loquitur, hanc tamen omnibus subtilius contẽplatur.Nec solũ alios Euangelistas,vult Gregorius,sed semetipsum quoque superasse Ioannẽ. Si Aquila,(inquit)cum tribus alis adiuncta,quatuor animalia memorantur,mirũ quomodo desuper ipsorum quatuor esse describitur; nisi quia Ioannes, per hoc,quòd in principio verbũ vidit,etiam super semetipsum transijt.nam nisi & se transisset,verbũ in principio non vidisset,&c. Inter elementa igni, inter Euangelistas supremus locus Ioanni debetur, vnde illud Origenis in prefatione commentariorũ in Ioannem;Arbitror si quatuor sint Euangelia,veluti elementa fidei Ecclesiæ,ex quibus elemẽtis totus hic constat mundus, Deo per Christum reconciliatus;Euangeliorum primitias, Euangelium esse Ioannis,&c.

Marci 3.

Ezech. 1.

D Greg. Ioannes Euangelistã inter Euangelia quatuor excellit.

Origenes.

Est quidem Euangelium Ioannis primitijs simile propter præcellentiam;locum tamen inter cętera extre-

extremum obtinet propter tempus, omnium enim Euangelistarum postremus ad scribendum animum appulit. Id quod humilitati tribuit Epiphanius: cogit (inquit) Spiritus sanctus Ioannē, recusantē Euāgelium annuntiare ob metū, & humilitatē, in senecta ipsius Euangelium exponere. Volucres antequam sese in sublime efferant, alas, corpusque demittunt, & forsitan ipso rostro ad colligendū impetum, humum tangunt: eundē in modum nostra hæc Aquila Ioannes demisit se antequā volaret, humilitate vires collegit, sublimique volatu æthera transilijt. Dulces cibi, quos bellaria siue tragemata vocant, secundis mensis post cæteros cibos inferūtur; sic dulcissimum Ioannis Euangelium, veluti in secundis mensis, post cætera Euangelia exhibetur. Etenim simile est libro illi, quem idem Ioannes è manu Angeli acceptū deuorauit: *Et erat* (inquit) *in ore meo tanquā mel dulce. Tu* (aiebat ille in nuptiis Architriclinus) *seruasti bonum vinum vsque adhuc*, id est, in finē: sic Christus in nuptijs Ecclesię, optimū Ioānis Euangelium in finem reposuit. prius homines in Christo humanitatē cognouere, quā diuinitatem, merito ergo cæteri Euangelistæ, qui de humanitate præcipuè verba fecerunt, priorem, Ioannes, qui de diuinitate clarius locutus est, posteriorem locum, naturæ, doctrinæque ordine sortitus est, quo à facilioribus ad ea, quæ cognitu difficiliora sunt, progredi mur. Facilius enim humanitas in Christo cognoscitur, quàm diuinitas. At verò quia prior est humanitate diuinitas, prior humana generatione diuina Christi generatio, quippè quæ illam tum æternitate immensa, tum infinita superet dignitate, ab hac nobis exordiendum est, qui à prioribus ad posteriora in ijs Euangelicis explanationibus progredi constituimus.

Euangelium Ioannis ex tertiū loco, primum dignitate Epiphan. hæres. 51.

Apoc 10. Ioan. 2.

IN PRINCIPIO ERAT VERBVM.

Summæ maiestatis hoc principium, summa cum maiestate, mundo intonuisse narrat Metaphrastes hunc in modum. Ioannes vnum quendam nomine Prochorū secum duxit in montis verticē; & mentem à sensibus abstractam totam retulit in id, quod exoptabat. Tum subitò horrenda sonuere tonitrua, fulgura micuere splēdida, ad extremum tonitruum in vocem expressum est, & dilucidè hæc verba insonuerunt: *In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum.* His cōsentanea Prochorus scribit in vita Ioannis, quę extat tom. 2. Bibliothecę sanctorum Patrum, si aliquid habet autoritatis vita illa. Duxit (inquit) me Ioannes in locum quendam solitarium, in quo mons erat prę ruptus; ibi Ioannes aliquot dierum spatio orationi vacauit; finita oratione dixit mihi; sume chartam, & atramentum, & sede à dextera mea. feci ita; & statim factum est fulgor ingens, & tonitruum magnum, & totus mons commouebatur; & nimio terrore perterritus, pronus in faciem corrui, & factus sum exanimis, & Ioānes erexit me, & dixit; quæ audieris, scribe. stans Ioannes oculis in cœlum intentis aperuit os suum, & incipiens sanctum Euangeliū, pronuntiauit: *In principio erat verbum*; continuò sic stans, & in cœlum intendens, vsque ad illum locum, & tenebræ eam nō comprehenderunt. deinde parua interueniēte mora, prosecutus est stans cętera verba, ego autem scribebam. Hæc ille.

Initiū Euangelij Ioannis è cœlo delapsum, sonante tonitruo.

Prochorus.

Idem Metaphrastes ieiunio indicto ad scribendum se comparasse Ioannem tradit. Ioānes (inquit) ieiunium sibi & cæteris indixit, & à peccatis abstinentiam, vt scribendi gratiam obtineret. Diuus itē Hieronymus in prologo Matthęi: Ecclesiastica (ait) narrat historia, cum à fratribus cogeretur Ioannes, vt scriberet, ita facturum se respōdisse, si indicto ieiunio in commune omnes Deum deprecarentur. Quo expleto reuelatione saturatus, illud proœmiū è cœlo veniens eructauit: *In principio erat verbum.* Hæc Hieronymus.

Ieiunium præcessit Euangelij scripturam Metaphrast. D. Hieron.

De diuinitate autem Verbi, & æternitate agit, propter hęreses iam tunc pullulantes; cū iam tunc (ait Hieronymus loco notato) hęreticorum semina pullularent, Cerinthi, Ebionis, & cæterorum, qui negant Christum in carne venisse, coactus est Ioannes ab omnibus penè tunc Asiæ Episcopis, & multarum Ecclesiarum legationibus, de diuinitate Saluatoris altius scribere.

Propter hæreses iā tunc pullulantes Ioannes de Christi diuinitate egit.

Obserua hoc loco, quam cito hæreticorum semina cœperint spargi, atque (etiam Ioanne viuente) pullulare. Fecerunt Apostoli pręcellentissimi seminis sementem, protinus *venit inimicus, & superseminauit Zizania*, id est, hæreses. At non sine ecclesiæ emolumento illæ exoriuntur. pręstantissimum hoc Euangelium fortè non haberemus, si hęreses Christi Diuinitatem oppugnātes, Ioannem ad scribendū non excitassent. Idcirco enim *congregatio taurorum in vaccis est populorum, vt excludant eos qui probati sunt argento.* Cōgregatio hæreticorum magistrorum, ex sententia Augustini, congregatio est taurorum: dicuntur aurē tauri propter superbiam ceruicis indomitæ; nam e superbiæ vtero hæretici prodeunt, vt testatur idem Pater sanctissimus in lib. de Pastoribus ca. 8. Vna (inquit) mater superbia omnes hæreses genuit. dicūtur item tauri hęretici, maximè nostri temporis, quia quemadmodum tauri iugum, ita illi summi Pontificis obedientiam ceruicibus excutiunt. Vaccæ, quæ hos tauros sequuntur, discipuli sunt hæreticorum, deceptæ mulierculæ, in fraudem inducta plebs, indoctum vulgus. Inter has vaccas taurorū congregatio esse permittitur, non sine vtilitate aliqua Ecclesię, sed vt excludant eos, qui probati sunt argēto (id est, ex sententia Augustini) vt eminere faciant, & apparere viros doctos; vt excludant ex silentio, viros sacrę scientię peritos, vt ad scribendum, docendumq; eliciant eos, qui probati sunt argento; id est, qui diuino eloquio argento simili excellunt. *Eloquiū enim diuinum* dicitur *argentum igne examinatum.* & *argentum electum linguæ Iusti appellatur.* Augustin. libro 7. confess. cap. 19. Improbatio hæreticorum facit eminere, quid in Ecclesia sentiat, & quid habeat doctrina sana.

Matth. 13.

Psal. 67. Ex hæresibus vtilitas in Ecclesiam redundat. D. Augustin.

Hæreses gignit superbia Hæretici tauri.

Psal. 11. Prou. 10.

Idem Augustin. lib. de vera religione cap. 7. egregiè docet Ecclesiam nō solùm hæreticis, verùm omnibus etiam errantibus vti ad profectus suos his verbis: Ecclesia omnibus errantibus vtitur ad profectus suos, & ad eorum correctionem, cùm euigilare voluerint. Vtitur enim gentibus ad materiam operationis; hæreticis ad probationē doctrinæ suę; schismaticis ad documentum stabilitatis suæ, Iudæis ad comparationem pulchritudinis suę. & li. 18. de ciuit. Dei, cap. 51. Inimici Ecclesiæ, si accipiunt potestatem corporaliter affligendi, exercēt eius patientiam; si tantummodo male sentiendo aduersantur, exercent eius sapientiam, vt autem etiam inimici diligantur, exercent eius beneuolentiam, aut etiam beneficentiam, siue suasibili doctrina cum eis agatur, siue terribili disciplina. Hæc ille. Ex quibus cōstat quid vtilitatis ex hæreticis depromat Ecclesia. Excludunt illi eos, qui probati sunt argento, excluserunt etiam diuinum Ioannem, argento probatissimum; & ad scribendum Euangelium omni argento, auroque pretiosius excitarunt, quod nefandis hæresibus silentium indiceret. Aquila enim (vt ait magnus Basilius Isaię 2.) alicundè aduolante, ac desuper conspecta, futili garrulitati loquacium auium silentium indicitur. Eundem in modum cęlesti Aquila, id est, Ioanne, e cęlesti Libano deuolante, turpiter

Ecclesia vtitur errantibus ad profectus suos.

D. Augustin.

Ioannes hæreses eradicat.

piter crocitantibus coruis,id eſt, hæreticis aduerſus Christi diuinitatem conſpirantibus,perpetuũ ſilentiũ imperatur.Quemadmodum agricola (ait Cyrillus)cum omnes ab horto eradicare vepres deſideret,diligenter longis raſtrorum dentibus radices euellit.ſic Ioannes germinaturas conſpiciens falſas hæreticorum opiniones,hoc Euangelio quaſi raſtris eas euertit,&c.

D. Cyrill. l. 1. in Ioan. cap. 2.

IN PRINCIPIO ERAT verbum.

Moyſes & Ioannes ab eadẽ vote cœperunt, ſed magno diſtimine.

A Beadem voce Ioannes Moſesque ſcribendi initium fecerunt;ſed longiſſimo inter ſe diſtant interuallo.Infinitum quippe diſcrimen eſt inter Moyſis, Ioannisque principium. *In principio,* (ait Moyſes) *creauit Deus cœlum & terram;* at Ioannes: *In principio*(inquit)*erat verbum.* Moyſes ab ijs cœpit, quæ cœperunt,ab ijs initium duxit, quę habent initium, ab ijs eſt exorſus,quę è nihilo diuina potentia prodierunt.Ioannes verò ab eo cępit,qui nunquam cœpit.ab eo ſumpſit principium,qui temporis caret principio,ab eo inchoáuit, qui è nihilo orbem perfecit. Moyſes à creaturæ geneſi cœpit, Ioannes à creatore genito;ille à cęlo & terra,hic à Verbo,patriſque ſapientia;ille à corporeis rebus, & ſub ſenſum cadentibus,hic ab ijs,quę ſenſum,intellectumque ſuperant : *Non ſum eloquens*(ait Moyſes)*ab heri,& nudius tertius, & ex quo locutus es ad ſeruum tuum,impeditioris & tardioris linguæ ſum.* Non fuit Moyſes eloquens ad explicandam hominibus Dei ſapientiam; tardioris linguæ fuit ad proferendum Dei Verbum populis.Ioanni hæc eloquentia reſeruabatur,cuius linguam Deus expediuit,inſtruxit,expoliuit, vt admirabile hoc myſterium toti orbi patefaceret. Ait Paulus : *Scio hominem raptum vſque ad tertium cœlum, & audiuit arcana verba, quæ non licet homini loqui* ; at noſter Ioannes ad ſtupendum Sacroſanctæ Trinitatis myſterium raptus, arcanum verbum vidit, quod homini loqui licuit. Vnde autor ille qui homiliam ſcripſit in principium Euangelij Ioannis, quæ Origeni aſcribitur: ô vas (inquit) electionis Paule, audiſti verba, quæ non licet homini eloqui ; Ioannes intimæ veritatis inſpector audiuit vnum verbum, per quod facta ſunt omnia, & licuit ei illud verbum dicere, hominibusque prædicare, &c.

Exodi 4.

2. Cor. 12.

De diuini ergo verbi diuinitate, potentia, & æternitate, verba facit Ioãnes. Solidiſſimus hic cibus animorum eſt. Vt enim Auguſt. ait tractatu tertio in Epiſtolam primam Ioannis, Lac noſtrum Chriſtus humilis eſt,cibus noſter, idem ipſe Chriſtus æqualis Patri. Reliqui Euangeliſtę lac nobis prębuerunt, Ioannes præbet cibum ſolidum. Hunc cibum vt diuidamus,Eccleſiæ dentibus indigemus : ij autem, Patres ſunt ſanctiſſimi, Auguſtinus, Hieronymus, Chryſoſtomus,Gregorius, Ambroſius, cæterique, de quibus illud canitur: *Dentes tui ſicut greges tonſarum, quæ aſcenderunt de lauacro,omnes gemellis fœtibus, & ſterilis non eſt in eis.* Dicuntur autem Eccleſiæ dentes Patres ſacrarum interpretes literarum; quod verbi diuini panem cœleſtem nobis diuidant,extenuent, ſuiſq; interpretationibus emolliant. Quia verò mundicia & candore præſtant,ideo tonſarum ouium greges referunt,quæ de lauacro lautæ ac mundæ aſcenderunt. Tonſis ouibus ſimiles ſunt,quia vt Auguſtinus ait lib.2.de Doctrina Chriſtiana, cap. 2. Secularium onerum vellera depoſuerunt; geminos habẽt fœtus,quia gemina charitate, Dei,ac proximi,præcellunt;ſterilis non eſt in eis,quia ſunt fœcundiſſimi. Illorum autem præclari fœtus, parentum nobis imagines repræſentantes, libri ſunt, quos cœleſti doctrina plenos,veluti animi, fideique ſuæ ſimulachra reliquerunt.Si enim Baſilius ille magnus Epiſtola prima, quam ad Gregorium Nazianzenum ſcripſit,ſe ait in epiſtola ſcriptoris vidiſſe imaginẽ, vt illa verba indicãt;Sic tuam Epiſtolam agnoui, vt ij facere ſolẽt,qui amicorum liberos ex ſimilitudine in ipſis conſpicua agnoſcunt, multo magis nos non vnà in epiſtola,ſed in multis volumínibus, Patrum,qui ea ſcripſerunt,ſimilitudinem, fidem, ſapientiamque cernemus.His igitur pulcherrimę Eccleſiæ, pulcherrimis dentibus, ad diuidendum Euangelij ſacrum panẽ vtamur,ijs fontibus noſtrum hunc hortulum iam irrigare incipiamus,in hęc ſapientiæ exemplaria oculos intendentes,manum picturæ admoueamus.

Auguſtin. Cant. 4. Patres Eccleſiæ dẽtes ſunt quibus panis ſcripturarũ diuidendus.

Patrum libri ſunt ſui fœtus.

Ius, & ſimulachra. D. Baſilius.

Primus è fontibus antiquorũ huius principij ſenſus eſt Origenis Tom.1.in Ioannem, & D.Cyrilli, qui principiũ exiſtimarunt Patrem ſignificare,hoc modo.*In principio erat verbum,*id eſt,in Patre. Origenes,Verbum(inquit)intelligit Euangeliſta filiũ,qui in principio eſſe dicitur,quia ſit in Patre. Nomine principij (ait Cyrillus) videtur beatus Euangeliſta Patrẽ ſignificare,quaſi enim fontem Patrẽ intelligimus,in quo verbum eſt,ſapiẽtia,virtus,character, ſplendor,& imago eius exiſtens.Eadẽ interpretatiõ eſt Auguſtini lib.6.de Trinitate cap.2.quod(inquit) dictũ eſt :*In principio erat verbum;*in Patre erat verbum; intelligitur.

Senſus primus. Origenes. D. Cyrillus. D. Auguſtinus.

Vt autem intelligas, cur hoc loco principiũ pro Patre ſumatur,aduerte, in diuinis perſonis duplicẽ principij rationem reperiri,alteram reſpectu creaturarum, alteram reſpectu ipſarum perſonarum. Creaturarum, omnes diuinæ perſonæ ſunt principium,creaturas enim condiderunt, conſeruant, ac gubernant. Reſpectu perſonarum principium eſt Pater,& Filius, non autem Spiritus ſanctus. Eſt Pater principium Filij,& Spiritus ſancti, quia à Patre procedit Filius,& Spiritus ſanctus,eſt filius principium Spiritus ſancti, quia producit Spiritum ſanctum,ſimul cum Patre.Nec verò Pater, & Filius, ſunt duo principia Spiritus ſancti,ſed vnum tantũ modo. Nõ eſt Spiritus ſanctus perſonæ diuinę principium, quia nullam diuinam perſonam producit. Spiritus igitur ſanctus non eſt principium diuinæ alicuius perſonæ,filius principium eſt, ſed eſt principium ex principio,id eſt,ex Patre,Pater eſt principiũ ſine principio,quia cæteras perſonas producit, ipſe verò à nulla producitur. Quocirca ab Auguſt. libro 4.de Trinitate cap. 20. principium dicitur totius diuinitatis: intellige, communicatæ Filio, & Spiritui ſancto.nam eſſentiam diuinam ſiue diuinitatem Pater Filio communicat.Pater vero & Filius eandem communicant Spiritui ſancto,ipſa verò eadem diuinitas, quæ eſt in Patre, à nullo alio Patri communicatur.

Pater eſt principiũ ſine principio, filius eſt principiũ ex principio, id eſt ex Patre, Spiritus ſanctus non eſt principium alicuius perſonæ diuinæ. D. Auguſt.

Ex ijs intelliges, cur Pater principiũ appelletur ab Auguſtino, Origene, & Cyrillo, videlicet, quia principium eſt ſine principio,cum verò filius in Patre ſit,ſic interpretati ſunt:*In principio,*id eſt,in Patre *erat Verbum.* At,verbum in Patre eſſe ſignificauit Ioãnes illis verbis ſequentibus, Verbum erat apud Deum, non igitur videtur idem ijs verbis voluiſſe ſignificare,præſertim cum ſubiungat:*Hoc erat in principio apud Deum:* quę verba,ſi hęc interpretatio ſequẽda ſit,ita exponentur, hoc, id eſt, verbum erat in principio,id eſt,in Patre,apud Deum,id eſt,apud Patrem,ſiue in Patre, quæ tautologia aliena videtur à mente Ioannis.

Origenes primo tomo, & ſuperioris meminit explanationis,& alteram addit,qua principium ſumitur pro ſapientia,nã ſapientia principiũ dicitur viarum Dei,à Salomone:Dominus(inquit vt verterũt

Secundus ſenſus. Origenes. Prou. 8.

Septuaginta interpretes) *creauit me principium viarum suarum.* Est itaque Origenis Cõmentarius huiusmodi: *In principio*, id est, in sapientia, quę est principiũ creaturarum, *erat Verbum.* Consideratur (ait) sapiẽtia, ante sermonem ipsam annuntiantem, intelligamus necesse est, sermonem in principio, id est, sapientia, semper esse. Verum quidem est Dei verbum esse sapientissimum, quippe quod infinita sapientia sit, tamen sensus non placet; improprie enim vtitur voce principij.

Amelius. Amelius philosophus Ethnicus apud Theodoretum de græcarum affectionum curatione libro 2. principium hoc Ioannis legit, sic autem intellexit: *Tertius sensus.* *In principio*: id est, in principij loco, ac dignitate, *erat verbum.* eius verba, vt referuntur à Theodoreto hæc sunt. Barbarus homo censet, in principij loco ac dignitate, verbum apud Deum constitutum, Deumque esse, per quẽ absolutè omnia facta sunt, &c. Barbarum appellat Ioannem Hebræum, gręculus ipse, cæcusque philosophus. Nomen græcum ἀρχὴ, quo vsus est Ioannes, principium significat, & principatum, ideoque intelligere potuit philosophus vtrumque: In principio erat verbum, & in principatu erat verbum.

Certior ijs interpretatio ea est, qua principium, propria & nota significatione, sumitur pro principio durationis, rerum omnium conditarum. Ac si *Quartus sensus.* respondeat Ioannes hæreticis, qui Christum ante Virginem Deiparam non extitisse asserebant, hunc in modum: Impiè sentitis hæretici; æternitate præcessit Dominus Virginem Matrem. nam in principio, quando Deus cœlum, terramque condidit, iam erat verbum in æternitate. Alijs scripturæ locis hic commentarius consonat, in quibus æternitas verbi *Psalm. 109. Prou. 8.* describitur. *Ante Luciferum genui te*, id est, antequã astra, & mundum conderem: *Dominus possedit me in initio viarum suarum*, antequam quicquam faceret, à principio, ab æterno ordinata sum, & ex anti- *Eccles. 24. Ad Col. 1.* quis, antequam terra fieret. &: *Ab initio, & ante secula creata sum. Primogenitus omnis creaturæ*, id est, ante omnes creaturas, genitus à Patre. eodem cap. *Omnia per ipsum & in ipso creata sunt, & ipse est ante omnes.* *Ioan. 8. & 19.* Ioan. 8. *Antequam Abraham fieret, ego sum*, & 19. *Clarifica me Pater claritate, quam habui apud te, antequam mundus fieret.* His locis æternitas diuinæ sapientiæ, siue diuini verbi, inde ostenditur, quòd in principio, antequam orbis conditus esset, iam erat verbum. Quia enim ante mundum conditum nihil erat temporarium, cõsequens est, vt si verbum iam erat in principio, cùm mundus condebatur, temporarium non sit; sed æternum.

D. Augustin. li. 6. de Trin. cap. 2. Vnde Augustinus ait, in principio idem significare, quod ante omnia; Si in principio (inquit) sic dictum est, ac si diceretur ante omnia, &c. Idẽ quoque Augustinus siue quisquis est, autor quæstionum ex vtroq; testamento, quæst. 122. Illud (ait) quod dicitur: *In principio erat verbum*; ante inchoationem creaturæ supernę & infernæ significatur fuisse, vt non vtiq; inter hæc, quæ creata sunt, prius factum intelligeretur; quia in principio erat, cum disponeret Deus facere creaturam; ergo si in principio erat, id est, *D. Chrysost. hom. 3. in Ioan.* ante omnia; erat semper. Hæc ille. Chrysostomus item: Cum audis, quod in principio crearit Deus cœlum, & terram, quid per hoc principium intelligis? certè quòd ante omnia visibilia ea crearit. sic cùm de Vnigenito dicatur, quod in principio erat; ante omnia intelligibilia, & ante secula fuisse intel- *Beda.* ligas, necesse est. Beda: Si ad creaturarum, vel tẽporum velis referre principium, quod ait: *In principio erat verbum*; quidquid creaturarũ, quodcunque prin- *Glossa inter.* cipium habuit, vt esset, erat tunc verbum Dei. Glossa interlinealis; In principio omnium creaturarũ, vel temporum, id est, cum inciperent omnes creaturæ, vel tempora, iam erat verbum. Dionysius Carthu- *Dionys. Carthusianus.* sianus; In principio; (ait) id est, in exordio temporis, quo facta sunt omnia, erat verbum; inter alia non est creatum, sed illis per creationem incipientibus, ipsum subsistebat.

Sed sublimiori modo videtur Ioannes principiũ sumere. Potest igitur alius sensus inesse his verbis, *In principio erat verbum*; quo principium nõ pro principio solum creationis mũdi, sed absolute pro quocunque principio, quod animus concipere potest, accipiatur, hoc modo; In principio quocunque, quod animo vel ore signaueris, iam erat verbum; atque adeò erat sine principio. Quod enim est ante omnia principia, careat principio necesse est. Vnde D. Hilarius de Trinit. lib. secundo. Quid est (inquit) istud? In principio erat? transeunt tẽpora, transcenduntur secula, tolluntur ætates; pone aliquid, quod voles tua opinione principium; non tenes tempore; erat enim, &c. Item eodem loco: Meus piscator, scilicet Ioannes, vicit omne principium: erat enim, quod est, neque tempore aliquo concluditur, vt cœperit, quod erat potius in principio, quã fiebat.

Diuus Thomas in commentariis, quæ scripsit in *D. Thomas.* Ioannem, huius meminit interpretationis, Per hoc (inquit) quod dicitur: *In principio erat verbum*; ostenditur quod quodcunque principium durationis accipiatur, siue rerum temporalium, quod est tempus, siue ęuiternarum, quod est ęuum, siue totius mundi, siue quodcunque imaginatum, extẽsum per multa secula; In illo principio iam erat verbum; quod autem est ante durationis principium, est æternũ. Hęc ille. & D. Ambrosius libr. 1. de fide ca. 5. Indefi- *D. Ambros.* nitè (inquit) tenditur, erat: quidquid excogitaueris, erat filius; quod erat in principio, non includitur tẽpore, non principio pręuenitur. Nazianzenus in tra- *D. Gregor. Nazianz.* ctatu de Fide: Quodcunq; principiũ verbi assignare volueris, præiudicatum habebis; quia in principio erat, &c. Caietanus quoque principiũ ait, hoc loco *Caietan.* sumi à Ioanne pro principio omnis durationis. Ioanes (ait) vt comprehendat etiam principium æuiternitatis, inchoat à principio durationis, quæ communis est tempori & æuiternitati, & cuicunque alteri imaginabili durationi. Augustinus serm. 6. de tem- *D. Augustin.* pore: Qui in principio erat, intra se concludit omne principium.

Iis addiderim verosimile quoque esse, Ioannem *Sextus sensus.* nomine principij hoc loco æternitatẽ appellasse; propterea quod æternitate nihil est prius; sed illa prior est ęuo, & tẽpore, atque adeo prima, & principium carens omni principio. Quemadmodum *Isaiæ 41.* Deus *primus dicitur*, vt significetur esse æternus, ante quem nullus, ita æternitas principium nominatur, quia ante æternitatem, nihil, & ipsa est ante omnia, principium sine principio omnium principiorum durationis mundi. Consentiunt cum hac sententia *Æternitas est principiũ sine principio.* illa D. Cyrilli Alexand. verba li. primo in Ioan. c. 1. Principio (inquit) si quidem definitionem principij *D. Cyrill.* retinet, nihil antiquius est. Nunquam enim principij principium poterit excogitari, nã si aliud quiddam ante principiũ intelligitur, excidet profectò, nec erit verè principium. Prętera si ante verè principium, aliud inueniri poterit, in infinitũ nobis erit procedendum, aliud semper ante aliud quęrẽtibus, nec in vno simpliciter principio consistẽtibus. Hæc ille. Quę verba æternitati maximè congruunt. congruunt item illa Basilij lib. 2. cõtra Eunomium. Nõ est possibile principio antiquius quid excogitare; nõ esset enim principium, si quid ante se haberet superius. Nam si eorum esset principium, quæ dicũtur ad aliud, vt principium sapiẽtiæ, principiũ

viæ

viæ bonæ,& in principio fecit Deus,forte poſſemus eius,qui tali principio conſtitutus eſt, generationẽ cogitando excedere; verum quoniam id principij ſignificatum abſolutum,ac ſine relatione,ſupremã naturam ſignificat,quomodo nõ deridendus is eſt, qui vltra hoc principium,cogitatione circumuagatur, & ſe ſuis imaginationibus excedere conatur. Hactenus Baſilius.quod interpres vertit,ſignificatũ principij abſolutum & ſine relatione. græce dicitur ἀπολελυμένον καὶ ἄσχετον, hoc eſt, abſolutum & inſuperabile, ſiue quod retineri non poteſt, vel mente ſuperari.

Eſt ergo ſenſus Ioannis veriſimilis,in principio, id eſt,in æternitate, quæ prima omnium durationũ eſt,erat verbum. Quod autem principium ſignificet æternitatem,probatur ex illis verbis: *Ab initio, & ante ſecula creata ſum.* Num illud,ab initio, non poteſt ſignificare principium durationis mundi: tunc enim non eſt genita ſapientia, at illa ait ſe genitam ab initio. Dandum ergo aliud initium ſiue principium,quo ſit ſapientia creata,id eſt genita,latè ſumpto verbo creandi; id non poteſt eſſe aliud, quam æternitas,ergo æternitas dicitur principium hoc loco Eccleſiaſtici. Præterea: *Egreſſus eius,* ſcilicet Meſſiæ, *ab initio, à diebus æternitatis.* ab initio(inquit) non mũdi,ſed ab æternitate,repetitque idem aliis verbis. Itẽ Ioannes *quod fuit* (inquit) *ab initio,* &c. id eſt, quod fuit ab æternitate.

Eccli. 24. *Mich. 5.* *1. Ioan. 1.*

Simile autem eſt hoc Euangelij principiũ principio totius ſcripturæ ſacræ. Quemadmodum Moyſes à principio cœpit,ſic Ioannes: Moyſes,*in principio creauit Deus cœlum, & terram*: Ioãnes,*in principio erat verbum*. Moyſes verbo Dei, rerum hanc vniuerſitatem conditam narrat: *Dixit Deus; fiat lux; Dixit fiat firmamentum*; *Dixit: fiant luminaria*, & alia ſimiliter. Ioannes Verbum Dei in principio eſſe,& apud Deum eſſe,& Deũ eſſe,& omnia per ipſum facta eſſe,docet. Moyſes de luce creata verba facit: *Dixit Deus fiat lux, & facta eſt lux*, Ioãnes de luce increata ſcribit: *Vita erat lux hominum*, item, *Erat lux vera, quæ illũminat omnem hominẽ.* Moyſes tenebras commemorat: *Et tenebræ erant ſuper faciem abyſsi.* Ioannes quoque de tenebris loquitur: *Lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderũt.* Vides quàm conſonet principiũ principio, principiũ Ioannis principio Moyſis, principium Euangelij, principio mundi?

Principium, Euangelij Ioannis ſimile principio totius ſcripturæ.

Veruntamen obſeruat Chryſoſt. aduerſus hæreticos, Moyſem ſcripſiſſe: *In principio creauit Deus cœlũ, & terram*, non ita Ioannem, In principio creauit Deus Verbum, ſed longè aliter, *In principio erat verbũ*, propterea quod Verbum æternum eſt, & increatũ, & vt dicitur in Symbolo fidei,genitum,non factum. Cũ Moyſes(ait Chryſoſtomus) de terra loqueretur, non dixit; In principio erat terra, ſed, In principio creauit Deus terram. Quid prohibuit Ioannem eodem modo exordiri, In principio creauit Deus Verbum? &c. Prohibuit videlicet verbi æternitas, ac diuinitas. Et Theophylactus: Moyſes quidem dicit, In principio fecit Deus cœlum & terram, Ioannes autem: *In principio erat verbum*, quæ igitur communio verbi, fecit, ad verbum,erat? Equidem ſilniſſem, ſi hoc loco ſcriptum fuiſſet, In principio fecit Deus filium, nunc autem, ait Ioannes, In principio erat, ex quo intelligo ſempiternum fuiſſe Verbũ, & non poſterius conditum, vt vos hæretici nugamini. Hactenus ille.

D. Chryſoſt. *Theophyl.*

Actionem creationis ſignificare voluit Moyſes, vt docet Cardinalis Caietanus, ideo vſus eſt verbo creandi; Ioannes verbi diuinam æternamque ante omnia tempora exiſtentiam, notam voluit facere. Præterea verbo ſubſtantiuo vtitur dicens: *In principio erat Verbum.* ſubſtantiuum autem verbum, infinitæ Dei ſubſtantiæ & exiſtentiæ maxime congruit, vt plane ex illis verbis intelligitur: *Ego ſum, qui ſum.* Cũ verò temporum magnam habeat varietatem, præſens tantummodo Deo conuenire docet Auguſt. nõ mendaciter tamen reliqua illi tribui, quod Dei æternitas immutabilis, omnibus mutabilibus temporibus præterito, præſenti, futuroque coexiſtat. Eſt enim æternitatis inſtans permanens velut cẽtrum, momenta tẽporis, velut puncta in circumferentia perpetuò currentia, e conſpectu ſibi præſentia contuens, ac complectens. Auguſt. tract. 99. in Ioãnem: Quanquam (inquit) natura Dei immutabilis, & ineffabilis, non recipiat, fuit, & erit, ſed tantum, eſt; Ipſa enim veraciter eſt, quia mutari non poteſt, tamen propter mutabilitatem temporum, in quibus verſatur noſtra mortalitas, & mutabilitas, non mendaciter dicimus, & fuit, & erit, & eſt: fuit, quia nunquã defuit, erit, quia nunquam deerit, eſt, quia ſemper eſt, &c.

Exod. 3. *Præſens tempus verbi ſubſtantiui Deo congruit, ſed non mendaciter reliqua tẽpora illi tribuuntur.* *D. Auguſt.*

Plato quoque in Timæo, æternitatem in vnitate manere, tempus verò in numero, fluentem æternitatis imaginem eſſe, ſolumque præſens tempus Deo aſſignari, aſſerit, Erat (inquit) & erit, quæ nati temporis ſpecies ſunt, non rectè æternæ ſubſtantiæ aſſignamus. Dicimus enim de illa, eſt, erat, & erit, ſed illi reuera ſolùm eſſe competit, fuiſſe verò, & fore deinceps ad generationem tempore procedentem referre debemus, motus enim quidã duo illa ſunt. Æterna autem ſubſtantia cùm eadem ſemper, & immobilis perſeueret, neque ſenior ſe ipſa fit vnquã, neque iunior, neque fuit hactenus, nec erit in poſterũ, neq; recipit eorũ quidquã, quibus res corporeæ, mobileique ex ipſa generationis cõditione ſubjiciuntur. Hæc ille. Similẽ in modũ Gregorius Nazianzenus in oratione de Natiuitate Chriſti, Deus (inquit) & erat ſemper, & eſt, & erit, vel vt rectius loquar, ſemper eſt. Nam erat, & erit, huius noſtri tẽporis, fluxæque & caducæ naturæ ſegmẽta ſunt. Ille autẽ ſemper eſt, atque hoc modo ſeipſum nominat, cum Moyſi oraculum edit, &c. Ioannes ergo humano loquitur more, cum præteritum tẽpus Verbo diuino tribuit dicens: *In principio erat verbum.*

Plato. *D. Gregor. Nazianzen.*

Vſus eſt præterito potius imperfecto, erat, quàm perfecto, fuit, vt Caietanus obſeruat, quia verbum, erat, conſignificat ita tempus præteritum, vt ſimul conſignificet permanentiam in duratione, quam non conſignificat verbum, fuit. Hoc idem obſeruauit D. Thomas Ioan. primo his verbis: Conſiderandum (inquit) eſt, quod dicitur verbum, erat, quod eſt temporis præteriti imperfecti, maximè videtur cõpetere ad deſignandum æterna, ſi attendamus naturã temporis, & eorum, quæ ſunt in tẽpore. Quod futurum eſt, nondum eſt actu, præſens autẽ actu eſt, & per hoc, quod eſt actu præſens, non deſignatur fuiſſe, præteritum autem perfectũ deſignat aliquid extitiſſe, & eſſe iam determinatum, & iam defuiſſe, ſed præteritum imperfectum ſignificat aliquid fuiſſe, & non eſſe adhuc determinatum, nec defuiſſe, ſed adhuc manere. Sed quantum ad rationẽ præſentis, competit maximè ad deſignandum æternitatem præſens tẽpus, quod ſignificat aliquid eſſe in actu, quod ſemper conuenit æternis, & ideo dicitur: *Ego ſum, qui ſum.* Hæc D. Thomas.

Cur Ioannes vſus eſt præterito imperfecto, erat. *D. Thomas.* *Exod. 3.*

Inculcat autem Euangeliſta, ac repetit quater, verbum, erat, in hoc principio Euangelij, aduerſus hæreticos. *In principio* (inquit) *erat verbum*, geminat: *Et verbum erat apud Deum*, repetit tertio: *Et Deus erat verbum*, inculcat quartò: *Hoc erat in principio apud Deum.* Vnde Beda: Ideo (inquit) quater dicit Euangeliſta, erat, erat, erat, erat, vt intelligeres omnia tempora præueniſſe cœternum Patri Verbum. & Ambroſ. lib. 1. de fide ad Gratianum ca. 5.

Quater Ioannes repetit Verbum erat. *Beda.* *D. Ambroſ.*

Erat,(inquit)erat,erat,erat,ecce quater,erat vbi in- A
Basilius. uenit impius hæreticus,quod non erat? D. Basilius, quartum dic erat,& blasphemiam hæreticorũ confutabis,qui dicunt non erat, &c. Hæretici autem hi Ariani sunt,quorum illa est blasphemia: Erat aliquando tempus,quando non erat, & antequã nasceretur, non erat: de qua lege Ambrosium in tractatu de Symbolo,Verbũ ab æterno erat,erat, erat, erat; hæreticus igitur qui verbum Deum non esse blasphemat,errat,errat,errat, errat. Quid est istud
D. Hilarius. in principio erat(ait D.Hilarius 2.de Trinit.)Transeunt tempora,transcenduntur secula,tolluntur ę-
D. Cyrillus. tates.D.Cyrillus cap.1.in Ioan. Quæ mens poterit vltra illud,erat, conuolare? aut quando illud erat mente tenebimus,vt cogitationes nostras non an- B
D. Ambros. li 1. de Fide, cap 5. tecedat? Ambrosius: Alibi quoque Ioannes dicit:
1. Ioan. 1. *Quod erat in principio*, indefinitè tenditur, erat quidquid excogitaueris, *erat filius*, &c. Item Cyrillus: Erat,per se indeterminate prolatum, nullis vnquã terminis circumscribetur, cùm natum sit scrutantem semper intellectum præcedere. D.Basilius lib.2.contra Eunomium: Quantumcunque volueris mentis inquisitione retrò currere,pertrãsire tamen,quod erat, & vltra illud ferri, cogitationibus non poteris.

Attamen obiiciet aliquis: Videtur verbum, erat non esse accommodatum ad indicandũ perfectionem diuini Verbi. Nam hoc tempus imperfectionem significat,vnde præteritum appellatur imper- C
fectum.Quamobrem antiqui pingendi, fingendiq; artifices,vt indicarent opera sua nondum esse perfecta,pẽdente ea titulo inscribebant, verbo imper-
Obiectio. Plinius. fecti præteriti,faciebat,vt docet Plinius,in præfatione operis de naturali historia ad Vespasianũ:Ex illis(inquit)nos velim intelligi pingendi, fingendique conditoribus, quos inuenies absoluta opera,
Antiqui artifices pendẽti titulo opera inscripserunt, verbo præteriti imperfecti,faciebat. pendenti titulo inscripsisse, vt Apelles faciebat,vt Polycletus faciebat,tanquã inchoata semper arte, & imperfecta.Vt contra iudiciorum varietates,supereſſet artifici regressus ad veniã, velut emẽdaturo quidquid desideraretur,si non esset interceptus.
Dissoluitur obiectio. Hæc ille.Respondemus,à nobis hoc facere: indicat enim hæc antiquorum inscriptio id,quod supra di- D
ctum est, verbum imperfecti temporis,permanentiam quandam cõsignificare in tempore præteriro, propterea antiqui illi,vt indicarẽt locum emendationi adhuc esse,verbo præteriti imperfecti vtebantur, perinde ac si in ipsa pingendi, aut fingendi actione persisterent.Verbum ergo,faciebat,significat non omninò præteritam actionem.Simili modo verbum,erat,significat non abolitam existentiam, sed in præterito tẽpore permanentem.Verbum verò præteriti perfecti, fui, existẽtiam præteritam in-
Virg. 2. Æn. dicat,vnde illud Poëtæ,*fuimus Troes,fuit Ilium*. Verba agendi eiusdem temporis præteriti perfecti, actionem perfectam trãsisse demonstrant.Quamobrem vt Plinius scribit loco indicato, tribus operibus, E
verbum præteriti temporis inscriptũ est, ille fecit, quæ propterea in magnam inuidiam incurrerunt, quod nimium sibi placuisset auctor,eaque perfecta existimasse videretur. Non est hominis inscribere suis operibus bonis,feci,sed faciebam, vt ostendat locum supereſſe correctioni.Dei est inscribere feci, id est,omnibus numeris absolui.Vt enim Moyses in
Deut. 32. Genes. 1. Cantico ait,*Dei perfecta sunt opera.* &: *Vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona*: homo verò,malis operibus,adjicere potest, feci, quo verbo ad peccatum nunquam se rediturum significet. Quemadmodum Dauid, *peccaui* Domino, *& tibi soli peccaui*, quasi dicat, peccaui,feci deinceps non peccabo, non faciam.

CAPVT II.

De Verbo diuino.

CVM Ioannes de diuino verbo agat, pauca de illo hoc loco verba facere non erit abs re. Quidquid loquitur,verbum profert, id enim est loqui, verbum proferre.loquitur Deus, angelus, homo, proferũt ergo Deus, Angelus,& homo, verbũ, diuiditurque verbũ,in verbum diuinũ, angelicum, atque humanũ.Cùm verò duplex sic locutio,altera interna intellectus,altera externa oris; non solum enim loqui dicimur cùm ore voces, sed etiam cùm mente cogitationes proferimus; (vnde illud: Dixit *Psalm.52. Matth.9.* *insipiens in corde suo*,& illud; *dixerunt intra se*, & alia) fit vt verbum, sit mentis, & oris,siue mentale,& vocale. Qua de re Basilius: Verbi (inquit) duplex est *D. Basilius. hom. 16.* sensus,vno modo per vocem prolatum, & aërem verberans,statimque periens; alio modo intra nos positum,& nostris cognitam cordibus, &c. Vulgo verbum pro vocali sumitur;quia mentale verbum, indoctis hominibus ignotum est. Augustus. tamen *Verbo mentis magis com. petit nomen verbi. D. Augustus.* 15.de Trinit. cap. 12. asserit verbo mentis magis competere verbi nomen. Verbum (inquit) quod foris sonat,signum est verbi, quod intus lucet; cui magis verbi competit nomẽ. Nam illud quod profertur carnis ore,vox verbi est, verbumque & ipsum dicitur,propter illud,à quo vt foris appareret, assumptum est,&c.

Cùm igitur duplex verbum sit, asserere filium Dei verbum vocale esse,hæresis est.nã hęretici Dei filium verbum esse prolatiuum affirmarunt, vt docet D.Hilarius in lib.de Synodis ijs verbis:Hęretici *D. Hilarius. Verbum Dei non est verbum vocale, in aërem diffluens.* perimentes quantum in ipsis est Dei filium,verbum esse tantum profitentur,prodeuntem scilicet ex loquentis ore sermonem, & insubstantiuæ vocis incorporalem sonum;vt Deo Patri istiusmodi sit verbum, filius, cuiusmodi per insitam nobis loquẽdi naturam verbum ore profertur in vocem. Apud eundem Hilarium hoc anathemate hęc hęresis dãnatur: Si quis insitum, & prolatiuum verbum,Dei filium dicat,anathema sit. & D.Epiphanius:Occa- *D. Epiphan. hæresi 73.* sionem(inquit)reperit Paulus Samosatẽsis,& Marcellus,non amplius dicentes filium Dei, filium vere,sed prætextu ex voce(verbum)arrepto verbum, & sermonem ex ore, voluerunt dicere filium Dei. Ideoque coacti sunt Patres, qui Paulum Samosatenum condemnarunt ob talem opinionem: quo ostenderent, quod filius substantiam habet, & est, qui est,non autem verbum ex ore est, essentiam dicere filium,&c.

Constat ergo Ioannem non loqui de verbo vocali, loquitur enim de Filio Dei; filius autem Dei non est verbũ vocale,quod Pater extra se voce aut sono produxerit;quemadmodum producta est vox illa: *Hic est Filius meus dilectus*,id quod clarius est,quàm vt indigeat probatione.Nam Verbum vocale huiusmodi,nec substantia, nec æternum, nec Deus esse potest, Dei autem filius substantia est, & æternus, & Deus. Augustinus de Symbolo, & fide cap. 3. *D. Augustus.* Verbum (inquit) non sicut verba nostra debemus accipere, quæ ore prolata, verberato aëre transeunt. & Damascenus: Deus verbum suum ex se *D. Damasc. l. 1 fidei, c 6.* genitum semper habet,non verbi nostri instar,substantia carens, atque in aërem dilabens, sed verè existens,ac viuum,& perfectũ, &c. D.Epiphanius, *D. Epiphan.* Filius Dei verbũ existens,non est vocalis actio Dei, sed filius existens essentia est.D.chrysost.cũ verbũ *D Chrysost. hom. 3. in Ioan.* hoc loco audis,noli quæso ijs acquiescere, qui dicunt,

cunt,id verbum esse,quod ore profertur, aut simpliciter verbum;multa enim Dei sunt verba, & quę Angeli faciunt,nullum tamen eorum Deus est. Sed & prophetiæ,& præcepta verba dicuntur.Hoc autẽ verbum;scilicet diuinum,subsistantia quædam est in persona,ex ipso Patre sine passione proueniẽs, &c.

Eusebius lib. 5 de demõst. Euang. c. 5. Et Eusebius:Nemo putet humanæ, quæ ex syllabis constat,& ex nominibus,& verbis componitur,articulatæ,atque enuntiabili enunciationi,Dei verbũ

Tertull. simile esse,&c.Tertullianus in lib.contra Praxeam; Quid est sermo,nisi vox,& sonus oris,& sicut Grãmatici tradunt, aër offensus, intelligibilis auditu, cæterum vacuum nescio quid, & incorporale, & inane.At ego nihil dico de Deo inane & vacuum prodire potuisse,vt de non inani,& vacuo prolatũ, nec carere substantia,quod de tanta substantia pro-

D. Ignatius. cessit,& tantas substantias fecit. Denique D. Ignatius in epistola ad Magnesianos;Christus(inquit)est verbum Patris non prolatiuum,sed substantiale,nõ locutio articulatæ vocis,sed operatio Deitatis, substantia scilicet genita,in omnibus bene placens genitori.Hæc ille.

Attamen etsi verbum Dei non sit vocale, habet similitudinem aliquam cum verbo vocali, vt docet

D. Epiphan. Verbum Dei eũ verbo vocalis habet similitudinem D. Augustꝰ. D. Epiphanius hæresi 73. Filius (inquit) Verbum nominatur,quoniã interpres est voluntatũ Dei,&c. Quemadmodũ enim verbo ore prolato,mẽtis sensa recondita declaramus, sic suo verbo incarnato Deus Pater voluntatem suã nobis aperuit. Augustꝰ. in lib.de fide & symbolo cap.3.Verbum Patris dictum est,quia per ipsum innotescit Pater, sicut ergo verbis nostris id agimus,vt noster animus innotescat audienti: sic illa sapientia, quam genuit Pater, quoniã per ipsam innotescit animus secretissimus Patris,Verbum eius conuenientissime nominatur.

D. Ignatius. & D.Ignatius in epistola ad Magnesianos,Deus manifestauit se ipsum per Christum,qui est verbum ipsius,&c.Vnde illud Pauli: *Nouissime diebus istis locutus est nobis in Filio,* hoc est,per filium; quod est illius

Hebr.1. verbum. Nazianzenus quarto lib. de Theologia.

D.Gregor. Nazianz. Verbum dicitur, quia ita se habet ad Patrẽ, vt sermo ad mentem,non modo propter generationem passionis omnis expertem, verum etiam propter coniunctionem ipsius cum Patre,vimque enunciatricem.

Hinc ducitur ratio, cur potius filius,quàm Pater, aut Spiritus sanctus fuerit incarnatus. Etenim incarnatio idcirco facta est,vt Deus orbi fieret manifestus;verbi autem est rem manifestam facere,ergo merito Verbum diuinum incarnatum est,vt Deum orbi patefaceret.

D. Basilius. D.Basilius in Homilia illa, quam scripsit in principium Ioannis, duas alias adiungit similitudines. Prima est, Verbum nostrũ vocale ex mente nostra promanat:Quę enim(ait ille) secũdũ cor nouimus:

Luc.6. Psal.44. hæc verbo proferimus,& Dominus: *Ex abundantia (ait) cordis os loquitur.* &: *Eructauit cor meum verbum bonũ,* eundẽ in modum Verbum diuinum ex mẽte Patris procedit.Secunda:Verbum nostrũ(ait Basilius) nostræ cogitationis imaginem refert, & quod loquimur,exemplar habet eius,quod corde cogitamus. Similiter Verbum diuinum imago Patris est. Cur Verbum dicitur? rogat Basilius, & respondet: Vt quod ex mente procedit,ostendatur, quoniam imago est genitoris sui,&c.

Habet ergo Verbum diuinum aliquam similitudinem cum verbo vocali,sed multo maiorem cum mentali, quod non ore, sed intellectu producitur. Ideoque,si parua licet componere magnis, dicen-

Verbum diuinum producitur à Patre, vt verbũ dum est Verbum diuinum à Patre produci eo modo, quo ab homine verbum mentale producitur. Hinc illud D.Augustꝰ.lib.15.de Trinit.cap.10. Quis-

quis potest intelligere verbum non solum antequã sonet, verũ etiam antequam sonorum eius imagines cogitatione voluantur;iam potest videre per hoc speculum,atque in hoc ænigmate aliquam verbi illius similitudinẽ,de quo dictum est: *In principio erat verbum.*Hæc ille.Et lib.15.c.11. Quicunque(inquit)cupit ad qualemcunque similitudinẽ Dei Verbi,quamuis per multa dissimilẽ peruenire, non intueatur verbum nostrum, quod sonat in auribus, nec quando voce profertur, nec quando silentio cogitatur;omnium namque sonantium verba linguarum,etiam in silentio cogitantur. transeunda sunt hæc, vt ad illud perueniatur hominis verbũ, per cuius qualẽcunque similitudinẽ, sicut in ænigmate videatur vtcunque verbum Dei.perueniẽdum est ad illud verbum hominis, ad verbum rationalis animantis,quod nec prolatiuũ est in sono, nec cogitatiuum in similitudine soni,sed quod omnia quibus significatur signa præcedit,& gignitur de sciẽtia,quæ manet in animo, quando eadem sciẽtia intus dicitur sicuti est,&c. Habemus igitur ex Augustino verbum mẽtis internum,speculum esse atque ænigma Verbi diuini.Quamobrẽ operæ pretiũ erit in speculo hoc,& ænigmate, quod erat in principio verbum,pro oculorum nostrorum hebetudine intueri.Multæ autem similitudines,non paucæ etiam

D. Augustꝰ.

Mẽtis producitur ab homine.

esse offerunt dissimilitudines.

Similitudines Verbi diuini & humani. Prima similitudo est. Quemadmodũ homo verbũ suum mẽte,ac cogitatione parit; ita Pater suum verbum per intellectum gignit;gignit(inquã) perfectissima, immensaque intellectione semetipsum comprehendens,quæ tum essentiam diuinam,tum creaturas omnes complectitur.

Secunda.Quemadmodũ verbum mentis absque motu,immaterialiter,atque intellectualiter,ita Verbum diuinum producitur.

Tertia. Quemadmodum, verbum hominis productum in eadem manet mente à qua producitur, iuxta illud D.Fulgentij lib.3.ad Monimum: Mens

D. Fulgent. cogitando verbum intra se generat; & sic generat verbum de se,vt genitũ habeat apud se;sic verbum diuinum in ipso Patre manet,à quo gignitur; vnde illud: *Vnigenitus,qui est in sinu Patris.* *Ioan. 1.*

Quarta.Quemadmodũ verbum hominis est imago rei, quæ intelligitur, sic verbũ Patris est imago Patris,quam semetipsum intellectione infinita cõprehendens, producit.

Quinta.Quemadmodũ verbum siue conceptus, in mente artificis, principium est fabricandi, ita verbum diuinum in mente Patris, principium est operandi:*Omnia enim per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil.*

Sexta. Quemadmodum verbum mentis per vocem ostenditur,sic Verbum diuinum per humanitatem hominibus est demonstratum.iuxta illud D. Augustꝰ.Ita verbum nostrum vox quodãmodo corporis fit,assumendo eam,in qua manifestetur sensibus hominum; sicut verbum Dei caro factum est, assumendo eam, in qua & ipsum manifestaretur sensibus hominum, &c.

D Augustꝰ 15 de trin. cap. 11.

Septima eiusdẽ Augustꝰ.eodem loco, Opera(inquit) hominis nulla sunt,quæ nõ prius dicantur in corde,vnde scriptũ est:*Initium omnis operis verbum.* & *Eccles.37.* potest esse verbum nostrũ,quod nõ sequatur opus; non potest autẽ esse opus nisi præcedat verbum.Sic & verbum Dei potuit esse nulla existente creatura, creatura verò nulla esse potest,nisi per ipsum, per quod facta sunt omnia.Hæc ille.

Octaua.Quemadmodum conceptus noster tamdiu durat, quandiu durat intellectio, sic diuinum Verbum. In sempiternum autem permanet Patris intellectio æterna, atque indiuisibilis, in sempiter-

num quoque permanet verbum, quod per illã pro- A
ducitur. Quia verò intellectio Patris, perpetuo eſt
in actu, verbi quoq; generatio perpetuo eſt in actu.
Quocirca vero eſt hæc enunciatio; verbum ſemper
Mich. 5. gignitur, ſiue producitur. Hinc illud: *egreſſus*, hebraicè egreſſiones *eius, ab initio, à diebus æternitatis*; vtitur
enim vates numero multitudinis, eo quod verbi generatio ſempiterna eſt, coexiſtitque multis durationibus noſtris.

Nona. Quemadmodum verbum noſtrum repræſentat res, quæ intelliguntur, ſic diuinum Verbum. Quia verò Pater producit verbum intelligendo eſſentiam, perſonas diuinas, & creaturas omnes, efficitur vt Verbum diuinum, eſſentiam diuinam, perſonas, creaturaſque omnes repræſentet; atque adeò B
eſſentiæ, perſonarum, creaturarumque omnium ſit
ſpeculum clariſſimum.

Hę ſunt inter verbum noſtrum & diuinũ ſimilitudines, diſſimilitudines quoque non paucæ inter vtrumque cernuntur. Nam vt ait Baſil. 2. cõtra Eunomium; Non eſt poſſibile, parua & vilia, diuinis
D. Auguſt. atque æternis ad vnguem accõmodari. Et Auguſt. ſerm. 190. de tempore, Deus (inquit) cum æſtimatur, non poteſt ęſtimari; cum comparatur, non poteſt comparari, videlicet æquali comparatione.

Prima diſſimilitudo. Verbum noſtrum initium habet temporis, cùm enim illud efformamus intellectu, tunc eſſe incipit: at verbum diuinum omni C
principio caret, & æternum eſt.

Secunda. Verbo noſtro prior eſt tempore mens, à qua producitur: Verbo diuino non eſt prior tempore Pater, à quo gignitur. Etenim æternus filius eſt, quemadmodum Pater.

Tertia, Verbum noſtrũ natura ipſa differt à producente, diuinum conſubſtantiale eſt Genitori.

Quarta. Verbum noſtrum accidens eſt ſubiecto inhærens, diuinum ſubſtantia per ſe ſubſiſtens.

Quinta. Verbum noſtrum per ſe efficere nihil poteſt, diuinum eſt omnipotens.

Sexta. Verbum noſtrum vita caret, diuinum, ęternam viuit vitam.

Diſſimilitudines inter verbum diuinũ, & humanum. Septima. Noſtrum verbum eſt multiplex, diui- D
num vnicum tantum modo. Quia enim multas producimus intellectiones, multa quoque verba, multóſve conceptus mente effingimus, quibus res varias, diuerſaſque intellectu concipimus. At Deus vnico actu ſe metipſum, creaturasque omnes intelligit, vnicumque ac perfectiſſimum verbum producit, quo dicit omnia. Nos ſępè loquimur, quia vnica nobis locutio, ſiue interna ea ſit, ſiue externa, non eſt ſatis. Deus verò ſemel tantum locutus eſt, eaque vnica locutione omnia dixit exprimendo, ſcilicet diuinam eſſentiam, perſonas, & creaturas om-
Pſal. 61. Semel loquitur Deus D. Auguſt. nes. Vnde D. Aug. illud: *Semel locutus eſt Deus*, de verbo diuino exponit: Apud ſe (inquit Auguſt.) ſemel locutus eſt Deus; hic inter homines, ſępè multis mo- E
dis patribus per multiformem creaturam locutus
eſt, &c. Et Pſal. 44. Dicere (ait) Dei ſine initio eſt, &
ſine fine, & tamen vnum verbum dicit. dicat alterũ,
ſi quod dixit, tranſierit. Cùm verò, & à quo dicitur
manet, & quod dicitur manet; & ſemel dicitur, &
non finitur. Et ipſum ſemel ſine initio dicitur, nec
bis dicitur, quia non tranſit, quod ſemel dicitur. Itẽ
Pſal. 61. legimus: *Semel locutus eſt Deus*; toties locutus eſt Deus
per prophetas, toties per Apoſtolos, hodieque loquitur per ſanctos ſuos, & ait, *Semel locutus eſt Deus*:
Vnde ſemel locutus eſt, niſi per verbum ſuum?
D. Athana. Hæc Auguſt. & D. Athanaſius ſerm. 3. contra Arianos: Hominibus (inquit) multa, & frequentia, quotidie verba enaſcuntur, & prætereunt, eo quod priora non maneant, ſed euaneſcant, quod ideo cõtingit, quia mortales iſtorũ verborũ Patres lubricas, &
prætermeabiles habeant ætates. Cogitationes autẽ tales ſunt, qualia illa, quæ loquuntur, vnde fit, vt multa verba habeant, & poſt multa verba nihil eorum in columne poſsideant, ſimul enim, vt deſijt quis loqui, conſumptum eſt verbum. Contra verò Dei verbum vnum eſt, atque idem, & in ęternum permanet, ſine mutatione, non primum aut ſecundũ, ſed ſemper idem exiſtens. Conueniebat ſiquidem vnius Dei vnicam eſſe imaginem, atque vnicũ verbum, vnicam item ſapientiam. Hæc ille.

Octaua. Verba noſtra tam oris, quàm mentis effluunt, & dilabuntur, diuinum verbum æternum eſt, quemadmodum ęterna intellectio Patris, vt dixit Athanaſius.

Nona. Verbum noſtrum non eſt filius noſter, verbum diuinũ eſt filius Patris. filius enim, vt colligitur ex D. Thom. eſt viuens, quod procedit à viuente *D Thom. 1. p. q. 27. ar. 2.* coniuncto, per actionem vitalem, cui ſimile eſt ſecundùm naturam. Sic ſe habet Verbum diuinum, nam viuens eſt, & à Patre viuente, ſibique coniũcto vitaliter, nempè per intellectionem procedit, cui maximè ſimilis eſt ſecũdùm eandem eſſentiã. Verbo autem noſtro hæc definitio minimè congruit: congrueret autem, ſi eſſet ſubſtantia viuens. Nam ſi animus noſter conceptum ſuipſius gigneret, conceptuſque eſſet ſubſtantia viuens, & intelligens, eſſet proprie animi filius, eiuſque productio generatio optimo iure diceretur.

Diſſimilitudines inter verbum vocale, & verbum diuinũ ex D. Athanaſio. D. Athanaſ. ſer. 3. contra Arianos diſsimilitudines inter verbum voce prolatum, & Verbum diuinum his verbis explicat: Hominum verbum, vt ſyllabis conſtat, ita neque viuit, neq; agendi vires poſſidet, ſed ſolum modo eſt in loquente index mentis, & ſtatim vbi enunciatum eſt, præterit, neque vlterius apparet, quia nihil erat, priuſquam enuntiaretur. Ideoque neque viuit, neque agendi vires habet, neque hominis naturam poſsidet, idque ita accidit, quia homo eſt, qui illud gignit, ex non ente ſortitus eſt naturam. Dei autem verbum non (vt ſic dicam) enunciatorium eſt, aut ſonus vocum, aut cõplexio dictionum, qua Deus ſingulis rebus præcepit, vt exiſterent, ſed quale ex luce ſplendor, tale & ipſum eſt, genitum quiddam, & perfectum ex perfecto, ac proinde Deus eſt, & imago Dei. Deus enim (inquit Ioan.) erat verbum. Verba hominum nihil efficacię habent ad agendum, ideoque non verbis, ſed manibus homines operantur, e diuerſo *Dei Verbum*, vt inquit Apoſtolus, *viuum eſt, & efficax*. Hæc Athanaſ.

Quomodo Verbũ diuinum dicatur prodijſſe ex ore altiſsimi. Eccli. 24. At probabit aliquis, Verbum diuinum inſtar verbi vocalis à Patre procedere. ſiquidem ſapientia dicitur ex ore Dei prodiiſſe. *Ego* (inquit) *ex ore altiſsimi prodiui, primogenita ante omnem creaturam*. Reſpondemus, Patris os non eſſe corporeum, ſed ſpiritale, id verò eſſe intellectum: quemadmodum enim nos ore loquimur, ita intellectu Pater Verbum ſuum dicit: quia ergo per intellectum diuinum Verbum producitur, ideo ex ore altiſsimi prodijſſe Sapiẽtia dicitur. Quamuis autem hæreticum dogma ſit Verbum diuinum productione externa per vocẽ, & ſonum, eſſe à Patre productum, vt producitur verbum vocale ab homine; tamen rectè dici poteſt, eſſe productum generatione interna per intellectum, veluti per os Patris, inſtar verbi noſtri ore prolati.

D. Auguſt. D. Auguſt. Pſal. 44. Verbum diuinum cum verbo quoq; ſcripto cõfert, de Patre enim verba illa Pſal. exponit: *Lingua mea calamus ſcribæ, velociter ſcribentis*, eo quod verbum ſuum Deus in ſeipſo veluti ſcribat. cum verbum dicat Deus (ait Auguſtinus) & verbũ, quod dicitur, non ſonet, & tranſeat, ſed & dicatur, & maneat, ſcriptis hoc maluit Deus comparare, quã ſonis. Hæc Auguſt. Quam autem velociter Pater

Verbũ diuinũ cum verbo ſcripto cõfertur ab Auguſtino.

hoc

hoc verbum ſcribat, ſic explicat; Velociter Dei tale eſt, vt velocius nihil ſit; in ſcripturis enim ſcribitur litera poſt literam, ſyllaba poſt ſyllabam, verbum poſt verbum, nec ad ſecundum tranſitur, niſi primo præſcripto. ibi autem, id eſt, in Deo, nihil velocius, vbi non multa ſunt verba, nec tamen aliquid prætermiſſum eſt, cum in vno ſint omnia. Hæc Auguſtinus.

Lactantius. Nec verò illud Lactantij dictum eſt recipiendum lib. 4. de Sapientia cap. 8. Dei (inquit) filius, cum voce ac ſono ex Dei ore proceſſit, ſicut verbum; ea ſcilicet ratione, quia voce eius ad populum fuerat vſurus, id eſt, quòd ille magiſter futurus eſſet doctrinæ Dei, & cęleſtis arcani, ad homines perferendi, quod ipſum primò locutus eſt, vt per eum ipſe ad nos loqueretur. Hęc ille. Verbum enim diuinum, ſine vlla voce ac ſono à Patre admirabiliter producitur. eodem loco verbum Dei vocat vocalem ſpiritum, quẽ Deus non vtero, ſed mente concepit.

Verbũ ex corde Patris dicitur procedere. *Pſal. 44. D. Ambr. Tertull. D. Cyrill. D. Gregor. Nazianz.* Dicitur etiam Pater corde producere verbum. Nam illud: *Eructauit cor meum verbum bonum*, Patres æterno Patri tribuunt. Ambroſius in tract. de ſymbolo, & ad finem lib. 5. in Luc. & lib. 2. de fide cap. 1. Tertul. lib. 2. aduerſus Marcionem, & in lib. aduerſus Praxeam c. 7. D. Cyrillus li. 2. de Trinit. D. Greg. Nazian. in tract. de fide; Propheta ex voce Dei: *Eructauit* (inquit) *cor meum verbum bonum*; Vides hoc verbum filium Dei eſſe, quem non aliunde quàm de paterno pectore, & vt ita dicam, de vtero cordis Dei credimus extitiſſe. Hæc ille. Auguſt. item in expoſitione ipſius Pſal. 44. Ne putares (ait) aliquo coniugio indiguiſſe Deum, vnde filium generaret: *Eructauit* (inquit) *cor meum verbum bonum*. item: Vnde profert Deus verbum, niſi ex corde ſuo, ex intimo ſuo? Hæc ille. Cor Patris intellige appellari intellectum, per quem verbum producitur.

D. Auguſt.

Sap. 7. Verbũ vapor virtutis Dei, emanatio claritatis illius, candor lucis æternæ, ſpeculum ſine macula, & imago Patris. Dicitur ſapientia produci inſtar vaporis. Nam appellatur, vapor virtutis Dei, & emanatio quædam claritatis illius ſyncera, candor lucis æternæ, & ſpeculum ſine macula maieſtatis, & imago bonitatis illius. Dicitur autem vapor metaphoricè ad humilem hominis captum; quia quemadmodũ vapor ſuauiſſimus è flore, vel vnguento, ſic ſapientia, verbum quę diuinum fragrantiſsimum, ex Patre emanat. Euſebius lib. 4. de demonſtratione Euangelica ca. 3. Deus (inquit) diuinam, vitalemque fragrantiã, quæ animo, & cogitatione duntaxat percipi poteſt, produxit. Candor nominatur lucis æternæ, id eſt, ſplendor Patris, vt legit Ambroſ. lib. 1. de fide, ca. 4. ſpeculum maieſtatis Dei; & imago bonitatis illius, quia verbum ſpeculum eſt, & imago producentis. Ambroſius; Splendor eſt, quod claritas paternę lucis in filio ſit; ſpeculũ ſine macula, quod Pater videatur in filio; imago bonitatis, quod non corpus in corpore, ſed virtus in filio tota cernatur, &c.

Hebr. 1. Similem in modum à Paulo Verbum vocatur *ſplendor, & figura*, græce χαρακτὴρ, ſubſtantiæ Patris.

D. Ambroſ. Ambroſ. eodem loco: Imago (inquit) docet non eſſe filium Patri diſſimilem, character expreſſum eſſe ſignificat, ſplendor ſignat æternum. Imago non eſt vultus corporalis, non fucis compoſita, non ceris, ſed ſimplex de Deo, egreſſa de Patre, expreſſa de fonte. Hæc ille.

Præterea dicitur Verbum ex vtero genitum, celebri illo loco: *Ex vtero ante Luciferum genui te.* Sed quęret aliquis, num ſimilitudo hæc ſumpta ſit ex vtero fœminæ, an ex vtero viri? Videntur enim viri non generare ex vtero. Quam ob cauſam D. Irenæus li. 3. cap. 27. illud: De *fructu ventris tui ponam ſuper ſedem tuam*, interpretatur de Meſſia naſcituro ex ventre, non Dauidis, ſed Virginis, his verbis: Propter hoc, de fructu ventris eius regẽ promiſit, quod erat proprium Virginis prægnantis, & nõ de fructu lumborum eius, vel renum eius, quod eſt proprium viri generantis, & mulieris ex viro conceptionem facientis. Hæc ille. & Tertullianus lib. 3. contra Marcionem, Nathan (inquit) Propheta profeſsionem ad Dauid facit, ſemini eius, quod erit (inquit) ex ventre ipſius. Hoc ſi in Salomonem ſimpliciter ediſſeras, riſum mihi incuties, videbitur enim Dauid peperiſſe Salomonem, &c.

Pſal 109. *D. Irenæus, Pſal 131. Ex vtero genuit Pater filium.*

Tertullian.

Nihilominus in literis ſacris homines ex vtero dicuntur generare, ait Dominus Abrahamo: *Qui egredietur de vtero tuo, ipſum habebis hæredem.* Ait Dauid: *Ecce filius meus*, ſcilicet Abſalon, *qui egreſſus eſt de vtero meo, quærit animam meam*, &: *Suſcitabo ſemen tuum poſt te, quod egredietur de vtero tuo.* Iob. *Orabam filios vteri mei. Regem Aſſyriorum filij, qui egreſſi fuerant de vtero eius, interfecerunt.* Ne tamen decipiaris, aduerte hebræos vterum tribus vocabulis ſignificare בטן beten מגים megaim & רחם rechem. Illa duo priora, tã de fœminis dicuntur, quàm de viris, tertium nomen rechem fœmineum tantum vterũ ſignificat; locis ergo citatis, in quibus generatio ex vtero tribuitur viris, nomen eſt megaim, commune fœminis & viris, quod ſignificat ventrem, & viſcera. Significatur verò illis locis filios generari ex vtero, hoc eſt, viſceribus patrum. Pſal. 131. nomen eſt Beten, & Iob 19. hoc verò Pſal. 109. loco, quem explicamus, nomen eſt rechem, quod ſignificat fœminæ vterum. *Genes. 15. 2. Reg. 16. 2. Reg 7. Iob 19 2. Paral. 32.*

Reſpondemus ergo quæſtioni propoſitæ, ſimili-tudinem ſumptam eſſe ex vtero fœmineo, ſiue vulua, vt loquitur Tertullianus in lib. aduerſus Praxeã ca. 7. Primogenitus (inquit) vt ante omnia genitus, & vnigenitus, vt ſolus ex Deo genitus, proprie de vulua cordis ipſius, ſecundum quod & pater ipſe teſtatur Pſalm. 44. eructauit cor meum ſermonem optimum. Hæc ille. *Tertullian.*

Dicitur autem verbum ex vtero Patris genitum, noſtro loquendi more, quemadmodum dicitur ex corde Patris productum, videlicet ex intellectu. Gignit ergo Pater verbum ſuum, ſiue filium, modo quodam ineffabili, quippe qui ſolus gignit, aliena vulua non indigens, vt indigẽt homines. Solus ipſe ad æternam hãc, & admirabilem generationẽ perficiendã eſt ſatis: ideo dicitur ex vtero genuiſſe, non enim alieno fuit opus. Qua de re ſic D. Thomas ſcripſit lib. 4. contra gentes cap. 11. Eorum, quæ ad generationem prolis requiruntur, quædam conueniunt patri, & quædã matri, tanquam patienti, & recipienti. cùm autem conceptio verbi ſecundũ hoc ſit, quòd Deus ſeipſum intelligit, ipſum autem diuinum intelligere non eſt per aliquam virtutem paſſiuam, ſed quaſi actiuam, quia intellectus diuinus non eſt in potentia, ſed in actu tantùm, ideo in generatione verbi non competit hoc ratione matris ſed ſolùm patris. Vnde quæ in generatione carnali, diſtinctim patri & matri conueniunt, omnia in generatione Verbi Patri attribuuntur, in literis ſacris. Sic D. Thom. Quemadmodum verò hoc loco tribuitur filio generatio ex vtero Patris; ſic tribuitur illi conceptus, & partus. Ait diuina ſapientia, id eſt, diuinum verbum: *Nondum erant abyſsi, & ego iam concepta eram*; item: *Ante omnes colles ego parturiebar*, concepta erat in vtero Patris, parturiebatur ex eodem vtero. *D. Thomas.* *Prou. 8.*

Dicitur præterea filius genitus ex vtero, quia in fęmineo vtero gignitur filius, & genitus per tempus aliquod manet. Eundem in modum ex vtero Patris gignitur Vnigenitus, in eo autem perpetuo eſt, iuxta illud: *Vnigenitus, qui eſt in ſinu Patris.* Item: *Verbum erat apud Deum.* Dicitur quoque ex vtero gigni filius, ſiue Verbum, quia verbum eſt conceptus, cõceptus autem *Ioan. 1.*

tem vteri est alicuius. Noster intellectus veluti vterus recipit formas intelligibiles ab obiecto, illisque receptis veluti semine, gignitur conceptus. Pater verò summus ex essentia sua, per infinitum illum vterum, hoc est, intellectum suũ, nõ recepta aliqua imagine intelligibili, sed ipsa diuina essentia rationẽ imaginis obtinente, & infinito intellectus vtero recepta, infinitũ gignit verbũ, se ipsum intelligens.

Sic in ijs humano ore balbutimus, ad captũ enim nostrum se demittit Deus, cum sibi vterum tribuit, cor, & huiusmodi alia. Vnde illud D. Athanasij in oratione contra Arianos, in hoc dictum; Deus erat verbum, Consuetudo (inquit) est sacræ Scripturæ, humanitus ea, quæ supra hominem sunt eloqui, & significare. & illud D. Hilarij lib. 12. de Trinit. Plerumque per nostrorum corporum membra Deus nobis significans operationum suarum momenta, sensum nostrum vsu intelligentiæ communis edocuit. D. Hieronymus, Patrem sic inducit loquentẽ: Non habeo vterum, sed non possum aliter me indicare Patrem, nisi hominis verbis locutus fuero, ex vtero genui te, de mea substantia. Quando autẽ dicitur vterus, filius significatur, & filius non adoptatus. De vtero genauit; de sua natura, de suis visceribus, de sua substantia, ex vtero, id est, de medullis diuinitatis suæ, totum quidquid Pater est in diuinitate, dedit filio. Hactenus Hieronymus in Psalm. 109.

D. Athan. *D. Hieron.*

Verbũ diuinum producitur à Patre veluti germen infinitum. & flos odoris suauissimi, Dionysius Areopagita.

His adde à magno Dionysio Areopagita duas diuinas personas, Filium, & Spiritum sanctum, productas dici veluti infinita quædam germina. veluti fragrantissimos quosdam flores, veluti lumina quędam splendidissima. Etenim in lib. de diuinis Nom. cap. 2. in fine primæ partis hæc scribit. Quòd primordialis, & fontana sit deitas Pater, Filius verò, & Spiritus sanctus, fœcundæ deitatis (si fas est dicere) germina plãtata diuinitus, & veluti flores, ac supersubstãtialia lumina; à Scripturis sanctis accepimus. Quonam verò modo ista sint, neque eloqui, neque intelligere possumus. Hęc ille. Dionysius fontanam deitatem Patrem appellat. D. Cyrillus lib. 1. in Ioan. cap. 1. appellat fontem; Non est, (inquit) absurdum, quod diximus in Patre Filium tãquam in fonte intelligendum esse. Nihil enim aliud nomen fontis nobis significat, quàm vt ex quo, Filius verò in Patre & ex Patre est, non profluens foras, &c. Producitur ergo filius à Patre, tanquam à fonte, fons, siue fluuius infinitus, non profluens foras, vt ait Cyrillus, sed in Patris sinu manens. Quem in modum ex sole splendor emicat, & in sole manet, ex igne caliditas emanat, & in igne permanet. Vnde Cyrillus: Filius (inquit) in Patre & ex Patre est, non profluẽs foras, sed aut quasi à sole splendor, aut quasi ab igne insitã caliditas; sicut quæ ab istis profluunt, simul cũ illis sunt, vnde profluũt, ac semper vnde fluant, ostendunt, sic in Vnigenito intelligendum est, ex Patre enim esse intelligitur, sed in Patre etiam creditur, &c.

D. Cyrillus.

Similitudines productionis verbi diuini ex D. Basilio & Tertull.

D. Basilius lib. 2. Contra Eunomium processionis huius admirandæ alia similia ijs verbis proponit. Oportet (inquit) dignam de Deo generationem intelligere impassibilem, impertibilẽ, indiuisibilẽ, sine tempore, instar resplendentis à luce radij. Intelligere autem imaginem inuisibilis Dei, nec secundum artificiosas has imagines, ad exemplar postea elaboratam, sed existentem, & consubsistentẽ cum prototypo, qui ipsi substantiam dedit, itemque cum Archetypo existentem, nec imitatione figuratam, sed tanquam sigillo aliquo tota Patris natura filio impressa. Aut si vis, qualis artium sit constitutio, tota ex docentibus in discipulos immissa, cum nihil desit docentibus: & perfectio adsit ijs, qui dicerunt. vel id quidem, non ita congruum ad similitudinẽ, propter temporis spatium, illud commodius; qualis est intellectionis natura, motibus mentis sine tempore constituta. Hæc Basilius. Tertullianus his etiam vtitur collationibus, in libro aduersus Praxeam ca. 8. Protulit Deus sermonem, id est, verbum, sicut radix fruticem, & fons fluuium, & Sol radium, nec frutex à radice, nec fluuius à fonte, nec radius à sole discernitur, sicut nec à Deo sermo, &c. In ijs verò omnibus similitudinibus illud oportet aduertere, quod D. Cyrillus aduertit lib. 12. Thesauri cap. 15. eas omnes, & huiusmodi alias in infinitum à diuinis distare. At verò vt idem Cyrillus docet li. 10. in Ioan. cap. 9. quamuis minimę sint, sæpenumero tamen maximas, supernaturalesque res clariores quodammodo faciunt.

D. Cyrillus.

CAPVT III.

De voce græca λόγος: & An verbum diuinum notum fuerit philosophis.

GRÆCE Ioannes Euangelium scripsit, appellatque Verbũ græca voce λόγον: significat autẽ λόγος, verbum, & sermonem. Quamobrem Tertullianus in lib. contra Hermogenem, hanc habet versionem: In principio erat sermo, & sermo erat apud Deum, & Deus erat sermo; contra Praxeam; A primordio (inquit) sermo erat apud Deum, & Deus erat sermo. Huius versionis meminit Augustinus tractatu 108. in Ioãnem. In quibusdam (ait) codicibus scriptum est: In principio erat sermo. At sequenda recepta ab Ecclesia, & latinis Patribus versio: *In principio erat verbum*, quam sequuntur D. Hilarius 2. de Trinitate, D. Cyprianus in lib. contra Iudæos cap. 2. D. Augustinus in Ioãnem, D. Ambrosius lib. 1. de fide, c. 5. & in lib. de Filij diuinitate cap. 2. Lactantius lib. 4. de Sapientia cap. 8. & multi alij. Ea est aptissima, nam sermo ex multis verbis cõstat, & multiplicitatem indicat, at verbum diuinum vnicũ tantum est; ideoque vt hæc significetur vnitas, melius vertitur; *In principio erat verbum*, quàm In principio erat sermo.

Filius Dei dicitur logos id est, verbũ & sermo. sed potior versio est, in principio erat verbum.

Quod si quis objiciat, verbum conceptum esse simplicem, nec exprimere animi sententiam perfectam, propterea que non conuenire filio Dei, qui perfectissima sit Patris sapientia. Respondebimus, in hominibus id verum esse, qui vno conceptu sapientiam vniuersam expromere nequeunt, at cum Deus vnico verbo dicat omnia, vniuersamque sapientiam suam explicet, filius rectiùs verbum vnicum appellatur, quam sermo, qui ex multis verbis contexitur.

Non tamen inficiamur posse dici filium Dei, sermonẽ Dei, sic enim à Patribus nominatur; à D. Cypriano lib. 2. contra Iudæos cap. 3. & in lib. de vanitate idolorum, à Lactantio lib. 4. de Sapientia cap. 8. vt omittã Tertullianum. Augustinus ser. 38. de verbis Domini: Non est ille sermo, non est ille Deus minor in patre, quàm in toto. Præterea Filius Dei sermo appellatur ijs verbis: *Viuus est sermo Dei, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti*, &c. De filio enim Dei intelliguntur ab Anselmo, D. Ambros. lib. 4. de fide cap. 3. & Exod. c. 24. ab vtraque glossa, à Theodoreto, Theophylacto, & alijs, Filius ergo Dei in nostra versione sermo Dei dicitur. Eodem nomine afficitur ab Ecclesia, cũ rẽ facit diuinã in octaua Epiphaniæ: *Dũ mediũ* (ait) *silentiũ tenerent omnia*, &c. *Omnipotens sermo tuus*, id est, verbum tuum, *à regalibus sedibus venit*. Quæ verba ex cap. 18. Sapiẽtiæ desumpta sunt.

Hebr. 4.

Significat

Verbum dicitur ratio à patribus. Significat item nomen λόγος, rationem. quam ob cauſam filius Dei à Patribus ratio nominatur. Dicitur autem ratio eodem modo, quo dicitur ſapientia; ratio enim & ſapientia in Deo idem ſignificare videntur. *D. Cyprian* D. Cyprianus in lib. de Vanitate idolorum; Indulgentiæ (inquit) & gratiæ arbiter, & magiſter ſermo, & filius Dei mittitur; hic eſt virtus Dei, hic *D. Ambroſ.* ratio, hic ſapientia eius, & gloria. D. Ambr. in lib. de Filij diuinitate cap. 6. Ratio quædam eſt, quæ apud græcos λόγος nuncupatur, quæ inter Patrem, & Filium, perſonas; vel vocabula diſtinguit; quia & ipſe *Tertull.* filius ratio dicitur, &c. Tertullianus in li. cõtra Praxeam cap. 5. Ante omnia Deus ſolus erat, ipſe ſibi, & mundus, & locus, & omnia; ſolus autem, quia nihil extrinſecus præter illum. Cæterum ne tum quidem ſolus; habebat enim ſecum rationem ſuam, hanc græci λόγον dicunt, quo vocabulo etiam ſermonem *Rupertus.* appellamus. Hæc ille. Rupertus Ioan. 1. Verbum (inquit) Dei perpetua ratio eſt, ſapientia ſempiterna eſt. Item, cur non ipſa ratio ſempiterna verbum dicatur, vnde nobis ineſt rationalitas? &c.

Citato loco vult Tertullianus, apud Ioannẽ vertendum potius fuiſſe; In principio erat ratio, quàm; In principio erat ſermo, quia ratio eſt prior ſermone. Veruntamen rectius vertitur: *In principio erat verbum,* *D. Auguſt.* quàm in principio erat ratio, vt docet D. Aug. lib. octoginta trium quæſtionum, quęſtione 63. λόγος (inquit) & rationem, & verbum ſignificat. Sed hoc loco, (id eſt apud Ioannem) melius verbum interpretamur, vt ſignificetur, non ſolùm ad Patrem reſpectus, ſed ad illa etiam, quæ per verbũ facta ſunt, operatiua potentia. Ratio autem etſi nihil per illam fiat, recte ratio dicitur. Hæc Auguſtinus. Præterea rectius vertitur verbum, quam ratio, vt indicetur *D. Dionyſius Areopagita.* filij à Patre proceſſio. Lege Dionyſium Areopagitã lib. de diuinis nominibus cap. 7. vbi docet cur Deus in ſacris literis, hoc videlicet Ioannis loco, ratio appelletur. Ratio (inquit) Deus dicitur in Sanctis literis non modo quia & rationis, & ſenſus, & ſapientiæ indultor eſt, ſed quia & omniũ cauſas in ſe vniformiter ante cõplexus eſt. & quia per omnia pergit, *Sap. 8.* *penetrans vſque ad omnium finem,* vt ſcriptum eſt, & ſupra hæc etiam, quia ſupra ſimplicitatem omnem diuina expanditur ratio, eſtque ab omnibus, ſupra omnia, ſupremæ ſubſtantiæ ratione abſoluta, &c.

Significat quoque λόγος definitionem. Vnde D. *D. Gregor. Nazianz.* Gregorius Nazianzenus Oratione 4. de Theologia indicat filium dici poſſe λόγον Patris, id eſt, definitionem. Verbum (ait) dicitur filius, quia ita ſe habet ad Patrẽ vt ſermo ad mentem: non modo propter generationẽ omnis paſſionis expertẽ, verum etiam propter coniunctionẽ ipſius cum Patre, vimque enunciatricem, fortaſsè etiam, quia eodẽ modo ſe habet ad Patrem, quo definitio cũ definito. nam *Ioan. 14.* hoc quoque λόγος dicitur, *qui enim filium videt, videt & Patrem,* ac breuis faciliſque paternæ naturæ declaratio eſt filius. Hæc Nazianzenus.

Cur filius dicatur Patris ſapientia. Ex dictis facilè intelliges, cur Chriſtus in Sacris literis, & à Patribus ſapientia Patris nominetur. quia nimirum eſt Patris λόγος, id eſt, verbum. ſi homo quidquid ſcit vno verbo ſiue conceptu poſſet explicare, illud verbum eſſet illius ſapientia. Pater vnico verbo quidquid nouit, dicit, ideo verbum Pa- *Euſebius.* tris ſapientia Patris nuncupatur. Euſebius libr. 5. de demonſt. cap. 5. Verbum (inquit) earum omnium rerum, quæ factæ ſunt, rationes in ſe fert, quare & *D. Thomas.* ſapientia, & Dei verbum appellatur, &c. D. Thom. 4. contra Gentes cap. 12. Manifeſtum (inquit) ex dictis, quòd filius Dei eſt verbum, & conceptio Dei intelligentis ſe ipſum. Sequitur ergo quòd ipſum verbum tanquam ſapienter mente diuina concep-

A tum, propriè concepta ſiue genita ſapientia dicatur. Hæc D. Thom.

At dubitabit forſitan quiſpiam, cur Euangeliſta *Cur Ioannes non dixerit, in principio erat filius, ſed erat verbum.* nomine filij non ſit vſus? curque nõ dixerit potius, In principio erat filius, quàm, In principio erat verbum. Huius rei rationem reddit D. Baſilius, in principium Ioannis. Si dixiſſet (inquit) In principio erat filius; appellatione filij cogitatio de paſſione generationis ſubijſſet, quoniam apud nos genita, & tempore, & paſſione generantur. Idcirco de induſtria, Verbum dixit. & Chryſoſtomus homilia 1. in Ioannem: Ne paſſibilem quiſpiam naturam ſuſpicaretur, præoccupata Verbi appellatione, omnem aufert ſuſpicionem, inde enim & filium, & nulli paſ- B ſioni ſubiectum ſignificat. Alteram quoque cauſam commemorat idẽ Chryſoſtomus, cur filium Verbũ Ioannes appellarit: quoniam (inquit) Patrem nobis annunciaturus erat. Tertia cauſa eſſe poteſt: quia nomen verbi Dei iam erat notum in antiquo teſtamento Iudæis: *Verbo Domini cœli firmati ſunt,* &c. Notũ *Pſal. 32.* quoque erat philoſophis.

Dubiũ tamen eſt non leue, an Verbum diuinum *An nouerint philoſophi verbum diuinum? Lactantius. Philoſophos cognouiſſe verbum diuinum probatur.* philoſophis Ethnicis notum fuerit: Notum enim fuiſſe docet Lactantius li. 4. de Sapientia c. 9. his verbis: Hunc ſermonem, id eſt, Verbum diuinum, nec philoſophi quidem ignorauerunt. Siquidem Zenon naturæ diſpoſitorem, atque opificem vniuerſitatis λόγον prædicat, quem & fatum, & neceſſitatẽ rerum, C & Deum, & animum Iouis, nuncupat. Nam Triſmegiſtus, qui veritatẽ penè vniuerſam, neſcio quomodo inueſtigauit, virtutem, maieſtatemque verbi, ſæpe deſcripſit. Hæc Lactantius.

Quid verò Mercurius de verbo ſcripſerit, indicat Auguſtinus in lib. de quinque hæreſibus ca. 3. Scripſit (inquit) Mercurius librum, qui λόγος τέλειος appellatur, id eſt, verbum perfectum, magnum nomen libri huius, quia magnus eſt, de quo ſcriptus eſt liber. Quid enim perfectius Verbo, qui ſolus eſt inter mortuos liber? Audiamus quid loquatur Mercurius de Verbo perfecto. Dominus (inquit) & omnium factor Deorum, ſecundum fecit Dominum. & poſt pauca: Quoniam ergo hunc fecit primũ, & ſolum, & vnum, bonus autem ei viſus eſt, & pleniſſimus omnium bonorum; lætatus eſt, & valde dile- D xit tanquam vnigenitum ſuum. Item alio loco ſic: Filius benedicti Dei, atque bonæ voluntatis, cuius nomẽ non poteſt humano ore narrari; de ſolo Deo, Dominus eſt, omnium dominante Deo, mortalibus, ſuper homines eſt. Hæc Mercurius apud Auguſti- *Mercurius Triſmegiſtus.* num, qui de Verbo diuino loqui eum exiſtimat. Idẽ Mercurius in Pymandro: Mens (inquit) Deus vtriuſque ſexus fœcunditate pleniſſimus, vita, & lux, cum verbo ſuo mentẽ alteram opificẽ peperit, qui quidẽ Deus, ignis, atq; ſpiritus numen. Accedit his vulgata illa eiuſdẽ ſententia: *Monas genuit monadem, & in ſe ſuum reflexit ardorem*: hoc eſt, vnus Deus genuit vnicum filium, & in ſe amorẽ reflectẽs produxit Spi- E ritum ſanctum. Illud quoque in Pymandro: Mens Deus tuus, mentis verò germẽ verbum lucens Dei filius. & Lactantius libro 4. de ſapientia cap. 27. Triſmegiſtus (ait) de Deo Patre omnia, & de Filio locutus eſt multa, quæ diuinis continentur arcanis.

Præterea notum fuiſſe Platonicis Verbum diuinum, indicat Auguſtinus li. 7. confeſſionum, cap. 9. *D. Auguſt.* illis verbis: Procuraſti mihi quoſdam Platonicorum libros, & ibi legi non quidẽ ijs verbis, ſed hoc idem omnino multis & multiplicibus rationibus ſuaderi; quod *In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum*, & quæſtione 25. ſuper Exodũ, difficile ait eſſe explicatu, cur in tertia plaga Magi Pharaonis defecerint, dixerintque, Digitus Dei eſt hic.

Digitum

Digitum verò Dei docet significare Spiritum sanctum. Deinde hæc addit: Commendatur fortasse Trinitas: & quod verum est, summi philosophi gentium, quantum in eorum literis indagatur, sine Spiritu sancto philosophati sunt, quamuis de Patre & filio non tacuerint, &c.

D. Cyrill. D. Item Cyrillus l. 8. contra Iulianum asserit philosophos affirmasse essentiam Dei vsq; ad tres subsistentias attingere, interdē etiam Trinitatis nomē ponentes. Primum (inquit) autorem summū constituunt, stantem, immobilem, beneficum per omnia, & illum esse dicunt Bonum: ex ipso autē factā esse mentem, quam secundum nominant Deum, & prę-sidentem mundo opificem. Præterea & tertiā narrant mundi animam. Eodem libro idē Cyrillus citat B hæc Porphyrij verba, quibus ostendit Platonē sensisse, diuinam essentiam ad tres attingere subsistentias. Vsque ad tres subsistentias dicit Plato Dei progredi essentiam, & esse quidem dicit, summè Deū, Bonum, post illum autem secundum conditorem; tertiam autem mundi animam: nam vsque ad animam diuinitatem progredi.

Theodoretus. Similiter Theodoretus l. 2. de principiis: Plotinus (inquit) ac Numenius explicantes Platonis mentē, tria aiunt posita esse à Platone æterna, ipsum videlicet, Bonum, Mentemque, & huius vniuersi Animā: vocat enim Bonum, quem nos Patrē dicimus; Mentem verò seu intellectum, quem nos filiū, verbumque appellamus, Potentiam verò, quæ animet omnia, & viuificet, Animam vocat, eam, quā sacræ C literæ Spiritum sanctum appellant. Atque hæc ipsa vt sæpè iam dixi, ex Hebræorum sapientia, & Theologia subducta sunt.

Clemens Alexandrinus. Clemens Alexandrinus lib. 5. Stromatum, Plato (inquit) apertè in Epistola ad Erastum, & Coriscum, videtur nescio quomodo Patrem, & filium ostendere, ex hebraicis vocibus: eum circa locutionē hortatur, Iurantes studio non ineleganti, & studij sorore disciplina, Deum omnium rerum causam, & ducis, & causæ patrem Dominum iuretis: quē si rectè philosophati fueritis, cognoscetis. Et quæ est in Timæo concio, Patrem vocat opificē, sic dicens: Dij deorū, quorum ego sum Pater, & opifex operum. quarē quando etiam dicit, circa omniū regē sunt omnia, D & illius causa omnia, illum quoque omniū causam appellans; secundum autem circa secunda: & tertiū circa tertia; nō aliter ego exaudio, quā sanctam significari Trinitatem. Nam tertium quidē esse Spiritum sanctum, Filium autem secundum, per quem facta sunt omnia. Hæc Clemens Alex. Ex quibus constat philosophis Verbum diuinū & Sacrosanctā Trinitatē fuisse cognitam. Lege plura apud D. Cyrillum loco indicato, Eusebiū lib. 11. de præparatione Euangelica, cap. 10. & lib. 7. ca. 5. Eugubinū li. 1. de Perenni philosophia, & Bessarionem lib. 2. in calumniatorem Platonis cap. 4. E

Respondetur quæstioni proposita. Dubio respondemus: Augustinum scribere, philosophos de Patre, & Filio non tacuisse; Mercurij item verba de Verbo diuino interpretari. Lactantiū affirmare, de filio Dei multa, quæ diuinis continentur arcanis, eundem Mercurium locutum. Theodoretum quoque, & Clementem Alexandrinum, sentētiam Platonis de augustissimo Trinitatis mysterio exponere, vt visum est. Quamobrem concederent forsitan Verbum diuinum philosophis fuisse notū. Quod si verum est, huiusmodi cognitionem vel ex peculiari Dei illustratione, vel ex doctrina maiorū, Hebræorum, vel Ægyptiorum vel Sibyllarum, vel denique dæmonum nacti sunt. Dæmonibus enim notissimum esse Verbum diuinum nemo dubitat. Serapidis esse dicitur hoc oraculum respondentis Ægyptio cuidam regi:

Principio Deus est, tum sermo, & spiritus istis,
Additur; æquæua hæc sunt, & tendentia in vnum.

In Serapide autem oraculum reddebat dæmon, cui Deum personis trinum esse exploratissimum est, Dæmones item indicasse Mercurio futura tempora perditionis suæ, putat August. lib. 8. de Ciuitate Dei cap. 23. Lege Augustinum Eugubinum lib. 3. de perenni philosophia cap. 14. & sequentibus de oraculis dæmonum.

Verbum diuinum nō fuisse notū philosophis esse dicitur. Verosimilius est, Verbum diuinum non fuisse philosophis notum. Quid autem verbi nomine intellexerint, indicat Philo Hebræus initio lib. de opificio mundi; Deus (inquit) postquam decreuit visibilem hunc mundum condere, prius formauit simulachrum eius intelligibile; vt ad exemplar incorporei, Deoque simillimi, corporeum absolueret mundum, & infrà: Si cui libeat apertioribus vti vocabulis, nihil aliud esse dixerit mundum intelligibilem, quàm verbum Dei iam mundum condentis. Nec enim intelligibilis vrbs est aliud, quàm illa architecti ratiocinatio, cogitantis iam vrbem mente conceptam cōcedere. & post pauca. Liquet, quod archetypum sigillum, quem dicimus esse mundum intelligibilem, ipse sit archetypum illud exemplar, idea idearum, verbum Dei. Hæc Philo ille, de quo vt ait Hieronymus in lib. de scriptoribus Ecclesiasticis, vulgo apud græcos dicebatur, Ἢ πλάτων φιλωνίζει, Ἢ φίλων πλατωνίζει, hoc est, aut Plato philonizat, aut Philo platonizat, propter similitudinem sensuū & eloquij. ex quibus colligitur philosophos mentem diuinam, mundi exemplar continentē, siue mundū ipsum intelligibilem, verbum, Deum secundū, opificem, & Dei primi filium, appellasse. *Philo.* *Quid intellexerint philosophi nomine verbi.*

Marsilius Ficinus. Id quod docet Marsilius Ficinus, in compendio Timæi capite nono: Platonici, (inquit) ante hunc mundum, existimant ab ipsa bonitate diuina mundum alterum proximè emanare, non visibilem, sed intelligibilem, exemplaria omnium continētem, quem diuinum intellectum nominant, & optimum Boni filium. Macrobius item lib. 1. de somnio Scipionis cap. 2. ait, summum & principem omniū Deum apud græcos τ' ἀγαθὸν πρωτοπαντὸν, id est, bonum primum omnium nuncupari, & mentem originales rerum species vel ideas continentem, ex summo natam Deo, νῶν appellari. & D. Thom. 1. p. q. 32. art. 1. ad 1. In libro (inquit) Platonicorum inuenitur; In principio erat verbum, non secundum quod verbū significat personam genitam in diuinis, sed secundùm quod per verbum intelligitur ratio idealis, per quā Deus omnia condidit. Hæc ille. *Macrobius.*

Bessarion. Cardinalis. Quid senserit Plato. Quid Plato senserit, Cardinalis Bessarion lib. 2. cap. 4. explicat, his verbis: Plato multa de Trinitate locutus est, sed longè aliter, quàm nostra religio doceat, quippè dum gradus diuinitatis statueret, primū omnium entium, principium ponit ingenitum, E æternum, nullum habens principium, à nulla causa pendens, quod & vnū & summum bonū appellat. Mox verò primum ens statuit, quod & mentem primam, & formā primam vult esse, productū quidē à primo Deo, qua vnum, sed à se quoque qua ens, & mens, & ordo naturæ secundæ. Posthæc, tertiam ordine, & dignitate, vniuersi animā ponit, productam quidem & ipsam, à primo Deo, qua vnum aliquo modo, ac etiam à primo ente, qua mens, sed qua per se mobile est, à se ipsa productam: & huc vsque processisse diuinitatem existimauit. Hactenus Cardinalis.

Marsilius. Quorsum verò præter summū bonum, mentem siue intellectum, & animam mūdi Platonici ponerent, sic explicat Marsilius Ficinus loco indicato: Respondebit (inquit) communis Platonicorum schola, materiā à summo bono esse, ab intellectu

verò

verò formari; ab anima postremo moueri. Vniuersum hoc similiter indicant; ab ipso Bono per intellectum quendam diuinum, animamque vniuersi procedere. Hæc ille. A summo ergo bono materia rerum est, ex sententia Platonicorum, mens siue verbum materiã formis vestit; anima mouet. Aduerte autem Platonẽ existimasse mundum esse animal intelligens, anima, & mente præditum, ad exemplar intelligibilis mundi effectum; eundemque beatum Deum, & astra diuina animalia, & deos appellare. Vnde intelliges, quid nomine animæ mundi intellexerit. lege Dialogum Platonis, Timęũ, & August. li. 10. de Ciuit. Dei. c. 29. Hæc vt Platonicorum sententiam explicaremus dicta sint.

Sibyllis & Hystaspi notum fuit Dei verbum. D. Hieron. Clemens Alexan.

Proposita ergo Mercurij, Zenonis, & Platonicorum de Verbo dicta, facile erit exponere de mente rerum omnium ideas continente; hanc secundum Deum Dei filium, verbum mundi opificem appellarunt. Illud vero Mercurij vulgatum dictũ, *Monas genuit Monadem*, &c. De mundo exponit D. Thomas loco indicato, hunc in modũ; vnus Deus produxit vnum mundum, propter sui ipsius amorem.

Quod de philosophis diximus, de Sibyllis nõ dicimus, illæ enim vates fuerunt, vt docet D. Hier. lib. 1. contra Iouinianum, Sibyllarum (ait) insigne virginitas est, & virginitatis præmium diuinatio. Cognouerunt ergo diuinum verbum, de quo vaticinatæ sunt. cognouit quoque Hystaspes, vt cõstat ex verbis Pauli, apud Clementem Alexandrinum lib. 6. Stromatum, quæ iam supra lib. 3. cap. 27. citauimus. Histaspem (inquit) sumite, & legite, & inuenietis Dei filium multo clarius, & apertius esse scriptum, & quemadmodum aduersus Christum multi reges instruent aciem, qui eum habent odio, & eos, qui nomen eius gestant, & eius fideles, & eius tolerantiam & aduẽtum. Concedit Paulus Hystaspi Dei filij cognitionem, quam tamen ex peculiari Dei illustratione habuisse credendum est.

Prophetas Deus dedit Iudæis, Sibyllas & Hystaspe Ethnicis. Clemens Alexand.

Etenim voluit Deus Sibyllas, & Hystaspem, lumine diuino apud Ethnicos illustrare, vt Christi aduentui doctrina & vaticinationibus viam munirẽt. Philosophos verò ex sententia Clementis Alexandrini esse decreuit, vt ad Christianam prædicationẽ aures hominum assuefacerent. Data (inquit Clemens loco notato) est lex, & prophetæ, barbaris, id est, Iudæis, philosophia autem Græcis, aures assuefaciens ad prędicationem. Item, quomodo Iudæos saluos esse voluit, dans eis prophetas, ita etiã Græcorum spectatissimos propriæ suæ linguæ Prophetas excitatos, prout poterant capere Dei beneficentiam, à vulgo secreuit, &c. Et Stromat. lib. 1. Si non

Philosophia præparauit viam Christianæ doctrinæ.

comprehendit Græca Philosophia veritatis magnitudinem, & est adhuc imbecilla ad mandata Domini exequenda, at maximè regali doctrinæ viam præparat, vtcunque castigans, & mores prius formans, & ad suscipiendam veritatẽ cõfirmans eum, qui opinatur prouidentiam, &c. Item eodem libro, est in Philosophia, quæ furto surrepta, & veluti à Prometheo, parum ignis, aptum ad lumen, qui vtiliter excitatur, & vestigium aliquod sapientię & motus à Deo, &c.

Dubitabit aliquis circa id, quod Theodoretus supra dixit, ex Hebręorum Theologia Platonis opinionem subductam esse, quodque dixit Clemens Alexandrinus, ex Hebræorum vocibus eundem Platonem patrem, & filium, videri ostendere, num Plato sacras literas legerit? Legisse libros Mosis & Prophetarum Platonem multis verbis

D. Iustinus Martyr. Nũ Plato & Philosophi alij ex sacris literis a. liquid deceperint, ex his legerint.

scribit Iustinus Martyr, in oratione parænetica adgentes: Vnde (inquit) Plato currum volantem Iouem agere in cœlo didicit, & ait, nisi ex Prophetarum historijs quas euoluerit? intellexit enim ex Prophetę verbis, quæ de Cherubim ita scripta sunt: Et Domini gloria ex domo exiuit, venitque in Cherubim, sumpseruntque Cherubim pennas suas, & rotę eorum cohærebant, Dominique Dei Israël in eis in cœlo insidebat gloria. Hinc profectus Plato clamat ijs verbis: Magnus in cœlo Iupiter, currum volantem incitans. alioqui, à quo alio nisi à Mose, atque Prophetis: hęc cum didicisset, literis mandauit? eodem loco alia multa putat Platonem è sacris literis didicisse. lege eundem in Apologia 2. pro Christianis, ad Antoninum Imperatorem.

Clemens Alexand.

Clemens quoque Alexandrinus libr. 1. Stromatum, Platonem appellat ex Hebræis Philosophum. lib. item primo, Philosophi (ait) ante Domini aduentum à Prophetis Hebræis, partes veritatis, id minime agnoscentes, sumpserunt, sed sibi tanquam propria dogmata attribuerunt. & alia quidem adulterarunt, alia autem superuacanea quadam diligentia, indocte tanquam sapientes pronuntiarunt, alia autem etiam inuenerunt, &c. Et in oratione exhortatoria ad gentes, leges, inquit, quæcũque verę sunt, & de Deo opinio, suppeditata tibi sunt ô Plato ab Hebręis, &c. Theodoretus quoque de Græcis affectionibus l. 2. Anaxagoras, (inquit) Pythagoras, Plato, ænigmata quędam de Deo ab Ægyptijs, Hebręisque collegerunt. eodem libro: Cur nõ ijs omnibus relictis, ad Mosem oceanum Theologię transimus, à quo fluuij omnes, & maria deriuãtur? illinc enim & Anaxagoras, & Pythagoras, Platoque post eos, parua quędam veritatis lumina, quędamque initia desumpserunt.

Theodoret.

D. Ambros.

D. Ambrosius in Psalm. 118. Initio octonarij 18. Eruditionis (inquit) gratia, Plato in Ægyptũ profectus, vt Moysi gesta, legis oracula, & Prophetarũ dicta cognosceret, audiuit consolationem populi, qui supra peccati modum videbatur fuisse punitus, & hunc locum Isaię: *Consolamini populo meus, quia recepit de manu Domini duplicia peccata sua*, quadã adopertum dote verborũ in Dialogum transtulit, quem scripsit de virtute. In li. de Noë & Arca cap. 8. Istud (inquit) scilicet: *Ostium ex aduerso facies*, in Moysis scriptis, siue ipse Socrates, siue Plato, qui in Aegypto fuit, potuerit vel legere, vel ab alijs percipere, qui legerant, vt operatoris nostri consilium prędicaret, laudans eo quod id potissimum decori conuenerit, vt ductus quosdam vel exitus cuniculorum nostrorum à tergo euerteret, ne in purgationibus ventris conspectus noster offenderetur, &c. in lib. de bono mortis cap. 10. Esdrę (ait) vsus sum scriptis, vt cognoscãt gentiles ea, quæ in Philosophię libris mirantur translata esse de nostris.

Isaiæ 40.

Eusebius.

Eusebius lib. 9. de pręparatione cap. 3. docet Aristobulum Iudęum in hac esse sententia. Aristobuli hæc sunt verba, vt ea vertit Trapezuntius: Legem nostram in multis Plato secutus est, aperte namque in multis diligẽter examinasse singula videtur. Mosaica enim volumina ante Alexãdrum, & ante Persarum imperium traducta fuerant, vnde plurima, sicut & Pythagoras Philosophus ille accepit. Hæc Aristobulus. eadem reperies apud eũdem Eusebium lib. 13. de pręparatione cap. 7. Numenij quoque Philosophi Pythagorici dictum illud est, quod eodem in loco refert Eusebius: Τί γὰρ ἐστὶ πλάτων, ἢ μωσῆς ἀττικίζων, hoc est, quid enim est Plato, nisi Moses Attica lingua loquens? D. Hieron. cap. 3. Comment. in Ecclesiasten, in illum locum: *Tempus tacendi, & tempus loquendi*, sic scribit: Pythagoricos reor, quorum disciplina est tacere per quinquennium, & postea eruditos loqui, hinc originem sui traxisse decreti: Arbitratur ergo Pythagoricos sacros libros euoluisse.

D. Augu-

D. Augustinus li. 2. de doctrina Christiana capite 28. cum D. Ambrosio, quem refert, sentit Platonem in Aegypto ab Ieremia Propheta literis sacris fuisse imbutum, vt illa posset docere, vel scribere, quæ iure laudantur. Verum lib. 8. de Ciuitate Dei, cap. 11. hanc opinionem propterea refutat, quod à tempore, quo Ieremias vaticinatus est. centum fermè annis postea sit natus Plato, non ergo potuit in Aegypto Ieremiam audire, multo ante vita functum. sacras autem literas legere non potuisse hinc confirmat, quod ætate Platonis Græca lingua donatæ nõdum extarent. nam à Platonis morte vsque ad id tẽpus, quo diuini libri à septuaginta interpretibus in Græcam linguam Platonis conuersi sunt, sexaginta ferme anni computantur. vnde infert non potuisse sacras Scripturas legere. nisi forte (ait) quia fuit acerrimi ingenij, sicut Aegyptias, ita & istas per interpretem didicit. Tandem postquam nonnulla proposuit, quæ ex sacris literis Plato didicisse videbatur, sic concludit, vndecunque ista didicerit, siue præcedentium cum veterum libris, siue potius quomodo dicit Apostolus, *quia quod notum est Dei, manifestum est in illis: Deus enim illis manifestauit, inuisibilia enim eius à constitutione mundi, per ea, quæ facta sunt, intellecta, conspiciuntur; sempiterna quoque eius virtus, & diuinitas*, &c. Ex quibus verbis colliges Augustinũ potius sentire Platonem non ex sacris literis, sed ex creaturis, id quod de Deo, diuinisque rebus, & mundi creatione rectè scripsit didicisse, iuxta illud Pauli: *Inuisibilia Dei*, &c.

Rom. 1. Respondetur quæstioni.

Respondeo igitur, ea, quæ Plato scripsit, non satis demonstrare, sacrarum literarum cognitionem illum habuisse, propterea quod si aliqua rectè de Deo & mundo locutus est, illa naturali intellectus lumine, Dei aliquanta ope adiuto, ex creaturis inuestigare potuerit. Nam vt Tertullianus ait in libro de pœnitentia: Deum in aperto constitutum, & vel ex ipsis cœlestibus bonis comprehensibilem, ignorari non licet. Hunc in modum ij Philosophi inuestigarunt, de quibus Paulus sic scribit: *Inuisibilia Dei à creatura mundi per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque eius virtus, & diuinitas, ita vt sint inexcusabiles, quia cum cognouissent Deum, non sicut Deum glorificauerunt*, &c. Non ergo certum est sacros illũ perlegisse libros, quamuis aliqua similia ijs scribat, quæ in sacris libris reperiuntur. Potuit tamen Mosaica volumina legere, quæ vt Aristobulus supra citatus dixit, ante Alexandrum Magnum, & ante Platonem, non quidem à Septuaginta interpretibus publica regis Ptolemæi autoritate, sed alicuius priuati interpretis diligentia, in Græcam linguam sunt translata.

Tertullian.

Rom. 1.

Potuit, vt Augustinus ait, scripturas sacras per interpretem in Aegypto discere, si tamẽ Iudæi libros diuinos Aegyptiis communicarunt, quod non admodum verisimile videtur, potuit ab Aegyptiis vera de Deo, & mundo, dogmata accipere, quæ illi à Ioseph & Hebræis Aegypti incolis acceperunt. Vnde illud: *Constituit Pharao Ioseph Dominum domus suæ, & principem omnis possessionis suæ, vt erudiret principes eius sicut semetipsum, & senes eius prudentiam doceret.* Quod vero Augustinus argumentatur, Platonem non potuisse sacra volumina legere, quòd nondum illius ætate in Græcam linguam essent conuersa, ex dicto Aristobuli, quod Augustinum latuit, refellitur.

Psalm. 14.

CAPVT IIII.

Exponuntur Ioannis verba, Vsque ad illa, Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil. Et verbum erat apud Deum.

DOCVIT Ioannes, Verbum Dei ab æterno extitisse, cùm dixit: *In principio erat verbum*, nunc vbinam extiterit docet. *Erat* (inquit) *apud Deum.* Vnde Rupertus: Vbi (inquit) erat hoc verbum, quis erat locus eius? nescit homo pretium eius, sicut per beatum Iob dicitur, reuelante autem spiritu paulatim cognoscitur per ea, quæ sequuntur, & primum per id, quod quasi locus eius, vbi iam tunc in principio fuerit, ostenditur, cum subditur: *Et verbum erat apud Deum.* & Basilius: Non erat verbum in loco, non enim in loco, quæ sunt incircumscripta, continentur. Sed vbi? apud Deum. Quod si quæras, ipse Deus vbi erat, antequam conderet mundum? Respondet Tertullianus in lib. aduersus Praxeam, cap. 5. his verbis, Ante omnia Deus solus erat, ipse sibi & mũdus, & locus, & omnia. Solus autem, quia nihil extrinsecus præter illum, cæterum ne tum quidem solus, habebat enim secum rationem suam, hanc græci λόγον dicunt, &c. Hoc est, quod Ioannes ait, *Verbum erat apud Deum*, id est, in Deo Patre, vt exponit copiosè D. Fulgentius lib. 3. ad Monimum.

Rupertus. *D. Basilius.* *Vbi erat Deus ante mundi cond. tum.*

Indicat præterea Ioannes ijs verbis dissimilitudinem illam, quam inter nostrum verbum, & Verbũ diuinum reperiri diximus, videlicet nostrum esse accidens subiecto inhærens, diuinum esse substantiam per se subsistẽtem. *Verbum* (inquit) *erat apud Deũ*, non vt accidens inhærens, sed vt substantia per se subsistens.

Verbum subsistens apud patrem.

Etenim vt ait D. Augustinus li. 5. de Trinitate, c. 4. nihil est accidẽs in Deo, quia nihil est mutabile, aut amissibile. Non dixit Ioannes (ait Basilius) Verbum erat in Deo, ne auferendæ hypostaseos occasionẽ daret, sed apud Deum, vt hypostaseos proprietas cõsistat. D. Cyrillus: Cum apud Deum verbum esse prædicet Ioannes, vnum quidem esse filium, subsistentemque in se ipso, & vnum rursus Deum patrem, apud quẽ verbum est apertissimè ostẽdit D. Epiphanius hæresi 93. Ne in prolatione, sed in substantia solida, passionis experte, Deum Verbum ex Patre intelligamus, dicitur. Erat apud Deum.

D. Augustin. *D. Basilius.* *D. Cyrill.* *D. Epiphan.*

Tertiò, Ostendit personarum distinctionẽ, vt docent Patres: Quomodo enim (ait D. Cyrillus) quod vnum omnino est, ipsum apud se ipsum esse intelligetur. Et Theophylactus: Arguitur (inquit) Sabellius manifestè ex hoc loco, qui docuit, Patrem, & filiũ, & Spiritum Sanctum, vnam personam esse, & quod illa vnica persona apparuerit aliquando vt Pater, aliquando vt filius, aliquando vt Spiritus Sanctus. Nam quia verbum erat apud Deum, manifestum est, quòd duæ personæ introducantur. Ambrosius item: Quod erat apud Deũ, non commixtione confunditur, sed manentis verbi apud Patrem solida perfectione distinguitur, vt Sabellius obmutescat. Tertullianus aduersus Praxeam: In principio erat sermo, & sermo erat apud Deum, vnus, qui erat, & alius penes quem erat. Rupertus: Verbum erat apud Deũ, vt de personis non dubites, dum alteram audis esse vel fuisse apud alteram.

Distinctio personarum patris & filij D. Cyrillus. *D. Ambros. li. 1 de Fide, cap. 5.* *Tertullian.* *Rupertus.*

Quartò, Demonstrat Verbi processionem ex Patre, vt obseruat Tertullianus, in lib. aduersus Praxeam, his verbis: Sermo apud Patrem, non Pater apud

Processio verbi ex patre. Tertullian.

apud ſermonem eſſe dicitur. Nam etſi Deus ſermo, ſed apud Deum, quia ex Deo Deus, hoc eſt, quia ex Deo procedit, dicitur eſſe apud Deum, tanquam verbum apud producentem, tamquam filius apud Patrem.

Verbum non eſt creatura.

Quintò, Indicat verbum non eſſe creaturam. Nam creaturæ omnes ſunt extra Deum, at verbum eſt apud Deum, hoc eſt, in ipſo Deo, & intra ipſum Deum. Ariani hæretici, vt docet D. Fulgentius lib. 3. ad Monimum, impie putabant, hæc verba ſignificare, Verbum eſſe extra Patrem, non in Patre. Sed D. Fulgentius hæreticum dictum refutat, & in hunc modum concludit: Sic eſt Verbum apud Deum, ſicut eſt in mente verbum, ſicut in corde conſilium. & Rupertus: Verbum erat apud Deum, non quemadmodum aurum eſt apud diuitem, nam apud diuitem eſt aurum in arca, non in ipſius ſubſtantia. Verbum erat apud Deum, quomodo apud ſapientem ſapientia, aurum diuitis in marſupio eius, Verbum Dei in corde eius. Quamuis autem nos quoque dicamur eſſe in Deo, iuxta illud Pauli: *In eo viuimus, mouemur, & ſumus*: longe aliter, quàm Verbum, in Deo ſumus; quemadmodum quamuis filij Dei ſimus, longè aliter, quàm verbum filij ſumus. Ille eſt in Patre, quia eandē habet cum Patre naturam, & idem Deus eſt, nos ſumus, & viuimus, & mouemur in Deo, quia ab illa conſeruamur, ac dependemus, ille filius eſt naturalis, nos adoptati.

D Fulgent. *Rupertus.* *Actor. 17.*

Græcè dixit Ioannes, λόγος ἦν πρὸς τὸν θεόν, ſignificat autē prepoſitio Græca πρὸς, apud, & ad. Quocirca Cardinalis Caietanus ait, poſſe transferri, verbum erat ad Deum. Nam poteſt idem locus diuinæ Scripturæ, multas ſimul habere Catholicas verſiones, multoſque ſenſus fidei congruentes. Eſt huius verſionis ſenſus: Verbum erat ad Deum, hoc eſt, referebatur ad Patrem, eſt enim filius Patris, & relatiuum. Quam veritatem Theologis exploratiſſimam Ioannes hoc loco, ſimul cum alijs indicauit.

Verbum refertur ad Patrem.

Et Deus erat Verbum.

OStendit Euangeliſta prima illa propoſitione: *In principio erat Verbum*: Verbum ab æterno extitiſſe. Secunda propoſitione: *Et verbum erat apud Deum*: Verbum in Patre eſſe docuit, Tertia hac propoſitione: *Deus erat Verbum*, diuinam verbi naturam declarat. Perinde enim eſt, ac ſi dixiſſet: Verbū erat Deus. Sed cur Ioannes propoſitionem conuertit? cur non dixit, Verbum, erat Deus & Deus erat Verbum? Reſpondemus, Ioannem tribus præclariſsimis propoſitionibus (quarum numero Sacroſanctæ Trinitatis myſterium innuit) verbi æternitatem, exiſtentiam, & diuinitatem, mundo indicaſſe. Sic verò illas connexuit, vt in qua voce præcedens propoſitio deſineret, ab illa ſequens inciperet. prima propoſitio: *In principio erat Verbum*, deſinit in voce hac: Verbum, ab ea ſecunda incipit: *Et Verbum erat apud Deum*. Quia ergò hæc ſecunda propoſitio, Verbum erat apud Deū, definit in voce, Deum, ab eadem fuit propoſitio tertia, quę ſequebatur, inchoanda; ideoque dixit Ioannes, *Deus erat verbum*, cum dicturus fuiſſet, Verbum erat Deus. Idem enim ſenſus eſt vtriuſque enuntiationis; quemadmodum idem eſt dicere, *Deus eſt ſpiritus, & Spiritus eſt Deus*, quæ propoſitio extat apud Ioannem.

Verbum eſt Deus. *Ioan 4.*

Arianorum hęreſim, qui Chriſti diuinitatē impiè oppugnant, hęc propoſitio profligat. Quamobrem doloſis machinis illam euertere conantur. In primis fictitiam quandam, & inauditam diſpunctionem adhibent. vt enim docet Auguſt. libro 3. de doctrina Chriſtiana cap. 2. Sic verba Euangeliſtę diſpungētes peruertunt: *In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat.* hoc loco punctum figunt, ne illos propoſitio pungat. Deinde ſequentem propoſitionem ſic inchoant: *Verbum hoc erat in principio apud Deū*, itaque impio, ac ſacrilego, illo puncto, Deum à verbo ſeiungunt. Quid non impia pectora coget? quas tenebras animis ſuperbis non effundet? quas ſcripturas non peruertet hęreſis? quę vt Tertullianus ait lib. 4. aduerſus Marcionem, ſic ſemper emendat Euangelia, dum vitiat; & vt docet in libro aduerſus Hermogenem, ſimplicia quæque torquet.

Quis non videat vitiare Arianos ſua diſpunctione Euangelium, ſimplicemque verborum, & arctam coniunctionem torquere? Quid enim opus fuit hāc propoſitionem, Deus erat, extra locum inſerere, cū exploratiſſimum eſſet Deum eſſe, idque Ioānes iam ſuppoſuiſſet, cùm dixit, *Verbum erat apud Deum?* Prætera Ioanni ſermo erat, non de exiſtentia Dei, quæ omnibus nota eſt, ſed de exiſtentia & natura Verbi, ergo affirmare voluit, Deum eſſe Verbum, non autē Deum exiſtere, vt volunt hæretici. Ideoq; autor quæſtionum ex vtroque teſtamento, quæ inter Auguſtini opera circum feruntur. q. 122. Propterea, inquit, de Verbo incipit loqui Ioannes, priuſquam loquatur de Deo Patre, quia quæſtiones non de Deo fiunt, ſed de Verbo Dei, nemo enim dubitat de Deo, ſed de Deo, qui eſt de Deo Deus, id eſt, de Verbo, quod à Patre procedit.

Hac machina euerſa, aliam admouent hoſtes tartarei; aiunt vocem Græcam θεὸς, quæ Deum ſignificat, carere in hac propoſitione Græco articulo, eamque ob rem non ſignificare Deum verum, ſed Deum per participationem, quam diuinitatem participatā, non veram, verbo concedunt. At fraudulentos hoſtes proſternit Chryſoſtomus Græcus, cùm reſpondet non eſſe opus Græco articulo, vt ſignificet vox, θεὸς, Deum verum. Id quod perſpicue confirmatur ex multis Scripturæ Græcæ locis, in quibus id nomē abſque vllo articulo, Deū verum extra controuerſiam ſignificat. *Expectantes aduentum gloriæ magni Dei*: Ad Roman. *Qui eſt ſuper omnia Deus*: Ad Philippenſes: *qui cum in forma Dei eſſet*. Ad Roman. *gratia vobis, & pax à Deo Patre.* & in hoc ipſo primo Ioannis capite, *fuit homo miſſus à Deo*. Item: *Deum nemo vidit vnquam*. Præterea, *ex Deo nati ſunt*. Ruunt ergo Arianorum luteæ machinę. Superuacaneum enim eſt (ait Græcę linguę peritiſſimus Chryſoſtomus) vbique articulum Græcum pręponere. Adde Ioannem nō vſum eſſe articulo, vt docet Cardinalis Caietanus, ne vox Græca θεὸς cum articulo, Patrem ſignificare videretur, & parere poſſet propoſitio huiuſmodi intelligentiam, Deus ille erat Verbum, id eſt, Pater erat Verbum, quę falſa eſt. Stat ergo, ſemperque ſtabit propoſitio veriſſima, *Deus erat verbum*. De cuius diuinitate libro ſecundo copioſe iam ſcripſimus.

Tit. 2. *Rom 9.* *Phil 2.* *Articulus Græcus non ſemper neceſſarius.*

Hoc erat in principio apud Deum.

EX ſententia Magni Baſilij, ſummam facit Ioannes hoc loco, prępcellenti ſimæ Theologię, quam de diuino verbo tradidit. Similiter Rupertus: Vna (inquit) Sententia perpulchre complectitur Euangeliſta cuncta, quę in tribus iam dictis expreſſit propoſitionibus. idem ſentit cum Origene Diuus Thomas. Sententia autem vna eſt eiuſmodi: *hoc*, videlicet verbum, vt conſtat ex Græca lectione, οὗτος ſcilicet λόγος, *hoc* inquam verbum, *in principio erat apud Deum*. Huic opinioni illud obſtat, quod Ioannes non concluſit tres propoſitiones prędictas vna hoc propoſitione, ſed duas tantum priores, ſcilicet primam, *in principio erat Verbum.* & ſecundam, *& Verbum erat apud Deum*: tertiam, *Deus erat Verbum*, non adiecit, ergo non fecit

D Baſilius. *Rupertus.* *Origenes.* *D. Thomas.*

Theologiæ tribus propoſitionibus traditæ ſummã, niſi quis tertiam propoſitionem, *Deus erat Verbum*, velit ſubintellectam dicere in illo relatiuo, *hoc*, hũc in modum, *hoc*, ſcilicet Verbum quod erat Deus, *erat in principio apud Deum*. Ita exponit D. Thomas. Per hoc (ait D. Thamas) intelligit Ioannes tertiam clauſulam, ſcil. *Deus erat Verbum*, per hoc verò quod dicit, *erat in principio*, recolligit primam, per hoc verò quod ſubdit, *erat apud Deum*, recolligit ſecundam.

Exiſtimo potius Euangeliſtam hac propoſitione, id voluiſſe repetere, & inculcare, quod hæreſes iam oppugnabant: oppugnabant autem hæreſes Cerinthi, & Ebionis æternitatem Verbi, impieque aſſerebant, Chriſtum ante matrem, & Ioſeph non extitiſſe, ideo Ioanni non fuit ſatis, diuiſim dicere, *In principio erat verbum, & Verbum erat apud Deum*, ſed opus fuit, ad euertendam hanc hæreſim, idem iterare, & coniunctim inculcare, hoc pacto: *hoc* Verbum *erat in principio apud Deum*, ô hæretici, ab æterno erat quod ad diuinã attinet naturam Chriſtus, tota æternitate prior, antiquiorque eſt, quàm mater Sanctiſſima Maria & Ioſeph.

D. Thomas. Veriſimilis quoque eſt D. Thomæ interpretatio, in hanc ſententiam. Voluit Ioannes ſignificare mundum initium habuiſſe, nihilque conditum ab æterno extitiſſe. *Hoc*, inquit, Verbum *erat in principio apud Deum*, ſubintelligit D. Thomas, ſolum, ita vt particula hæc, non aliam perſonam Spiritus Sancti, de quo modo non loquebatur Ioannes, ſed naturam aliam coæternam excludat. Eſt ergò ſenſus: In principio ab æternitate, ſolum hoc Verbum, de quo agitur, erat apud Deum, nihil aliud creatum extabat, nulli Seraphini, ac Cherubini, nulli Angeli, nulli cœli, nulli terrarum tractus, nullæ aquarum moles, nulla animantia, nulli homines. Verbum ſolùm, hoc eſt, abſque vllis creaturis, erat apud Patrem. Diuinam ipſam ſapientiam elegantiſſimè, hoc de ſe prędicantem, audire non pigeat: *Ab æterno* (ait) *ordinata ſum, & ex antiquis, antequam terra fieret, nondum erant abyßi, & ego iam concepta eram, nec dum fontes aquarum eruperant, nec dum montes graui mole conſtiterant, ante colles ego parturiebar, adhuc terram non fecerat, & flumina, & cardines orbis terræ*, &c. Nullæ igitur erant creaturæ, ſed Verbum erat in principio apud Deum, per ipſum verò Verbum omnes creaturæ factæ ſunt. Quamobrem ſequitur: *Omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil.*

Verbum abſque creaturis erat in principio apud Deum.

Prouerb. 8.

Significat præterea Euangeliſta, Verbum diuinum in principio non incarnatum, ſed abſq; carne humana, & anima, inuiſibile, & abſconditum, in ſinu patris fuiſſe. Quaſi dicat, hoc Verbum erat in principio & æternitate, apud Patrem abſconditum, non erat apud homines incarnatum, erat apud Patrem tantum Deus, nondum homo, poſteà *Verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis*. Simile illud eſt eiuſdem Ioannis: *Annuntiamus vobis vitam æternam, quæ erat apud Patrem, & apparuit nobis.*

1. Ioan. 1.

Verbum eſt patri coæternum. D. Thomas. Lyranus. Carthuſianus.

Vt verò volunt D. Thomas, Lyranus, & Carthuſianus, oſtenditur etiam his verbis diuini verbi cum Patre coæternitas, hoc verbum erat in principio, id eſt, in æternitate, apud Deum Patrem, erat coæternũ ipſi patri, abſque vllo ſuæ generationis initio. Prima propoſitio: In principio erat Verbum, ſignificat Verbum eſſe æternum, hæc quarta indicat eſſe Patri cæoternum, & ab æterno fuiſſe in Patre.

At impij Ariani non poſſe Verbum coæternum eſſe Patri, ſic cauillantur. Omnis pater eſt prior filio, ergo Deus Pater eſt prior Filio, ſiue Verbo, proinde non eſt illi coæternum. Humi ſerpunt antiqui ſerpentis filij, vt patre ſuo poſteriores ſunt, ita quoque putant filium Dei, Patre ſuo poſteriorem eſſe.

Excutiant carnem carnales homines, ſpiritu ad diuina ac ſpiritualia aſcendentes, infinito interuallo, vt à creaturis verbum, ita verbi natiuitatem à natiuitate hominũ diſtare intelligat. Patres priores ſunt filijs, quos in tempore gignunt, in quo & poſterius eſt, in æternitate vbi prius, & poſterius nequit reperiri, neque in æterno patre prius, neque in æterno filio poſterius reperitur.

Vnde eximie Auguſtinus ſermone 38. de Verbis Domini: Da, inquit, mihi Ariane æternum patrem hic, id eſt inter creaturas, & inueniſti ſimilitudinem, filium minorem inuenis patre in tempore, filium temporalem minorem patre temporali, nunquid inueniſti mihi filium temporalem, minorem patre æterno? Quia in æternitate ſtabilitas eſt, in tempore autem varietas, in æternitate ſtant omnia, in tempore alia ſuccedunt, alia accedunt, potes inuenire filium minorem in varietate temporis ſuccedentem Patri, &c. Ambroſius libro primo de fide cap. 5. Non ex vſu generationis humanæ calumniã hæretice ſtruas, namque hominis generationem ſi definire contendas, tempus oſtendis, generatio autem diuina ſupra omnia eſt. late patet, ſupra omnes cogitationes aſcendit, & ſenſum, &c. Stulte ergo ad menſuram temporalis generationis, æterna verbi generatio redigitur, cùm ipſa etiam Chriſti temporalis generatio humanæ generationis menſurã mirum in modum exceſſerit. ex matre enim Virgine natus, & Spiritus Sancti opera conceptus eſt. Vnde Ambroſius: Non ſola admirabilis ex Patre generatio Chriſti, admirabilis etiam ipſa generatio eius ex Virgine, tu illam dicis ſimilem noſtræ conceptionis, & ego probo iſtam noſtræ eſſe diſſimilem. Si igitur in Virgine vſus defuit generationis humanæ, quemadmodum in Deo Patre propriæ generationis vſum requiris? credere tibi iuſſum eſt, non diſcutere permiſſum eſt.

D. Auguſt.

Æterna generatio Verbi noſtrum ſuperat intellectum.

D. Ambroſ.

Quamuis autem hæc æterna Verbi generatio omnia creata excedat, aliquam tamen in Sola illius veluti vmbram licebit inuenire. Etenim fulgor, qui à ſole producitur, non eſt poſterior tempore, quam Sol. Si ergo Deus Solem ab æterno produxiſſet, æternus eſſet Sol, & coæternus illi eſſet fulgor, eundem in modum quia Pater eſt æternus, coæternum illi eſt Verbum, quod (vt Paulus ait ad Hebræos primo) eſt ſplendor gloriæ Patris, coæterna quoque Verbi generatio. D. Auguſtinus ſerm. 38. oſtendit, aduerſus hæreticos, id, quod producitur, aliquando non eſſe poſterius, ipſo producente, vtitur autem exemplo ignis, cuius ſplendor ſimul cum igne exiſtit, exemplo item virgulti iuxta aquam nati, imaginemque ſuam in ipſa aqua ſimul atque natum eſt producentis.

Exempla generationis diuinæ.

In ijs ſimul tempore ſunt ignis producẽs, & ſplẽdor productus, virgultum, & imago ab eo emanans, eodem pacto, vt à tenuiſſimis creaturis, ad infinitum creatorem aſcendamus, Pater, & Verbum ſimul ſunt æternitate, quamuis Pater ſit producens, Verbum verò productum. Nam ſi producere & eſſe productum, non obſtant, quo minus duæ aliquæ res temporales ſint coæuæ, nec obſtabit profecto, vt perſonæ æternæ Pater, & filius, ſint coæternæ. Splendor (ait Theodoretus) cauſam quidem habet ignem, non poteſt autem ab igne ſeparari, ex quo enim eſt ignis, ex eo etiam eſt ſplendor. Si ergo in ſenſibilibus poteſt eſſe aliquid, quod ex aliquo ſit, & vna cum eo ſit ex quo eſt, ne dubites Deum verbum, & genitum eſſe vt filium, & vna eſſe cum eo, qui genuit. Hæc ille ad Hebræos primo capite.

Theodoretus.

Præter hæc, vt Lyranus obſeruat, productum poſterius eſt producente, propter aliquam ex tribus cauſis, vel propter imperfectionem potentiæ

produ-

producentis, vel propter modum producendi per motum, in quo est prius & posterius, vel propter libertatem voluntatis, quæ rei productionem, vt libet, differt in tempus. At in Patre ab æterno est potentia productiua verbi perfectissima, verbum verò productum est necessitate naturæ, non per libertatē voluntatis, quæ illius productionem differre potuerit, neque etiam per motum, in quo est prius & posterius. ergo Verbum productum est ab æterno à Patre, estque illi coæternum, vt fides Catholica cum Euangelista hoc in loco confitetur.

D. Cyrillus vult ijs verbis cōfutari hæresim quorundam, qui asseruerunt duplex esse verbum Dei; alterum insitum, & intimum Deo, alterum illi intimo simillimum & quasi verbum verbi, & imaginē imaginis. hoc dicebant esse filium Dei, per quem Deus cuncta condiderat. Confutatur hæresis à Ioanne ex sententia Cyrilli, cum dixisset Verbum esse in principio, & apud Deum, & esse Deum, addit, Hoc verbum, quia nullum aliud (sic interpretatur Cyrillus) secundum verbum est, erat in principio apud Deum, sicut filius apud Patrem, sicut insitum atque interius. Vtebantur indocti, & insani Sophistæ, hoc argumento: Pater cum filio locutus dicitur in scripturis: *Dominus dixit ad me, filius meus es tu, ego hodie genui te*, ergo per aliquod verbum locutus est, id autē verbum non potest esse filius, cui loquitur; aliud igitur verbum concedendum erit.

Vnicum Dei Verbum.

Psal. 2.

Decepti sunt, vt vidimus, Ariani, quod ex humana generatione diuinam metirentur. decipitur quoque Eunomius, quia, quę in humana locutione reperit, ea ad diuinam imperite profectò & stultè transfert. quocirca recte Ambrosius: Noli, inquit, hæretice ex nostris æstimare diuina, sed diuina crede, vbi humana nō inuenis, &c. Loquitur Pater cum filio, at loquitur vt Deus. quæ autem de Deo dicuntur (vt ait D. Cyrillus lib. 7. Thesauri cap. 3.) modum humanū tantum excedunt, quantum humana substantia à Dei substantia exceditur. Humanis vocabulis (ait idem Cyrillus) de Deo loquentes vtimur, vbi omnia longè aliter, quàm res humanæ, intelligenda sunt. Dicitur ergo Pater cum filio loqui ab æterno, non quia per verbum aliquod secundum loquatur, sed quia sapientiam suam ei ab æterno communicat, per quam omnia veluti locutione manifesta fiunt. Docet hoc Augustinus tract. 40. in Ioannē his verbis: Incorporaliter Pater locutus est filio, quia incorporaliter genuit filium, nec eum sic docuit, quasi indoctum genuerit, sed hoc est eum docuisse, quod est scientem genuisse, &c. locutus ergo est Pater cū filio per generationem, semper loquitur cum filio, semperque loquetur, quia semper sapientiam illi communicat. Homines cum hominibus loquentes per aërem volitantia verba communicant, Pater cum filio loquens non aërem verberantia verba, sed infinitam communicat sapientiam, hæc digna Deo locutio est.

D. Ambros. l. 1. de Fide c. 5.

D. Cyrillus.

Quomodo Pater loquatur cum filio.

At non futilis obiectio hinc exoritur, sequetur enim, nec filium, nec Spiritum Sanctum cum Patre posse loqui. etenim loqui vt diximus, est sapientiam rerum omnium manifestatricem communicare. At filius, & Spiritus Sanctus sapientiam hanc minimè cōmunicant Patri. ergo loqui non possunt cum Patre. Respondemus, filium & Spiritum Sanctum non loqui per communicationem sapientiæ cum Patre, vt sua det proposita ratio, nec vero tali locutione opus est, nam locutio hæc ad manifestandum aliquid adhibetur, filius verò, & spiritus sanctus nihil possunt Patri manifestare, non igitur loquuntur cū Patre illo modo: Pater autem, quia sapientiam infinitam Filio & Spiritui Sancto communicat, & per illam omnia, quæcunque diuina scientia continentur,

An filius loquatur cū Patre.

patefacit, cum filio, & Spiritu Sancto loqui dicitur, imò dicitur filium docuisse, vt ait D. Aug. verbis supra citatis, hoc, inquit, est eum docuisse, quod est scientem genuisse. Quonam verò alio modo Filius & Spiritus Sanctus cum Patre loquantur, Scholasticis Theologis discutiendum relinquitur.

Omnia per ipsum facta sunt.

Ostendit Ioannes Verbi æternitatem, existentiam apud Patrem, naturam diuinā, & cū Patre coæternitatem: Nunc eiusdem Verbi potentia & opera indicat, dicens: *Omnia per ipsum facta sunt.* Quæcunque (ait Augustinus tract. 1. in Ioannem) naturaliter facta sunt, omnis omnino creatura, ab Angelo vsque ad vermiculum, per Verbum facta sunt. Est ergo Verbum, siue filius Dei, Deus verissimus, orbisque conditor vniuersi. Ex fructu arbor cognoscitur: Verbi fructus, & opus, creaturæ omnes sunt, ergo ex creaturarum creatione, creator esse agnoscitur. Omnia autē per ipsum facta esse præclare Salomon docuit: *Dominus* (ait Verbum siue diuina Sapientia) *possedit me in initio viarum suarum.* Possediisse dicitur filium Pater, vt Hieronymus interpretatur in epistola ad Cyprianum, quia filius est in Patre: item possedisse dicitur, quia filius est Sapientia Patris, qua Pater veluti thesaurum possidet opulentissimum. Ait ergo, *Dominus possedit me*, quia in ipso eram, filius eius, Verbum eius, sapientia eius: *in initio viarum suarum*, hoc est, operationum: Antequàm quicquam faceret à principio: Viæ autem dicuntur operationes, quia per has veluti per vias ad creaturas exit Deus. Quod Ioannes dixit: *In principio erat Verbum*, apud Salomonē diuina Sapiētia dixit, *Dominus possedit me in initio viarum suarum*, antequam quicquam faceret à principio.

Verbum siue filius Dei est creator orbis.

Prouerb. 8.

Deinde quod Ioānes dixit, *omnia per ipsum facta sunt*, sic sapientia amplificat: *Quando præparabat cœlos aderā, videlicet creans ipsos cœlos, quando certa lege & gyro vallabat abyssos, quando æthera firmabat sursum, & librabat fontes aquarum, quando circumdabat mari terminum suum, & legem ponebat aquis, ne transirent fines suos, quando appendebat fundamenta terræ, cum eo eram cuncta componens*, hoc est, creans, & ordine admirando disponens. Quia verò Verbum diuinum, siue, Sapientia, in rebus sine vllo labore cōditis sese oblectatur, iuxta illud: *Lætabitur Dominus in operibus suis*: Vidit enim cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona, ideo adiungit: *Delectabar per singulos dies ludens coram eo, ludens in Orbe terrarum.* Præterea, quia præcipuam ex hominibus capit delectationem, post hæc omnia intulit: *Et deliciæ meæ esse cum filijs hominum*: Summæ Verbi Dei deliciæ sunt esse cum filijs hominum per gratiam, & maiores multo deliciæ esse cum humana natura per hypostaticam vnionem, quod Ioannes dixit: *Verbum caro factum est, & habitauit in nobis.* Post hæc, Verbum diuinum siue sapientia homines in Gymnasium suum conuocat: ad sapientiam enim spectat, Gymnasium aperire hominesque docere. *Nunc*, inquit, *fili audite me, audite disciplinam, & nolite abiicere eam.* Quemadmodum verò magister, ita sapientia, diligentiam vigilantiāque in discipulo maxime requirit. addit ergo: *Beatus homo, qui vigilat ad fores meas quotidie, & observat ad postes ostij mei.* Præmio maximo allicit, videlicet æternæ vitæ: *Qui me inuenerit, inueniet vitam, & hauriet salutem à Domino*; est enim verbum vitæ: *in ipso vita erat*, ait Ioannes, fons est, ex quo salus hauritur vniuersa.

Locus Prouerb. 8. de Sapientia, vel Verbo diuino explicatur.

Psal. 103. Deliciæ versari esse cum hominibus.

Sapiētia vocat homines ad suū Gymnasium.

Dubitabis, cur dicatur sapientia ludere in Orbe terrarum omni tempore? quæres quisnam sapientiæ hic lusus sit? Respondemus, ludum hoc loco sumi pro gaudio, ludit Deus in orbe terrarum omni tēpore; quia vt dicitur: *Lætatur Dominus in operibus suis*, lætatus est in orbe condendo, lætatur in eodem gubernando.

Psal. 103.

gubernando. Principes viri pilæ ludo oblectari aliquando solent. Filij Dei rerum omnium principis, & moderatoris, veluti pila mundus hic est, quantus quantus ille est, nec magna pila illi est, qui dicitur, *tribus digitis apprehendere molem terræ*, hac pila, vt nostro loquamur more, ludit, dū imperia, coronas, thiaras, honores, diuitias, modo in hanc, modo in illam partem, veluti leuissimi momenti pilas iactat.

Isaiæ 40. Christus mūdo vt pila ludit.

Quod noster interpres vertit, *cuncta componens*, hebraice dicitur, amon, quod vocabulum nutritiū significat, ideoque Pagninus vertit: Eram apud eum veluti nutritius. Etenim verbum diuinum est creaturarum veluti nutrix indulgentissima. Quemadmodum nutrix infantem fouet, alit, sustentat, sic & Verbum diuinum creaturas omnes nutrit, gubernat, ac conseruat: portat nutrix infantem gremio, portat Verbum orbem potentia sua, illa cum onere, verbum sine onere, imò magna vt dictum est, cum voluptate. quocirca dicitur verbum Dei, *portans omnia verbo virtutis*, id est, potentiæ suæ. Alijs Scripturæ locis filius Dei creator orbis esse dicitur, quā citauimus cum de diuinitate Messiæ ageremus.

Diuina sapientia est nutrix creaturarum.

Hebr. 1.

Demoliri conantur vineas fraudulentæ vulpes, insurgunt, vt ait Theophylactus, Ariani, & per filium fieri omnia dicunt, non quod ipse sit factor, sed instrumentum, sicut securis Dei, & Patris factoris, & vtentis filio tanquam organo. Id verò colligūt, quod Ioannes dicat, omnia per ipsum facta esse: præpositio autem, per, causam significat instrumentale, non efficientem præcipuam, vt cum dicimus fabrū per securim secare. ô fraudulentas vulpes, imò molestissimas muscas hæreticos, qui modo minutissimis articulis, modo præpositionibus veluti tenuissimis araneorum telis, à Dæmone irretiuntur, nec vident irretiti, in diuinis litteris præpositionem, per, causam præcipuam efficientem, non instrumentalem significare, *Per me reges regnant. Precebat eum, per quem omnia*, id est, Patrem, qui creauit omnia: *fidelis Deus, per quem vocati estis in societatem filij eius. Paulus Apostolus Iesu Christi per voluntatem Dei*, ad Gal. *Si filius, & hæres per Deum*. Sic hoc loco: Omnia per ipsum Verbum facta sunt, vt per causam non instrumentalem, sed præcipuam. Præterea non vident Ariani Deum nullam habuisse in creando instrumentalem causam, ex nihilo enim cuncta creauit, creatura verò, nihilum nullo modo potest attingere. Nihil factum (ait D. Cyrillus li. 12. Thesauri cap. 5.) nihil, inquam, factum, creandi virtutem, quę infinita est, suscipere potest. Adhibent artifices ad opera instrumenta, quia in materia operantur, & ex materia quod volunt fabricantur; at Deus nō ex materia, sed ex nihilo cuncta cōdidit, ideoq; instrumento nullo vsus est.

Prou. 8. Hebr. 2. 1. Cor. 9. 2. Cor. 1. Gal 4.

D. Cyrillus.

Rogabis, num dici possit Verbum diuinum ministrasse Patri in creatione rerum? est enim non leuis dubitandi ratio, quod nōnulli Patres id affirmarint. D. Irenæus lib. 4. cap. 17. Ministrat (inquit) Patri ad omnia sua progenies, & figuratio sua, id est, Filius, & Spiritus Sanctus.

Tertullianus aduersus Praxeam, capite 12. In sermone Christo assistente, & administrante, Deus voluit fieri, & fecit, & dixit: *Fiat firmamentum*, &c. Clemēs Alexandrinus in exhortatione ad gētes: Ipse, inquit, est Dei concinnum, & aptum instrumentum, & sanctum sapientia super mundana Verbum cœleste. Respondemus, hunc loquendi modum non esse vsurpandum, vt dicamus verbum vel esse Patris ministrum, vel instrumentum, vel organum, vel Patri ministrasse, vel obsecutum esse, quia his verbis significari potest filium esse minorem Patre, quod à Fide Catholica alienum est.

Tertullian. An verbum dici possit Patri ministrare. Clemens Alexan.

Patres verò si qui ita locuti sunt, indicare voluerunt, non quidem filium esse minorem Patre, quod hæreticū est, aut esse instrumentum, vel organum propriè Patris, sed Patrem esse primam Trinitatis personam, filium verò secundam, per quam omnia condidit; prima, quia potentiā creandi illi communicauit. Vnde D. Basilius in lib. de Spiritu Sancto, ca. 8. Omnia, inquit, per ipsum facta sunt, non quòd instrumentali quodam, ac seruili ministerio fungatur, sed quod tanquam conditor paternam implet voluntatem. & Damascenus: Quemadmodum ignem per lucem ex eo progredientem lucere dicimus, nec proinde tamen lucem illam ex eo promanantem organum quoddam ipsi inseruiens, sed vim quandam natiuam esse statuimus, eodem modo Patrem quoque omnia, quæ facit, per vnigenitum suum facere dicimus, non tanquàm per seruile aliquod organum, sed per naturalem vim, ac verè existentem, Hæc Damasc.

D Basilius.

D Damasc. l. 1 fidei c. 9.

Est similitudo inter instrumentum, & verbū, quia quemadmodum instrumentum virtute operatur communicata, ita Verbum potentia operatur à Patre accepta, sed instrumentum non habet totam & eandem artificis virtutem, neque habet artificis essentiam, verbum habet totam, infinitam, & eandē potentiam, & essentiam Patris; instrumentum ignobilius est artifice, verbum eiusdē cum Patre est naturæ. Inter ministrum quoque & Verbum nonnihil similitudinis intercedit, minister enim secunda persona est in negotio gerendo, & cum alio operatur, ita verbum secūda persona angustissimę Trinitatis est, & simul cum Patre creat, & gubernat. Præterea quęris an dici possit Verbum condidisse orbem ex præcepto Patris? Propterea quòd sic Hilarius loquatur in Com. Psal. 118. Cælum, inquit ex præcepto Dei Christus formauit, mundum ex paterno iussū in hāc speciem tanti decoris ornauit. Respōdemus, ab hoc similibusque loquendi modis omnino abstinendū, nhilque proferendum, quod personarum inæqualitatem aliquo modo innuere videatur. Filius æqualis Patri est, ideoque præceptum creandi à Patre accipere non potuit, quo obstringeretur id, quod inferioris est. Significant ergo verba Hilarij ex volūtate Patris, quæ eadē filij est, filiū mundū condidisse.

Quæres item, cur Ioannes non dixerit: Omnia ab ipso facta sunt, sed: *Omnia per ipsum facta sunt*. Respondetur, propterea vsum præpositione, per, vt indicaret filium esse principium ex principio, videlicet ex Patre, à quo accipit per generationem potentiam creandi, essęque secundam Trinitatis personam. Quamobrem non dicuntur omnia facta à filio per Patrem, sed rectè dicuntur facta à Patre per filium, quia Pater non habet à filio potentiam creandi; filius autem illam habet à Patre. Vnde Chrysostomus, Per ipsum, inquit, hoc loco nulla alia ponitur gratia, quàm ne ingenitum quis suspicaretur filium.

Itaque sensus horum verborū hic est: Omnia per Verbum facta sunt, tanquam per personam augustissimæ Trinitatis secundam, à Patre procedentem, & potentia à Patre per æternam generationem cōmunicata facientem. Quo sensu, præpositio, per, causam indicat efficientem, non instrumentalem, sed præcipuam, secundam nimirum Trinitatis personā.

Significat quoque præpositio, per, causam exemplarem hoc secundo sensu: Omnia per ipsum verbū facta sunt, tanquā per exemplar mundi, & Patris sapientiam. Quemadmodum enim artifex intellectu prius effingit extruendæ domus exemplar, inde per exemplar Domum fabricatur, sic Pater Verbum æternum, quod rerum omniū exemplar est, per intellectum genuit, & per ipsum tanquam per exemplar omnia condidit. Augustin. Verbum, inquit, perfectum

Per verbum facta sunt omnia, tanquā per causam efficientem, & per causam exēplarem. D. August. 6. de Trin. c. 10.

fectum eſt,cui non deeſt aliquid, & ars quædam ſapientis Dei,plena omnium rationum viuentium,ibi nouit omnia Deus, quæ fecit per ipſam. & in Ioannem cap.1.Prius cor generat conſilium,vt aliquam machinam conſtruas, attendunt homines mirabilẽ fabricam,& mirantur conſilium fabricantis. Conſilium Dei eſt Verbum Dei,attende fabricam iſtã mũdi,vide quæ ſint,quæ facta ſunt per Verbum,& tunc cognoſces quale ſit Verbum. Item lib. 10. de Ciuit. Dei cap.10.In ſapientia Dei ſunt infiniti quidã Theſauri rerũ intelligibilium,in quibus ſunt omnes inuiſibiles, atq; incommutabiles rationes rerum etiã viſibilium,& mutabilium,quæ per iſtam factæ ſunt, quoniam Deus non aliquid neſciens fecit, quod neque de quolibet homine artifice rectè dici poteſt. Porrò ſi ſciens fecit omnia, ea vtique fecit, quæ nouerat.Ex quo occurrit animo quiddam mirum, ſed tamen verum, quod iſte mundus nobis notus eſſe non poſſet,niſi eſſet:Deo autem niſi notus eſſet,eſſe non poſſet.Præterea ſer.38. de verbis Domini: Verbum,inquit, Dei eſt forma quædam, forma non formata,ſed forma omnium formatorum, forma incõmutabilis,ſine lapſu,ſine defectu,ſine tempore,ſine loco,ſuperans omnia,&c. Formam appellat idealem Verbũ, propterea quod exemplar ſit,omnium formatorum,hoc eſt,omnium creaturarum. & libro 15. de Trinitate capite vndecimo.Poteſt eſſe verbũ noſtrum,quod non ſequatur opus,opus autem eſſe non poteſt,niſi præcedat Verbum. Sic & Verbum Dei eſſe potuit, nulla exiſtente creatura, creatura verò nulla eſſe poteſt,niſi per verbũ, per quod facta ſunt omnia. D. Cyrillus: *Omnia per ipſum facta ſunt*, vt per virtutem,vt per ſapientiam Patris,quę non vt in hominibus quaſi qualitas quædam, Deo ineſt, ſed per ſeipſam vere ſubſiſtit,&c.

D. Cyrillus. in Ioan. 1.

Omnia per Verbũ facta ſignificat Moyſes.

Omnia per Verbum facta eſſe occultè ſignificauit Moyſes initio Geneſeos,cùm toties,Verbum,dixit,repetiuit: *Dixit fiat lux,& facta eſt lux. Dixit, fiat firmamentum*,&c.Quaſi diceret,totum orbem Pater cõdidit per verbum,quod ab æterno dixit.Per verbum enim æternum totum orbem, omneſque creaturas ab æterno dixit,quas verbum repræſentat, temporis autem initio,eaſdem vt à verbo repræſentantur,cõdidit. Vnde illud Tertulliani iam citatum contra Praxeam,in Chriſto aſſiſtente Deus voluit fieri, & fecit,& dixit,fiat firmamentum, & fecit Deus firmamentum, fiant luminaria, &c.Et D.Irenæus: Mũdus à Verbo Dei factus eſt:ſicut ſcriptura Geneſeos dicit, omnia, quæ ſunt ſecundùm nos, feciſſe Deum per verbum ſuum. Auguſt.lib.1. de Geneſi ad literã. c.2.cum de verbo dicitur:*Omnia per ipſum facta ſunt;* ſatis oſtenditur & lux per ipſum facta,cum dixit Deus, fiat lux.Quod ſi ita eſt,æternum eſt,quod dixit Deus, fiat lux,quia verbum Dei Patri coæternũ eſt, quamuis De hoc in æterno Verbo dicente, creatura temporalis facta eſt.cum enim verba ſint temporis,cum dicimus,quando, & aliquando, æternum tamen eſt in verbo Dei,quando fieri debeat aliquid,& tunc fit, quãdo fieri debuiſſet, in illo verbo eſt, in quo nõ eſt quando,& aliquando,quoniam illud totum verbum æternum eſt,&c. Iunilius in Geneſim, altius intelligendum eſt dixiſſe Deum,vt fieret creatura,quia per verbum ſuum omnia fecit, quod Ioannes ait omnia facta eſſe per verbum Dei,hoc eſt, quod Moyſes ait, quia dixit Deus,fiat lux,fiat firmamentum,&c. Item Eucherius,ſi requiras quomodo facta eſt lux?audies, in verbo Dei erat vt fieret,quomodo factum eſt cœlum?in verbo Dei erat vt fieret,& cætera per ordinem,ſi requiras quomodo facta ſunt? in verbo Dei erant,vt fierẽt.hoc enim eſt,dixit Deus,fiat,&c. Hoc ſignificat Moyſes arcano ſenſu. Apertiori verò ſenſu verbum, dixit, decretum ſignificat, & imperium Dei,quo creaturis,vt eſſent,imperauit. Decreuit autem Deus ab æterno, vt eſſent creaturæ, eſſent, inquam,non ab æterno, ſed ſtatuto tempore, ab illo ergo decreto,æternaq; voluntate,& imperio, principio temporis,cœli,terraque emanarunt.

Tertullian.

D. Irenæus, l.2.c.2.

D. Auguſt.

Iunilius.

Eucherius.

Et ſine ipſo factum eſt nihil.

Duplex lectio.

DVplex eſt hoc loco lectio. Chryſoſtom. Theophylactus, Euthymius, Gregorius Nazianzenus orat.5. de Theologia.Hieron. Amos 6.græci codices,Syriacum Euangelium, & alij, ſic ſententiam terminant:*ſine ipſo factum eſt nihil, quod factum eſt*, hoc ſenſu,ſine verbo nulla res facta eſt,quæ quidẽ creata ſit. Addidiſſe autem dicitur hæc verba Ioannes,ne quis intelligeret Spiritum ſanctum eſſe factũ, quippe qui ſit increatus Deus.Vnde Nazianzenus orat.5 de Theologia: Ne illud quidem extimeſcam, quod omnia per filium facta eſſe dicuntur,tanquam in rerum vniuerſitatem,Spiritus quoque ſanctus aggregandus ſit:omnia enim,quæcunque facta ſunt, dicit Euangeliſta, non omnia ſimpliciter. Nam ne ipſe quidem Pater, nec omnia ea, quæ facta non ſunt. Hæc ille.Agnoſcit hanc lectionem Ambroſius quoque:Plerique,inquit,docti & fideles, ſic pronuntiat: *Omnia per ipſum facta ſunt,& ſine ipſo factum eſt nihil, quod factum eſt*.& Pſal. 36. Alexandrinos ait, & Ægyptios ſic legere.

D. Greg. Nazianz.

D. Ambroſ. l.3 de Fide, c.3.

Altera lectio eſt huiuſmodi: *Omnia per ipſum facta ſunt,& ſine ipſo factum eſt nihil*. Sic ſententia terminatur.hanc D.Epiphanius in Ancorato reprehendit. Verùm D.Ambroſius Pſal.36.Salua,inquit, ſit fidelibus illa, ſcilicet, prima diſtinctio: ego non vereor legere: *Quod factum eſt,in ipſo vita erat*,& nihil habet, quod teneat Arianus,quia non illius venena cõſidero, ſed lectionis ſacræ conſuetudinem recognoſco. Hæc ille.Nos Ambroſium ſecuti ſacræ lectionis cõſuetudinẽ recognoſcimus,& conſuetam iam tẽpore Ambroſij lectionem ſequimur:*Sine ipſo factum eſt nihil*.Hic eſt ſententiæ finis.

D. Epiphan.

D. Ambroſ.

Congruit hæc lectio ei loquendi modo,quem ſeruauit Euangeliſta in hoc capite:inchoat enim membrum ſequens ex præcendentis membri fine,vt iam obſeruauimus. ſic hoc loco membrum hoc præcedit:*Sine ipſo factum eſt nihil*,ſequitur alterum à fine huius incipies:*Quod factum eſt,ipſo vita erat*.Deinde aliud: *Et vita erat lux hominum*,tum illud: *Et lux in tenebris lucet*, &c. Præterea,ſi ſic legamus, *ſine ipſo factum eſt nihil, quod factum eſt*,hæc vltima verba,*quod factum eſt*,ſuperuacanea ſunt. Iam enim ex præcedẽtibus verbis cõſtat de creaturis eſſe ſermonem,quemadmodum ſuperfluus eſſet ſermo,ſi quis ita loqueretur, ſine gratia nemo ſeruatur,qui ſeruatur. ſine peccato nullus homo damnatur,qui dãnatur.Item,ſine verbo nulla res fit,quæ fit.Noſtram lectionẽ ſequitur Lactantius lib.4.c.8. Tertullianus contra Hermogenem,capite 20.& cap.45.& de reſurrectionis carnis cap.quinto,& libro quinto contra Marcionem capite decimonono. Amelius Philoſophus Ethnicus apud Theodoretum libro de principijs, Cyrillus, Auguſtinus, & plerique latinorum. Apud Irenæum libro tertio,capite vndecimo,vtraque lectio reperitur. Tertiam aliam lectionem ſequitur D. Epiphanius in Ancorato:Ipſa, inquit,lectio ſic ſe habet: *omnia per ipſum facta ſunt,& ſine ipſo factum eſt nihil,quod factum eſt in ipſo*,id eſt, ſi quid factum eſt, per ipſum factum eſt. Hæc Epiphanius.Sed non admodum probabilis mihi videtur. Huius lectionis meminit Theophylactus. Hilario quoque tribuitur 2. de Trinitate, ſed noſtram ni fallor ſequitur.

Tertullian.

Amelius. D. Cyrillus. D. Auguſt. D. Irenæus.

CAPVT V.

Morale.

IN ſenſu literali enucleando hactenus deſudauimus, ad latiores moralis ſapientiæ campos, hortosque amœniſſimos relaxandi, exornandique animi cauſa libet diuertere. Nam (vt ait Magnus Gregorius in Epiſtola ad Leandrum) qui de Deo loquitur, curet neceſſe eſt, vt quidquid audientium mores inſtruit, rumetur, & hunc rectum loquendi ordinẽ deputet, ſi cum opportunitas ædificationis exigit, ab eo ſe, quod loqui cœperat, vtiliter detinet. Quod de loquente dixit Summus Pontifex, idem de ſcribente dicendum eſt. Sacri enim tractator eloquij (additidẽ Pater ſanctiſſimus) morem fluminis debet imitari. Rectum curſum tenet flumen, quouſque in finem, hoc eſt, mare, perueniat, verumtamen à recto curſu illius aqua ad irrigandos agros, hortosque ſæpè deriuatur. Eundem in modum rectum explanationis literalis curſum teneat neceſſe eſt ſacrarum interpres literarum: at verò ad irrigandos morali doctrina hominum animos, orationis flumen ſæpè deflectet. vt quemadmodum intellectus lætiſſimos agros, literalis irrigat explanatio, ita voluntatis amœniſsimos hortos moralis irriget tractatio.

D. Gregor. Magnus.

Ad mores ornandos debet diuertere ſacrarũ interpres literarum.

Qui conuiuium exhibet, non cibum ſolùm menſæ infert, ſed potum etiam miniſtrat: imperfectum enim erit vel ſine cibo, vel ſine potu, conuiuium, ſic qui ſcripturarum interpretationem veluti conuiuiũ apparat, non literalem ſolùm ſenſum præbet, ſed moralem quoque tractationem adhibet. cibo enim ſimilis eſt literalis ſenſus, durior ac difficilior potui, facilis de moribus digreſsio, inſtar aquæ, vel vini, liquida ac profluens. ad Eccleſiæ ornamentum monilia promittuntur aurea, argenti punctis, ſiue vermiculis, diſtincta. *Murenulas aureas faciemus tibi, vermiculatas argento.* Quis verò neget aureas ſcripturarum interpretationes, aurea eſſe monilia, quibus Eccleſiæ collum, ex quo diuinæ conciones, & diſputationes effunduntur, maximè exornatur? Non igitur ſatis eſt monilia ex cæteris ſenſibus aurea fabricari, niſi argento etiam, hoc eſt morali ſenſu, vermiculata, ſiue, vt eſt in hebræo, argenti punctis diſtincta ſint. Puncta autem, quæ in concionibus vulgò vocentur, nemo eſt qui ignoret.

Senſus literalis eſt ſimilis cibo. moralis potui.

Cant. 1.

Monilia Eccleſiæ argenti pũctis diſtincta.

Primum argenti punctum, aureis illis Euangeliſtę verbis hactenus explicatis inferendum, hoc eſt, quẽadmodum Deus habet Verbum, ita nos modulo noſtro verbum habemus. Quod autem ſit verbum noſtrum, ſi quæras, docuit mellifluus Bernardus lib. 2. de conſideratione cap. 3. Verbum, inquit, tuum cõſideratio tua, & quidem punctum, hoc eſt, vnde pendet æternitas. Qui enim rerum æternarum verbum habent, hoc eſt, earum conſiderationi vacant, Deo iuuante vèlis, remisque, vt aiunt, peccatum quodlibet fugiunt, pœnitentiam amplectuntur, charitatem Dei toto pectore tuentur, atq; ita ſuppliciorum æternitatem euadunt. Qui verò abſque conſideratione veluti capti oculis iter agunt, in multas prius ſcelerum foueas, in tartareum deinde barathrum multis flagitijs inquinati incidunt. *Si cæcus cæco ducatum præſtet*, dixit Dominus: *ambo in foueam cadunt*, ſi cæcus intellectus cæcum ducat appetitum, ambo cadent in tartarum, iuxta illud: *quia nullus intelligit, in æternum peribunt.*

De verbo noſtro, hoc eſt, conſideratione.

D. Bernard.

Matth. 15.

Iob 4.

Quod non ruminat animal, immundum dicitur, adumbrat animal, quod non ruminat, hominem, qui non conſiderat. Si immundum eſt animal, multo magis immundus eſt homo, animal immunditia legali, homo peccati turpitudine ſpirituali. Sus, vt eodem Leuitici capite dicitur, non ruminat, ſpurcum animal & ſordido gaudens luto; en libidini deditorũ hominum imaginem, ſues ſunt non ruminantes, hoc eſt, nec flagitiorum fœtorem, nec ſuppliciorum, quæ illis imminent, æternitatem expendentes; *Vtinam*, vt Moyſes optat in Cantico. *ſaperent, & intelligerent, & nouiſsima prouiderent*, vtinam ſtatueret ſibi ſpeculam conſiderationis, vnde aduentantia ſupplicia ſpecularentur, nuntium ſanè libidinis amariſsimæ, dulcedini remitterent, dulciſsimamque pœnitentiæ amaritudinem amplecterentur: *Statue tibi ſpeculã, pone tibi amaritudines.* Qui vitia fugere conatur, celſiſsimam ſibi in intellectu conſiderationis ſpeculam exædificet, ex qua arduus, temporis breuitatem, caducaque omnia deſpiciat, futurę vitę æternitatem, ęternaque omnia cõtempletur. Quod ſi faciat, ponet etiam ſibi amaritudines, videbit enim quàm ſit amarum, Deum Optimum Maximum ſcelerum perpetratione offendiſſe, immortalemque animum putidiſsimis ſordibus conſpurcaſſe. *Scito, & vide, quia malum, & amarum eſt, reliquiſſe te Dominum Deum tuum, & non eſſe timorem mei apud te, dicit Dominus.*

Impij non ruminant.

Deut. 32.

Ierem. 31.

Specula conſiderationis.

Ierem. 2.

O terque, quaterque beatum illum, qui cum regio Vate canere poteſt: *Cogitaui dies antiquos, & annos æternos in mente habui*, ô felicem, ô opulentiſsimã mentem, quæ horum annorum meditationem veluti ditiſsimum theſaurum in ſe habet. nam, vt dixit auctor Speculi peccatoris, quod Auguſtino tribuitur, tom. 9. Meditatio nihil aliud eſt, quam mentis ditatio. Quid ni dixerit mẽtis ditationem, conſiderationem? quę, vt Bernardus ait lib. 1. Mentem purificat, regit affectus, dirigit actus, componit mores, vitam honeſtat & ordinat, vera veſtigat, fucata explorat.

Pſal. 76.

Meditatio eſt mentis ditatio.

D. Bernard.

Ideò tanta eſt in nobis virtutum paupertas, quia hanc mentis ditationem à mente pellimus, in ijs verò magna eſt opulentia, qui illam ſemper mente retinent. Si non vacat res diuinas ſemper meditari, vacet ſingulis diebus aliqua temporis pars, etſi parua, quam huic diuinorũ theſaurorum exploratrici impertiamur. Vt enim ait Bernardus eodem libro: Tam pio, tamque vtili conſiderationis otio, nullã in vita operam dare, nõne vitam perdere eſt? heu quot homines vitam perdunt ſanctiſsime Bernarde. videas pleroſque negotiorum fluctibus abſorptos, ne horæ quidem quadrantem tam pio otio impendere, ijs piſcibus ſimiles, qui pinnis carent, de quibus Origenes hom. 7. in Leuiticum. Hæc, inquit, eorum natura perhibetur, vt imis ſemper, & circa ipſum cœnũ demorentur, ſic illi in terrenis perpetuò negotijs hærent, neque vnquam ſurſum caput vel cor ad diuina contemplanda attollunt. At ſunt multi alij, qui deſtinatum tempus conſiderationi tribuunt, & ex ipſis negotiorum, in quibus verſantur, fluctibus ſæpè emergunt, aliorum piſcium ſimilitudinem gerẽtes, qui pinnas habent, & è fluctibus exiliunt, de quibus Magnus Gregorius: Piſces, inquit, qui habent pennulas, ſaltus dare ſuper aquas ſolent, quaſi piſces huiſmodi tranſeunt, qui in eo, quod imis deſeruiunt, aliquando ad ſuperna conſcendere mentis ſaltibus ſciunt. Hæc ille.

Vitã perdunt qui conſiderationi nullum tempus tribuunt.

Origen.

Magnus Gregorius l. 5. Mor. c. 6.

Nautæ, vt Beda ait, lib. de ratione temporum c. 3. olei aſpergine perſpicuum ſibi maris profundum efficiunt: ſimilem in modum ſancti viri conſiderationis veluti aſpergine quadam, negotiorum profundum, vitęque huius pelagus perſpicuum ſibi reddunt, hacque ratione negotia ipſa bene diſponunt. Vt enim ait eodem loco Gregor. qui rebus occupãtur temporalibus, tunc benè exteriora diſponunt, cum ſolicitè ad interiora refugiunt.

Beda.

D. Gregor.

Quemadmodum in prata florentia, & amœnos hortos, animi relaxandi, oculosque recreandi gratia,

Leuit. 1.

tia,omnium curarum obliti sæpe discedimus, ita in virides cœlestis meditationis agros,floridissimosque hortos,animi corrigendi,mentisque oculos pascendi causa,molestum negotiorũ fumum fugientes,sæpe diuertamus oportet. Audi quid hac de re Chrysostomus scripserit:Nónne vides, ait ille, corporis oculos cum in fumo morantur,lachrymas effundere, si verò potiantur aëre purgato,& florentibus pratis, & hortis,& fontibus,saniores esse,multóque maiore aciei fulgore rutilare? talis est mentis oculus, si in pratis spiritualis pascatur eloquij,erit totus purus,& lucidus, si in fumum secularium negotiorum fuerit ingressus, ad innumera mala lachrymabitur in hoc sæculo, & in futuro, fumo enim sunt humana negotia comparanda. Hactenus Chrysostomus. Rustici in ædibus fumo plenis nutriti, fumi molestiam ferunt facilè, at vir nobilis puro aëri assuetus, fumantem domum non potest ferre,egreditur protinus, vt puro ac liquido fruatur aëre. sic negotiorum fumo homines assueti,illorum molestiam facilè tolerant, diuinarum verò rerum contemplationi vacantes, hunc fumum pati nequeunt, vel si pati necesse est, lachrymantur.

D. Chrys. Hom. 2. in Matth.

Fumo humana negotia similia.

Vis audire nobilissimum hominem in medio negotiorum fumo, quamuis ab optimo, clarissimo, & sanctissimo igne, id est, summo pontificatu, excitato, lachrymantem ? Audi, quæ scribat Magnus Gregor. in Epistola quinta libri primi ad Theotistam Imperatoris sororem:Sub colore, inquit, Episcopatus ad sæculum reductus sum,alta quietis meæ gaudia perdidi,me à conditoris mei facie longè expulsum deploro, & in epistola sexta sequente ad Patritiu Narsem,sic scribit:Tanto me percussum mœrore agnoscite, vt vix loqui sufficiam, oculos enim mẽtis meæ,doloris tenebræ obsident, triste est quidquid aspicitur; penso enim ab alto quietis meæ culmine corruens ad quantum deiectus exterioris prouectus culmen ascendi, & pro culpis meis in occupationis exilium à facie dominantis missus, quia destitutæ viduæ vocibus cum Propheta dico. *qui consolabatur me,longè recessit à me. Nolite me vocare* Noemi, id est, pulchrum, *sed vocate me Maram, quia amaritudine plenus sum.* His verbis summus ille vir ac Pontifex, purissimo contemplationis aëre,amœnissimisque pratis,se priuatum deplorat,& in occupationum (vt eius verbis vtar)exilium missum.

Magnus Gregorius.

Thren. 1.

D. verò Bernardus initio libri primi de consideratione,occupationes immoderatas,quæ tempus totum absorbent, ab æternarum rerum contemplatione omnino auocant,hominemque in cor durum, & insensibile ducunt,non quidem fumum,sed quod plus est, maledictas occupationes, etsi Põtificis sint, appellare non veretur. Sic enim ad Maximum Põtificem Eugenium scribit, postquam de duro corde egerat: En quo trahere te habent hæ occupationes maledictæ, si tamen pergis vt cœpisti, ita dare te totumillis, nihil tui tibi relinquens. Cum hæc ita sint, eiusdem Bernardi, quod eodem loco consiliũ præbet Eugenio,nos sequamur. Vereor,ait,ne in medijs occupationibus (quoniam multæ sunt) dum diffidis finem,frontem dures,& ita sensim teipsum quodãmodo sensu priues iusti,vtilisq; doloris. Multo prudentius te illis subtrahas vel ad tempus, quàm patiare trahi ab ipsis,& duci certè paulatim, quò tu non vis. Quæris quò ? ad cor durum. Hæc Bernardus. Intermittendæ ergo sunt occupationes, vt considerationi vacemus, ipsas quoque occupationes, actiones,& negotia comitari semper debet ipsa eadem egregia hominis comes ac custos cõsideratio. Quamobrem sequitur.

D. Bernard.

Occupationibus tempus subtrahendũ vt considerationi impendatur.

Secundum argumenti punctum. Pater omnia per verbum fecit: *omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso fa-*

Omnia per verbum nostrum id est, consideratio.

ctum est nihil: Ita oportet nos omnia per verbum nostrum,id est,considerationem nostram facere, & sine ipsa facere nihil: *Palpebræ tuæ* (ait Salomon) *præcedant gressus tuos*: quemadmodum oculi corporis præcedunt gressus corporis, sic par est, vt oculi animi præcedant gressus animi. Beda, hoc est, palpebras præcedere gressus, bonum opus,quod acturus es,sedula cogitatione præuenire. Item eodem capite Salomon: *Dirige*, inquit, *semitas pedibus tuis.* Pagninus ex Hebræo vertit: Pondera semitam pedum tuorum, & omnes viæ tuæ stabilientur. ponderanda sunt cõsiderationis statera negotia, vitæ status, actiones, voluptates,honores,dignitates,& si quę sunt aliæ semitæ,per quas nobis iter agendũ est. Quod si faciamus, negotia ipsa, & actiones stabilientur, sin minus corruemus. Bernard. tertio lib. de consideratione: Spiritualis,inquit, homo,omne opus suum,terna consideratione præueniet,prius,an liceat, deinde, an deceat, postremò, an expediat, & in sermone feriæ quartæ hebdomadæ pœnosæ: Felix, inquit, cuius cogitatio,hoc est,verbum,omnes actiones ad iustitiam dirigit,vt & intentio sana sit,& operatio recta.

nem sunt faciendæ Prouerb. 4.

Beda

D. Bernard.

Ponite cor da vestra super vias vestras, ij ponunt corda super vias suas, qui eas diligenter considerant. Qui noctu iter facit,facem sibi præferri iubet,quæ discutiat tenebras,noctu iter facimus,in cœlo dies illucescet clarissimus, nulla vnquam caligine obscurãdus. Considerationis ergo face præferat intellectus, quę viam illuminet, iuxta illud Salomonis dictum eodẽ capite: *Iustorum semita quasi lux splendens*. De via autem impiorum, qui considerationis facem non incendunt, subiicit: *Via impiorum tenebrosa nesciunt vbi corruũt.* Nónne qui bellum gerunt,exploratores mittunt,vt olim Iosue,qui hostiũ regiones, robur, munitiones, consiliaque explorent? nónne in editis speculis speculatores collocant, qui hostium aduentum, numerum, armaque speculentur ? Nos qui periculosissimum cum tartareis hostibus bellum gerimus, ad explorandas eorum regiones, sęuissimis flammis exardescentes,in quas nos precipitare conantur, ad cognoscenda eorum consilia, tentationes,& arma, quibus nos oppugnant,nunquam ne exploratricem considerationem mittemus? nunquam ne oculatissimam hanc speculatricẽ in editissima specula collocabimus, vt tum perituras, tum in sempiternum mansuras res speculetur.

Aggæi 1.

Considerationis fax & exploratrix. Prou. 4.

Artifices, vt paulo antè dictum est, antequam opus aggrediantur,illius exemplar mente describũt, nos sine exemplari, hoc est, sine consideratione temerè,& inconsideratè operabimur? Deus antequam mundum conderet,omnibus numeris absolutam illius ideam apud se habuit,quam si (quod fieri nõ potest) apud se non habuisset,mundus creari non potuisset, iuxta illud Augustini: Ist e mundus Deo nisi notus esset,esse non posset. Imitemur ergo diuinam illam sapientiam,operis agendi prius ideam mente complectamur,quàm si apud nos non habeamus, opus omnibus numeris absolui non poterit,an liceat, an Deo placeat, an è re animi sit,diligenter prius, si quid erit agendum,consideremus,nec casu, & incõsultò,quicquam operis aggrediamur. Quod si considerate omnia faciamus, id pro modulo nostro assequemur, quod de Deo Optimo Maximo memorię proditum est: *Fecit Deus omnia per verbum suum, postquam fecit, vidit cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona*, Eundem in modum, si per verbum nostrum fecerimus omnia,cum opera ad examen, iudiciumque vocabimus cuncta,& erunt,diuina iuuante gratia,valdè bona.

D Augustin. l. 10. de Ciuit. Dei, c. 10.

Genes. 1.

Tertium argumenti punctum sit. Verbum diuinum est apud Deum; in eo beati, vt Theologi docẽt, veluti in speculo splẽdidissimo,res cernunt in cœlo, in eodem nos res cernamus in terra. Verbum in-

Res in verbo cernendæ.

carnatum, crucique ſuffixum noſtrũ ſit ſpeculum, in quo ſi diuitias, honores, humanam gloriam, cæteraque caduca bona cernamus, quàm vilia ſint, facilè cognoſcemus. Nam, vt Auguſtinus, ait, in libro de vera religione capite decimo ſexto: Chriſtus omnia, quæ habere cupientes non recte, viuebamus (id eſt, caduca bona) carendo, vilia fecit. Si verò paupertatẽ, pœnitentiam, cruciatus Dei cauſa ſuſceptos, opprobria, iniurias, labores cõtemplemur, quàm eximij præmij ſint, planè intelligemus. teſte enim Bernardo: Chriſtus eſt patiendi ſpeculum, & patientis præmium. Diuini Verbi conſpectus ſapientes reddit beatos in cœlo, eiuſdem verbi incarnati contemplatio ſapientes nos reddit in terra. etenim, vt Paulus ait: *Chriſtus factus eſt nobis ſapientia*. Et Auguſt. loco iam notato: Tota, inquit, vita Chriſti in terris, diſciplina morum fuit.

D. Auguſt. *D. Bernard. ſer. 47. in Cant.* *1. Cor. 1.* *D. Aug.*

Præcepit Moyſi Deus, vt exemplar inſpiceret, quod oſtendit, & ad exemplaris normam tabernaculũ fabricaretur: *Inſpice* (ait Dominus) *& fac ſecundum exemplar, quod tibi in monte monſtratum eſt*. Oſtendit Deus in monte, hoc eſt, in cælo, beatis omnium creaturarum exemplar Verbum, non tamen præcipit, inſpicite & facite ſecundùm exemplar. non enim poſſunt beati creaturas, quas in verbo vident, procreare. At nobis in hoc terrarum orbe degentibus, demonſtrat Deus in monte Caluariæ, omnium virtutũ exemplar Verbum idem, præcipiensque dicit: Inſpicite & facite, inſpicite exemplar, facite opera. Inſpicite obedientiam vſque ad mortem, & facite; inſpicite paupertatem vſque ad nuditatẽ, & facite; inſpicite patientiam vſque ad crucem, & facite, inſpicite Dei humilitatem vſque ad irriſiones, alapas, ſputa, opprobriique plenillimam necem, & facite.

Exod 25.

Speculum veriſsimum eſt verbũ, mundus verò ſpeculũ fallax Seneca.

In hoc verbo res cernunt viri probi, Deiq; amantes: at diuinarum rerum obliti, res cernunt non in diuino Verbo, ſed in mundo: quamobrem illi errore liberantur, hi mille errorum tenebris obcæcantur. Verbum ſpeculum eſt veritate plenum, abomni falſitate auertens hominem, mundus ſpeculum eſt vitreum, fragile, hominémque fallens. Vt Seneca ait lib. 1. natural. q. c. 6. eſt alicuius ſpeculi natura talis, vt in portentoſam magnitudinem augeat formas. Et mundus ſpeculum eſt, honores, diuitias, voluptatesque in portentoſam mentiendo augens magnitudinem, qui fugere hæc portenta vult, non in mẽdaci, ſed in veraci ſpeculo, Chriſto Optimo Maximo, rerum caducarum veritatem exploret.

Quartum. Deus Pater ſeipſum perfectiſſimè intelligit, ſuique imaginem producit, verbum ſcilicet diuinum. Deum vir probus pro modulo ſuo, hac etiam in re imitatur, ſæpe ſeipſum intelligit, ſuique imaginem, & Verbum profert. Magnum tamen diſcrimen eſt inter Deum & hominem. Nam Deus Pater cum ſe intelligit, bonorum quoddam infinitum pelagus intellectu comprehendit: homo verò cum ſeipſum mente concipit, malorum quendam penum, & miſeriarum quendam mundum animo percipit, vt doceet Plutarchus, in libro cui titulus eſt, vtrum ſint grauiores animi morbi, quàm corporis: Si teipſum, inquit, intus aperueris, varium quoddam, ac multis refertum malis penum reperies, ac mundum quendam miſeriarum reconditum, vt ait Democritus, nõ quidem foris incidentium, ſed ipſo in ſolo, ipſaque in terra ſuos habẽtium fontes, vnde ſcaturiant, &c. Pulcherrimo obiecto pulcherrima reſpondet imago, ex obiecto omnibus ærũnis pleno humilis emanat effigies. Humilẽ effigiem depingit Abrahã, cum puluerem ſe & cinerem eſſe intelligit; *loquar*, inquit, *ad Dominum, cùm ſim puluis & cinis*. & Paulus cùm *abortiuum ſe appellat, & minimum Apoſtolorum, qui non ſit dignus vocari Apoſtolus*. Dauid quoque cum, *canem ſe vocat mortuum, & pulicem*. Iob ſimiliter cum hominem his verbis deſcribit: *Homo natus de muliere, breui viuens tempore, repletur multis miſerijs*: Ioannes item Baptiſta, cum ſe *vocem clamantis in deſerto* profitetur. D. Chryſoſt. Ille, inquit, eſt maximè ſeipſum ſciens, qui ſe eſſe nihil exiſtimat, vide quã humilem noſtræ vilitatis imaginem velit Chryſoſtomus vt pingamus.

Virprobus ſui ipſius verbũ, & imaginẽ ſæpe produ-cit. *Geneſ. 18.* *1. Cor. 15.* *1. Reg. 24.* *ob 24.* *D. Chryſ. Hom. 26. in Matth.*

Verbum diuinum eſt ſapientia Patris, verbũ hoc & conſideratio ſapientia eſt hominis, prima, vt vtiliſſima quæ non inflat, ſed ædificat. Volo (ait Bernard. animam primò omnium ſcire ſeipſam, quod id poſtulat ratio & vtilitatis, & ordinis: ordinis quidẽ, quoniam quod nos ſumus, primùm eſt nobis, vtilitatis verò, quia talis ſcientia non inflat, ſed humiliat. Philo in libro de ſomnijs: Eſt principium inuiſibilis ſapientiæ, non obliuiſci ſui ipſius, & habere ſemper præ oculis ſuas origines: ſic enim ſuperbia poteſt elui, &c.

Conſideratio eſt hominis ſapientia. D. Bernard. ſer. 36. in Cant.

At longè ab hac ſapientia ſuperbi abſunt, verbum illi imaginemque ſui, non ſuis ſed alienis pingunt coloribus, id eſt, diuitijs, honoribus, nobilitate, nominis ſplendore. Vnde illud: *Dicis, quod diues ſum, & locupletatus, & nullius egeo*; en alienis cõloribus ſe ille pingebat. Sed ſuis, atróq; carbone pingitur. *Et neſcis, quia tu es miſer, & miſerabilis, & pauper, & cæcus, & nudus*. Non ex corporis caducis bonis, ſed ex animi diuinis virtutibus æſtimandus eſt homo, vt rectè Seneca docuit Epiſtola 77. Cum voles, inquit, veram hominis æſtimationem inire, & ſcire qualis ſit, nudum inſpice, ponat honores, & alia fortunæ mendacia, corpus ipſum exuat, animum intuere, qualis, quantusque ſit, alieno an ſuo magnus, Hæc ille.

Apoc. 3.

Quintum. Habet quoque concionator verbum ſuum, quod incenſa mente efformatum, voceq; veſtitum, foras ad populum emittit. Nam quemadmodum ſummus Pater diuinum Verbũ ab æterno produxit, poſtea verò humanitate indutum in mundum miſit, ita diuinus concionator, multo ante tam ſui, quàm diuinarum, humanarumque rerum verbum mente concipit, poſtea verò voce contectum in vulgus profert prius meditãdo, ſcripturas legendo, ſanctis Patribus operam dando, theſaurum parat, deinde de theſauro ſuo, veluti ſcriba doctus, noua profert, & vetera, multa prius in pectus ſuum infundit, poſtea in aliena corda effundit. ſermonem quæſo lege melliflui patris Bernard. in quo de hoc argumento præclarè agit, inter cætera: Diſce, inquit, non niſi de pleno effundere, implere prius, & ſic curato effundere, benigna, prudensq; charitas affluere cẽſueuit, nõ effluere. En quanta prius infundenda ſunt, vt effundere audeamus, de plenitudine, non de penuria largientes, primò quidem compunctio, deinde deuotio, tertiò pœnitentiæ labor, quartò pietatis opus, quintò orationis ſtudium, ſextò contemplationis otium, ſeptimò plenitudo dilectionis. Hæc omnia operatur ſpiritus ſecundùm operationem, quę infuſio appellatur, quatenus illa, quæ effuſio dicta eſt, purè, & ob hoc tutè iam adminiſtretur, &c.

De concionatore. *D. Bernard. in Cant. 18.*

Eodem ſermone concionatorem concham vult eſſe, non canalem: Si ſapis, inquit, concham te exhibebis, non canalẽ, canalis ſiquidẽ ſimul & recipit, & refundit; concha verò dõnec impleatur, expectat, & ſic quod ſuperabundat, ſine ſuo damno communicat. Conqueritur præterea, quòd multos concionatores canalibus, paucos conchis ſimiles haberet illa ætas. Canales, ait, multos hodie habemus in Eccleſia, conchas verò perpaucas, tantę charitatis ſunt illi, per quos nobis fluenta cœleſtia emanant, vt ante effundere, quã infundi velint, loqui, quã audire, paratiores, & prompti docere, quod non didicerunt, & alijs præeſſe geſtientes, qui ſeipſos regere neſciunt. Danda ergo opera eſt concionatori, vt non canalis, ſed

ſed conchæ, vel etiam fontis ſimilitudinem referat, qui (vt idem ſanctiſſimus Pater ait) non prius manat in riuum, nec in lacum extenditur, donec ſuis ſatietur aquis.

D. Greg. Magnus l. 30. Mor. c. 21. In eandem ſententiam Magnus Gregor. Sancti, inquit, viri cùm ſe ad prædicandum parant, prius ſe interius virtutibus innouant, vt ad hoc, quod loquẽdo docent, viuendo concordent, prius ſua interna conſiderant, atque à cunctis ſe vitiorum ſordibus emundant, curantes ſummopere, vt contra iram patientiæ luce reſplendeant, contra carnis luxuriam etiam cordis munditia fulgeant, contra torporẽ zelo candeant, contra confuſos præcipitationis motus, ſerena grauitate rutilent, contra ſuperbiam vera humilitate luceant, contra timorem radijs autoritatis clareſcant. Hæc ille. Ex quibus intelliges, quę virtutes concionatori ſint maximè neceſſariæ, vt cũ Dauide dicere poſſit: *Pſal. 44.* ***Eructauit cor meum verbum bonum, dico ego opera mea regi: lingua mea calamus ſcribæ velociter ſcribentis.*** Illius enim concionatoris cor, verbum bonum eructat, quod charitate plenum eſt, quod zelo feruet, quod diuinarum rerum cognitione redũdat; *D. Bernard.* eructat inquam, vt cum Bernardo loquar, de plenitudine, non oſcitat de inanitate, eructat cœleſtibus epulis plenum, non oſcitat vanæ gloriæ inanitate vanum.

Sit nobis exemplo ſeraphinus ille ardentiſſimus Franciſcus, de quo D. Antoninus ſic ſcribit, ſolitaria *D. Antonin.* loca quæſiuit, & in eremi vaſtitate reſedit, ad Eccleſia ſolus nocte perrexit, talia loca elegit intrepidus, vt in oratione ſibimet inuigilaret; ibiq́ue prius didicit, quod poſtmodum alios docuit, vbi non tam verbis, quàm virtute ſpiritus, ad eructandum proximis, *D. Hieron.* opportuno tempore eſſet plenus, &c. D. Hieron. in Epiſtola ad Principiã: Iuſtus, inquit, comedẽs replet animam ſuam, cumq́ue ſacris doctrinis fuerit ſatiatus, de bono cordis theſauro profert ea, quæ bona ſunt, & cum Paulo loquitur, ***an experimentum quæritis eius, qui in me loquitur Chriſtus?*** &c.

Eructat huiuſmodi concionator verbum vtile, verbum corda permouens, verbum bonum, intẽtione bona, vnde ſequitur in Pſalmo: ***Dico ego opera mea regi***, non inani gloriæ, non auro, non argento, ſed regi Chriſto concionem dico. Pſalmographus iſte (ait Hieron.) qui laudes cantaturus eſt Domino, carmen ſuum, & opuſculum conſecrat ei, & pro muſis gentilium ipſum inuocat in principio, quem laudaturus eſt, &c. Huiuſmodi concionatoris lingua veluti calamo vtitur digitus ipſe Dei, Spiritus S. ***lingua***, inquit, ***mea calamus ſcribæ velociter ſcribentis***. nemo rudi, & minime præparato ſcribit calamo, præparatione ergo iam dicta cõcionator indiget, ſi calamus Spiritus S. eſt. Lege D. Baſilium Pſal. eodẽ 44. Iuſti, ait, lingua Spiritu ſancto eam mouente, cordibus credentium verba inſcribit vitæ æternæ, tincta quidem non atramento, ſed ſpiritu Dei viuentis, &c.

CAPVT VI.

Morale.

Gen. 1. SExtum: ***Omnia per ipſum facta ſunt.*** Omnia, inquam, bona, ***vidit enim Deus cuncta, quæ fecerat, & erãt valde bona.*** Verùm quæret quiſpiam, num mala quoq; aliqua per verbũ facta ſint? quod ſi ab eo non emanarunt, vnde nam ea exoriantur? hæc quæſtio Auguſtinum vehementer aliquando torſit, & in hæreſim Manichæorum impulit, vt ille fatetur lib. 1. de libero arbitrio cap. 2. Ea, inquit, quæſtio me adoleſcentem vehementer exercuit, & fatigatum in hæreticos impulit, atque deiecit. Manichæi enim immutabilem quandam, & Deo coæternum mali naturam, impie & ineptè aſtruebant. ad fidem verò conuerſus, & hæreticorum ineptias deteſtatus, tres de libero arbitrio libros ſcripſit, in quibus de origine mali diſſerit. Nos duplex mali genus eſſe reſpondemus, alterum malũ culpæ, alterum malum pœnæ appellatur. Malũ culpę à Verbo nec factum eſſe, nec poſſe fieri compertum eſt: qui enim fieri poteſt, vt Deus quod ſummopere odit, idipſum efficiat? quod ſummis ſupplicijs coërcet, id operetur? quod ex mundo exterminare iubet, id in mundum inuehat? Quæ verò ratio humana inficietur, peccatum Deo ita eſſe odioſum, vt in id odiũ ſuum totum expromat, nihilq́ue aliud præter peccatum habeat odio? quis neget, aut Deum de hominib. peccatorũ labe infectis grauiſſima ſupplicia ſumere, aut omnium ſcelerum ſordibus mundum expurgatum velle? ***Non Deus volens iniquitatem tu es***, canit ſanctiſſimus Rex, & Propheta Abacuc: *Mundi*, inquit, ***ſunt oculi tui, ne videas malum, & reſpicere ad iniquitatem non potes.*** Si Deus iniquitatem non vult, ſi improbitatẽ reſpicere non poteſt, ſi impios acerbiſſimis ſupplicijs afficit, quomodo fieri poteſt, vt peccati ſit auctor & effector? *Pſal. 5. Abacuc 1.*

D. Fulgentius libro 1. ad Monimum: Illius, inquit, rei Deus vltor eſt, cuius autor non eſt, id eſt, iniquitatis, quam poteſt Deus punire, non facere, & poſt hæc: Abſit hoc à nobis, atque ab omnibus Chriſtianis, vt cauſam cuiuſlibet peccati quiſquam deputare diuinæ audeat æquitati, cùm nec malitiæ neque impietatis cuiuſquam cauſa eſſe poſſit, niſi in eo, qui malus atque impius fuerit. Magnus Dionyſius Areopagita in lib. de diuinis nominibus, parte quarta, cap. 4. Non eſt, inquit, ex Deo malum, neque in Deo, neque ſimpliciter, neque ſecundùm tempus. D. Augu. in lib. de natura boni aduerſus Manichæos, c. 28. Cũ audimus, inquit, omnia ex ipſo Deo eſſe, omnes vtiq; naturas intelligere debemus, quæ naturaliter ſunt, neque enim ex ipſo ſunt peccata, quæ naturam nõ ſeruant, ſed vitiant. Et tract. 1. in Ioan. in illa verba: Sine ipſo factum eſt nihil. Peccatũ, ait, non per ipſum Verbum factum eſt, & manifeſtũ eſt, quia peccatum nihil eſt. Boëtius lib. 4. de conſolatione, Proſa ſecunda: Summum bonum malum facere nequit. *D. Fulgẽtius Deus non eſt peccati autor. D. Dionyſ. Areopagita. D. Auguſt. Boëtius.*

Quod ſi opponas ſequi, Deum non eſſe omnipotentem, quod non poſſit peccatum facere. Reſpondet Auguſtin. lib. 1. contra Iulianum c. 8. Non poteſt, inquit, autorem habere, quod nihil eſt. & Gregorius lib. 3. Moralium cap. 6. Non creantur à Domino, quę nulla natura ſua ſubſiſtunt. Boetius item libro 4. de conſolatione, Proſa vltima: Deum eſſe omnium potentem, nemo dubitarit, qui verò eſt omnium potens, nihil eſt quod non poſſit. malum igitur nihil eſt, cum id facere ille non poſſit, qui nihil nõ poteſt. Prętera reſpondemus, peccatum facere non eſſe potentiæ, ſed impotentiæ, & imbecillitatis, non eſſe quicquam potenter facere, ſed impotenter deficere. Vnde Dionyſius Areopagita loco indicato, malum, ait, eſſe defectum, nullus autem defectus Deo perfectiſſimus tribuendus eſt. *D. Auguſt. D. Gregor. Boëtius. D. Dionyſ. Areopagita.*

Non poteſt Deus peccare, hoc non poſſe peccare immenſæ eſt omnipotentiæ. Vt enim Auguſt. lib. 5. de ciuitate Dei cap. 10. præclarè ait, propterea Deus quædam non poteſt, quia omnipotens eſt. Non minuitur eius poteſtas, cum dicitur mori, falliq́ue non poſſe. Sic enim hoc nõ poteſt, vt potius ſi poſſet, minoris eſſet poteſtatis. Hæc ille. idem de potentia peccandi dicendum eſt, quæ maxima eſt impotẽtia. Poſſunt peccare homines, hoc poſſe maximæ eſt fragilitatis, vt docet Magnus Dionyſius in lib. de diuinis nominibus cap. 4. par. 4. Fieri, inquit, malum, non virtutis, ſed infirmitatis eſt. Boëtius lib. 4. de conſolatio- *D. Auguſt. Potentia ad peccandũ eſt impotẽtia, & imbecillitas. D. Dionyſ. Areopagita, Boëtius.*

An mala per verbum facta ſint?

solatione, Prosa secunda: Possunt inquies mali, neque ego quidem negauerim, sed hæc eorum potẽtia non à viribus, sed ab imbecillitate descẽdit: possunt enim mala, quæ possibilitas eos euidetius nihil posse demonstrat; nam si malum nihil est, cum mala possint, nihil posse improbos liquet, &c.

Dicitur autem peccatum nihil, eo quòd priuatio sit. Lege Anselmum lib. de conceptu Virginis capite 6. & lib. Soliloquiorum capite 5. Nihil aliud, ait, est malum, quàm priuatio boni, sicut nihil aliud est cæcitas, quàm priuatio luminis. malum itaq; nihil est, quia sine Verbo factum est, sine quo factum est nihil, &c. Neque solum peccatum Patres appellant nihil, sed hominem etiam ipsum, qui peccato se inquinat, in nihilum redigi affirmant. Augustin. tract. 1. in Ioann. Nihil fiunt homines cùm peccant. Anselmus loco soliloquiorum notato. Quoties à bonis deuias, à Verbo te separas, quia ipsum est bonum, & ideo nihil efficeris, quia sine Verbo es, sine quo factũ est nihil. Bernardus libro 5. de consideratione capite 10. Peccato redacti in nihilum, iteratò creati sumus, vt simus initium aliquod creaturæ eius; & in sermone de triplici cohærentia vinculorum: Ego ad nihilũ redactus sum, & nescivi, vere ad nihilum, id est, ad peccatum, & nescivi, quia non fui ibi, cùm primus parens meus deuorauit me morsu amarissimo. Et Paulus: *Si habuero fidem, ita vt montes transferam, charitatem autem nõ habuero, nihil sum.* Rogabit aliquis, cur homo peccato infectus, in nihilum dicatur redactus, cũ humanam naturam non amiserit? nunquid humana natura nihil est? Respondemus hominem duplex habere esse, alterum naturæ, alterum gratiæ, prius illud esse peccatum non adimit, secundum penitus aufert. Redigitur ergo homo, qui scelus aliquod perpetrat, in nihilum, quod attinet ad esse spiritale gratiæ longe præstantissimum, quamuis humanam naturam caducaque bona non amittat. in hanc sententiam exponit D. Thomas locum Pauli citatũ: *Si charitatem non habuero, nihil sum* (ait D. Thomas) secundum esse gratiæ. & Caietanus, nihil sum secundùm esse diuini, consortij.

D. Anselm. Peccatum dicitur nihil.

Homo peccatorinquinans se in nihilũ redigitur.

D. August. D. Anselm.

D. Bernard

1. Cor. 3.

D Thomas Cardin. Caietanus.

Dubium exoritur non leue: Num per Verbũ sunt factæ priuationes? Negantem partem probant illa verba, sine ipso factum est nihil: priuationes sunt nihil, ergo sine verbo fiunt. Affirmantem confirmant verba Dei apud Isaiã: *Ego Dominus, & non est alter, formãs lucem, & creans tenebras*, tenebræ autem sunt priuatio lucis. Respondemus Deum tenebras efficere, cæcitatem, & huiusmodi alias priuationes, eo modo, quo effici possunt, vt Isaias docet. & D. Augustinus in lib. de natura boni cap. 16. Deus, inquit, quarundam rerum priuationes decenter facit, sicut rerũ omnium perfectus artifex. Non tamen efficit peccatum, quia peccati priuatio culpa est, ad quam perpetrandam concursus causæ moralis est necessarius; at Dei cõcursus cum homine, qui flagitium committit, non moralis, sed naturalis est causæ & vniuersalis, hominis verò moralis, ideoque homini non Deo priuatio illa tribuitur. Qua de re copiosè Theologi disputãt in prima secundæ D. Thom. neque hic locus fusiorem postulat tractatum.

An per verbũ facta sint priuationes.

Isaiæ 45.

D. August.

Argumento respondetur, verba Euangelistæ: *Sine ipso factum est nihil*, non significare ipsum nihil esse factũ sine verbo, id est, ipsas priuationes: sed indicare nihil, id est, nullam omnino rem factam esse sine Verbo, quod verissimum est. In hanc sententiam interpretatur August. in lib. de natura boni cap. 24. Sine ipso, inquit, factũ est nihil, id est, non est factum sine ipso aliquid. Cap. sequenti 25. quorundam reprehendit deliramentum, qui ipsum nihil factum esse sine Verbo affirmabant, quia in fine positũ erat sententiæ, vnde inferebant ipsum nihil esse aliquid, siquidem factum erat. recteque probat idem esse, sine ipso factum est nihil, & sine ipso nihil factum est, nihil enim refert in principio ne, an in medio, vel fine sententiæ collocetur, vt cõstat ex illis Christi verbis; *in occulto locutus sum nihil*, hoc est, nihil locutus sum in occulto. Primo aspectu propositio videtur affirmãs, sine ipso factum est nihil, sed negans est, vtpote hũc habens sensum, nulla res facta est sine ipso verbo. Vrges ex verbis August. paulò ante citatis, autorem habere non potest, quod nihil est; priuatio est nihil, ergo non potest Deum habere autorem. Respondemus id, quod nihil est, nõ posse per se, & proprie autorem, vel creatorem habere, quia non fit per se, proprie, & realiter: potest tamen autorem habere eo modo, quo fit, & rem, quæ per se fit, consequitur; factio siue creatio in naturas reales tendit, priuationes consequuntur.

Ioan. 18.

Cum compertum sit Deum peccatũ nec fecisse, nec posse facere, rogas, quis eius autor sit, & effector? Respondetur, dæmon, & homo. Quidquid boni est, creatura Dei est, quidquid mali culpæ est; sub ratione formali culpæ ac peccati, creatura (vt ita dicam) hominis est, ac dæmonis, pessima illa quidem, quia totius boni creatorem offendit, & bonam Dei creaturam conspurcat, atque euertit. Est autem teterrimæ huius pestis fons, & origo volũtas. Vnde iniquus homo est? rogat Magnus Basilius in homil. 9. cui titulus: Quod Deus non est autor malorum; respõdet: Ex ipsius libera voluntate: vnde malus Diabolus? ex eadem penitus causa. Gabrielem propria volũtas in cœlo retinuit, Satanam voluntatis libertas è cœlo deiecit, &c. August. lib. 3. de libero arbitrio c. 17. Voluntas est causa peccati. Item eodem loco: Improba voluntas malorum omnium causa est.

Volũtas est causa peccati. D. Basil.

Quod si de peccato agatur originali, quod sine propriæ voluntatis actu infantes inquinat, etiam ipsum à voluntate primi parentis emanauit, vt Augustinus ait lib. 3. contra Iulianum Pelagianum cap. 5. Frustrà, inquit, putas ideo in paruulis non esse delictum, quia sine voluntate, quæ in eis nulla est, esse non potest, hoc enim recte dicitur, propter proprium cuiusque peccatum non propter primi peccati originale contagium, quod tamen & ipsum à mala voluntate priorum hominum sumpsit exordium. Sicut voluntas mala ipsa est origo peccati, id est, à volũtate mala peccatum exortum est, & peccati origo voluntas mala est, ita nisi voluntas mala, non est cuiusquam vlla origo peccati. Et 2. lib. de nuptijs, & cõcupiscentia cap. 28. ex voluntate, inquit, peccatum est, quærit fortè, vtrum & originale peccatum? Respondeo, prorsus & originale peccatum, quia & hoc ex voluntate primi hominis seminatum est, vt & in illo esset, & in omnes transiret. Hæc August.

D. August.

Eodem cap. de originale mali sic concludit: Ecce ergo ex bono oritur malum, nec fuit omnino vnde oriri posset, nisi ex bono, &c. Oritur enim malum ab homine, & dæmone, oritur ex voluntate: Dæmonis verò, hominis, & voluntatis natura à Deo condita, bona est. Admirabilis fons esset, qui & saluberrimã & pestiferam aquam effunderet. hic fons est hominis voluntas, ex ea, si expurgetur, diuino subnixa subsidio, virtus, qua nihil salubrius, si verò deprauetur flagitia, quibus nihil pestilentius, emanant, hic est hominis ager diligentissimè colendus. etenim si diligenter colatur, bonorum operum velut abundãtissimam optimi tritici segetem proferet, sine diligenti cultura lolium, vepres, spinas, hoc est, scelerũ aceruos producet. Hæc est radix, ex qua vel cœlestis gloriæ fructus dulcissimi, vel tartarei ignis supplicia amarissima, exoriuntur: Vnde Bernardus in ser. 3. de resurrectione: cesset, ait, voluntas propria, & infernus non erit; in quem enim ignis ille desæuiet, nisi

D. Bernard.

niſi in propriam voluntatem? Si pabulũ igni tollas, nullus erit ignis, ſi improbam voluntatem tartaro eripias, infernus non erit, vt ait Bernardus. eripitur autem igni tartareo volũtas, quæ charitatis igne flagrans, bona opera præſtat, & ſcelera omnia toto conatu fugit.

Deus quidem Opt. Max. non poteſt peccare, homo verò etſi tanta hac potentia careat, tamen poteſt non peccare. poteſt, inquam, diuino ſubnixus præſidio peccata mortifera omnia fugere, ex venialibus poteſt pleraque, etſi non omnia euitare. Poteſt peccare homo, & poteſt non peccare, illud impotentiæ, & imbecillitatis eſt, hoc potentiæ, & auxilij diuini; danda opera, vt potentia non peccandi in actũ producatur, potentia verò ſiue potius imbecillitas peccandi omni motu, omniq́ue actione priuetur: qua ratione virtute erimus, non iniquitate potentes, vt hortatur Auguſtin. Pſal. 51. Opus (inquit Auguſtin.) eſt, potentem eſſe, ſed in bonitate, non in malitia. Etenim illo Pſalmo carpitur quidam iniquitate potens, cuius initium hoc eſt: *Quid gloriaris in malitia, qui potens es in iniquitate?* Is dicitur potens in iniquitate, qui potentiam inique agendi in actum profert, is potens in bonitate, qui potentiam hanc frenat, & recte faciendi potentia Deo iuuante vtitur. vnde illud: *Potuit tranſgredi, & non eſt tranſgreſſus, facere mala, & non fecit.* Ille ſimilis eſt arbori ſylueſtri ad peſtilentes fructus producendos potenti, quæ poſtmodum eradicatur, ignisq́ue fit pabulum, iuxta illud eiuſdẽ Pſalmi *Deus deſtruet te*; te, inquã qui potens es in iniquitate, *in finem euellet te, & emigrabit te de tabernaculo tuo, & radicem tuam de terra viuentium.* Hic virentis ac fructiferæ oliuæ ſpeciem gerit, quæ in agro pingui conſita, vtiliſſimo fructu affluit, vnde eodem Pſalmo Dauid potens non in iniquitate, ſed in bonitate: *Ego*, inquit, *ſicut oliua fructifera in domo Dei*, &c.

Potentia peccandi ſiue potius imbecillitas ad peccandum, omni motu, & actu priuanda. D. Auguſt. Pſal. 51.

Eccleſ. 31.

Videtur Ioannes Euangeliſta noſtris dictis obſiſtere. Diximus enim Deum nõ poſſe peccare, homini hanc potentiã denegauimus: at Ioannes homini quoq. illa tribuit his verbis: *Omnis qui natus eſt ex Deo, peccatum non facit quoniã ſemen ipſius in eo manet, & non poteſt peccare, quoniam ex Deo natus eſt.* ergo homo, qui ex Deo natus eſt, non ſolum poteſt non peccare, verũ etiam non poteſt peccare. Multifariam difficilis hic locus exponitur. D. Bernard. de prædeſtinatione interpretatur, ſimilem Ioannis locum, qui eſt in fine eiuſdem Epiſtolæ, in tract. de libero arbitrio, & gratia: Quanquam, inquit, Scriptura loquatur: *Omne quod natum eſt ex Deo non peccat.* hoc dictum eſt de prædeſtinatis, non quòd omnino nõ peccent, ſed quod peccatum ipſis non imputetur, quòd vel punitur condigna pœnitentia, vel in charitate abſconditur, &c. Sermo. 23. in Cantica: *Omnis, qui natus eſt ex Deo, non peccat, quia generatio cœleſtis ſeruat eum*, generatio cœleſtis æterna prædestinatio eſt, qua electos ſuos Deus dilexit: hos ergo aduerti quaſi nunquam peccaſſe, quoniam, & ſi qua deliquiſſe videntur in tempore, non apparent in æternitate, quia charitas patris ipſorum cooperit multitudinem peccatorum, &c. Et in ſerm. de triplici cohærentia vinculorum: Generatio cœleſtis eſt æterna prædeſtinatio, qua nos præuidit Deus conformes fieri imagini filij ſui; ex his nullus peccat, id eſt, in peccato perſeuerat, quia nouit Dominus, qui ſunt eius. & ſerm. 1. de Septuageſima: Non peccat, inquit, id eſt, non permanet in peccato, quia conſeruat illum vtique, vt perire nõ poſſit, ea quæ falli non poteſt cœleſtis generatio. Siue, non peccat, id eſt, tantũ lem eſt, ac ſi non peccet pro eo, ſcilicet quòd non imputatur ei peccatum: generatio enim cæleſtis etiam in hac parte conſeruat illum. Hæc Bernardus. Ex quo hic ſenſus educitur: omnis qui natus eſt ex Deo, per cæleſtem generationem, id eſt, prædeſtinationem, peccatum non facit, hoc eſt, non perſeuerat in peccato, vel non peccat, quia eius peccata non apparent in æternitate; vel nõ peccat, quia dimittuntur illi, & non poteſt peccare, ita videlicet, vt in peccato permaneat.

Locus Ioannis exponitur. quis natus eſt ex Deo, non poteſt peccare, &c 1. Ioan. 3.

D. Bernard.

D. Hieronymus initio lib. 2. contra Iouinianum aliter exponit, in hunc ſenſum: *omnis qui natus eſt ex Deo, non peccat*, quamdiu ſcilicet diuina in eo gratia, & generatio permanet, nec peccare poteſt, & ſimul permanere verba Hieronymi, ex quibus hunc ſenſum elicimus, hæc ſunt; Propterea ſcribo vobis filioli (ait Ioannes) *omnis qui natus eſt ex Deo, non peccat*, vt non peccetis, & tadiu ſciatis vos in generatione Domini permanere, quamdiu non peccaueritis, imo qui in generatione Domini perſeuerant, peccare nõ poſſunt: *Quæ enim communicatio luci, & tenebris? Chriſto, & Belial?* quomodo dies & nox miſceri non queunt, ſic nec iuſtitia, & iniquitas. Hæc ille. Et in Dialogo aduerſus Pelagianos: *Qui natus eſt ex Deo nõ peccat*, quãdiu ſemen Dei manet in eo, & non poteſt peccare, quia ex Deo natus eſt. Habetur hæc expoſitio in Gloſſa ordinaria, his verbis: Nemo vos ſeducat dicendo quod vel iuſtitia ſit ex homine, vel quod cum peccato poſſit aliqui in Deo manere, &c.

D. Hieron.

Gloſ. Ord.

D. Auguſtini lib. 1. de gratia Chriſti cap. 21. diuerſa ab his eſt explanatio: *Qui natus*, inquit, *eſt ex Deo, non peccat*, & non poteſt peccare, quia *charitas*, ſecundum quam natus eſt ex Deo, *non agit perperam, non cogitat malum*, cum ergo peccat homo, non ſecundùm charitatem peccat, ſed ſecundùm cupiditatẽ, ſecundùm quam non eſt natus ex Deo, &c. Et lib. 2. de peccatorum meritis, & remiſſione, cap. 8. Proficimus in renouationem, iuſtamq́ue vitam, per quod filij Dei ſumus, & per hoc peccare omnino non poſſumus, donec totum in hoc tranſmutetur, etiam illud per quod adhuc filij ſæculi ſumus, per hoc enim & peccare adhuc poſſumus. ex his hic commentarius Auguſtini eruitur: *omnis qui natus eſt ex Deo, non peccat*, quatenus natus eſt ex Deo, & quatenus filius Dei eſt, quia *charitas*, quam habent filius Dei, *non agit perperam*, non impellit ad peccatum. hoc eſt, quod dicit in libro ſecundo de peccatorum meritis: Per quod filij Dei ſumus, & per hoc, id eſt, ratione huius filiationis, & quatenus filij Dei, peccare omnino nõ poſſumus, & per hoc quod adhuc filij ſæculi ſumus, peccare poſſumus. Sequitur hanc expoſitionem Lyranus & Caiet. in Commentarijs huius epiſtolæ. Intellige, inquit, formaliter, *omnis qui natus eſt ex Deo, non peccat*, hoc eſt, quatenus natus eſt ex Deo, quoniam nec peccare, nec poſſe peccare prouenit a diuina natiuitate, ſed ex nobis. Hæc ille. Idem Sanctiſſimus Pater Auguſtinus in expoſitione epiſtolæ primæ Ioannis, tractatu quinto, aliam adiungit interpretationem de peccato aduerſus charitatem, & tractatu ſexto hæc ſcribit: Sicut quando Dominus ait: *Si non veniſſem, peccatum non haberent*, non eſt conſequens, vt omne peccatum intelligamus, ſed certum peccatum, quod in eum non crediderunt, quod preſentem contempſerunt, ſic & hic non omne peccatum, ne cõtrarius ſit illi loco, vbi ait: *Si dixerimus quia peccatum non habemus, nos metipſos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt*: ſed certum quoddam peccatum, id eſt, violationem charitatis. eſt ergo Auguſtini ſenſus: *Omnis qui natus eſt ex Deo, non peccat*, violatione charitatis, *& non poteſt peccare* odio aduerſus fratrem, &c.

Ioan. 15.

Has omnes Patrum expoſitiones veneror: Probabilius tamen, ni fallor, ſic interpretabimur, & facilius: *Omnis qui natus eſt ex Deo, non peccat*, id eſt, omnis filius Dei, qui cœleſtem Patrem feruenter diligit, & in eius gratia perſeuerare contendit, non ſolet mortifero ſe crimine inquinare: id enim ſignificat non peccat, id eſt, non ſolet peccatum graue cõmittere,

quod

quod experientia ipsa docet. Nam probi viri, qui animi salutem curant diligenter, omnes huiusmodi graues morbos Deo fauente effugiunt. Addit: *Quoniam semen ipsius in eo manet*, hoc est, quoniam semen Dei, per quod generatur in filium Dei, hoc est, gratia, & charitas, baptismi character, & virtutes in eo permanent: Et *non potest peccare*, hoc est, à peccato vehementer abhorret, omne scelus execratur, & odit, nullum peccandi habet affectum, nullam voluntatem, hoc sensu dici solet, ego non possum vesci carnibus, non possum vinum bibere, hoc est, abhorreo à carnibus, & vino. eodem sensu Ioseph heræ respõdit: *Quomodo possum hoc malum facere: & peccare in Dominũ meum?* fauent huic interpretationi scholia græca Oecumenij in epistolam Ioannis. Non facit (inquit Oecumenius) peccatum, significat ex affectu non contingere, propter quod etiam addit, quod nõ potest peccare, non secundùm naturæ impossibilitatẽ hoc dicens, quemadmodum de irrationabilibus dicimus quod nõ possunt scientiam recipere, sed propter voluntarium otium, siue abstinentiam à peccando hæc differens, & indicium filiorum Dei esse dicens non peccare, quemadmodum rursus filiorum Diaboli peccare. Hæc ille.

Gen. 39.

D Augusti.

Est præterea loci huius interpretatio quædam, quã non improbat Aug. in lib. de natura, & gratia cap. 14. *Qui natus est ex Deo, non potest peccare*, hoc est, non debet peccare. Illud ait Aug. quod dictum est, *non potest peccare*; pro eo dictum esse, ac si diceretur, non debet peccare; non improbanda mihi videtur huius assertio. Quis enim insanus dicat, debere peccari, cum ideo sit peccatum, quia non debet fieri? &c. Melius exponi sic potest. & *non potest peccare*, id est, nõ licet ei peccare, non est ei fas crimen committere, *qui ex Deo natus est*. Itaque difficilis Ioannis locus satis est explicatus, ex quo constat probum virum, & æternæ vitæ cupidum, Dei filium à peccato vehemẽter Dei gratia & dono abhorrere, quamuis si naturam spectes, peccare possit.

An potentia peccandi, sit à Deo?

Dubitatur, num potentia hæc peccandi à Deo sit an ab homine? Respondemus potentiam peccandi esse ipsam potentiam volendi, siue voluntatem, quę quia libera est, idcirco bonum amplecti potest, vel malum, idcirco potest peccare, & Dei suffulta præsidio non peccare, ac recte agere. Cum igitur voluntas à Deo sit, à Deo est hæc libera ad peccandum potentia, quæ non est peccatum, nec condita à Deo ad peccandum, sed ad recte agendũ. Data nihilominus est homini libera ad bonum & malum voluntas, quia id humana flagitabat natura, & dignitas. Hæc docet Bernardus in tractatu de gratia, & libero arbitrio, his verbis: Soli inter animantia, datum est homini posse peccare, ob prærogatiuam liberi abitrij, datum autem, non vt proinde peccaret, sed vt glorioſior inde appareret, si non peccaret, cum peccare posset. & infra. Non fuit culpa dantis, sed abutẽtis, qui ipsam facultatem conuertit in vsum peccandi, quam acceperat ad gloriam non peccandi. Nam etsi peccauit ex posse, quod accepit, non tamen quia potuit, sed quia voluit. Peccatis igitur lapsus non dono ascribendus est potestatis, sed vitio voluntatis. Ita Bernardus. Lege Magistrum distinct. 44. libro 2. Hæc de malo culpæ. De malo pœnæ, quod vocant, breuius agemus.

D. Bernard.

An Deus faciat mala pœnæ.

Malum culpæ non facit, sed permittit Deus, malum verò pœnæ facit, peccati est permissor, pœnæ autor. *Vidit cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona*. Nihil in mundo erat mali, nullum in homine peccatũ, nullus morbus, nulla molestia, nulla mœstitia, nullus vel animi vel corporis labor, nulla mors, arridebant illi creaturæ omnes, mille rutilans syderibus cœlum, fulgens Sol, fauens luna, serenus aër, mille floribus exornata tellus, dulcissimis fructibus onustę arbores, suauissimis aquis manantes fluuij, piscibus referta maria, morigera animantia. Vbi verò peccatum in mundum ab Adamo est introductum, vt trãquillissimum mare, furibundi venti, sic tranquillissimum humanæ naturæ statum mirum in modũ perturbauit. protinus mala pœnæ, vt malis culpæ vindicta inferrent, diuino prodiere iussu, malum oppositum est malo, veluti medicina, & appositum veluti vindex. Quæ homini arridebant creaturæ, iratæ hilarum contraxere frontem; cœli, elementa, animantia, mortem illi minari ac machinari cœperunt. Vtinam felix ille innocentiæ perdurasset status, nullum in homine culpæ malũ inesset, ac proinde nullum malum pœnæ fuisset subsecutum. homo malum culpæ inuexit in mundum; Deus inuexit malum pœnæ, malumque culpæ in ordinem redigit. Nam, vt ait Augustinus Epist. 120. ad Honoratum: Non efficit anima peruerse vtens creaturis, vt ordinationem effugiat creatoris, quoniam, si illa male vtitur bonis, ille bene vtitur etiam malis, ac per hoc illa bonis peruersè vtendo fit mala, ille ordinatè etiã malis vtẽdo permanet bonus. Qui enim iniustè se ordinat in peccatis, iustè ordinatur in pœnis, &c.

D. Augustin.

Malum autem pœnæ à Deo fieri liquidò constat ex Amos: *Si erit*, inquit, *malum in ciuitate, quod Dominus non fecerit?* de malo loquitur pœnæ, & afflictionibus. Item Isai. *Ego Dominus formans lucem, & creans tenebras, faciens pacem & creans malum*, malum, inquam, pœnæ. Ierem. *Ecce ego, dicit Dominus, fingo contra vos malum.* Ionæ: *Misertus est Deus super malitiam, quam locutus fuerat, vt faceret.* nunquid Deus malitiam facit? facit quidem malitiam, id est afflictionem, & malum pœnæ. Vnde: *Sufficit diei malitia sua*, id est, afflictio, & labor.

Amos. 3.

Isai. 45.

Ierem. 18.

Malum pœnæ à Deo fit.

Ionæ 3.

Matth. 6.

Cur verò supplicia, cùm sint res bonæ, & à Deo factæ, mala dicantur, docet D. Hieronymus in Commentarijs c. 18. Ierem. Sic enim scribit: Ecce ego fingo contra vos malũ, quasi figulus lutũ: malũ autẽ iuxta Isaiam, qui dicit, *faciens pacem, & creans malum*, non quòd per se malum sit, sed quod patiẽtibus malum esse videatur. & D. Gregor. Non creantur, ait, à Domino, quæ nulla natura sua subsistunt, sed creare se mala Dominus indicat, cum res bene conditas, nobis malè agentibus in flagellum format, vt ea ipsa, & per dolorem, quo feriunt, delinquentibus mala sint, & per naturam, qua exiſtunt bona. Vnde & venenum mors est homini, serpenti vita. Hæc Gregorius. Et Basilius in homilia, cui titulus: Quod Deus non est autor malorũ. Malum (inquit) aliquod est secundùm nostrum sensum, aliud natura ipsa. malum natura ex nobis oritur, iniustitia, inuidia, cędes, & reliqua huiusmodi, quæ animam solent inquinare. Rursus malum dicimus, quòd triste durumque sensibus sit nostris, vt morbum, plagas, egestatem, pecuniæ damna, quorum quodlibet nobis à sapientissimo, & optimo Domino, ad vtilitatem inducitur. Vt enim bene facit medicus, etiam vbi corpori dolorem infert (cum morbo namque bellum gerit non cum ægroto) sic bonus Deus salutem omnibus per castigationem ac pœnam distribuit, &c.

D. Hieron.

D. Gregori. l. 3. Mor. c. 6.

D. Basilius.

Denique vt ex dictis liquet, mala culpæ à Deo summo odio habentur, ideoque ab homine summa diligentia sunt fugienda, mala verò pœnæ à Deo immittuntur, idcirco ab homine summa patientia sunt ferenda. Vt autem patienter feramus, in ipsum pœnæ immissorem Deum, in ipsam clementissimã, quæ percutit manum, lacrymantes oculos coniiciamus, iuxta illud: *Sicut oculi seruorum in manibus dominorum suorum; sicut oculi ancillæ in manibus dominæ suæ, ita oculi nostri ad Dominum Deum nostrum, donec misereatur nostri.* Seruus cum vapulat, à domino, dominique manibus

Psal. 122. Ferenda patienter mala pœnæ.

bus, flagello armatis, non auertit oculos, lachrymas fundit, frugem profitetur meliore, donec ille misereatur. Idem & tu facito, ita Iob acerbissimis affectus calamitatibus in Deo collocabat oculos, manumq; qua verberabatur intuens aiebat: *Dominus dedit, Dominus abstulit.* Aug. in enarratione Psal. 77. Non dixit Iob: Dominus dedit, Diabolus abstulit, sed Dominus dedit, Dominus abstulit, &c. Item: Si bona suscepimus de manu Dei, mala quare non suscipiamus? Canes oculos à lapidante auertunt, in lapidem verò sæuiunt, sic imprudentes viri, ac furibundi, à Deo oculos auocant, calamitates execrantur, persecutores mordent.

Patientiæ remedium.

Longe secus Dauid vir prudentissimus fecit. Semei lapides in eum iacit, ac potentissimus Rex non in lapides, sed in Deum oculos coniicit: Dominus, inquit, *præcepit ei, vt malediceret Dauid, & quis est, qui audeat dicere, quare sic fecerit?* Præcepisse autem dicitur Deus Semei, vt malediceret Dauid, nō quatenus maledictio illa malum erat culpæ, sed quatenus malum erat pœnæ, vt Cardinalis Caietan. docet Matth. 14. *Petrus videns ventum validum timuit, & cœpit mergi*, qui oculos à Christo abducit, & in ventos, procellasque, id est, mala, quæ patitur, coniicit, is timet, irascitur, iniquo animo fert, denique mergitur. Qui verò summam Dei bonitatem animo voluitis, quæcunque ab illo immittuntur mala, patienter tolerat. Etenim, quæ Deus inducit mala, bona mala sunt, quē admodum, quæ medicus ægroto infert mala, bona meritò dici possunt. Vnde Magnus Basilius homilia iam citata: Vnum, inquit hoc habere in mentibus nostris præsumptum oportet, quod cum simus boni Dei opificium, & ab illo constemus, omnia circa nos, tam modica, quàm magna dispensante, nihil nobis accidat illo non volente, & quod nihil eorum, quæ nobis accidunt, malum sit, aut tale, vt melius illo aliquid excogitare possimus. Hæc Basilius.

2. Reg. 16.

D. Basil.

Addamus & secundum patientiæ remedium. id verò est, si vtraque mala, de quibus hactenus egimus, intuearis, tam mala pœnæ quæ pateris, quàm mala culpæ, quæ commisisti. qui enim crimina, quibus se obstringit, considerat, supplicia, quæ criminibus debita esse cognoscit, non iniquo fert animo. Huc illud pertinet D. Gregorij: Tunc, inquit, illa conuicia bene toleramus, cum in secreto mentis ad mala perpetrata recurrimus, leue quippe videbitur, quod iniuria percutimur, dum conspicimus, quia peius est quod meremur, &c. Et illud in commentarijs Ps. 6. ad illa verba Dauidis: *Non est pax ossibus meis à facie peccatorum meorum*, Hoc est, quotidie peccatorum pœnam patior, quam in ipsa peccatorum facie contemplor, & quia sentio pœnam, recogito culpam, &c.

D Gregor. lib 30. Mor. c. 17.

Huc item spectant illa eiusdem Dauidis verba inclyta patientia Semei maledicta tolerantis, *Posui*, inquit, *ori meo custodiam, cum consisteret peccator aduersum me*, peccator dicitur Semei, vt exponit Theodoret. & alij. obmutui, & humiliatus sum, & silui à bonis, vide patientiam, vide regis humilitatem. addit: & dolor meus renouatus est. quis dolor renouatus Dauidi est, cùm cōuicijs à Semei afficeretur? præteriti adulterij dolor, vt interpretatur Theodor. cuius hæc est Paraphrasis: Conuicijs affectus peccati memini, & stimulis è peccato emissis configebar, reputans hanc esse causam, cur ego maledictis afficiar, & tyrannide opprimar, & à regijs domibus exactus fugere cogar, &c. Ex hac peccati memoria illa verba emanarunt: *Dominus præcepit ei, vt malediceret mihi*, videlicet propter adulterium, quod admisi. Peccati memoriam habet hæc clausula (ait Theodoretus) quoniam per hoc castigatio euenit. De hac quoque peccati consideratione illa verba Psalmi indicati idem Autor exponit:

Psal. 18. Alterum patientiæ remedium.

Theodoret.

Concaluit cor meum intra me, & in meditatione mea exardescet ignis, hoc est (ait Theodoretus) redigens in memoriam peccatum, mœroris igne ardebam, vel ardebam igne iracundiæ aduersus commissum flagitium. Egregius hic ignis est, & peccati in hac vita purgatorius, scilicet ignis doloris, pœnitentiæ, & iracundiæ aduersus scelera, iuxta illud: *Irascimini, & nolite peccare*, mitior hæc, quam purgatoria post vitā flamma. Magnus quoque Grego. Dauid, inquit, exurgentem contra se filium fugiens, reduxit ad animā malum, quod perpetrauit, & æquanimiter pertulit, quod audiuit, & contumelioſa verba non tam conuicia, quam adiutoria credidit, quibus se purgari, sibique misereri posse, credidit.

Psal. 38.

Psal. 4.

D. Gregor. lib. 30. Mor. c. 17.

Septimum: Patet omnia per Verbum facta esse. Sed quærunt Manichæi apud Augustin. lib. 1. de Genesi contra Manichæos cap. 16. quid opus erat, vt tam multa animalia Deus faceret, quæ hominibus non sunt necessaria, multa etiam pernicioſa sunt, & timenda, vt serpentes? quæstioni respondet præclara similitudine Augustin. Si in alicuius, inquit, opificis officinam imperitus intrauerit, videt ibi multa instrumenta, quorum causas ignorat, & si multum insipiens est, superflua putat. Iam verò si in fornacem incautus ceciderit, aut ferramento aliquo acuto, cū id male tractat, se ipsum vulnerauerit, etiam pernicioſa & noxia existimat ibi esse multa, quorū tamen vsum quoniam nouit artifex, insipientiam eius irridet. Et tamen tam stulti sunt homines, vt apud artificem hominem non audeant vituperare, quę ignorant, sed eum ea vident, credunt esse necessaria, & propter vsus aliquos instituta, in mundo autem, cuius conditor Deus & administrator, audent multa reprehendere, quorum causas non vident, & in operibus atque instrumentis omnipotentis artificis volunt se videri scire, quod nesciunt. Hæc est Aug. similitudo, ex qua perspicuum fit serpentes, reliqua animantia, res denique omnes à sapientissimo creatore Deo sapientissime conditas esse, etsi nesciat homo quorsum sint productæ, stultumque eum esse, qui propterea quòd rei causam, ordinem, & finem, ignoret, superuacaneam esse arbitratur. Qui totum respicere non potest (ait idem sapientissimus Pater lib. 16. de Ciuitate Dei, cap. 8.) tanquam deformitate patris offenditur. quoniam cui congruat, & quo referatur ignorat, &c. Præclarè Boëtius lib. 4. de consolatione philosophica, Prosa quinta: Non mirum (ait) si quid, ordinis ignorata ratione, temerarium, confusumque credatur. sed tu quamuis causam tantæ dispositionis ignores, tamen quoniam bonus mundum rector temperat, recte fieri cuncta ne dubites. Hęc ille. Et Origenes homilia 14. in Numeros: Nos (inquit) dicimus dispensatione quadam & sapientia Dei, ita omnia in hoc mūdo esse dispositā, vt nihil prorsus otiosum sit apud Deum, etiamsi malum illud sit, &c.

Quorsum Deus animalia noxia creavit? D. August.

Omnia à Deo recte disposita Boëtius.

Origenes.

Suum omnia habent finem, quem si cognitum non habemus, illud sciamus vnum, res cunctas vniuersitatis huius pulchritudinem, etsi deformes sint, sua pulchra deformitate complere. Vnde Augustinus eodem loco Geneſis: Si tibi, inquit, displicent aliqua animalia, quod non prosunt, placeat quod non obsunt, quia etsi domui nostræ non sunt necessaria, eis, tamen completur huius Vniuersitatis integritas, quę multo maior est, quā domus nostra, & multò melior. Hanc enim multò melius administrat Deus, quam vnusquisque nostrūm domum suam. Item: Ego, inquit, fateor me nescire, mures & ranę, quare creatæ sint, aut muscæ, aut vermiculi, video tamen omnia in suo genere pulchra esse: quamuis propter peccata nostra multa nobis videantur aduersa, &c.

D. Augustin.

Tractatu autem primo in Ioannem, docet horum animalium creationem ad domandam deseruire superbiam: Propter superbiam, inquit, instituit Deus creaturam istam minimam, & abiectissimam, vt ipsa nos torqueret, vt cum homo se erexerit, pulicibus subdatur. quid est, quod te infles humana superbia? pulicibus resiste, vt dormias. Populum Pharaonis superbum potuit Deus domare de vrsis, de leonibus, serpentibus; muscas, & ranas illis immisit, vt rebus vilissimis superbia domaretur. Hactenus Augustinus, & D. Hieronymus in Commentarijs cap. 2. Ioëlis: Illud, ait, solemus Marcioni, & cæteris hæreticis respondere, qui vetus Testamentum lacerant, quod & pulices, & culices, & cimices, & huiusmodi animantia idcirco fecerit Deos, vt fragilitatē nostrę carnis ostenderet, quæ in tantum nihil est, vt ab ijs, quæ parua sunt, vulneretur. Si autem eruca, paruusque vermiculus fortior homine est, quid gloriatur terra, & cinis? &c. Illo capite secundo Ioëlis, locusta, bruchus, rubigo, & eruca, dicitur fortitudo magna Dei, quia per hæc minima fortitudinem suā, & fragilitatem ostendit nostram, dum per ea Israëlitas, quemadmodum per ciniphes, muscas, & ranas, puniuit Ægyptios. Quomodo (inquit Hieronymus) potentia Dei in Ægyptijs plagis ostensa est per parua animalia, sic & in paruo, tardoque vermiculo eruca, Dei potentia, & humana fragilitas demonstratur, non quod Deus nequeat ad nutum suum terras subuertere, & operire cuncta diluuio, vel fulmine concremare, sed per parua, & vt ita dicā, pūcta corporū, ostendit humanā fragilitatem, &c. ex serpentibus alijsque pernicios is animantibus, præter vniuersitatis pulchritudinem, quid vtilitatis decerpatur, indicat Augustinus citato loco Genes. his verbis: De pernicios is animalibus, vel punimur, vel exercemur, vel terremur, vt nō vitā istā multis periculis, & laboribus subditam, sed aliam meliorē vbi securitas summa est, diligamus, & desideremus, & eam nobis pietatis meritis comparemus.

Deus per minima animalia potentiā suam ostēdit & fragilitatem nostrā. D. Hieron.

D. Augustin.

Postremum: *Omnia per ipsum facta sunt*, bona omnia, & pœnæ mala, per verbum facta sunt, mala culpę permissa, atque ita mundus hic ex contrapositis, contrarijsque quibusdam, id est, bonis, ac malis à diuina Sapientia sapientissime, ac pulcherrime compositus est. Vnde præclare ait Augustinus libro 11. de Ciuit. Dei cap. 18. Sicut contraria contrarijs apposita, sermonis pulchritudinem reddunt, ita quadam non verborum sed rerum eloquentia, contrariorum oppositione, sæculi pulchritudo componitur, &c. Bonorum autem pulchritudinem ex malorum comparatione enitescere docet Origenes hō. 1. in Gen. Ex malorum ait, consideratione decus bonorum lucidiùs indicatur, quantus decor lucis sit, non dignosceretur, nisi noctis obscuritas intercederet. vnde aliqui in castitate laudantur, nisi quia alij pro impudicitia damnantur? vndeviri fortes magnificarentur, nisi existerent imbecilles & timidi? Si amarum adhibeas, tunc dulce efficitur laudabilius, si atrum consideraueris, gratiora tibi, quæ clara sunt, videbuntur, &c.

Mundus ex contrarijs & contra posita compositus. D. Augustin. Origenes.

De his contrapositis loquitur Ecclesiasticus verbis illis: *Contra malum, bonum est, & contra mortem, vita, sic & contra virum iustum, peccator, & sic intuere omnia opera altissimi, duo, & duo, & vnum contra vnum.* Et: *Omnia duplicia, vnum contra vnum*: Docet Ecclesiasticus rerum esse in mundo oppositionem, id enim significant illa verba: *Duo & duo*, & illa: *Omnia duplicia*, hoc est, omnia sunt paria, duo & duo, quia, duo sunt contraria, *& vnum cōtra vnū*, id est, vnū contrariū, cōtra alterū. Est calor, & frigus, siccitas, & humor, sursum, & deorsum, asperū & lene, graue, & leue, excelsum, & humile; salus, morbus, vita, mors, dolor, voluptas, lætitia, mœror, sunt bona quædam iucunda, & vtilia, sunt mala molesta & pernicios a, sunt vitia & virtutes, sunt probi ac iusti viri, sunt & homines impij, ac dæmones. bona Deus facit, mala culpæ non sine causa permittit. Nam, vt ait Augustinus: Nullum Deus Angelum, aut hominem crearet, quē malum futurum esse præsciisset, nisi pariter nosset, quibus eos bonorum vsibus commodaret, atque ita ordinem sæculorum tanquam pulcherrimum carmen, etiam ex quibusdam quasi antithetis honestaret. Ad Ioannem iam reuertamur. Lege Origenem homil. 14. in lib. Numerorum.

Eccles. 33.

Eccli 42.

D. Augustin. l. 11. de Ciuit. Dei c. 18.

CAPVT VII.

Quod factum est, in ipso vita erat, exponitur cum alijs sequentibus.

DOcet Ioannes, creaturas omnes esse in Verbo diuino, longe aliter tamen, quàm in verbo nostro. Etenim in verbo nostro mortuæ sunt, ac veluti depictæ, quippe quod rerum, quæ cognoscuntur, imago sit. In Verbo autem diuino vita sunt. *Quod factum est*, inquit, *in ipso vita erat*, hoc est, omnes creaturę quæcunque factæ sunt, in diuino existunt verbo, in eo esse quoddam habet viuum ac diuinum, nimirum esse ipsius verbi: nam quidquid est in Deo, est ipsemet Deus, creaturæ ergo eo modo, quo in verbo sunt, Deus sunt, & vita sunt. Quocirca D. Tho. in commentar. 1. cap. Ioan. Creatura, inquit, in Deo est creatrix essentia.

Creaturæ in Verbo sunt vita. D. Thom.

Augustinus tractatu primo in Ioannem: Sapientia Dei, secundùm artem continet omnia, terram vides, cœlum, Solem, Lunam, sunt ista in arte, sed foris corpora sunt, in arte vita sunt, & in Dialogo sexaginta quinque quæstionum quæst. 26. Propterea ait Ioannes, *quod factum est, in ipso vita erat*, omnia quæ facta sunt, & vitam non habent, in ipso verbo Dei vita sunt, & in seipsis vita non sunt. Autor Homiliæ secūdæ in diuersos inter opera Orig. Tom. 3. Cœlū, terra, abyssus, & quæcunq; in eis sunt, in verbo viuunt, & vita sunt, & æternaliter subsistunt, & quæ nobis omni motu vitali carere videntur, in verbo viuunt. item: Omnia, quæ per Verbum facta sunt, in ipso vitaliter, & vniformiter, & causaliter subsistunt. Itē Beda in Ioannem: Quod factum est in tempore, siue viuum, siue vita carens apparuit, omne hoc in spiritali factoris ratione, quasi semper vixerat, & viuit.

D. Augustin.

Origenes.

Beda.

Appositè verò Ioannes postquam dixit: *Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil*, adiunxit: *Quod factū est, in ipso vita erat*, vt in dicaret ea, quæ facta sunt, præfuisse in verbo veluti in exemplari, per quod facta sunt. Præterea, vt ostenderet Verbum nouisse omnia in se, antequam faceret, nisi enim in se nouisset, facere non posset, vt docet Augustinus, Iste, inquit, mundus Deo nisi notus esset, esse non posset. & libro quinto de Genesi ad literam capite 13. Quis, inquit, tam sit demens, vt dicat, non ea Deum fecisse, quæ nouerat? Porrò si nouerat, vbi nisi apud seipsum, apud quem Verbum erat, per quod facta sunt omnia, Nā si extra seipsum ea nouerat, quis eum docuerat? & capite 15. Manet ista sententia, vt id, quod per ipsum factum est, vita esse in illo intelligatur, in qua vita vidit omnia, quando fecit, & sicut vidit, ita ea fecit, non præter seipsum videns, sed in ipso, ita enumerauit omnia, quæ fecit. Item: Omnia antequam fierent, erant in notitia facientis; & vtiq; ibi meliora vbi veriora, vbi æterna, & incommutabilia. Hæc ille.

D. Augustin. l. 10. de Ciuit. Dei c. 10.

In seipso vidit verbum creaturas quæ per ipsum facta sunt.

D. Cy-

D. Cyrillus aliter hæc verba interpretatur, ita vt indicetur hoc loco Verbum res omnes, quas creauit, conseruare. Quoniam (inquit Cyrillus) creatura nullâ durandi virtutem in se per naturam habet, sed filius Dei cunctis quasi commixtus vita eorũ fit, & in propria naturæ conditione conseruat, idcirco clamat Euangelista: *Quod factum est, in ipso vita erat;* non solùm, inquit, per ipsum facta sunt vniuersa, sed quæcunque facta sunt, Dei filius principium & subsistentia omnium, tam visibilium, quàm inuisibilium, *in ipsis vita erat*, &c. Hebraismus est iuxta hunc sensum, vt, *Dominus in cœlo sedes eius*, ita hoc loco: *Quod factum est, in ipso vita erat.* quasi dicat, creaturæ factæ, in ipsis verbum vita erat, hoc est, verbum erat vita in creaturis, quas fecit. Si opponas non omnes creaturas viuere, respondetur vitam sumi pro conseruatione.

Facilius in hãc sententiã sic explicaremus, *quod factum est, in ipso vita erat*, hoc est, factæ creaturæ in ipso Verbo consistebant, & conseruabantur, iuxta illud Pauli: *omnia in ipso constant*, id est, conseruantur, ita exponit Ambrosius libro primo Hexameron, cap. quarto: *Quod factum* (inquit) *est, in ipsa vita erat*, quia in ipso constant omnia. Idem Ambrosius libro tertio, de fide, capite tertio: Diuersæ cuiusdam lectionis meminit, quæ huiusmodi est, *quod factum est in ipso*, subauditur, erat, more hebræo; *quod factum est, erat in ipso*, id est, creaturæ erant in Verbo. Deinde separatim *vita erat, & vita erat lux hominum*, &c. Sed nos vulgatam sequamur lectionem.

Quoniam verò suprà diximus, duplicẽ esse loci huius lectionem, alteram quoque, quæ Chrysostomi est, Hieronymi, & multorum aliorum, non erit ab opera nostra alienũ explicare. ea sic se habet: *Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil, quod factum est*; Græce οὐδὲ ἕν, id est, neque vnum, hoc est, omnia per Verbum facta sunt, sine ipso nihil est factum, quod factum est, sine ipso nihil est factũ, quod sit creatura. Sequitur sententia altera, *In ipso vita erat*, qua indicat Ioannes, Verbum Dei esse dissimile verbo hominis: nam verbum hominis accidens est veluti mortuum, minime subsistens. Verbum Dei substantia est viuens imò ipsa æterna vita, siue fons vitæ, iuxta illud: *Apud te est fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen*, hoc est, vt Theodoretus explanat: Apud te est Verbum æternum, fons vitæ, & in lumine Spiritus S. lumen vnigeniti tui cernemus.

Pſal 10. Per verbum creaturæ conſeruantur.

Coloſſ. 1.

D. Ambroſ.

Explicatur lectio Chryſoſtomi, & aliorum, ſine ipſo factum eſt nihil, quod factum eſt.

Pſal. 35.

Et vita erat lux hominum.

INdicat Verbum diuinum, quod vita est, esse etiam hominum lucem, hominum autem lucem dixit potius, quàm creaturarum omniũ, propterea quod non est lux sensibilis, pecorum, & cæterarum creaturarum intellectu carentium, sed spiritalis, hominum rationem habentium. Pecora (ait Augustinus) non illuminantur ab hac luce, quia non habent rationales mẽtes, quæ possint videre sapientiam. Item Theophylactus: verbum erat lux, non sensibilis, sed spiritalis, quæ animam illustret. Neque verò Angelorum lucem appellauit, cum illorum maxime lux sit, quia non Angelorum, sed hominum causa Euãgelium scribebat, vt vult Rupertus.

Si petas quam lucem Verbum hominibus impertiatur? Respondet Theophylactus rationis lucem: Omnes, inquit, homines secundùm quod mentem accepimus & rationem, à Verbo dicimur illuminari, nam ratio lux est, &c. Et Rupertus, lux (ait) hominum vniuersaliter dictum, id est, bonorum, & malorum, quia tam boni, quàm mali, in hoc lucent, quod rationales sunt. In eadem sententia est Cyrillus. Verum amplior est sensus: dicitur enim verbum lux hominum, nõ solùm quia lucem rationis, sed etiam quia lucem fidei, & diuinæ cognitionis, hominibus impertitur. Est ergo lux hæc nobilissima & spiritalis; ne quis autem eam visibilẽ ac solarem, & ex naturæ necessitate illuminatem putaret, adiecit Ioannes:

Verbum cur dicatur lux hominum. D. Auguſt.

Theophil.

Rupertus.

Et lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt.

QVasi dicat, ne putet quis lucem hanc, de qua loquor, solem esse, nam sol oculis est conspicuus, non lucet in tenebris, non fulget caligine circumfusus, caliginem protinus dispellit radijs, quippe qui ex naturæ ait necessitate: at lux hæc libera, & rerum omniũ domina, in tenebris crassissimis splẽdet, tenebræ enim, quæ spiritales & voluntariæ sunt, luci libere, vt vult, illuminanti obsistunt, neq; eam comprehendunt. Splendere dicitur lux Verbi in tenebris, & tenebræ dicuntur eam non comprehendisse, quia vt infra ait Ioannes, *In mundo erat, & mundus eum non cognouit*, quid est in mundo tenebroso, & in quo erat? de quod *lux in tenebris* lucet, quid est, *mũdus eum non cognouit?* Idem quod tenebræ, id est, homines impij, eam non comprehenderunt.

Vel aliter, ostendit Ioannes diuinum Verbum & si lux sit, tamen hominibus fuisse incognitum hoc sensu, lux in tenebris, hoc est, inter homines ipsius insçios fulget in mundo, & ipsæ tenebræ, ipsi homines lucis ignari, & Verbi, illud nõ agnouerunt. At quia locus multifariam explicatur, diligentius illum excutiamus.

Cardinalis Caietanus res sensibiles, quænon intelligunt, putat tenebras appellari. Sed cur putat has res dici tenebras? nimirum quia lumine intelligibili & spiritali luce carent; in ijs tenebris, id est, rebus sensibilibus intellectu carentibus, lucere ait lucem verbi, & ab illis non comprehendi, quia cum intellectus expertes sint, à luce intelligibili illustrari nequeunt. Hæc explanatio non probatur, nec enim Ioannes significat, verbum lucere in lapidibus, arboribus, rebusque alijs sensibilibus, intellectu carentibus, & ab illis non comprehendi. quid enim mirum si lux spiritalis ab huiusmodi rebus non cõprehendatur? præterea non satis apte res sensibiles tenebræ dicuntur.

Cardin. Caietan.

Varij ſenſus.

Aptius autor Homiliæ secundæ in diuersos, quæ Origeni ascribitur, tom. 3. tenebras significare putat humanam naturam: Nostra, inquit, natura, dum per se consideratur, quædam vere tenebrosa substãtia est, capax lucis sapientiæ, quemadmodum aër per semetipsum nõ lucet, sed tenebrarum vocabulo nũcupatur, capax tamen solaris luminis est. *Iux* ergo *in tenebris lucet*, quia verbum in nostra natura, quæ per se consideratа informis quædam tenebrositas reperitur, lucere non desinit. Sic ille exponit illa verba, *lux in tenebris lucet*, id est, in natura nostra. simili modo exponit D. Cyrillus, similiterq; docet creaturã, quę indiget illuminatione, tenebras appellari, eo quòd ex se nihil sit, nihilque habeat lucis.

Origenes.

D. Cyrill.

Verba sequentia: *Et tenebræ eam non comprehenderunt*: Cyrillus sic interpretatur: idolorum cultores Verbum non cognouerunt. Autor autem iam indicatus, his verbis significari vult à Ioãne lucem, de qua loquitur, esse incomprehensibilem: Quoniam (inquit ille) ipsa lux omni creaturæ est incomprehensibilis, tenebræ eam non comprehenderunt, superat Deus omnem sensum, & intellectum, &c. Eodem modo interpretatur D. Hilarius lib. 2. de Trinitate, docet enim indicare Ioannem hoc loco verbi generationem esse incomprehensibilem. Hæc (ait) lux tenebras illuminans, & vt impossibilitatem generationis eius enarrandæ consolaretur, adiecit Ioannes:

D. Hilar.

Et tenebræ eam non comprehenderunt. Hæc ille.

D. Chryſ. D. Chryſoſtomus tenebras errorem ſignificare arbitratur, in hanc ſententiam: Lux hæc, inquit ille, ſenſibilis non lucet in tenebris, ſed omni luce tenebræ carent, prædicatio autem inter eum, qui omnia comprehenderat errorem, effluxit, eumque penitus aboleuit, &c. Quaſi dicat in medijs errorũ tenebris lux effulſit Euangelij & verbi: omnes Ethnicorũ errores, omniaque idola profligauit, & tenebræ eam non comprehenderũt, hoc eſt, vincere & extinguere non potuerunt. Tenebras præterea aliter, mortẽ interpretatur hoc pacto: *Lux in tenebris lucet*, quia Chriſtus in morte eluxit, eãq; vicit. & eos qui morte detinebantur, liberauit; & tenebræ mortis eam non comprehenderunt, hoc eſt, non ſuperarunt.

D. Auguſt. Veriſimilior cæteris eſt ſenſus Auguſtini, qui tenebras dici exiſtimat hominum mentes, ſcelerum caligine oppletas. Homines, inquit, impij propter

Epheſ. 5. peccata tenebræ ſunt, iuxta illud Pauli: *Fuiſtis aliquando tenebræ.* In his tenebris verbum lucet, at illæ lucem verbi non comprehendunt: quemadmodum homo cæcus ſolis lucem non comprehendit, à qua totus ambitur, & comprehenditur. Idem Auguſt. Epiſtola 120. ad Honoratum. Filius, inquit, Dei nõ eſt abſens etiam mentibus impiorum, quamuis eum non videant, ſicut nec iſta lux videtur oculis præſentata cæcorum. Lucet ergo in tenebris talibus, quales A-

Epheſ 5. poſtolus ſignificat, vbi dicit: *Fuiſtis aliquando tenebræ*, ſed eum tales tenebræ non comprehenderunt, &c. Et lib. 1. de Peccatorum meritis & remiſſione, capite 25. Sicut Sol à cæcis, quamuis eos ſuis radijs quodammodo veſtiat, ſic à ſtultitiæ tenebris lumen Dei non comprehenditur, &c. Lucet autem lux verbi in tenebris impiorum hominum, per lumen rationis, per creaturarum voces, quæ omnes creatorem eſſe clamant, per legem naturæ cordibus inſcriptam, per legem nouam, per ſcripturas, per inſpirationes. Quod ſi tenebras omnes ſuis non diſpellit radijs, non lux in culpa eſt, ſed tenebræ, *id*

Iob. 24. eſt, *impij homines, qui*: vt eſt apud Iob, *ſunt rebelles lumini.*

D. Bernardus lib. 5. de Conſideratione, alium huiuſmodi ſuggerit ſenſum: *lux in tenebris lucet*, hoc eſt, videt tenebras, videt impios lux, *& tenebræ eam nõ com-*

D. Bern. *prehenderunt*, hoc eſt, non viderunt. Videt (inquit Bernardus) tenebras lux, cui hoc eſt videre, quod lucere, ſed non viciſſim à tenebris videtur, quia *tenebræ eam non comprehenderunt.*

Adiiciam alium ex autore iam nominato Homiliæ 2. in diuerſos, quem ille moralem vocat, *lux in tenebris lucet*, hoc eſt, lux verbi, quorundam improborum tenebras illuminat, *& tenebræ eam non comprehenderunt*, aliæ videlicet tenebræ, alij improbi, lucem verbi non ſunt amplexati.

Reſtat ſenſus vnus etiam probabilis, quẽ ex verbis Chriſti elicio, in quibus, quid ſit tenebras quempiam comprehendere indicatur, *Ambulate*, inquit, *dũ*

Ioan. 12. *lucem habetis, ne tenebræ vos comprehendant*, hoc eſt, vos opprimant, & ſua obtegant caligine. eodem ſenſu poteſt videri Ioannes loqui, huiuſque præclariſſimæ, de qua ait, lucis ſempiternitatem & ſplendorem inextinguibilem ſignificare, hoc modo: *Lux in tenebris* mundi huius *lucet*, eaſque illuminat, *& tenebræ eam non comprehenderunt*, hoc eſt, ad eam non peruenerunt, eam non extinxerunt, neque vnquam extinguent.

Theodoret. imò neque tangent. Theodoretus hunc ſenſum inſinuat libro ſecundo de Curatione græcarum affectionum his verbis: Sicut in Euangelio edocemur, *lux in tenebris lucet*, neque à tenebris occultatur. Eundem in modum Sapiens lumen ſapientiæ appellat

Sap. 7. inextinguibile: *Propoſui*, inquit, *pro luce habere illam, quoniam inextinguibile eſt lumen illius*, &c. præterea idem Ioannes: *Deus lux eſt, & tenebræ in eo non ſunt vllæ*, quod idem fere eſt, ac *tenebræ eam non comprehenderunt.* Docet itaque Euangeliſta hoc ſenſu, lucem de qua loquitur eſſe ſplendidiſſimam, in quam nulla caligo aut eclipſis poſſit cadere, quam nullæ tenebræ poſſint vincere. *Eſt ſapientia ſpecioſior ſole, & ſuper omnem diſpoſitionem ſtellarum luci comparata inuenitur prior: illi enim*, id eſt, Soli, *ſuccedit nox, ſapientiam autem non vincit malitia*, &c. D. Greg. Nyſſenus in Orat. de Natiuitate Chriſti: Puritas, inquit, in noſtris ſordibus verſatur, ſordes verò puritatem non attingunt, quemadmodum ait Euangelium, quod lux in tenebris lucet, & tenebræ eam complexæ non ſint.

1. Ioan. 1.

Sap. 7.

CAPVT VIII.

Morale.

DIVVS Ambroſius in Commentarijs Pſal. 36. quod factum eſt in Chriſto vitam eſſe ſic interpretatur: Caro facta eſt in ipſo, vita eſt, infantia facta eſt in ipſo, vita eſt, mors facta eſt in ipſo, vita eſt; vulnus factum eſt in ipſo, vita eſt. Item: Si quæris quæ vita ſit, quod factum ſit in ipſo, accipe, nempe vita Eccleſia eſt, in ipſo facta eſt, in eius coſta. In ipſo reſuſcitata Eua, Eua autem vita, &c. *Quod factum eſt*, interpretatur illa ſignificare, quę in Verbo ſunt facta, in Verbo autem facta eſt anima, & caro, fa- *D. Ambroſ.*
cta eſt mors, paſſio, cęteraque eiuſmodi, quæ omnia vita ſunt, quia vitam nobis attulerunt. Facta eſt præterea in Verbo, & ædificata, quemadmodum Eua in coſta Adami, Eccleſia. Eua vita eſt, Eua namque Hebræis vitam ſignificat. Quemadmodum, quod factũ eſt in Verbo, vita eſt, ita quod factum eſt in martyribus, vita eſt, etenim tormenta, quæ à tyrannis in martyribus facta ſunt, vitam illis pepererũt ſempiternam. Vnde D. Chryſologus ſerm. 174. de decollatione Ioannis Baptiſtæ: Finis, inquit, Ioannis ortus eſt in Natalem. Iuſtus enim tunc inchoat viuere, cum pro Chriſto meretur occidi. Item, morte magis claruit Ioãnes, qui ob hoc mortuus eſt, vt viueret in æternum. & ſer. 73. Non perſona, ſed infirmitas perit, non Ioannes, ſed mors magis tali morte ſuccubuit, &c.

Quæ in Chriſto facta ſunt, vita ſunt, & quæ in viris probis ſunt.

Similiter quod factum eſt in viro iuſto, vita eſt, quia tam aduerſis, quàm ſecundis ventis in cœlum nauigat. Quæ in illo fiunt mala, cruciatus, morbi, opprobria, vita ſunt, ſiquidem patienter ſummi Dei cauſa illa tolerat. Quæ in illo fiunt bona, ingenium, incolumitas, opes, pulchritudo, robur, & ſimilia, vita ſunt: quia ijs omnibus ad vitam perpetuam conſequendam vtitur. Nam, vt Paulus ait: *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum*. In improbis verò hominibus, quæ fiunt, ſiue proſpera ſint, ſiue aduerſa, mors ſunt, quia tam proſperis, quàm aduerſis rebus ad perpetranda ſcelera abutuntur. Nónne hoc eſt, quod Abraham illis verbis ſignificat, quibus improbum affatur diuitem: *Recordare quod recepiſti bona in vita tua, & Lazarus ſimiliter mala, nunc autem hic conſolatur, tu verò cruciaris*. Cur conſolationibus fruitur Lazarus, nunquid, quia mala recepit? non ſanè, ſed quia receptis malis bene vſus eſt, ideoque in eo vita fuere. Cur torquetur dives helluo, nunquid quia bona recepit in vita ſua? minimè, ſed quia bonis acceptis eſt abuſus, quamobrem in illo fuere mors.

Rom. 8.

Luc. 16.

Præterea: *Quod factum eſt*, in Verbo eſt, in homine quoque, qui Verbi imago eſt, modulo ſuo eſt, quod factum eſt. Sunt autem creaturæ in intellectu hominis, & in corde hominis, in intellectu, vt cognitum in cognoſcente, in corde, vt amatum in amãte,

Res ſunt in hominis intellectu, & corde.

intel-

intellectum quidem ornant, cor verò sæpè inquinant. Quemadmodum ab egregio pictore bene pictæ tabulæ domum, ita ab intellectu bene pictæ rerũ imagines, intellectum ipsum valde decorant. Est enim eximius pictor intellectus, quem nullus pictorũ possit vnquã adæquare: pictores longo tẽpore vnam, vel alteram imaginem pingunt, multisque indigent coloribus. at intellectus breuissimo temporis interuallo mille exprimit imagines, nullis coloribus, nullo indigens penicillo. Sunt igitur res in intellectu hominis, non sicut in diuino Verbo, in homine pictæ sunt, & imaginibus repræsentatæ, in Verbo longe secus, ipsa essentia diuina sunt, & ipsa Verbi vita, vt Ioannes affirmat.

Intellectus mirabilis est pictor.

Quemadmodum verò pictura, siue ea textilis sit, siue in tabulis, ad ornatum adhiberi solet templorũ, sic intellectus sapientis pictura hæc, de qua loquimur, ad ornatum Ecclesiæ adhibenda est. Atque in hunc modum dici poterit in intellectu nostro res vitam esse, nimirum si ad vitam æternam comparandam, non ad quæstum, vel inanem gloriam captandã scientia nostra dirigatur. Sunt nonnulli, qui scientiæ habitus, veluti aureas vestes superbè venditat, & mẽtis imagines veluti picturata peristromata insolẽter ostentant, vnde illud Bernardi serm. 36. Cant. Sunt qui scire volunt, vt sciantur ipsi, & turpis vanitas est, &c. Sunt alij, qui scientiæ habitibus, intellectusque sui simulachris humiliter, docendo, scribendo, ac concionando Ecclesiam exornant, de quibus Bernardus: Sunt (inquit) qui scire volunt, vt ædificent, & charitas est. Hos tu amice lector imitare, sapietiaque tua, & eruditione, veluti pretiosis aulæis, sacrum Dei templum, hoc est, Ecclesiam pro tua virili parte illustra. Imitare Augustinum, Hieronymum, Gregorium, Chrysostomum, reliquosque Patres, quorum eximia sapientia non vanitatem captauit, sed Ecclesiam exornauit, hodieque exornat. Quid enim aliud liori sunt ab Augustino quamplurimi, ab Ambrosio, à Basilio, à cæteris doctoribus, patribusq; sapientissimis, de rebus diuinis, atque humanis conscripti, quid aliud, inquam, sunt, quàm præclarissima quædam, & plusquam attalica varijs, pulcherrimisque figuris contexta peripetasmata, quibus Ecclesia Dei mirum in modum decoratur.

Scientia ad ornandã Ecclesiam conferenda est.

Vt matri filiæ ornatus curæ est, sic sibi Ecclesię ornatum Augustinus ait fuisse curæ. Lege, quæ scribit in libro 50. homiliarum Homil. 26. Me, inquit, putate matrem vestrarum animarum esse, & ita vos velle componere, vt in vobis nec macula, nec ruga possit ante tribunal æterni iudicis apparere. Animabus autem vestris non solùm ornamenta, sed etiam medicamenta prouidere desiderans, studeo dissuta consuere, conscissa sarcire, vulnerata curare, abluere sordida, reparare perdita, & ea, quæ sunt integra, spiritalibus margaritis ornare. Hæc Augustin. ô beatam scientiam, quæ non vt auro, argentoque fulgerent arcæ, sed vt cœlestibus virtutum margaritis splenderent animi, dedit operam! ô felicem negotiatorem quærentem bonas Paradisi margaritas, quas non cum vitreo populi plausu, sed cum sempiterna commutauit gloria. Nos (inquit idem sapientissimus pater eadem homilia) margaritas vobis de Paradisi patria prouidentes, nullam aliam in hoc sæculo mercedem optamus accipere, nisi vt vos patiẽter, & libenter, quæ vobis insinuantur, videamus audire, & cum Dei adiutorio secundum vires vestras operibus adimplere, &c.

D. Augustinus. Præsul mater animarum. D. August.

Quid postulet ab auditoribus Augustinus, & Augustino simus concionator.

Diximus etiam esse res in corde hominis, vt amatum in amante. tunc autem in ipso vita erunt, cùm propter Deum in corde fuerint. Etenim cor totum flagitat Deus, vnde illud: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*, quidquid ergo in corde cum Deo fuerit, propter Deũ & esse & amari debet, vt vita sit. Si placent (inquit Augustinus lib. 4. confessionum cap. 11. & sequenti) si placent corpora, Deum ex illis lauda, & in artificem eorum retorque amorem, ne in ijs, quæ tibi placent, tu ei displiceas: si placẽt animæ, in Deo amentur, & rape ad eum tecum, quas potes, & dic eis, hunc amemus, hunc amemus, ipse fecit hæc, &c.

August.

Felix illa sponsa clamat: *Ordinauit in me charitatem;* Septuaginta vertunt; Ordinate in me charitatem. Ordinate, ait Theodoretus, in me charitate, vt sponso coniungar meo, eumque & patri, & matri, & cęteris rebus anteponam. ordinatum igitur oportet esse amorẽ, Deus ex toto diligendus corde, nulla illi res præponenda. *Qui enim* (ait Dominus) *amat patrem, aut matrem, plus quam me, non est me dignus, & qui amat filium, aut filiam super me, non est me dignus.* sit pater in corde, sit mater, sit frater, sit filius, sit amicus, sit homo, sit Angelus, omnibus præponatur Deus. Quemadmodum oleum reliquis omnibus supernatat liquoribus, sic dilectio Dei reliquis omnibus superior est dilectionibus. Si olei non dicam dolium, sed vel guttam in mare infundas, non mergitur, supra se aquam non patitur: eundem in modum, si charitatis non dicam affluentiam, sed stillam quasi habeat, illa nullam supra se, nullam supra Deum creaturam ferre poterit. quod si quis aliquam Deo creaturam præferat, mox charitas extinguetur. Ignis enim charitas est, si ignem sub aquam demergas, extinguitur, si charitatem sub creatura colloces, aboletur.

Cant. 2. Amor ordinandus in corde. Theodoret. *Matth. 10.* *Deus super omnia diligẽdus.*

Spiritus Domini ferebatur super aquas, Spiritus Domini amor dicitur, amor ergo ferebatur super aquas, hic amoris locus. Feratur super aquas amor noster, super mundum, super creaturas omnes superferatur, non demergatur. vtatur bene creaturis, subdat opes, honores, humanamque omnem felicitatem creatori. Potest enim (ait Augustin. in Epist. 120. ad Honoratum) anima rationalis etiam temporali, & corporali felicitate bene vti, si non se dederit creaturæ, creatore neglecto, sed eam potius felicitatẽ fecerit seruire creatori, qui ipsam donauit. Sicut enim bona sunt omnia, quæ creauit Deus, ab ipsa rationali creatura, ad infimum corpus, ita bene agit in ijs anima rationalis, si ordinem seruet, & distinguendo, eligendo, pendendo subdat minora maioribus, corporalia spiritalibus, inferiora superioribus, temporalia sempiternis, ne superiorũ neglectu, & appetitu inferiorum, quoniam hinc fit ipsa deterior, & se & corpus suũ mittat in peius, sed potius ordinata charitate, se & corpus suum conuertat in melius: cum enim sint omnes substantiæ naturaliter bonæ, ordo in eis laudatus honoratur, peruersitas culpata damnatur. Hæc Augustinus.

Genes. 1. *D. Augustin.*

Quod noster interpres vertit: *Ordinauit in me charitatem*, verti quoque potest, vexillũ eius super me charitas. Meritò autem charitas vexillum dicitur, quia, vt in exercitu vexillum supra omnia attollitur, sic in animo charitas Dei supra omnia attolli debet. Vexillum, inquit, eius super me charitas, nam non solùm cæteras creaturas, verùm ipsum etiam hominem, qui Deum amat, superare debet Dei amor, ita vt dicere possit, super me charitas, hoc est, Deum multo maiori, quàm me amore complector, imò si me diligo, non nisi propter Deum diligo. vexillum totus sequitur exercitus, charitatem Dei reliqui sequantur amores, affectusq; animi: nulla enim res nisi propter Deum amari debet. Amor (ait Richardus de sancto Victore lib. 4. de contemplatione cap. decimo quinto) amor singularis, consortem non recipit, socium non admittit. diuinus amor singularis est, non recipit consortem amorem mundi, non admittit socium amorem carnis, respuit, rejicit. Proximi

Charitas effertur cũ vexillo. *Richardus Victorinus.*

mi tamen recipit amorẽ vt ſocium, cùm proximus propter Deum amatur, tunc enim Deus amatur in proximo, idemque amor eſt, qui in Deum fertur, & in proximum cauſa Dei.

Quod ſi diuitiæ, pater, mater, vxor, filius, & aliæ creaturæ, in corde ita ſint, vt (quod abſit) Deo anteferantur, cor inquinant, & tartareis ſordibus cõſpurcant. Quocirca Auguſtin. initio Commentariorum in Pſalmum 121. amorem mundi immundum vocat, & ſordidiſſimos affectus ſæculi. At dices: Nónne bonum eſt cor? nónne creaturæ bonæ? vnde ergo maculæ? reſpondeo, bonam eſſe terram, bonam eſſe aquam, ſed ex commiſtione aquæ cum terra gigni ſordidum lutum, in eundemq; modum bonum eſſe cor à Deo conditum, bonas creaturas, verum ex cõmiſtione cordis, & creaturarum, quæ per effrenatum ſit amorem, exoriri lutulentas ſcelerum ſordes. Audi quàm acriter Iacobus ſordidos mundi increpet amatores: *Adulteri*, inquit, *neſcitis, quod amicitia huius mundi inimica eſt Dei: quicunque ergo voluerit amicus eſſe ſæculi huius, inimicus Dei conſtituitur*. En adulteros vocat mundi amatores, qui caducas res Deo, eiuſque mandatis anteponunt. Quemadmodum enim adultera femina, quę viro amorem debet, in alterum tranſfert, ſic anima, quam Deo debet dilectionem, in mundum traducit.

D. Auguſt.

Iacob. 4. Amor mũdi cor inquinat.

Quam vero ferat iniquè Spiritus ſanctus hanc amoris in caducas res traductionem, conſequentibus explicat verbis: *An* (inquit Iacobus) *putatis, quod inaniter ſcriptura dicat, ad inuidiam concupiſcit ſpiritus, qui habitat in vobis? maiorem autem dat gratiam*. Cum homine zelotypo confert Spiritum ſanctũ, qui feruenti vxoris zelo tenetur. Quemadmodum is iniquiſſimo animo fert, ſi vxor amorem ſuum in adulterum deriuat; ſic Spiritus ſanctus indignatur, zeloque exardeſcit, ſi anima amorem ſuum in mundum detorquet. *An putatis*, inquit, *fruſtra ſcriptum eſſe in diuinis literis: quod Spiritus ſanctus concupiſcit veſtrum amorem vſque ad inuidiã?* hoc eſt, ita vt veluti zelotypus amorem veſtrum mundo veluti riuali inuideat: cùm tamen ipſe multo maioribus vos donis ad ſuum amorẽ prouocet, quã mundus, id eſt, quod ſequitur: *Maiorem autem dat gratiã*, id eſt, multo maiora dona, ſcilicet, quàm mundus. *Hæc autẽ dat humilibus*, &c. Significat Iacobus (ait Cardinalis Caietanus hoc loco) quòd Deus more zelotypi inuidet mundo trahenti animas ſibi fide deſpõſatas, ad ipſius mundi amicitiam, & Dei inimicitiam. & D. Hieronymus in fine commentariorum capitis primi Sophoniæ: Niſi Deus amaret animam humanam, nunquam zelaretur eam, & in ſimilitudinem mariti peccatum vlciſceretur vxoris, &c.

Iacob. 4. Zelus Dei erga animam.

Card. Caiet.

D. Hieron.

Amor ergo mundi adulter, cor inquinans, procul à corde pellatur, amor amorem exterminet. amor Dei amorem mundi, carnei amoris iacula, charitatis clypeus reiiciat, Chriſti verò ſagittas nudum excipiat pectus. Quàm pulchrum eſt (ait Origenes homilia ſecunda in Cantica Hieronymo interprete) quàm decorum, à charitate vulnus accipere. alius iaculum carnei amoris accepit, alius terreno cupidine vulneratus eſt, tu denuda membra tua, & prębe te iaculo electo, iaculo formoſo, ſiquidem Deus ſagittarius eſt. Hæc ille. *Potentiſſimi huius ſagittarij formoſæ ſagittæ & electæ*, populos feliciter vulnerant, charitatiſque vulneribus non deformes, ſed pulchros reddũt formoſa iacula, vt Origenes vocat. *Sagittæ tuæ acutæ (populi ſub te cadent) in corda inimicorum regis*, inimicos ſagittæ amoris in amicos vertunt, amorem caducarum rerum veluti ſanguinem è corde effundunt, ſub Chriſto omnia proſternunt: *Populi*, inquit, *ſub te cadent*, ſub te opes, ſub te honores, ſub te filios, ſub te conſanguineos, ſubte vxores, ſub te denique vitã ipſam, qua nihil hominibus charius eſt, ſternent. Te cunctis rebus præferent, ſupra tuum amorem nihil, ſub illo omnia collocabunt.

Deus ſagittas amoris iaculatur.

Origenes.

Electis, formoſiſque his ſagittis faucia diuina ſpõſa lætatur, quo loco noſtra verſio habet; *Amore langueo*. Septuaginta interpretes tranſtulerunt: *Vulnerata amore ego ſum*. hoc vulnere affecta, caducarum rerum cupiditati moritur, Deo ſoli viuit, illum amat ſolum, ſi quid placet, Dei cauſa placet. Vnum amat, (ait Richardus Victorinus in tractatu de gradibus violentiæ charitatis) vnum diligit, vnum ſitit, nihil dulceſcit, nihil ſapit, niſi hoc vno condiatur, &c. Si pater, ſi mater, ſi filius, ſi amicus, ſi quid aliud huius ſæculi ſapit, quia Deo conditur, propterea ſapit, ſi cõdimentum hoc dulciſſimũ tollas, inſipida ſunt omnia. Si hoc condimentum apponas, etiam morbi, cruciatus, opprobria, & quæcunque amaritudinem habent, dulciſsima videntur.

Cant. 2.

Richardus Victor. De amore Dei.

Hæc illa eſt Canticorum *colũba in foraminibus petræ*, id eſt, Chriſti, *habitans*, inde minimè recedens, meritò columba appellata, quia caſtiſſima. Etenim Plinio teſte libro decimo hiſtorię naturalis, capite 34. colũbis pudicitia prima eſt, coniugij fidem non violant, neutri nota adulteria non ſunt; nota noſtræ columbæ adultera illa ſpiritalia. de quibus ſupra D. Iacobus loquitur: amorem Deo debitum in res perituras non transfert; ſoli Deo totum dedicat. Hinc illud Richardi Victorini in tractatu de gradibus charitatis cap. 3. Columbinus oculus amor eſt, qui in rebus humano vſui conceſſis nulla libidine figitur, ſed in tranſitorijs contemplatur æternũ; oculus verè dexter, illum inceſſabiliter intuens, in quẽ Angeli proſpicere deſinant, &c.

Plinius.

Richar. Vict.

Intuentur Angeli creaturas in Verbo, colũbinus verò amoris oculus Verbum intuetur in creaturis, etenim in Verbo creaturæ ſunt, vt iam eſt explicatum, & Verbum in creaturis etiam eſt. Speculum creaturarum eſt Verbũ, ſpeculũ Verbi ſunt creaturæ. *Videmus nunc per ſpeculum*, vt Paulus ait, & Richardus loco indicato: Integer, inquit, Dei amator quocunque ſe vertit, familiarem habet admonitionem amoris; rebus his pro ſpeculis vtitur, & in omne quod cernit, Dei amatoris ſibi reſultat memoria. Aſpicit cuncta, quæ condidit Deus, & quo condiderit fine, & in ijs non tam admirabilis, quam amabilis ſibi videtur, atq; ex arrha dilectionis, quã præcõtulit, ſapienter æſtimat, quãta reſeruauit in dotẽ. Hæc ille.

1. Cor. 13.

Creaturæ, ſi columbino aſpiciantur oculo, prunæ ſunt, quæ cor diuino amore inflammant, ſi adultero & impuro oculo cernuntur, carbones ſunt, qui cor contaminant. Adulterum itaque amorem, id eſt, mundanum fugiamus, columbinum hunc, caſtumque toto pectore complectamur. Vnum enim, idemque pectus, vtrumque non capit. Vnde Origenes homilia ſecunda citata ait: Nemo poteſt duobus amoribus poſſideri, nõ dixit, nemo poteſt duos amores poſſidere, ſed nemo poteſt duobus amoribus poſſideri. poſſidet enim hominẽ amor, homo poſſidetur, imperat homini amor, homo obedit, ducit hominem amor, homo ſequitur. Hinc illud Auguſtini initio enarrationis Pſalmi 121. Habet omnis amor vim ſuam, nec poteſt vacare amor in anima amantis, neceſſe eſt, vt ducat, &c. Mundi amor in terram & tartarum ducit, amor Dei ducit in cœlum. Amor immundus (ait Auguſtinus eodem loco) ad terrena concupiſcenda, & peritura ſectanda vocat, & in ima præcipitat, atque in profunda demergit. Amor ſanctus ad ſuperna eleuat, & ad æterua inflammat, &c. Fugiendus ergo immundus amor, vt Auguſtinus appellat, quod immundum cor reddat, ſanctus complectendus.

Origenes.

D. Auguſt.

Pſal. 44.

Ad extremum obſerua, Euangeliſtam appellaſſe Verbum lucem hominum. Lux externa lux eſt etiã

Lux Verbi magni facienda.

pecorum,

pecorum, quippe quæ oculos pecorum, imò muſcarum,& vermium illuſtrat. Verbũ autem lux eſt hominum,& Angelorum. Si tanti lucem facimus muſcarum,& vermium, grauiſſimumque malum ducimus cæcitatem, quę nos illa priuat, quanti facienda eſt lux Angelorum? quam graue malum ducendum peccatum mortiferum, quod nobis illam adimit? ſi cæcus dicitur, qui muſcarum luce caret, quanto illę cęcior dicendus, qui caret luce hominum, & Angelorum? Cum gaudiũ imprecaretur Raphael Angelus Tobiæ, ſalutansque diceret: *Gaudium tibi ſit ſemper*. reſpondit Tobias: *Quale gaudium mihi erit, qui in tenebris ſedeo, & lumen cæli non video?* Si magno afficiebatur mœrore Tobias, quòd lucem cæli non videret, quo dolore illum par eſt affici, qui lucem Verbi non cernit? Quale gaudium impijs eſſe poteſt, qui in tenebris ſedent,& clariſſimam Verbi lucem no videt? Quis contrà mœror eſſe poteſt iuſtis viris, qui lætiſſimo Solis iuſtitiæ ſplendore in medijs mundi tenebris perfruuntur? Etenim *lux* Verbi *in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt*. lucet probis, improbis, qui eam non comprehendunt, non lucet, cuius rei olim præceſſit in Ægypto ſimilitudo admirabilis.

Tobiæ 5.

Exod. 10.

Tenebræ Ægyptum oppleuere adeò craſſæ, vt palpari poſſent, vbicunque autem habitabant filij Iſrael, lux fulgebat. Ecce mundi picturam, obliuionis Dei inconſiderantiæ, ac ſcelerum tenebræ palpabiles, mundum oppleuerunt, vbicunque verò ſunt iuſti viri, lux Verbi ſplendet. Ægypti tenebræ palpabiles dicuntur, ſiue per hyperbolem, ſiue quod aer tenebroſus craſſis vaporibus ita abũdaret, vt palpari poſſet: tenebræ mundi palpabiles ſunt, quia tam a probis viris quam ab improbis palpari poſſunt. Palpant viri probi improborum iniquitatem, & rerum æternarum obliuionem, *ipſi quoque improbi ſua ſcelera attrectant ſuas tenebras agnoſcunt, impiè ſe agere, & diuina carere luce ſciunt, ſed rectè agere nolunt, ipſiq; lumini rebelles ſunt*, vt eſt apud Iob, quo loco ſic ſcribit D. Gregorius: Plerumque peruerſi, & cognoſcunt recta, quæ ſequi debeant, & tamen ſequi deſpiciunt, quæ cognoſcunt: lumini ergo rebelles ſunt, quia ſua deſideria ſequendo, bonum deſpiciunt, quod nouerunt. Hæc ille. *Lux in* iis *tenebris lucet* (vt ait Ioannes) bonum amplectendum, malum fugiendum indicat, *at tenebræ eam non comprehendunt*, imò illi rebelles ſunt.

Mundi tenebræ palpabiles.

Iob. 24.

D. Gregor. Impij ſunt rebelles lumini.

Sap. 17.

Vide quam ſint rebelles: *Ignis nulla vis poterat illis*, id eſt, Ægyptijs, *lumen præbere nec ſyderum limpidæ flammæ illuminare poterant illam noctem horrendam*. ſimilem in modum, nulla vis ignis, aut ſyderum, poteſt improborum nocti horrendæ afferre ſplendorem, nõ ignis diuinus tot beneficijs exardeſcens, non ignis tartareus, non ſydera concionum, non lucernæ ſanctarum inſpirationum, ô rebellem diuino lumini noctem. Ægypti tenebrę Deo non fuerunt rebelles, vbi primum voluit, protinus diſperſæ ſunt, ac fugatæ: impiorum verò tenebræ vtpotè voluntariæ Deo rebellant. Illæ tribus tantum diebus Ægypto lucem eripuerunt, hæ multis diebus, multis mẽſibus, multis annis improborum animos tartarea caligine opacant. Ægyptij tenebras aëris, inuito, iniquiſſimoque animo tulerunt, impij tenebras peccati libenti animo ferunt: Illi tenebris circumfuſi horrebant, hi ridẽt, illi ſi potuiſſent, mox tenebras expuliſſent. hi diuino auxilio cũ poſſint pellere, nolunt. Heu miſeros,& infelices, ex tenebris interioribus, quas Deo opem ferẽte fugare poſſunt, nec volunt, in tenebras tartari exteriores mittẽtur, quas pellere volent, nec poterũt, iuxta illud: *Ligatis manibus, & pedibus, mittite eũ in tenebras exteriores*. interiores enim tenebræ via ſunt ad exteriores,& quædam velut imago illarum. *Om-*

Matt 22.

Sap. 17.

A *nis orbis terrarum limpido illuminabatur lumine, ſolis autem illis*, id eſt, Ægyptijs, *ſuperpoſita erat grauis nox, imago tenebrarum, quæ ſuperuentura illis erat*. Erat Ægyptijs caligo, imago mortis, quæ illis in mari rubro imminebat: eundem in modum ſcelerum tenebræ interiores, quibus circumfuſi in hac vita ſunt impij, imago quædam ſunt tenebrarum exteriorum, & æternæ mortis, ad quam feſtinant. Contra verò lux gratiæ clariſſima, in qua probi viri viuunt, imago lætiſſima illius lucis eſt, quæ multo clarior in cœlo affulgens, vitam illis afferet ſempiternam.

Caligo peccati imago eſt caliginis tartareæ.

Nam vita erat lux hominum (ait Ioannes) lux ipſa vita eſt,& vita eſt lux, vita eſt lucida, & lux eſt vitalis, lucem, & vitam afferens. Sol, quem videmus, etſi lux B dici poſſit, quia fulget, at vita non eſt, quia non viuit: Sol verò noſter, quam modò carneis oculis non videmus, viſuri aliquando, & lux eſt, & vita eſt, quia ſplendet,& viuit, ſplendet ſplendore infinito, viuit vitam ſempiternam. Non ſolum ſplendet, ſed ipſemet ſplendor ſpiritalis eſt, à quo quidquid ſpledet, ſplendorem habet. non ſolum viuit, ſed ipſamet vita eſt,& ipſe fons vitæ, à quo quidquid viuit, vitam haurit. Quid hominibus iucundius vita, & vita beata: quid iucundius luce, & luce, quæ occaſum neſcit, quæ diem, eumque æternum efficit, lætiſſimum? *Dulce lumen, & delectabile eſt oculis videre Solẽ*. Si dulce eſt lumen hoc mundi, quanto dulcius erit lumen gloriæ? Si delectabile eſt videre Solem creatum, quanto C erit delectabilius Solem videre increatum, creatique Solis creatorem?

Deus Sol increatus.

Eccli. 11

Increatus Sol Deus eſt, quem ſanctiſſimus Iacobus, patrem luminum appellat, à quo bona cuncta veluti radij fulgentes emanant. *Omne*, inquit, *datum optimum & omne donũ perfectum, de ſurſum eſt, deſcendens à patre luminum, apud quem non eſt tranſmutatio, nec vicißitudinis obumbratio*. Vis ſcire quid ſint bona omnia, ſiue ea vtilia, ſiue iucũda, ſiue honeſta ſint, quę cupis? huius patris luminum radij quidam ſunt, qui nos calefaciunt,& illius amore incendunt. vis noſſe quid ſint naturę omnes, quarum pulchritudo multorum corda, amoremque rapit? huius patris luminum ſcintillæ quædam ſunt. Si tanto ardore animos ſcintillæ D inflammant, quanto maiori pater luminum inflammabit? pater luminum eſt, non pater tenebrarum, pater bonorum omnium, non autem ſcelerum. horum patres nos ſumus, mater concupiſcentia. vnde illud eiuſdem Iacobi: *Concupiſcentia cum conceperit, parit peccatum*. quę concipit. & parit peccatum, merito mater dicetur peccati,& tenebrarum.

Iacob. 1.

Iacob. 1.

Longe autem diſtat hic pater luminum à Sole: Nã Sol mutabilis eſt, mouetur perpetuò, ac rotatur, & à terræ vmbra ne omnes homines illuminet, impeditur. in Sole eſt tranſmutatio, hoc eſt, Sol ex vno in alterum hemiſphærium ſingulis diebus tranſmutatur. eſt etiam vicißitudinis obumbratio, hoc eſt, vicißim ab hac,& ab illa terræ parte adumbratur, vt nox vicißim modo in vna, modo in altera efficiatur, ipſa enim vmbra terræ, Soli officiens, noctem efficit. E Græcè τροπῆς ἀποσκίασμα, verti etiam poteſt, cõuerſionis obumbratio eſt in Sole conuerſionis, obumbratio, quia cum conuertitur ex vno in alterum hemiſphærium, illud, quod deſerit propter Solis conuerſionem, obumbratur, vel quia cum à tropico Cãcri in tropicum Capricorni conuertitur, nubibus, & pluuijs aër obnubilatur. At apud patrem luminum nec eſt tranſmutatio, nec vicißitudinis, aut cõuerſionis obumbratio. neque enim vlla in illum aut mutatio, aut conuerſio, aut obumbratio vllo modo cadere poteſt, nulla ad eum peruenire vel tenuiſſima vmbra, nullæ accedere poſſunt nubes, nullæ tenebræ, nullo indiget curſu, nullo, vt illuminet orbem, indiget motu. ſtabilis, quietus, atque immotus per

Vniuersitatẽ hanc rerum omnium spargit radios, quibus nulla vmbra, nullæ efficiunt tenebræ. *Lux in tenebris lucet*, & tenebræ eam nullæ possiunt comprehendere, hoc est, extinguere, vel attingere.

Ad hæc. Sol illuminat naturæ necessitate, nõ voluntatis, qua caret, libertate; Pater luminum contra, diffundit radios in orbem, non necessitate coactus, sed libertate, & amore actus. Quamobrem Iacobus prædictis adiungit: *Voluntariè genuit nos Verbo veritatis, vt simus initium aliquod creaturæ eius*, Græce ἀπαρχήν, hoc est, initium, & primitiæ creaturarum, vt primus primi, & honoratissimi inter visibiles creaturas, vt exponit Oecumen. Amoris, & voluntatis, non necessitatis, est lumen fidei, & charitatis, quo nos pater luminum illustrat; amoris, & voluntatis sunt radij omnes, quibus clarissimus hic Sol omnes tam cœlorũ, quàm elementorum orbes complet.

Iacob. 1.

Beatos, dixit Dominus, oculos illorum, qui lucem hanc in tenebris lucentem comprehenderunt, & sub nube carnis latentem viderunt. *Beati (inquit) oculi, qui vident, quæ vos videtis.* Quanto erunt feliciores oculi, qui illam viderint non in tenebris terrarum lucentem, sed in luce cœlorum coruscantem? Si Solem hunc cernere optas, caue, ne in peccatum cadas: Noli cadere, ait Augustinus tract. 2. in Ioannem, & non tibi occidet hic Sol, si tu feceris casum, ille tibi faciet occasum, &c. Lux hæc non nisi à luce videtur, nam *tenebræ eam non comprehenderunt*. Si videre lucem Verbi cupis, esto & tu lux, iuxta illud Apostoli: *Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino.* si vis cernere lumen, esto lumen ex ijs, quæ Pater luminũ voluntarie gignit verbo veritatis, vt sint primitiæ creaturæ eius. Pater luminũ est, quia lumina gignit. Similis est filius patri, si pater lumen est, filius quoq; erit lumen, si pater caligo est, filius caligo erit, vnde illud: *Vos ex patre Diabolo estis*, videlicet ex caligine, tenebræ. Filij Diaboli tenebræ sunt: *Fuistis*, ait Apostolus, *aliquando tenebræ*: filij patris luminum lux sunt. comprehendit lucem lux, sed *tenebræ eam non comprehenderunt*.

Lucæ 10.

Illiqui in peccatum cadit, Sol occidit.

Ad Ephes. 5.

an. 8.

Lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderũt; lux lucet in tenebris fidei Catholicæ, lucent in ea diuina, absconditaque mysteria. est enim fides lux quædam tenebrosa, & caligo quædam illuminãs, cui illud congruit: *Nox illuminatio mea.* tenebras habet fides, quia id credit, quod non videt; lucem habet, quia summam veritatem, certitudinem, & autoritatem Dei continet, qui nec potest falli, nec fallere. In ijs ergo fidei tenebris, sub hac fidei nube, lucet Deus, & tenebræ, hoc est, hæretici, lucem non comprehenderunt. Fulget Sol clarissimus Christus in tenebris admirabilis sacramenti Eucharistiæ, tegitur illa specierum Sacramentalium nebula, iuxta illud Salomonis: *Dominus dixit vt habitaret in nebula*, & *tenebræ*, hoc est, hæretici, Iudæi, Mahometani, Ethnici, eum non comprehenderunt; comprehendit autem lux, agnoscunt orthodoxi Christiani. Non cognoscit Lia, id est, Synagoga, lippis imò cæcis prædita oculis, agnoscit Ecclesia acutissima oculorum acie præstans, non agnoscit cæcus Isaac, id est, populus Iudæorum, sub alienis pellibus Iacob, id est, sub speciebus panis, ac vini, Christum, agnoscit perspicax Rebecca, id est, Ecclesia.

Fides. Psal. 138.

Eucharistia 3. Reg. 8.

CAPVT IX.

Fuit homo missus à Deo, exponitur, & alia.

HACTENVS nobilis aquila Ioannes altissimo in monte diuinæ Theologiæ volauit, æternum esse Verbum, apud Patrem, Deum, Creatorem, Vitam, Lucemque edocuit. Iam nunc ad hominẽ Baptistam veluti vallem volatum demittit, vt antiquus ille obseruauit Autor homil. 2. in diuersos inter Origenis opera. Ecce, inquit, aquilam (hoc est, Ioannem Euangelistam) de sublimissimo vertice mõtis Theologiæ, leui volatu descendentem in profundissimam vallem historiæ: de cœlo vtiq; spiritalis mundi pennas altissimæ contemplationis relexantem, &c. Perbelle sanc Ioannes descendit ad Ioannem, Ioannes de Ioanne scribit, optimoque ordine à Verbo ad vocem Verbi manifestatricem transit. De Verbo dixit, nunc de voce dicit. Ordine (ait Chrysosto.) procedens Ioannes, ad ipsius verbi præconem ac nuntium, & eodem, quo ipse, nomine appellatum Ioannem, venit.

D. Chrys.

Duo Cherubini expandunt alas, versoq; in propitiatorium vultus habent. En duo eximij Cherubini, duo celeberrimi Ioannes, Baptista vnus, Euangelista alter. Vterq; mentis alas, amorisque expandit, vterque in propiatiatoriũ, id est, Christum vultũ oculosque vertit, vterque diuino Verbo fidelissimum testimoniũ præstat. D. Cyrillus in Ioannem libro primo capite septimo: Magnæ, inquit, authoritatis testem Ioannem Baptistam, sibi Euangelista adiungit, digna sanctorũ virorum dualitas fide auditorum est, propter sanctimoniam, claritatemq; personarum, &c. De testimonio Ioannis Euangelistæ Rupertus in Prologo Ioannis hoc præclarum elogiũ tradit: Testis filij Dei singularis Ioannes Euangelista, ac præcipuus, qui in publico cœli & terræ auditorio, cùm ageretur non tam de terminis, aut legibus regni, quàm de ipsis natalibus regis, (videlicet Christi) in medium prosiluit: & magno tonitru, verbique coruscantis fulmine, Ecclesiam malignantium, id est, hæreticorum, perterruit, aperte protestans, quòd filius vnicus Patris sit. Hæc ille. De testimonio verò Baptistæ, Euangelista sic hoc loco scribit: *Fuit homo missus à Deo cui nomen erat Ioannes, hic venit in testimonium, vt testimonium perhiberet de lumine, vt omnes crederent per illum, non erat ille lux, sed vt testimonium perhiberet de lumine.*

Ioannes duo, Baptista & Euangelista, duo Cherubini propitiatorium tuentes. Exod. 25. D. Cyrill.

Rupertus.

Interposuit autem verba hæc hoc loco, mox ad institutum de verbo sermonem reuersurus, vt ostẽderet Baptistam, etsi Iudæis id in mentem venerit, non fuisse lucem, id est, Messiam. Dixerat, Verbum esse lucem hominum: quia verò, vt constat ex cap. 3. Lucæ, multi Iudæorum dubitauerant, an Ioannes Messias esset, liberat hoc errore mundum. *Non erat*, inquit, *ille lux*, id est, non erat Verbum incarnatum Ioannes, non erat Messias, sed erat homo missus à Deo, vt testimonium de luce, id est, de Messia, ferret, vt omnes Iudæi crederent per illum, hoc est, per illius testimonium, crederent in Christum. Cyrillus libro primo in Ioannem cap. 6. Ioannes tanto virtutum excelluit numero, vt cùm ad summam iam humanæ iustitiæ peruenisset, maximam de se admirationem hominibus concitarit: vnde factum est, vt nonnulli Christum fuisse putarint, ac ideo interrogatus etiam fuisse scribitur, an esset Christus? Quod Euangelista non ignorans, vt & hunc errorem euellat, & auctoritatem eius quanta esset, ostendat, necessario subiunxit: *Non erat ille lux.* Quomodo enim magnus ille non fuit, aut quomodo auctoritati eius credendum non erat, qui tanto cumulo virtutis prefulsit, vt lux ipsa à nonnullis crederetur? Hactenus Cyrillus. Magna quidem Baptistæ laus est, hæc Euãgelistæ negatio: *Non erat ille lux*, quẽadmodum magna esset laus, si de duce diceretur: Non erat ille rex; indicat enim hæc negatio tantam in duce effulsisse auctoritatem, & maiestatem, vt rex videretur. Illa verò negatio Ioannis indicat tantam in Baptista splenduisse virtutem, vt Messias visus sit.

Baptista Ioãnes testis Christi, summæ auctoritatis. D. Cyrill.

Alius

Alius poteſt eſſe hoc loco nexus. Dixerat Euangeliſta tenebras, id eſt, impios homines, nō comprehendiſſe lucem in tenebris fulgentem, hoc eſt, non cognouiſſe Verbum. hoc loco addit miſiſſe Deum in Iudæam ſummæ auctoritatis, ac ſanctimoniæ teſtē Baptiſtam, cuius certiſſimo teſtimonio homines ad comprehendendam lucem excitarentur. Ioannis officium indicat: Non erat, inquit, lux, ſed lucis teſtis, non erat lux, ſed lucerna à luce incenſa, & lucē ſub nube carnis latentem oſtendens; quæ ſi à luce, id eſt, verbo non fuiſſet inflammata, lucis haberet nihil. Non erat lux, non erat Sol, ſed mons radijs Solis illuſtratus, Solemque iam ortum indicans, vt Auguſtinus ait tractatu 2. in Ioannē, his verbis: Ad hoc erectus mons, id eſt, Ioannes, vt prior radios excipiat, & oculis tuis nuntiet. Non erat lux, & erat lux, non erat lux increata, & omnium rerum creatrix, ſed erat lux creata, & emanans ab increata: quemadmodum & illi, de quibus ait Paulus: *Fuiſtis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino.* Fuit aliquando Ioannes tenebræ, originalis peccati caligine in ventre matris inuolutus: poſtea verò lux in Domino, hoc eſt, per Dominum. Etenim cum Dominus, cum Sol ille aureus ſub aurea virginei vteri nube latens, domū ingreſſus eſt Eliſabethæ, tunc originali pulſa caligine, Ioannis animum mira luce circumfudit. Illuminatione factus eſt lux Ioannes (ait Auguſtinus tractatu 2. in Ioannem) niſi enim illuminaretur, tenebræ erat. Venit autem in teſtimonium, hoc eſt, ad ferendum teſtimonium de Chriſto, vt omnes Iudæi crederent per illum, hoc eſt, per illius teſtimonium, & prēconium, & crederent, inquam, in Chriſtum. Quod ſi credere noluerunt, extra culpam teſtis eſt, tota in Iudæis hæret. Verùm de Ioanne & grauiſſimis, quibus Chriſti dignitatem confirmauit, teſtimonijs, loco proprio dicendum eſt. nunc hæc, veluti per parentheſim interpoſita, ſint ſatis.

Ioannes lux creata, Verbū lux increata, & creatrix.

Ad Epheſ. 5.

Erat lux vera. quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.

DIxerat Euangeliſta Ioannem non fuiſſe lucem, hoc eſt, ipſum lucis fontem, ſed riuum quendam, non fuiſſe Solem, ſed luciferum Solis prēnuntium; nunc ad diuinum Verbum, de quo ſermo erat inſtitutus, reuertitur, lucem veram eſſe omnes homines illuminantem profitetur. *Erat*, inquit, *lux vera* Verbum, hoc eſt, germana, non fucata, ipſam veritatem, & naturam lucis increatę, habens, non ſolā ſpeciem: hoc modo ab eodem Ioanne primæ Epiſt. cap. extremo, dicitur Chriſtus verus filius Dei, id eſt, germanus, & naturalis. Vel, *erat lux vera*, hoc eſt, verè homines illuminans, vera docens, quamobrem infra dicitur Verbum plenum veritatis. Sunt enim multæ luces falſæ, qualis fuit lux Philoſophorum, id eſt, ſcientia, permixta falſitati, qualis fuit, eſtq; hodie tenebroſa lux, id eſt, doctrina hæreticorum, qualis eſt lux ficta Dæmonis, *qui*, vt Paulus ait, *transfigurat ſe in Angelum lucis.*

Chriſtus lux vera.

Sed dubitabis, cur dicatur *illuminare omnem hominem venientem in hunc mundum*, cùm multi non illuminentur? Reſpondet Auguſt. in Enchiridio cap. 102. lucē hanc illuminare omnes homines, non ſimpliciter atque vniuersè quotquot ſunt, ſed omnes quicunque illuminantur: ab ea enim lumen accipiunt, quicunque lucem habent. quaſi dicat Ioannes: *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem*, quicunque illuminatur; erat lux, à qua quicunque lucem habēt lucem accipiunt. Illuminat (ait Auguſtin.) omnem hominem venientem in hunc mundum, nō quia nullus eſt hominum, qui non illuminetur, ſed quia niſi ab ipſo nullus illuminatur. Eodem modo reſpondet lib. 1. de peccatorum meritis, & remiſſione cap. 25. in eandem ſententiam in Enchiridio interpretatur locum illum: *Deus vult omnes homines ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire*: vult, inquam, fieri ſaluos omnes homines, quicunque ſeruantur: etenim nemo ſeruatur niſi is, quem Deus ſaluum eſſe vult. D. Cyrillus facile reſpondet: Verbum illuminare omnem hominem venientem in mundum, lumine rationis: omnibus enim hominibus rationis lumen impertit, nam ſi homo eſt, rationis luce fulget.

D. Auguſt.

1 Timot. 2.

D Cyrill.

Facilius reſpōdetur, dici Verbum omnem hominem illuminare venientem in mundum, propterea, quòd paratum eſt ad largiendum fidei, & gratiæ lumen omnibus hominibus, ſi flagitiorum remoueat impedimenta. Hunc in modum dicitur Sol illuminare omnem hominem, quia omnes homines, ſi nō obſiſtant, illuminat. Quod ſi in ſubterranea antra ſe abdant, ſi feneſtras obtruant, multi carebunt luce, ſed culpa ſua. Chryſoſt. in Ioannem: Illuminat, inquit, Verbum omnem hominem, quantum in ipſo eſt. Si qui autem ad huius lucis radios mentis oculos dirigere noluerunt, non ex luminis natura, ſed malitia ſua, in malitia periſtiterūt. Ambroſ. lib. 2. de Cain & Abel: Omnibus opem ſanitatis Chriſtus detulit, vt quicunque perierit, mortis ſuæ cauſas ſibi aſcribat, qui curari noluit. idem Ambroſ. eodem loco: Qui pereunt, ſua pereunt negligentia. Auguſtin. tract. 12. in Ioannem: Quantum in medico eſt, ſanare venit ęgrotum, ipſe ſe interimit, qui præcepta medici ſeruare non vult.

Culpa ſua homines non illuminantur a verbo.

D. Chryſ.

D Ambroſ.

Omnem ergo hominē illuminat lux vera, inſtar Solis clariſſimi. Lucerna vnam aliquam domū, eamque non admodum amplam illuminare poteſt: Sol totum orbem complet lumine. eundem in modum Ioannes lucerna ardens, & lucens, ſolam domū Iacob, eamque nō admodum magnam, id eſt, Iudæam, luce à Verbo accepta illuſtrauit: vera autē lux Chriſtus, terrā vniuerſam ſuo fulgore compleuit. Illuminat, inquit Ioannes, non vnam Iudæam, ſed omnē hominem venientem in hunc mundum, quacunq; in regione mundi ille naſcatur.

At quæres, vnde nam veniat homo in hunc mundum, ex quanam regione? Nonnulli, vt refert Cyrillus ex his verbis male intellectis, delirantes collegerunt, animas hominum ante corpora, in cœlo, beataque vita extitiſſe. Quamuis vero perfectiore bono fruerentur, tamen ſaturitate melioris ſtatus, turpi cogitatione, alterius vitæ cupiditate, ad peiora eſſe delapſas, à Deo propterea e cœlo deiectas, corporibusq; veluti carceribus, vt cupiditas illa reſtingueretur, incluſas. Voluit enim, inquiunt, creator, vt animæ experimento diſcerent, quàm ſit amarum, bonum contemnere, & ad peiora declinare. Erroris refutationem lege apud Cyrill. & Sixtum Senēſem tom. 2. Bibliothecæ, lib. 5. annotatione 185. mihi in hæreſibus ineptis refutandis commorari non eſt animus, id ſolùm dicam, ineptiſſimum eſſe hunc errorem, & ab ipſa omnium hominum experientia refelli: etenim nulla eſt anima, quæ ſe in cœlo, & beata vita fuiſſe meminerit. Eſt anima corporis forma, nō detruditur in illud, vt propter præcedens aliquod ſcelus extra corpus patratum, puniatur, ſed copulatur cum illo, vt tanquam forma vitam largiatur. Locus verò hic, quē exponimus, errori minimè fauet. Venire enim dicitur homo in mundum, nō propterea quòd ex cœlo anima veniat in corpus, ſed quia totus homo in hoc mundo naſcitur, & apparet, in quo ante quam gigneretur, non erat.

D. Cyrill.

Ex ijſdem verbis, vt leges apud Auguſtin. lib. 1. de peccatorum meritis, & remiſſione, cap. 25. quidam alij ſuperioribus ſimiles inferunt, hominem, mox vt venit in mundum, in lucemque externam editur,

D. Auguſt.

ante

ante baptiſmum à Verbo luce interna illuminari. At hallucinantur, neque vident à Ioanne non eſſe ſcriptum, *illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*, mox vt ingreditur mundum, ſed abſolute, *illuminat omnem hominem*, videlicet, tempore congruo, diuinis ſacramentis, cæteriſque omnibus rebus adhibitis, quæ illuminationi opus ſunt. Quod ſi de vſu rationis verba Ioannis intellexerunt, inepti quidē homines fuere, & experientiæ aduerſarij, quæ indicat aperte infantes, etſi rationem habeant, illius tamen vſu carere.

D. Auguſt. Obſeruat Auguſt. verba Græca Ioannis, poſſe etiam donari latinitate hūc in modum: Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem, veniens in hunc mundum: ἦν τὸ φῶς τὸ ἀληθινὸν, ὁ φωτίζει πάντα ἄνθρωπον ἐρχόμενον εἰς τὸν κόσμον: nam participium ἐρχόμενον coniungi poteſt cum nomine φῶς, φῶς ἐρχόμενον, id eſt, lux veniēs, hoc ſenſu, erat lux vera, quæ veniēs in hunc mundū illuminat omnem hominem, quæ lectio nebulas omnes, & errores diſſoluit. Noſtra tamen verſio ſequenda, quæ accommodatior eſt, quia participium ἐρχόμενον, græcum propinquius eſt, adhæretque nomini, ἄνθρωπον, & longe diſtat à nomine φῶς, id eſt, luce.

Illa quoque verba ſuperiora de Ioanne dicta: *Hic venit in teſtimonium, vt teſtimonium perhiberet de lumine, vt omnes crederent per illum*: græce ſic habent: οὗτος ἦλθεν εἰς μαρτυρίαν, ἵνα μαρτυρήσῃ περὶ τοῦ φωτὸς, ἵνα πάντες πιστεύσωσι δι' αὐτοῦ. Verti poſſunt duobus modis, altero, & meliori, vt vertit noſter interpres; altero ſic: hic venit in teſtimoniū, vt teſtimoniū perhiberet de lumine, vt omnes crederent per illud, ſcilicet lumen, hoc ſenſu, venit Ioannes Baptiſta, vt de Chriſto lumine teſtimonium diceret, vt omnes homines crederent per illud lumē, id eſt, per Chriſtum, & per eum fidei luce colluſtrarentur.

Vnde veniat homūis hū mundum. D. Cyrillus in Ioannem acutè, vnde in hūc mundum homo veniat, expoſuit. Si roges vnde nam, ex quáve regione homo venit in mundum? ex Cyrilli ſententia reſpondebimus, ex regione quadam venit, quæ appellatur nihil, paupere, deſerta, ignobili, inculta, ſterili, miſera, rebus omnibus egente. In qua neque animal vllum, neque vermiculus, neque arbor, neque ſeges, neque herba vlla gignitur. hæc hominis regio, hæc patria. Ex ea in hunc mundum iter eſt longiſſimum, quid longiſſimum dixi? iter eſt infinitum, non equus, non rheda, non currus, nō nauis, non vis aliqua finita, ex hac regione in hunc

Patria hominis ipſum nihil, mūdum hominem adducere potuit. Quomodo ergo venit in hunc mundum? nullis circumſcripta terminis Dei potentia illum adduxit, quod ſi eadem potentia in mundo, potenti comprehenſum manu, non retineat, mox in patriam hanc ſuam fugiet, ac

D. Cyrill. reuertetur, mox in nihilum diſſoluetur. Sed Cyrillum audiamus: Homo, inquit, ex nihilo ad ſe producitur, locus enim quaſi quidam creaturarum confingitur ipſum nihil: à quo modo quodam profectæ creaturæ, locum, vt ita dicam, eſſendi acquirunt. Hæc ille.

CAPVT X.

In mundo erat, & mundus per ipſum factus eſt, &c.

IOannes Verbum in ſinu Patris collocarat: *Verbum*, inquit, *erat apud Deum*. Nunc etiam in mundo eſſe docet, quippe quod mundum & creauit, & gubernet, atque conſeruet. Præterea dixerat: *Verbum illuminare omnem hominem venientem in hunc mundum*, rogaret quiſpiam, quomodo poterat Verbum hominem illuminare in mundo, ſi erat apud Patrem? occurrit tacitæ interrogationi Euangeliſta, quaſi dicēs, apud Patrem Verbum erat, & in mundo etiam erat, item dixerat: *Verbum illuminare omnem hominem*, hoc eſt, lucem eſſe, omnium hominum illuminatricem, ni radijs ipſius obſtent, hoc loco indicat homines radijs obtitiſſe, nec illuminari voluiſſe. *In mundo*, inquit, *erat* Verbum lux vera, *& mundus per ipſum* Verbum *factus eſt*, ideoque creatorem ſuum cognoſcere debuit, at mundus eum non cognouit, hoc eſt, qui facti ſunt, vt ait Euthymius, factorem non cognoue- *Euthym.* runt. In mundo erat (ait D. Auguſt. tractatu 2.) per diuinitatē, vt artifex regens quod fecit. *Et mundus eum non cognouit*, hoc eſt, vt ide Aug. & Chryſ. interpretantur, mundi amatores eum non cognouerūt. vel po- *D. Auguſt. D. Chryſ.* nitur continēs pro contento, mundus, hoc eſt, homines mūdi incolæ, luce Verbi nō ſunt colluſtrati.

Multæ ſunt cogitationes, quæ de verbo, & filio Dei haberi poſſunt, ideo multifariam verba hæc intelligentur. Primò de cognitione, quæ per creaturas à Philoſophis de diuinitate comparatur, hoc ſenſu: Mundus eum non cognouit per creaturas. Secundò de cognitione fidei, mundus eum non cognouit per fidem. Tertiò de cognitione fidei cum charitate, & mandatorum obſeruatione coniunctæ, iuxta illud: *qui dicit ſe noſſe Deum, & mandata eius non cuſtodit, mendax* *1. Ioan. 2.* *eſt*, mundus eum non cognouit fide viua atque amāte. Quartò de cognitione diuinitatis, mundus eum non cognouit, hoc eſt, non cognouit Deum. Quintò de cognitione explicata Verbi: Mundus eum nō cognouit, hoc eſt, mundus non cognouit eſſe filium Dei, eſſe Verbum Dei, quemadmodum, nec cognouit eſſe Spiritū ſanctum. Quamuis enim multi homines cognouerint, eſſe vnicum Deum, perſonarum tamen Trinitatem ante Chriſtū pauciſſimi diuinitus edocti explicate cognouerunt. Locus intelligendus eſt hoc pacto: In mūdo erat Verbum, & mundus nec cognouit per Philoſophiam, nec per fidem eſſe Verbum, & filium Dei, nondum enim Deus perſonarum admirabilem Trinitatem mundo patefecerat. Præterea, & mundus eum nō cognouit, hoc eſt, neque Verbum, neque veram diuinitatem cognouit, non cognouit vnicum, verumque Deum, ſed inanibus ſimulachris ferè totus diuinum cultum exhibuit.

Opponere quiſpiam poſſet (ait Cyrillus) Si Verbum Dei lux eſt, ſi hæc lux corda hominum illumi- *D. Cyrill.* nat, ac pietatem, videlicet, & rerum intelligentiam humano generi congruentem ingerit, ſi præterea ſemper erat in mūdo, & ipſa opifex mundi eſt, quomodo tam longis temporum ſpatijs ignorata eſt? Sequitur enim potius, quoniā ignorata eſt, nec ab ipſa mundum illuminari, nec ipſam penitus lucem eſſe, hoc ne quis objicere poſſit, diuinitus intulit Euāgeliſta: *Et mundus eum non cognouit*. Non Verbum Dei & lucem, ſed ſuam imbecillitatem mundus accuſet; illuminat enim filius, repellit autem gratiam creatura, quę intelligendi acumine, vt Deum cognoſceret, ſibi dato abuſa eſt, & vt prodiga, ad creaturas vim inſpiciendi conuertit. Lux vera filius Dei eſt, & ſplēdorem ſuum ad omnes emittit, ſed *huius ſæculi deus*, vt ait Paulus, *mentes infidelium hominum obcæcauit; ne illumi-* *2. Cor. 4.* *natio cognitionis Dei in ipſis fulgeat*. Hæc & alia ſimilia Cyrillus.

Præterea (ait idem Cyrillus) quaſi ingratus, atque inſenſatus mundus, his verbis accuſatur, qui ſuum *D Cyrill.* auctorem ignorauit: *Mundus* (inquit Ioannes) *per ipſum factus eſt*, & mundus, qui factus eſt, non cognouit factorem ſuum, cum tamen per creaturas veluti per gradus quoſdam Deo opitulante ad illius cognitionem

nem potuerit ascendere. Id quod docent sacræ lite-
Sapient. 13. ræ. His verbis: *Si tantum scire potuerunt, vt possent æstimare sæculum quomodo huius Dominum non facilius inuenerunt?* ité eodem capite *A magnitudine speciei*, id est, pul-
Deus per creaturas cognoscitur. chritudinis, & creaturæ, *cognoscibiliter poterit creator horum videri*: Nam excellens ipsa mundi pulchritudo, ipsa cœlorum, elementorumque magnitudo, quam pulcher, quam magnus sit creator prædicat. Quod noster interpres vertit cognoscibiliter, Græce dicitur ἀναλόγως, id est, analogicè, & per proportionem quandam creator ex creaturis conspicitur. Si enim creaturæ eximia magnitudine, decore, splendore, vita, intellectu, voluntate, oblectationeque præditæ sunt, quanto per proportionem infinitâ maior, perfectiorque erit Dei creatoris magnitudo, decor, splendor, vita, intellectus, volũtas, & oblectatio? Vnde ait
Sap. 13. Sapiens: *Quorum si specie delectati Deos putauerunt, sciant quanto ijs dominator eorum speciosior est*, speciei enim, id est, pulchritudinis generator hæc omnia constituit, aut si virtutem, id est, potentiam, & opera eorum mirati sunt, intelligant ab illis, quoniam, qui hæc fecit, fortior est illis.

Rom 1. *Inuisibilia Dei à creatura mundi, per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur.* Inuisibilis quidem Deus est, sed in creaturis se quodammodo præbet visibilem, in creaturis enim visibilibus ipse inuisibilis conspicitur. Theodoretus in commentarijs Psalmi 18. Suffi-
Theodoret. cit, inquit, etiam sola cœlorum pulchritudo, atque magnitudo ad opificis magnificentiam prædicanda. Si enim quis maximum & pulcherrimum ædificium inspiciens, architectum miratur, & nauigium videns optime constructum, artificem considerat, & cum contemplatione imaginis, memoria pictoris concurrit, multo magis mundi fabricatio, quæ videtur, ad opificem nos videntes conducit. Hæc Theodoretus. Gregorius verò Nazianzenus in oratione in nouam Dominicam, mundum Dei præconem me-
Mundus est magnus præco Dei. ritò vocat. Magnus, inquit, & admirabilis maiestatis diuinæ præco mundus. Non vna tamen, vt reliqui
Psal. 18. præcones, sed omnium hominum linguis præco, hic Dei prædicat maiestatem id docuit Dauid: *Non sunt loquelæ, neque sermones, quorum non audiantur voces eorum*, hoc est, non sunt linguæ vllæ in Orbe terrarum, quarum voces, & præconia, non audiantur in ipsis cœlis, omnium enim linguarum præcones sunt, Deique gloriam omnibus hominibus enarrant. At verò non in vno tãtum orbe, vel regno, vel natione, sed in orbe toto præcones hi valentissimis lateribus diuinã maiestatem proclamant: *in omnem terram* (addit Psalmographus) *exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verbi eorum.*

Maximus verò inter sydera diuinæ gloriæ præco Sol est, idcirco de illo peculiarem adhibuit commemorationem: *In Sole posuit tabernaculum suum*: hebraice legitur, vt vertit D. Hieronymus: Soli posuit taber-
Sol præco maximus. naculum in eis, id est, in cœlis fixit Deus Solem veluti gloriæ suæ præconem inclytum, nostra versio eundem sensum habere potest, si exponatur hũc in modum: Deus tabernaculum suum, id est, ipsius Solis, posuit in Sole, vel posuit Soli in cœlis. Alius sensus est facilior, Deus tabernaculum suum posuit in Sole: Dicitur autem Deus in Sole tabernaculum fixisse, quia Sol inter reliqua sydera præcipue, atque excellentissime Dei maiestatem indicat. Quemadmodum nobile, & amplum palatium, regis opes, dignitatemque ostendit, ita Sol veluti splendidissimũ Dei tabernaculum, Dei gloriam, maiestatemque mundo testatur.

Veruntamen mundus eum ex præconijs cœlorũ, ex creaturis reliquis, & ex Sole, non cognouit, quin potius cæcus, & insanus eidem Soli, alijsque creaturis, Deo vero relicto, vt dicit Sapiens, diuinos hono-
A res tribuit. *Vani* (ait Sapiens) *sunt omnes homines, in quibus non subest scientia Dei, & de his quæ videntur bona, non potuerunt intelligere eum, qui est, neque operibus attendentes, agnouerũt qui esset artifex sed aut ignem, aut spiritum, aut citatum aërem, aut gyrum stellarum aut nimiam aquam, aut Solem, & Lunam rectores orbis terrarum Deos putauerunt*, &c. Et *homines incommunicabile nomen lapidibus, & lignis imposuerunt.* hoc est, nomen Dei, quod vni Deo tantum conuenit, nec creaturæ vlli communicari potest, vel nomen Iehoua. Sapient. 13. Sap. 14. Præcones Dei non sunt auditi.

In scala Iacob ex Angelis quidam ascendebant, alij descendebant. Idem contigit hominibus in hac veluti scala creaturarum, per eam quidã ad Dei cognitionem, & amorem ascenderunt, insipientes alij
B in creaturarum cupiditatem, & idololatriam descederunt. Vnde illud: *Creaturæ Dei in odium factæ sunt, & in tentationem animabus hominum, & in muscipulam pedibus insipientium* de idolis loquitur sapiens ex auro, argento lignoque fabricatis; creaturas Dei, ex quibus inania simulacra fabricãtur, factas ait ab hominibus in odium, in tentationem, & laqueum stultis, & insipientibus, qui creatorem agnoscere, & venerari noluerunt. Similem in modum creaturæ Dei, id est, Luna, Stellæ, & cæteræ, quas vt Deos coluerunt, in odium, tentationem, & muscipulam factæ sunt pedibus non sapientium, sed insipientium: sapientes enim per illas velut per gradus ad Deum ascẽderunt, insipientes ad stultum simulachrorum cultum delapsi sunt. Sap. 14.

C

In propria venit & sui eum non receperunt.

NOn cognouit mundus Dei filium, antequam humanitate assumpta veniret in mundum, vt dixit Ioannes: postquam verò venit ex hominibus multi eum receperunt, alij recipere noluerunt. ideoque ijs, qui non receperunt, adiungit: *In propria venit, & sui eum non receperũt.* de ijs verò, qui eum receperunt: *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri*, &c. Verti quoque potest, in sua venit, & sui eum non receperunt, vel in propria venit, & proprij eum non receperunt, eodem enim nomine græco, ἴδιος vtroque in loco vtitur Ioannes, sensus est, venit filius Dei in sua, hoc est, in mundum suum, id est, quod supra dixit: *Mundus per ipsum factus est*. Quasi dicat, venit in mundum, qui per ipsum factus est; atque adeò venit in suũ, vel in propriũ mundũ & sui vel proprij, id est, multi homines ab ipso creati, eũ nõ receperunt. Aug. Cyrillus, Chrysost. Beda, Rupertus, & Euthymius, suos, Iudæos vocatos volunt. Sui, id est, Iudæi, ex quibus originem duxit, & ad quos missus est: eum non receperunt, imò cruci suffixerunt. Augustinus in Ioannem, illud: In propria venit, interpretatur, in mundũ à se cõditum venit. in epistola etiam 120. ad Honoratum, suos non solùm Iudæos, sed cæteros etiam homines posse significare existimat: *Sui*, inquit, *eum non receperunt*, siue quia & ipsi infideles, in quantũ homines sunt, eius sunt, per quem creati sunt, siue suos proprie Iudæos intelligi voluit, ex quibus naturam carnis assumpsit. D. August. D. Cyrill. D Chrysost. Beda Rupertus Euthymius.

D

E

Probabilis est vterque sensus, & vterque est Augustini. ego in eum, quem proposui priori loco propendeo, nam, vt alia omittam, cùm Ioannes loquitur de recipientibus Christum, de omnibus hominibus vniuerse loquitur: cur igitur cùm loquitur de non recipientibus, non loquetur vniuerse de omnibus populis, sed de vno tantùm populo Iudæorũ? Neutrum sensum rejicit Theophylact. Propria eius, ait, vel totum mundum intellige. vel Iudæos, quos elegit, vt funiculum hæreditatis, & vt portionem peculiumque suum: & proprij eum nõ receperunt, vel Iudæi, vel cæteri homines, qui ab eo conditi sunt, & Euthymius: In sua, inquit, sua, mundus, est, nempe fa-

ctura

ctura eius, sui quoque sunt homines, vtpote opera ipsius: venit ergo tâquam homo, siquidem tanquam Deus in mundo erat. Deinde alteram quoque de Iudæis expositionem commemorat.

Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri.

ETsi multi Verbum nec cognouerint, nec receperint, multi alij & cognouerut, & receperunt. Quantu verò ij vtilitatis, & dignitatis recepto Verbo receperint, indicat Euangelista. Quotquot, inquit, receperunt Verbum, summam sibi compararunt dignitatē, vtpote qui non ab homine aliquo Rege, vel Imperatore, sed ab ipso regum rege Deo adoptati sint. Hanc dignitatem iure exaggerat Magnus Gregorius Homil. 6. in Ezech. Quid, inquit, hac potestate altius? quid hac altitudine sublimius dici potest? D. item Leo in ser. 6. de Natiuitate: Omnia dona excedit hoc donum, vt Deus hominem vocet filium, & homo Deum nominet Patrem, &c.

De dignitate quam adsequuntur filij Dei. D Gregor. D. Leo.

Tanta autē hæc dignitas generositatis nos admonet, etenim generosos esse oportet tanti patris filios. Regis filius magna molitur, bella, triumphos, trophęa meditatur, ad viles, sordidasque artes animū non demittit. Dei filius multo altiora, nempe cœlestia animo voluat, aduersus tartareos hostes prælia mente agitet, victorias, laureasque æternas speret, ad sordidissima vitia generosum cor non abiiciat. Hinc ille Magni Leonis rugitus, ser. 1. de Natiuitate: Agnosce ô Christiane dignitatem tuam, & diuino cōsors factus naturæ, noli in veterem vtilitatē degeneri conuersatione redire, & ser. 6. Genus electum & regium, regenerationis suæ respondeat dignitati: diligat quod diligit pater, & in nullo ab auctore suo dissentiat, ne iterum dicat Dominus illud: *Filios enutriui, & exaltaui, ipsi autem spreuerunt me*, &c. Quemadmodū filius Dei naturalis Christus est imago Patris, ita filios Dei adoptatos imagines Patris per imitationem esse necesse est. Iuxta illud: *Estote perfecti, sicut & Pater vester cœlestis perfectus est*. Suadet hoc idem Leo, vtinam persuadeat his verbis: Si ad humanam pertinet laudem, vt patrum decus in prole resplendeat, quanto magis glorioſum est, à Deo natos in auctoris sui imaginem refulgere, & illum in se ostēdere, qui illos generauit? Vides filiorum dignitatem, quam Dei filius ijs contulit, qui eum receperunt, vide etiā liberalitatem.

D. Leo. Filij Dei imitentur Deum Patrem suū. Isaiæ 1. Matth. 5. D Leo.

Quotquot (ait Ioannes) *receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri.* Chrysostomus: Siue serui, siue liberi, siue græci, siue barbari, siue sapientes, siue insipientes, pueri, senes, viri, fœminæ, omnes eodem dignati sunt honore. Quid huic humanitati par, &c. Reges, principesque viri, seruili abiectaque conditione viros sibi cognatione iungi nolunt. Christus autem Æthiopes, & despicatissimos viros sibi fratres efficit. Non dignatur Rex (ait Chrysostomus in Ioannem) in exercitum suum ascribere eos, qui seruili sunt conditione: Dei autem filius publicanos, seruos, & his etiam despicatiores in filios accipere non dedignatur, tanta fidei vis, tanta gratiæ est exuberantia, &c.

Dei liberalitas in largiēda filiorum Dei dignitate. D. Chrys.

At despicatissimi homines sunt, antequam ad hūc honoris gradum extollantur: postquā filij Dei fiunt, omnibus regibus multò sunt nobiliores, antequam baptizentur, lutei sunt, vt ait Chrysostomus, post baptismum aurei: per baptismum enim filij Dei renascuntur, iuxta illud: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto*, &c. Audiamus Chrysostomum de baptismi fornace Spiritus sancti igne incensa loquētem. Quemadmodum, ait, ignis, si metallorum terrā ati gerit, eam quam primum aurum reddit, sic &

Baptismus pro luteis, aureos facit. D Chrys. Ioan 2.

A longe magis pro luteis aureos eos baptismus facit, quos abluit, &c. Nec solum aureos facit baptisma, sed etiam filorum Dei similitudine nobilissima fulgentes. Nā trahimus ex Adamo Adami similitudinē ignobilē, originalisque peccati scoria contaminati, veluti aurum ex ventre terræ impurum in lucem hanc ex vtero matrū edimur. Ex Christo Christi similitudinem nobilissimam accipimus, originalisque peccati scoria, & ignobili similitudine, in fornace baptismi, spiritus sancti igne absumpta, filiorum Dei imagine, vt Chrysostomus ait, rutilamus. Pro luteis, inquit, aureos baptisma facit, cum tamquā ignis illa hora animos nostros ingrediatur Spiritus sanctus, & terrena absumpta similitudine, cœlestem illā nouam & claram tanquam ex fornace fulgentem referat, &c. Magna ergo filiorum Dei est inter reliquos homines dignitas, quemadmodum magnū est inter lutea, plumbeáve vasa, aureorum pretium. dedit enim eis potestatem filios Dei fieri.

Similitudo est in filijs. D. Chrys.

Facessunt hæc verba, diuini huius Euangelij explanatoribus negotium. Nō enim videtur dare Deus potestatem, vt filij Dei fiant ijs, qui eum recipiunt, sed actum, cum mox vbi quis per fidem charitatemque Christum recipit, filius Dei constituatur. Theophylactus tres indicat modos, quibus nodus hic dissolui possit. primus exponendi modus hic est: dedit eis potestatem filos Dei fieri perseuerante filiatione: nam qui Christum recipiunt, per gratiam filij Dei protinus sunt, potestatem verò habent ipso Deo iuuante, vt in diuina hac filiatione seipsos conseruent. At Euangelista non loquitur de conseruatione, & perseuerantia in filiatione, vt est compertū, verisimiliores sunt duo sequentes modi. Secundus modus, dedit potestatem ijs, qui eum receperunt, id est, catechumenis, vt filij Dei fiant per baptismum. Tertius, dedit eis potestatem filios Dei fieri filiatione perfecta atque glorioſa. Quæris quæ sit perfecta filiatio? Respon. Perfectam & glorioſam filiationem in cœlo esse, cum æternam adimus hæreditatem, de hac Paulus: *Intra nos gemimus, adoptionem filiorum Dei expectantes, redemptionem corporis nostri*. Quid Paule sanctissime, nónne adoptatus iam à Deo es, quam igitur adoptionem adhuc expectas? videlicet, illam perfectam, quæ in resurrectione perficitur. de eadem adoptione intelligenda est Ecclesiæ oratio, qua vtitur in festo transfigurationis die: Deus, qui fidei sacramēta, in vniginiti tui glorioſa transfiguratione, patrum testimonio roborasti, & adoptionem filiorum perfectam, voce delapsa in nube lucida, mirabiliter præsignasti, &c. Est ergo quædam adoptio occulta, qualis in terris est; altera manifesta, & perfecta, quæ in die iudicij erit, cū ab omnibus Angelis, atque hominibus, omnes filij Dei, summa fulgentes gloria, & Christo similes, palam conspicientur, iuxta illud: *Charissimi nunc filij Dei sumus, & nondum apparuit quid erimus: scimus autem quoniam cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est*. De filiatione hac glorioſa exponitur locus hic etiam à Cardinale Caietano, Dionysio Carthusiano. non placet hic commentarius, puto enim Euangelistam de adoptione loqui, quæ in hac vita comparatur.

Theophyl. Quomodo Deus det potestatem hominibus filios Dei fieri. Quæ sit filiatio perfecta. Rom. 8. 1. Ioan. 3. Caietanus. Carthusianus. Toletus.

Probabilius interpretatur idem Cardinalis Tentaculo 5. quæst. 5. de receptione per fidem, hunc in modum: Quotquot receperunt eum per fidem, dedit eis potestatem filios Dei fieri per charitatem. nam sola fides filium Dei non facit. Melius Carthusianus & Toletus de adoptione exponunt, quam per baptismum consequimur hoc pacto: dedit eis qui receperunt eum potestatem filios Dei fieri per baptismum, nam per baptismum renascimur filij Dei, hic est secūdus sensus Theophylacti, cuius supra meminimus.

Præter

Iansenius. Præter has interpretationes est etiam alia Cornelij Iansenij, is nomen græcum ἐξουσίαν, quo Ioannes vtitur, putat significare dignitatē, & authoritatem, & verbum γενέσθαι significare, esse & fieri, & in hūc modum interpretatur facile, dedit eis dignitatē filios Dei fieri, vel esse, mox vt ipsum per fidem, charitatemque recipiunt. verum vir doctissimus non ostendit ex probato autore græco vocabulū ἐξουσίαν significare dignitatem, quę enim ex Cyrillo affert, non probāt Græci, Chrysostomus, Theophylactus, Euthymius, Cyrillus, quibus græca lingua satis nota erat, ἐξουσίαν potestatem; nō dignitatem interpretantur. noster etiam interpres, qui omnino sequendus & exponendus est, potestatē vertit, non dignitatem. Imo Erasmus ipse, quem Iansenius suę opinionis fautorem putat, in sua versione non dignitatē vertit, sed licentiam siue potestatem, hoc pacto: Quotquot autem receperunt eum, dedit eis, vt liceret filios Dei fieri.

Existimo difficilem hunc locum facile posse explanari, non de aliqua potestate, quæ detur hominibus, cum filij Dei fiunt per gratiam, tunc enim actū accipiunt non potestatem, actu enim filij Dei fiunt, sed de potestate, quam Christus, cum in terris versaretur, hominibus dedit, & reliquit, vt quotquot ipsum reciperent per gratiam, filij Dei statim fierent. quæ potestas separata est, & longè distat ab actu: data enim est à Christo in terris versante, redigitur verò in actum cum homo filius fit Dei. Sic ergo facile explicamus. Quotquot autem receperunt filium Dei per fidem, & gratiam, dedit eis potestatem, cum in terras venit, vt filij Dei fierent, eo ipso quod ipsum per fidem, gratiamque reciperent, id est, quod sequitur: Iis qui credunt in nomine eius, fide videlicet viua, & per charitatem operante.

Qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt.

Generatio filiorum Dei non est carnalis. Plinius. QVomodo filij Dei fiant homines, qui Christum receperunt, docet Ioannes, per spiritalem videlicet, non per carnalem generationem. Non sunt (inquit) nati filij vulgari, & carnali modo, ex sanguinibus menstruis fœminę. hęc enim carnalis generationis materia est, vt Plinius docet lib. 7. historię Naturalis ca. 15. de menstruis fœminarū loquens his verbis: hęc est generando homini materia, scilicet menstruus mulierum sanguis, semine è maribus coaguli modo hoc in sese glomerante, quod deinde tempore ipso animatur, corporaturque. Hæc ille.

Beda. Beda Cardinalis, generatio nostra ex sanguinibus, id est, ex semine maris & fœminæ, à complexu coniugij, duxit originem, &c.

D. Thomas. Et D. Thom. Siue semen viri, siue menstruum mulieris, intelligitur per sanguinem, &c.

Addit Ioannes generationis carnalis efficientem causam, videlicet patrē carnalem: Neque sunt nati ex voluntate carnis, id est, ex volūtate principij carne constantis. Neque ex voluntate viri, idem principium carnalis generationis efficiens significatur ijs verbis: scilicet pater, qui vir dicitur propter sexū, dicitur etiam caro, quia hoc loco de carnali generatione sermo est, quę à carne proficiscitur. Matris nō meminit, quia minus præcipua causa est generationis, vel quia supra, cum de sanguinibus mēstruis locutus est, illā indicauit. Proponit enim Ioannes generationis materiam, sanguinē menstruū, & principium efficiens scilicet virum. Numero plurali, nō ex sanguinibus, vsus est interpres, quod græce eodē vsus fuerit Euāgelista. Iuxta Augustini tamen interpretationem matris quoque hic mentio fit, illis verbis: Ex volūtate carnis, id est, fęminæ. similis est expositio D. Thomæ & Ruperti.

D. Thomas. Rupertus.

Neque verò mihi illa explanatio probatur admodum, quia dicitur Ioannes significasse filios illegitimos illis verbis: *Ex voluntate carnis*; ex legitimo verò thoro natos sequentibus: *Ex voluntate viri*, quasi velit dicere, filij Dei sunt orti, non ex sanguinibus, neque ex damnato, neque ex concesso thoro. Nā tam legitimi, quā nothi, ex voluntate nascūtur, & vtrique nascuntur ex viris, & ex carne, neque est vlla ratio, cur nobis persuadeamus, Ioannē carnem pro libidine vsurpasse, cum nihil opus esset hac filiorū distinctione.

Lectio vera est, & sequēda, quam exposuimus, & cum græca lectione cōsentit Athanasius l. 2. de vnita deitate Trinitatis, & Tertullian. in lib. de carne Christi, ad Christū hęc verba sic retulerunt: Qui nō ex sanguinibus, neque ex volūtate carnis, neq; ex voluntate viri, sed ex Deo natus est. vereq; Christo congruunt, secundum diuinā generationem, vt exploratū est, secundum humanam cōuenient, si nomine sanguinū intelligas semē viri, vt Tertullianus intellexit, nam non ex voluntate viri, sed ex Spiritu sancto est conceptus: non ex sanguinibus, vel sanguine, id est, semine viri, ex sanguinibus tamen purissimis virginis efformatū corpus est: Non renuit substantiam carnis (ait Tertullianus) quia ex sanguine negauit (scilicet Ioannes Christum natū) sed materiam seminis, scilicet negauit Ioannes, quam constat sanguinis esse calorē, &c. An patres legis naturalis & scriptæ filij Dei fuerint, libro primo iam explicauimus cap. 7.

D. Athan. Tertullian.

CAPVT XI.

Et Verbum caro factum est, explicatur.

VERBI abbreuiati admirābilem abbreuiationem, breuiter, paucis his, sed admirabilibus verbis Ioannes complectitur: *Verbum caro factum est.* Verbum abbreuiatum fecit Deus, verbum quoque abbreuiatum Ioānes facit. Verbum illud, quod erat in principio apud Deum, quod erat Deus, lux hominum, & vita, & per quod omnia facta sunt, carnē esse factum, in summam raptus admirationem scribit. Quis enim stupendam verbi diuini cum carne animaque humana copulationem non admiretur? quis non obstupesceret, si cœlum cerneret in terrā delabi, & cum terra conglutinari? Multo celsius cœlo est diuinum Verbum, quod in terras descēdit, & cum terrena natura semetipsum copulauit. Quis igitur hoc considerans non obstupescat? Cum summa admiratione obstupescimus (ait Origenes lib. 2. Periarchon, ca. 6.) quod eminens omniū filius Dei, exinaniēs se de statu maiestatis suæ, homo factus sit, & inter homines conuersatus, &c. Mirabilis fuit illa orbis initio, animę spiritalis, cum corpore ex limo terrę efformato, coniunctio, per quam primus Adam factus est in animam vuentem, sed longissimo post hanc relinquitur interuallo, per quam *nouissimus Adam*, vt Paulus ait, *factus est in spiritum viuificantem.* Illa spiritum carnis viuificatorem cū carne, creaturam cum creatura, formam cum materia cōsociauit: hæc Deum carnis conditorem cum carne, creatorem mundi cum anima creata, rerum omnium principem ac moderatorem, cum humana natura, in sempiternum vna in persona copulauit.

Mirabilis verbi cum natura humana copulatio.

Origenes.

Factus est primus Adam à Deo in animam viuẽtem, sed per peccatum factus est in animã interficientem, interfecit enim & se, & nos omnes, quos sempiterna vita, gratiaq; priuatos iræ filios genuit. Viuificatore opus fuit, ideoq; nouissimus Adam factus est in spiritum viuificantem, vt à primo Adamo occisos in vitam reuocaret, reuocatosq; ex filiis iræ, filios Dei faceret. Quamobrem Chrysost. hæc verba, *Verbum caro factum est*, cum antecedente illa sententia coniungit: *Dedit eis potestatem filios Dei fieri*; reddíque à Ioanne causam, cur Dei filij facti sint homines, ipsam verbi incarnationem, arbitratur. Cum dixisset Ioannes (ait Chrysostom.) filios Dei factos, qui Christũ receperunt, tanti honoris causam adiecit, quod Verbum caro factum est. Factus est filius Dei filius hominis, vt filios hominum filios Dei faceret. Chrysostomum sequitur Theophyl. Euangelista (ait Theophyl.) subinfert causam tanti boni, dicit enim, vis discere quid conciliauit nobis hanc adoptionem in filios? quia Verbum caro factum est. Similem connexionem obseruauit Augustinus tract. 2. his verbis. Cum dixisset Ioannes, *ex Deo nati sunt*, quasi ne miraremur, & exhorreremus tantam gratiam, & nobis incredibile videretur, quia homines ex Deo nati sunt, quasi securum te faciẽs ait, *Et verbum caro factum est*. Quid ergo miraris, quia homines ex Deo nascuntur? Attende ipsum Deum natum ex hominibus. & lib. 2. de consensu Euangelistarum, cap. 3. Vt apertius Ioannes ostẽderet, qua gratia nati sint homines ex Deo: *Et verbum* (inquit) *caro factum est*, tanquam si diceret, quid mirum, si filij Dei facti sunt, cum caro essent, propter quos vnicus caro factus est, cum verbum esset? idem docet li. 13. de Trinit. c. 9. & lib. 2. de peccatorũ meritis & remissione, cap. 24. in Epistola item 120. ad Honoratũ, cap. 4. his verbis Ioannem exponit: Quasi diceret, ô homines nolite desperare vos fieri posse filios Dei, quia & ipse filius Dei, hoc est, Verbum Dei, caro factum est. neq; enim iam desperandũ est, participatione verbi fieri posse homines filios Dei, quãdo filius Dei participatione carnis factus est filius hominis. Hęc Augustinus.

D. Chrys. Theophyl.

Filius Dei factus est homo, vt homines faceret filium Dei.

D. Augustin.

Possunt etiam hæc verba connecti cum illis superioribus: *In propria venit, & sui eum non receperunt*. Explicat enim Ioannes, quoniam in propria verbum venerit, videlicet, quia caro factum est. Prętera cũ verbum incarnatum Deus sit, & homo, de diuinitate verò ipsius Ioannes hactenus egerit, de humanitate iam verba facit. *Et verbum* (inquit) *caro factum est*. Particula, &, copulans, hæc admiranda verba cum initio Euangelij copulare, & summum admirationẽ indicare mihi videtur, quasi dicat Ioãnes: Et verbũ illud, quod erat in principio apud Deum secũda sacrosanctæ Trinitatis persona, vita, & lux hominũ, quod iam ab initio in mundo erat, quod mundum à se conditum diuinitate complebat, ô rem stupendam, caro factum est.

Caro hoc in loco totum hominem significat, per synecdochen enim notissimam figuram pars pro toto vsurpatur. Isai: *Videbit omnis caro salutare Dei*, id est, omnis homo, Psalm. *Non timebo quid faciat mihi caro*, Psalm. *Ad te omnis caro veniet*, Psalm. *Benedicat omnis caro nomini sancto eius*. eadem figura anima totum significat hominem, cum sit pars eius, Gen. dicuntur cum Iacob ingressę Ægyptum 70. animæ, Act. Erãt in naui, qua Paulus vehebatur, 276. animæ: *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit*. significat ergo Euangelista Verbum factum esse hominem, nec solam carnem, aut solam animam, sed vtramque, omnibusque partibus absolutam humanitatem assumpsisse.

Isai. 40. Psalm. 55. Psal. 64. Psal. 144. Genes. 46. Act. 27. Rom. 13.

Cur, inquies, carnem dixit potius, quam hominẽ? Respondemus, vt illam, quam Paulus vocat, verbi exinanitionem, & humilitatem, à parte hominis ignobiliore, & à diuinitate remotiore, significet. Sic arbitratur Augustin. Epist. 130. ad Honoratum More, inquit, suo scriptura, vt Christi humilitatem magis ostenderet, ne carnis nomen quasi indignũ aliquid refugisse videretur, carnem pro homine posuit. Theophylact. quoque ita scribit, fortasse quia caro à diuina natura alienior est, volens Euangelista significare immensam Dei misericordiam, carnis meminit, vt ineffabilem eius benignitatem obstupescamus, quod propter nostram salutem alienum à natura sua, & omnibus modis peregrinũ (carnẽ dico) assumpserit. Anima enim cognationem quandã habet cũ Deo, caro autem nullo modo cõmunicat, & idcirco opinor Euangelistam hoc nomine vsum, non quod per omnia sit expers assumptionis, sed ad maiorẽ ostentationem mirandi & stupẽdi sacramẽti. Hactenus ille. & Naziãzenus Gregorius in Epist. 1. ad Cledonium: Accedit, inquit, quod non aliter Dei erga nos amor declarari poterat, quàm ex carnis commemoratione, & quod nostra causa etiã ad deteriorem partem sese deiecit.

Cur Ioannes vsus fuerit nomine carnis.

D. Augustin.

Theophyl.

Nazianz. Gregor.

Aliam rationẽ reddit Cyrill. his verbis: Hac maximè de causa scriptum esse ab Euangelista arbitror: *Et Verbum caro factum est*, quod ex parte maxime corrupta, (scilicet carne) & vnione verbi viuificata, totius reparationem significare voluerit; sic quod corruptum est, & corruptionis expulsor, sic quod mors superauit, & qui mortem vicit, quasi oculis cernitur, &c. Carnis fecit mentionem Ioannes (ait etiam D. Thomas) vt ostenderet, quod caro hominis infirma per carnem verbi reparata est. Nam hominis caro per peccatum maximè corrupta, cõcupiscentiæ morbo periculosissimo infecta mortiq; obnoxia erat. assumpsit ergo verbum absque vlla concupiscentię labe carnem, vt hominis carnem concupiscentia, peccatoque deprauatam repararet, & mortis acerbissima seruitute subiectam liberaret.

D. Cyrill. li. 1 in Ioan. cap. 5.

D. Thom.

Tertia ratio huiusmodi esse potest, vsus est Euangelista nomine carnis, quia eam hominis partẽ nominare voluit, quæ sub sensum cadit, & hominibus notior est, vnde illud Pauli: *Quod manifestatum est in carne*. Addamus & alias, quę menti occurrũt: Quarta, ostenditur nomine carnis, Verbum totã humanam naturã assumpsisse, nõ solùm animã, quę præstantior est, sed carnẽ etiã animam inferiorẽ. Quinta, significatur Christũ, hominum esse consanguineũ, & fratrem secundũ carnẽ, etenim consanguinitas à carne est, vnde cõsanguinei à sanguine habẽt nomẽ. Sexta, Christi passio vocabulo carnis innuitur, in terras verbũ ea de causa venit, vt pro hominibus crudeles cruciatus, probrosamque subiret mortem, rectè idcirco Ioannes carnis meminit, per quã cruciatibus & morti sese subiecit.

1. Tim. 3.

Admirandum hoc, perpetuaque gratiarũ actione decantandum beneficium tartareę furiæ, hoc est, hęretici, olim oppugnarunt, at veluti contra stimulum calcitrantes, acutissimo tanti mysterij acumine sese cruentarunt. longum esset hęreses persequi, lõgius refutare, quas (vt cum Ambrosio loquar, in lib. de Incarnationis mysterio cap. 6.) inferna vomuerunt. Non est hoc operis suscepti, sino eas cum suis apud inferos autoribus iam iacẽre, neque cõmouebo nunc, ne putidum odorem exhalent. Quomodo autem verbum caro factum sit, multis egregijsque disputationibus Theologi docent scholastici, quas quia ad hunc locum non spectant, libens omitto.

Illud vnum aduertam, hoc loquendi modo non significari Verbum conuersum esse in carnem, sed vtraque natura tam diuina, quam humana, in eodẽ suppositо perfectissima permanente, humanitatẽ assum-

assumpsisse. Etenim vt exploratissimũ omnibus est, Verbum cõuerti in carnem, aut mutari, nulla ratione potest. Quemadmodum cùm dicimus, hominẽ factum esse pontificem, non significamus naturam hominis cõuersam esse in Pontificem, sed hominẽ natura humana inuariata, in hanc dignitatem ascẽdisse. Ita cùm Euãgelista dixit, Verbum caro factum est, nõ significauit naturam verbi conuersam esse in carnem, sed Verbum natura diuina immutata, carnem sibi substantialiter cõiunxisse. Lege Ambrosij librum de incarnationis dominicæ Mysterio.

Et habitauit in nobis.

GRæce σκηνώσεν ἐν ἡμῖν, hoc est, tabernaculum posuit in nobis, vel habitauit: Cardinalis Caietanus sic interpretatur: Habitauit in nobis per gratiã. Melius Græci, Chrysostomus, Euthymius, Theophylactus, Cyrillus: Habitauit in nobis, hoc est, in nostra natura humana, vel in nostra carne, iuxta illud Pauli: *In ipso complacuit omnem plenitudinem diuinitatis inhabitare*, & *in ipso inhabitat omnis plenitudo diuinitatis.* natura enim humana veluti tabernaculum fuit, & templum plusquam Salomonicum, Verbi. Multum tamen differt à tabernaculo, eo quod verbi diuini, & naturæ humanæ, eadem est hypostasis, siue persona, tabernaculum verò ab illo, qui in tabernaculo habitat, valde disiunctum est. Duces, milites, pastores in tabernaculis habitare solent, sic verbum Diuinum dux noster, & pastor, vt bellum cum dæmone gereret, ouesque suas pasceret, in tabernaculo humanæ naturę habitare voluit. Quod si quis apponat: Duces & pastores tabernacula deserere, naturã autẽ humanam nunquam à verbo relinquendam, atque ideo non esse similẽ tabernaculo. Respondebimus, in similitudinibus nõ esse omnia ad vnguem exploranda. Christus corpus suũ templum appellauit: *Soluite* (inquit) *templum hoc*, &c. Quid igitur? malè ne appellauit, quia à templo tãdem discedit homo, à corpore vero nunquam ne in morte quidem discessit, & nunquam discedet, verbum?

Nõ displicet hic sensus, placet magis alius Bedæ; *Habitauit in nobis*, hoc est, inter nos homines cõuersatus est. Eodem modo D. Tho *Habitauit in nobis*, id est, inter nos Apostolos, quasi dicat Euangelista, non elegit Dominus solitariam, & ab oculis hominum remotam vitam, vt Ioannes Baptista, sed inter homines habitauit, & vt ait Baruch: *In terris visus est, & cum hominibus conuersatus est.*

D. Chrys. D. Cyrill.

Coloss. 1. Coloss. 2.

Ioan. 2.

Beda.

Baruc. 3.

CAPVT XII.

Et vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti à Patre.

DIxerat Verbum fuisse incarnatum, & inter homines & Apostolos habitasse, ideoque oculatos testes, seipsum, cæterosq; Apostolos, eius gloriæ profert *Vidimus*, ait, *gloriam eius*, hoc est, vidimus filiũ Dei incarnatum, inter nos habitãtem, vidimus eius gloriam, & maiestatem, qualem filij Dei dignitas postulabat, quæque verbum Dei incarnatũ esse probabat. Similis est illa eiusdem Euangelistæ testificatio: *Quod fuit ab initio, quod audiuimus, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus & manus nostræ contrectauerunt, de verbo vitæ (& vita manifestata est) & vidimus, & testamur*, &c.

1. Ioannis 1.

Quam gloriam, dices, viderunt Apostoli? num diuinam verbi essentiam cõspexerunt? Respõdemus, nomen gloriæ non significare hoc loco Dei cõspectum illum, qui homine Angelosque beat, sed miraculorum splendorem, montis Thabor admirabilem transfigurationem, resurrectionis claritatem, ascensionisque maiestatem. eodem sumitur modo hoc nomen, cum dicitur Christus ostendisse discipulis gloriam suam illo miraculo, quo aquam in vinum optimum conuertit. Si vno in miraculo, gloriam magistri viderunt discipuli, de innumeris, quæ postea viderunt miraculis, de transfigurationis, resurrectionis, & ascensionis gloria, quid dicendum erit? si splendorem vultus Moysis, Paulus gloriam vocat, cur non appellet Ioannes gloriam Christi, tot admirabilium operum, ipsamque transfigurationis, resurrectionis, & ascensionis claritatem, cũ qua si splendor vultus Mosaici conferatur, caligo est? laternam, nubemque vocat Bernardus, sermone primo de aduentu, Christi corpus, his verbis: Induit se Saluator laterna quadã, illo vtique glorioso corpore, quod suscepit, hæc est enim leuissima & præfulgida nubes, supra quam ascensurum eum Isaias prędixit, vt descenderet in Ægyptum. Quemadmodum ergo lucerna in laterna latens, ex luce, quam emittit foras, sol quoque in nube abditus ex radijs quibus nubem illustrat agnoscitur, sic verbũ carne tectum, & in illa latens, ex luce miraculorũ, radiisque summæ gloriæ agnoscebatur. Vnde D. Maximus Homilia prima de Epiphania: Per hæc (inquit) miracula Christus oculis se voluit reuelare mortalium, quatenus inuisibilis eius diuinitas, quę latebat in homine, in opere non lateret, &c.

2. Cor. 3.

D. Bernard.

Isaiæ 19.

Verbum per opera se indicabat.

D. Maximus.

Quemadmodum Moyses vultus splendorẽ, quem Paulus gloriam vocauit, velo texit, vt cum Israëlitis loqueretur, ita verbum immẽsam illam naturæ suæ gloriã, humanitatis velamine operuit, vt inter homines habitaret. Nã si Moysi opus fuit velamẽto, (ait Chrysostomus homilia 11. in Ioannem) quod eius gloriæ magnitudinẽ obũbraret, vt Iudæis spectabilem se redderet, quo nam pacto nos ex luto & terra facti diuinitatem ferre possemus? At non sic velo se verbum operuit, vt nihil lucis fulgeret, quin potius sic humilitatis opera cũ operibus maiestatis permiscuit, vt in humilitate maiestas ipsa emicaret. Hinc illud Hieronymi ad Ephesios capit. 3. Respicis cunas Christi? vide pariter cęlum, vagiẽtem in pręsepio intueris infantẽ? sed Angelos simul ausculta laudantes: Herodes persequitur, sed adorant Magi, ignorant Pharisęi, sed stella demonstrat, baptizatur à seruo, sed vox desuper Dei intonãtis auditur, aquis mergitur, sed columba descendit. Hæc ille.

D. Chrysost.

D. Hieron.

Gloriam autem quasi vnigeniti dixit Ioannes, nõ similitudine vtens, sed confirmãs, significare namque voluit vidisse se gloriã, quæ vnigenito & naturali Dei filio congrueret. Quod si cui dubium injiciat particula, quasi dubium illi eximet Chrysostomus, qui huiusmodi particulam docet nõ esse similitudinis notã, sed cõfirmationis. Sicut cũ de Rege dicimus, incedit quasi Rex, sensus est, incedit põpa, & maiestate regia, vt incedere solent reges. sic hoc loco: *Vidimus gloriam quasi vnigeniti à Patre*, id est, gloriam dignam vnigenito Dei Patris, vidimus splendorem quasi Solis, hoc est, non alicuius lucernę, aut astri, sed talem ac tantum, qualem ac quantum Sol habet.

Particula, quasi non dicit similitudinem hoc loco.

Plenum gratiæ & veritatis.

EX Græcis codicibus constat, Plenum, esse casus non quarti, vt videtur, sed primi, quocirca Caietanus refert hæc verba ad nomen Ioannis, quod sequitur, hoc sensu: Plenus gratiæ, & veritatis Ioannes testimonium perhibet de ipso; hæc vero lectio nec cũ nostra versione, nec cũ Patrib. cõsentit: Referenda sunt verba ad superiora hoc pacto: *Verbum caro factũ est, & habitauit in nobis, plenũ gratiæ & veritatis.*

Caietanus.

Quæ dicatur gloria Christi.

Cætera, quæ interiacent (*vidimus gloriam eius, gloriam quasi Vnigeniti à Patre*) per parenthesim dicta sunt. Potest etiam subintelligi hebræo more Verbū, est, hoc modo: Plenum erat Verbum gratiæ, & veritatis.

Christus plenus gratia & sapientia.

Est autem Verbū gratia, veritateque plenissimū, secundùm naturam vtramque. Quod spectat ad diuinam, plenissimum est gratia, quia est Patri gratissimū atque charissimum, plenum est veritate, quia sapientiam habet infinitam. nam veritas sapientiā significat, quę in veritate cognoscenda versatur. Quod attinet ad humanam, plenissimum est gratia, quia omni gratiarum genere cumulatum: plenissimum est veritate, quia summa sapientia, & verissima rerum omnium cognitione decoratum. Nostra scientia mille falsitatibus permixta est, at scientiæ Christi etiam humanæ, nulla inesse falsitas poterat, ideoque iure veritas appellatur.

D. Thom.

Triplicem verò esse plenitudinē docet D. Thomas lectione 10. in Ioanneni. Prima sufficientię vocatur, qua sufficiens aliquis est ad actus meritorios & excellentes præstandos, hęc in Stephano fuit, qui Act. 6. plenus dicitur gratia, & fortitudine, & in alijs sanctis viris. Secunda redundantiæ appellatur, ea in Deipara Virgine reperitur, ex qua gratia in nos omnes per filium, quem peperit, redundauit. Tertia non redundantiæ solum est, & effluentiæ, sed etiam efficientię, Christo opt. Max. propria, ac peculiaris, qui gratię totius fons est, atque auctor. Bonauent. 3. sent. lib. di. 13. quęst. 3. plenitudinem gratiæ sanctorum, plenitudinem sufficientiæ, plenitudinem Deiparæ Virginis, plenitudinem prærogatiuæ, plenitudinem vero Christi, plenitudinem vocat superabūdantiæ. Plenum dicitur aqua mare, pleni dicuntur fluuij, plena vasa, omnia hæc plenitudinem habere dicuntur, sed impariter, quia sunt imparia. Eundem in modū plenus gratia dicitur Christus, pleni dicūtur viri sancti, plena Virgo intemerata, Christus plenus est, vt mare Oceanum, virgo vt ingens fluuius, sancti viri vt vasa, maiora quædam, alia minora. omnis tamen aqua, id est, omnis gratia ex abundantissimo gratiæ totius Oceano Christo effluit.

Plenitudo triplex.

Christi gratia, omnem creaturarum omnium gratiam in vnū acerum redactam superat.

Si verò scire velis quanta gratia sit, quæ Christi animam compleuit, respondeo, non esse infinitam, quoniā nulla res creata infinita esse potest. Si tamē omnium creaturarum gratiā mēte coacerues, eamque cū gratia Christi conferas, asserendum est, hac omnē, tam Angelorum, quàm hominū gratiam, in vnum redactum aceruum superare. Quemadmodum primogeniti Regis filij opes, cæterorū omniū filiorū bona, in vnum aceruū congregata superat, sic Vnigeniti ac primogeniti filij Dei gratia cæterorum omniū filiorum, quos adoptat gratiam in vnā congeriem coniunctā excellit. Nónne paulo ante diximus Christum gratię esse Oceanum? Sicut ergo Oceani aqua omnium tam fluuiorum, qua fontium aquas, etsi vnum in locum omnes confluant, copia vincit, ita nostri Oceani, id est, Christi gratia, omniū Angelorum, hominumque gratias, etsi ex omnibus vna fiat, abundantia excedit. Sol Christus est, *qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*. Quemadmodum igitur si Deus lucernarum, astrorum, igniumque omnium splendores, vni tantummodo corpori tribueret, vnus ille ex omnibus conflatus splendor, Solis splendori non esset par, ita si gratiā, quæ per omnes homines, omnesque Angelos dispersa est, vni solummodo, vel Angelo, vel homini, largiretur; vna illa ex omnibus conglobata gratia, Christi gratiam non adæquaret. Vnde Dionysius Carthusianus hoc loco: Quemadmodum (inquit) humanitas Christi incōparabiliter præ cęteris omnibus vicinius vnita est Verbo, sic gratia eius omnium electorum gratiā incomparabiliter pene, non tamen simpliciter infinitè excedit, &c. Et Luc. 1. ad illa verba, *quod nascetur ex te sanctum*, &c. Christus ait, secundum naturā assumptam maioris est sanctitatis quā omnes pariter prædestinati. Et Abulensis Numerorum 23. quæst. 9. christi (inquit) charitas, quā sine mensura recepit, vt habetur Ioan. 1. præpōderat toti charitati Ecclesię simul sumptę, quia de eius plenitudine omnes accepimus, &c.

Dionys. Carthus.

Est in Christo gratia, quę gratificans dicitur, sunt & gratiæ, quę gratis datæ appellantur. Præterea est in illo summa gratia, quæ vnionis nominatur, de qua Augustin. lib. 13. de Trinit. cap. 19. In rebus (inquit) per tempus ortis, illa summa gratia est, quod homo in vnitate personę coniunctus est Deo. Vocatur autē gratia, quia gratis absque vllis meritis, natura illa humana, in vnitatē suppositi diuini assumpta est. quod idem Augustinus docet in Enchiridio c. 36. Quid (inquit) natura humana in homine Christo meruit, vt in vnitatē personæ vnici filij Dei singulariter esset assumpta? quæ bona voluntas? cuius boni propositi studium, quæ bona opera præcesserunt, quibus mereretur iste homo, vt vna fieret persona cum Deo? Nunquid antea fuit homo, & hoc ei singulare beneficium præstitum est, vt singulariter promereretur Deum? nempe ex quo homo esse cœpit, non aliud cępit esse homo, quàm Dei filius. Vnde naturæ humanę tanta gloria, nullis præcedentibus meritis, sine dubitatione, gratuita, nisi quia magna hic & sola Dei gratia fideliter considerantibus euidenter ostenditur, &c. Et 10. lib. de Ciuitate Dei, c. 29. Gratia Dei (inquit) nō potuit gratius communicari, quā vt ipse vnicus Dei filius indueret hominem, &c. Eodem capite, incarnationem summum gratię exēplum fuisse asserit. De hac gratia vnionis interpretatur venerabilis Beda locum hunc in hac sententiam: Plena gratiæ vnionis, similē in modum explanat auctor homil. 2. in diuersos inter opera Origenis, de gratia quoq; sanctificāte exponit. Plenum (inquit) gratię, de plenitudine Deificationis, & sanctificationis, secūdùm humanitatem cognosce, &c. D. Thom. Fuit plenus Christus gratia, in quantum accepit à Deo, quod esset ipse Deus, &c.

Gratia vnionis, gratis data humanitati Christi. D. August.

Beda.

D. Thom.

Veritas sumitur à nōnullis pro ea, quę figuris opponitur, & vmbris. Itaque D. Thom. plenum veritatis, interpretatur, quia figuras, & vmbras legis veteris, & promissiones factas Patrib. impleuit. & Theophylact. Plenum, ait, erat veritatis, secundùm quod ea, quę Prophetæ, & Moyses, vel faciebant, vel dicebant, figurę erant per omnia, at quæ Christus faciebat, dicebatq;, plena erāt veritate, cùm esset ipsamet gratia, & veritas, &c. Lyranus quoq;: Fuit in Christo plenitudo veritatis, in quātum impleuit omnes figuras, & promissiones legis Mosaicę. Sumitur item veritas pro veritate, quę seruatur in promissis præstandis, ita interpretatur D. Thom. & Lyranus, vt cōstat ex verbis eorū citatis, plenum veritatis, qua scilicet Deus promissa Patribus præstitit. Et Carthusian. Dicitur, ait, Christus plenus veritate, quia impleuit, & verificauit ea, quę scripta erāt de ipso. Beda veritatē putat significare ipsam diuinitatē, atque ita explanat: Plenū veritatis, hoc est diuinitatis, & D. Thom. hoc pacto: Fuit plenus veritatis, quia humana natura in Christo peruenit ad ipsam veritatē diuinam, scilicet quod ipse homo esset ipsa veritas diuina, &c. Hic vltimus sensus mihi non facit satis, cæteri non displicent.

Theophyl.

Lyranus.

Beda.

D. Thom.

Nec etiam displicet Theophylacti Cōmentarius, qui Christum propterea dici plenū gratia arbitratur, quod plurimū haberet in dicēdo gratiæ, iuxta illud: *Diffusa est gratia in labijs tuis*, gratia plenus erat Christus (ait Theophyl.) secundū quod sermo eius erat gratiosus. Et D. Thom. Dicitur Christus plenus gra-

Psal. 44. Theophyl. D. Thom.

nus gratia, quia eius doctrina & conuersatio gratio- A
siſſima fuit, &c. Duo sunt, quæ hominis verbũ maximè ornant, veritas in primis, & sapiẽtia, deinde gratia, ac lepor, eadem Dei verbum maximè decorarũt, plenum enim erat gratia, leporeque cœlesti; plenũ veritate, atque sapientia, ita vt in admirationẽ auditores raperet. *Mirabantur*, ait D. Luc. *in verbis gratiæ, quæ procedebant de ore ipsius.* Et Ioan. Miserunt principes & Pharisæi ministros, vt eum comprehenderent, at illi verbis omni melle plenis comprehensi, & in admirationem rapti, ad Pharisæos redierunt, cumque rogarentur, cur imperata non feciſſent, respondérent: *Nunquam sic locutus est homo, sicut hic homo.* Nunquã orbis talem vidit concionatorem, tanta plenũ gratia atque veritate; ideoq; omnis populus ad audien- B
dum summo mane in templum confluebat, quod D. Luc. testatur his verbis: *Omnis populus manicabat ad eum in templo audire eum.* manicabat, id est, mane ibat. Euthymius gratiam refert ad opera, veritatem ad verba: plenum gratiæ Christum fuisse dicit, ad facienda opera admirabilia, plenum veritate, ad docendum: *Plenus* (inquit) *erat gratia*, in admirãdis operibus, *veritate*, in doctrina. addit, propterea plenũ dici Christum veritate, quod verus esset homo, verã solidamque naturam humanam habens. *Plenus* (ait) *erat gratia*, quia cuncta poterat, *veritate*, quia nihil in eo phantasticum erat, &c. De veritate, & gratia iterum dicemus in explanatione illorũ verborum: *lex per Moysem data est, gratia, & veritas per Iesum Christum facta est.* C

Luc. 4. Ioan. 7. Luc. 21. Euthym.

CAPVT XIII.

Morale.

OMNIA per Verbum facta sunt, vt Euangelista testatur, & inter omnia, terrarum princeps, ac rector homo. Per Verbum factus, per serpentem euersus, ab eo opus fuit, vt reficeretur, à quo est factus. à Verbo est factus, à Verbo refectus, vt reficeretur per Verbum factus homo, ipsum Verbum factum est homo. *Manus tuæ Domine* (ait Iob) *fecerunt me, & plasmauerunt me totum in circuitu.* Manus Dei fecerũt hominem, manus Dei eundem refecerunt. Vnde D. Ioannes Damascenus Oratione prima, de natiuitate: Tantus (inquit) Domine, in me tuus amor fuit, vt non per Angelos, aut vllam aliam creaturã salutis meæ negotium obieris, verùm vt primam fictionem, sic etiam instaurationem, ipsemet efficiendam duxeris, &c. Isai. ex versione Septuaginta interpretum: *Non legatus, neque Angelus, sed ipse Dominus saluauit eos.* Et: *Ipse redimet Israel ex omnibus iniquitatibus eius.* D. Athanasius in illa verba: omnia mihi tradita sunt à Patre meo. Dedit (inquit) omnia in manus eius Pater, vt quemadmodũ per eum facta sunt, E
ita in eo omnia refici possent, &c. Item, eodẽ loco, Deus nolens perire hominem, in hęc verba locutus est, quem mittam? omnibus tacentibus locutus est filius, ecce ego, mitte me, respõdit Pater, vade ergo; tum dedit illi hominem, vt ipsum Verbũ caro fieret, carnemq; assumptam in omnibus instauraret. Tradita enim sunt illi, vt medico, qui sanaret morsum serpentis, & vt vitæ, quæ excitaret mortui, & vt luci, vt illuminaret tenebras, & vt λόγῳ, id est, rationi, quo redintegraret vim rationalem. Postquam ergo illi tradita sunt omnia, & factus est homo, correcta sunt omnia. Hæc Athanasius.

Homo per Verbum factus est, & refectus. Iob 10. D. Damasc. Isaia 63. Psal. 129. D. Athan.

In ipso vita erat, ait Ioannes, ad ipsum ergo attinebat mortuum hominem vitæ restituere. *Retro rediit Sol* (ait Ecclesiastic.) *& addidit Regi vitam*, addidit Isaias,

Verbum vita, vitæ restituit homi.

de quo sermo erat. potest tamen sensu mystico cum sole coniungi. Iacebat grauissimo oppressus morbo Rex ille, cui Deus terrarum imperium tradiderat, id est, homo, mittitur ad eum medicus ipsum Dei Verbum, retro quodam modo redijt lux hominũ, cum Verbum caro factum est, cum (vt Paulus ait) *seipsum exinaniuit formam serui accipiens*, & addidit, imo dedit, quam non habebat, regi homini vitam, tum gratiæ, tum gloriæ sempiternam. Lege Isaiam & 4. Reg. 20. *Decem gradibus retrogressus est Sol*, illo Ezechię tempore, vt sacra eloquia memoriæ tradiderunt; noster quoque Sol per nouem Angelorum Choros, veluti per gradus nouem, retrorsum ad decimum vsque gradum, id est, humanam naturã venit. Tam ardentem Solem, tam frigidus flagitabat morbus. Si frigido serpentis veneno perit homo, tanti amoris radijs incensus reuiuiscat.

nem, per incarnationẽ. Eccles. 48. Isai. 38.

Misit Eliseus famulum cum baculo, vt mortuum puerum in vitam reduceret, sed reducere nequiuit. Accessit ipse ad puerum Propheta, id effecit, quod facere nequiuerat famulus. Multos diuinum Verbum miserat in orbem famulos, Abrahamum, Isaacum, Iacobum, Dauidem, Moysem cum baculo, id est, virga, cæterosq; Prophetas, at nullus homini mortuo vitã valuit afferre. Descendit noster ardentissimus Sol, descendit noster Eliseus amore flagrans, suis inflammatũ radijs hominem in vitam reuocauit. Expende, quæso, quæ fecerit Eliseus, cùm vitam puero restituit: *Incubuit* (vt est in sacris literis) *super puerum, posuitq; os suum super os eius, & oculos suos super oculos eius, & manus suas super manus eius, & incuruauit se, & calefacta est caro pueri*, &c. Eundem in modũ diuinum Verbum incuruauit se, id est, humiliauit, & exinaniuit, nec solum super hominem mortuũ incubuit, sed naturã hominis, manus, os, animam, corpusque assumpsit. *calefacta est caro pueri*, multo maiori calore calefacta est anima hominis, diuinoque inflammata ardore reuixit; in hanc sententiam hoc Elisei factum interpretatur Augustinus ser. 206. de tempore. Puer, inquit, Elisei, id est, famulus, typum habuit Moysi; misit enim Moysem Deus cum baculo in Ægyptum, sed baculus sine Christo flagellare Ægyptũ potuit, de peccato verò liberare, vel resuscitare nõ potuit, opus erat, vt qui baculum miserat, ipse descenderet, baculus sine Eliseo nihil valebat, quia crux sine Christo nihil poterat: Inclinauit se Eliseus, vt puerum resuscitaret; humiliauit se Christus, vt mundũ in peccatis iacentem erigeret. Videte quantũ se vir ille perfectę ętatis contraxit, vt paruulo mortuo & iacenti congrueret, quia paruuli eramus, paruulũ se fecit Christus, quia mortui iacebamus, prius se medicus inclinauit. Quia nemo potest iacentem erigere, si se noluerit inclinare. Hæc Augustinus.

4. Reg. 4. D. Augst.

Lectus, in quo iacebat ægrotus, siue mortuus homo, humi erat stratus, ipsa videlicet caro: Verbum, quod afferre medicinam, vitamque poterat, apud Patrem celsissimũ erat. vt igitur mederetur celsissimum abiectissimo, demisit se, & caro factum, ad lectũ vsque ægroti in terra iacentis accessit. Augustinus ser. 59. de verbis Domini: Ad sanandum grãdem ægrotum descendit omnipotens medicus, humiliauit se vsque ad mortalem carnem, tãquam vsque ad lectum ęgrotantis, &c. Bernardus ser. 1. de aduentu; Iacentes paralytici in grabato, diuinam nõ poteramus attingere celsitudinem, propterea saluator, & medicus animarum, descendit ab altitudine sua.

D. Augst. D. Bernar.

Prętera *Verbum erat lux hominum*, ait Ioannes: ad Verbum ergo spectabat luce cæcos illustrare homines, idcirco *Verbum caro factum est*. Dęmon excęcauit, Verbum illuminauit. Ideo venit Christus illuminator (ait Augustinus in l. 50 homiliarũ hom. 43.) quia Diabolus fuerat excæcator. Fecit summus

Verbum lux, luce caruit hominibus per incarnationem.

medicus infiniti collyrium pretij, vt excæcatos ſanaret oculos. vide quale quamque ſalutiferum fecerit collyrium ex verbo & carne : Verbum (inquit) caro factum eſt. Caro te cęcauerat (ait idem Auguſt. tract. 2. in Ioānem) caro te ſanat, carnalis enim anima facta erat, conſentiendo affectibus carnalibus, inde fuerat oculus cordis cęcatus. Verbum caro factum eſt, medicus tibi fecit collyrium. Admirabile compoſuit ſummus medicus collyriū, quod oculis cæci impoſuit, ex puluere nimirum, & ſaliua. Similē in modum ex Verbo, & carne, collyrium fecit, quo oculos hominis refecit. Auguſtin. in lib. 50. hom. homilia 43. Saliua (inquit) quaſi Verbum eſt, terra caro eſt, &c. Refecti autem hominis oculi ita ſunt, itaque illuminati, vt Angelorū exequare poſſint oculos, Deique ipſius cœleſtem gloriam tueri. *Verbum caro factum eſt* (ait Ioann.) *& vidimus gloriam eius, gloriam quaſi Vnigeniti*, quæ verba ſenſu myſtico de gloria, quam beatis oculis Verbum in cœlo oſtēdit, intelligi poſſunt, quo pacto intellexit Auguſtin. tract. 2. Factum (inquit) eſt in te, vt quoniam Verbū caro factum eſt, tu poſſis dicere, & vidimus gloriam eius, &c.

D. Auguſt. *Ioan. 9.* *D. Auguſt.* *D. Auguſt.*

Verbum caro factum eſt, vt homines verbo & exemplo docerēt. *Ad Tit. 2.* *Ad Hebr. 1.* *Matth. 5.* *Iſai. 55.* *Iſai. 30.* *Matth. 23.* *D. Baſilius.*

Tertiò: *In principio erat Verbum*, Verbo autem rerum ignari docentur : Verbi ergo erat, homines rerum diuinarum rudes atque imperitos docere, quocirca *Verbum caro factum eſt*, vt nos tum verbo, tum exēplo erudiret. vnde illud Pauli : *Apparuit gratia Dei Saluatoris noſtri omnibus hominibus, erudiens nos*, & c. Et : *Nouiſſime diebus iſtis locutus eſt nobis in filio*, Matthæi : *Aperiens os ſuum docebat eos.* quamobrem magiſter noſter, & doctor, in diuinis literis appellatur: *Ecce teſtem populis dedi eum, ducem ac præceptorem gentibus*, & : *Erunt oculi tui videntes præceptorem tuum.* Matth. *Magiſter veſter vnus eſt Chriſtus.* Docuit homines in monte Sinai magno cū terrore, poſtea docuit in carne, magno cum amore. Deus in terra eſt (ait Baſilius in homil. de humana Chriſti generatione) non per ignē, tubam, & montē fumantem, vel per turbinē, & nubē, & tempeſtatē, animas auditorum legem ferēdo perterrēs, ſed proprio corpore cum hominibus cognatis pie conuerſans, ac differens, &c.

Verbum caro factum eſt, vt exemplar eſſet hominī, quod imitaretur. *D. Auguſt.* *D. Gregor.*

Docuit olim verbo Prophetarum, poſt prophetas ipſemet aduenies, non ſolum verbo, ſed etiam exemplo perdocuit. Etenim, vt ait Auguſtinus ſerm. 52. de diuerſis, Homo ſequendus non erat, qui videri poterat, Deus ſequendus erat, qui videri non poterat : vt ergo exhiberetur homini, & qui ab homine videretur, & quem homo ſequeretur, Deus factus eſt homo. Et Pſa. 33. Ne dedignaretur (inquit) homo imitari hominē humilem, Deus factus eſt humilis; vt vel ſic ſuperbia generis humani nō dedignaretur ſequi veſtigia Dei. D. Gregorius in ca. 33. Iob ad illa verba: *Si fuerit pro eo Angelus, &c.* Vitioſus homo corrigi non poterat, niſi per Deum, videri autem debuit, qui corrigebat, vt præbendo imitationis formā, anteactæ malitiæ mutaret vitam, &c. Et li. 29. Moral. c. 1. In natiuitate diuina Chriſtus ab humano genere cognoſci nō poterat, proinde in humanitate venit, vt videretur, videri voluit, vt imitaretur, &c.

Quartò. Ad imaginem Dei conditus eſt homo, rationiſque veluti ſceptrum à Deo accepit, quo cæteris animantibus & excelleret, & imperaret. At infelix, & imaginem deturpauit, & Regni inſignibus, id eſt, ratione, conculcatis, ad pecorū vitam, voluptatemq; ſe abiecit. Quod præclare dixit Euthymius in Commentarijs Pſalmi 48. his verbis: Homo illud negligens ęmulari exemplar, ad cuius imaginē factus erat, comparatus eſt iumentis. Nam cum ratione à Deo donatus eſſet, imperatumque ei fuiſſet, vt rationis ſceptro vſus, brutis omnibus dominaretur, ipſe abiectis proprij Regni inſignibus, ſeſe inter pecora cōſtituit, &c. Imaginem itaq; Dei turpiter deformauimus, ex hominibus degenerauimus in beluas, idcirco Verbum, quod imago eſt Patris, caro factum eſt, vt imago imagini ſuccurreret, amiſſam pulchritudinem redderet, eamque veluti impreſſo ſigillo renouaret. Ambroſius in Commētarijs Pſalmi 118. octon. 10. ad illa verba: *Manus tuæ fecerunt me*, &c. Imago (inquit) id eſt, Verbum Dei, ad eum, qui eſt ad imaginem (id eſt, hominē) venit, & quærit imago eum, qui eſt ad ſimilitudinem ſui, vt iterū ſignet, vt iterum conformet, quia amiſiſti, quod accepiſti. Hæc ille. Cyrillus verò li. 1. in Ioannem c. 13. Non erat, ait, poſſibile, aliter terreſtris hominis imaginem, id eſt, corruptionem, quam peccando induimus, effugere, niſi cœleſtis hominis imago, & eius pulchritudo, vocatione adoptionis, nobis impreſſa eſſet. participes enim ipſius facti per Spiritum ſanctum, & ſuo ſignati ſigillo, ad ſimilitudinem eius, & in primitiuam imaginis figurā cōſcendimus, &c. Imaginem igitur imago reſtituit, & ſceptrum rationis fractum, λόγος, hoc eſt, ratio, redintegrauit, iuxta illud Athanaſij ſupra citatum : Tradita ſunt omnia Chriſto, vt rationi, vt redintegraret vim rationalē. Inſuper, inſipiens erat homo, vt dicitur Pſal. *Comparatus iumentis inſipientibus, & ſimilis factus illis*, venit ad hominem Verbum, quod Dei Sapientia eſt, vt inſipientem redderet ſapientem.

Verbum caro factum eſt, vt imago Patris, imagini, id eſt, homini ſuccurreret. *D. Ambroſ.* *D. Cyrillus.* *D. Athanaſius.* *Pſal. 48.*

Quintò. *Deus erat Verbum*, ait Euangeliſta, caro factū eſt Verbum Deus, vt homines carneos faceret deos. Sententia hæc Auguſtini eſt ſermone 12. de Natiuitate: Deos facturus, qui homines erant, homo factus eſt, qui Deus erat. & ſer. 9. Factus eſt Deus homo, vt homo fieret Deus. facti ſunt autem homines dij, gratiæ diuinæ participatione.

Verbum caro factū eſt, vt homines carneos faceret deos. *D. Auguſt.*

Sextò. Verbū eſt filius Dei. Factum ergo eſt Verbum caro, vt filius Dei homo, homines filios Dei faceret. D. Leo ſerm. 6. Ideo (inquit) Chriſtus filius hominis factus eſt, vt nos filij Dei eſſe poſſimus. Cyrillus lib 1. in Ioannem cap. 16. Per vnum generis noſtri, id eſt, Chriſtum, ad nos quoque illud peruenit : *Ego dixi Dij eſtis, & filij excelſi omnes*, &c. Vnicum eiuſdem naturæ, pater filium habet, plures natura filij Dei eſſe nequeunt, poſſunt tamen eſſe adoptione. miſit itaque vnigenitum filium in mundum Pater, vt Dei filios nō natura, ſed adoptione plurimos faceret, ſuamque illis hæreditatem ampliſſimam impertiret, quæ etſi multis impertiatur, non propterea, vt hominum hæreditas, minuitur. id quod Auguſtinus præclare dixit tractatu ſecundo in Ioānem, his verbis: Vnicum filiū Deus miſit in mundum, vt non eſſet Vnicus, ſed fratres haberet adoptatos. non timuit ille habere cohæredes, quia hæreditas eius non fit auguſta, ſi multi eam poſſederint. Dicitur autem & vnigenitus Dei filius, & primogenitus. Vnigenitus, quia vnicus eſt filius à Patre æterna generatione productus. Primogenitus, quia multos habet fratres adoptatos, vt docet Auguſtinus contra Secundinum capite quinto. Vnigenitū, ait, Scriptura dicit Chriſtum, quia ſine fratribus, primogenitum, quia cum fratribus. Primogenitus eſt in multis fratribus, quos ei pater ad fraternam ſocietatem, non ęqualitate ſubſtantiæ, ſed adoptione gratiæ genera uit, &c. Hinc illud eiuſdem Auguſtini Pſalm. 48. qui dicit Deo: Pater noſter, Chriſto dicit, frater, &c.

Filius Dei factus eſt homo vt homines faceret filios Dei. *D. Leo.* *D. Cyrill.* *Pſal. 81.* *D. Auguſt.*

Septimò. *Verbum caro factum eſt*, vt cetum immaniſſimum Diabolum, hoc in mari, id eſt, mundo natantem, expiſcaretur. Pſalm. dicitur Diabolus Draco, & Iob, *Leuiathan* appellatur. vtrumque nomen marinū cetum ſignificat, de quo ſic ſcribit Magnus Gregorius in cap. 40. Iob: In hac aquarum abyſſo, id eſt, immenſitate generis humani, aperto ore cetus iſte

Verbum caro factum eſt, vt cetum expiſcaretur, Diabolū ſuperaret. *Pſal. 103.* *Iob. 40.* *D. Gregor.*

ferebatur,ad omnium mortem inhians,vitam penè omnium vorans,&c. Vides quam truculentus cetus sit Diabolus? non truculetus solum, sed fortissimus etiam est,ac callidissimus,iuxta illud: *Serpens erat callidior cunctis animantibus terræ.* Nulla erant retia, nullæ nassæ,quibus irretiri,nulli hami,quibus configi,aut comprehendi posset,nulla eum valebat aut vis, aut calliditas humana,expiscari. Hominum miserabilē vicem miseratus est Deus,nouum,admirabilemque Draconis expiscandi modum inuenit,admirabilem, fortissimumque hamum molli esca operuit,hoc est, Verbi diuinitatem,quasi hamum, carne veluti aptissima esca texit, & in mare misit, in escam irruit cetus,quid multa? diuinitate veluti hamo transfixus prehēditur,& foras extrahitur,iuxta illud Christi: *Nunc princeps huius mundi,* id est,cetus in mari hoc magno imperans,*eiicietur foras.* Magnus Gregorius: Hamo(inquit) captus est, quia in Redemptore nostro, dum per satellites suos escam corporis momordit, diuinitatis illum aculeus perforauit,&c.

Gen. 3.

Ioan. 12.

Diabolus promissa diuinitate cepit, vera diuinitate captus est. Gen. 3. Isaiæ 13.

D. Damasc. Nazianz.

Octauò. Expiscatus est Diabolus primos parentes diuinitate,quasi dulcē escā: *Eritis*(inquit)*sicut dij.* At iuxta illud:*Væ qui prædaris,nónne & ipse prædaberis?* diuinitate cepit,diuinitate captus est: nō tamen tanquā esca palam proposita, sed tanquam hamo carne operto. Damascenus lib. 3. de fide,cap 1. quoniā hostis iniecta diuinitatis spe hominem pellexerat,ipse vicissim carnis integumento allicitur,& inescatur, &c. Et Nazianzenus in oratione in sancta lumina; Diabolus nos diuinitatis spe obiecta tanquā illecebra in fraudem induxit. ea de causa ipse prætextu carnis inescatur,vt dum quasi in Adamū impetum facit, in Deum incurrat,&c.

D. Cyrillus Ierosol.

Nonò. Colebāt homines falsa deorū simulachra in humana effigiem efformata, humanā igitur formam vere assumpsit Deus, vt non falsis dijs in effigie hominū,sed vero Deo,in vera forma, carneque humana,verus cultus tribueretur. D. Cyrillus Ierosolymitanus Catechesi 12. Relinquētes(inquit) homines Deum,fabricauerunt idola: Deo itaque in humana figura falso adorato, Deus vere homo factus est,vt solueretur falsum.

Verbum caro factū est, vt caro medicina fieret carni. D. Augustin. D. Ambros.

Decimo. *Verbum caro factum est,* vt caro, quæ nobis venenum erat,fieret veneni antidotū, & medicina inde oriretur,vnde morbi oriebantur. Hinc illud Augustini iam supra citatum ex tractatu secundo in Ioannem: Caro te cæcauerat,caro te sanat. & illud Ambrosij in Commentarijs Psalmi 37. Antidotum facta est caro,quæ erat venenum ante peccati,quia erat illecebra peccatorum. audi quemadmodum antidotum caro,Dei Verbum factum est caro,misit manum in cauernam aspidum, venenum vacuauit, peccatum abstulit,hoc est,de peccato dānauit peccatum in carne,&c. De peccato, inquam, id est, de sacrificio crucis oblato pro peccato in carne. itē illud Cyrilli Ierosolymitani Catechesi 12. Carnis instrumento contra nos Diabolus vsus est, vnde Paulus: *Video aliam legem in membris meis*, quibus armis Diabolus nos oppugnauit,per eadem saluati sumus,&c.

D. Cyrill. Ierosol.

Angeli non assumpserūt veram carnem, sed aëream. Christus veram.

Vndecimo. Angeli olim non ex ossibus,carneque vera,sed ex aëre compactis corporibus amicti, Patribus visi sunt,huiusmodi erant Angeli, qui ad Abrahamum in ostio tabernaculi sedentem venerunt, Genesis decimooctauo,is quoque, qui cum Iacob luctatur Genesis trigesimo secundo, & alij. At verbum non ex aëre corpus inane, sed ex vera carne corpus verum,solidumque assumpsit: *Verbum* enim *caro factum est.* Propterea quod Verbum,vt tormenta mortemque perferret, in orbem venit; Angeli vero non vt morerentur,sed vt alia agerent missi sunt. Nullus vnquam Angelus (ait Tertullianus in libro de carne Christi)ideo descendit,vt crucifigeretur,vt mortem experiretur, vt à morte suscitaretur. Si nunquam huiusmodi fuit causa Angelorum corporandorum,habes causam,cur nō nascendo acceperint carnem,nō venerant mori, ideo nec nasci.

Tertullian.

At verò Christus mori missus, nasci quoque necessariò habuit,vt mori posset: nō enim mori solet, nisi quod nascitur,mutuum debitum est inter se,natiuitati cum mortalitate,forma moriendi,causa nascendi est. Hæc ille.

Origenes.

Origenes tomo quinto in Ioan. falso putat verisimile,aliquos Angelos Verbum imitatos carnem assumpsisse,christiqúe præcursorem Angelum huiusmodi fuisse. Quoniam (inquit ille) legimus : *Ecce ego mitto Angelum meum,* adnotamus, num forte vnus Angelorum existens præcursor,ad ministerium demittatur seruatoris nostri? & mirū profecto nihil, Christi ob amorē in homines,incarnati, imitatores aliquos extitisse, quibus dulce fuerit ei benignitati inseruire,eadē corporis similitudine,&c. Et Hieronymus Aggæi primo, quorundā scribit fuisse opinionem, Ioannē Baptistam, Malachiam, & Aggæū, prophetas, Angelos fuisse, qui ob iussionem Dei humana corpora induerint. Sed hæc somnia sunt. cur Baptista, Malachias, & Aggęus Angeli existimati sunt,dicemus cum de Ioanne Baptista agemus.

Malach. 3.

Duodecimo: homo vnus ostiū fuit peccati, mortis,malorumque omnium, vt Paulus affirmat : *Per vnum hominem*(inquit)*peccatum in hunc mundum intrauit, & per peccatum mors.* Verbum caro factum est, vt vnus homo,sed Deus simul,ostium esset gratiæ, vitę bonorumque omnium. quamobrem Christus ostiū dicitur. *Ego* (inquit) *sum ostium,* ostium,inquam,per quod gratia, vita, gloria, bona denique cuncta, in hunc mundum ingressa sunt. *Sicut per inobedientiam vnius hominis*, id est, Adami(ait Paulus)*peccatores constituti sunt multi,ita per vnius,* id est, Christi, *obeditionem, iusti constituentur multi.* Fuit Adamus homo quidam communis , ex quo homines tanquam ex fonte peccatum hauserunt, ita Verbum factum est homo communis , ex quo tanquam ex pelago infinito, gratia ad homines deriuaretur. Sumus omnes in Christo,(ait D. Cyrillus libro primo in Ioan. capit. decimo sexto) & communis humanæ naturæ persona in christo reuixit. Propterea & Adam nominatur,quod per naturæ nostræ communitatem,gloria,& immortalitate,omnes ita locupletat,sicut cōtra,morte,& vituperatione, omnes Adam primus mulctauit,&c.

Ad Rom. 5.

Ioan. 10.

Ad Rom. 5.

Adam homo fuit communis. Christus quoque fuit homo communis.

Decimo tertio: *Verbum caro factum est*, vt Redemptor hominum esset Deus. Etenim cum is, qui orbis totius Redemptori debetur honos,maximus sit, oportuit Redemptorem Deum esse, ne Deo debitus honor creaturę tribueretur. D. Athanasius serm. 3. contra Arianos: Non conueniebat(inquit) per aliū quempiam istam redemptionem fieri,sed per eum, qui natura Dominus erat,ne tametsi per filiū creati essemus,alium tamen nobis Dominum agnoscere-mus,lapsique in Arianorum & gētilium deliramēta,creaturæ potius,quam creatori,cultum seruitiūque præstaremus. Item: Placitum est Deo, in homine ostendere suam dominicam potestatē,& omnes trahere ad se , sed merum hominem id facere indecorum erat,ne hominem habentes Dominum, hominis cultores efficeremur,ea de causa Verbum caro factum est. Hactenus Athanasius.

Redemptoris honor maximus Deo cōueniebat. D. Athan.

His adde Dei perfecta esse opera, perfecta autem non fuisset redemptio,si homo purus,vel Angelus, nos redemisset. Nec enim vel homo, vel Angelus, debitum pretium soluere, diuinæ iustitiæ perfectè satisfacere, Dei gratiam hominibus potuit conciliare, vt

re, vt Theologi docent in commentarijs 3. part. D. Thomæ. Opus igitur fuit Redemptorem esse Deum & hominem, vt docet Anselmus lib. 2. cur Deus homo, capit. 6. Satisfactionem, inquit nec potest facere nisi Deus, nec debet nisi homo, necesse est vt eam faciat Deus homo. Ambrosius Luc. 19. Nullus hominum tantus esse potuit, qui totius peccata tolleret mundi; item: Quis tantus homo, in quo omnium peccata morerentur.

D. Anselm. *D. Ambros.*

Ideo igitur *Verbum caro factum est*, vt Deus homo redemptor esset, & pro homine satisfaceret. Deus mori non poterat, homo qui mori poterat, satisfacere non valebat: *Verbum caro factum est*, vt & mori posset, & satisfacere. Vnde præclare Anselmus eodem l. 2. cap. 18. Ad hoc, inquit, valuit in Christo diuersitas naturarum, & vnitas personę, vt quod opus erat fieri ad hominum restaurationem, si humana non posset natura, faceret diuina, & si diuinæ minimè conueniret, exhiberet humana, & non alius, atque alius, sed idem ipse esset, qui vtrunque perfectè existēs, per humanam solueret, quod illa debebat, & per diuinam posset, quod expediebat. Rupertus li. 6. de diuin. officiis cap. 36. quia satisfactionem pro culpa non nisi homo debebat, & non nisi Deus perficere poterat. Deus homo factus est, quatenus vnus, idemque Christus, & verus Deus ab homine exigeret, vt verus homo persolueret, &c. Proclus Episcopus Cyzicenus in homilia de Christi natiuitate, quę extat in Concilio Ephesino tom. 6. cap. 7. Erat (inquit) alterutrum duorum necessarium, aut vt omnes præcipites abirent in mortem, aut certè vt eiusmodi pretium penderetur, quod exactum debitum ad iustitiæ amussim exæquaret. Atqui homo, quod peccati debito subiaceret, saluare se non poterat, Angelus verò, quod tantum redemptionis pretiū ipsi non suppeteret, humanum genus redimere nequibat, supererat igitur, vt ille pro omnium peccatis moreretur, qui nulli peccato obnoxius erat. atq; vnica hæc restabat mali solutio, &c. Idem Proclus eadem homilia: Homo purus saluare non poterat, Deus solus pati nequibat. Quid igitur? ipse Deus factus est homo, & id quidē quod erat, saluauit, quod verò factum est, passiones subijt. eodem loco ostendit Proclus, Christum ad exactæ iustitiæ rationē satisfeciſſe his verbis: Ex Virgine natus est Deus simul & homo, eam non solum vim obtinens, qua reorum multitudini redimendæ par esset: Sed eiusmodi, quæ multis partibus excelleret. Hæc Proclus.

Rupertus. *Proclus.*

Hugo Victorinus in lib. sententiarum incarnationis causas in hæc verba coaceruauit: Deus homo factus est, vt idem esset Redemptor, qui creator, & vt de suo liberaretur homo, & vt familiariùs ab homine diligeretur Deus, in similitudine hominis apparens: & vt vterque sensus in ipso beatificaretur, & reficeretur oculus cordis in eius diuinitate, & oculus corporis in eius humanitate, vt siue ingrederetur, siue egrederetur, in ipso pascua inueniret natura ab ipso condita. Hæc ille.

Hugo Vict.

A manum porrexit. *Apparuit* (inquit Paulus) *benignitas*, græcè, φιλανθρωπία, id est, amor hominum, *saluatoris nostri Dei*, &c. D. Augustinus ser. 8. de Verbis Apostoli: Non liberaretur, ait, humanum genus, nisi sermo Dei dignaretur esse humanus, nam & homo ille dicitur humanus, qui se exhibet hominē, & maximè, qui hospitio suscipit hominem. si ergo humanus dicitur, qui in domo sua suscipit hominē, quam humanus est, qui in seipso suscepit hominem? &c. *Tit. 3.* *D. Augustin.*

Si bonitatis est cōmunicatio, ac diffusio, vt Dionysius Areopagita docet 4. c. de diuinis nominibus, quę maior communicatio Dei cum creatura, quam ea, qua *Verbum caro factum est*, excogitari potest? Bonitas hęc & benignitas (ait D. Tho. opusculo sexagesimo) in magna fuit coniunctione Dei cum omnibus rebus per præsentiam, maior, quia communicauit se bonis per gratiam, maxima, quia communicauit se Christo homini, & per consequens generibus singulorum in vnitate personæ. Hęc D. Thom. Generibus singulorum se communicasse Deum asserit, propterea quod cum se Deus communicauit homini, omnibus rerum generibus, & omnibus quodammodo creaturis, se communicauit. etenim homo materia, & forma, spiritali, corporalique natura constans, cum omni creatura conuenit, & omnis creatura, paruusque mundus nuncupatur. Cum igitur naturam humanam Verbum assumpsit, parui quendam mundum, & omnem creaturam sibi copulauit. *Dionys. Areopag.* *D. Thom.* *Bonitas Dei in Verbi incarnatione splendet.*

Hinc illud Cardinalis Caietani in commentarijs tertię partis D. Thom. q. 1. art. 1. Incarnatio est eleuatio totius vniuersi in diuinam personā. item illud, Deus toti vniuerso se summo modo cōmunicauit, dum incarnatus est.

Eo loco docet Cardinalis, tribus modis summum bonum Deum seipsum creaturis cōmunicasse. Primo modo quasi naturaliter. Secundo, supernaturaliter, tertio, personaliter. Quasi naturaliter se communicasse dicitur, quia omnibus naturas, singulis proprias, ac peculiares donauit: supernaturaliter, quia gratiam & gloriam, quę naturam superant, largitus est: personaliter, quia in vnitatem personæ diuinum Verbum assumpsit creaturā. Primus modus excellens est, secundus excellentior, tertius, de quo nunc agimus, excellentissimus. Ex tertio autem tam primi reparatio, quàm secundi communicatio emanauit. Nam propterea, quod *Verbum caro factum est*, & naturæ sunt reparatæ, & gratia, gloriaque cōmunicatæ. Primus modus ordinem naturæ, secundus ordinē gratiæ & gloriæ efficit, tertius ipsam gratiam gloriamque peperit. nihil hoc tertio modo excellentius, nihil maius cogitando potest inueniri. Non enim per illum similitudinem sui aliquam, vel creatum naturalis aut supernaturalis ordinis donū, sed personam diuinam Deus tribuit creaturæ. Ita vt Verbum caro factum, Deus homo, vna & eadem sit Dei atque hominis Christi hypostasis diuina, increata, nullis terminis circumscripta. In eandē autem diuinam hypostasim dum humana natura est euecta, totius vniuersi naturæ dicūtur modo aliquo in sublime sublatæ.

Etenim si Verbum naturam assumpsisset spiritalem, & angelicam, corporea natura non ascēdisset, si cœlestem sibi copulasset, sensus, vegetationisque particeps natura, huius dignitatis fuisset expers, si corpoream solùm, aut sensus aut vegetationis comitem potē, sibi coniunxisset, intellectu prædita iacuisset. Quid ergo? naturam assumpsit humanam, quæ spiritalis, & corporea, quæ sensus, vitæ, & vegetationis particeps, quæ intellectus compos est, quæ vna, & spiritales, & corporeas, & vegetationis & sensus capaces, & intellectu exornatas naturas cōtinet. Vt *Verbum dum humanā naturā assumpsit, omnes naturas exornauit.*

dum

CAPVT XIIII.

Morale.

In verbi incarnatione bonitas Dei, potentia, & iustitia eluscent D. Damas.

DENIQVE ne pluribus moremur, in admirāda hac verbi incarnatione Dei infinita bonitas, potentia, sapientia, iustitiaque maxime splendescit. Singula paucis persequamur. Bonitas hinc effulget (ait D. Ioannes Damascenus lib. 3. fidei ca. 1.) quod figmenti sui, id est, hominis, imbecillitatem Deus non contempsit, sed lapsi vicem doluit, eique

dum vna assumitur, in qua reliquarum gradus cõtinentur, in vna reliquę omnes quoad suos gradus assumerentur. D. Damasc. Oratio. prima de natiuitate Virginis: Creator, ait, naturam omnem interiectæ humanitatis beneficio in melius commutauit. Nam cum homo media quadam inter mentem, & materiam sede constitutus rerum omnium conditarum, tam quæ in aspectum cadunt, quàm quæ oculorum sensum fugiunt, nodus ac vinculum sit, profecto etiam artifex Dei verbum humanę naturę copulatũ, per eam cum vniuersis rebus cõditis vnitũ est, &c. Et in oratione de transfiguratione: Benigna Patris voluntas in vnigenito filio, rerum omnium connexionem effecit. Nam cum paruus mũdus homo sit, vt qui essentiæ omnis, tum in aspectũ cadentis, tum oculorum aciem fugientis, nodum ac vinculum in seipso ferat, atque hoc & illud sit, reuera benigna Dei voluntas hoc tulit, vt in vnigenito filio diuinitatis, & humanitatis, ac per eam conditarũ omniũ rerum connexio fieret, vt sit Deus omnia in omnibus. Hæc ille.

Damascen.

Elucet prętera in eximio incarnationis mysterio Dei potentia, quia diuina potentia hoc in mysterio multo præstantius opus effecit ipso mundo vniuerso. Condidit Angelos, cælos, sydera, terras, elementa, homines, animantia, magna hæc sunt opera, eximia, egregia: at multo maius, multo excellentius opus, incarnatio est, per quam Verbum caro factum est. Damascenus loco indicato: Quod vnũ (inquit) sub sole nouum est, infinitamque Dei potentia declarat, efficitur, quid enim maius, quàm Deum hominem effici? Et D. Thomas opusculo illo sexagesimo: Magna potentia in coniunctione disparium elementorum, maior in coniunctione illorum ad spiritum creatum; maxima verò in coniunctione ad spiritum increatum, id est, Verbũ: vbi maxima est disparitas, &c. Supra diximus tribus modis se communicare Deum creaturę, quasi naturaliter, supernaturaliter, & personaliter; magna potentia in primo modo cernitur, maior in secundo, maxima in tertio. Quamuis enim potentia Dei eadem semper sit, & infinita; tamen quo opera maiora sunt, eo maior quoad effectum dici potest. Vnde Basilius in Commentarijs Psalm. 44. sic scribit: Maximæ potentiæ demonstrationem habet, posse Deum in natura esse humana: nam cœli & terræ constitutio. maris, & aëris, & maximorum elemẽtorum generatio, & si quid supra mundum intelligitur, & si quid subtus terras vsquam reperitur, non hæc vsq; adeo euidenter exprimunt diuini Verbi potentiã, quantum dispensatio assumptę carnis, & ad humilitatem vsque debilitatemque nostram suspiciendam condescensio.

Damascen. *D. Thom.* *Potentia Dei in incarnatione.* *D Basil. Psalm. 44.*

Enitescit item sapientia. etenim res erat difficilis, & perplexa, misericordiæ, iustitięq; facere satis, per incarnationẽ modum inuenit diuina sapiẽtia, quo vtriq; satisfaceret cumulatissime. Damascenus: Rei (inquit) perquam difficili, & perplexæ congruentissimum exitum Deus inuenit, &c. D. Thomas opusculo indicato aliam addit rationem: Quid (inquit) sapientius, quàm quod ad completionem totius vniuersi, fieret cõiunctio primi & vltimi, hoc est, Verbi Dei, quod est omnium principium, & humanæ naturę, quę in operibus sex dierum fuit vltima omniũ creaturarum? &c. Qua de re Clichtoueus in Damascenum l. 3. fidei c. 1. sic recte scripsit: Cõgruum fuit humanã assumi naturam, propter diuinorum operum excellentem consummationem, quæ facta est in humani generis assumptione, cũ vltimum coniunctũ est primo. Ibi enim perfecta est cõsummatio, vt liquet in circulo, qui est perfectissima figurarũ, & ad idẽ punctum regreditur, à quo incepit. Deus autem creaturarũ omniũ principiũ est, & causa effectrix, homo verò finis, & vltimũ totius vniuersi, quod postremus omniũ conditus sit. Hactenus ille.

Sapientia. *Damasc.* *D. Thom.* *Clichtoueus.*

Splendescit quoque iustitia. *Verbum* enim *caro factum est*, vt peccatum per iustitiam expiaretur, vt homo iusto pretio redimeretur, vt diuinæ iustitiæ iure summo, imo plus quam summo, fieret satis. Acerbissima diaboli captiuitate homo premebatur, iustũ pro redemptione pretium soluere non volebat. *Verbum caro factum est*, vt sanguinem haberet, quem huius redemptionis pretium cumulatissimũ pręberet. Vt enim Petrus ait, *nõ corruptibilibus, auro, vel argento, redempti sumus, sed pretioso sanguine quasi agni immaculati Christi.* hoc illud pretium est, quod Paulus magnu appellat illis verbis: *Empti estis pretio magno.* Magnum equidem pretium, quo & hic mundus emptus est, & infiniti alij, si extarent, emi possent, magnum pretium, quod diuinæ iustitiæ abundantissime satisfecit, magnum pretium, quo solo seuerissima iustitiæ ratione, omnes homines sunt redẽpti, sine quo ne vnus quidem redimi potuit, vt indicat Augustinus in illa verba: *Frater non redimit, redimet homo?* Quis (inquit) est frater, qui si nõ redemerit, nullus homo redempturus est? Qui dixit, *vade dic fratribus meis*, id est Christus. Aliquis homo redimet, si filius hominis non redemit? minimè, &c. Interpretatur enim illud, frater non redemit, redimet homo, hũc in modum: Christus frater noster nõ redimet? erit aliquis homo, qui redimere possit illum, quem Christus nõ redemerit? minimè. Magnus Basilius in commentarijs eiusdem Psalmi: Omni (inquit) captiuo opus est pretio, ad libertatem recuperandam, neque igitur fratrem suum alius quiuis frater redimere poterit, neque vnus quispiam seipsum, quod redemptor tanto esse debet captiuo, & iam seruiente præstantior. Sed & ne in vniuersum quidem homo erga Deum ea præditus est facultate, vt ipsum placet pro peccatore, cum & ipse sit peccati reus. Frater erat Israël Moyses, non tamen ipsum redimere valuit, quomodo si tantus vir nõ potuit, alius è vulgo quiuis poterit? Quamobrem illud pronuntiat Psalmographus: *Frater non redimet.* Hoc vero per interrogationem cum grauitate infert, redimet homo? Hæc ille. Et deinde addit: Inuentum est vnum pro omnibus simul hominibus dignum pretium, nempe sanctus, & omni pretio superior, sanguis Christi, &c.

Iustitia. *1. Pet. 1.* *1. Cor 6. De pretio quo mundus redempti infinito.* *D Augustl. Psal. 47.* *Ioan. 20.* *D. Basil.* *Sãguis Christi omni pretio superior.*

Basilius sanguinem Christi omni pretio appellat superiorem. D. Ambros. in præfatione Psal. 35. vocat aurum, & diuitem ad pretium: Bonum, ait, aurum est sanguis Christi, dives ad pretium, profluus ad luandum omne peccatum. Tanti autem pretij fuit, vt vel vna gutta totum potuerit orbem recuperare. Clemens 6. Põtifex summus, Extrau. vnigenitus de pœnis & remiss. Nõ corruptibilibus (inquit) auro, & argẽto, sed sui ipsius agni immaculati pretioso sanguine nos redemit Christus, quem in ara crucis immolatus, non guttam sanguinis modicam (quę tamen propter vnionem ad Verbum, pro redẽptione totius humani generis sufficisset) sed copiose velut quoddam profluuium noscitur effudisse, &c. Sanguinis gutta vna, toti orbi redimẽdo fuisset satis, at totus orbis vni animæ liberandæ idoneum pretium non est. Euhymius in Psal. 48. Pro vnius (inquit) hominis anima vniuersus etiã orbis sufficiẽs pretium non est, quippe cum saluator noster animas redẽpturus, terram non dederit, non mare, non ipsum denique orbem, sed suum pro nobis sanguinem effuderit, &c. Hoc ergo aurũ Christus ex venis veluti ex thesauris locupletissimis deprompsit, pretioque infinito non per vim, sed per iustitiam hominem è captiuitate liberauit.

D. Ambros. *Clemens Sextus.* *Gutta vna Sanguinis sui ad redẽptionem fuisset.* *Euthym.*

Vnde

Damascen. Vnde Damascenus loco notato : Iustitia, inquit, splendet, quia post superatum hominem, victoriam tyranno per alterum non extorquet, nec hominem à morte per vim eripit; verùm quem mors iã olim, per peccatum, seruili iugo cõstrictum tenebat, huic iustus ille ac bonus victoriam rursum conciliauit, quodque perdifficile erat, simile per simile liberauit, &c. Simile, inquit, per simile liberauit, quia Deus hominem liberauit per hominem, qui tamen simul deus erat. Magnus Leo serm. 2. de natiuit. Verax misericordia Dei, cum ad recuperandum humanum genus ineffabiliter ei multa suppeterent, hanc potissimam cõsulendi viam elegit, qua ad destruendã opus diaboli, non virtute vteretur potentiæ, sed ratione iustitiæ, &c. Neq; verò iustitia misericordiam excluſit. Quid enim misericordius (ait Anselmus li. 2. cur Deus homo, capite 20.) intelligi valet, quam quòd peccatori æternis tormentis deputato, & vnde se redimeret non habenti, Deus Pater dicit, accipe vnigenitum meum, & da pro te, ipse filius, tolle me, & redime te, &c.

Deus non per vim, sed per iustitiam hominem liberauit — *D. Leo.* — *D. Anselm.*

1. Tim. 3. De mysterio hoc Paulus : *Magnum* (inquit) *pietatis Sacramentum*, græcè μυστήριον, id est, mysterium magnum religionis Christianæ, græce, εὐσεβείας, quod manifestatum est in carne, iustificatum est in spiritu, apparuit Angelis, prædicatum est gentibus, creditum est in mundo, assumptum est in gloria. Græci legunt hoc modo: Deus manifestatus est in carne, iustificatus est in spiritu, visus est Angelis, prædicatus est gentibus, creditus est in mundo, receptus est in gloria. Magnum est, immensum, omnemque intellectũ superans incarnationis mysteriũ, quod manifestatum dicitur in carne, quia Verbum caro factum est, & habitauit inter homines, per solidamque ac veram carnem, non vt Angeli per phantasticam illis apparuit. Quemadmodum, quod in mente absconditum est hominis verbum, voce vestitum se prodit, ita quod in sinu Patris latebat Dei verbum, carne amictum manifestatum est. Sicut cogitatio (ait D. Bernardus in serm. fer. 4. hebd. pœnosæ) vestit sibi vocem corpoream, absque sui diminutione, vel ante vocem, vel post vocem, sic filius Dei assumpsit carnem, non commixtionem passus, neque diminutionem, nec ante carnem, nec post carnem, apud Patrem inuisibilis, sed hic manus nostræ tractauerunt de Verbo vitæ, & quod erat ab initio vidimus oculis nostris, &c.

Verbum carne veluti veste indutum. — *D. Bernard.*

Caro Christi velamen tegens Sancta sanctorum. — *Ad Hebr. 10.* Paulus carnem Christi velamen appellat, cõfertque cum illo velamine, quo Sancta sanctorum fuere in veteri Testamento contexta, optimo quidẽ iure. Nam quemadmodum velamen illud tabernaculi Mosaici, Sancta sanctorum tegebat, ita caro Christi Sancta sanctorum, id est, Sanctissimã diuinitatem veluti velabat. Apparebat humanitas, latebat diuinitas, quocirca ab Isaia Deus absconditus appellatur. *Velamen tabernaculi*, vt scribitur Exod. *de Hyacintho, purpura, coccóque bis tincto, & byſſo retorta, opere plumario, & pulchra varietate, contextum est*, velamen Christi, id est, caro, ex purpureo Deiparę Virginis sanguine, omnem purpuram, coccum, byssum, Hyacinthumque superante, non opere plumario, sed opere Spiritus sancti, pulcherrima membrorum varietate, est compositum. Quo loco habemus : *Substantia mea in inferioribus terræ*, hebraicè legitur, רקתי ruchamti: verbum autem רקם racham significat acu

Exod. 26. — *Psal. 138.*

A pingere, siue intexere varia diuersorumque colorũ fila, instar phrygionum. hinc ductum videtur verbũ Lusitanum, recamar. D. Hieronymus vertit, imaginatus sum, Caietani interpres, acu pictus sum, Pagninus sic locum exponit: Varijs membris formatus sum, instar, scilicet, vestis phrygionicæ, in inferioribus terræ, id est, in vulua, quę est inferior pars terrę, & Rabbi Dauid: Assimilauit, inquit Psalmographus, opus creationis in varijs ossibus, carne, & cute, opere phrygionico, & vuluam matris comparauit cum inferioribus terræ, quia est locus absconditus. Campensis interpretatur: Veluti tapetum, è neruis & venis contextus sum, in vtero matris. Si corpus cuiusuis hominis veluti phrygionica vestis acu pingitur,

B quid de Christi corpore dicemus? Equidem velum fuit Christi corpus, vestisque pulcherrima, admirabili opere, in vtero Virginis, ex admirabili materia, sanguine videlicet eius purissimo, ab admirabili operatore Spiritu sancto veluti acu picta, & vt verbo vtar Hebræo, recamata.

De carne siue corpore Christi, & virtutibus.

Quid verò de anima, quid de tota humanitate dicemus? quàm pulchra virtutum, gratiarumque omnium varietate veluti holoserica, vel aurea vestis, splendescit? significatur hæc virtutum, gratiarumque pulchra varietas aromatum nominibus: *Myrrha, & gutta, & casia, à vestimentis tuis, a domibus eburneis.* Per vestimenta diuinitatis Christi (ait Euthymius) animã & carnem intelligimus, quibus diuinitas in-

Psal. 44. — *Euthymius.*

C effabiliter circumamicta erat. &c. Hęc autem vestimenta odoriferis aromatibus, hoc est, omni virtutũ, suauissimumque odorem spirantium gratiarũ genere sunt perfusa: deprõpta verò *ex domibus eburneis*, id est, ex eburneo Deiparæ Virginis vtero: eburneũ dixit, id est, purissimum, & integerrima virginitate candidissimum. Quia verò virginis puritatem multę virgines imitatæ sunt, addidit: *Ex quibus*, scilicet, domibus eburneis, *delectauerunt te filiæ regum in honore tuo*, multæ enim virgines regum etiam filiæ, Christũ propter eburneas domos, id est, castissima corpora, & animas exhilarant, & honorant. *Habitauit in nobis* (ait Ioannes) *plenum gratiæ, & veritatis*; paucis his verbis, huius aureæ vestis, id est, humanitatis Christi, picturas complexus est. Omnes enim in ea gra-

Virgo Deipara.

D tias, omnes scientias, & veritates pinxit summus artifex. Scientiam multiplicem Christi anima habuit, beatam, infusam, & acquisitam: gratiarum quę gratis datæ dicuntur, omne genus, gratiæ sanctificantis mensuram eximiam, vt suprà diximus. De hac gratia id intelligi potest, quod sequitur apud Paulũ loco indicato : *Iustificatum in spiritu.* Manifestatum est verbum in carne: in spiritu verò, id est, anima iustificatum est, hoc est, totius iustitiæ, totiusque gratiæ decore exornatum. vel, Iustificatum in Spiritu, id

E est, per Spiritum sanctum : Spiritus enim sanctus Christi summam iustitiam ostendit, quamque redimendo homini conueniens mysterium incarnationis fuerit, indicat. Apparuit Angelis *Verbum caro factum*, tum sæpè alias, tum in præsepio Bethlehemitico, qui deinde exultantes hominibus, quod viderant, indicarent. Prędicatum est Gentibus, creditum est in mundo mysterium admirabile, *Verbum caro factum*, & tandem assumptum est in gloria ipso ascensionis die. Sed pergamus. cætera dicemus, cùm de natiuitate faciemus verba.

LIBER QVINTVS,
DE CHRISTI GENEALOGIA.
MATTHÆI I.

LIBER Generationis Ieſu Chriſti, filij Dauid, filij Abraham. Abraham genuit Iſaac, Iſaac autem genuit Iacob. Iacob autem genuit Iudam, & fratres eius. Iudas autem genuit Phares, & Zaram, de Thamar. Phares autem genuit Eſron. Eſron autem genuit Aram. Aram autem genuit Aminadab. Aminadab autem genuit Naaſſon. Naaſſon autem genuit Salmon. Salmon autem genuit Booz de Rahab. Booz autem genuit Obed ex Ruth. Obed autem genuit Ieſſe. Ieſſe autem genuit Dauid Regem. Dauid autem Rex genuit Salomonem ex ea, quæ fuit Vriæ. Salomon autem genuit Roboam. Roboam autem genuit Abiam. Abia autem genuit Aſa. Aſa autem genuit Ioſaphat. Ioſaphat autē genuit Ioram. Ioram autem genuit Oziam. Ozias autem genuit Ioatham. Ioatham autem genuit Achaz. Achaz autem genuit Ezechiam. Ezechias autem genuit Manaſſen. Manaſſes autem genuit Amon. Amon autem genuit Ioſiam. Ioſias autem genuit Iechoniam, & fratres eius in tranſmigratione Babylonis, & poſt tranſmigrationem Babylonis. Iechonias genuit Salathiel. Salathiel autem genuit Zorobabel. Zorobabel autem genuit Abiud. Abiud autem genuit Eliacim. Eliacim autē genuit Azor. Azor autem genuit Sadoc. Sadoc autem genuit Achim. Achim autem genuit Eliud. Eliud autem genuit Eleazar. Eleazar autem genuit Mathan. Mathan autem genuit Iacob. Iacob autē genuit Ioſeph virum Mariæ, de qua natus eſt Ieſus, qui vocatur Chriſtus. Omnes itaque generationes ab Abraham vſque ad Dauid, generationes quatuordecim, & à Dauid, vſque ad tranſmigrationem Babylonis, generationes quatuordecim, & à tranſmigratione Babylonis, vſque ad Chriſtum, generationes quatuordecim.

CAPVT PRIMVM.

Ex qua tribu natus ſit Chriſtus.

COMPERTVM eſt ex tribu illuſtriſſima Iudæ originem carnis duxiſſe Chriſtum Opt. Max. id enim apertè docet Paulus: *Manifeſtum* (inquit) *eſt, quod ex Iuda ortus eſt Dominus noſter.* docent etiam illa Ioannis verba: *Vicit leo de tribu Iuda*, id eſt, Chriſtus, qui fortiſſimus veluti leo à Iuda oriundus, de morte, mundo, & peccato, æternum victoriam reportauit. Admirabilem hanc originem cum mentis acutiſſima acie præuidiſſet morti vicinus Iacob, filium ſuum Iudam miro gaudio exhilaratus ſic affatur: *Iuda te laudabunt fratres tui, manus tuæ in ceruicibus inimicorum tuorum; adorabunt te filij patris tui.*

Ad Hebr. 7.

Apoc. 5.

Gen 49.

Ab alluſione nominis exorſus eſt: ſignificat enim Iudas laudationem, à verbo יָדָה iadah, id eſt, laudauit. *Laudabunt* (inquit) *te fratres tui* ob regiam dignitatem, quæ tribui Iudę obuenit; adorabunt te filij patris tui, quia reges adorari ſolent, & coli. hic humilior ſenſus. Altiori, optatiſſimum Meſsiam Iacob ſuſpexit, vt ait D. Ambroſ. de benedictionibus Patriarcharū: Meritò (inquit Ambroſ.) ſe circa gratiam Iudæ Iacob ſanctus effudit, & ad Iudam dirigi videtur alloquium, ſed Iudas ille poſterior, id eſt, Chriſtus, exprimitur, qui ex ea tribu natus eſt. Hæc ille. Et Rupertus: hic (inquit) os ſuum latius aperuit Iacob, ſpiritumque attraxit, & clarius edixit, quod gaudenter totus exaudiret orbis, ſcilicet de Chriſto, &c.

De Chriſto vaticinatur Iacob, cū Iudæ filio benedixit.

D. Ambroſ.

Rupertus.

De Chriſto ergo potiſsimum hæc dicta ſunt: *Te laudabunt fratres tui, adorabunt te filij patris tui.* A fratribus enim, id eſt, chriſtianis, à filiis Dei, quibus dedit poteſtatem filios Dei fieri, toto laudatur orbe, & latriæ, quæ ſoli Deo exhibetur, adoratione colitur. Ideoque quadrat Iudę nomen in Chriſtum, ſignificat enim, vt diximus, laudem, ſiue laudationem; at Chriſtus laus noſtra eſt, laudationisque noſtræ materia, & infinitum argumentum. Prędixit Iacob cultum Chriſti; deinde prædicit leonis de tribu Iuda victoriam: *Manus* (inquit) *tuæ in ceruicibus inimicorū tuorum.* Victorum eſt manibus ceruices hoſtiū premere, eoſque fugientes inſequi, manus autem Chriſti tunc in ceruicibus inimicorum fuere, cum cruci ſuffixæ ſunt, tunc illos oppreſſerunt. Euſebius lib. 8. demonſtrationis Euang. ca. 2. Cùm manus (inquit) ſuas Chriſtus extēdiſſet in Cruce, tunc manus eius, fugientibus inimicis, in tergo inimicorum fuerunt, &c.

Euſebius.

Pergit

Christi mors & sepultura. Pergit Iacob Messię describere mortem, sepultu-
ram, ac resurrectionem: *Catulus, ait, leonis tuda*, id est,
similis catulo leonis Christus. *Ad prædam fili mi ascen-*
disti. filium appellat Messiam, quemadmodum enim
Matth. 1. filius dicitur Dauid, & Abraham à Matth. *Liber gene-*
rationis Iesu Christi filij Dauid, Abraham, ita etiam dicitur
filius Iacob. Ascendit autē ad prædā veluti leo, cum
in crucē inuincta animi fortitudine sublatus, hostes,
Orcum, & ipsam, quā perpetiebatur mortem, mo-
riendō deprędatus est. *Ad prædam fili mi ascendisti* (ait
Beda. Beda) id est, ascendens in Crucē, captiuos populos
D. Ambr. redemisti. Et D. Ambrosius tom. 2. in cap. 31. Prou.
Quid est, inquit, ascendisti, nisi quod scriptū est: Et
Ioan 3. crucifixerunt eum? vnde ipse ait: *Sicut exaltauit Moy-*
ses serpentem in eremo, sic exaltari oportet filium hominis, &c.
Ascendit præterea in Crucem ad prædam; quia in
Ioan. 12. Cruce hominum corda ad se rapuit, iuxta illud: *Ego*
si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum. & illud
Bern. serm. 20. in Cantic. Super omnia reddit te mi-
hi amabilē bone Iesu calix, quem bibisti, opus re-
demptionis nostræ, hoc enim amorem nostrū sibi
vendicat, &c. Sequitur sepultura.

Christus vt leo quieuit in sepulchro. *Requiescens* (ait Iacob) *accubuisti vt leo, & quasi leæna:*
Sept. vertunt; Recumbens dormiuisti vt leo. homi-
nes omnibus spoliati & bonis, & viribus, vt oues
sepeliūtur, at Christus vt leo, & leæna in sepulchro
quieuit, quia corpus sepulchro conditū plusquam
leonis fortitudine prędituni erat. habebat enim sibi
diuinum suppositum copulatū. non igitur erat fra-
gile, & imbecillum, sed diuino præcellens robore.
Ideo adiungit, *quis suscitabit eum?* rogat Iacob, quis nā
hunc fortissimū leonem à mortuis excitabit? nun-
quid aliena fortitudine indigebit? minimè indige-
bit, nam sibi indita fortitudine redibit in vitā, illud
idē diuinum suppositum, cui vnitū est, corpus mor-
tuum in vitam, eamq; beatā reuocabit. Benè (inquit
Beda. Beda) Christus vt Leo requieuit, qui non solū mor-
tis acerbitatem nō timuit, sed etiam in ipsa morte,
D. Ambr. mortis imperiū vicit. quod autē dicitur, *quis suscitabit*
eum? quia nullus nisi ipse, &c. Et Ambrosius: Video
(ait) natum autoritate propria, video mortuū pro-
pria voluntate, video dormientem propria potesta-
te, qui omnia suo fecit arbitrio, cuius alterius vt re-
surgat, egebit auxiliis? ipse resurrectionis suę Autor
est, qui mortis est arbiter, &c.

Non hic constitit ardens amore Messię pectus Ia-
cob, in plura soluit os: ænigma nobis de Messia pro-
posuit, obscurum quidem illud, sed à Patribus iam
enodatum. Virum depingit ad vineā ligantem pul-
lum suum, & ad vitem asinā suā, stolā verò, & pal-
lium in vino, siue vuæ sanguine abluentem, oculis
præditum pulcherrimis, dentibusq; candidissimis.
Hic Messias est, hæc illius pictura, vt Patres volunt,
Ioan. 15. ait: *Ego sum vitis vera*, ad hanc ille vitē pullum, id est,
gentilem populum legis scriptæ onere vacuum, &
asinam suam, id est, Synagogam legis pondere one-
ratam, alligauit, vtrumque enim populum suauissi-
mis amoris, nouæque legis vinculis, sibi obstrinxit.
Hos duos populos dicuntur etiam adumbrasse pul-
lus ille, & asina, quos Matthæi 21. iubet Dominus
solui, & ad se adduci, quibusque insidens triumphū
egit præclarissimum. Quia verò vitis hæc, id est,
Christus, vinum nobis protulit dulcissimū, sanguī-
nem videlicet, quo nos abluit, cū meminisset Iacob
vitis, vini quoque meminit pretiosissimi.

D. Ambr. *Lauabit* (inquit) *in vino stolam suam, & in sanguine vuæ*
pallium suum. quænam est hæc stola? quodnam vinū?
ex qua nam vua est expressum? dicant eloquentis-
simi Patres. Benè vuā dixit Iacob (ait Ambros.) quia
Lauit Christus in sanguine pallū suum. sicut vua Christus pepēdit in ligno, ipse est vitis, ip-
se vua vitis ligno adhęrens: vua quia lancea militis
apertū latus emisit aquā, & sanguinem, aqua exiuit
ad lauacrum, sanguis ad pretiū, &c. Chrysostomus,
stolam, inquit, puto corpus dici, vuæ sanguinis no-
mine, Crucem nobis significat, & occisionē, & om-
nem Sacramentorum dispensationem. Et Tertul- *Tertullian.*
lianus, lib. 4. contra Marcionem: Lauabit Christus
in vino stolam suam, & in sanguine vuæ amictum
suum, stolam & amictum carnem demonstratus, &
vinum sanguinem, &c.

Potest etiam stolæ vel pallij nomine Ecclesia in-
telligi, vt Iustinus martyr intellexit in Dialogo, sto- *D. Iustinus.*
lam, inquit, eos vocauit, qui per Christum remissio-
nem acceperunt. Et Ambrosius: Verbi (ait) anabo-
ladium gentes sunt, sicut scriptum est: *Viuo ego dicit* *Isaiæ 49.*
Dominus, nisi omnes eos induam, sicut vestimentum; in san guine
vuæ lauit anaboladium suum, id est, in passione corporis
sui, diluit gentes sanguine suo. Hęc ille. Anabol adiū
autem nomine græco amictum siue pallium appel-
lauit. Hoc absque ænigmate dixit Ioan. Apocalip. 1.
Dilexit nos, & lauit nos à peccatis nostris in san-
guine suo. Quemadmodum botrus in torculari premi-
tur, vt vinum effluat, sic Christus in cruce veluti
torculari pressus est, vt redemptioni nostræ sanguis
effluere t. Effluxit autem, & in Sacramentis ve luti
fontibus reconditus ad abluendam Ecclesiam nun-
quam desinit scaturire.

Post hæc Messiæ pulchritudinem demonstrat, o-
culorum, & dentium tantùm, facta mentione, quod
à parte totū voluerit intelligi. Pulchriores, inquit,
sunt oculi eius vino, dentes eius lacte candidiores.
Pulchriores vino dicuntur Messiæ oculi, quod illu-
striorem & pulchriorem, quàm vinum habeant co-
lorem: Præterea cum vino conferuntur, quod *vinum* *Psal. 103.*
vt dicitur *lætificet cor hominis*, oculi verò Christi lętis- *Oculi Chri-*
simi sint, miramque ijs afferant lætitiam, quos be- *sti.*
neuolo aspectu contuentur. Adde vini illud esse
proprium, vt hominem extra se rapiat, oculi verò
Christi si quos benigno aspectu cernunt, eos extra
carnem, & sanguinem rapiunt: *Vidit Christus hominem* *Matth. 9.*
sedentem in telonio, à telonio illū rapuit, vidit è super-
na cœlorum regione Paulum, rapuit vsque ad ter-
tium cœlum, *vidit duos fratres Simeonem, & Andream,* *Matth. 4.*
mittentes rete in mare. Vidit duos alios, Iacobum, & Ioan. refi-
cientes retia, è pelagi fluctibus raptos ad se protinus
pertraxit. Augustinus de agone Christiano cap. 9. *D. August.*
Talis ebrietas non euertit mentem, sed tamen ra-
pit sursum, & obliuionem præstat omnium terre-
norum, &c.

Duæ sunt in homine partes, quæ illius animum
præcipuè ac penè solæ testantur, oculi, & os. oculos
memorauit vates, nec siluit os illud, in cuius labijs
gratia diffusa est, Psalmographo teste: *Diffusa*, inquit, *Psalm. 44.*
est gratia in labijs suis. Cum speciosum forma præ filijs
hominum Messiam fore dixisset, labiorum solum
sigillatim Psalmographus meminit propter eximiā
doctrinam, quæ ex illis summa cum gratia effluxit.
Sic Iacob diuinum illud os, à summo dentium can- *Dentes Chri-*
dore in suo commendat ænigmate: dētes enim cer- *sti, & doctri-*
nebat lacte candidiores, quibus cœlestis doctrinæ *na.*
cœlestem planè panem fame pereunti mundo diui-
dendum, ac conficiendum esse prænouerat. Quam
candidi dentes, tam caudida doctrina erat, dentium
quippe candor doctrinæ candorem indicat, nulla in
dentibus macula, nulla inerat putredo, nulla in do-
ctrina falsitas, nullus fucus, nullus suberat dolus,
omnia rationi consentanea, omnia cœlestia, omnia
sunt planè diuina. Denique oculorum tantum modo
meminit, & dentium (ni fallor) quia Messiam homi-
nibus sibi dilectissimis arridentem cōtemplabatur.
Risus enim in oculorum maximè hilaritate, & in
ore cernitur modestè ita aperto, vt dentium candor
appareat. Isaac autem noster, id est, risus Christus
est. huic vaticinio aliud de tempore aduentus

Messiæ

Messiæ cognoscendo adiecit: *Non auferetur sceptrum de Iuda*, &c. Quod iam explicatum est.

Hæc prædixit Iacob de Messia, cum filio suo Iudæ extremum vale diceret, eo quòd ex Iudæ stirpe esset oriundus, quam ob causam tribus hæc cæteris est prælata. Cum ex Ægypto iter in Palæstinam faceret Israelitæ sub vexillis quatuor, primum ad orientalem partem vexillũ ferebat tribus Iudæ, vt traditur Num. 2. Cum castra mouebantur, hæc præcedebat. Num. 10. Cùm munera in dedicationem altaris offerrentur. Numer. 7. princeps tribus Iuda Nahassón prima die obtulit. Post mortem Iosue, vt dicitur Iudicum 1. cum consuluissent filij Israel Dominum de duce creando, respondit Dominus: *Iudas ascendet, ecce tradidi terram in manu eius*. Consuluerunt iterum de eligendo Imperatore ad bellum gerendum cum tribu Benjamin, hoc acceperunt oraculum, *Iudas sit dux vester*.

Iud. 1.

Iud. 20.

Præstabat hæc tribus cæteris, hominum multitudine, vt constat ex numerationibus populi, quæ Nume. 1. & 26. cõmemorantur. & ex lib. 2. Reg. 24. quo capite cum Ioab Dauidis imperio populum numerasset, numerumque ad Regem retulisset, inuenta sunt de Israël octingenta milla virorum fortium, qui educerent gladium, & de tribu Iuda quingenta millia pugnatorum.

Tribus Iuda præstantior cæteris 1. Paral. 5.

Præstasse etiam videtur fortitudine, ipsum quidẽ illius parentem Iudam fortissimum fuisse prædicant sacræ literæ, illis verbis: *Porrò Iudas, qui erat fortissimus*. &c. Hebræi aiunt tribum Iudæ cæteris formidantibus, primum mare rubrum intrasse. Qua de re Hieronymus in commentarijs Oseę 11. Tradunt, inquit, Hebræi huiuscemodi fabulam, in exitu Israël ex Ægypto, quando ex alia parte mons, ex alia rubrum mare, & ex alia Pharaonis cingebat exercitus, & inclusus populus tenebatur cæteris tribubus desperantibus salutem, & aut reuerti in Ægyptum aut bellare cupientibus, solus Iudas fideliter ingressus est mare, vnde & Regnum meruit accipere. Hæc ille.

D. Hieron.

Præstabat nobilitate, nam hæc erat tribus Regia. Vnde illud: *Iuda Rex meus*. quod Chaldæus interpretatur, Iudas mihi Regem suppeditabit, & illud: *Non auferetur sceptrum de Iuda*. item illud: *Iudas qui erat fortissimus inter fratres suos, de stirpe eius principes germinati sunt*. pertinebat quidem Regnum ad Rube, eo quod primogenitus esset; verùm quia, vt scriptum est, cum patris vxore habuit rem, hac dignitate priuatus est, traditumque ius Regni tribui Iudæ.

Psal 56. Iacob. 49. 1. Para. 5. Regnum cur ablatum à tribu Ruben primogeniti. Gen. 35.

Pertinebant namque ad primogenitum in primis duæ hæreditatis partes, etenim Deuteron. præcipit Deus, vt primogenito filio, quamuis ortus sit ex vxore exosa, duplicia cuncta tradantur. iuxta hanc partitionem interpretatur Cardinalis Caietanus verba illa Elisei ad Eliam: *Obsecro, vt fiat in me duplex spiritus tuus*, id est, obsecro, vt duplicem mihi spiritus tui portionem, tanquam primogenito filio, hæreditatis loco relinquant. Theodoret. in Genesin quæst. 77. Primogeniti, inquit, primam & duplicem portionem accipiebant, &c. His duabus partibus mulctatus est Ruben ob crimen patratum, datèque sunt dilectissimo Iacob filio Ioseph, quod memoriæ proditum est his verbis: *Ipse Ruben fuit primogenitus Iacob, sed cùm violasset thorum patris sui, data sunt primogenita eius filijs Ioseph, & non est ille reputatus in primogenitum*, &c. Hæc causa est, cur Ioseph duas tribus constituerit, Ephraim & Manasse, quia duę sortes hæreditate illi obuenerant. vnam possedit Ephraim, alteram Manasses, vice patris Ioseph, quamobrem non appellatur vlla tribus Ioseph, sed filiorum eius, Ephraim & Manasse, cum tribus numerantur, Ioannes tamen tribum Ephraim tribum Ioseph

Dent. 21.

4. Reg. 2. Duplex hæreditatis pars primogenito tradebatur Theodoret.

1 Paral. 5. Cur filij Ioseph duas tribus constituerint.

Apoc. 7.

nominauit.

Regnum quoque, vt diximus, ad primogenitum spectabat, & Sacerdotium, vt scribit Hierony. in traditionibus hebraicis in Gen. 49. & docet Chaldæus Paraphrastes eodem capite, sic enim interpretatur illa verba Iacob: *Ruben primogenitus meus, prior in donis, maior in imperio*. Ruben, inquit, tu acceprurus eras tres partes, primogenituram, scilicet, sacerdotium, & regnum. quasi diceret Iacob: Ruben tu ratione primogenituræ in donis prior eras, quia duæ tibi hæreditatis partes debebantur, maior eras in imperio, quia regnum & sacerdotium ad te attinebant. Sed regno quoque & sacerdotio spoliatus pœnas violati paterni thori dedit, id quod Iacob addidit: *Effusus es*, inquit, *sicut aqua non crescas, quia ascendisti cubile patris tui, & maculasti stratum eius*. Chaldæus sic interpretatus est: Quia secutus es voluntatem tuam, sicut aqua effusa non proficies, neque accipies portionem superexcrescentem. Hieronym. in quæstionibus hebraicis sic: Peccasti, quasi aqua quæ vasculo non tenetur, voluptatis impetu effusus es, &c. Ideo non creuit Ruben, imò decreuit, sacerdotij, regnique iure amisso. Sacerdotium Leuitis datum est, regnum tribui Iudæ, quam idcirco regiam appellauimus. Ex ea præstantissimus ille Rex Dauid, Salomon, Ezechias, cæterique Reges, ad captiuitatem vsque Babylonicam, orti sunt. Nec verò Babylonico exilio mulctatam extingui passus est Deus, quin potius in patriam restituit, multisque beneficijs cumulauit, quousque totius spes orbis Christus ex ea ortus est.

D. Hieron. Chaldæus paraphr. regnũ & sacerdotium ad primogenitu. pertinebant. Gen. 49.

Gen. 49.

Chaldæus.

D. Hieron.

Ex hac verò tribu oriturum hunc Solem ille forsitan locus adumbrabat, in quo castra in solitudine Iudas metabatur. Orientalem enim plangam tenebat tribus Iudæ, vt iam diximus, videlicet adumbrans ex eâ tribu splendidissimũ Solem oriturum, qui suo fulgore totum terrarum orbem illuminaret. Ipsum quoque nomen hebræum יהודה Iehudah, significasse videtur tribum Iehudah fore ostium, per quod Deus humana natura indutus orbem ingrederetur. Nomen enim Iehudah, omnes quatuor literas continet nominis ineffabilis Iehouah, quod à numero literarum tetragrammaton Græci, Latini quadriliterum vocant, vt perspicuum est hebraicè sciẽtibus. nam punctorum nulla habetur ratio. Addita præterea est litera ד daleth, quæ ostium significat, vt indicaretur Deum, cui nomen Iehouah erat, per Virginem ex tribu Iuda, tanquam per ostium, in terras ingressurum.

Vide quàm bene omnia congruant, Iehudæ tribus in oriẽtali plaga castrametatur, suo nomine Dei nomen complectitur, & literam addit ד, quę significat ostium, quia nimirum Deus per Virginem, tanquam per portam illam Ezechielis, quę ad orientalem plagam vergebat, mundum introiuit. Tribus Iudę orientalis est, & ostium nomine prefert. Virgo ex tribu Iuda ostium est, ostium, inquam, orientale, de quo Ezechiel: *Porta, ait Dominus, hæc clausa erit, non aperietur, & vir non transiet per eam, quoniam Dominus Deus Israël ingressus est per eam, eritq; clausa principi*, &c. Ambrosius libro de institutione Virginis, capite 7. Quę, inquit, est hęc porta, nisi Maria? ideo clausa, quia virgo; porta igitur Maria, per quã Christus intrauit in hũc mundum, quando virginali fusus est partu, &c. Et capite octauo Hęc porta, inquit, ad Orientem aspiciebat, quoniã verum lumen effudit, quę generauit Orientem, peperitque solem iustitię. Hęc Ambrosius.

Virgo Deipara.

Ezech. 44.

D. Ambros.

CAPVT II.

An Christus sit ortus ex tribu Leui.

DVbitare quis poterit, num ex tribu Leuitica fuerit Christus oriundus? partem affirmantem sic probabit. Virgo Christi mater cognata fuit Elizabethæ, vt verba angeli indicant: *Ecce Elizabeth cognata tua, & ipsa concepit*, &c. At Elizabetha ex tribu Leuitica fuit orta, vt docet Lucas: *Vxor*, inquit, *illius*, id est, Zachariæ, *de filiabus Aaron: & nomen eius Elizabeth*: filiæ enim Aaron dicebantur, quæ ab Aarone summo pontifice ex tribu Leui originem ducebant, ergo Christus cognatus erat Elizabethæ, ac proinde ex tribu eadem Leuitica. Idem confirmabit, quia Christus summus est Rex, & summus quoque sacerdos, ergo rationi consonat, vt ex tribu regia, quia Rex regum, & ex tribu sacerdotali, quia pontifex est, pontificum originem habuerit.

Luca 1.

D. Augusti.

Christus non fuit ex Leuitica tribu.

Faustus hæreticus Manichæus apud Augustinum libro 23. contra Faustum capite 4. asseruit patrem Deiparæ virginis Ioachim fuisse sacerdotem. Sed infausti hæretici, impium & infaustum dictum execramur. Impium enim est sentire patrem virginis fuisse sacerdotem, nam si sacerdos fuit ex tribu Leui originem absolutè ac præcipuè duxit, aliter sacerdos esse non posset. Quod si pater virginis tribus fuit Leuiticæ, consequitur eiusdem tribus fuisse virginem, ac proinde Christum; nam tribus denominatio à Patre præcipue sumitur. Christum verò Leuiticæ tribus non fuisse ostendit Paulus: *Manifestum*, inquit, *est quod ex Iuda ortus est Dominus*, in qua tribu nihil de sacerdotibus Moyses locutus est. Idem; Christus de alia tribu est, de qua nullus altari præsto fuit, id est, Christus non est de tribu Leui, ex qua sacerdotes creantur, sed de alia, scilicet de tribu Iuda, ex qua nullus vnquam fuit sacerdos.

Hebr. 7.

Præterea in libello quodam de sacerdotio Christi, qui adnectitur commentarijs Euthymijs in Euangelia, & apud Suidam verbo, Iesus Christus, dicitur Christus fuisse sacerdos antiquæ legis, & cooptatus in numerum sacerdotum. Id quod eisdem Pauli testimonijs planè refutatur. nemo enim sacerdos esse poterat, aut in numerum sacerdotum cooptari, qui à tribu Leuitica non esset ortus.

D. Augusti.

D. Augustinus de consensu Euangelistarum lib. 2. capite secundo, ex vtraque tribu Iudæ & Leui Christum ortum arbitratur. quoniam, inquit, sacerdotale virginis genus non tacetur, insinuante Luca, quod cognata eius esset Elizabeth, firmissimè tenēdum est, carnem Christi ex vtroque genere propagatam, & regum scilicet, & sacerdotum. idem sentit in libro 83. quæstionū quæstione 61. & in quæstionibus libri Iudicum, quæstio. 47. sequitur eandem sententiam Beda Luc. 1. ad verba illa, *Ecce Elizabeth cognata tua*. D. Tho. 3. p. q. 31. art. 2. ad secun. Iulianus Pomerius lib. 3. contra Iudæos, Eucherius in libro quæstionum noui testamenti. Greg. Nazianz. in carmine de Christi genealogia, D. Ambrosius de benedictionibus patriarcharum c. 3. Andreas Cretēsis Archiepiscopus Ierosolymitanus in encomio Virginis Deiparæ, D. Hilarius Canone primo in Matthæum.

Christus absolutè ex tribu Iuda fuit. habuit aliquā cognationēcū tribu Leui.

Qua ratione id fieri potuerit, docet Augustin. in lib. citato, 83. quæstionum, q. 61. Alia, inquit, erat origo sacerdotalis, quæ per vnū ex filijs Dauid, sicuti assolet, de tribu sacerdotali matrimonium sortientem, efficerat, vt Maria de vtraq; tribu, id est, regia, & sacerdotali, cognationem duceret, &c. Existimat ergo August. aliquem virum ex posteris Dauidis, & progenitoribus virginis tribus Iudæ, matrimonium inijsse cum fœmina sacerdotali tribus Leuiticæ, indeque effectum, vt virgo ex vtraque tribu esset oriunda, & cognata Elizabethæ.

D. Hippolytus Episcopus apud Nicephorum lib. 2. cap. 3. D. Annam docet fuisse sacerdotis filiam, qui Matthan appellaretur, sororesque habuisse eandem D. Annam duas, ex altera illarum ortam Elisabethā: Tres, inquit, fuere sorores filiæ Matthan Sacerdotis, & Mariæ coniugis eius, prima Maria, secunda Soba, tertia Anna appellabatur. primæ filia fuit Salome, secūdæ Elizabeth, tertiæ Annę filia fuit Virgo beata. Hæc ex Hyppolyto. Abulēsis quæst. 28. in caput primum Matthæi: Multi, inquit, volunt quod Anna mater Dominæ nostræ fuit ex tribu Leui, & istud magis tenetur. Hæc ille. Alij scribunt, Emerentianā quadam Stoloni cuidā nupsisse, & ex illo filias duas D. Annam, & Ismeriam peperisse. Annam Ioachimus duxit vxorem, Ismeriam alius quidam cum duxisset, Elisabetham Baptistæ matrem genuit.

Ego sequor id, quod ex præcepti Sixti Quinti Pōtificis Maximi Ecclesia recitat, in festo D. Annæ die, Anna virginis Dei genitricis mater, Gaziri filia ex tribu Iuda, in Bethlehem oppido Iudææ nata, Ioachimi fuit vxor, qui & ipse ex eadem tribu Galilæus erat ex Nazareth, ambo ex stirpe regia, &c. Quamuis autem tam D. Anna, quam Ioachimus ex tribu Iuda regia orti sint, potuit tamen vel vterque, vel alter aliquem habere progenitorē ex tribu Leuitica, cuius ratione Christus dici possit à Leuitica tribu aliquo modo ortus. Absolutè enim ex tribu Iuda ortus dicendus est, vt etiam docet D. Augustinus in lib. 83. quæstionū, q. 61. A Dauid, inquit, in duas familias, regiam, & sacerdotalem origo distributa est, quarū regiam descendens Matthæus, Sacerdotalem ascendens Lucas secutus est, vt dominus noster, Rex, & Sacerdos noster, & cognationem duceret de stirpe sacerdotali, & non esset tamen de tribu sacerdotali, id est, de tribu Leui, sed esset de tribu Iuda, id est, de tribu Dauid, ex qua nemo intendit altari. Hæc Augustinus. Eodem quoque loco rationem reddit, cur oportuerit Christū non esse ex tribu Leui sacerdotē. Oportebat, inquit, vt euacuaturus sacrificia, quæ secundùm ordinem Aaron in Leuitico Sacerdotio fiebant, non esset de tribu Leui, ne ad ipsam tribum & ad ipsum sacerdotium, quod temporaliter vmbra erat futuri, pertinere videretur mundatio peccatorum, quam Dominus oblatione holocausti sui, quod in veteri sacrificio figurabatur, impleuit, &c.

D. Augusti.

Cur autem congruum fuerit, Christum ex Leuitica tribu aliquo modo oriri, rationē reddit Beda illā, cuius iam suprà meminimus. Quia scilicet Rex est, & Sacerdos. Vnde, inquit, & in vtraque tribu Chrisma per legem mysticum celebrabatur, Christi nimirum nominis, & generationis prænuntium. Existimat Beda, vnctionem, quæ sacerdotibus ac regibus in veteri lege adhibebatur, typū fuisse vnctionis, & nominis Christi, quod vnctum significat; prænuntiasse præterea, ipsum Christum, id est, vnctum, ex duabus illis tribubus, quibus solēnis erat vnctio, nasciturum. Augustin. quoque de consensu Euangelistarum lib. 2. c. 2. Vnctionem Sacerdotū & Regum, Christi, id est, vncti, nomen adūbrasse docet. Firmissimè, inquit, tenēdum est, carnem Christi ex vtroq; genere propagatam, & regū scilicet, & sacerdotū, in quibus personis apud illum populum Hebræorum, etiam mystica vnctio figurabatur, id est, Chrisma vnde Christi nomen elucet, tanto ante etiam illa euidentissima significatione prænuntiatum, &c.

D. Augusti.

Duobus argumentis, quæ initio proposita sunt,

ex

ex dictis, quid reſpondendum ſit, liquet. Fuit enim Virgo Eliſabethæ cognata, quòd aliquis ex virginis progenitoribus vxorem duxerit fœminam ex tribu ſacerdotali, vel quod aliqua fœmina ex virginis familia & tribu Iudæ nupſerit ſacerdoti. Vnde factum, vt Chriſtus ex vtraque tribu ſit oriundus, quia Rex eſt ſummus, & Pontifex Maximus. An autem tribui Iudæ fas fuerit cum tribu Leuitica inire matrimonia, infrà inueſtigatur.

CAPVT III.

An Chriſtus à ſolis Iudæis, an etiam à Gentibus ſit oriundus.

REſpondemus, non ex Iudæis ſolùm, ſed ex gentibus quoque originem habere Chriſtum, id quod eius oſtendit Genealogia, in qua non Iudæi ſolum, verum ethnicæ quoque fœminæ numerantur. Etenim Rex ille Iudæorum Regum origo, decus, & maximum ornamentum Dauid, ex fœminis ethnicis ortus eſt, ex Rahab quæ Chananæa mulier fuit; *Ioſue 2.* vt memoriæ proditum eſt Ioſue ſecunda Iſraeliticoſque exploratores excepit, ac tutata eſt, & ex Ruth Moabitide, quæ nupſit Booz Dauidis proauo, fuitque ipſius Dauidis proauia. Cum ergo Chriſtum *Chriſtus ortus eſt, etiam ex gentibus Iſaiæ 16.* ex Dauide originem ducere ſit compertum, perſpicuum quoque eſt, non ex Iudæorum tantummodo, ſed ex Ethnicorum quoq; genere ortum. Quamobrem Iſaias cap. 16. precatur, vt ex Moabitis Meſſias emittatur: Emitte (ait) *Agnum dominatorem terræ, de petra deſerti, ad montem filiæ Sion.* Agnus terræ dominator Chriſtus eſt, qui peccata mundi tollit, petram *D. Hieron. Rupertus.* autem deſerti D. Hieronymus, & Rupertus Ruth eſſe interpretantur, at veriſimilius eſt petram, id eſt, rupem deſerti appellari numero ſingulari pro plurali, ipſas regionis Moabiticæ rupes, ipſaſque ſolitudines, rupibus plenas, quippe quæ Arabiæ petreæ pars ſit, ex hac ſolitudine, ex his paſcuis mitti poſtulat Eſaias agnum, ex his rupibus & petris petram Chriſtum. Lyranus vult petram nomen eſſe ciuitatis, ex qua Ruth erat oriunda, quidquid ſit, vates precatur emitti Meſſiam ex Moab, id eſt, è medio Gentium, vt intelligamus Meſſiæ ſanguinem, quo redempti ſumus, etiam à gentibus emanaſſe, quod Eccleſia canit in quodam ex reſponſorijs Dominicæ ſecundæ aduentus: *Gaude, & lætare Iacob, quia de medio gentium Saluator tuus veniet,* &c.

Quemadmodum ad ædificandum Salomonicum templum non Iudæi ſolùm, verùm Ethnici quoque Tyrij operam contulerunt, ſic etiam ad extru- *Ioannis 3.* endum diuinitatis templum, id eſt, corpus Chriſti, quod ille templum vocat, *Soluite*, inquit, *templum hoc*, id eſt, corpus, vt Euangeliſta exponit, *& in tribus diebus reædificabo illud*, non Iſraëlitæ tantummodo, ſed gentes etiam conuenerunt. Rationi enim conſonum erat, vt qui gentibus ſalutem erat allaturus, ex ipſis etiam gentibus orietur, Sed hac de re loquentem D. Ambroſiũ audiamus in commentarijs capitis 3. D. Lucæ. Recte (ait ille) Sanctus Matthæus per Euangelium gentes ad Eccleſiam vocaturas, autorem ipſum Dominum gentilitiæ congregationis, alienigenarum generationem ſecundùm carnem aſſumpſiſſe, memorauit, vt iam tunc eſſet indicium, quòd illa generatio ederet gentium vocatorẽ, quem ſequeremur omnes ex alienigenis cõgregati, relinquentes paternam domum, & dicentes ei, qui nos ad Dei cultum vocaret, vt Paulo, aut cuicunque Epiſcopo: *Populus tuus, populus meus, & Deus tuus, Deus meus*, &c. *Ruth. 1.*

Sunt hæc extrema verba Ruth, cui Ambroſius ſimilem eſſe affirmat Eccleſiam gentium: In Ruth, (inquit) noſtrũm omnium, qui collecti ex gentibus ſumus, ingrediendi in Eccleſiam Domini figura præceſſit. Enim verò vt Ruth populo Moabitico, patrijſque ritibus relictis, veri Dei religionem complexa eſt, ſic Eccleſia nationis & cognationis ſuæ oblita, ſimulachrorum cultu abiecto, Deo vero Chriſto adhæſit, quod à regio vate conſilium acce- *Ruth Eccleſia typus* pit, Pſalm. *Audi filia & vide, & inclina aurem tuam, & ob- Pſal. 44.* *liuiſcere populum tuum & domum Patris tui, & concupiſcet Rex decorem tuum.* Felix obliuio, quæ memoriam Dei, & pulchritudinem ſummo Regi Chriſto concupiſcendam parit, infelix mundi memoria, quæ Dei obliuionem, animiſque fœditatem affert, oblita eſt Ruth populum ſuum, & domum patris ſui, inclinauit aurem ſuam monitis ſocrus ſuæ Noëmi, ideoque Booz nupſit, fuitque Dauidis magni illius regis, Chriſtiſque Optimi ac Maximi progenitoris proauia. De Ruth hæc Chryſoſtomus: Conſidera, inquit, ea, quæ in Ruth facta ſunt, noſtri figuram fuiſſe. hæc enim erat alienigena, & in extremam delapſa pauperiem, ſed videns ipſam Booz nec ob *D. Chryſoſt. Hom in Matth.* ipſius pauperiem deſpexit, nec ob impietatẽ gentis exhorruit, ſic etiam Chriſtus Eccleſiam ſuſcipiens, & alienigenam & magnorum oppreſſam egeſtate bonorum, ſuo conſortio copulauit. Sed quemadmodum Ruth niſi reliquiſſet parentes, niſi domum contempſiſſet, & gentem, & patriam, nunquam tali fuiſſet nobilitata connubio; ita Eccleſia, non ante amabilis efficitur ſponſo, quam priorem conuerſationem relinquat. Hæc Chryſoſtomus.

Rahab verò Chananæa è ciuitate Iericho, quę Dauidis fuit atauia, materque Booz, fide valuit, vt Paulus docet: *Fide*, inquit, *Rahab meretrix non periit cum Hebr 11. incredulis, excipiens exploratores cum pace.* Laudatur etiam *Iacobi 2.* à Iacobo ex operibus: *Rahab*, inquit, *meretrix nonne Rahab Eccleſia vmbra.* *ex operibus iuſtificata eſt, ſuſcipiens nuncios, & alia via eiiciens?* Meretrix quidem erat, qua in re gentes cum idolis fornicantes adumbrauit, fed vt ait Chryſoſtomus Homil. 5. de pœnitentia: Erat in fornice velut in volutabro confuſa Margarita, aurum in luto abiectum, flos ſpinis conſoſſus; per fidem verò viuam *D. Chryſoſt.* Margarita è volutabro, aurum è luto, flos è ſpinis emerſit. Rahab (ait Chryſoſtomus) Eccleſiæ figura fornicatione dæmonum olim inuolutæ, explora- *Ioſue 2.* tores ſuſcipientis, non à Ioſue, ſed à Chriſto miſſos: *Neui*, (inquit Ioſue) *quoniam Deus veſter in cœlo ſurſum, & in terra deorſum, & præter eum non eſt* *Ioſue 6.* *Deus*, &c.

Vox etiam illa Ioſue: *Sola Rahab meretrix viuat cum vniuerſis, qui cum ea in domo ſunt*: Eccleſiam ſolã, eiuſque filios victuros, qui fidem cum charitate & ope- *Ioſue 2.* ribus coniungerent, præſignabat. Illa quoque exploratorum verba typica ſunt: *Qui oſtium domus tuæ egreſſus fuerit, ſanguis ipſius erit ſuper caput ipſius.*

Quicunque enim Eccleſiæ oſtium à Chriſti fide deficiens egreditur, æternæ mortis pœnas luit. funiculus item coccineus è feneſtra Rahab in ſignum ſalutis appenſus, multum myſterii continebat, fore *D. Ambroſ.* videlicet, vt purpureo Chriſti ſanguine è cruce pẽdentis Eccleſia ſalutem conſequeretur. Ambroſius in libro de Salomone capite 5. Quòd ſigno cocci ſignata eſt Rahab, qui color figuram Chriſti ſan- *Theodore. Hebre. 11.* guinis indicabat, & quòd euerſionem ciuitatis euaſit, Eccleſiæ typum habuit, quæ per ſanguinem Chriſti ruinam mundi iſtius non meruit, &c.

Hebr. 11. Theodoretus. Quemadmodum Rachab signum salutis accepit funem coccineum: ita Ecclesia per sanguinem Domini æterna bona est assecuta. Præterea cognita est ab Israëlitis domus Rachab ex coccineo, cognoscitur ab omnibus terræ nationibus domus Ecclesiæ ex signo crucis purpureo. Pendebat ante fenestram Rachab funiculus rubeus, pendet ante fenestras, id est, oculos omnium Christianorum crux, & sanguis Christi: *Aspicientes* (inquit Paulus) *in autorem fidei, & consummatorem Iesum, qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem*, &c. Rupertus: Funiculus (inquit) coccineus in fenestra ligandus, titulus est dominicæ passionis, inter oculos Ecclesiæ iugiter pingendus, sanguineum est crucis signaculum, iugiter pingendum in fronte eius, &c.

Hebr. 12.

Rupertus in lib Iosue cap. 12.

CAPVT IV.

Ex qua familia ortus sit Christus.

Luca 1. EX familia Dauidica ortum Christum, ipso sole clarius est. Quamobrē in diuinis literis, & filius Dauidis, & nonnunquàm Dauid appellatur. Dabit

Ierem. 23. Isai. 11. *illi Dominus Deus* (ait Angelus) *sedem Dauid patris eius.* Ierem. *Suscitabo Dauid germen iustum*, id est, filium. *Egredietur virga de radice Iesse*, id est, virgo Deipara veluti pulcherrima virga e radicibus Iesse, qui pater Dauidis fuit, nascetur, & flos odoris suauissimi, omniumque morborum medicamentum Christus, de eadem radice ascendet, *Factus est ei ex semine Dauid, secundùm carnem.* Non latebat Messiæ genus Pharisæos,

Christus ex familia Dauid Rom. 1. nam interrogati à Christo. *Quid vobis videtur de Christo,*

Matth. 22. id est, Messia, *cuius filius est?* responderunt, Dauid. Ipsis etiam turbis hoc notum erat. nam vt dicitur:

Matth 12. *Stupebant omnes turbæ, & dicebant, nunquid hic est filius*

Matth. 9. *Dauid?* ipsi cæci hoc videbant, *Secuti sunt Christum duo cæci clamantes, & dicentes, miserere nostri fili Dauid.*

2. Reg. 7. Hunc filium pollicetur Deus Dauidi per Nathanum vatem illis verbis: *suscitabo semen tuum post te, quod egredietur de vtero tuo, & firmabo regnum eius, ipse ædificabit domum nomini meo*, id est, Ecclesiā, *& stabiliam thronum regni eius, vsque in sempiternum. Ego ero ei in patrem, & ipse erit mihi in filium.* Quæ verba duplicem continent sensum, alterum humiliorem de Salomone, alterum sublimiorem de Christo, quem nobis Paulus aperuit ad Hebræos. Tanti filij cum accepisset pollicitationem Dauid, animo gratissimo locum ingressus, in quo arca testamenti illo tempore asseruabatur, debitas gratias egit. *Quis*, inquit, *ego sum Domine Deus, & quæ domus mea, qui adduxisti me hucusque?* ab humilitate ducit initium, abjicit se, à Deo in altum sublatus, capaciorem que per humilitatem ad plura recipienda beneficia efficit.

Hebr. 1.

Quis ego, inquit, sum, vilis homunculus, quem ad tam celsum regiæ dignitatis gradum euexisti? Sed & hoc parum visum est in conspectu tuo Domine Deus, nisi loquereris etiam de domo serui tui in lōginquum, ista est enim lex Adam, id est, hominis, Domine Deus, vt scilicet, domum suam cupiat esse perpetuam.

Nullus vnquam Rex eam vidit, aut videbit domus perpetuitatem, quam vidit Dauid. Cæterorum enim regum omnes domus, sceptra, filij, pereunt tandem, omnisque fucata totius orbis regnorum gloria, veluti nubiū splendor repentè disparet, filij autem Dauidis, id est, Christi regnum, potestas, gloria erit sempiterna. Has misericordias Dauid canit: *Misericordias* (inquit) *Domini in æternum cantabo*, quia scilicet, æternæ misericordiæ æterno cantico dignæ sunt. Quoniam dixisti in æternum misericordia ædificabitur in cœlis, in Christo siquidem qui in cœlo est, ædificium quoddam, vel templum æternę misericordiæ, summo artificio Deus fabricauit, propitiatorium quoddam ex auro purissimo construxit, refugij quandā ciuitatē adquā confugientes misericordiam consequantur, ædificauit. Præparabitur veritas tua in eis, id est, promissorum tuorum veritas in cœlis est firmata atque fundata, quemadmodum cœli sunt omnis corruptionis expertes, sic veritas tua, vel, in cœlis sempiternus Christus sedebit, & constituetur, in quo promissa tua exolues. Sequitur Dei promisio: *Disposui testamentum*, id est, pactum de Christo, *electis meis Abrahamo, Isaaco, Iacobo: Iurauí Dauid seruo meo vsque in æternum; præparabo semen tuum, & ædificabo in generatione & generationem sedem tuam.* Et infrà: *Ponam in sæculum sæculi semen eius, & thronum eius sicut dies cœli, quod perpetuum est. Et thronus sicut Sol in conspectu meo, & sicut Luna perfecta in æternum*, id est, sempiternus erit thronus, & Sol summo fulgore præcellens, quemadmodum ac Luna, Psalm. 131. *Iurauit Dominus Dauid veritatem, & non frustrabitur eum, de fructu ventris tui ponam super sedem tuam*, &c.

Psal. 88.

Psal. 131.

Verbis item Dauidis nouissimis (vt alia omittam) quę secundo Regum continentur, pactum hoc diuinum celebratur. ea quia eximia sunt, & intellectu difficilia, libet explicare. *Hæc sunt* (legitur eo capite) *verba nouissima, quæ dixit Dauid filius Isai, dixit vir, cui constitutum est de Christo Dei Iacob, egregius psaltes Israël. Spiritus Domini locutus est per me, & sermo eius per linguam meam*, &c. His verbis docet Dauid se prophetam & suauissimum esse Israëlis psaltem, quippe qui suauissimos Psalmos spiritu afflatus diuino composuerit. Docet præterea sibi constitutum esse de Christo Dei Iacob, id est, statuisse Deum ex ipsius semine Messiam mittere. Deinde de Messia addit hęc: *Dixit Deus Israël mihi, locutus est*, locutus, inquam, est, quod sequitur de Messia, *fortis Israël*, Hebraicè צור tsur, id est, petra Israël, scilicet erit Messias, iuxta illud Pauli: *Petra autem erat Christus*, & dominator erit hominum, iustus dominator in timore Dei.

Verba Dauidis nouissima. 2. Reg. 23.

1. Cor. 10.

Sicut lux auroræ oriente sole, manè absque nubibus rutilat, & sicut pluuijs germinat herba de terra, id est, erit similis Messias Soli orienti sereno cœlo, nullis obscurato nubibus & pluuię optatę. sicut lux solis orientis rutilat, sic lux Messię clarissima toto rutilabit orbe, & sicut pluuijs germinat herba de terra, sic per illius doctrinam germinabit gratia, & virtus de mundo. eisdem similitudinibus vsus est Oseas, *Quasi diluculum*, inquit, *præparatus est egressus eius*, scilicet Messię, *& veniet quasi imber nobis temporaneus, & serotinus, terræ.* Pluuia temporanea dicitur ea, quę è cœlo fluit eo tempore, quo sementem faciunt agricolę, serotina quę segetes ad maturitatem perducit: Christus pluuia est temporanea & serotina, quia & primam gratiam nobis donat, & vsque ad fructum, & gloriam perseuerantiam. Huic pluuię & sementem debemus, & segetem gratię, & messem glorię. Sequitur de pacto.

Osea. 6.

Nec tanta est domus mea (ait Dauid) *apud Deum, vt pactum æternum iniret mecum, firmum in omnibus atque munitum*, id est, non propter nobilitatem, & splendorem domus meæ; mecum iniuit Deus pactum eternum de Messia, ex meo genere orituro, sed propter bonitatem, ac misericordiam suam. Iis adiungit verba plena desiderij Messiæ:

fiæ: *Cuncta*, inquit, *salus mea, & omnis voluntas*, id est, A omne desiderium, Messias est, ab eo tota salus mea pendet, ille mihi vnus est in optatis. Septuagint. sic vertit: *Omnis salus mea, & omnis voluntas in* Domino. quæ versio nostræ expositioni fauet. Additur: *Nec est quidquam ex eo, quod non germinet*, vt est in complutensi editione, id est, nihil est ex Messia, quod non sit fructum magnum mundo pariturum, opera omnia, verba omnia, omnes Messiæ cogitationes, germinabunt mundo, gratiamque afferent vberrimam. Aliter legitur in vulgata editione correcta, quæ sequenda est: *Nec est quicquam ex ea, quod non germinet*, id est, ex voluntate Dauidis, quia præuidebat ille suam voluntatem, suúmque de Messia desiderium, non sine fructu relinquendum, sed cumulatissime explen- B dum: ait: Neque est quicquam ex ea voluntate mea de Messia, quod non germinet, id est, quod non efficiatur à Deo, & perueniat ad opus; efficiet enim Deus quæcunque opto de Messia, non erit mea voluntas aliqua in re irrita aç vana, non frustrabitur Deus spem, & voluntatem meam. Tandem de Iudæorum quoque populo vaticinatur, eumque cum spinis confert, quas e terra promissionis Deus euulsit: *Præuaricatores autem*, inquit, id est, qui in Messiam fuerint præuaricati, *quasi spinæ euellentur vniuersi*: Messias germinabit, hostes autem eius sicut spinæ eradicabuntur, &c.

Ex his constat Christum à Dauidis familia ducere originem, quod ipse etiam testatur Apocal. vltimo: C
Apoc. 22. *Ego*, inquit, *sum radix, & genus Dauid*, id est, à Dauide radicem, & genus traho. & Zacharias Baptistæ pater:
Luc. 2. *Erexit*, inquit, *cornu salutis nobis in domo Dauid pueri sui*, id est, Deus extulit fortissimum, & salutiferum Messiæ regnum ex familia Dauidis, eriget sceptrum & cornu potentissimum crucis, quo ventilabit hostes Messas ex domo Dauidis. Sed dubium est non vulgare, an à Dauide per Salomonem originem Christus habeat, an per alium filium? cui nos infrà respondebimus. Illud nunc obseruandum, Christum secundum humanitatem filium esse Dauidis, quia virgo Deipara eius mater, Dauidis filia est, secundũ
Psal. 109. diuinitatem verò Dominum esse Dauidis, iuxta illud: *Dixit Dominus Domino meo sede à dextris meis.* à Da- D uide appellatur christus, Dominus, quia non solum homo erat, verum etiam Deus, quod cum Pharisæi
Matth. 22. ignorent, Christo roganti: *Si Dauid vocat eum Dominum, quomodo filius eius est?* Respondere non potuerunt.

D. August. Augustinus Psalm. 54. Christus, inquit, filius Dauid est secundum carnem, Dominus Dauid secundum diuinitatem, & cætera. Nec tamen secundum diuinitatem solummodo, sed secundum humanitatem etiam cum diuinitate copulatam Dominus est Christus Dauidis: & omnium hominum, quia omnium est redemptor, omnium Rex ac pontifex Maximus. est item Dauid radix Christi, quia à Dauide ortus est Christus, veluti à radice arbor pulcherrima, fructuque plenissima suauissimo, est E & Christus radix Dauidis, vt dicitur Apocalypsis vigesimosecundo, quia à Christo veluti radice quidquid succi, id est gratiæ habuit Dauid, traxit.

Isai. 53. *Ascendet sicut virgultum coram eo, & sicut radix de terra sitienti*, ascendit Christus à Dauide natus, coram Iudæorum populo, veluti virgultum, quod in arborem euasit pulcherrimam, & veluti radix gratiæ totius, ac gloriæ. Sed ad Euangelistas iam veniamus.

CAPVT V.

De Libro generationis Christi.

CHristi Genealogiam descripsit Matthæus & Lucas, Matthæus hunc sui duxit Euangelij initium: *Liber generationis Iesu Christi*, quia primum, quod in historia requiritur, genus est eius, de quo agitur principis. Lucas postquam de baptismo egit, Christi Genealogiam subiecit, vt insinuaretur, in baptismate renasci hominem, nouumque ac cœleste genus adipisci. Præterea, quia Patris cœlestis atque æterni, præclarissimæque illius vocis fecerat mentionem, qua è cœlo dilectissimum filium affatus est: *Tu es filius meus dilectus, in te complacui mihi.* Iosephi quoque facere voluit mentionem, qui Christi pater putabatur, eiusque Genealogiam contexere. *Matth. 1. Luc. 3.*

Ambiguum est, quid illa Matthæi verba significent, *Liber generationis*: videtur enim Euangelium suum librum generationis Iesu Christi appellare, cùm tamen hæc Christi generatio, parua quædam tantæ scripturæ portio sit. Respondet D. Thomas hoc modo: Matthæus, qui scripsit Hebræis, in scribendo modum Hebræorum seruauit. consuetum est autem apud Hebræos libros suos à principio intitulare, sicut dicitur Genesis, quia ibi agitur de generatione, &c. Eodem modo respondent Lyranus, & Carthusianus. Itaque aiunt Hebræorum Matthæum secutum morem, qui libros ab ea re denominant, de qua initio libri agitur. cum igitur initio Euangelij de Christi generatione agatur, meritò liber generationis CHRISTI nominatum est. *Liber generationis Iesu Christi D. Thomas.*

At hic mos falso Hebræis tribuitur, non enim libros solent à rebus nominare, de quibus in principio librorum sermo est, sed à primis verbis siue dictionibus, quemadmodum iuris periti decretorum, ac decretalium capita, ab initijs ipsorum capitum denominant. Liber Genesis ab Hebræis, dicitur beresith, id est, in principio, Exodus, veelle Semoth, id est, & hæc nomina, Leuiticus, vaicra, id est, & vocauit, quia hę dictiones initia sunt voluminum; Genesis, Exodus, Leuiticus, & cætera nomina Græcorum sunt, non Hebræorum. *Hebræi libros à primis verbis solent nominare.*

Vnde non rectè dixit Euthymius Matth. 1. à Mose appellatum esse librum Geneseos. D. Chrysostomus hom. secunda, in Matth. propterea putat, librum Euangelij appellari librum generationis Iesu Christi, quia omnium gestorum Christi, & omnium bonorum caput, & radix, est generatio Christi humana: Librum, inquit, generationis vocat Matthæus, quia totius dispẽsationis caput, & radix, atque principium omnium nobis in hoc consistit bonorum, omni siquidem admiratione plenissimum est, & super spem, expectationemque mortalium, quod Deus homo factus est, hoc autem impleto illa omnia, quæ sequuntur, iuxta ordinem, & rationem consequuntur. Hæc ille. Et Euthymius: Reliquum (ait) est, vt ab hac præcipua parte, Euangelista totum librum generationis librum vocauerit. *Euthym. D. Chrys.*

Respondemus paucis dubio proposito: Matthæum noluisse hunc titulum, *Liber generationis*, toti Euangelij libro præfigere, sed huic tantummodò Christi genealogiæ, quasi dicat, hęc est enarratio, vel scriptura generationis Messiæ, hic est Catalogus eorum, à quibus duxit originem. Quemadmodum Genes. dicitur: *Hic est liber generationis Adam*, id est, hic est Catalogus eorum, quos Adam primus, homo *Liber generationis quis dicatur Gen. 5.*

homo generauit, quorum deinde nomina & gene- A rationes ſequuntur. Nec enim illud caput liber eſt proprie, ſed Catalogus. Obijcies nomen libri non ſignificare Catalogum, ſed longius aliquod volumẽ. Reſpondemus, Hebraiſmum eſſe cùm liber pro breui aliqua ſcheda, vel genealogia vſurpatur. nam nomen Hebræum ספר ſepher, quo Matthæus vſus eſt, non ſolùm volumen longius, ſed breuem etiam ſignificat ſchedulã, vt colliges ex Ieremia, emiſſe dicitur eo capite Ieremias agrum, vẽditionis verò ſchedam librum ſæpè appellat, Hebraice ſepher. Similiter paruus libellus repudij appellabatur liber: *Quis eſt hic liber repudij matris veſtræ, quo dimiſi eam?* &c. Hanc interpretationem ſequuntur Abulenſis ca. 1. in Matthæum Maior, Gagneius, & Ianſenius. Ijs adde fuiſſe, vt conjicio, in more poſitum, vt Iudæi ad hunc modum Genealogiæ cuiuſuis Catalogum inchoarent: *Liber generationis Iacob, vel Ioſeph*, &c. morem igitur ſuorum ſecutus eſt Matthæus, & Chriſti Genealogiam, vt cæteri incipiebant, ſic incepit, *Liber generationis Ieſu Chriſti*, id eſt, progenitorum, ex quibus ſecũdùm carnem Chriſtus eſt generatus.

Ierem. 32.

Iſaiæ 50.

Cùm autem Chriſtus duas habeat generationes, alteram diuinam, alteram humanam, Matthæus librum humanæ generationis deſcripſit, diuinã Ioannes (vt iam expoſuimus) intonuit. diuina ex Patre eſt ſine matre; humana, ex matre ſine Patre. Tria viderat orbis generationis genera, quæ Auguſtinus numerat ſermo. 16. de Natiuitate Chriſti. Primum ſine viro, & fœmina, ſcilicet, Adami. Secundum, ſine fœmina, ſcilicet Euæ. Tertium ex patre & matre, quomodo omnes generamur. Quartum reſtabat Chriſti, ex matre ſine patre, quod omnibus generationibus ſalutem afferret. Primus homo (ait Auguſtinus) non eſt natus, ſed factus, patre nullo, nulla matre, ſed Deo operante, hæc hominis prima conditio.

D. Auguſt.

Secunda conditio, id eſt, procreatio, à condendo, eſt, qua creatur fœmina, ſcilicet Eua, de látere viri, ſcilicet, Adami. Tertia conditio eſt, qua natus eſt homo ex viro, & fœmina. Quarta eſt Dei, & hominis, qua natus eſt Chriſtus ſine viro de fœmina. Iam erat conditio vna ſine viro & fœmina, ſcilicet Adami, iam erat altera de viro, ſcilicet Adamo, fœmina, D ſcilicet Eua iam erat tertia de viro & fœmina: Quarta reſtabat ſine viro de fœmina. Sed iſta quarta liberauit tres: prima enim, & ſecunda ruerũt, tertiam de ruina genuerunt, in quarta ſalutem inuenerũt. Hæc Auguſtinus. Salutem ergo omnibus generationibus attulit quarta hæc generatio, cui Cardinalis Hugo accommodat illud: *Generatione quarta reuertentur huc*, generatione quarta reuerſi ſunt filij Abrahami in Palaſtinam è captiuitate Ægyptiaca liberati, per generationem quoque quartam, vt eſt explicatum, filij Adami reducti ſunt in gratiam Dei, à Dæmonis ſeruitute in libertatem aſſerti.

Quadruplex generatio.

Geneſ. 15.

Produxit Deus primum Adamum, non ſolùm nulla peccati macula inquinatum, verùm iuſtitiæ E etiam originalis, & virtutum omnium, ac ſcientiarum decore exornatum. Produxit Adamus nos longè aliter, iuſtitia, virtutibuſque, ac ſcientijs ſpoliatos, & atra peccati labe infectos. Serpebat originalis criminis per omnes generationes cõtagio, naſcebamur omnes non ex Deo, ſed ex ſanguinibus, & voluntate carnis, & voluntate viri, nec vlla temporis diuturnitate vaneſcere labes illa, nec vllis manibus elui poterat.

Adhibuit generationibus Adami primi, remedium generatio Adami ſecundi, à quo non ex ſanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex volũtate viri, ſed ex Deo diuina quadam regeneratione, omnium peccatorum maculis elutis regeneramur.

Non omittam hoc loco, quod Richardus Sancti Victoris, de hac generatione notauit libro primo de Emanuele primã parte capite 12. De ſexu (ait) fortiori fragilior producitur, quando de Adam Eua formatur, ſic ſtatus ſtatum ſequitur, & meliore ſublato deterior ſubintroducitur. Prior fuit ante peccatum, ſecundus poſt peccatum. hic autem è conuerſo, de infirmiori ſexu fortior gignitur, quando de altera quaſi Eua, quæ vere eſt mater omnium vere viuentium, ſecundus Adam generatur, ſic hic poſt vnum ſtatum alius exurgit, & deteriori melior ſuccedit, & prior quidem ante reſurrectionem, ſecundus poſt reſurrectionem.

Richardus Victorinus.

Adumbrabat ergo ex ſententia Richardi, illa B fœminæ imbecillioris ex viro præſtantiori productio, ſtatum illum præſtantiſſimum, quem innocentiæ appellamus, in deteriorem, multoque imbecilliorem alium ſtatum, in quem decidimus, degeneraturum. Hæc verò præcellentiſſimi hominis, ac Dei, ex Virgine generatio, innuit hunc deteriorem, in quo nunc ſumus, ſtatum, in alium multo meliorem, cœleſtem, ac diuinum, poſt iudicium per Chriſtum eſſe mutandum.

Secundùm diuinam generationem Chriſtus vnum tantum habet genitorem, ipſumque ingenitũ, at ſecundùm humanam, multos habet progenitores, à quibus longa quadam ſerie ſiue genealogia per Virginem Deiparam ortus eſt. eos Matthæus, Lucaſque quamuis diuerſo modo, veriſſimè tamen C vt docebimus, numerarunt. Quod ſi obiicias: *Hebr. 7.* dici *Chriſtum ſimilem ſacerdoti Melchiſedech*, qui Rex pacis fuit, ſine patre, ſine matre, ſine genealogia, proinde Chriſtum non habere genealogiam. Reſpondeo, Chriſtum ſecũdùm diuinitatẽ ἀγενεαλόγητον eſſe (ſic Græce Paulus loquitur) id eſt, ſine genealogia. Genealogia enim progenitorum multorum eſt enumeratio, multos autem progenitores ſecundùm diuinitatem Chriſtus non habet. Secundùm humanitatem verò Genealogiam habet, à Matthæo Lucaque contextam.

Hæc Theodoretus, cùm locum Pauli notatum *Theodor.* explanat, his verbis docet: Dominus Chriſtus eſt ſine matre, vt Deus, ex ſolo enim patre eſt genitus, ſine patre autem, vt homo, ex ſola enim matre Virgine per partum editus eſt, ſine Genealogia eſt, vt Deus. Non enim habet opus Genealogia, qui eſt ex ingenito patre genitus. Hęc ille. Hæſitas ignorãs cur Melchiſedech, qui homo fuit Chananæus, ſine patre dicatur, ſine matre, ſine Genealogia: Reſpondetur, propterea dici, quod in diuinis literis huiuſcemodi Genealogia non extet, neque enim docetur quiſnã Melchiſedech pater, quæ mater, quinam fuerint maiores. Sed de Melchiſedech alio loco copioſius dicetur.

Diuidit Matthæus hunc generationis librum in *Diuiſio libri generationis in 3. Teſſaradecadas.* tres (vt Hieronymus appellat) Teſſaradecades, id eſt, quater denas. *Omnes*, inquit, *generationes ab Abrahã vſque ad Dauid, generationes quatuordecim*, ecce primam. *& à Dauid vſque ad tranſmigrationem Babylonis generationes quatuordecim*, hæc ſecunda. *& à tranſmigratione Babylonis vſque ad Chriſtum, generationes quatuordecim*, hæc tertia. De qualibet ergo Teſſaradecade, & de quatuordecim illius progenitoribus eſt dicendum.

Prima Teſſaradecas.

CAPVT VI.

De Dauide & Abrahamo.

1. Teſſaradecas, ſiue quaterdena.

PRima Teſſaradecas complectitur progenitores Chriſti quatuordecim, Abraham, Iſaac, Iacob, Iudam,

Iudam, Phares, Esron, Aran, Aminadab, Naasson, Salmon, Booz, Obed, Iesse, Dauid, quorum primus est Abraham, vltimus Dauid Rex. hos duos in ipso Genealogiæ vestibulo collocat Matthæus, vltimum verò, id est, Dauid, antefert primo Abrahamo, sic enim scribit: *Liber generationis Iesu Christi filij Dauid, filij Abraham*: huiusce ordinis præposteri ratio quæritur. Ordo præposterus (ait Hieronymus) sed necessariò, commutatus, si enim primum posuisset Abraham, & postea Dauid, rursus ei fuerat repetendus Abraham, vt generationis series texeretur. ratio sit, posteriori loco Abrahamum nominauit Matthæus, quia in hac Genealogia hoc obseruat, vt nomen progenitoris bis coniunctim, nullo alio interposito progenitore, repetat, hoc modo: *Salomon genuit Roboam, Roboam autem genuit Abiam, Abias autem genuit Asa. Asa autem genuit*, &c. Vides nomina Salomonis, Roboam, Abiæ, & Asæ, bis nullo alio genitore interiecto repetita. Id in cæteris quoque reperies. Si ergo Matthæus Abrahamū Dauidi præposuisset, huiusmodi repetitionem seruare non potuisset. Sic enim scripsisset: *Liber generationis Iesu Christi filij Abraham, filij Dauid, Abraham genuit Isaac*, &c. Interiecisset que ante nominis Abraham iterationem ipsum Dauidem, vt cernis. Vel, vt Hieronymus obscuris illis verbis dixit, rursus ei fuerat repetendus Abraham, vt generationis series prædicto filo texeretur, repetendus, inquam, hunc in modum: *Liber generationis Iesu Christi, filij Abraham, filij Dauid, filij Abraham, Abraham autem genuit Isaac*, &c. Sed hęc repetitio parum fuisset venusta. Præterea illo ordine præpostero fugit Matthæus falsum sensum, qui posset ex recto ordine elici. Si enim sic scripsisset: *Liber generationis Iesu Christi filij Abraham, filij Dauid*, significare videretur Abrahamum esse filium Dauidis.

Cur Matth. Dauidē præposuerit Abrahamo

Non habent hæ rationes locum, si dixeris, Matthæum significare voluisse Christum esse filium Dauidis, qui Dauid filius fuerit Abraham, ideoque non præpostero, sed recto ordine sic scripsisse: *Liber generationis Iesu Christi, filij Dauid, filij Abraham*: hoc est, Liber generationis Iesu Christi filij Dauid, qui Dauid fuit filius Abrahami. Quem sensum sequitur Caietanus, & Iansenius. Sed mihi magis placet sententia Hieronymi, Christum appellari filium Dauidis primum, deinde Abrahami. Iecit enim Euangelista quoddam veluti fundamentum Genealogiæ totius, scribens in primis Messiam esse filium Dauidis & Abrahami. Fuit autem alia quoque ratio præcipua, cur Dauidem Abrahamo præposuerit. Videlicet quia Dauidis filius Messias expectabatur ab omnibus, atque adeò filius Dauid appellabatur, vt ex Euāgelijs constat. Hoc igitur, quod Iudæi in generatione Messiæ maximè requirebant, ante omnia initio Genealogiæ opus fuit proponere, idque deinde progenitoribus enumeratis confirmare.

D. Hieron, Cur dicatur Christus filius Dauid & Abrahami, Gen 22. Ad. Gal. 3. Gen. 26. Gen. 28.

Cur autem reliquis prætermissis horum duorum filium Euangelista nuncuparit, rationem reddit D. Hieronymus, quia ad hos tantùm facta est de Christo repromissio. Pluribus tamen factam de Messia repromissionem, probatur. quia Hieronymus ait Abrahæ factam repromissionem, illis verbis: *Benedicētur in semine tuo omnes gentes terræ*, id quod verissimum est, vt constat ex Paulo, atqui eadem promissio ijsdē verbis facta est Isaaco & Iacobo, ergo non Dauidi solùm, & Abrahamo, sed pluribus facta est de Christo promissio, non est ergo satis firma Hieronymi ratio, nisi quis velit promissionem factam Isaaco, & Iacobo, promissionis potius Abrahæ factæ fuisse cōfirmationem, quàm nouam promissionem.

Dixerim hos duos in ipso Genealogiæ limine locatos, quia alter, id est, Dauid, peculiari ratione Messiæ pater dicebatur, ex cuius familia Messias esset oriturus, alter, id est, Abrahamus, totius Israëliticæ Gentis caput erat, fons & orgo. Præterea, quia his duobus præcipuè Christus promissus est, ex eorum genere mittendus. Promissio Abrahamo facta extat Genes. *Per memetipsum iuraui, dicit Dominus, quia fecisti hanc rem, & non pepercisti filio tuo vnigenito propter me, benedicam tibi, & multiplicabo semen tuum, sicut stellas cœli, & velut arenam, quæ est, in littore maris, possidebit semen tuum portas inimicorum suorum, & benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ, quia obedisti voci meæ.*

Promissiones de Messia. *Gen. 12.* *Gen. 22.*

Huius promissionis explanationem infrà subjiciam. Fuit illa iureiurando confirmata. Quamobrem insiurandum dicitur à Zacharia in Cantico: *Iusiurandum, inquit, quod iurauit ad Abraham patrem nostrū*, &c. Similem in modum promissionem iuramento Dauidi sanciuit: *Iurauit Dominus Dauid veritatem, & non frustrabitur eum, de fructu ventris tui ponam super sedem tuā.* Hanc promissionem vocat Isaias, pactum, & misericordias Dauid fideles: *Feriam, inquit, vobiscum pactum sempiternum, misericordias Dauid fideles*, hoc est, misericordias perpetuas, constantes, & stabiles Dauidi promissas, has ille misericordias canit: *Misericordias, inquit, Domini in æternum cantabo*, &c. Lege, quæ supra diximus lib. hoc, cap. 4. de familia Messiæ.

Luca 1. *Psal 131.* *Isaiæ 55.* *Psal. 88.*

Quia ergo Abrahamus Israëliticæ gentis caput erat, & origo, ducit ab eo Genealogiæ initium Matthæus, descenditque velut per gradus quosdam vsq; ad Iosephum Virginis Deiparæ sponsum. *Abraham, inquit, genuit Isaac*, &c. Iudæorum parens Abrahamus fuit summis virtutibus exornatus, quem Deus ex Vr Chaldæorum vrbe in Palæstinam euocatum multis affecit beneficijs. Vnde illud: *Attendite ad patrem, vnde excisi estis, & ad cauernam laci, de qua præcisi estis, attendite ad Abraham patrem vestrum, & ad Sarā, quæ peperit vos, quia vnum vocaui eum, & benedixi ei, & multiplicaui eum*, &c. Petram appellat Abraham, ex quo veluti e lapicidina Iudæi instar lapidum ad ædificandum populum excisi sunt, cauernam verò lacus, similem in modum Saram Abrahæ vxorem vocat, quia ex eius vtero is populus veluti è latomia præfectus est. Petra igitur Abrahamus, ideoque meritò in ipso huius Genealogiæ fundamento veluti primus lapis collocatur, cæterique illi adnectuntur, quousque ad lapidem illum angularem, id est, Christum perueniatur, qui vt dicitur, *Factus est in caput anguli.*

De Abrahā. *Isai 51.* *Abrahā lapis primus Genealogiæ Christi* *Psal. 117.*

Petra Abrahamus optimo iure dicitur, quia fidei fuit constātissimæ, propter quam à Paulo pater credentium appellatur, eò quòd fidei illius vestigia sectentur. *Signum, inquit, accepit circumcisionis, signaculum iustitiæ fidei, quæ est in præputio, vt sit pater omnium credentiū per præputium, vt reputetur & illis ad iustitiam, & sit Pater circumcisionis, non ijs tantùm, qui sunt ex circumcisione, sed & ijs, qui sectantur vestigia fidei, quæ est in præputio patris nostri Abrahæ.* Est ergo Abrahamus Iudæorum quidem parens carnalis, per carnem: Christianorum verò parens est spiritalis per imitationem. Fides autem, quæ in illo prædicatur à Paulo eo capite, fides fuit de Christo venturo. *Contra spem, inquit, in spem credidit, vt fieret Pater multarum gentium*, &c. Credidit Abraham fore, vt esset ipse Pater multarum gentium, non Iudæorum tantùm, sed etiam Christianorum, vt ex eodem capite colligitur; at Christianorum Pater est per Christum, ergo fidem tunc habuit de Christo.

Ad Rom. 4. *Abrahā pater credētiū.* *Fides Abrahamiin Christum.*

Objicies fidem Abrahæ de filio fuisse ex vxore ætatis prouectæ suscipiendo, sic enim eodem capite Paulus: *Non infirmatus est in fide, nec considerauit corpus suum emortuum, cum ferè centum esset annorum, & emortuam vuluā Sarę*, &c. Respondetur, hanc fidem de Christo fuisse, credidit enim filium se procreaturū ex vxoris vulua emortua, cuius ex stirpe Christus, per quā fieret pater multarum gentium, nasceretur, dices Paulum loqui de *fide, quæ Abrahamo dicitur reputata* *ad Gen 15.*

iustitiam. at fides illa de propagatione seminis erat, non autem de Christo. Respondetur, coniunctam fuisse fidem de Christo cum fide de multiplicando semine, per Christum enim erat multiplicandum semen spiritale, per Isaac carnale. *Eduxit Deus Abraham foras*, Gen. 15. vt dicitur Genes. *tempore nocturno, & ait illi: Suspice cœlum, & numera stellas si potes, & dixit ei sic erit semen tuum. Credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad iustitiam.* credidit, inquam, Abraham Deo pollicēti seminis multiplicationem. maximè spiritalis per Christum; Ad. Rom. 4. de semine enim spirituali verba hæc interpretandā ex Paulo colliges.

Sic erit semen tuum, præcipuè spiritale per fidem, *sicut stellæ cœli*, quas vides innumerabiles. Fidem itaq; de Christo habuit, & in Christum Abrahamus, quæ in illis quoque verbis maximè cernitur: *In semine tuo benedicentur omnes gentes terræ*. in semine tuo, id est, in Christo, vt Paulus interpretatur: Ad Gal. 3. *Abrahæ*, inquit, *dictæ sunt promissiones & semini eius, non dicit, & in seminibus, quasi in multis, sed quasi in vno, & semini tuo, qui est Christus.* Sed totius promissionis verba exponamus.

Per memetipsum iurauí, dicit Dominus, &c. Sūmi momēti promissio hæc est, cui Deus addit iuramentum, & quidem ita est. quid enim maioris vnquam momēti fuit, quàm Verbi incarnatio? *Benedicam tibi, & multiplicabo semen tuum sicut stellas cœli, & velut arenam, quæ est in littore maris.* De Christo sensu sublimiori hęc intelligenda sunt, vt Origenes intellexit: De Christo (ait Origenes) dicitur: *Multiplicabo semen tuum*: quisiam expositione indiget, vt sciat, semen Christi quomodo multiplicetur, qui videt à finibus terræ vsque ad fines terræ, propagatam prædicationem Euangelij, & nullum penè esse iam locum, qui non semen verbi susceperit? hoc namq;, & in initijs mūdi præfigurabatur, cùm diceretur Adæ: *Crescite, & multiplicamini.* Hæc Origenes. Multiplicauit Deus semen Abrahami, id est, Christum, sicut stellas cœli, & velut arenam. Ex Christianis enim, qui à Christo spiritalem originem ducunt, quidam stellis cœli similes euadunt, quorum cum Paulo conuersatio in cœlis est, terreni alij, aridi, infœcundi, meritò cum arena conferuntur.

Promissio facta Abrahamo de Messia.

Gen 22. Origen.

Additur: *Possidebit semen tuum portas inimicorū suorū.* Expugnauit enim Messias ciuitates, quas hostes per idolorum cultum, aliaque flagitia obtinebant, expugnauit Tartarum, hostesque tartareos subegit. Sequitur: *Benedicentur in semine tuo*, id est, in Christo, *omnes gentes terræ*. Dei enim benedictionem omnibus terrę nationibus sanguine suo promeruit Christus. Ideoq; merito hæc promissio Abrahamo tunc facta est, cum ad aram filium immolare voluit, qui passionis Christi typus fuit: *Benedictus Deus* (ait Paulus) *& Pater Domini nostri Iesu Christi, qui benedixit nos, in omni benedictione spiritali, in cœlestibus in Christo*, id est, per Christum. benedicere autem dicitur Deus cum beneficijs afficit, ipsaque dona Dei benedictio appellantur. Omnem itaque benedictionem, omneque donum spirituale gratiæ & gloriæ per Christum consequimur, nam in semine hoc Abrahæ omnes gentes terræ benedicuntur.

Gen. 22. Ad Ephes. 1.

Habemus Abrahamum iure optimo petram dici propter fidei constantiam, meritoque in Genealogia Christi veluti fundamenti lapidem collocari.

Lapidem fundamentalem Abraham Deus signo notauit circumcisionis

Quod si lapis primus, quem Rex in fundamento ponat, magni alicuius ædificij, quod decernit extruere, regis signo exornatur, id quoque in primo hoc nostræ Genealogiæ, totiusque Israëlitici populi lapide factum reperiemus.

Statuerat summus cœli rector templum omnibus sæculis admirandum, id est, Christi humanitatem ex Israëlitico populo exædificare, primū in fundamento lapidem Abrahamum collocauit, regioque signo decorauit. id signum circumcisio est. *Signum accepit* (ait Paulus) *circumcisionis, signaculum iustitiæ fidei.* Ad Rom. 4.

Impressum autē est in membro generationis, propterea quòd ex Abrahamo Messias progenerandus esset. Quemadmodum signum diluuij nunquā amplius terram dissipaturi in nubibus, vnde aquæ manant, dedit Deus Noë, sic signū seminis, in quo omnes gentes erant benedicendæ, id est, Christi, sine viri opera per multos progenitores orituri, in ea corporis parte impressit, vnde emanat semen. quod ille Autor antiquus ait, qui quæstiones scripsit ex veteri testamento, quæ Augustino tribuuntur, quæstione duodecima. Credens (inquit) Abraham se filium habiturum, in quo omnes gentes benedicerentur, illa in parte signum accepit, per quam generatio fit filiorum, &c. Et Rupertus: Constat (inquit) quod fœdus ipsum, vel fides, quæ Abrahæ ad iustitiam reputata est, in promissione seminis, id est, Christi, extitit, in quo benedicentur omnes gentes; hoc nempe est, quod credidit Abraham, & reputatum est illi ad iustitiam. Qua ergo in parte corporis, fidei huius signaculum magis congruè daretur, quàm in ea per quā semen ipsum naturaliter trajicitur? illic vtique cōgruentius signaculum posuit sponsor, & promissi sui debitor Deus; vt & ipse promissionis, & homo expectationis suæ, semper commoneretur. Hæc Rupertus.

Gen 9. Rupertus. l. 5 in Gen. c. 21.

Signum præterea fuit circumcisio cum sanguinis coniuncta effusione; vt sanguinem à Messia fundendum adumbraret, membrique illius voluptates per castimoniam circuncidendas, & cum spiritalibus commutandas præmonstraret. Præter hæc, August. circumcisionem signum fuisse censet renouandæ per Christum naturæ diffusa gratia: Quid aliud circumcisio significat (ait August.) quam vetustate exuta naturam renouatam? & quid aliud, quàm Christum octauus dies, qui hebdomada completa, id est, post Sabbatum, resurrexit? parentum mutantur, & nomina, omnia resonant nouitatem; & in testamēto veteri obumbratur nouum, &c.

Circumcisio. D. August. l. 16 de ciuit Dei c. 26.

Aliud quoque signum huic primo lapidi impressum est, vt scribitur Genes. 17. cùm enim Patriarcha Abram appellaretur absque media aspiratione, quod nomen patrem excelsum significat, אב, ab enim pater dicitur Hebræis, רם ram verò, excelsus, literam nomini, Deus, vnam, nempè ה he aspirationem, non sine maximo mystero adiecit. *Eris* (inquit) *pater multarum gentium, nec vltra vocabitur nomen tuum Abram, sed appellaberis Abraham quia Patrem multarum gentium constitui te*. Dicebatur igitur אברם Abram, posteà aspiratione adiecta dictus est אבוהם Abraham, id est, Pater multitudinis, vel multarum gentiū per Christum. Nomen ducitur ex sententia Pagnini à tribus dictionibus, אב ab, רב rab, המון & hamon. Ab, significat Patrem, rab multum, hamon multitudinem, siue populum, quasi dicatur, Pater multi populi. Aliter deriuari potest, à nominibus, ab, ram, & hamon, ab significat Patrem, ram excelsum, hamon multitudinē; detrahitur ex ram, mem, & ex hamō, vltimum, on, fitque Abram, id est, Pater excelsus multitudinis. ratio nominis hebraicè sic redditur: כי אב המון גוים נתתיך ki ab, hamon goim netatica, id est, *quia patrem multarum gentium dedi te.*

Nomini Abram addidit Deus literam vnam. Gen. 17.

Gen. 15.

Itaque Deus nomini Abram inseruit literam ה he, quæ ex quatuor illis est, ex quibus nomen Dei tetragrammaton, id est, quatuor literarum cōflatur. literæ sunt tres, scilicet, ה, ו, י, iod, vau, he; punctorum enim ratio non habetur. Sed he, geminatur: ideoque nomen dicitur quadriliterum. tres literæ diuini nominis, tres ostendunt Sanctissimæ Trinitatis personas. litera prima, י iod, teste Hieronymo in pro-

Nominis Iehoua mysterium.

prologo Trenorum, principium significat. tertia ו vau coniunctio est copulans. Iod ergo Patrem indicat cæterarum personarum principium, & primam in Sacrosancta Triade personam. tertia litera, ו vau, copulans coniunctio, tertiam personam Spiritum sanctum innuit, qui amor dicitur copulans, & nexus. litera verò secunda, ה he duplex est, quia secũda Trinitatis persona duplicem habet naturam, diuinam, & humanam; aspiratio est, quia vt Ieremias ait, *Spiritus oris nostri*, id est, flatus, & aspiratio oris nostri, *est Christus Dominus*, hebraice Iehoua, id est, Deus.

Threн. 4.

Galatinus. Galatinus lib. 2. cap. 10, vult, he, significare, esse, filioque Dei conuenire, quia per illum, vt Ioannes scribit, omnia facta sunt, & habent esse, homines autem per Christum duplex habemus esse, tum naturæ, tum gratiæ. D. Hieronymus in Prologo Threnorum, literam, he, latine interpretatur, ista, ita vt sit demonstrans. Significat præterea he idem quod ecce, quasi personam illam demonstraret, quæ erat incarnanda. Hæc igitur litera, he, nomini Abraham & nomini vxoris Sarah, ex nomine Dei ineffabili adiecta est, vt ineffabile incarnationis mysterium innueret, secundam videlicet personam illa secunda litera significatam, ex Abrahami genere carnem assumpturam.

D. Hieron.

Cur litera he addita sit nomini Abrã.

Id ipsum mirabilis ille iurisiurandi modus ostendit, quod à famulo Abrahamus flagitat: *Pone* (inquit) *manum tuam subter fœmur meum, vt adiurem te per Dominũ Deum cœli, & terræ, vt non accipias vxorem filio meo de filiabus Chananæorum*, &c. Cùm fidem iuramento obstringimus, manum Euangelio imponimus rei maximè sacræ; Abrahamus seruo iusiurandum suscepturo, manum fœmori suo iubet supponere, quid in illo fœmore inerat sacrum, quod manus tangeret iuraturi? latebat Messiæ sanguis, & origo, ex fœmore Abrahami orituri; sic enim Scriptura loquitur: *Erant omnes animæ eorum qui egressi sunt de fœmore Iacob septuaginta*, &c. Id est, qui orti sunt ex Iacob. Augustinus serm. 75. de tempore. Sic (inquit) dixit Abraham ad puerum suum, mitte manum tuã subter fœmur meum, tanquam diceret, mitte manũ tuam ad altare, aut ad arcam testamenti, aut ad templum Domini, & iura mihi; fœmur tangebat, & per Deum iurabat; non enim errabat Abraham, sed quia spiritu prophetiæ repletus, nouerat de semine suo Christũ cœli, & terræ Dominum nasciturum, ideò quando seruus fœmur illius tangebat, non per carnale mẽbrum, sed per Deum iuramenta præstabat. Quia Abraham genuit Isaac, Isaac genuit Iacob, Iacob genuit Iudam, de cuius semine Christus Dominus natus est. Hæc ille. Ambrosius item lib. 1. de Abraham cap. 9. Per fœmur generationem intelligimus, generatio autem Abrahæ Christus est. Gregorius; Manum sub fœmore ponere iubet Abrahamus, quia per membrum illud descensura fuit caro Christi. Hieronymus in quæstionibus hebraicis; Tradunt (inquit) Hebræi, quod famulus in circuncisione Abrahami iurarit; nos autem dicimus iurasse eum in semine Abrahæ, id est, in Christo, qui ex illo nasciturus erat, &c. Hæc de Abrahamo sint satis, ad Isaacum & Iacobum faciamus gradum.

Gen. 24.

Exod. 1.

D. Augustin.

Cur seruus iuraturus subter fœmur Abrahami manũ miserit.

D. Ambros.

D. Gregor.

D. Hieron.

CAPVT VII.

De Isaac, Iacob, Iuda, & Phares.

Gen. 21. SEcundus in hac genealogia genitor Isaac est Abrahami filius. *Abraham* (inquit Matthæus) *genuit Isaac*. Nulla fratris Ismaëlis mentio fit, propterea quòd ad Messiæ genus nihil attinet. *In Isaac vocabitur tibi semen*; id est, non per Ismaelem ancillæ filium, sed per Isaac filium liberæ semen tuum spiritale propagabitur, & carnale, à quo Messias orietur. Fuit autem Isaac & progenitor, & typus præclarus Messiæ, vt docet Paulus: *Abraham* (inquit) *Isaac in parabolam accepit*, id est, in similitudinem, & typũ Christi. Isaacum antequàm nasceretur promisit Deus Abrahamo, quamobrẽ dicitur *per repromissionem natus*, sic Christus antequàm in orbem veniret Patribus promissus est. Abrahamo cẽtenario natus est Isaac in senectute; sic populo Israëlitico Abrahæ semini centenario, in ipsa eius senectute, post tot reges, & duces, sub rege alienigena Herode, natus est Messias. Rupertus in huc sensum interpretatur verba illa Abrahami Genes. 17. *Putas ne centenario nascetur filius?* quasi diceret, hactenus cũ floreret rerũ status, temporibus regum nobilium, non venit Christus; nunc senium quoddam generis Abraham (ablatum est enim sceptrũ de Iuda) putas ne ergò nunc veniet, qui mittendus est? Hæc ille.

Hebr. 11.

Gal 4.

Rupertus. Isaac Christi typus Gen. 17.

Præterea quemadmodum Isaacum non naturæ vires, sed repromissio Dei, & miraculum, ex sterili genuit; sic Christum non naturæ facultas, sed altissimi Dei potentia, ex virgine produxit, iuxta illud Angeli ad Virginem; *Virtus altissimi obumbrabit tibi. Visitauit*, vt dicitur Genes. *Dominus Saram sicut promiserat, & impleuit, quæ locutus est, concepitq́; & peperit filium in senectute sua*, &c. Sic Virginem Mariam visitauit, sicut promiserat Patribus, & impleuit quæ locutus est, concepitque ex Spiritu sancto, & peperit filiũ Messiam. Sara peperit in senectute sua, Virgo peperit in virginitate sua, mirabile est filiũ părere in senectute, sed multò mirabilius Messiam părere in virginitate, id est, conseruata corporis perfectissima integritate. Sara principem significat, Maria non princeps solùm, sed regina quoq; est orbis vniuersi. nomen ipsum Isaac risum sonat, Christus mundi totius risus est, & gaudium. Rupertus: Hoc (inquit) nomine recte Christi, seminis Abrahæ, fœlix natiuitas significatur, qui vniuersitatis sanctorũ, quorum ex carne vera caro, & verus homo ipse est, sempiterni risus, & interminabilis gaudij causa est, &c. *Risum fecit mihi Deus* (ait Sara) *quicunque audierit, corridebit mihi.* Quid aliud est; *Exultauit spiritus meus in Deo salutari meo;* quàm risum fecit mihi Dominus? Quicunque autẽ in Virginem collata beneficia audit, corridet illi, & de tãto filio congratulatur. beatam enim illam dicunt omnes generationes, quia fecit illi magna, qui potens est. Nónne Virgini corrisit Elisabetha, cum Spiritu sancto plena exclamauit voce magna, & dixit: *Benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui?* Nónne quod maius est, infans Ioannes Virgini quoque corrisit, cum in matris vtero lætitia exilijt? Addit Sara: *Quis auditurus crederet, quòd Sara lactaret filium?* addit virgo; Quis auditurus absque fidei diuino lumine crederet, Virginem lac ex vbere de cœlo pleno, ipsi Deo & homini propinasse?

Rupertus. l. 5. in Gen. cap. 35.

Gen. 21.

Luca 1.

Gen. 21.

Iam verò passionis Messiæ, quæ est imago illustrior, quàm Isaac? *Tolle* (ait Deus Abrahamo) *filium tuum vnigenitum quem diligis Isaac, & vade in terram visionis, atque ibi offeres eum in holocaustum, super vnum montiũ, quam monstrauero tibi*; &c. Videor mihi audire in pectore illo Patris sempiterni & iustissimo, & clementissimo, his eisdem verbis clamantem iustitiã, nec non misericordam. Tolle ô Pater filium tuum vnigenitum, quem diligis Isaac, id est, risum, tolle tuum risum, tuum gaudium; tolle vt iustitiæ facias satis: tolle vt misericordiæ tuæ viscera mundo patefacias. offer illum in holocaustum, orbis vniuersi expiatorium, in terra visionis. Videant homines quantoperè à te diligentur, videant clementiam tui pectoris, videant iustitiam, videant amorẽ, videant visionem hanc

Gen. 22. Passio Christi.

hanc magnam, Deum cruci ſuffixum, multo ſanè illa maiorem, quæ Moyſi oblata eſt, cum oues ſoceri paſcebat, *Apparuit ei* Dominus *in flãma ignis de medio rubi, & videbat quòd rubus arderet, & non combureretur. dixit ergo Moyſes, vadam, & videbo viſionem hanc magnam, quare non comburatur rubus*, &c. Appareat Dominus non in flamma ignis, ſed in flamma amoris, non de medio rubi, ſed de medio crucis; mirentur homines nõ rubũ in medio flammæ ardore virentem, ſed Dei filium in patibulo ſanguinem & vitam pro hominibus profundentem. Dicat verò quilibet non quod Moyſes, vadam, & videbo viſionem hãc magnam, quare non comburatur rubus; ſed vadam & videbo viſionem hanc omnium maximam: quare Dei filius, in quem ne leuiſſima quidem peccati labes cadere potuit, clauis hæreat affixus cruci.

Exod 3.

Commotum eſt his iuſtitiæ miſericordiæq; clamoribus magni illius Abrahami, id eſt, Patris multarum gentium Dei, pectus. filium ergo vnigenitũ, quem diligebat, tulit, & in monte Caluariæ, pro hominibus holocauſtum eſſe voluit. Abrahami gladiũ miſericordia e ceruicibus nati reuocauit, eadem verò miſericordia in filium Dei (ſi ſic licet loqui) immiſericors fuit, vt erga homines miſericors eſſet. Nec à manibus pedibusque clauos, nec à capite ſpineam coronam, nec à corpore verbera, crucemque auertit. At ſeruatus eſt Iſaac, (ait Ambroſius) quia omnium non poterat abolere peccata. Dominus prouidebit ſibi victimam holocauſti, reſpondit Abrahamus filio, de victima interroganti, prouiderat videlicet victimam, multo Iſaac præſtantiorem, cuius ſanguis omnia poſſet abolere peccata. Prophetauit Abraham (ait Ambroſius) quod Iſaac non eſſet hoſtia diuinæ diſpoſitionis, ſed alia eſſet, quam Deus ſibi pararet, vt mundaret orbem; nempe Chriſtus.

Ambroſius. in comment. c. 9 Luc.

Habuit autem Iſaac vxorem vnam tantummodo Rebeccam, cũmque ſterilis ea eſſet, alterã vir caſtiſſimus ducere noluit, ſed precibus ſterili fœcunditatem à Deo impetrauit. Hebræi propterea aiunt nõ inijſſe coniugium alterum, quòd non fuerit fas homini conſecrato geminare vxores; Iſaac autem conſecratum Deo volunt, quod Dei victima fuerit. Depulit ergo precibus ſterilitatem; vt dicitur Geneſ. *Deprecatus eſt Iſaac* Dominum *pro vxore ſua, eo quòd eſſet ſterilis, qui exaudiuit eum*. Annuit Deus precibus liberaliter, geminos enim vno partu infantes Rebecca edidit. Eſau prior in lucem venit ruffus, & pilis toto hiſpidus corpore; quia Ruffus ideo Edom, id eſt, ruffus, quia hiſpidus, ideo Seir, id eſt, piloſus eſt appellatus. Secutus eſt Iacob exeuntis fratris plantam manu tenens; quamobrem Iacob, id eſt, ſupplantator, eſt nominatus. Diuerſa fuere fratrum ingenia. Eſau venator & agricola euaſit; *Iacob* vt dicitur Geneſ. *vir erat ſimplex*. Septuaginta interpretes vertunt, ἄπλαστος, id eſt, non fictus, abſque fraude, & vafricie: Et habitabat in tabernaculis; hoc eſt, non vagabatur in agris, vt Eſau cauſa venationis, ſed domi ſe continebat, Deoque & doctrinæ, vt vult Chaldæus paraphraſtes, vacabat: ſic enim ille interpretatur; Iacob erat vir perfectus, miniſter domus doctrinæ.

Gen. 25.

Geneſ. 25.

Adumbrant hi duo fratres duos populos, alterum Ieruſalem ciuitatis Dei, alterum Babylonis. Eſau improborum vmbra venator eſt; caducas res impij venantur, & ſequuntur, hanc venandi artem callent egregiè. Gregorius Magnus lib. 5. Moral. cap. 7. Prauæ (ait) mentes fugitiua hæc temporalia continuis cogitationum paſſibus ſequuntur, &c. Fugitiua temporalia appellauit, quia quemadmodum fere venatorem, ſic temporalia hominem ſequentem fugiunt. Quod ſi in laqueum veniant, neque fugiant, homo illa fugit, quia moritur. Eſau agricola eſt, quia improbi terram, non cœlum, corpus, non animam colunt. idem Gregorius, Amatores (inquit) huius ſæculi tanto magis exteriora colunt, quanto interiora inculta derelinquunt, &c. Iacob autem proborũ imago habitat in tabernaculis; probi viri tabernaculum cor eſt, intus habitat, per varia caducarum rerum deſideria, veluti venator Eſau minimè vagatur. D. Gregorius: In tabernaculis habitare eſt, ſe intra mentis ſecreta reſtringere, & nequaquam exterius per deſideria diſſipare, &c. Itẽ: Piæ mentes per exteriorum curam à ſe exire pertimeſcunt, &c. Hinc fit, vt Iacob ſit vir ſimplex, non multiplex, in illo vno occupatus, de quo Chriſtus dixit: *Porrò vnum eſt neceſſarium*; hinc fit, vt non turbetur erga plurima. dixit hoc etiam Gregorius his verbis: Omnes, qui in curis exterioribus ſpargi refugiunt, ſimplices in cogitatione, atque in conſcientiæ ſuæ habitatione conſiſtunt, &c. Eſau prior egreſſus eſt e ventre, poſterior Iacob plantam tenens fratris; filij huius ſæculi priorem in mundo locum ambiunt, prima quærunt, & amant. *Amant primos recubitus in cœnis, & primas cathedras in ſynagogis*. Iacob tenet fratris plantam; lucis filij, exemplo, adhortatione, precibus, ſceleratos tenent, ne in ſcelera & Tartarum maiori impetu ruant. hirſutus eſt Eſau, Iacob lenis; improbi aſperi ſunt moribus, ac ſuperbi probi; verò, mites, faciles, ac humani.

D. Gregor.

Luca 10.

Matth. 23.

Colliduntur ſe in vtero Eſau & Iacob, ſi quando Chriſtiani Chriſtianos in gremio Eccleſiæ perſequũtur, maior tamen ſeruit minori, Eſau ſeruit Iacob, fortior imbecilliori; is, qui iniuriam infert, ei qui fert patiẽter. Auguſt. ſerm. 78. de tempore. Sicut duo paruuli in vtero Rebeccæ collidebantur, ſic in vtero Eccleſiæ duo ſibi populi iugiter aduerſantur, boni enim lucrari volunt malos, mali verò extinguere cupiũt bonos; in Eſau carnales intelliguntur, in Iacob verò ſpirituales. Maior ſeruit minori, Eſau ſeruit Iacob non obſequendo, ſed perſequendo; quomodo perſecutores martyribus, quomodo limę vel mallei auro, quomodo molę ſeruiunt tritico, quomodo panibus coquendis fornalia, quomodo in fornace aurificis palea ſeruit auro, vbi palea conſumitur, aurum probatur. Hæc ille.

D. Auguſt. Improbi ſeruiunt probis eos perſequendo.

Euangeliſta omiſſo Eſau, ſolius Iacob in genealogia meminit, is enim Chriſti fuit progenitor, Iſraëliticique populi, qui ab eo & genus traxit, & nomen. Nam Iacob altero nomine Iſraël, hoc eſt, prævalens Deo, vel fortis Dei, vel princeps Dei ab Angelo eſt appellatus. Duodecim ille filios, duodecim tribuum Patriarchas, totiuſque Iſraëlitici populi fontes genuit. *Iacob* (ait Matthæus) *genuit Iudam & fratres eius*; videlicet vndecim reliquos, qui tribuum fuêre capita. Ex Iuda ortus eſt Chriſtus, de quo ſuprà iam diximus, cùm oſtendimus Meſſiam ex tribu Iuda originem duxiſſe. Is cùm tres liberos Her, Onan, & Selã, ex vxore iam ſuſcepiſſet; duos alios ex Thamar nuru ſua, vt narrat Moyſes, nurum eſſe ignorans, hoc caſu procreauit.

Gen. 32.

Matth. 1.

Gen. 38.

Primogenitus Her Thamarem vxorem duxit, à Deo autem ob nequitiam percuſſus occubuit, vxorẽ fratris demortui, Onan ſibi coniugio copulauit; in more enim tunc temporis, vel forſitan in lege poſitum erat, id quod Deus poſtea ſtatuit; Quando habitauerint fratres ſimul, & vnus ex illis abſque liberis mortuus fuerit, vxor defuncti non nubet alteri, ſed accipiet eam frater eius, & ſuſcitabit ſemen fratris ſui, &c. At Onan ne fratri vita functo filium gigneret, ſemen in terram fundebat, qua de cauſa morte à Deo, quemadmodum & Her mulctatus eſt. Idem ſiue mos ſiue lex tertium fratrem Selam inire cũ Thamare coniugij fœdus cogebat; Iudas verò Pater filio timens, rem procraſtinabat. Thamar prolis deſiderio

Deut. 25.

Iacob & Eſau proborũ & improborum typi.

D. Gregor.

rio accensa, quia maritus non dabatur, ex socero Iuda liberos hac arte suscipit. Cùm Iudam audisset in Thamnas proficisci, vestes, quibus viduarum more vti solebat, exuit, meretricium ornatum induit, in bivio sedet; quid multa? Iudas illac transit, meretricem putat, ex socero nurus concipit, intumescit uterus, nuntius ad Iudam fertur, Thamarem esse grauidam; flammis iubet exuratur. at cùm ex armilla, annulo, & baculo, quem arrhabonem existimatæ meretrici dederat, quid actum esset, resciuisset, parcit. parit Thamar geminos, Zara vocatur vnus, alter Phares appellatur; ex quo Rex inclytus Dauid, & Christus Opt. Max. genus ducunt. *Iudas* (ait Matt.) *genuit Phares & Zaram de Thamar.*

D. Chrysost. Chrysostomus Homil. 62. in Genesim, Iudam & Thamarem hac in generatione non peccasse arbitratur. *D. Hieron.* At peccasse dicendum est, vt docet Hieronymus in quæstionibus hebraicis, & Augustinus lib. *D. August.* 22. contra Faustum cap. 61. Omnis gloria gentis Iudaicæ, (ait Rupertus) cuncta nobilitas populi eius ex *Rupertus.* hoc flagitio profluxit; vt omne os obstruatur, & de meritis suis nemo glorietur. Christus quoque ab his *Christus nasci voluit ex bonis & malis.* progenitoribus nasci voluit, qui propter peccatores venerat (ait Hieronymus Matth. 1.) de peccatoribus *D. Hieron.* nascens, omnium peccata deleret. & Augustinus *D. August.* libr. 22. contra Faustum cap. 64. Saluator (inquit) non solùm loquendo, sed etiam nascendo, magister extitit. Fideles enim eius venturi ex omnibus gentibus, etiam exemplo carnis ipsius discere debuerunt, parentum suorum iniquitates sibi obesse non posse. proinde sponsus ille suis congruens inuitatis, qui vocaturus erat ad nuptias bonos & malos, etiam nasci voluit de bonis & malis, &c.

CAPVT VIII.

De aliis progenitoribus Christi, Efron, Aram, Aminadab, Naasson, Salmon, Booz, Obed, Iesse, Dauid.

Gen. 39. 1. Paral. 2. PHares filius Iudæ cum Patre, & auo Iacob, in Ægyptum descendit, vt scriptum est Genes. Is genuit Efron, vt constat ex libro Paralipomenon & ex 46. Genes. Efron genuit Aram, qui loco citato Paralipomenon appellatur Ram. ex Aram, siue Ram, ortus est Aminadab. *Exod. 6.* Aminadab filia fuisse dicitur Exod. Elisabeth vxor Aaron. hunc ait Lyranus Mat. 1. exiisse cum populo Israëlitico ex Ægypto, primumque cum sua tribu Iuda, cæteris formidatibus, mare rubrum intrasse. Verisimilius tamen est in Ægypto obiisse, vt sentit Abulensis Episcopus. si enim cum populus ex Ægypto discessit, ipse viueret, princeps fuisset tribus Iudæ, princepsque vocaretur lib. Paralipomenon, atqui eo loco non Pater, sed filius Naasson princeps tribus appellatur his verbis. *1. Paral 2.* *Ram genuit Aminadab, Aminadab autẽ genuit Naasson principẽ filiorũ Iuda.* vtrũque nominat, filium, & patrẽ. patrẽ non *Aminadab.* appellat principem, sed filium; vnde colligitur patrem vita fuisse functum, antequam principatũ tribus in egressu ex Ægypto adipisceretur, liquet ergo ex lib. Paralipom. Naasson principem fuisse tribus Iudæ; idem perspicuum fit ex Numer. Mouerunt castra primi, iuxta imperium Domini per manum *1. Paral. Num. 10.* Moysis, filij Iuda per turmas suas, quorum princeps erat Naasson filius Aminadab. Principis huius filius *Naasson princeps tribus Iuda.* fuit Salmon, qui vxorem duxit Rahab fœminam Chananæam, susceptique ex ea filium Booz, hæc Israëlitarum exploratores abscondit, vt narrat Iosue sua liber.

Dubitabit aliquis, num fuerit fas Salmoni huiusmodi fœmina Chananæa in matrimonio habere, cũ cautum lege esset, ne cum Chananæis coniugia sociarent, ijs verbis: *Non inibis cum eis fœdus, nec miserebe-* *Deut. 7.* *ris earum, nec sociabis cum eis coniugia.* Respondemus, cũ Abulense episcopo, nullum crimen commisisse Salmonem, imò præclare egisse, quod Rahab, quæ maximum in Israelitas beneficium contulerat, cum exploratores abscondit, & tutata est, vxorem duxerit, & beneficium matrimonio compensarit: lege verò illa Deut. 7. & Exodi 34. cauebatur, ne quis vxorem acciperet Chananæam idolorum cultricem, si autem Iudaismum complecteretur, ob magnum aliquod beneficium, quale illud fuit, duci fas erat.

Iosue 2. *Salomoni an liceuerit ducere vxorem Rahab.*

Dubium præterea est, num Rahab meretrix fuerit? Meretricem fuisse, confirmat Scriptura sacra, capite enim 2. & 6. Iosue perspicue meretrix appellatur. non fuisse suadet coniugium cum Salmone celebratum, quem virum non est verisimile cum ethnica fœmina, eaque meretrice, matrimonio coniungi voluisse. Quod si objicias, nomine meretricis à Scriptura appellari. Respondebitur, nomen Hebræu, זונה zonah, & meretricem significare, & cauponaria vel ciborũ venditrice; quamobrem Pagninus vertit cauponariã, id est, quæ vendit escas, Mõtanus meritoria, Lyranus aute, & Titelmanus Matth. 1. meretricẽ non fuisse credunt. Respondemus, sequendã ex præscripto Tridentinæ synodi nostram versionẽ, in qua meretrix appellatur. Septuaginta quoque interpretes, πόρνως, id est, meretricem interpretantur. & Paulus πόρνως, vocat, id est, fornicariam; meretrix igitur fuit. quæ est sententia Hieronymi in Epistola ad Pammachiũ, quę est proœmium prophetarũ, Chrysost. tom. 5 Homil. 5. de pœnitentia, August. in quæstionib. super Iosue q. 2. Ambros. lib. 2. de virginibus. Argumentum propositum dissolues, si dicas Salmonem fœminam ducere voluisse, quæ tantum in populum beneficium contulisset, quæque cum fide mores vitamque mutasset, suggerente Deo; vt Christi cum gentilitate meretrice, hoc est, idola colente, desponsationem præsignaret.

An Rahab fuerit meretrix. *Iosue 2. & 6.*

Hebr 11. *D. Hieron.*

D. Chrysost. *D. August.* *D. Ambros.*

Tertium dubium difficilius est, an Salmon filius Naasson principis, genuerit Booz, & Booz Obed auum Dauidis? Nam si id concedamus, fateamur necesse est, Salmonem circiter annum ætatis 150. genuisse filium Booz; similiter Booz eadem ętate Obed auum Dauidis generasse. id quod à veritate dissentire videtur, cum ætas adeo prouecta liberorum procreationi penitus sit inepta. Consecutio ostenditur. Etenim Obed Dauidis auus, vt ait Iosephus & alij, iudicante, summumque sacerdotium administrante Heli, natus est; Salmon verò vxorem accepit Rahab eo tempore, quo terram promissam Israëlitæ ingressi sunt, vt colligitur ex libro Iosuæ c. 6. Atqui inter ingressum in terram repromissam, & Heli pontificem, plus quàm 300. interfluxere anni, ergo oportuit Salmonem anno ætatis 150. genuisse filium Booz, similitérque Booz eadem ætate genuisse Obed, vt plus quàm 300. annorum numerum expleant.

An Salomon genuerit Booz.

Iosephus. l. 5. antiq. c. 11.

Lyranus arbitratur hic omitti à Matthęo duas generationes, videlicet duos Boozos: ex illius enim sententia Salmon genuit Booz primum, Booz autem primus genuit secundum Booz, secundus genuit tertium Booz, tertius genuit Obed patrem Dauidis. facile ergo argumento respondet, his generationibus satis illorum annorum summam expleri potuisse. Verum huic sententiæ obstat, quod apud Matthæum, & apud Lucam, in lib. Ruth cap. 4. & in libro 1. Paralipomenõ c. 2. vnius tantum Booz fit mentio, cuius pater fuit Salmon, filius Obed. dici tamen potest

teſt in omnibus ijs locis omitti reliquos duos pro-
Gen. 11. genitores, ſiue Boozi, ſiue alijs nominibus ſint apellati, quemadmodum à Moyſe omittitur Cainan, & à Matthæo in hac genealogia omittuntur tres reges, vt infrà videbimus, vel dicito (quidquid velit Ioſephus) Obed auum Dauidis non fuiſſe natum ex Booz tempore, quo Iſraelem iudicabat Heli ſacerdos, ſed ante illum. Quod ſentiunt Hebræi, qui (vt docent Lyranus & Abulenſis Ruth 1.) putarunt Booz patrem Obed fuiſſe Abeſan, Bethlehemi iudicem Iſraëlis, qui multis annis Heli præceſſit. fuiſſe tamen Booz Abeſan nulla ratio firma probat. lege cap. 12. libri Iudicum, quo loco Abeſan dicitur habuiſſe 30. filias, & 30. filios, quod non congruit Booz.

Vrges; ab ingreſſu Iſraëlitarum in terram promiſſam, vſque ad Dauidem natum, anni 366. elapſi ſunt; qui hac ratione ſupputantur. ab egreſſu Iſraë-
3. Reg 6. litarum ex Ægypto vſque ad Salomonici templi exædificationem numerantur 480. anni; detrahe quadraginta annos, quibus in ſolitudine vagati ſunt; ſeptuaginta, quibus Dauid vixit; & quatuor regni Salomonis (quarto enim regni Salomonis anno ædificari cœpit templum) reſtant anni 366. hæc verò annorum ſumma non videtur potuiſſe quatuor tantum hominum, nimirum Salmonis, Boozi, Obed, & Iſai generationibus expleri. Reſpondetur, hanc annorum ſummam ijs quatuor generationibus eſſe expletam: quod quomodo queat fieri, ſecum quiſque poterit conſiderare. Qualis autem homo fuerit Booz, de quo ſermo eſt, intelliges ex libro Ruth,
Ruth 2. dicitur homo potens, & magnarum opum; habitabat autem in oppido Bethlehem, duxitque vxorem Ruth Moabitidem, de qua ſupra locuti ſumus. Cur autem Moabitidem non Iſraelitidem duxerit, paucis accipe.

Oppreſſerat fames domum panis, id eſt, Bethlehem: ideo Elimelech Bethlehemites cum vxore Noëmi, duobuſque filijs, vberiora tunc temporis Moabitarum loca petiit, filij vxores duxere Moabitidas; qui Chelion nominabatur, Orpham duxit, alter Mahalon duxit Ruth; vterq; ea in regione obiit, obiit etiam Pater. Viro filijsque orbata Noëmi, in patriam Bethlehem reuertitur; Orpha nurus apud Moabitas manet; Ruth verò perpetua memoria di-
Ruth cur nupſit Booz De Rahab & Ruth ſupra dictum eſt cap. 3. gna fœmina, patriam non ſocrum deſerit. Bethlehem vtraque petit; cuius oppidi Booz Elimelechi conſanguineus incola erat. isvt cõſanguineo Mahaloni ſemen ſuſcitaret Ruth optimã fœminã, quanuis Moabitidem, coniugio ſibi copulauit.

Nonnulli ex Hebræis, & noſtris quoque teſte Lyrano in libro Ruth, dixere hanc Ruth filiam fuiſſe Eglon regis Moabitarum; ſed opinionem falſam eſſe Ruth & Noëmi paupertas oſtendit; lege librum Ruth. Libro Paralip. huius hiſtoriæ fieri etiam mentionem multi putant, his verbis: *Filij Sela, filij Iudæ: Her*
1. Paral 4. *pater Lecha, & Laada pater Mareſa, & cognationes domus operantium byſſum, in domo iuramenti; & qui ſtare fecit Solem, viriq; mendacij, & ſecurus & incendens, qui principes fuerunt in Moab; & qui reuerſi ſunt in Leben; hæc autem verba vetera*, &c. Supra diximus Iudam tres ex vxore genuiſſe filios, ſcilicet Her, & Onan, & Selam, huius Selæ liberi nepotesq; numerantur hoc loco, *Her pater Lecha, & Laada pater Mareſa, & cognationes domus operantium byſſum in domo iuramenti*, hoc eſt, vt interpretatur Hieronymus in traditionibus hebraicis in Paralipomenon, qui cum Beſeleel morati ſunt ad explẽdum opus tabernaculi; iuramenti enim domus idcirco dicitur, ſicut & tabernaculum fœderis. quòd in eo fœdus eſſet Dei, quod cum hominibus fecit, & iuramentum, quod iurauit ad Abraham, Iſaac, & Iacob. Hæc ille. Ex eodem Sela originem duxit is,

A qui ſtare fecit ſolem, hoc eſt, Elimelech maritus Noëmi; viriq́ue mendacij, & ſecurus, & incendens, hoc eſt, Chelion, & Mahalon Elimelechi filij, qui ideo viri dicuntur mendacij, quod mendaces fuerint illis vxores, & tellus Moabitica; vxores enim pollicebãtur liberos, quos non pepererunt, tellus promittebat vitam, quam abſtulit. Alter quoque dicitur ſe- *Locus Paralipomenon obſcurus.*
curus, alter incendens, interpretatio eſt nominum Hebræorum, quibus Chelion & Mahalon cognominabãtur, alter Ioas id eſt, ſecurus, alter Saraph, id eſt, incendens cognominabatur. fuiſſe autem principes dicuntur in terra Moabitica; quia viri erant nobiles ex illuſtri tribu Iuda oriundi, & diuites, & qui reuerſi ſunt in Lachem, id eſt, in Bethlehem. At falſum eſt eos reuerſos eſſe in Bethlehem; in regione enim Moabitarum è vita migrarunt. Reſpondetur, non
B dici reuerſos duos fratres in Bethlehem, ſed alios, qui in Moab quoque ex nepotibus Sela famis cauſa abierant.

Rogabis quæ nam fuit illa Solis ſtatio, quo tem- *Sol dicitur ſteriſſe tempore Iuſue legis.*
pore qua-ve de cauſa miraculum tantum editum ſit? Ea de re audiamus loquentem Hieronymum loco indicato. Tradunt (inquit) Hebræi hunc, qui fecit ſtare Solem, fuiſſe Elimelech virum Noëmi, patrem Mahalon, & Chelion, in cuius tempore Sol ſteterit, propter præuaricatores legis, vt tanto miraculo viſo cõuerterẽtur ad Dominũ. Quod quia facere contẽpſerũt, idcirco fames inualuit, vt ille, qui in tribu Iuda prior videbatur, famis inopia cum vxore,
C & filijs, non ſolùm patria pelleretur, ſed etiam in eadem peregrinatione cum filijs moreretur. viros autem mendacij eſſe Mahalon & Chelion, qui hic ſecurus & incendens appellantur, & de quibus dicitur quod principes fuerint in Moab. Quod verò ſequitur: *Quæ reuerſæ ſunt in Lehem*, Noëmi & Ruth demonſtrat; quæ in Lehem, id eſt, panem, poſt inopiam famis, audita vbertate panis in Bethlehem reuerſæ ſunt. & quia hæc hiſtoria in libro Ruth ſcribitur, idcirco ſubſequitur; Hæc autem verba vetera. Hactenus Hieronymus. Legit ille eo loco; Quæ reuerſæ ſunt Lehem; genere fœminino ſimiliter & Biblia Complutenſia, & regia: Biblia correcta genere maſculino ſic habent; Et qui reuerſi ſunt in Lehem.

D Interpretatio illa de Noëmi, & Ruth, non videtur germana: propterea quod Ruth, vt eſt perſpicuum; mulier Moabitis non trahit genus à Sela filio Iudæ; illæ verò, quæ dicuntur reuerſæ in Lehem, id eſt, ad panem, ſiue in Bethlehem, id eſt, domum panis, genus trahunt à Sela, vt conſtat, nepotes enim Selæ hic numerantur. intelligenda ergo verba hæc maſculino genere, vt eſt in Louanienſibus Biblijs, & correctis, de viris, qui fame ex patria pulſi in Moabiticam regionem confugerũt, reddita verò vbertate rediere. Illorum etiam verborum; Et ſecurus, & incendens, explanatio nõ omnino placet, propterea quòd interiecta coniunctio, &, diuerſos eſſe à viris mẽdacij indicet. poſſunt ergo ſic explanari, Viriq́ue
E mendacij, id eſt, Chelion, & Mahalon, & alij duo Ioas, id eſt, ſecurus, & Saraph, id eſt, incẽdens, qui fuerunt etiam nepotes Selæ.

Alij ex Hebræis, vt Lyranus ſcribit lib. 1. Paralipom. cap. 4. aiunt Elimelech non feciſſe ſtare ſolem precibus, ſed quod dies auarus eſſet, fame inualeſcente pauperes fugiſſe, diſceſſiſſeq́ue in regionem Moabiticam, ne egenis cibum ſuppeditando inſumeret opes, quam ob cauſam à Deo punitum, & in *An aliquis alius fecerit ſolem ſtare ſicut Ioſue?*
regione ad quam fugerat cum filijs mortuum ſentiunt. Sed hi diuinant, famem enim, non pauperes fugit. Abulenſis quoque epiſcopus ſolem ſtetiſſe negat, negat etiam locum de Elimelecho & filiis intelligendum. Caietanus noſtram verſionem non ſequitur.

sequitur. Abulensis & Lyranus aiunt, in Hebræo non significari solem stetisse. Nostra tamen versio sequenda est, quæ in sensum iam expositum explicatur ab Hieronymo sequente Hebræos, à Glossa ordinaria, & interlin. à Carthusiano, & Cardinale Hugone. Lyranus hanc ait esse communem doctorum expositionem, quamuis ipse ab ea recedere videatur. Hebraice sic habetur ויקים ואנשי כובא ויואש ושרף אשר בעלו למואב וישבי לחם veiokim veanshe Chozeba veioash veshcharap ascher bahhalu lemoab veiashubi lechem. Primum nomen, Ioquim, vertit noster interpres, qui stare fecit solem; nomen deriuatur à verbo, quum, quod in hiphil, significat, stare fecit, subintellexit interpres solem, nisi fortè olim reperit in Hebræo, at Septuaginta non addunt solem. Caietanus ergo, Abulensis, Lyranus, & Hebræi quidam, locum ita exponunt, vt solis nulla fiat mentio, sintque hæc virorum nomina, qui à Sela orti sunt, hunc in modũ: Ortus est ex Sela Ioquim, id est, homo appellatus Ioquim, & viri Cozeba, id est, viri loci cuiusdam habitatores, qui dicebatur Cozeba, id est, mendacium, & Ioas, & Saraph; nomina etiam sunt propria, qui principes fuerunt; significat etiam verbum Hebræum, bahalu, qui mariti fuerunt in Moab, & Iasubi lehem. Caietanus ait esse duo nomina propria, Lyranus vertit, & habitatores Lachem, id est, Bethlehem.

Nostra versio in eundem sensum explicari potest hoc pacto: *Et qui stare fecit solem*, id est, duxit originem ex Sela, homo appellatus nomine quodam hebræo. Ioquim, quod significat stare fecit solem: *Et viri mendacij*, hoc est, viri, qui habitant in oppido, quod dicitur nomine hebræo, Cozeba, significãte mendacium. *Et securus*, id est, vir cuius nomen hebræum Ioas, significat securum. *Et incendens*, id est, vir, cuius nomen hebræum, Saraph, significat incendentem, sic legendum, non incedentem, *qui duo viri principes fuerunt in Moab, & qui reuersi sunt Lahem*, &c. Consentiunt Septuaginta interpretes, qui quod noster interpres vertit: *Et qui stare fecit solem*, vertunt: *Et Ioacim*, quod noster vertit; *viri mendacij*, illi; *viri Cozeba*, quod noster vertit: *Et securus & incendens*, illi: *Et Ioas & Saraph*, &c. Videntur ergo intellexisse hæc esse nomina propria. Ego vero propter vulgatæ editionis autoritatem existimo concedendum aliquem ex filijs Iudæ, qui eo cap. 4. Paralip. indicatur, solem fecisse stare, id enim aperte verba significant, quę de Iosue intelligi nequeunt, quod ex tribu Iuda non duxerit originem, sed ex tribu Ephraim. Ad Booz reuertamur.

Iesse & Dauid Booz ex Ruth vxore filium suscepit, qui Obed appellatur, vt scriptum est in libro Ruth, ex Obed autem ortus est Iesse pater Dauidis. Porro Iesse tribus in sacris literis nominibus, Iesse, Isai, & Nachas, nominatur. Attamen, Isai, & Iesse, hebraicè idem nomen est. Sed si diuersa adiicias puncta, id est, vocales, diuersum nomen efficitur, Habitauit Isai in Bethlehem, & filios habuit octo, quorum fuit Dauid minimus, ex pastore à Deo in regnum euectus. *Elegit Dauid seruum suum, & sustulit eum de gregibus ouium, de post fœtantes accepit eum, pascere Iacob seruum suum, & Israël hæreditatem suam, & pauit eos innocentia cordis sui, & in intellectibus manuum suarum deduxit eos.*

2. *Reg.* 17.

Psal. 77.

Miraris cur Dauid intellectum tribuat manibus? mirari desines, si intelligas in manibus, id est, operibus, maximè intellectum cerni; opera prudenter facta prudentiam, facta secus, mentis ostendunt insipientiam. Pauit ergo Dauid populum suum, vt pastor oues, pauit in innocentia, & synceritate cordis sui, græce ἐν ἀκακίᾳ, id est, sine malitia cordis, & in intellectibus manuum suarum, hoc est, actionibus & operibus prudenter dispositis; deduxit eos velut baculo pastorali. Simili modo dicitur de forti fœmina: *Quæsiuit Lanam & linũ, & operata est consilio manuũ suarum?* nunquid manus consilium habent? & quidem maximum, sed quod ab intellectu mutuantur. *Prouerb* 30.

Permiscuit Dauid duas illas in gubernando virtutes, quas Christus suis cõmendauit Apostolis, innocentiam cordis, siue simplicitatem, & prudentiam. *Estote* (inquit) *prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ*, simplicitatem habuit columbæ; sic enim vertit Hieronymus; Pauit eos in simplicitate cordis sui, habuit quoque serpentis prudentiam. In intellectibus manuum suarum deduxit eos. Hieronymus: In prudentia manuum suarũ dux eorum fuit; maleficentiam ex serpente, ex columba imprudentiam abstulit, prudentiam ex illo, ex hac ἀκακίαν, innocentiam, siue simplicitatem habuit. Merito ergo cùm multi reges in hac Christi genealogia recenseantur, nullus tamen Rex præter Dauidem appellatur, atque is bis Rex dicitur: Iesse (inquit) genuit Dauid regem. Dauid autem Rex genuit Salomonẽ, &c. Bis terque regio nomine is dignus est, qui populum in innocentia cordis, & in intellectibus manuum pascit. Præterea Rex dicitur Dauid, quia primus fuit ex tribu Iuda Rex, regumque caput, & fons, à quo reliqui eiusdem tribus sceptrum hæreditario iure acceperunt. *Matth.* 10. *Dauid solus appellatur rex à Matthæo.*

Hic est finis primæ tessaradecadis siue quaterdenæ, quæ quatuordecim progenitores Christi complectitur. Cœpit ab Abrahamo multarum gentium patre, concluditur Dauide multorum regnum progenitore. Quorum duorum patrum Christus peculiariter filius à Matthæo dicitur; *Liber*, inquit, *generationis Iesu Christi, filij Dauid, filij Abraham.*

Secunda Tessaradecas.

CAPVT IX.

De Salomone.

SEcunda Tessaradecas Regum sceptris, coronisque rutilat, à Salomonis gloria fulgentissimum ducit initium; Babylonica captiuitate, veluti obscurissima nocte clarissimus dies, terminatur. Fuit Salomon Rex, & sapientissimus, & opulentissimus, Dauidis filius ex ea, quæ fuit Vriæ vxor, id est, ex Bethsabea. Notum est Dauidis cum Bethsabea adulterium, & superadiectum homicidium tantis celeris corollarium; sed nota quoque pœnitentia, commissique flagitij condonatio. Quam violarat Bethsabeam, post viri obitum duxit vxorem, ex eaque Salomonem filium regni hæredem suscepit, Deo adeò charum, vt ידידיה, Iedidia nomine hebræo, hoc est dilectus Dei, dictus sit.

Mirum sane hoc est, vxores alias habuit Dauid, filios quoque alios ex vxoribus natos, in quibus nulla vnquam adulterij fuerat labes: at Salomoni ex Bethsabea, quæ fuit Vriæ, orto, sceptrum coronaque traditur. Quid hoc? nónne par fuerat, vt alij filij filio ex vxore tali nato præponerentur? at præponitur Salomon natu minor ex ea, quæ fuit Vriæ, hoc est, ex ea susceptus, cuius Dauid virum occiderat, cum qua adulterium aliquando commiserat. Cur Domine adulterium non vlcisceris? cur tantã huic filio gloriam, sapientiã, regnumque largiris? desunt ne alij? minime: alios enim natu grandiores Dauid habuit. Amnonem primogenitum, Absalonem, Adoniam. Cõmendat pœnitentiam hoc facto Deus. Placauerat illum Dauidis pœnitentia, placaueratq; adeò, vt ex ea, quæ fuit Vriæ, & tanti occasio mali, *2. Reg.* 3.

regem ſapientiſſimum, & opulentiſſimum, qui Christi typus eſſet, quique ædificaret toto orbe celeberrimum templum, naſci voluerit.

2. Reg 12. Parabola Nathan.

Cùm peregrinus quidam (ait Nathan) *veniſſet ad diuitẽ, parcens ille ſumere de ouibus & bobus ſuis, vt exhiberet conuiuium peregrino, tulit ouem viri pauperis, & præparauit cibos,* &c. Peregrinus dæmon erat, quia ab animo Dauidis peregrinabatur; tunc verò ab illo tenebris craſſiſſimis obcæcato, quas libido offuderat, conuiuio exceptus eſt. cum multas haberet oues, & boues, id eſt, multas vxores, pauperis Vriæ ouiculam, ſcilicet vxorem Bethſabeam tulit, peregrino obtulit; nec ouis ſolum, ſed ſua etiam carne illum pauit. Vt autẽ conuiuium eſſet lautius, pretioſi inſtar vini, Vriæ ſanguinem propinauit. At à propheta admonitus, mox peregrinum dæmonem domo expulit, Deum, quem expulerat, animo recepit, crimen ſummo dolore lachrymis lauit, deleuitque ita, vt ex coniugio illo poſt pœnitentiam filius, cui prætermiſſis cæteris regnum traderetur, ortus ſit. Ille (inquit) Ambroſius in Apologia capite 2.) ille rex tãtus ac potens, nec exiguo momento manere penes ſe paſſus eſt delicti conſcientiam, ſed præmatura cõfeſſione, atque immenſo dolore tradidit peccatum ſuum Domino; ſcilicet poſt admonitionem Nathani. Item, ille regio clarus imperio, tot diuinis probatus oraculis, cũ corriperetur à Nathan propheta, non indignatus infremuit, ſed confeſſus ingemuit, &c.

Damon ab animo Dauidis peregrinabatur.

Dauidis pœnitentia.

Si conuiuium exhibuit dæmoni, à Nathano monitus, dæmone pulſo, epulum exhibuit Deo, & quidem regium; regis enim pœnitentia regium Deo epulum eſt. pœnitentiæ ſuauiſſimas epulas dedit, ſpiritum contribulatum obtulit, cor contritum, & humiliatum appoſuit; quæ fercula Deus nunquam deſpicit. Vnde illud eiuſdem Dauidis: *Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus, cor contritum, & humiliatum Deus non deſpicies*. Neque verò præſtantiſſimum lachrymarum vinum tanto conuiuio defuit.

Pſal. 50.

Fuit Bethſabea in conuiuio dæmonis ſocia, fuit & in conuiuio Dei comes. pœnitentiã quoque egit ea, quæ fuit Vriæ. At iam non erat Vriæ, ſed Dauidis, cùm filium peperit Salomonem, Dauid (inquit Euangeliſta) *genuit Salomonem ex ea, quæ fuit Vriæ*, tunc verò cum genuit erat Dauidis vxor, pro viro enim Vria, quem occiderat, ſe ipſum Dauid Bethſabeæ in virum tradiderat. egregia ſane reſtitutio, quæ regem pro famulo reſtituit, regis vxorem eam fecit, quæ militis coniux fuerat; egregia, ſi effrenata cupiditas non fuiſſet pronuba.

Reſtitutio Dauidis.

Huic reſtitutioni cumulum addit Epiſcopus Abulenſis, primo libro Paralip. capite tertio, queſtione quarta, putat enim Dauidem non ſolùm duxiſſe vxorem Bethſabeam, verùm etiam filios, quos ex Vria pepererat, adoptaſſe. numerantur autem hi filij Vriæ ſimul cum Salomone his verbis; *In Ieruſalem nati ſunt ei*, id eſt, Dauidi, *filij Simmaa, & Sobab, & Nathan, & Salomon, quatuor de Bethſabea*, &c. Probatur autem hæc opinio hunc in modum. Salomon dicitur vnigenitus matris ſuæ; *Ego* (inquit) *filius fui patris mei, tenellus, & vnigenitus coram matre mea*. Vnigenitus autem erat, non quòd Bethſabea alios filios non haberet, conſtat enim ex loco notato libri Paralip. alios habuiſſe; ſed quod vnicus eſſet ex Dauide Rege. ergo Dauidis Regis ex Bethſabea ſolus Salomon filius erat naturalis, & vnigenitus, reliqui, qui cum Salomone recenſentur, dicendi ſunt filij ex Vria nati, & à Dauide adoptati. In hac ſententia eſt etiam Lyranus. Ea mihi nõ placet; manifeſtè enim liber Paralipomenõ docet omnes illos filios Dauidi natos eſſe ex Bethſabea, non autem adoptatos. Dicitur verò vnigenitus corã matre ſua Salomon (quãuis fratres alios haberet) non propriè, ſed metaphoricè, hoc eſt, dilectus, perinde ac ſi eſſet vnigenitus, quocirca Septuaginta interpretes vertũt, ἀγαπωμενος, hoc eſt, dilectus. Id indicant verba, non dicitur vnigenitus matri, ſed coram matre; fortè alij filij traditi ſunt nutricibus alendi extra domum, & conſpectum matris, Salomon autem, vel ab ipſa matre, cui erat chariſſimus, vel coram ipſa nutritus eſt.

1. Paral. 3.

Prou. 4.

An Salomon fuerit Vnigenitus Dauidis ex Bethſabea.

Natus ex adulterio infans, vt flos gelu, ita paterno crimine ſublatus, abſque nomine interijt; poſt illum natus eſt Salomon ex legitimo iam coniugio, à matre appellatus eſt Salomon, vt dicitur 2. Reg. id eſt, pacificus, forſitan (inter alias cauſas) quòd poſt pœnitentiam patris, & matris, peccati remiſſione, & pace iam parta, genitus ſit. A Deo alio nomine dictus eſt; vt enim eodem capite legitur, miſit Deus in manu Nathan Prophetę, & vocauit nomen eius Iedidia; hoc eſt, dilectum Deo; ידידיה Iedid, dilectus, יה Iah, hebraicè dicitur Deus. Lyranus verba illa; miſit in manu Nathan; putat ſignificare Salomonem traditum eſſe erudiendum veluti magiſtro Nathano, & miſſum in manus eius. eundem in modum Genebrardus lib. 1. Chronographiæ; Dauid (inquit) filium Salomonem in præceptoris pij Nathan manum, & diſciplinam dedit. Sed phraſis eſt ſcripturæ vulgata, in manu alicuius, hoc eſt, per miniſterium, & operam alicuius, vt; *In manu Aggæi Prophetæ*; id eſt, opera & miniſterio Aggæi. *Dominus præcepit per manum Moyſi*, id eſt; opera, & miniſterio Moyſis. ſic hoc loco miſit in manu Nathã, id eſt, per miniſterium Nathani, Nathano miniſtro, & nuntio Deus vocauit eum Iedidia. Eum prophetam, qui peccati fuerat accuſator, amoris erga filium poſt pœnitentiam genitum, voluit eſſe nuntium.

2. Reg. 12.

Nomina Salomonis.

Aggæi 1. Ioſuæ 17.

At ô rem timendam! hunc Iedidia, id eſt, dilectũ Deo, putãt multi æternis tartari flãmis mancipatũ, Deoque in ſempiternum eſſe exoſum. Etenim hic Iedidia, id eſt, dilectus Deo, factus eſt dilector mulierum; hic, qui templum Deo ædificauit, corporis, animique ſui templum contaminauit; Salomon hic, id eſt, pacificus horrendum Deo bellum intulit, aduerſus eum turres extruxit, impiaque arma ſumpſit. Nónne bellum quodammodo Deo infert, qui inanium deorum ſimulachra colit? nónne is turres aduerſus cœleſte numen extruit, qui idolis excelſa templa exędificat? Nõne impia arma ſumit, qui impia thura dijs impijs adolet? hęc fecit pacificus, de quo loquimur. At dices, pœnitentiam egit. Vtinam patrem Dauidem fuiſſet imitatus, ſalutem conſecutum crederemus. Verumtamen patris pœnitentiam æternis ſacrarum Scripturarum monumentis cõſignatam Spiritus ſanctus nobis reliquit; de filij, id eſt, Salomonis pœnitentia, ne verbũ quidem vnum ſcripſit; id quod dubitationis cauſa eſt.

Probari tamen poteſt, pœnitentia ſcelus tantum deleuiſſe Salomonẽ. Primò quia dicitur: *Genuit Bethſabea filium, & vocauit nomen eius Salomon, & Dominus dilexit eum*. Idem probat nomen iuſſũ Dei impoſitũ Iedidia, id eſt, dilectus Deo. Et illud: *Ego ero illi in patrẽ, & ille erit mihi in filiũ*, &c. Amor Dei ſalutis æternæ cauſa eſt, atqui Deus dilexit valde Salomonẽ, ergo ſalutem æternam eſt conſecutus. Quod ſi reſpõdeas, amorem Dei erga Salomonem fuiſſe temporariũ, & tãdiu duraſſe, quamdiu ille in ſanctitate permanſit. Obijcitur illud: *Si iniquè aliquid egerit, arguã eum in virga virorum, & in plagis filiorum hominum; miſericordiam autẽ meã non auferã ab eo, ſicut abſtuli à Saul, quẽ amoui à facie mea*. his verbis pollicetur Deus, ſe nõ ablaturum miſericordiã à Salomone, ergo promiſſis ſtetit, & miſericordiã nõ abſtulit; quod ſi miſericordiã non abſtulit, illũ nõ dãnauit. Vnde magiſter hiſtorię; Ex hoc (inquit) loco cõijcitur, quòd ſaluus ſit Salomõ.

2. Reg. 12. *An Salomon pœnitentiam egerit, & æternam ſaluatem ſit conſecutus.*

2. Reg. 7.

2. Reg. 7.

Præter-

Præterea Salomon ob peccatum idololatriæ à Deo A
3.Reg 11. reprehenſus eſt, vt narratur 3.Reg. vel per viſionẽ
vel per prophetã aliquem; ergo veriſimile eſt, tũc
2.Paral.11. eum ſceleris commiſſi pœnituiſſe. ijs adde 2. Para-
lip. probari vias Salomonis poſt mortẽ, ergo ſaluus
eſt. ſic enim eo loco ſcriptum eſt: *Ambulauerunt Iudæi in vijs Dauid, & Salomonis, annis tantum tribus*, &c.

Non eſſe dãnatum Salomonẽ hebræi aiunt, ex Chriſtianis patronos etiã habet D. Hieron.

Non eſſe autem damnatum Salomonem putant Hebræi, vt docet D. Hieronymus in Commentarijs cap. 1. Eccleſiaſt. & poſt pœnitentiam librum illũ ſcripſiſſe. Aiunt Hebræi (inquit Hieronymus) hunc librum, ſcilicet Eccleſiaſten, Salomonis eſſe, pœnitentiam agentis, quòd in ſapientia, diuitiisque confiſus per mulieres offenderit Deum. Neq; Hebręos tantum, ſed alios quoq; ex noſtris habet patronos, qui illius cauſam agant. In primis ipſum Hieronymum, qui in Commentarijs Ezechielis cap. 43. ſic ſcribit, Peccauit Salomon, & offendit Deum, licet poſtea egerit pœnitentiam ſcribens prouerbia, in quibus ait: *Nouiſsimè ego egi pœnitentiam, & reſpexi, vt eligerem diſciplinam.* Hæc Hieronymus. Locus autem
Prouerb. 24. Prouerbiorum, quem citat, extat Prouerb. ca. 24. in fine, iuxta verſionem Septuaginta interpretum. ſic locus ille habet: *Tanquam ager vir imprudens, & tanquam vinea homo egens ſenſu. Si dimiſeris eum, deſertus fiet, & ſylueſcet totus, & fit derelictus, ſepes autem lapidum eius defodientur: Nouiſsime ego egi pœnitentiam, reſpexi vt eligerem diſciplinam.* Quaſi dicat Salomon, vir imprudẽs ſimilis eſt agro, & vineæ, quæ ſi non colatur, ſylueſcet, nullumque fructum feret, huic ſimilis fui, me enim C graui ſcelere obſtrictum, veluti vineam incultam, & ſterilem, ſpinæ, vepresque vndique oppleuerũt. At nouiſsime pœnitentiam egi, vepres, ſpinasque incendi, fructus Deo produxi.

Bachiarius. Salomonis quoque cauſam agit Bachiarius, qui D. Auguſtini vixit tempore. illius in epiſtola ad Ianuarium hęc ſunt verba; Salomon ille mirabilis, qui meruit aſſiſtrici Dei, hoc eſt, ſapientiæ copulari, in alienigenarum mulierũ incurrit amplexus; & vinculo libidinis illaqueatus, etiam ſacrilegij errore ſe polluit; quia ſimulachrum Chamos Moabitico idolo fabricauit. Sed qui per prophetam culpam erroris agnouit, nunquid miſericordię cœleſtis extorris eſt? ac forſitan dicas, nuſquam eum in canone lego D pœnituiſſe, neque miſericordiam conſecutum. Audi ergo frater pœnitentiam eius, quæ non inſcribitur publicis legibus, fortaſſe ideo acceptabilior iudicatur, quia non ad faciem populi, ſed in ſecreto conſcientiæ, Deo teſte pœnituit. Veniam autem ex hoc conſecutum eſſe cognoſcimus, quia cum ſolutus fuiſſet à corpore, ſepultum illum inter regum Iſraëlitarum corpora ſcriptura commemorat, quod tamen alibi peccatoribus regibus abnegatum eſſe cognoſcimus, qui vſque in finem vitæ ſuæ in propoſiti peruerſitate manſerunt. Et ideo quia inter iuſtos reges meruit ſepeliri, non fuit alienus à venia, veniam autem ipſam ſine pœnitentia non potuit E promereri. Hactenus ille.

Tichonius. Patronus quoque eſt Tichonius ille, qui regulas ſeptẽ ad intelligendam ſacram Scripturam ſcripſit; regula quarta de Salomone ſic ſcribit: Quid dicimus de Salomone? cum deo eſt, an poſt idololatriã reprobatus eſt? ſi cum Deo dixerimus, impunitatem ſpondebimus idolorum cultoribus: non enim dicit ſcriptura pœnitentiam egiſſe Salomonem, aut recepiſſe ſapientiam. Si autem reprobatum dixerimus, occurrit vox Dei, quæ dicit, *nec terra quidem*
3.Reg 11. *regnum auferre Salomoni propter Dauid*: ſicut ſcriptũ eſt: Quid enim prodeſt Dauid, ſi propter eum filius eius regnum terræ conſequeretur, cœleſte perditurus? quo manifeſtum eſt cum Deo eſſe Salomonem, cui regnum quidem terræ ablatum nõ eſt, propter Dauid: quod & dixerat 2. Reg. *Arguam in virga hominum* 2.Reg.7.
peccata eius, miſericordiam autem meam non auferam ab eo: Hæc ille.

Argumenta contra Salomonem.

Huic opinioni duo maximè obſiſtunt. Primò illud, quod ſupra dictum eſt, ſcripturam peccatum Salomonis memoriæ hominum prodidiſſe, nõ autem pœnitentiam. Secundò Salomonem non diruiſſe templa, quæ idolis ipſe vxorũ cauſa extruxerat, in monte contra Hieruſalem, vt dicitur 3. Reg. qui 3.Reg 11. creditur eſſe mons Oliueti e regione ciuitatis ſitus. Nam ſi pœnitentiã egiſſet, ſane templa æquaſſet ſolo, ea verò non æquaſſe ſolo probatur ex 4. l. Regũ. Eo capite hæc leges: *Excelſa quoque, quæ erant in Hie-* 4.Reg.23.
ruſalem ad dexteram partem montis offenſionis, quæ ædificauerat Salomon Rex Iſraël Aſtaroth idolo Sidoniorum, & Chamos offenſioni Moab, & Melchon abominationi filiorum Ammon, polluit rex, ſcilicet Ioſias, ergo vſque ad Regẽ Ioſiam ſteterunt templa illa in monte Oliueti, qui dicitur mõs offenſionis, hebraicè משחית maſchith. Nomen reliquerunt Septuaginta interpretes quaſi proprium montis: Exiſtimaſſe videntur montẽ illũ appellatum Maſchith, ſignificat nomen corruptionem, & offenſionem, Caldęus vertit זתיא Zetaia, id eſt, oliuarum.

Solutio. Prioris argumenti hæc ſe offert Solutio, Adamũ primum humani generis parentem pœnitentiam egiſſe, vt docetur in libro Sapient. his verbis: *Hæc*, id *Sap. 10.* eſt, ſapientia, *illum qui primus formatus eſt à Deo pater orbis terrarum cum ſolus eſſet creatus cuſtodiuit, & eduxit eum à delicto ſuo*, &c. Attamen Moyſem, qui delictum literis mandauit, pœnitentię nullo loco meminiſſe. Fieri ergo potuit, vt Autor lib. Reg. peccatum Salomonis, & non pœnitentiam commemoraret, quemadmodum Moyſes peccatũ Adami non autẽ pœnitentiam deſcripſit. Præterea quamuis Scriptura pœnitentiæ Adami non meminiſſet, virum talẽ pœnitentiam egiſſe crederemus, cur igitur Salomonem virum ſapientiſſimum, quamuis id ſcriptura taceat, pœnitentiam egiſſe non credemus? Multò peior fuit idololatria Manaſſæ regis, quàm Salomonis, at in lib. Regum, vbi ſcelera Manaſſę recẽſentur, nulla fit pœnitentiæ commemoratio, cũ tamen illam egerit, vt conſtat ex 2. li. Paral. Sic fieri potuit, 2 Par. 33.
vt Salomonis pœnitentia ſit ſilentio pręterita. Prętera Nathan Propheta, Addo, & Ahias de Salomonis rebus geſtis ſcripſerunt, qui libri periere, in illis forſitan de pœnitentia Salomonis ſcriptum eſt, de qua in lib. Regum & Paralip. ſiletur: *Reliqua autem opera* 2.Par.6.
Salomonis priorum, & nouiſsimorum, ſcripta ſunt in verbis Nathan Prophetæ, & in libris Ahiæ ſilonitis, in viſione quoque Abdo videntis, &c.

Adamus egit pœnitentiam.

An Salomon templa æquarit ſolo, quæ idolis vxorũ extruxit.

Quod verè ad ſecundum argumentum attinet, dici poteſt, Salomonem vel poſt pœnitentiam diruiſſe templa illa idolis dicata, vel cauſam aliquã habuiſſe cur non diruerit. nam ſi ea vſque ad Ioſiam ſteterunt, ab Ezechia rege euerſa non ſunt, quæro ergo cur ab Ezechia rege ſanctiſsimo, qui omnia idolorum fana euertit, non ſint diruta? quam cauſã reddideris legitimam, eandem pro Salomone reddam. Prętera nónne Manaſſes veram egit pœnitentiam, attamen legitur: *Altaria, quæ fecerat Manaſſes in* 4.Reg.23.
duobus atrijs templi Domini, deſtruxit Rex, ſcilicet Ioſias. Si Ioſias deſtruxit, ergo Manaſſes verus pœnitens legitimam ob cauſam non deſtruxit. idem de Salomone dicemus, non deſtruxiſſe templa, quia mutauit in alios vſus, vel quia clauſit. Vel dicemus Salomonẽ diruiſſe templa. ideoque ab Ezechia non eſſe diruta, quia id Salomon fecerat, ſed poſt tempora Ezechię rurſus fuiſſe ędificata, & à Ioſia equata ſolo. cùm autem dicitur 4. Reg. *Ioſias euertit excelſa, quæ ædificauerat Salomon*, intellige excelſa, quę erant in ijs locis, in quibus templa olim Salomon extruxerat, vel

excelsa,quæ olim ædificauerat Salomon, & destruxerat,sed destructa alij reædificauerunt.

Eodem modo explicabitur alter locus de altaribus,quæ Manasses ędificasse dicitur, & Iosias euertisse;manifestum enim videtur fuisse antea euersa à
2.Paral.23. Manasse,nam de Manasse scribitur: *Abstulit Deos alienos,& simulachrum de domo Domini,aras quoque, quas fecerat in monte domus* Domini,*& in Ierusalem*.quomodo ergo fieri potuit, vt altaria in atrijs templi Domini collocata integra saluaque permanerent? ædificata igitur sunt ab alijs sequentibus idololatris, & retinuerunt nomen Manasses, quia ipse primus ea ijs in locis extruxerat. Idem dicendum de templis siue excelsis Salomonis;eliciturque hinc argumentum
4.Reg.23. huiusmodi, eodem 4.lib.Reg.legitur Iosias euertisse aras extructas à Manasse,& excelsa extructa a Salomone;sed non probatur eo ex loco Manassem nõ egisse pœnitentiam,ergo nec probari potest, non egisse pœnitentiam Salomonem. Quidquid enim dixeris de Manasse,idem de Salomone dicetur. Hic est aduersariorum Achilles,sed ille exarmatus iam est,si non occisus.

Hanc sententiam de salute Salomonis æterna,sequitur etiam Ioannes Arboreus Theosophiæ lib.17. cap.10.Paulus Burgensis Episcopus lib.2.Reg.ca.7. Episcopus item Petrus à Natalibus in albo sanctorum eum scribit.D.quoque Isidorus in lib.de vita & obitu sanctorum,inter cæteros sanctos Salomonem numerat;ait tamen Salomonis principia fuisse bona, nouissima mala. Forte loquitur de nouissimis, id est, de peccatis,quæ in senectute commisit; pœnitentiam tamen videtur concedere, siquidem sanctis viris eum inserit.D.Ambrosius in Commẽtarijs Psalm.118.litera secunda,versu primo sanctũ Salomonem vocat.*Mysteria*(inquit) *quæ in canticis sanctus Salomon repletus* Domini *spiritu resultauit*,&c. Sanctũ eundem nominat in libro de resurrectione. Respõdes,Sanctũ dici eo tempore quo sacros libros scripsit; at si in tartaro est,nõ opus fuit sanctũ dicere.sed hanc responsionem refellit idem Ambros.in lib.1. de apologia Dauid,c.enim 3.eius libri, cũ de Salomonis peccato agat,sanctum tamen appellat. Quid (inquit)de Salomone sancto loquar,cuius posteriora cum graui errore non careant,vulgus tamen iudaicum,ipsum existimat venisse pro Christo,& quã multos grauis erroris offensa reuocauit? maior itaque culpa plus profuit, ne supra hominẽ crederetur,qui vitio caruisset humano.fuit igitur in eo inuidiosa sapientia,& culpæ suasoria, quæ hominem comprobaret,&c. Culpæ meminit,& tamen sanctũ nominat,&quid vtilitatis culpa attulerit docet,probasse videlicet,Salomonem non plus fuisse, quàm hominem;non fuisse Messiam.

Adiicio etiam ijs verba illa,quæ extant à Salomone prolata: *Stultissimus sum virorum,& sapientia hominũ non est mecum,non didici sapientiam, & noui scientiam sanctorum*,quibus scelus suum & idolorum cultum videtur incusare,vt Hebræi sentiunt. Cur enim sapientissimus Salomon stultissimum virorum se appellat?nulla esse potest causa alia, quam magnum aliquod,& stultissimum flagitium,quale est idolorũ veneratio, quasi diceret,ô me stultissimum,qui vana colui simulachra, sapientia hominum non est mecum, sed insipientia belluarum, non didici sapientiam, nec noui scientiam sanctorum,(nam negatio prioris partis hic repetitur à Chaldæo) siquidem fœminarum me feci mancipium, illarumque blanditijs allectus dijs commentitijs diuinam exhibui venerationem.

Veruntamen sunt alij, qui Salomonem damnatum esse verò similius censent.Beda in quæstionibus de libris Regum quæst.29.cum locum supra indicatum ex lib.3.Reg.cap.23.exponit, in quo Iosias Rex dicitur euertisse excelsa,quæ Salomõ extruxerat,sic scribit: *Hoc ni fallor,palàm ostenditur* (*quod vtinam non ostendatur*) *quia videlicet Salomon, de admissæ idololatriæ scelere nunquam perfectè pœnituit. nam si fructus pœnitentiæ dignos faceret, satageret ante omnia, vt idola, quæ ædificauerat,tollerentur*,&c. Idẽ videtur sentire Augustinus in præfatione Psalm. 126. *Salomon* (inquit) *mulierum amator fuit,& reprobatus est à Deo*,&c. Nisi forsitan de reprobatione temporali, non æterna loquitur.similem in modum lib.22.contra Faustum cap. 88.*Salomon*(ait)*improbatus est,& reprehensus his verbis, vt appellaretur amator mulierum, & inde ad profundum idololatriæ lapsus,atque demersus*, &c. Et lib.17.de Ciuit.Dei cap. 20. Salomon bonis initijs, malos exitus habuit.Chrysostomus in Homilia quadam de pœnitẽtia, quæ tom.5.illi ascribitur post 10 alias homilias de pœnitentia;*Salomon*(inquit)*nesciens pœnitentiam perdidit gratiam*: Salomonem affirmat nescisse pœnitentiam,ergo damnatus est. Huic opinioni subscribit Abulensis 2.Reg.7.Lyranus in eam propensus videtur.

Quisenserint damnatum Salomonem.
D.Augustin.
D.Chrysost.
Abulensis Lyranus.

Argumenta autem suprapõsita, quæ illi aduersantur, facilè dissoluuntur. Respondetur primò Deum dilexisse valde Salomonem, quamdiu probus fuit. illa verò verba: *Misericordiam autem meam non auferam ab eo*, de misericordia circa regnum sunt intelligenda,id est, non auferam regnũ, quod indicant verba sequentia: *Sicut abstuli à Saul*; non enim abstulit regnum à Salomone, neque à posteris eius,vsque ad captiuitatem Babylonicam, quemadmodum abstulit à Saule. Resp.2. argumento. Salomonem reprehensum à Deo non egisse pœnitentiã, quam si egisset,Scriptura, vel in lib.Reg. vel in Paralipomenis commemorasse, quemadmodum pœnitentiam Manassæ,qui idola maximè coluit, commemorauit. Accedit Ecclesiasticum,qui Salomonẽ laudat,de ipsius pœnitentia verbum fecisse nullum. Additamento respondetur,probari eo loco 2.Paralipomenon 11.vias Salomonis, quamdiu idola non coluit,vt perspicuum est.Resp.3. argum. ex scriptura exploratum esse Manassem egisse pœnitentiam, ideoque dicendum altaria illa,quæ Iosias euertit,ab alio esse extructa,appellata tamen esse nomine Manassæ,quia à Manasse primum fuerant extructa eodem loco alia,quę iam erant euersa,non dicitur idẽ de excelsis Salomonis,quia pœnitentiam egisse nõ liquet. Resp.4.argumento ex loco Prouerb. petito, iuxta interpretationem Septuaginta interpretũ, illa verba non esse intelligenda de pœnitentia Salomonis, ob simulachrorum cultum, sed de pœnitentia ob negligentiam colendi animum,vel regnum,vel aliquid simile,antequã simulachra inania veneraretur.imò de pœnitẽtia cuiuscunque hominis,cuius Salomon eo loco personam sustinet.In nostra versione sic legimus: *Per agrum hominis pigri transiui, & per vineam viri stulti, & ecce totum repleuerant vrticæ, & operuerant superficiem eius spinæ, & maceria lapidum destructa erat.Quod cum vidissem,posui in corde meo, & exemplo didici disciplinam*,&c. Quod vertit noster interpres: *Posui in corde meo*; verterunt Septuaginta interpretes, *egi pœnitentiam*.

Eccles.47.
Prou. 24.

Verba autem illa 30.Prouerb.nonnulli aiunt nõ esse Salomonis, sed cuiusdam Agur, nam initium capitis, quod huiusmodi est: *Verba congregantis, filij vomentis*, ex hebræo vertunt, *Verba Agur, filij Iache*. Nomen enim,quod noster interpres vertit, *Congregantis*, hebraicè est *Agur*, quod vertit, *Vomentis*, hebraicè est *Iache*. Non esse autem caput illud Salomonis,sed Agur,probat illa postulatio, quæ eodem continetur: *Mendicitatem & diuitias ne dederis mihi, tribue tantum victui meo necessaria*. quorsum enim

Prouerb. 30.

Beda.

opulen-

opulentiſſimus regum à Deo peteret, *diuitias ne dederis mihi*, quibus mirabiliter affluebat? Sed eſto ſint Salomonis verba, quod eſt probabilius, qui docet nos hoc loco quid petere debeamus; illa ſuperiora, *ſtultiſsimus ſum virorum*, non idololatrię ſignificant ſtultitiam, ſed ſapientiæ à Deo infuſionem hoc ſenſu: Si me ipſum conſidero, ait Salomon, *ſtultiſsimus ſum virorum* (per exaggerationē, & hyperbolem dictū eſt) *quia nullam didici ſcientiam*; *Et ſapientia hominum non eſt mecum*, indoctus planè ſum, & imperitus. attamen noui ſcientiam ſanctorum, quia ſi non ab homine, certè à Deo ſapientiam accepi.

In vtramq; partē de hac quęſt. diſputauimus, quia vtraque veriſimilis eſt. Crimina Salomonis certa ſunt, pœnitentia incerta, ſi crimina certa ac probata ſequeremur, ſententia quoque eſſet certa, ſcilicet B eſſe damnatum. quia verò non crimina certa, ſed pœnitentiam ſequimur incertam, incerta quoque & dubia eſt ſententia noſtra.

Gloſſa ordinaria. In Salomone apparet mira excellētia, mira ſubuerſio, fienda vorago. D. Gregor.

Apparēt (vt eſt in Gloſſa ordinaria 3. Reg. 11.) in Salomone, mira excellentia, mira ſubuerſio, fienda vorago, at mira pœnitentia non apparet. Mira excellentia apparet, quia Rex fuit opulentiſſimus, & ſumma gloria prædítus, ſumma quoque ſapientia exornatus, quam tamen (vt ait Greg. lib. 2. Mor. ca. 2.) in ſomnis & nocte accepiſſe deſcribitur, quia nō perſeueraturus eam accepit. Mira ſubuerſio apparet, quia vir ſapientiſſimus à fœminis ſubuerſus eſt. In patre quidem Dauide quaſi hoſpes tranſijt carnis concupiſcentia, at in filio quaſi domina per- C manſit; in Parabola, quam Dauidi Nathan propheta propoſuit, peregrinum dixit ad hominem diuertiſſe diuitem, peregrinum appellauit Dæmonem, & carnis appetitum, quia vt hoſpes, & peregrinus, paulo poſt tranſiturus, ad Dauidem diuertit. Ad Salomonem verò non tanquam peregrinus, ſed tanquam Rex dominaturus aduenit. Auguſt. lib. 3. de doct. Chriſt. c. 21. quia in Dauide immoderatæ libidinis non permanſio, ſed tranſitus fuit, propterea etiam ab arguente propheta, ille illicitus appetitus hoſpes vocatus eſt. At in Salomone non quaſi hoſpes tranſitum habuit, ſed regnum libido poſſedit, &c. Denique apparet in Salomone flenda vorago, quia in profundam idololatriæ voraginem, ex tam D celſo ſapientiæ, diuinæque amicitiæ, & cognitionis gradu, deturbatus eſt. Ecquis crederet Salomonem idolis cultum vllum exhibiturum? cum Salomonē dico, virum dico, Iedidia, id eſt, Deo charum, & ſummis ab eo beneficijs affectum, virum dico optimi patris Dauidis filium, virum dico, ſapientia ac prudentia admirabilem, virum dico, cui, vt dicitur 3. li. Reg. *dedit Deus ſapientiam, & prudentiam multam nimis, & latitudinem cordis quaſi arenam, quæ eſt in littore maris.* Ecquis ſibi perſuaderet, huiuſmodi virū fœminarū blanditijs ita emolliendum, vt inanibus ſimulachris genu flecteret? *Heu vinum, & mulieres* (ait Eccleſ.) *apoſtatare faciunt ſapientes.* Num. 25. *fornicatus eſt populus cum* E *filiabus Moab quæ vocauerunt eos ad ſacrificia ſua, at illi comederunt, & adorauerunt deos earum.* vt Iſraëlitas fœminę Moabitides, ita Salomonem vxores in idololatriam impulerunt.

D. Auguſt. 3. Reg 4. Eccli. 19. Num. 25.

Dubitare quis poteſt, nū aliquid numinis idolis ineſſe crediderit, cur ea adorarit? D. Gregor. 12. lib. Moral. c. 12. Salomon (inquit) ad hoc perductus eſt, vt templum idolis fabricaret, & qui prius Deo templum conſtruxerat, aſſiduitate libidinis, etiam perfidiæ ſubſtratus, idolis conſtruere templa non timuit. Sicque factum eſt, vt aſſidua carnis petulantia, vſque ad mentis perfidiam perueniret, &c. Ait ergo Greg. Salomonem mentem habuiſſe perfidam. At Auguſt. lib. 12. de Geneſi ad literam ca. vlt. Salomon (inquit) vir tantæ ſapientiæ, nunquid nam credendum eſt, quod in ſimulachrorum cultu credidit eſſe aliquid vtilitatis? Sed mulierum amori ad hoc malum trahenti reſiſtere non valuit, faciens quod ſciebat non eſſe faciendum, ne ſuas, quibus deperibat, atque diffluebat, mortiferas delicias contriſtaret. lib. item 14. de ciuit. Dei ca. 11. Non eſt credibile Salomonem errore putaſſe idolis eſſe ſeruiendum, ſed blanditijs fęmineis, ad illa ſacrilegia fuiſſe compulſum, &c. Hæc ſunt fœminarum, quæ à Deo alienæ ſunt, arma, non gladij, non haſtę, non arcus, & ſagittę, ſed blanditiæ, ſed blanda voluptas. Salomoni, id eſt, pacifico, non reges, non fortes duces, non potentes aduerſarij, ſed imbelles fœminæ blanditijs blandum bellum intulerunt, pacis fędus, quod inter illum Deumque erat, ruperunt, cor illud, cui Deus dederat latitudinem ſicut arenam, quæ eſt in littore maris, expugnarunt. Cyril. libr. 7. contra Iulianum pa. 157. Inter arma alia, habet fœmina voluptatem, qua mens vincitur.

Blanditiæ ſunt arma fœminarum.

Victa autem mens illius eſt in ſenectute, ſic enim ſcribitur 3. lib. Reg. *Cum iam eſſet ſenex, deprauatū eſt cor eius per mulieres, vt ſequeretur deos alienos*, &c. Vnde Cyril. loco notato, Corripiebatur (ait) Salomon amore in ipſa ſenectutis via, mente iam defloreſcente, nec priſtinū habente vigorem, ſed quaſi cum corpore ſeneſcente. Vbi ad finem & occaſum vitæ venit, defecit ſimul ætas roboris, & mentis, deinde laqueū illi per mulieres parauit Satanas, & à recto abduxit. Hæc Cyril. In Salomone iuuene mens floruit, in ſene ſimul cum ætate, vt ait Cyril. defloruit. Contra D verò ait Hieron. in epiſtola ad Nepotianum: Adoleſcentia multa corporis bella ſuſtinet, & inter incentiua vitiorum, & carnis titillationes, quaſi ignis in lignis viridibus, ſuffocatur ſapientia, & ſuum nō poteſt explicare fulgorem. Senectus vero ætate fit doctior, vſu tritior, proceſſu temporis ſapientior, & veterum ſtudiorum dulciſſimos fructus metit; item: Omnes penè virtutes corporis mutantur in ſenibus, creſcente ſola ſapientia, decreſcunt cęterę virtutes; cuncta, quę per corpus exercētur, fracto corpore minora fiunt, &c. Si ſapientia in ſenibus creſcit, quomodo in Salomone ſene decreuit? Reſpond. quomodo in ijs ſenibus, de quibus Hieron. eadem epiſt. Sapientia (inquit) in pleriſque ſenibus ętate marceſcit. Loquitur verò Hierony. de ſapientia illa, quæ ſtudio comparatur; Salomonis verò ſapientia à Deo fuit infuſa, illius menti tamen actus circa diuinas res in ſenectute emarcuerūt, non vitio ætatis, vt Cyril. putat, ſed vitio libidinis. Vt enim ſequenti capite oſtendemus, Salomon quo tempore deprauatus ab vxoribus eſt, non erat valdè ſenex.

D. Hieron. Adoleſcentia. Senectus. D. Hieron.

Rogabis num infuſam illam ſapientiā poſt peccatum Salomon amiſerit? Amiſiſſe videtur ſentire Auguſt. lib. 3. de doctrina Chriſtiana, cap. 21. his verbis: *Salomonis initia deſiderio ſapientiæ flagrauerant, quam cum amore ſpirituali adeptus eſſet, amore carnali amiſit*, &c. Et Greg. libr. Paſtor. 3. p. art. 27. Salomon, qui poſt tantam ſapientiam vſque ad idololatriam cecidiſſe deſcribitur, nihil in hoc mundo priuſquam caderet aduerſitatis habuiſſe memoratur. Sed conceſſa ſapientia funditus cor deſeruit, quod nulla vel minima tribulationis diſciplina cuſtodiuit, &c. Verum hæc verba de actu ſapientiæ intelligi poſſunt: Cum enim Salomon idola coluit, ſapientiā amiſit, id eſt, actum ſapientię, vt ait Auguſtinus, ſtultitia enim nō ſapientia eſt vſus, cor item eius, ſapientia funditus deſeruit, id eſt, actus ſapientiæ, vt ait Gregorius, non enim ſecundum ſapientiæ regulas tunc temporis egit. Itaque crediderim non amiſiſſe ſapientiæ habitus, quoniam poterant illi cum peccatis eidem animo ineſſe. Sed de Salomone ſatis. Ad filium eius Roboam tranſeamus.

An Salomon poſt peccatū infuſam ſapientiā amiſerit. D. Auguſt. D. Gregor.

An Salomon exiſtimarit idola habere aliquid numinis. D. Gregor. D. Auguſt.

CAPVT X.

De Roboam filio Salomonis.

Salomon, ait Euangelista, *genuit Roboam*. Difficilis quæstio est, quoto ętatis anno Salomon genuerit filium Roboam? Etenim vt aiunt Hebręi, & D. Hieronym. epistola ad Vitalem, Salomon duodecim annos natus cœpit regnare; regnauit autem vt est in sacris literis 3. Reg. 11. annis quadraginta, filius verò Roboam in locum Patris vita functi suffectus est, cum vnum & quadragesimum annum ageret. *Quadraginta & vnius anni erat Roboam cum regnare cœpisset*, &c. Efficitur ergo Salomonem genuisse filium Roboam antequam inciperet regnare, cum annos haberet decem, si recte supputes. Opinionem verò hanc à veritate dissentire probatur; quia inaudita res est, puerum annorum decem, vel vndecim filiũ gignere. Quis crederet mortaliũ (ait Hieronymus) vt vndecim annorum puer generaret filium? Confirmatur præterea, quia ex hac sententia sequitur Salomonem non fuisse senem, quo tempore à fœminis in idolorum cultum est attractus. Nam si duodecimo ætatis anno regnare cœpit, & quadraginta tantummodo annis regnauit; efficitur quinquagesimo 2. ętatis anno è vita migrasse. At multo ante mortem deprauatus ab vxoribus est; ergo cum in idolorum cultum est præcipitatus, agebat annum quadragesimum sextum, vel septimum; quæ ætas senilis non est. Senili verò ętate ad simulachra colenda pertractum docet Scriptura his verbis: *Cum iam esset senex Salomon, deprauatum est cor eius per mulieres, vt sequeretur deos alienos.* Quænam senectus est 46. annorum? Virilitas est, non senectus; non est de hac ætate verum, quod supra ex D. Cyrillo attulimus: Corripiebatur (inquit) Salomon amore in ipsa senectutis via, mente iam defloreſcente, nec pristinum habente vigorem, sed quasi cum corpore senescente: vbi ad finem & occasum vitę venit, defecit simul ætas roboris, & mentis, deinde laqueum illi parauit Satanas per mulieres, &c. In ætate 46. vel 47. annorum non defloreſcit mens, imo tunc floret, tunc vigorem habet.

An Salomon genuerit filiũ Roboam cũ natus esset annos decem. 3. Reg. 14. — D. Hieron. — 3. Reg. 11.

His rationibus victus respondebit aliquis, sentẽtiam Hebræorum esse falsam, Salomonem 12. ętatis anno cœpisse regnare. Verum ea probatur ex diuinis literis; quæ Salomonem puerum tenellum esse docent, cum ad regni clauum accessit: *Locutus est Dauid Rex ad omnem Ecclesiam, Salomonem filium meum vnum elegit Deus, adhuc puerum, & tenellum*, &c. Et 1. libr. Paral. *Salomon filius meus Puer paruulus, & delicatus*, &c. 3. Reg. Salomon cum iam Rex esset creatus: *Ego* (inquit) *sum Puer paruulus, & ignorans egreßum, & introitum meum.* Quibus locis dicitur à Septuaginta interpretibus παιδάριον, id est, puerulus. ergo puerulus, & Puer paruulus, ac tenellus, erat Salomon initio principatus; Puer autem paruulus ac tenellus non potest dici, qui 12. annum superat. Duodecimo ergo ætatis anno principatũ obtinuit, 40. annos regnauit, duos & 50. vixit, deprauatus ab vxoribus est ante annum 50, quæ ætas senilis appellari non potest. Iã vides quæstionis difficultatem.

2. Par. 29. — 1. Paral. 22. — 3. Reg. 3.

D. Hieron. — D. Hieronymus in epist. illã ad Vitalem, concedit Roboamum genitum à Salomone vndecim vel 10. annos nato, multaq; ait dici in scripturis, quæ videntur incredibilia, & tamen vera sunt, neq; valere naturam contra naturę Dominum. Deinde exemplum affert fœminæ, quæ ex puero decem annorum cõcepit. De senectute verò Salomonis nullum verbũ facit Iosephus, de ætate Salomonis hæc scribit: *Mortuus est Salomon valde longæuus, qui regnauit quidem annis octoginta, vixit autem quatuor & nonaginta*, &c. Miror sanc, & ignoro ex quonam fonte Iosephus hanc Salomonis hauserit ætatem, & regni annos; Scriptura manifestè docet eum 40 annis regnasse, Iosephus numerum geminat, regnasse ait octoginta. Quod si verum esset, facilè propositos nodos dissolueremus: diceremus enim Salomonem ad summam peruenisse senectutem, vtpote ad nonaginta quatuor annos, eaque ætate ab vxoribus deprauatum idola coluisse; Roboamum verò ab eo genitum, post quinquagesimum ętatis annum. Quod si obiicias Scripturam sacram regno Salomonis 40 tantummodo annos, Iosephum verò octoginta tribuere, & Scripturæ aduersari; respondet Magister historiæ, & Glossa ordinaria, Scripturam quadraginta tantùm annos commemorasse, quibus antequam præuaricaretur, regni gubernacula tractauit, reliquos quadraginta post præuaricationem silentio inuoluisse. Quemadmodum de Saule dicitur: *Filius vnius anni erat Saul cum regnare cœpisset, & duobus annis regnauit*, videlicet innocenter, & vt filius vnius anni. Hic tamẽ locus aliter explicari potest, si coniungantur hæc verba cum sequentibus hoc pacto: *Duobus annis regnauit super Israël, & elegit sibi Saul tria millia de Israël.* hoc est, postquam Saul duos iam annos regni clauum tenuerat, secundo anno fecit hoc, quod sequitur, scilicet elegit tria millia militum ex Israëlitis, &c.

Iosephus l. 8. Antiq. ca. 7. — 1. Reg. 13.

Ad quam ætatem peruenerit Salomon.

Verisimilius videtur, & Scripturæ magis cõsentaneum, Salomonem ad ętatem peruenisse sexaginta annorum; nimirũ, quia regnare cœpit anno ætatis vigesimo, & annis quadraginta regnauit, vt docent sacræ literę, vnde summa annorum efficitur sexaginta. Cum autem esset senex, videlicet iam natus quinquaginta quinque, vel plures annos, ac vxoribus in idololatriã pertractus est. Videtur autẽ Salomon citius senuisse, ob vxorum & concubinarum multitudinẽ, quę corporis succum hauriebant. Sed obiicies Salomonem appellari Puerum paruulum cum cœpit regnare, non ergo tunc temporis egerat 20. annos. Respondemus hebræam esse phrasim, qua adolescentes pueri vocantur, vt ostendemus. *Cum iuuenis tenellus ac delicatus esset Salomon*, dicitur à Dauide puer, & tenellus, ad ędificandum templum Domino, ipse quoque Salomon puerum se vocat paruulum, id est, paruæ ætatis, ad gubernandum tantum imperium.

Quo ætatis tempore regnare cœperit Salomon.

Quod verò fuerit iuuenis 20. annorum plus, minus, probatur, quia Dauid ante mortem suam vocat Salomonem virum, nec solummodo virum, sed etiam sapientem: *Vir* (inquit) *sapiens es, vt scias, quæ facies ei*, &c. Si vir sapiens erat Salomon regnante Dauide, antequam sapientiæ à Deo donum acciperet, qui fieri potest, vt duodecim tantum annos ageret, cum cœpit imperare. Præterea Septuaginta interpretes, quod noster vertit puerum & tenellum, vertunt νεος καὶ ἁπαλὸς, id est, Salomon iuuenis, & tener; ergo iuuenis erat. Hebraicè locis citatis dicitur Salomon, נַעַר nahar, quod nomen non solum significat puerum decem aut duodecim annorum, sed plurium: *Ioseph cum sedecim esset annorum pascebat gregem cum fratribus suis adhuc puer*, hebraicè nahar, dicitur ergo nahar, & puer, sedecim annorum. Dauid item, cum Gigantem vicit, dicitur à Saule puer; ait Saul ad Dauid: *Non vales resistere Philistæo isti, nec pugnare aduersus eum, quia puer*, hebraicè nahar, es. eodem capite, quo loco vertit noster interpres: *Erat autem Dauid adolescens rufus, & pulcher aspectu*, hebraicè idem nomen est nahar, Septuaginta verterunt παιδάριον, id est, puerulus. potuisset ergo noster inter-

3. Reg. 3. — 1. Paral. 29. — Genes. 37. — 1. Reg. 17.

ster interpres,si voluisset,etiam locis citatis, in quibus de Salomone fit sermo, vertere adolescentem tenerum,& adolescentem paruum,id est,paruę ætatis. Absalon quoque cum bellum patri intulit natus iam 25.vel 30.annos,trium iam filiorum & filiæ vnius pater,qui 2.Reg.14.numerantur,puer,& hebraicè,nahar,dicitur 2.Reg. *Seruate* (ait Dauid) *mihi puerum Absalon*,rursus;*Est ne pax puero Absalon ?* quibus locis hebraicè est nomen, nahar,& græcè παιδάριον. similiter Ieroboam dicitur nahar , cum præfectus creatus est super tributa à Salomone, nec tamen puer esse poterat: *videns Salomon adolescentem industriũ, constituerat eum præfectum super tributa vniuersæ domus Ioseph*,&c. Hebraicè adolescens dicitur,nahar hoc loco,græcè παιδάριον. Denique Ioseph, vt legitur Genes.triginta erat annorũ,quando stetit in conspectu Pharaonis;at eodem capite puer dicitur latinè, *erat ibi puer Hebræus*,&c. hebraicè,nahar, cum natus esset annos 28. vt facile colliges. Vnde patet in sacris literis adolescentem 20 vel plurium annorum, qualis erat Absalon,qualis & Ioseph,appellari puerum,nahar, & παιδάριον. non habet ergo vim argumentum illud, Salomon dicitur puer paruus & tenellus, & pædarion , ergo natus erat duodecim annos cum regnare cœpit,&si natus esset 23.vel 24. annos,puer,& nahar , & pędarion dici potuit:quẽadmodum Absalon:Imò Roboam 40.annos natus, cum regni clauum accepit,dicitur puer,& corde tener, græcè νεώτερος, id est,iunior , noster interpres recte vertit,erat rudis,scilicet veluti puer, & corde pauido.

Itaque propositę quęstioni respondendum est, Roboamũ non esse genitum à Salomone patre , cũ decem aut vndecim annos ageret,sed cum ad vigesimum annum iam accederet.Quę obstant , vim nõ habent , vt ostendimus;Illud obseruandum,ex tot vxoribus Salomonem vnicum tantum filium Roboamum reliquisse,& filias duas.

Regnum hebræorum diuisum in duo regna.

Huius Roboam tempore Hebręorum regnum, quod vnicum erat,in regna duo diuisum est, alterũ quod tribum Iuda,Benjamin , & Leuiticam , alterum,quod decem reliquas tribus complectebatur, Illud dicitur regnum Iuda, à tribu pręstantissima, hoc appellatur regnum Israël,vel decem tribuum, vel Ephraim ab Ieroboamo rege ex tribu Ephraim, vt docet Hieronymus Osęę 1. *Diuisionis causa fuit Salomonis idololatria.* ait Deus Salomoni, *Scindam regnum tuum, & dabo illud seruo tuo : veruntamen in diebus tuis non faciam , propter Dauid patrem tuum . de manu filij tui scindam illud. nec totum regnum auferam, sed tribum vnam dabo filio tuo propter Dauid seruum meum , & Ierusalem , quã elegi.* Dices,tribũm vnam ait Deus se daturum filio Salomonis,ergo regnum Roboami non cõplectebatur tres tribus. Respond. Deum loqui tantummodo de prącipua tribu Iudę,à qua regnum nomẽ accepit,cui coniuncta est tribus Beniamin, & Leuitica,eo quod templum,cui ministrabat Hierosolymis,erat in regno Roboam. *Sacerdotes, & Leuitæ , qui erant in vniuerso Israël , venerunt ab Roboam , de cunctis sedibus suis , relinquentes suburbana, & possessiones suas, & transeuntes ad Iudam & Ierusalem , eo quod abiecisset eos Ieroboam (Rex decem tribuum) & posteri eius,ne saeerdotio Domini fungerentur.* Iterum obiicies,me tredecim numerasse tribus Israel, cum tamen duodecim tantũ soleant numerari: Respondeo,duodecim numerari, prętertribum Leuiticã. quę templo erat mancipata,nec habebat sortem.Vrges,Iacob duodecim tantum filios habuit , ex quibus duodecim tribus ortę sunt, vnde ergo decima tertia tribus , & decimus tertius filius. Respõdeo,Iacob duodecim tantum filios habuisse , adoptasse verò duos filios Ioseph, Ephraim,& Manassem,qui loco patris Ioseph,duas tribus effecerunt,tribum scilicet Ephraim.& tribũ Manassę.Si Ioseph tribum aliquã vnicã cõstituisset, duodecim tantum tribus fuissent: Sed quia pro Ioseph, filij duo duas constituerunt, tredecim tribus effectæ sunt.Regnum ergo Roboam dicitur regnũ Iuda,vel duarum tribuum,nec enim fit mentio Leuiticę,quia Deo tota erat consecrata.Leuitica tribus diuina erat,Iudæ tribus regia.

Qualis rex fuerit Roboã

Petis qualis-nam Rex fuerit Roboam? Respond. inter malos computari.Etenim idola coluit,vt narratur 2.Paral. his verbis: *Cum roboratum fuisset regnum Roboam , & confortatum,dereliquit legem Domini , & omnis Israël cum eo.* Lege etiam librum 3.Reg. Itaque post diuisionem,siue schisma,regnum vtrumque, prius decem tribuum,cuius Rex Ieroboam,postea duarũ tribuum,cuius Rex Roboam,cœpit idola colere, erant tamen multi , tam in hoc quam in illo, veri Dei cultores.Lege Ezechiel.in quo duo hæc regna parabolicè duabus meretricibus designantur , quarum altera dicitur Oolla,scilicet regnum decẽ tribuum : altera Ooliba, scilicet regnum duarum tribuum,earum fornicationes,id est,idololatriæ, debitaque illis supplicia eodem loco recẽsentur.Porrò de Roboam ait Eccles. *finem habuit Salomon cum patribus suis,& dereliquit post se de semine suo, gentis stultitiam, & imminutum à prudentia Roboam , qui auertit gentem consilio suo.* Appellatur Roboã imminutus à prudentia & gentis hebrææ stultitia , propterea quod consilio suo diuisit regnum, secutus enim iuuenum consilium,spreto consilio seniorum, durè respõdit populo tributorum alienationẽ petenti, auertitque à se decem tribus,vt narratur 3. Reg. Rudis fuisse dicitur,& corde pauido , quo tempore Ieroboam rebellauit,2.Paralip.nec potuisse resistere illi;regni clauum tenuit 17.annis.

2.Reg.18. 3.Reg.11. Genes.41. 2.Paral.13. 3.Reg.11. 2.Paral.11. De numero tribuum Israel. 2.Paral.12. 3.Reg.14. Ezech.23. Eccles.47. 1.Reg.12 2.Paral.13.

CAPVT XI.

De regibus Abia , Asa , Iosaphat, & Ioram.

CVM duo fuerint regna,alterum Israël, vel decem tribuum,alterum Iuda, vel duarũ tribuũ, nullius regis decem tribuũ Matthæus meminit, reges tãtũmodo Iuda numerat,ex quibus Ioseph virginis sponsus originem duxit.Dauid & Salomon omnibus tribubus,vnique regno ex omnibus constanti,imperarunt. Roboam Salomonis filius, Dauidis nepos, primus fuit Rex duarum tantummodo tribuum, eius filius Abias illi successit, ex vxore natus Maacha, quam præ cæteris diligebat. Non erat hic primogenitus,sed Rex à patre creatus est, quod sapientior,potentiorque reliquis esset fratribus:*Constituit Roboam in capite Abiam filium Maacha ducem super omnes fratres suos,ipsum enim regem facere cogitabat,quia sapientior fuit , & potentior super omnes filios eius,* &c.Tribus tantum annis regnum administrauit,vt dicitur 3.Reg. ambulauitque in omnibus peccatis patris sui,&c.

In eius locum repositus est filius Asa , de quo dicitur 3. Reg. *Fecit Asa rectum ante conspectum Domini, sicut Dauid pater eius , & abstulit effœminatos de terra purgauitq; vniuersas sordes idolorum , quæ fecerunt patres eius.* Habuit autem exercitum maximum , & fortissimum. *Habuit Asa in exercitu suo portantium scuta,& hastas de Iuda trecenta millia,de Beniamin vero scutariorum, & sagittariorum ducenta octoginta millia,omnes isti viri fortissimi, Aethyopum exercitum Deo auxiliante vicit. in quo decies centena millia militum erant.* eodem capite: *Exterruit Dominus Aethiopas*,&c. Probi regis exemplar habes, cui

2.Paral.11. 3.Reg.15. 3.Reg.15. 2.Paral.14.

prima cura ſcelerum extirpatio, populiq́ue expurgatio: *Purgauit Aſa vniuerſas ſordes idolorum*, &c. Secunda cura militiæ, quæ regnum tueatur.

At *qui ſtat*, vt ait Apoſtolus, *videat ne cadat*, exemplo ſit Rex idem, cum ſtaret cecidit. Auro argentoq́ue ex theſauris regijs, ac templi deprompto, Syriæ regis auxilium aduerſus regem Iſraël emit, ſpemq́; ſuam non in Deo, qui aduerſus tot Æthiopũ millia opem tulerat, ſed in Syris collocauit. Quamobrẽ ab Hanani Propheta ijs verbis eſt incuſatus: *Quia habuiſti fiduciam in rege Syriæ, & non in Domino Deo tuo, idcirco euaſit Syriæ regis exercitus de manu tua: Nónne Aethiopes, & Libyes multo plures erant, quadrigis, & equitibus, & multitudine nimia, quos cum in Domino credidiſſes, tradidit in manu tua? ſtultè igitur egiſti, & propter hoc ex præſenti tempore aduerſum te bella conſurgent*, &c. Hac increpatione exulceratus Aſa, prophetã in vincula conjicit, multoſq; ex populo neci dat. extremo autem vitę tempore pedum dolore vehementiſſimo (forte podagra) excruciatus, *nec in infirmitate ſua quæſiuit Dominum*, (vt ſcriptum eſt eodem capite) *ſed magis in medicorum arte confiſus eſt*. diſcant ægroti à Deo magis, quàm à medicis ſanitatem ſperare, precibuſq́ue & diuinis ſacrificijs exquirere.

Aſa increpatur a Propheta, quod fiduciam in Rege Syria habuerit, & non in Domino. 2. Par. 16.

Aſa ægrotus non quæſiuit Deũ, ſed magis medicos.

Abulenſis. Vnde Epiſcopus Abulenſis hoc loco ſic ſcribit: Licet opera medicorum ſalus naturaliter recuperari queat, ſicut naturaliter perditur, tamen magis debemus putare, quod ſalus voluntate Dei nobis eueniat, quam medicorum opera, & potius confidendum eſt de bonitate illius, quàm de naturæ efficacia. Hæc ille. Putat idem doctor Aſam pedũ dolore à Deo percuſſum, quòd prophetæ pedes obſtrinxerit vinculis, quia *Deus vult, vt per quæ quis peccat, per ea torqueatur.* Sapien. 11.

Mirum ſanè eſt, initia illa bona tam infelices habuiſſe exitus. Carthuſianus putat non eſſe damnatum. dicitur enim de illo: *Cor Aſa erat perfectum cunctis diebus eius*, & : *Cor Aſa perfectum erat cum Domino cunctis diebus ſuis*. Verumtamen repugnant verba illa: *Nec in infirmitate ſua quæſiuit Dominum*. niſi interpreteris. nõ quæſiuit ad pedum curationem, quæſiuit tandem ad animi ſalutem. Res dubia eſt. ſi verò quęras quomodo dicatur cor Aſa perfectum cum Domino cunctis diebus, cum tamen Prophetam in carcerẽ miſerit, nec Dominum in infirmitate requiſierit. Reſpõdeo cum Cardinali Caietano, fuiſſe cor Aſa perfectum cum Domino, quod ad cultum attinet Dei, non enim idola coluit. vno & quadraginta annis ſceptrum tenuit. 2 Par 15. 3. Reg. 15.

Succeſſorem habuit filium Ioſaphat, regem religione præſtantem. Hic idola deteſtatus eſt, Deum coluit, tertio regni anno: *Miſit de principibus ſuis, vt docerent in ciuitatibus Iuda, & cum eis Leuitas ſacerdotes, docebantq́; populum in Iuda, habentes librum legis Domini, & circumibant cunctas vrbes Iuda, atque erudiebant populum*. ô regem eximium, cui doctrina populi tãtæ curę fuit, vt eam ad rem quas noſtra Societas miſſiones appellat, id eſt, per diuerſa loca ad docendum populũ diſcurſiones faceret. Rurſus: *Egreſſus eſt Ioſaphat ad populum, de Bethſabee* (quę erat regni extremitas verſus Auſtrum) *vſque ad montem Ephraim, & reuocauit eos ad Dominum Deum patrum ſuorum*. ô diuinum regis zelũ, firmauit ergo regnum diuino cultu: Muniuit militibus: *Conſtituit militum numeros in cunctis vrbibus Iuda, quæ erant vallatæ muris*, &c. Exornauit iudicibus: *Conſtituit iudices terræ in cunctis ciuitatibus Iuda munitis, per ſingula loca, in Hieruſalem quoque conſtituit Leuitas & ſacerdotes, & Principes familiarum ex Iſrael, vt iudicium & cauſam Domini iudicarent habitatoribus eius*, &c. 2. Par. 17. *Zelus regis in docendo populo.* 2. Par. 19. *Regis probi exemplum* 2. Par. 17. 2. Par. 19.

Monita à rege data iudicibus. Extant eodem capite egregia optimi regis monita, quæ iudicibus dabat, præcipiens iudicibus: *Videte* (ait) *quid faciatis, non enim hominis exercetis iudicium, ſed Domini, & quodcunque iudicaueritis, in vos redundabit. ſit timor Domini vobiſcum, & cum diligentia cuncta facite, non eſt enim apud Dominum Deum noſtrum iniquitas, nec perſonarum acceptio, nec cupido munerum*, & infrà: *Sic agetis in timore Domini fideliter, & corde perfecto*, &c. 2. Par. 19.

Videte, inquit, quid faciatis, quanti põderis ſit iudicandi munus attẽdite; ex ipſo ciuium vita, ex ipſo bona pendent, videte quas cauſas agatis, non agitis cauſas hominis, ſed Dei, nam iudicatis populũ Dei. vnde illud ſuprà dictum: *Cõſtituit Leuitas, & ſacerdotes, & principes familiarum, vt iudicium & cauſam Domini iudicarent*: iudicium, & cauſa Domini dicitur omnis cauſa populi, quia erat iudicium & cauſa populi Dei, & legis Dei, ſecundùm leges Dei.

Imminet autem iudici magnum ſuppliciũ, ſi iniuſtus ſit, ideoq́ue addit: *Quodcunque iudicaueritis, in vos redundabit*, ſi iniuſtè, pœnam, ſi iuſte, præmium à Deo conſequemini.

Amplecti debet iudex ſummopere timorem Dei, & diligentiam, odio habere iniquitatem, perſonarũ acceptionem, & munera. de timore: *Sit* (inquit) *timor Domini vobiſcum*, &, ſic agetis in timore Domini. de diligentia: *Cum diligentia cuncta facite*, expedite breui tempore negotia, ne ſitis in iudicando, cum litigantium detrimento cunctatores. de odio iniquitatis, & munerum: *Non enim eſt apud Dominum iniquitas*, &c. Quaſi dicat, imitamini ſummum iudicẽ Deum, qui nec perſonas accipit, nec muneribus corrumpitur. dicuntur dij iudices in diuinis literis: *Ego dixi, dij eſtis*, Deos ſe eſſe oſtendent, ſi quemadmodum apud Deum, ita apud illos, nec iniquitas vlla, nec perſonarum acceptio, nec cupiditas munerũ reperiatur. Porrò duo iudicum genera inſtituit Ioſaphat, quoſdam minores per ſingulas ciuitates munitas, qui populis ius dicerent, alios maiores in regni metropoli Ieruſalem, ex Leuitis, & ſacerdotibus, & principibus familiarũ, viris præcipuis, quos Græca verſio vocat Patriarchas, ijs pręſidebat Pontifex. *Amaſias ſacerdos, & pontifex veſter* (ait Ioſaphat) *in ijs, quæ ad Deum pertinent, præſidebit*. Erat alter præſes, qui regis vices gerebat, de quo idem Ioſaphat eodem loco, *Zabadias filius Iſmael, qui eſt dux in domo Iuda, ſuper ea opera erit, quæ ad regis officium pertinent*, hoc eſt, ſuper eas cauſas, quæ pertinent ad regem. Conſultores Leuitæ erant, ideo ſequitur: *Habetis magiſtros Leuitas coram vobis*, &c. Tria hæc regi ſummopere eſſe procuranda docet Ioſaphat, diuinum in primis & ante cætera omnia cultum, deinde iudicum virtutem, & ſapientiam, tertio regni munitionem ac defenſionem. *Iudices Iſraëlitarum.* 2. Paral. 19.

Quomodo etiam bella reges debeant gerere, is Rex oſtendit: *Venerunt nuntij, & indicauerunt Ioſaphat dicentes, venit contra te multitudo magna*, &c. Quid Ioſaphat, quid faciet, quo ſe vertet? ad Deum ſe convertit, in eo ſpem veluti tutiſſimo præſidio collocauit. *Timore perterritus* (vt eodem capite dicitur) *totum ſe contulit ad rogandum Dominum, & prædicauit ieiunium vniuerſo Iuda, congregatuſq́; eſt Iudas ad deprecandum Dominum*, &c. ô arma aduerſus quoslibet hoſtes fortiſſima. Probis regis populiq́ue precibus annuit Deus, pugnam in ſe recepit, per Iahazielem Leuitam victoriam pollicitus eſt. *Hæc dicit Dominus vobis*, (ait Iahaziel) *nolite timere, nec paueatis hanc multitudinem, non eſt enim veſtra pugna, ſed Dei*, &c. ô felicem regem, cuius pugna non militum eſt; ſed Dei! Non eritis vos, qui dimicabitis (ait Propheta) ſed tantũmodo confidenter ſtate, & videbitis auxilium Domini ſuper vos, ô Iuda & Hieruſalem, &c. Stetit promiſſis Deus, victoriam admirabili contulit modo, citra puluerem, vt aiunt. Egregius Rex Ioſaphat Leuitarum choros exercitũ iuſſit præ- 2. Paral. 20. *Exemplum belli gerendi & auxilium à Deo petendi ieiunijs ac precibus.*

sit præcedere, diuinasque laudes canere, hos in prima acie milites fortissimos statuit, diuinis laudibus veluti acutissimis sagittis armatos. Ex hoc Iosaphati facto discant reges diuinis laudibus, precibus, supplicationibusque ad omnia templa decretis, hostes expugnare. Cœperunt sacri cantores diuinas laudes canere, cœperunt hostes mutuis vulneribus cæsi cadere. cùm esset exercitus hostilis ex Moabitis, Ammonitis, & Idumæis conflatus, Moabitæ & Ammonitæ primum Idumæos trucidarunt, mutuis postea cædibus ipsi occubuerunt. Non fuit opus regi gladium distringere, venit, vidit, vicit, incruēta potitus victoria, spolijsque onustus domum redijt. Quid hoc rege felicius, qui nō sanguinem fundendo, sed cantando vicit.

Si quid habuit infelicitatis, id ex societate quam cum improbis regibus iniit, emanauit. cum impio Achab copias cōiunxit, & aduersus Syros infeliciter dimicauit, quam ob causam à Propheta reprehensus est his verbis: *Impio præbes auxilium, & his qui oderunt* Dominum *amicitia iungeris? & idcirco iram quidē Domini merebaris, sed bona opera inuenta sunt in te, eo quòd abstuleris lucos de terra Iuda, & præparaueris cor tuum, vt requireres* Deum, &c. Prophetam veneratus, audita patienter tulit, secus ac pater eius Asa, qui Prophetam increpantem in custodiam tradidit.

2. Paral. 19.

Cum nauibus quoque Ochoziæ filij Achab viri pessimi, naues misit in Ophir ad querendum aurū, at confractę sunt, redditur à Propheta Elizer causa: *Quia* (inquit) *habuisti fœdus cum Ochozia, percussit* Dominus *opera tua, contritæq; sunt naues, nec potuerunt ire in Tharsis*, &c. Nocet probis improborum societas, disce igitur eorum consortia cauere,

2. Paral. 20.

Cautior esse didicit Iosaphat, cum iterum ab eodem Ochozia impio ad nauigationis societatē inuitaretur, naues suas cum illius classe noluit coniungere, vt leges 3. Reg. 22. Sedit ad gubernacula regni Iudæ annis 25. vt legitur 3. Reg. 22. vixit annos sexaginta.

3. Reg. 22.

Quæ regio sit Tharsis & Ophir.

Rogabis quęnam regio sit Ophir, & Tharsis, ad quam naues Iosaphati auri vehendi causa nauigabant? Multæ discrepantesq; sunt hac de re sententiæ. Montanus in libro de sedibus gentium, arbitratur Ophir esse nouum orbem, probat quia vbi in

2. Paral. 3.

nostra versione legitur: *Aurum erat probatissimum*, in Hebræo habetur, *aurum erat paruaim*, quæ vox dualis est numeri, à nomine singulari, peru, quasi dicatur aurum illud allatum erat ex regione, quæ duplex Peru appellatur. Duæ enim sunt regiones in nouo illo orbe, quarum altera etiā nunc Peru, altera noua Hispania nominatur. Huic sentētię subscribit

Genebrardus

Genebrardus lib. 1. Chronologiæ: Aurum (inquit) paruaim in Hebræo appellatur, quasi allatum ex vtroque Peru. quis non cernit nouum hunc orbem nominari? &c. Subscribit quoque ex parte

Vatablus

Vatablus, qui 3. Reg. 9. & 22. Ophir & Tharsis putat appellari insulam noui orbis spagniolam.

Volaterranus lib. 12.

Secunda opinio est quam refert Volaterranus ophir esse Sophalam, quæ ad Africam spectat. Tertia Indiæ esse regionem. Rabanus in Glossa ordinaria, in India esse putat Ophir, terramque auream nuncupari, eo quod montes haberet aureos, qui à leonibus sæuissimisque bestiis incolerentur.

Montes aurei & terra aurea, quam adire prohibent feræ. Rabanus.

Ad quos (inquit) nullus aliter accedere audet, nisi qui in naui stantes iuxta littus, terram quam vnguibus leonum effossam inuenerint, in suam nauim recipiunt, vt si bestiæ eos senserint, facile in mare recipiantur. Hæc ille. Episcopus quoque Abulensis 3. Reg. 9. Ophir (ait) est insula quædam in India, in hac leones & sæuissimæ bestiæ habitant, hæc enim terra montes habet aureos. Nam superficies eius videtur tota quasi aurum, non est tamen facultas hominibus introēundi, & manendi in montibus illis aureis, propter sęuissimas bestias. Sed cum sint illi montes in littore maris, nautæ cum vident abesse bestias, introēunt in extremitates illorū montium, & laminas aureas, vnguibus & pedibus bestiarum erutas, accipiunt, redeuntque in nauem. Hæc Abulensis, eadem Lyranus. Pomponius Mela similę quid scribit. Alit (inquit) India formicas nō minores maximis canibus, quas more Gryphorum, aurū penitus egestum, cum summa pernicie attingentium custodire commemorant. D. etiam Hieronymus in Epistola ad Rusticū, inter alia; per Oceanū (inquit) ad Indiā peruenitur, & ad Gangē fluuiū, quem Phison sancta Scriptura cōmemorat. qui multa genera pigmentorū dicitur de paradisi fonte deuehere, vbi nascitur carbunculus, & smaragdus, & margarita candentia, & vniones, mōtesque aurei, quos adire propter Gryphas & Dracones & immensorum corporū monstra, hominibus impossibile est, vt ostendatur nobis, quales custodes habeat auaritia, &c. Iosephus præterea Ophir in India esse censet, lib. 8. antiquit. ca. 6. aureamq; terram vocari docet ipso ca. 6. & 7. & D. Hieronymus in commentarijs Ionæ. Quantum (ait) in Paralipomenon libris intelligi datur, quidam locus Indiæ Tharsis vocatur, &c. Et in Epistola ad Principiam, Ophir putat esse auri genus, vel à loco Indiæ, vel à colore sic nominatum, hæc placet opinio.

Pomponius Mela lib. 3. cap. 7.

D. Hieron.

Iosephus.

Crediderim ergo Ophir regionem esse Orientalis Indię; ab Ophir filio Iectan & nepote Heber sic appellatam, filios enim Iectan, ait Iosephus, à flumine Cophene Indiæ, & positæ circa eum Syriæ loca quædam, inhabitasse. In hanc regionem Tyrij rei nauticæ periti nauigabant, cum Tyrijs nauigarunt postea Hebręi tempore Salomonis. Iosaphat verò & Ochozias in Asion gaber portu rubri maris classem, quę eandem teneret nauigationem, extruxerunt. Naues Iosaphati confractę sunt, eo quòd cum viro impio Ochozia societatem inierat. De nauigatione Tyriorum sic scribitur: *Classis Hiram, quæ portabat aurum de Ophir, attulit ex Ophir ligna thyina multa nimis, & gemmas pretiosas*, &c. Erat hic Hiram Rex Tyri Salomoni amicus, de nauigatione Hebręorū cum Tyrijs eodem capite dicitur: *Classis Regis Salomonis per mare cum classe Hiram semel per tres annos ibat in Tharsis, deferens inde aurum, & argentum, & dentes Elephantorum, & simias, & pauos.* Hęc omnia deferebantur ex terra Ophir, siue Tharsis, hoc est, ex Insula, quā Samatrā nunc appellamus ex Pegu, & Malaca, quę aurea Chersonesus vocatur. Vbi eboris aurique magna erat copia. Quod Rabanus & alij scribunt de feris aurum effodere prohibentibus, aureisque mōtibus, quantum habeat verisimilitudinis, alij viderint, fides sit penes autores. Plinius similia de Arimaspis scribit: Produntur (ait) Arimaspi, quos diximus vno oculo in fronte media insignes; quibus assiduè bellum esse circa metalla cum gryphis ferarū volucri genere, quale vulgo traditur, eruente ex cuniculis aurum; mira cupiditate & feris custodientibus, & Arimaspis rapientibus, multi sed maximè illustres, Herodotus, & Aristeas Proconnesius scribunt, hæc Plinius.

3. Reg. 10.

Plinius li. 7. cap. 2.

Quod verò Ophir non sit Peru, probatur, quia Peruensem illam nauigationem non est probabile Salomonis ętate fuisse notam, postea verò in tanta hominum auaritia penitus ignoratam. Deinde quia elephanti non sunt in Peru, ac proinde nec Elephantorum dentes, non ergo potuerūt inde à classe Salomonis afferri. Præterea quia si in Peruensem regionem nauigarent naues, non è portu maris rubri, sed maris mediterranei multo propinquioris soluissent. denique quia similitudini tantum nominis

minis opinio illa innititur, quod fragile est fulcimentum, casu enim inter nomina similitudo reperitur : *ait Rabsaces, vbi est Deus Sepharuaim? qui non potuit*
4. Reg. 18. *suos cultores liberare.* idem nomen est, addito Samech, nemo tamen dicet significare peru. Hieronymus aurum paruaim aurum probatissimum vertit, 70. interp. nomen loci esse putauerunt. sic enim vertũt χρυσὸν τὸν ἐκ φαρούειμ, id est, auro, quod ex pharuim, non enim legerunt paruaim numero duali, sed paruim numero plurali.

D. Hieron. Tharsis autẽ vocabulo, vt ait Diuus Hieronymus in Epistola ad Marcellam, omnis ferè scriptura referta est; illius tamen nõ est facilis intellectio. sed quid significet pro virili paucis explicabimus. In primis Tharsis mare significat, vt testatur Hieronymus Isaiæ 2. Hebræi (inquit) putant lingua propria sua mare Tharsis appellari: quando autẽ dicitur, iá, nõ hebraico sermone appellari, sed Syriaco, &c. Idcirco ipse Hieronymus vertit Tharsis, mare, Isaiæ 23 & Ezechielis 1. Septuaginta quoque interpretes vertunt, mare, Isaiæ 2. & Hieronymus eodem Isaiæ capite, Ionã fugisse in Tharsis interpretatur, fugisse in mare, vt ad quascunque insulas pergeret.

Nominis Tharsis significatio.

Exod. 28. Secundò Tharsis significat lapidẽ pretiosum in quarto ordine gemmarum, quę in pectore pontificis erant, Tharsis nominatur. significat autẽ Chrysolitum, vt vertit diuus Hieronymus, & Septuaginta interpretes; ob marini coloris similitudinem sic dictum scribit idem Hieronymus Isaiæ 2. Quia verò Tharsis mare significat, & Chrysolytũ vertit Hieronymus Ezechielis 1. Ezech. 1. *aspectus earum*, scilicet rotarũ, *& opus earum, quasi visio Tharsis*, id est, maris, & cap. 10. interpretatur, *aspectus rotarum erat quasi visio Tharsis*, id est, lapidis Chrysolyti; Symmachus verut, hyacinthi, Septuaginta interpretes carbunculi, hebraicè est nomen Tharsis.

Isaiæ 23. Tertiò Tharsis significat Carthaginem probatur, quia vbi ex Hebræo legitur: *Vlulate naues Tharsis*, Septuaginta interpretes transferunt; *Vlulate naues Carthaginis*; vbi legitur: *Negotiatores Tharsis* : Septuaginta
Ezech. 38. & 27. vertunt; *Negotiatores Carthaginenses*. & D. Hieronym. Ezechielis 27. Tharsis negotiatores vertit Carthaginẽses negotiatores. Chaldęus 3. Reg. 10. nauẽ Tharsis, interpretatur nauem Africam, & Theodoretus, Psal. 71. Tharsis Carthaginẽ significare arbitratur; Euthymius verò eodem Psalmo scribit omnes expositores, Tharsis interpretari Carthaginẽ, Africæ principem ciuitatem. Dicta fortè est Tharsis Carthago, quia ciuitas erat maritima Africæ princeps. Tharsis enim vt diximus mare dicitur.

Chaldeus. Theodoretus. Euthymius.

Quartò Tharsis videtur significare Ciliciam in lib. Iudith, cum Holophernes dicitur deprædatus filios Tharsis, quia à Tharsis pronepote Noe originem duxere Cilices, vt putat Iosephus lib. 1. antiq. cap. 11. D. Hieron. in traditionibus hebraicis, Lyranus, & alij interpretes Genes. 10. & Iosephus lib. 9. ca. 11. Ionam, ait, fugisse in Tharsum Ciliciæ ciuitatem, quem Scriptura docet fugisse in Tharsis, forsitan Cilicia, quæ prouincia non longè distat à Iudęa, primũ dicta est Tharsis à pronepote Noẽ, qui Tharsis dicitur, à quo Cilices sunt oriunde. Deinde quia olim maritimum imperium Cilices obtinebant, naues eorum dictæ sunt naues Tharsis, id est, Ciliciæ, & quia magnę erant, quælibet naues magnę appellatę sunt naues Tharsis, mare quoque ipsum, Tharsis nominatum, ciuitatibusque & regionibus maritimis Tharsis nomen est accommodatum, vt Carthagini.

Iudith 2. Iosephus. Hieronym. Lyranus. Genes. 10.

Quintò Tharsis significat regionem illam Indiæ Orientalis, ex qua aurum ad Salomonem afferebatur, eo quod esset maritima, Iosephus Tharsis interpretatur mare Tharsicum: *Multa* (inquit) *nauigia Rex*
Iosephus lib. 8. antiq. c. 7. *Salomon habuit in mari, quod vocatur Tharsicum, quæ ad remotas gentes merces varias deferre iussit, pro quibus exportatis aurum & argentum Regi referebant, multumque eboris, & mancipia æthiopica, & simias : Ea nauigatio in triennium, & reditu, triennium integrum absumebat.* Hæc Iosephus, & lib. 9. antiq. c. 10. ait Iosaphat regem cũ Ochozia conuenisse, vt naues in Pontum nauigarent ad emporia Thracię, quo loco videtur existimare Tharsis esse Thraciam. Sed dicendum Tharsis & Ophir, eandem esse regionẽ, probatur ex lib. 3. Reg. & ex 3. Reg 22. 2. Paralip. nã altero loco dicitur Iosaphat fabricasse 2. Par. 20. naues, quæ nauigarent in Ophir, altero quę nauigarent in Tharsis, cum de eadem nauigatione sermo sit. Accedunt verba 3. Reg. *Classis Salomonis* 3. Reg. 10. *per mare cum classe Hiram, semel per tres annos, ibat in Tharsis, deferens inde aurum*, &c. Idem dicitur Para. 9. 2. Par. 9. ergo Tharsis & Ophir eadem regio est, nisi velis dicere his locis Tharsis non significare regionem aliquam, sed mare : ibant naues in Tharsis, id est, in mare. Sed verba allata regionem potius significare videntur, quam mare. de his satis, ad Reges reuertamur.

Ioram rex. Iosaphato patri optimo successit Ioram filius pessimus, à virtute paterna pietateque degenerans, impij soceri idololatriam est sectatus. Duxerat enim vxorem Achabi regis Israël filiam nomine Athaliam. fratres ex occidit, idolisque cultum exhibuit: *Ambulauit in vijs regum Israël, sicut ambulauerat domus Achab, filia enim Achab erat vxor eius, & fecit, quod malum est in conspectu Domini*, &c. Non fugit Ioram impiorum societatem, idolorum cultoris Achabi filiam vxorem duxit, idola ideo coluit, populumque in eundem impium cultum attraxit. Neque impune tulit. Etenim vt scribitur lib. 2. Paralipom. *Suscitauit Deus* 2. Par. 21. *contra Ioram spiritum Philistinorum, & Arabum, qui confines sunt Aethiopibus, & ascenderunt in terram Iuda & vastauerunt eam, diripuerunt q; cunctam substantiam quæ inuenta est in domo regis, insuper & filios eius, vxores eius*, &c. Vides quas pœnas Deus de impijs, etiam ante mortem sumat. neque hæ satis : audi quid sequatur eodem capite: *Et super hæc omnia, percussit Ioram Dominus alui languore insanabili: cumq; diei succederet dies & tẽporum spatia voluerentur, duorum annorum expletus est circulus, & sic longa consumptus tabe, ita vt egereret etiam viscera sua, languore pariter & vita caruit*, &c.

Misericors autem Dominus, antequam puniret, pessimo regi supplicium, vt si vellet, illud effugeret, denuntiauit. Allatæ enim ad Ioram sunt Eliæ Prophetæ literæ minaces, quæ paucis his verbis scelerum supplicia prædixerunt.

Quoniam non ambulasti in vijs Iosaphat patris tui, & in vijs 2. Par. 21. *Asa regis Iuda, sed incessisti per iter regum Israël, & fornicari fecisti Iudam* (id est, idola colere) *& habitatores Ierusalem, imitatus fornicationem domus Achab, insuper & fratres tuos, domum patris tui, meliores te occidisti. Ecce Dominus percutiet te plaga magna cum populo tuo, & filijs & vxoribus tuis, vniuersaq; substantia tua : tu autem ægrotabis pessimo languore vteri tui, donec egrediantur vitalia tua paulatim per singulos dies.* Hæc est epistola, breuis illa quidem, sed plena terrore. Verum terribiles minę Ioramum modicè tetigerunt, vt enim est apud Oseam, *fornicatio* (id est, idololatria, quæ fornicatio spiritalis dicitur in diuinis literis) *& vinum auferunt cor.* Is autem qui corde caret, quamuis tartarei ignis vel quorumlibet suppliciorum formidines opponas, nihil commouetur. commotio enim in corde fit, quod est ablatum. Osea 4.

Dubium est à quonam Elia propheta hæ literæ ad Ioramum datæ sint? Nam Elias magnus ille Propheta, regnante Iosaphato patre huius Ioram, in paradisum terrestrem iam sublatus fuerat, vt colligitur ex 4. Reg. *Cum rogaret Iosaphat, est ne hic Prophe-* 4. Reg. 3.

ta Domi-

ta Domini, vt deprecemur Dominum per eum? respondit vnus de seruis regis Israël, *est hic Eliseus filius Saphat, qui fundebat aquam super manus Eliæ.* Iam igitur Elias inter homines non viuebat. Quamobrem Caietanus & Magister historiæ putarunt, fuisse epistolam ab alio Propheta eiusdem nominis scriptam ad Ioram, qui eo regnante vixerit. Non caret verisimilitudine quod Hebræi dicunt, sequitur, & Genebrardus lib. 1. Chronologiæ, fuisse literas missas ab Elia illo magno Propheta, probatur primò, quia absolute ait scriptura, *allatæ sunt ei literæ ab Elia Propheta*, nullam addens distinctionem. Secundò quia si Propheta esset alius, qui inter homines vitam ageret, ad regem ipse veniisset, nec literas scripsisset. Elias igitur quia in paradiso torrestri agebat, populique sui ibi quoque res curabat, & nouerat, epistolã ad Ioramum scripsit, angeloq; dedit, angelus tabellario ferendam tradidit. fortè antequam in paradisum trãsferretur, literas spiritu prophetico scripserat, dederatque Eliseo ad Ioramum congruenti tẽpore perferendas.

Litera Elia ex Paradiso allata.

Genebrard.

Vixit Ioram annis tantummodo quadraginta, regnauit annis 8. ambulauitque non rectè, vt est in nostra versione. Septuaginta vertunt: *Mortuus est sine laude.* Hic finis hominum impiorum, sine laude, imò vituperatione pleni moriũtur. Pagninus vertit: *ambulauit absque desiderio*, scilicet populi: nomen enim Hebræum chamda desiderium significat: absque desiderio populi impij gubernatores rempub. administrãt, nec in vita amabiles sunt, nec post mortẽ desiderabiles; sepultus autẽ est extra sepulchra regum, parum est extra sepulchra sepeliri regum, id verò est infelicissimũ, sepeliri in inferno cũ diuino illo epulone, extra cælestem ciuitatem Sanctorum.

2. Paral. 21.

CAPVT XII.

De tribus Regibus à D. Matthæo omissis, videlicet Ochozia, Ioas, & Amasia.

Ochozias. 2. Par. 22.

MAli corui malum ouum, vt est in veteri prouerbio, quod in Ioramo patre, matreque Athalia, & Ochozia filio verum est, similis patri & matri fuit filius, *Ipse ingressus est per vias domus Achab, mater enim impulit eum, vt impiè ageret, fecit igitur malum in conspectu Domini, sicut domus Achab, ipsi enim fuerunt ei cõsiliarij post mortem patris sui, in interitum eius, ambulauitq; in consilijs eorum*, &c. Magna matris ad instruendos filios vis, impia mater Athalia filium Ochoziam in idolorum impiam seruitutem impulit. Consiliariorum quoque regis magnum est pondus, ipsi, scilicet ex domo Achab idololatræ, qui genus ex Achabo ducebant, fuerunt consiliarij Ochozię in interitum.

Consiliarij.

Hanc Achabi sceleratam domum vt euerteret, sacrilegamque progeniem funditus extirparet, regem Deus creauit Iehu, quem Eliseus per vnũ quẽdam ex prophetarum filijs iussi vngit. Quanto autẽ odio Deus eam prosequeretur, verba illa ostendunt, quibus prophetarum discipulus, cum super caput fudit oleũ, affatur Iehu. *Hæc*, inquit, *dicit Dominus Deus Israel, vnxi te Regẽ super populũ Domini Israel, & persecutores domum Achab Domini tui, & vlciscar sanguinem seruorum meorum prophetarum, & sanguinem omnium seruorum Domini, de manu Iezabel, perdamq; omnem domum Achab, & interficiam de Achab mingentem ad parietem, & clausum, & nouissimum in Israel, Iezabel quoque comedẽt canes*, &c. Fuit Iezabel Achabi vxor pessima, regis Sidoniorum filia. Quod præceptum fuerat, præstitit Iehu. Iezabelem è fenestra præcipitari, septuaginta Achabi filios iugulari præcepit, quorũ capita in cophinis ad eum missa sunt. denique domum Achab deleuit, Baalisque cultum exterminauit. vide quid faciat peccatum. Quis hoc fecit, vt septuaginta filiorum regis capita in cophinis portaretur? peccatũ. Quis tot viros primarios neci dedit? peccatum. Quis reginam è fenestra deiecit, canibusq; laniandam proiecit? peccatum. Quis domum Achab deleuit? peccatum. Fuit verò ita grata Deo opera Iehu, vt regnum illi ad quartam vsque generationem promiserit. *Quia studiosè egisti, quod rectum erat, & placebat in oculis meis, (ait Dominus) & omnia quæ erant in corde meo fecisti contra domum Achab, filij tui vsque ad quartam generationem sedebunt super thronum Israël*, &c. At mirum hoc est, Iehu idololatras occidit, & ab idolorũ seruitute ipse no recessit: *Baalis cultum expulit, vitulos tamen aureos retinuit.* Vtinam idem aliquibus concionatoribus non eueniat, qui aduersus aliorum peccata fortiter pugnent, sua tamen abiicere nolint.

4. Reg. 10. Peccati supplicium.

4. Reg. 11.

Sed quorsum hæc de domo Achab, eiusque euersore Iehu dicta sunt? Primum, vt scias quis fuerit Ochoziæ regis interitus. quia ex domo Achab erat, Athaliæ filię Achab filius, & Achabi ipsius nepos, à Iehu est interfectus. 4. Reg. 2. Paralipom. Deinde vt causam intelligas cur Matthæus hunc, & duos sequentes reges prætermiserit, causa enim fuit, sanctum odium in sceleratam domum Achabi, ex qua ducebant originem, vt vult D. Hieronymus in commentarijs Matthæi his verbis: Quia Euangelistæ propositum erat tres Tessaradecadas in diuerso temporum statu ponere, & Ioram generi se immiscuerat impijssimæ Iezabelis, idcirco vsque ad tertiam generationem eius memoria tollitur, ne in sanctæ natiuitatis ordine poneretur. idẽ sentit D. Hilarius, Rupertus, D. Thomas, & alij. Cũ ergo Euangelista tres Tessaradecadas, siue quaterdenas, in diuerso temporum statu proponere decreuisset, numerusque in hac secunda excresceret, hos tres reges propter odium in scelera domus Achabi omittere voluit.

5. Reg 9. 2. Par. 22.

Cur Matthæus tres regesin 2. Tessaradecade omiserit.

Quid non mortalia pectora cogit regnandi execranda fames? Hæc fœmineum pectus impiæ Athaliæ, quę mater Ochoziæ erat adhuc superstes, in horrendum, tragicumque scelus armauit. Fames panis, fœminam aliquando ad filium occidendum induxit: at regni fames, Athaliam non in vnam solum, sed in multas nepotum aliorumque cædes adegit. *Athalia mater Ochoziæ, videns quod mortuus esset filius suus, surrexit, & interfecit omnem stirpem regiam*, &c. ô famẽ imperij execrandam, quę omnem regiam stirpem deuorauit. Veruntamen crudelissimam leenã, vnus effugit infantulus Ioas, regis Ochoziæ filius, quem Iosabeth eiusdem regis soror, & pontificis Ioiadæ vxor furata, sex annis in ædibus, quæ circum templum erant, in spem regni educauit.

Athalia regina crudelis.

2. Par. 22.

Per hos crudelitatis gradus in regium ascendit solium Athalia, septem in eo annis quieta sedit, septimo deturbatur, abiectissimaque (vt digna erat) morte mulctatur: Ioas Ochoziæ regis filius, septem annos natus, à summo sacerdote Ioiada in solium euehitur. Quoad Ioiadas vixit, rectè regio munere functus est. *Fecit Ioas rectum coram Domino, cunctis diebus, quibus docuit eum Ioiada sacerdos.* Templũ collecta à populo pecuniæ vi maxima instaurauit, vt narratur 4. Reg. & 2 Paralipomenon, etenim Athalia, & filij templũ euerterãt, & ad ornãdum fanum Baalis spoliauerant, *Athalia impiissima, & filij eius destruxerunt domum Dei, & de vniuersis, quæ sanctificata fuerãt in templo Domini, ornauerunt fanũ Baalim*. hic Hæreticorum mos, templa Dei euertere, sacra ornamenta, & sacra vasa profanare, ijsque seipsos veluti Baalem exorna-

Ioas Rex.

4. Reg. 12.

4. Reg. 12. 2. Par. 22. 2. Par. 24.

Hæreticorũ mos.

exornare. Optimorum contra regum est templa deo extruere, reficere, sacrisque vasis, & ornamentis locupletare. Pecuniam à populo collectam viri adeò fideles tractabant, vt non esset opus rationem ab eis exposcere, vt dicitur 4. Reg. *Non fiebat ratio ijs hominibus, qui accipiebant pecuniam, vt distribuerent eam artificibus, sed in fide tractabant eam.* Rarum hoc est, in fide tractare pecuniam alienam; igne probatur aurum, auro probatur vir fidelis.

4. Reg. 12.

Vtinam viam, quam cœperat, Rex Ioas tenuisset, tenuit quidem quamdiu vixit Ioiadas summus sacerdos, post eius obitum, principibus acquiescẽs, idolorum permisit cultum. Quamdiu Reges principesque viri, Summo sacerdoti Romano Pontifici parent, quamdiu eius audiunt monita, atque præcepta, tamdiu in fide Christi permanent ipsi, populoque in ea continent. Postquam Ioiadas illis moritur, hoc est, postquam summus Pontifex non auditur, hæreticorum obsequijs deliniti, à fide ad hæresim & ipsi discedunt & populi, ideo hæretici Ioiadam, id est, summum Pontificem oderunt, quia vbi ille viuit, vbi auditur, omnium hæreseon tenebras suo splendore fugat. Vixit Ioiadas longissimo tempore, videlicet centum triginta annis, optime de Rege, deque republica Iudaica meritus. vbi è vita migrauit, regem muro custodiaque sanctissimi Põtificis firmissima destitutum, principes populi viri adorati sunt, & ad idololatriã pertraxerunt. 2. Paralipomenon 24. *Postquam obijt Ioiada, ingressi sunt principes Iuda, & adorauerunt Regem, qui delinitus obsequijs eorũ acquieuit eis, & dereliquerunt templum Domini Dei patrum suorum, seruieruntq; lucis & sculptilibus,* &c. An seruierit idolis etiam Rex Ioas, non docet Scriptura explicatè: Genebrardus lib. 1. Chron. cum agit de Achaz, scribit Ioas impietatem permisisse, cum ipse Catholicam religionem profiteretur. Ex vno aliquando probo viro, salus regis & populi pendet, quem si ex regis latere auellas, cuncta corruent: Ioiadas columna regni erat, eo mortuo regnum concidit.

Romano summoq; Pontifici parendum.

2. Par. 24.

Probus regis consiliarius columna est regni, vt Ioiadas.

Supplicium scelera exposcebant. Noluit tamen Deus pro sua clementia absque admonitione punire, præcesit admonitio supplicium. Prophetas misit, qui Regem, populumque monerent, obsurduit populus. Zachariam sacerdotem pontificis Ioiadæ filiũ, qui spiritu afflatus diuino, ad diuinum illos cultum adhortabatur, in ipso templi atrio ex imperio ingratissimi regis, impij idololatræ lapidibus cęciderunt. Exemplum est ingratudinis Ioas, quam illi exprobrant sacræ literæ: *Non est recordatus Ioas Rex misericordiæ, quam fecerat Ioiada pater illius secum; sed interfecit filium eius,* &c. Filium Ioiadæ interfecit, à quo vitam ipse, opes, regnumque habebat. Hic ille est Zacharias, qui dicitur *occisus inter templum & altare.* Eius sanguis (ait Genebrardus libro primo Chronologiæ) vsque ad aduentum Nabuchodonosoris, instar ollæ bullientis, quasi vltionem deposcens de idolorum cultoribus, ferbuisse traditur. Sed idoneum rei tantę testem non affert, fictio forsitan est Hebræorum. Vbi nihil admonitio profecit, secutum est supplicium. *Cum euolutus esset annus* (à morte Zachariæ) *ascendit contra eum, exercitus Syriæ, venitq; in Iudam, & Ierusalem, & interfecit cunctos principes populi, atque vniuersam prædam miserunt Regi in Damascũ.* Et certè cum permodicus venisset numerus Syrorũ, tradidit Dominus in manibus eorum infinitam multitudinem, eo quod dereliquissent Dominum Deũ Patrum suorum, in Ioas quoque ignominiosa exercuere iudicia, & abeuntes dimiserunt eum in languoribus magnis. Surrexerunt autem contra eum serui sui in vltionem sanguinis filij Ioiadæ sacerdotis, & occiderunt eum in lectulo suo, &c. Cernis

1. Par. 24.

Zacharias occiditur inter templum & altare.

Matth. 23.

2. Par. 24.

Paucl Syri multos vincunt Israëlitas in vltionẽ scelerum.

A quas pœnas de impiis Deus sumat. *Regnauit Ioas annis quadraginta filium Amasiam Regni hæredem reliquit.* 4. Reg. 12.

Amasias initio bonus, ad extremum Idolorum fuit cultor: Obedientię exemplum egregrium exhibuit. Cùm vellet Idumæis inferre bellum, centum militum millia, ex Regno decem tribuum, cẽtum talentis argenti conduxit. Prophetę autem voci obediens, centum militum millia dimisit, & centum talenta, quibus eos conduxerat, amisit. Fauit Deus obedientię, de Idumæis victoriam obedienti Regi concessit. Commemoratione dignissima sunt Prophetæ verba, quibus Amasię suadet, vt Israëlitarum centum illa millia dimittat, ijsque qui bella gerunt, regibus, ac ducibus, maximè consideranda: B *Venit homo Dei ad Amasiam, & ait, ô Rex ne egrediatur tecum exercitus Israël, non est enim Dominus cum Israël, & cunctis filijs Ephraim. Quòd si putas in robore exercitus bella cõsistere, superari te faciet Deus ab hostibus. Dei quippe est, & adiuuare, & in fugam conuertere,* &c. Danda ergo opera diligenter ducibus, ac regibus, vt sit Dominus cum eis, & cum militibus: Erit autem, si peccata fugiant, si pœnitentiæ Sacramento sese muniant, si augustissima Eucharistia pectus arment, si Deo frequenter pro felicii belli exitu supplicent. *Non egrediatur* (inquit homo Dei) *tecum exercitus Israel, non est enim Dominus cum Israel.* Præterea exercitus magnam habeant curam, & armorum; intelligant tamen quod ait homo Dei: *Non in robore exercitus bella consistere, sed in auxilio præcipuè Dei.* Cùm verò Amasias C de centum talentis virum Dei requireret: *Quid* inquiens, *fiet de centum talentis, quæ dedi militibus Israel?* Respondit ille: *Habet Dominus vnde tibi dare possit multo ijs plura.* Felix qui propter Deum aliquid amittit, habet Dominus vnde centuplum, & æternam vitam retribuat.

Obedientiæ exemplum.

2. Paral. 25.

Bellum quibus militibus gerendum.

Propter Deũ quæ amittuntur cumulatissimè restituet.

Mirum autem est, quàm fuerit hic rex diuinitus concessa de Idomæis victoria abusus, mirum quam stultè in Idolorum cultum inciderit. Nam hostiũ quos diuina ope vicerat fictos victosque deos in Regnum suum attulit, sibique in deos statuit, forsitan, quia suos fautores in bello fuisse stultè credidit. Ideoque à Propheta iis verbis est reprehensus: *Cur adorasti deos, qui non liberauerunt populum suum de manu tua?* At Rex necem illi interminans respondit: D *Num consiliarius Regis es? quiesce, ne interficiam te.* Longe secus Dauid ille Rex sanctissimus, cum à Nathano Propheta corriperetur, non minas prophetæ intendit: sed peccatum suum exhorruit. Ambrosius cap. 3. posterioris apologiæ: Peccauit (inquit) Dauid, quod solent Reges, sed pœnitentiam gesit, & fleuit, quod non solent Reges, rogauit veniam, non arrogans potestatis, sed infirmitatis suæ conscius, &c. Amasias verò non infirmitatis suæ cõscius, sed potestatis arrogans, Prophetæ mortis formidinem opposuit. Punitionis imminentis signum est, prophetas, & concionatores, Deique monitores, non audire. Vnde Propheta, ab Amasia discedens: *Scio,* E inquit, *quod cogitauerit Deus occidere te, quia fecisti hoc malum, & insuper non acquieuisti consilio meo.* Postquam igitur in Idololatriam incidit, nec ad Dei cultum redire voluit Amasias, à Rege decem tribuum victus, & comprehensus, tandemque à coniuratoribus interemptus est. Viginti nouem annis regnauit. 3. Reg. 14.

2. Par. 25.

Quale signũ sit non audire cõsiliarios & concionatores.

CAPVT XIII.

De Ozia, Ioatham, Achaz.

TRes Reges, Ochoziam, Ioam, & Amasiam à genealogia excluſit Matthæus, vt diximus, & à Ioramo filio Iosaphat, præteritis filijs impiæ filię

scele-

ſcelerati Achabi Athaliæ vſque ad tertiam generationem, ad Oziam tranſiit. *Ioram*, inquit, *genuit Oziam*, genuit, inquam, per alios interiectos, non tanquam filium, ſed tanquam abnepotem. Ozias namque non erat filius Ioram, vt vidimus, ſed filius Amaliæ, & Iorami abnepos. Appellatur etiam alio nomine Azarias. Melior patre fuit. Idola minimè coluit. Exquiſiuit Dominum in diebus Zachariæ intelligentis, & videntis Deum, &c.

4 Reg. 15. 2. Paral. 26.

Deus reges iuſtos dirigit, victorias illis largitur.

Exemplo huius Regis probatur, Deum probos dirigere reges, victoriasque illis largiri. Eodem enim capite legitur: *Cum requireret Ozias Dominum, direxit eum in omnibus; adiuuit eum Deus contra Philiſthiim, & contra Arabes, & contra Ammonitas, & diuulgatum eſt nomen eius vſque ad introitum Ægypti, propter crebras victorias*, &c. Item: *Egreſſum eſt nomen eius procul, eo quòd auxiliaretur ei Dominus, & corroboraſſet eum.*

Pſal. 72.

Ozias lepra infectus, quod ſacerdotale officium vſurparit. 2. Par. 26.

Caueant ſibi à ſuperbia homines ij, qui potentia, victorijs, nominisque ſplendore rutilant. Non cauit ſibi Ozias, ſuperbia illum ſummopere deiecit; iuxta illud Pſal. *deieciſti eos, dum alleuarentur*. Ad officium vſque Sacerdotale ſuperbia illum eleuauit, & in lepram morbum abiectiſſimum deiecit: *Cùm roboratus eſſet, eleuatum eſt cor eius, in interitum ſuum, & neglexit Dominum Deum ſuum, ingreſſúsque templum Domini adolere voluit incenſum ſuper altare thymiamatis*, &c. Et infrà, *Orta eſt lepra in fronte eius, coram Sacerdotibus, in domo Domini ſuper altare thymiamatis*, &c. Quæ muneris ſunt ſacerdotalis, nec Rex nec quiſpiam alius audeat vſurpare, niſi velit leproſus eſſe. Soli Sacerdotibus Tẽpli illã partem ingredi fas fuit, in qua altare thymiamatis erat, offerre quoque in eo ſacrum ſuffimentum nemini, qui ſacerdos non eſſet, licebat. Regi igitur Oziæ, nec templum ingredi, nec ſuffimentum licebat offerre, id quia fecit, lepra percuſſus eſt, vixitque leproſus ad finem vſque vitæ, in domo ſeparata. Exemplum ſuperbiæ habes non vulgare. Vnuſquiſque ſuo ſit contentus munere, & dignitate, alienam per ſuperbiam non affectet. dignitate Regia minimè contentus ſacerdotalem Ozias inuaſit, nec ſacerdotali potitus eſt, & Regalem amiſit. quia enim leproſus erat, Regnum filius adminiſtrabat.

Superbiæ exemplum.

Quo tempore Rex Ozias in templo thymiama offerre volebat, admirabilem terræmotum, & nimium quendam Solis ſplendorem extitiſſe, ſcribit Ioſephus: Ozias, inquit, inſtante inſigni die, & generali feſtiuitate, indutus ſtola ſacerdotali intrauit tẽplum, oblaturus incenſum in altari aureo. Pontifice verò Azaria cum alijs octoginta ſacerdotibus eum prohibente, ne faceret, quod non liceret, quoniam hæc ſolum modo iis adiacerent, qui erant ex genere Aaron, & clamantibus ei vt exiret, & non ageret cõtra leges Dei, iratus, interminatus eſt eis mortem, niſi tacerent, inter hæc autem terræmotus factus eſt magnus, & ſtupeſcente populo claritas ſolis nimis effulſit, & cecidit in faciem regis, & illi quidem lepra continuò prouenit. Ante ciuitatem verò, in loco, qui dicitur Eroge, ſciſſa eſt media pars montis ad occidentem, & ſua volubilitate per quatuor ſtadia procedens, ad orientalem reſtitit montem, ita vt & vias clauderet, & regios hortos opprimeret. Hęc Ioſephus. Hunc terræmotum putat D. Hieronymus illum eſſe, de quo Amos primo mentio fit: *Verba Amos, qui fuit in paſtoralibus techue, quæ vidit ſuper Iſraël, in diebus Oziæ regis Iuda, & in diebus Ieroboam filij Ioas, regis Iſraël, ante duos annos terræmotus*, &c. Et Zachar. *Fugietis ſicut fugiſtis à facie terræmotus in diebus Oziæ regis Iudæ*, &c. Terræmotus in diebus Oziæ (ait Hieronymus) illius temporis traditur, quando Ozias illicitum ſibi Sacerdotium vẽdicare conatus, lepra percuſſus in fronte eſt, de quo terræmotu & in Amos primo legimus, &c.

Ioſephus. l. 9. antiq. cap. 11.

Amos. 1.

Zach. 14.

Oziam leproſum Filius Ioatham ſequitur, qui ſedecim annos ſceptrum Iudæ tenuit: *Fecit quod rectum erat coram Domino, corroboratúſque eſt Ioatham, eo quòd direxiſſet vias ſuas coram Domino Deo ſuo*, &c. *Ioatham 2. Par. 27.*

Ioatham genuit Achaz filium, patri diſſimilem: *Non fecit rectum in conſpectu Domini, ſicut Dauid pater eius: Sed ambulauit in viis regum Iſraël*, (id eſt, idolis ſeruiuit) *inſuper & ſtatuas fudit Baalim*, &c. Impunitum non dimiſit Deus; à Rege enim Syriæ Razin, & rege decem tribuum Phacee, bello cæſus, meritas pœnas dedit. De rege Syriæ ſcribitur: *Tradidit eum*, id eſt, Achaz, *Dominus Deus eius in manu regis Syriæ, qui percuſſit eum, magnamq; prædam cœpit de eius imperio*, &c. De rege decem tribuum adiungitur: *Manibus quoque regis Iſrael traditus eſt, & percuſſus plagagrandi*, &c. Admirabilis autem fuit hæc plaga, & memoria ſempiterna digna, vt intelligamus, quam graues impij Deo pœnas ſoluant. Sequitur illo capite: *Occidit Phacee filius Romeliæ (qui Rex erat Iſraël) de Iuda centum viginti millia in die vno, omnes viros bellatores, eo quod reliquiſſent Dominum Deum patrum ſuorum, ceperúntque filij Iſrael de fratribus ſuis ducenta millia mulierum, puerorum, & puellarum, & infinitam prædam*, &c. Hanc captiuorum multitudinem hortatu Prophetæ, Iſraelitæ libertati priſtinæ reſtituer ũt, Nõ ſolùm Syri, & decem tribus, verùm etiam Idumæi, & Philiſtæi, Iudam infectati ſunt. Væ homini, qui Deũ deſerit, quique à Deo deſeritur, diuinoque præſidio nudatur: *Humiliauerat Dominus Iudam, propter Achaz regem Iuda, eo quod nudaſſet eum*, id eſt, Iudam, *auxilio, & contemptui habuiſſet Dominum*, &c. Impius Rex populũ diuino auxilio nudat, prius Rex contra, diuina ope protegit, & induit. *Protegam vrbem hanc, & ſaluabo eam propter me, & propter Dauid ſeruum meum*; Dauid vrbis fuit protectio.

Supplicium peccati.

2. Par. 28. Rex impius nudat populum auxilio Dei.

4. Reg 19.

Reuocant ſupplicia homines ad Deum, ſed non reuocarunt Achaz, cum à Deo verberabatur, crimina augebat. *Inſuper & tempore angustiæ ſuæ, auxit contemptum in Dominum*, &c. *Vitula elegans atque formoſa Ægyptus, ſtimulator ab aquilone veniet ei.* ſtimulator Ægypti dicitur Nabuchodonoſor Rex, quòd Ægyptios bello ſtimularit. ferox taurus Achaz, qui iugum Domini è ceruicibus reiecerat, multos huiuſmodi, vt diximus, habuit ſtimulatores, quorum ſtimulis ad Deum reuocaretur, ille tamen longius diſcedebat. Denique eo peruenit impietatis, vt ianuas clauſerit tẽpli, quod ſcribitur capite notato, & in vniuerſis angulis Ieruſalem, in omnibus quoque regni vrbibus aras extruxerit, ipſiſque dijs hoſtium victimas immolarit. *Immolauit diis Damaſci, victimas percuſſoribus ſuis, & dixit: Dii regum Syriæ auxliantur eis, quos ego placabo hoſtiis, & aderunt mihi, cum è contrario ipſi fuerint ruinæ ei, & vniuerſo Iſraeli*, &c. Cæcus homo non videbat, à quo percuteretur ipſe, victoriaque hoſtibus daretur, nempe à Deo vero, commentitios deos placare nitebatur, cùm Deus verus placandus eſſet.

2. Par. 28.

Ieremi. 46.

2. Par. 28.

Regnum adminiſtrauit annis ſedecim, vixit 36. hic ille eſt Rex, cui Iſaias ſignum obtulit, *pete tibi ſignum*, &c. Pollicebatur illi Iſaias auxilium Dei: *Noli*, inquit, *timere, & cor tuum ne formidet à duabus caudis titionum fumigantium iſtorum*: titiones autem duos fumigantes duos reges vocat, Iſraelis, & Syriæ, de quibus ſupra dictum eſt. Hæc & alia, quæ addidit, miraculo confirmare voluit Propheta, ait igitur regi: *Pete tibi ſignum à Domino Deo tuo, in profundum inferni, ſiue in excelſum ſuprà*, noluit petere, tum Iſaias ſignum obtulit, omni ſigno, ſiue cœleſti, ſiue terreſtri, admirabilius: *Ecce virgo concipiet*, &c. De quo ſuo loco dicetur.

Iſaiæ 7.

CAPVT XIIII.

De Ezechia, Manasse, & Amone Regibus.

Ezechias Rex præstantissimus. Eccli. 48.

VT ex spinis rosa, ita ex impio Achaz ortus est Ezechias Rex, præstantissimus, cuius laudes Ecclesiasticus his verbis celebrauit: *Ezechias fecit quod placuit* DEO, *fortiter iuit in via* DAVID *patris sui, quam mandauit illi Isaias Propheta magnus*, &c. Fortitudine animi maxima opus est ad perrumpendas eas omnes difficultates, quæ virtutis ingredienti occurrunt, hac virtute præstitit Ezechias, *fortiter iuit in via* DAVID. Vt idem ait Ecclesiasticus. Fodit ferro rupem Ezechias, & ædificauit ad aquam puteum. Quemadmodum ad aquam in vrbem Ierusalem inducendam rupem, quæ obstabat, sic ad inducendam in animum virtutem, omnes quæ obsistebant difficultates fortiter perrupit. A diuino cœpit cultu, templum, quod patris Achaz impietas clauserat, filij pietas aperuit, cultum Dei, ac sacrificia restituit, inania simulachra contriuit, aras euertit, regnum omni idololatria sic perpurgauit, vt serpentem etiam æneum, cuius aspectus olim in solitudine Israëlitis sanitatem contulerat, quia mali cultus erat occasio, confregerit.

Quemadmodum verò impietatem regum impiorum, vt vidimus, supplicia, ita Ezechiæ hanc pietatem, præmia sunt consecuta. *Adhæsit* DOMINO, *& non recessit è vestigijs eius, fecitque mandata eius, quæ præceperat* DOMINVS *Moysi*. Vnde, & erat Dominus cum eo, & in cunctis, ad quæ procedebat, sapienter se agebat, rebellauit quoque contra regem Assyriorum, & non seruiuit ei. Ipse percussit Philisthæos, &c. Iis adde aliud præmium maximum. Vitam homines magni faciunt, paucos annos vitæ, si possent, maximo pretio emerent. pietatis igitur præmium maximum quindecim anni fuere, in quos Deus optimi regis vitam protraxit. Ægrotabat ille mortifero morbo, mortem Deus, morbumque mirabiliter depulit, & vitam auxit. *Ecce sanaui te, ait* DOMINVS, *& addam diebus tuis quindecim annos, sed & de manu regis Assyriorum liberabo te, & ciuitatem hanc, & protegam vrbem istam propter me, & propter* DAVID *seruum meum.*

4. Reg. 18.

2. Reg. 10.

Signum datum Ezechiæ.

Iam verò quam fuit stupendum signum illud, quo Deus tantum hoc sanitatis beneficium confirmauit. *Quod erit signum* (dixit Ezechias) *quia* DOMINVS *me sanabit, & quia ascensurus sum die tertia templum* DOMINI? datur illi ab Isaia eligendi optio, velit ne Solis vmbrã in horologio ascendere decem lineis, an retrorsum verti totidem gradibus. Hoc secundum elegit, conceditur. Quod omnibus seculis fuerat inauditum, vmbra in horologio, Sol in cœlo decem gradibus retrogressus est. Patri Ezechiæ Achaz obtulit Isaias signum, siue in profundum, siue in excelsum, Isaiæ 7. *Pete tibi signum à* DOMINO DEO *tuo in profundum inferni, siue in excelsum suprà. & dixit Achaz: Non petam*, &c. Dissimilis patri filius Ezechias, petiit signum sanitatis à DOMINO DEO suo, & dedit ei signum non in profundum inferni, sed in excelsum suprà. Signum fuit & typus sanitatis. Nam quid vita nostra aliud est, quam vmbra? vt horologii vmbra vbi ad extremam peruenit lineam euanescit, sic vita nostra cùm ad extremum accedit diem, disparet. Quemadmodum vmbra horologij retrorsum versa est, ita vita Ezechiæ retrorsum per annos quindecim redijt. Quemadmodum dies

Isaia 7.

Vita nostra est vmbra.

A illa producta est, ita vita Ezechiæ est longius protracta. Sol qui prope occasum erat, retrogressus est; Ezechias, qui prope mortem erat, retrocessit. Hieronymus in Commentarijs Isaiæ 38. Signum, inquit, typus erat, vt quomodo Sol reuerteretur ad exordium sui, ita & Ezechiæ vita ad dexteros annos rediret, &c. *D. Hieron.*

Paulus Episcopus Burgensis existimat, vmbram tantùm, & Solis radios rediisse retrò, non autem ipsum solem, de vmbra enim in sacris literis sermo est, non de Sole. *Inuocauit Isaias Propheta* DOMINVM, *& reduxit vmbra per lineas, quibus iam descenderat in horologio Achaz, retrorsum decem gradibus.* At Dionysius Areopagita in epistola ad Polycarpum, solem cursum reuocasse docet iis verbis: Alia quædam dies perpetuo lumine, triplo fermè quàm solet maior, effecta B est, & cœlum intra viginti horas, quem iam exegerat cursum, retrogrediens repetit, dignissimisque miraculo contrarijs orbitis, tanta mora temporis remeat. Sol miro atque insolito cursu motum illum annuum, varia temporum dimensione constantem, intra decem horarum spacium contrahit, ipsumque totum rursus intra decem alias nouam quandam tenens semitam conficit, &c. Arbitratur ergo Dionysius singulas lineas singulas indicasse horas, vt in nostris fieri solet horologiis, per decẽque lineas, decem horarũ spacio, retro redijsse solem, rursus aliarum decem horarum interuallo ad eam peruenisse lineam, id est, decimam, in qua erat, cum cœpit redire retrò. Itaque viginti horis censet diem illum C esse protractum. decem consumpsit Sol, cum retrogressus est per decẽ lineas (nõ enim subitò, sed paulatim est retrogressus) decem alias cum ad eum locum, in quo antea erat redijt, videlicet ad decimam lineam. Censet præterea diem illum fuisse triplum, quia dies artificialis horis duodecim cõstat, tres dies artificiales horas 36. continent, illa autẽ dies horas habuit 32. Quod sic ostenditur, decẽ horis Sol retrogressus est, decem horis ad decimam lineam reuersus, habes viginti, cum retrogredi cœpit, decima iam hora erat, erat enim in decima linea, habes triginta, postquam rursus peruenit ad decimam lineam siue horam, duabus horis rasiduis diem concluſit, constat enim dies artificialis duodecim horis, D habes 32. horas, vel plures, si dies ille plures habuit quàm duodecim. Quod vero obiicitur in sacris literis de vmbra esse sermonem, soluitur, quia non vmbra tantùm, sed Sol etiam dicitur retro redijsse. *In diebus ipsius*, scilicet Isaiæ, *retrò redijt Sol, & addidit regi vitam.* Et: *reuersus Sol decem lineis per gradus quos descenderat*, &c.

An sol redierit retror. sum an sola vmbra tempore Ezechiæ. Dionysius Areopagit.

Eccli. 48. Isaiæ 38.

Rogabit aliquis, num simile fuerit illud horologium Achaz nostris, in quibus quota diei hora sit ex vmbra Solis deprehenditur? Respondetur, non fuisse similem, non enim lineis sed gradibus horas indicabat, vt hebræa lectio indicat, vbi enim nos lineas habemus, hebraicè gradus dicuntur, nec mentio fit horologij, gradus autem Hieronymus in horologium, & lineas vertit, perspicuitatis maioris E gratia, ex Symmacho versionem mutuatus, vt ipse fatetur. *Datur*, inquit, *signum, vt Sol decẽ gradibus reuertatur*, quos nos iuxta Symmachum in lineas & horologium vertimus, qui gradus intellexit in lineis, vt manifestiorem sensum legentibus faceret, siue ita extructi erant gradus arte mechanica, vt per singulos vmbra descendens horarum spacia terminaret.

De horologio Achaz.

Isaia 38.

Hæc Hieronymus. Ne igitur quis decipiatur, cum gradus legit 4. Regum 20. & Isaiæ 38. referatque ad gradus cœli, quos Sol percurrit, gradus enim erant, qui vt nunc lineæ in horologijs, ita tunc solis motum horasque indicabant. Quod noster interpres vertit: *In horologio Achaz*, hebraicè habe-

habetur: In gradibus Achaz, quia illi gradus erant horologium palatij, extructi ab Achaz patre Ezechiæ. meritò autem dicuntur lineæ, quia instar linearum horologij erant, quocunque illi modo fuerint fabricati, ac dispositi in horologij formam.

Petes quænam maior dies fuerit, hæc ne, de qua loquimur, an illa, quæ tempore Iosue stante Sole extitit? Etenim de illa scriptum est: *Stetit Sol in medio cœli, & non festinauit occumbere spatio vnius diei, non fuit antea & postea tam longa dies*, &c. Quod autem lõgior fuerit dia Ezechiæ, probatur, quia vt diximus ex Dionysio, tripla fuit, dies verò Iosue fuit tantùm dupla, spatio enim vnius diei Sol non festinauit occumbere, & præcesserat altera dies. Respondetur longiorem fuisse diem Ezechiæ; quod autẽ scribitur Iosue decimo non repugnat, non fuit enim ante diem Iosue, nec posteà vsque ad tempus, quo ille liber est scriptus, tam longa dies. dies verò Ezechiæ fuit longior, sed post tempus, quo scriptus est ille liber Iosue. sic respondebit, qui volet diem illam 32. habuisse horas.

Iosue 10.

Fuerit ne dies qua Sol retroedijt tempore Ezechiæ longior quã ea qua Solstetit tempore Iosue.

Verùm probatur non potuisse habere duas, & triginta horas diem Ezechiæ, hunc in modum. Hæc opinio supponit singulas horologij lineas singulas indicasse horas, hoc verò falsum est, ergò opinio quoque est falsa. Assumptio probatur ex verbis Isaiæ, Isaias hanc dat optionem Ezechiæ: *Vis vt ascendat vmbra decem lineis, an vt reuertatur totidem gradibus?* ergo vmbra decem lineas iam percurrerat, per quas retrogressa est, poterat quoque per decem alias lineas, quæ restabant, siue gradus, in occidentem pergere ante occasum, nam post occasum vmbra Solis nulla est, atque adeò neque ascendere potest, neque descendere. Vnde sequitur si linea quælibet horam vnam indicasse dicatur die naturaliter, & sine miraculo, in regione illa horas habere viginti, vel plures, quod falsum est, nam in Hierusalem dies ad summum horas habere potest quatuordecim; nõ autem viginti, Difficile argumentum est, ideoque Abulensis quarto Regum vigesimo, quæstione vigesima quarta, censet lineas illas horologij non fuisse horarum, sed semihorarũ, vel quadrantium notas. Sol ergo ex illius sententia per lineas decem regressus est, quinque horarum spatio, rursus quinque alias horas effecit redeundo in locum, vnde retrogressus fuerat, decemque horis tantum modo dies illa creuit, non viginti, vt dicebamus. Verisimilis est opinio. ex ea sequitur potuisse solis vmbram regredi per decem lineas ad Orientem, potuisse quoque ante occasum per alias decem lineas, quinque horis tendere in occidentem: decem lineas percurrerat, quinque ab ortu horis, decem aliæ alijs quinque horis percurrendæ restabant, vel plures ante occasum. Aliter responderi potest.

4.Reg.20.

An linea horologij horas an semiheras indicarint.

Abulensis.

Si dicamus in horologio illo Achaz, vt minimum fuisse quatuordecim gradus, qui 14. horarum signa essent. in illa enim regione dies maximus ad 14. peruenit horas. fuisse præterea ex abundanti gradus plures vsque ad 20. vel 30. ornatus causa, ad quos solis vmbra nunquam poterat peruenire naturaliter. Isaiam verò petiisse ab Ezechia, vellet ne solis vmbram crescere decem lineis siue gradibus, hoc est, per miraculum peruenire ad gradus, vel lineas, ad quas naturaliter peruenire non poterat. Verùm obstant verba Ezechiæ: Facile est vmbram crescere decem lineis, quasi diceret, naturale, id est, non admirandum, ergo decem illas lineas naturaliter solebat percurrere vmbra solis, antequam Sol sub Horizonte occultaret radios. Responderi potest, Ezechiam morbo oppressum non attendisse ad miraculi rationem, sed quia naturali motu solis vmbra crescere solebat, ideo respondisse; *facile est vmbram crescere decem lineis*: Isaias enim non solitum aliquid, & facile, sed admirandum promittebat, ille facilè dixit, quia non animaduertit. Vel forsitan existimauit Isaiam facturum miraculum alia die, quo tẽpore decem lineæ à solis vmbra percurrendæ restarent. Denique, facilè ex hac responsione argumẽtum difficile suprà propositum soluetur. Dicimus Isaiam non obtulisse optionem Ezechiæ, vt illa die solis vmbram per decem lineas admirabiliter progredi faceret, qua tot lineæ percurri non poterant, sed obtulisse illam, vt alia die faceret, cum 10. vel 12. gradus, aut lineæ, solis vmbræ percurrendæ essent, tunc enim subito à prima ad decimam, solis vmbram transtulisset.

Quæres an retrogrediente Sole astra quoque reliqua sint retrogressa? Respondet Episcopus Abulensis, esse eodem modo retrogressa, vel toto illo tempore stetisse, quousque Sol eò, vnde retroceserat, rediret; ratio est, ne astrorum ad solem habitudo, & ordo, peruerteretur. Ob eandem rationem arbitratur, cùm Sol Iosue tẽpore stetit, stetisse quoque planetas reliquos, atque Sydera. His illud vnum addiderim, forsitan solem multò velociori, quàm solet, motu, ab Angelo tunc fuisse impulsum, atque adeò paruo temporis spacio decem illos gradus, siue lineas horologij, bis percurrisse. de signo admirando satis.

Præter hæc, alio beneficio etiam admirando amicum Ezechiam Deus affecit, amici sui hostes nõ vulgari, sed admiranda cæde profligauit. Etenim nocte vna Angelus centum octoginta quinque hostium millia occidit. Erat is Assyriorum exercitus, quorum Rex Sennacherib ignominia plenus, eò vnde venerat repedauit, & à filijs cesus occubuit. *Saluauit Dominus Ezechiam, & habitatores Hierusalem, de manu Sennacherib regis Assyriorum, & de manu omnium, & præstitit ei quietem per circuitum. Multi etiam deferebant hostias & sacrificia Domino in Hierusalem, & munera Ezechiæ regi Iuda, qui exaltatus est post hæc coram cunctis gentibus*, &c. Item, *Fuit Ezechias diues, & inclytus valde. Thesauros sibi plurimos congregauit, argenti, & auri, & lapidis pretiosi, aromatum, & armorum vniuersi generis, & vasorum magni pretij, in omnibus operibus suis fecit prosperè, quæ voluit*, &c. Iuxta illud: *Quæcunque faciet prosperabuntur*. Vide pietatis in hac vita fructus.

Sennacherib exercitus ab Angelo cæsus. *2.Par.32.*

Psal.1.

Magna in Ezechiam Deus contulit beneficia, gratissimi animi memoria dignissima. At (ô humanam fragilitatem) hæc de illo verba scripta extant: *Non iuxta beneficia, quæ acceperat, retribuit, quia eleuatum est cor eius, & facta est contra eum ira, & contra Iudam, & Ierusalem*, &c. Ex Ezechia intellige prosperitate eleuari cor, ac superbire. Sed vnde nam elatio hæc animi orta est? Respondetur, ortam ex legatione regis Babylonici. Etenim Babylonij astrologiæ periti, Solis illam admirandam retrogressionem obseruauerant, & regis Ezechiæ causa tantum portentum accidisse audiuerant. Ea re commotus Babyloniorum potentissimus Rex Merodach Baladan, legatos ad Ezechiam cum epistolis ac muneribus misit, qui tanto hoc honore elatus, Thesauros omnes, & quidquid in domo & potestate regia erat, Babyloniis patefecit; diuitiasque suas, & potentiam ostentauit. *Non fuit quod non monstraret eis Ezechias in domo sua, & in omni potestate sua.*

2.Par.32.

Prosperitate eleuatur cor.

De Legatis Babyloniis.

4.Reg.20.

An introduxerit legatos in templum, eiusque diuitias ostentarit, dubium est. Rabbi Salomon ait, apud Lyranum, ostendisse ea etiam, quæ in templo summa cum reuerentia occultabantur, scilicet vnctionem regum, & pontificum, & tabulas testimonij. Respondemus non esse verisimile religiosissimum regem ethnicos in templi penetralia intromisisse, aut tabulas testimonij, quæ in arca fœderis

deris erant, ostendisse. Opes verò templi, si quæ non in templo, sed in ædibus templo coniunctis asseruabantur, forsitan ostendit.

D. Areop. Magnus Dionysius Areopagita in epistola ad Polycarpum ait, Solis admirandam retrogressionem Babylonios Ezechiæ absque pugna subiecisse. Hoc, inquit, miraculum Babylonios tunc meritò terruit & absque pugna Ezechiæ (vt qui Deo putaretur æqualis, ac mortalibus cæteris virtute præstare) subiecit. sed non est existimandum Regem Babylonis tributum soluisse Ezechiæ.

Fuit hæc inanis gloriæ tentatio, in qua dereliquit Ezechiam Deus, ideoque victus est. *In legatione principum Babylonis, qui missi fuerant ad eum, vt interrogarent de portento, quod acciderat super terram, dereliquit eum* Deus, *vt tentaretur, & nota fierent omnia, quæ erant in corde eius,* &c. Erat autem in corde Ezechiæ gloria inanis, hæc nota est facta. Non priuauit illum Dominus omni penitus auxilio, quod enim opus est, ne in peccatum incidamus, largitur. priuauit auxilio maiori, ob superbiam occultam, quæ in corde erat.

2. Par. 32. *Tentatus Ezechias.*

Caueamus ergò peccata, ne maioribus auxilijs nos priuet Deus, ijsque priuati tentationibus succumbamus ait Apostolus: *Cum timore & tremore vestrã salutem operamini, Deus est enim, qui operatur in vobis velle, & perficere, pro bona voluntate.* Videquam reddat rationem timoris, & tremoris Paulus: Deus est enim, qui operatur. Quasi dicat, timete valde, ne impediatis opus Dei, ne obsistatis auxilijs diuinis, Deus enim est, qui suis auxilijs operatur in vobis velle & perficere.

Philip. 2.

D. Leo. ser. 8. Epiph.

Hinc ille sanctorum timor, de quo D. Leo: Hæc, inquit, sanctis causa est tremendi, ac metuendi, ne ipsis operibus pietatis elati, deserantur ope gratiæ, & remaneant in infirmitate naturæ, &c. Sit nobis exemplum Ezechias, desertus ab ope gratiæ, remansit in infirmitate naturæ, absque maiori illo Dei auxilio tentationi succubuit.

D. Ambros.

At non in superbia perstitit, sed ad humilitatem redijt. nam vt ait Ambros. cap. 2. Apologiæ 1. Dauidis, sancti sicubi vt homines fortè corruerint, naturæ magis fragilitate, quàm peccandi libidine, acriores ad currendum resurgunt, &c. *Humiliatus est Ezechias postea, eo quod exaltatum fuisset cor eius, tam ipse quàm habitatores Ierusalem, & idcirco non venit super eos ira Domini in diebus Ezechiæ,* &c. Itaque Isaias supplicium Dei in aliud tempus illi nuntiauit: *Ecce dies venient, & auferentur omnia, quæ sunt in domo tua, & quæ condiderunt patres tui vsque in diem hanc, in Babylonem, non remanebit quicquam ait* Dominus, &c. Hæc illius pœna est, qui inaniter se suaque opera vel virtutes venditat, quod venditat, amittit. hinc illud Magni Gregorij Homil. 13. in Euangelia: Hodierna sancti Euangelij lectione compellor dicere, vt & bona, quę agitis, cum magna cautela teneatis, ne per hoc, quod à vobis rectũ geritur, fauor aut gratia humana requiratur, ne appetitus laudis surrepat, & quod foris ostenditur, intus à mercede euacuetur, &c. Et homilia 11. deprædari desiderat, qui thesaurum publicè portat in vita.

2. Paral 32. *4. Reg. 20.* *Inanis gloria bona diripit. D. Gregor.*

Ezechias 29. annis regnauit, viginti quinque annorum erat, cum regnare cœpisset, vt scriptum est. Vnde difficile exoritur dubium, quoto anno ætatis pater Achaz filium Ezechiam generarit? Etenim videtur genera sse anno vndecimo. Probatur, quia Achaz regnare cepit, cùm 20 esset annorum, regnauit verò annos 16. ergo quo tempore obiit, natus erat annos 36. Ezechias quo tempore regnare cœpit, 25. annos agebat, ergò si rectè supputes, à patre vndecimum annum agente genitus est. Abulensis respondet, esse genitum à patre circiter annum 14. ait enim Achaz vixisse annos fere 38. quos ita numerat, 21. annos natus regnare cœpit, regnauit 17. si obiicias scripturam affirmare, 20. fuisse annorum cum regnare cœpit, annis 16. regnasse, respondet, Scripturam sacram numerasse solùm annos completos, vigesimum, & decimum sextum, reliquisse incompletos, annus autem 21. & 17. erant incompleti, ideo sunt relicti. Cardinalis Caietanus concedit anno vndecimo patris, genitum esse Ezechiam, idem concedit Hieronymus in Epistola ad Vitalem. Achaz, inquit, cum 20. esset annorum, rex constitutus est, regnauitque annos 16. quo mortuo Ezechias cum 25. annum ageret ætatis, patri successit in regno, ex quo intelligitur, Achaz vndecimo, siue decimo anno, Ezechiam procreasse. Hæc ille.

An Ezechias sit genitus à patre Achaz annum agente vndecimum.

Abulensis Episcopus.

Cardin Caietanus. *D. Hieron.*

At forsitan Ezechias post mortem patris non statim regni sceptrum accepit, sed post aliquot annos, causis nobis ignotis intercedentibus. quam opinionem ex quodam hebræo recitat in eadem epistola Hieronymus: Intelligi, inquit, voluit Hebræus quidam, non statim post mortem patris filium imperio subrogatum, sed vel seditionibus populi, vel quibusdam inter se regnis, id est, Iuda atque Samaria discordantibus, aut certè prementibus malis, & hinc inde consurgentibus bellis, regnum eius fuisse dilatum, &c. Huic solutioni adiungere potest aliquid ex solutione Abulensis, vnde fiet, vt Achaz plures annos fuerit natus, cum Ezechiam genuit. Hæc de Ezechia.

Manasses 2. Par. 33. *Peccata regis Manassæ.*

Ex Manasse Rege, emanasse scribuntur veluti ex fonte, nefaria truculentaque scelera. *Fecit malum coram Domino, iuxta abominationes gentium, quas subuertit Dominus coram filijs Israël, & conuersus instaurauit excelsa, quæ demolitus fuerat Ezechias pater eius, construxitq; aras Baalim, & fecit lucos, & adorauit omnem militiam cœli,* id est, astra, *& coluit ea.* Item: *Transire fecit filios suos per ignem, in valle Beennom, obseruabat somnia, sectabatur auguria, maleficis artibus inseruiebat, habebat secum magos, & incantatores,* &c. Item, *Seduxit Iudam,* id est, populum, *& regnum, & habitatores Ierusalem, vt facerent malum super omnes gentes, quas subuerterat Dominus à facie filiorum Israël,* & 4. Regum: *Sanguinem innoxium fudit Manasses multum nimis, donec impleret Hierusalem vsque ad os,* &c. Hæc Manassæ sunt scelera. Monitus à Deo est, vt emendaret mores nefarios, tam ipse quàm populus monita contemserunt. *Locutus est Dominus ad eum* (scilicet per prophetas) *& ad populum illius, & attendere noluerunt,* &c.

4. Reg. 21. *2. Par. 33.*

Supplicium 2. Par. 33. *Pœnitentia.*

Tartarei igitur serpentis venena, supplicij antidoto, putridasque carnes, Assyriorum ferro, captiuitatisque cauterio, Deus curare statuit. *Superinduxit eis principes exercitus regis Assyriorum, ceperúntque Manassem, & vinctum catenis atque compedibus, duxerunt in Babylonem,* &c. Contempsit monita Dei, sed non contempsit supplicia, non audiuit verba, sed audiuit verbera, vexatio dedit intellectum, in has enim angustias adductus mentem mutauit, verámque pœnitentiam egit. Expende quanta sit afflictionis potentia, hominem ferè desperatum ex ipsis tartari foribus reuocauit. Ecquis crederet Manassem ad verum Dei cultum & amicitiam reducendum, qui se totum & regnum inanium deorum seruituti mancipauerat? at reductus est. quis crederet è rupe durissima, dulcissimam aquam emanare posse? at ex rupe illa durissima Manassæ dulcis lachrymarum vnda emanauit. quis tam fuit potens? virga Dei, supplicium Dei. Moses olim è saxo virga percusso aquam eduxit, Deus è corde Manassę adamantino, virga supplicij cæso, pœnitentiam extraxit. ô magnam diuinæ Virgę vim, *Postquam coangustatus est Manasses, orauit Dominum Deum suum, & egit pœnitentiam valde, coram Deo patrum suorum. Deprecatúsque est eum, & obsecrauit intentè,* &c. *2. Paral 33.*

Quid-

Quidnam pœnitentia hæc contulit Manassæ? id sane contulit, quod nullæ opes, nulli milites, nulla Israëlitici regni potentia conferre potuisset. Quæ enim opes, qui milites, quæ Iudaici regni potentia Manassem ex potestate Babylonici regis potentissimi eripere potuisset? nulla. At eripuit pœnitentia. Hoc illius munus est, scelerum vinculis obstrictos animos liberare, nunc non animum solùm ex captiuitate Satanæ, sed corpus etiam Manassæ ex captiuitate regis Babylonici eripuit. *Exaudiuit Deus orationem eius, reduxitq; eum Ierusalem in regnum suum, & cognouit Manasses quòd Dominus ipse esset*, &c. Non rediit ille ad vomitum, in regnum reuersus idola expulit, Deumque liberatorem suum legitimè ac ritè coluit. Iosephus: In omnibus, inquit, à priori conuersatione sic est mutatus, & beatissimam vitam habuit, vt multi imitatores eius essent, ex quo Dei cœpit colere pietatem, &c. Annis 55 regnauit, vixit annos 67.

2. Paral. 33.

Iosephus. l. 10. antiq. c. 5.

Multos ait Iosephus habuisse Manassem imitatores, postquam idola est execratus. Deoque debitam seruitutem exhibuit, multos habuit, sed filium Amonem non habuit. is enim patris impietatem imitari maluit, quam pietatem. *Fecit malum in conspectu Domini, sicut fecerat Manasses pater eius, & cunctis idolis, quæ Manasses fuerat fabricatus, immolauit, atque seruiuit, & non est reueritus faciem Domini, sicut reueritus est Manasses pater eius, & multo maiora deliquit*, &c. Verbum hebræum, Canaa, quod interpres hoc loco vertit, reueritus est, eodem capite cum de Manasse loqueretur vertit, egit pœnitentiam, & 3. Reg. 21. vertit, *humiliatus est*; Septuaginta hic vertunt, *Non est humiliatus Amon coram Domino, sicut humiliatus est Manasses pater eius*. est ergo sensus: Amon imitatus est pessima patris initia, non est imitatus finem optimum: fectatus est idololatriam, non pœnitentiam, non est humiliatus coram Domino, nec egit pœnitentiam, sicut pater. etenim sunt quidam filij, qui paterna vitia, non virtutes imitantur. Natus 22 annos regnare cœpit, duos tantum modo regnauit, seruorum suorum gladijs interemptus, meritas luit pœnas adolescens insipiens.

Amon Rex. 2. Par. 33.

A B C D

CAPVT XV.

De Iosia rege.

AD Regem deuenimus præstãtissimum Iosiam, cuius in Deum pietatis præclarum hoc extat elogium: *Similis illi non fuit ante eum Rex, qui reuerteretur ad Dominum in omni corde suo, & in tota anima sua, & in vniuersa virtute sua, iuxta omnem legem Moysi, neque post eum surrexit similis illi*. Ecclesiasticus quoque ab eius laudibus auspicatur. *Memoria*, inquit, *Iosiæ in compositione odoris facta, opus pigmentarij, in omni ore quasi mel indulcabitur eius memoria, & vt musica in conuiuio vini*, &c. Iosiæ memoriam hominibus gratissimam prædicat, ideoque cum iis rebus confert, quæ illis iucundissimæ & gratissimæ esse solent, cum vnguento odorifero pigmentarij arte compositio, quo odoratus mirifice recreatur, cum melle dulcissimo, quo gustatus oblectatur, cum musica, qua auditus maximè reficitur. Deinde ijs adiicit: *Ipse est directus diuinitus in pœnitentia gentis, & tulit abominationes impietatis, & gubernauit ad Dominum cor ipsius, & in diebus peccatorum corroborauit pietatem*. Iosiam, ait, vt gentem Israëliticam ad pœnitentiam adduceret, à Deo dilectum fuisse, *abominationes impietatis*, hoc est, abominanda idola euertisse, córque suum in felicem tutissimumque portum, scilicet Deum gubernasse, hunc illi scopũ proposuisse. Denique *in diebus peccatorum*, hoc est, quibus impij & idololatræ erant Israëlitæ, *corroborasse pietatem*, hoc est, diuino cultui, veræque religioni iam collapsæ vires dedisse, vt in regno Iuda surgere & stare posset.

4. Reg. 22.

Iosias Rex Optimus.

Eccli. 49.

Pater quidem Iosiæ Amon, multorum idolorum, & idololatriæ filium hæredem reliquerat, at spurcissimam hæreditatem optimus filius continuò dilapidauit, disperdidit, consumpsit, & inanes fictosque deos omnes regno exegit. Mirum equidẽ tantas vires habuisse puerum, sed Deus illas suggerebat, etenim octauo ætatis anno rex creatus est, impietas, idololatria, cęteraque vitia, quæ idololatriam veluti dominam sequuntur, queque regnum vicerant, octo annorum puerum vincere non potuerunt. *Octauo anno regni sui, cum adhuc esset puer, cœpit quærere Deum patris sui Dauid, & duodecimo anno postquam cœperat, mundauit Iudam & Hierusalem ab excelsis & lucis, & simulachrisque sculptilibus, sed & in vrbibus Manassæ, & Ephraim, & Simeon, vsque Nephtali, cuncta subuertit*, &c. 2. Par. 34.

Ait Dominus: *Ad quem respiciam, nisi ad pauperculum, & contritum spiritu, & trementem sermones meos?* respexit ad Iosiam, quia summoperè sermones eius tremuit. Nam cum librum legis Domini, quem reperierat Helcias sacerdos, legi audisset, perterritus est, submissóque animo fleuit: vestimenta scidit, tum iussit Dominum consulere: *Præcepit Helciæ sacerdoti, & alij, dicens: Ite, & consulite Dominum super me, & super populo, & super omni Iuda, de verbis voluminis istius, quod inuentum est, magna enim ira Domini succensa est contra nos, quia non audierunt patres nostri verba libri huius, vt facerent omne, quod scriptum est nobis*, &c. Consuluerunt nuntij prophetidẽ, quæ Holda dicebatur, & in Ierusalem habitabat, illa verò Babylonicam captiuitatem vaticinata est. Iosiam tamen, propterea quòd verba Dei formidauerat, ne populi sui mala cerneret, è vita ante captiuitatem discessurum prædixit. *Hæc*, inquit, *dicit Dominus: Ecce ego adducam mala super locum istum, & super habitatores eius, omnia verba legis, quæ legit Rex Iuda, quia dereliquerunt me, & sacrificauerunt diijs alienis, irritantes me in cunctis operibus manuum suarum, & succendetur indignatio mea in loco hoc, & non extinguetur*. Hæc de captiuitate Babylonica. Deinde de Iosia: *Regi*, inquit, *Iuda, qui misit vos, vt consuleretis Dominũ, sic dicetis: Hæc dicit Dominus Deus Israël, pro eo quòd audisti verba voluminis, & perterritum est cor tuum, & humiliatus es coram Domino, auditis sermonibus contra locum istum, & habitatores eius, quòd videlicet fierent in stuporem, & in maledictum, & scidisti vestimenta tua, & fleuisti coram me, & ego audiui ait Dominus. Idcirco colligam te ad patres tuos, & colligeris ad sepulchrum tuum in pace, vt non videant oculi tui omnia mala, quæ inducturus sum super locum istum*. Hæc vaticinatio. Felix, quem Dei comminationes perterrent, quem terrent, ille euadit, quem non terrent, ille perit. Auis, quæ territa auolat, aucupis fugit manus, quæ non terretur, vulnerata perit. Iosiæ legis minæ tantum terrorem intulerunt, vt animum demiserit, fleuerit, vestimenta sciderit, itaque euasit. Vtinam impiorum animis, tantum metum æterni ignis proposita à concionatoribus supplicia injicerent, vt flerent, vt cor, non vestimenta scinderent, vt veram pœnitentiã agerent, sanè horribiles cruciatus euaderent, sed quia non terrentur, in æternas flammas malè securi detruduntur.

4. Reg. 22.

Felix quem Dei comminationes terrent, quemadmodum Iosiam.

Iosias rex librum legis. Domini populo legit.

Audita vaticinatione Holdæ, Iosias Rex populum in templum conuocauit, legitque ipse librum illum, id est, Deuteronomium, vniuerso populo audiente, vt ijs, qui legem Dei frangerent, proposita supplicia manifesta fierent. ô regem eximium, qui lectoris munere coram populo fungi voluit,

vt ad seruandam legem ipsum permoueret. Post lectum librum, fœdus cum Deo percussit, quod nunquam fregit, vsque ad mortem enim promissis fideliter stetit: *Quibus audientibus, in domo Domini legit Rex omnia verba voluminis, & stans in tribunali suo, percussit fœdus coram* Domino *vt ambularet post eum, & custodiret præcepta*, &c. 2. Paral. 34.

Huius regis nomen, & fidem, multis antequam nasceretur annis, vates ille, qui à Leone occisus est, prædixit: cùm enim impius decem tribuum Rex Ieroboam, qui post Salomonem regnauit, super impium vituli altare staret, & thus iaceret, exclamauit in hæc verba Propheta: *Altare, altare hæc dicit* Dominus: *Ecce filius nascetur domui* Dauid *Iosias nomine, & immolabit super te sacerdotes excelsorum, qui nunc in te thura succendũt, & ossa hominum super te incendet*, &c. Regnauit annis 31. vixit 39. occisus est in prælio, quod cum rege Ægypti Pharaone Nechao commisit. Is enim bellum gesturus cum Rege Assyriorum, ad Euphratem iter faciebat, iuit obuiam Iosias, prælium in campo Maggedo iniit, & à sagittarijs vulneratus, antequam captiuitatem Babylonicam videret, occubuit. At suprà Holda dixerat Iosiam in pace ex hac vita migraturum, ille verò migrauit in bello, non ergò verum dixit. Respondemus in pace obijsse Iosiam, id est, ante captiuitatem Babylonicam, non captiuum, sed libertate, & gloria regia perfruentem, idque significasse verba prophetidis. Præterea vir sanctus semper in pace moritur. quamuis moriatur in bello, qui enim in gratia Dei ex hac vita discedit, in pace summa discedit. Disce nec esse in hoc sæculo felicitatẽ, nec debitum virtuti præmium hic à Deo donari. Cernis regem sanctissimum Iosiam, tot laudibus in diuinis literis cumulatum, in ipso ætatis robore, annos 39. natum, inopinato vulnere occubuisse. Hoccine Deus recte facta præmio afficit? Hoccine munere, idolorum expulsionem, pietatem, cultum sibi exhibitum, remunerat? Non sunt hæc virtutis præmia, sed peccatorum supplicia. Iosiæ virtuti inaudita præmia in cœlo asseruabantur, mors hæc purgatorij instar ignis fuit, quæ contractas in vita maculas expurgauit. Præterea prouocatus Deus antiquis Iudæorum sceleribus ad captiuitatem properabat, quam sub alijs regibus inducendam decreuerat.

Prædixit nomen Iosiæ, & fidem Propheta. 3. Reg. 13. *Iosiæ mors.*

Itaque post Iosiæ mortem in peius omnia ruere cœperunt, post præclarum illud Iosiæ elogium: *Similis illi non fuit ante eum* Rex, &c. Subiunguntur verba hęc: *Verumtamen non est auersus* Dominus *ab ira furoris sui magni, quo iratus est furor eius contra Iudam, propter irritationes, quibus prouocauerat eum Manasses. Dixit itaque* Dominus, *etiam Iudam auferam à facie mea, sicut abstuli Israël*, &c. Non fuit satis virtus Iosiæ ad continendã Dei iram, multis illius populi sceleribus incitata m. Sed dices, nónne Manasses pœnitentia peccata deleuerat, cur igitur dicitur Deus populo iratus propter irritationes Manassę, Respõdemus scelerum deleri culpam, culpaque expiata pœnam aliquando remanere: Manasses culpę suę satisfecerat, sed non pœnę toti. Præterea respondemus, irritationes Manassę non solùm dici peccata Manassę, sed omnium etiam Iudęorum, qui tempore Manassę, idola venerati sunt, quemadmodum victoria regis dicitur, quę ad omnem exercitum pertinet, omnes enim furorem Dei ad expellendum è terra promissionis populum concitarunt. Is verò furor nondum erat sedatus, quamuis ira peculiaris in Manassem concepta sedata fuerit. Fuit optimi regis mors magna populi lamentatione deplorata, vnde Iudęorum magnum planctum Zacharias Propheta cum hoc planctu confert: *In die* (inquit) *illa, erit planctus magnus in Ierusalem, sicut planctus Adrademmon in campo* Maggedon, nomen est ciuitatis. Iosue 12 mentio fit regis Maggedo, campus ciuitati proximus eodem dicebatur nomine, in quo Iosias est interfectus. Adadremmon quoque ciuitas est campo propinqua. In ijs locis Iosię mors magna doloris significatione defleta est. ex loco autẽ Zacharię coniicio, morẽ hunc à Iudęis in plangendis funeribus seruatum, vt per familias, à fœminis separati viri plangerent. sic enim eo capite scriptum est: *Et planget terra, familiæ & familiæ seorsum, familia domus* Dauid *seorsum, & mulieres eorum seorsum, familiæ domus* Nathan *seorsum, & mulieres eorum seorsum*, &c. 4. Reg. 23. Zach. 12.

Planctus ob Iosiæ necem.

Colligo præterea familias appellari virorum, nõ fœminarum: ait enim *familia* Dauid *seorsum, & mulieres eorum seorsum*, &c. Ergo familia virorum erat, nõ mulierum, idcirco per viros tantùm, & de viris, non de fœminis, genealogiæ texebantur, vt infra dicemus. Inter alios sui funeris lamentatores eximiũ prophetam Ieremiã habuit Iosias, qui de eius acerba morte lamentationes scripsit: *Vniuersus Iuda, & Ierusalem luxerunt Iosiam, Ieremias maximè, cuius omnes cantores, atque cantatrices vsque in præsentẽ diem lamentationes super Iosiam replicant, & quasi lex obtinuit in Israël: Ecce scriptum fertur in lamentationibus*, &c. 2. Paral. 35. 4. Reg. 22.

Ieremias Iosiam lamentatus est.

Circa elogium, quod initio proposuimus: *Similis illi non fuit ante eum Rex*, &c. Non leue existit dubium, an fuerit Iosias cæteris regibus melior? & quidẽ cæteros omnes, si, Dauidem, Ezechiamque excipias, probitate superauit. De Dauide, Ezechiaque est quæstio. Quod fuerit melior Dauide probant elogij verba: *similis illi non fuit ante eum Rex*. Dauid fuit ante Iosiã, ergo nõ fuit similis illi, sed inferior. Respondendum tamen est, Dauidem omnibus regibus virtute excelluisse. Hoc probant laudes, quibus illum sacræ literæ celebrãt; lege Ecclesiasticũ: *Quasi adeps*, (inquit) *separatus à carne, sic* Dauid *à filijs Israel*. confert Dauidem cum adipe hostiæ pacificorum, quemadmodum adeps ille à carne separatus, præstantior ipsa carne hostiæ erat, & sanctior, quia Deo in altari incendebatur, caro verò partim sacerdotibus, partim offerentibus cedebat; ita Dauid cæteris Israëlitis erat præcellentior, & sanctitate illustrior. lege reliqua, Actor. 13. *Inueni* Dauid *filium Iessæ virum secundum cor meum*, (ait Dominus) *qui faciet omnes voluntates meas*. Eccli. 47. Actor. 13.

An fuerit Iosias cæteris omnibus regibus melior.

Dauid cæteris regibus ex celluit.

Idem colligi ex eo potest, quod sacræ literæ reges cum Dauide, veluti cum probitatis norma conferãt; eos qui benè regio munere functi sunt Dauidis vestigia secutos, qui ab officio discesserunt, à vijs Dauidis recessisse commemorent. De Iosia scribitur: *Fecit quod placitum erat corã* Domino, *& ambulauit per omnes vias* Dauid *patris sui, non declinauit ad dexteram, siue ad sinistram*. De Ezechia: *Fecit quod erat bonum coram* Domino, *iuxta omnia, quæ fecerat* Dauid *pater eius*. De Iosaphat: *Ambulauit in vijs* Dauid *patris sui primis*, &c. De Salomone: *Depravatum est cor eius per mulieres, vt sequeretur Deos alienos, nec erat cor eius perfectum cum* Domino *Deo suo, sicut cor* Dauid *patris eius*. De Abia: *Non erat cor eius perfectum cum* Domino *Deo suo, sicut cor* Dauid *patris eius*. De Amasia: *Fecit rectum coram* Domino, *veruntamen non vt* Dauid *pater eius*. De Achaz: *Non fecit quod erat placitum in conspectu* Domini *Dei sui, sicut* Dauid *pater eius*. 4. Reg. 22. 4. Reg. 18. 2. Paral. 17. 3. Reg. 11. 3. Reg. 15. 4. Reg. 14. 4. Reg. 16.

Huc accedit, quod Regnum Iudæ dicat Deus se propter Dauid conseruaturum. *Ecce ego scindam regnũ de manu Salomonis, & dabo tibi* (scilicet Ieroboamo) *decem tribus; porrò vna tribus remanebit ei* (scilicet Salomoni) *propter seruum meum* Dauid, *& Ierusalem ciuitatem, quã elegi, ex omnibus tribubus Israël. Nec auferam omne regnum de manu eius, sed ducem ponam eum*, (id est, Salomonem) *cunctis diebus vitæ suæ, propter* Dauid *seruum meum, quem elegi, qui custodiuit mandata mea, & præcepta mea*. Item: *filio eius*, scilicet Salomonis, *dabo tribum vnam, vt remaneat lucerna* Dauid *seruo meo cunctis diebus coram me, in Ierusalem ciuitate, quam elegi, vt esset nomen meum ibi*, &c. de Abia dicitur; *Propter* Dauid *dedit ei* Dominus Deus *suus lucernam* 3. Reg. 11. 3. Reg. 15.

cernam in Ierusalem, vt suscitaret filium eius, & statueret Ierusalem, eo quòd feciſſet Dauid rectum in oculis Domini, *& non declinaſſet ab omnibus quæ præceperat ei, cunctis diebus vitæ ſuæ, excepto ſermone Vriæ,* &c. *Noluit* Dominus *diſperdere domum* Dauid, *propter pactum quod inierat cum eo, & quia promiſerat, vt daret ei lucernam, & filijs eius omni tempore,* &c. Nónne vides propter Dauidem Deum dediſſe Iudæ reges?

2. Par. 21.

Lucerna dicitur filius regio ſplẽdore clarus; Rex enim populi veluti lucerna eſt, vnde: *Iurauerunt viri* Dauid *dicentes, iam non egredieris nobiſcum in bellum, ne extinguas lucernam Iſraël,* id eſt, ne in prælio occidaris, & rex Iſraël, qui lucerna regni eſt, pereat. Promiſerat Dominus, vt daret Dauid lucernam; hoc eſt, filium regem, & filijs eius daret etiam filios reges omni tẽpore, ita vt Rex regi ſuccederet ex domo & familia Dauidis. vidua illa Thecuitis filium ſuum ſcintillam appellauit: *Quærunt* (inquit) *extinguere ſcintillam meam, quæ relicta eſt*; id eſt, filium; *vt non ſuperſit viro meo nomen, & reliquiæ ſuper terram.* Pagninus vertit, *& extinguẽt prunam meam*, filius enim regis lucerna eſt ſplendore regio fulgens, filius ignobilis viri, ſcintilla parum habens lucis, vel pruna. Euthymius poſteros lucernas dici vult, quod progenitores ſplendore ſuo illuſtrẽt. illud: *Parauí lucernã Chriſto meo*; de poſteritate Dauidis ſic exponit: Per lucernam (inquit) gloriam poſterorũ Dauidis intelligit, quę lucernæ inſtar, glorię eius ſplendorem omnibus demonſtrat, & huiuſcemodi generationis progenitorem, veluti quoddam lumen futuris generationibus illucere facit. meum autem Chriſtum, id eſt, regem Dauidem, ideo dixit, vt beneuolentiam ſuam erga eum oſtenderet. Hæc Euthymius.

2. Reg. 21.

2. Par. 21.

2. Reg. 14.

Psal. 131.

Præterea virtutem Dauidis illa Domini verba indicant: *Protegam vrbem hanc, & ſaluabo eam propter me, & propter Dauid ſeruum meum.* Cum Ezechias tunc regnaret, cùm Iſaias propheta viueret, Dauidis tantummodo meminit. In illo tamen Dauide veluti typo, intelligitur alter multo præſtantior Dauid, ſcilicet, Chriſtus, propter quem beneficia omnia in Iudæos Deus conferebat, regnumque Iudæ tuebatur. Propter hanc lucernam, vt aliquãdo tandem in templo luceret Ieroſolymitano, regnum illud conſeruabat. Hæc eſt illa lucerna ſplendidiſſima, quam parauit Dominus Chriſto ſuo, id eſt, Regi Dauidi; quid lucernam dixit? Dauidis filij nonnulli prunæ fuerunt, vt Roboam, Abias, Ioram, Manaſſes, & alij, qui veluti ardentes prunæ regnum idololatriæ flammis incenderunt; alij ſcintillæ fuerunt, ſiue exiguę lucis lucernæ, ſi cum Chriſto filio Dauidis conferantur; ſcintilla fuit Salomonis ſapientia, opes, gloria, Ezechiæ probitas, Ioſiæ ſanctimonia. Chriſtus Dauid filius non ſcintilla, non lucerna ſolùm Dauidis, ſed Sol fuit ſplendidiſſimus. Hęc etiam ratio Dauidis ſuadet ſanctimoniam; quod Dauidis, non Ioſiæ, aut Ezechiæ filius Chriſtus ſit appellatus. Iis adde Dauidem fuiſſe prophetam præſtantiſſimum, cultusque diuini ſtudioſiſſimum, de cuius virtute plura forſitã in Morali dicemus.

4. Reg. 19.

Ex ijs colliges, Dauidem fuiſſe reliquis regibus ſanctiorem, ipſo quoque Ioſia. elogij verò verba; *Similis illi non fuit ante eum*; de regibus tantùm ſunt intelligenda, qui poſt Dauidem Rempublicam adminiſtrarunt, Dauid enim veluti omnium regum Iuda pater, decus, & ornamẽtum, ſemper exceptus intelligitur. vel intelligenda ſunt de regibus ſolùm, qui duabus tribubus imperarunt, Dauid autem duodecim tribuum imperium tenuit; vel denique per quãdam exaggerationem dicta cenſendum eſt. Quod enim non poſſint abſolutè & ſecundùm vniuerſam ſignificationem intelligi probatur, quia eadem verba in laudem dicuntur Ezechiæ: *Poſt eum*, id eſt, Ezechiam, *non fuit ſimilis ei de cunctis regibus Iuda, ſed neque in ijs, qui ante eum fuerunt.* ſi igitur ſecundùm vniuerſam ſignificationem ſumantur, ſequitur Ezechiã fuiſſe præſtantiorem Ioſia, & Ioſiam fuiſſe præſtantiorem Ezechia, quod fieri non poteſt. Dicendum ergò modum laudandi eſſe per amplificationem, & hyperbolem quandam, laudis magnæ ſignificatricẽ. Itaque ea verba nec probant Ioſiam, & Ezechiam eſſe Dauide ſanctiores, nec probant aut Ezechiam Ioſiæ, aut Ioſiam Ezechiæ virtute excellere.

4. Reg. 18.

Aliter reſpondemus verius, vt reor; verba elogij ſic habere, *ſimilis illi non fuit ante eum Rex, qui reuerteretur ad* Dominum *in omni corde ſuo*, &c. Veriſſima ſunt, neque tamen Dauidem ſuperauit Ioſias, quia loquitur de regibus ſcriptura, qui ab idolorum cultura populum ad Deum reduxerunt, Ioſiæ ſimilis non fuit Rex aliquis ante eum, qui populum ab idololatria ad Dei cultum reuocauit, id enim ſignificant illa verba, *qui reuerteretur ad Dominum.* At Dauid nõ eſt in numero regum, qui reuerſi ſunt ex idolorũ cultu ad Deum, vel qui populum reduxerunt; eius enim ætate populus idola non coluit, ergo non attingunt verba illa Dauidem. Præterea vtrumque elogium tam Ioſiæ, quàm Ezechiæ, verum eſſe etiam abſque hyperbole arbitramur. Etenim potuit Ioſias prę ſtãtior eſſe Ezechia, & Ezechias præſtantior Ioſia, non tamen abſolutè, ſed aliqua in re. Itaque dicimus nõ fuiſſe vllum regem ſimilem Ioſiæ, nec ante nec poſt Ioſiam, qui reuerteretur ad Deum in omni corde ſuo, & in tota anima ſua, & vniuerſa virtute ſua, iuxta omnem legem Moyſi, quę ſunt verba elogij. vicit Ioſias Ezechiam affectu, zelo, & feruore, quo ad Deũ conuerſus populum reduxit, hac in re non fuit illi ſimilis omnino, id eſt par, Ezechias; verùm eſt ergo elogium Ioſiæ. Verum item eſt elogium Ezechiæ; videlicet, poſt eum non fuit ſimilis ei de cunctis regibus Iuda, ſed neque in ijs, qui ante eum fuerunt. in primis Dauidẽ, qui ante eum fuit, non cõplectuntur hæc verba, quia cum regibus Iuda Ezechiam conferunt. Dauid autem non fuit Rex Iudæ, ſed fuit Rex totius Iſraëlis, id eſt, omnium duodecim tribuum. Quòd autem attinet ad Ioſiam, qui Rex fuit Iuda, dicimus non fuiſſe ſimilem Ezechię, aliquot in rebus Nã Ezechias prior fuit in exterminanda idololatria. quàm Ioſias; deinde admirabiliter à Deo ſanitatem & 15 vitę annos eſt conſecutus; prẽterea ſtupendũ miraculum eius cauſa Deus edidit, cum ſolem retroëgit; accedit alterum, cùm centum octoginta quinque hominum millia nocte vna per Angelum neci dedit. Verè igitur dicitur Ioſias non fuiſſe ſimilis Ezechiæ, verè quoque prædicatur Ezechias non fuiſſe ſimilis Ioſiæ.

Hi tres reges, Dauid, Ezechias, & Ioſias, inter omnes reges Iuda excelluerunt. de illis Eccleſiaſticus ſic ſcribit; *Præter Dauid, Ezechiam, & Ioſiam omnes peccatũ commiſerunt. Nam reliquerunt legem altiſſimi reges Iuda, & contempſerunt timorem* Dei. Quæ verba difficilem habẽt explicatum, adeò vt Dionyſius Carthuſianus, cum non videret qua ratione vera eſſe poſſent, dixerit librum Eccleſiaſticum non eſſe canonicum. At nos huc confugere non poſſumus, librum enim canonicum eſſe conſtat ex Synodo Tridentina ſeſſione quarta. Prima difficultas in exceptione eſt, nam excipitur à peccantibus Dauid, cum tamen eius peccata adulterium, & homicidium, ſatis ſint manifeſta. Sed facilè reſpondetur, Eccleſiaſticum non de quibuslibet peccatis, ſed de ijs habere ſermonem, quæ diuino cultui aduerſantur; Dauid autem nullum commiſit peccatum idololatriæ aut quod diuino cultui aduerſaretur. Ex hac reſponſione, ſecunda oritur difficultas, quæ huiuſmodi eſt; de peccatis diuino cultui repugnantibus loquitur Eccleſiaſticus, er-

Tres reges Dauid, Ezechias, & Ioſias inter reges Iuda excelluerunt.

Eccli. 49.

gò falsum est omnes reges Iuda præter Dauidem, Ezechiam,& Iosiam peccasse; Alij enim nempe Iosaphat, & Ioatham reges optimi, Asa,& Ozias, idola nunquam sunt venerati.

Duobus modis hic herculeus nodus dissecari potest. Primò, si dicamus hos reges nullo modo in idololatriæ crimen incidisse, peccasse tamen aduersus diuinum cultum, propterea quod non abstulerunt excelsa; erant autem excelsa, loca in quibus extra templum non idolis, sed Deo vero victimæ immolabantur, contra legis præscriptum; quæ præcipiebat, *vt in solo templo hostiæ Deo immolarentur*: Alia quoq; excelsa dicebantur, in quibus idolis sacrificia illorum cultores offerebant, hæc tamen reges probi non permittebant; illa in quibus Deus verus colebatur, ij reges permiserunt, vt perspicuum est ex libris regum, at Ezechias,& Iosias ea euerterunt. Iosaphat dicitur non abstulisse excelsa: *Fecit quod rectum erat in conspectu Domini, verumtamẽ excelsa nõ abstulit, adhuc enim populus sacrificabat, & adolebat incẽsum in excelsis*. De Ozia similiter scribitur; *verumtamen excelsa non est demolitus*; de Ioathan eodem capite, *veruntamen excelsa non abstulit*; idem scriptũ de Asa est. Itaque verba Ecclesiastici hoc pacto sunt explanãda, præter Dauid, Ezechiã, & Iosiam omnes peccatum commiserunt, aduersus diuinum cultum, sic exponit Episcopus doctissimus Abulen lib. 4. Reg. nam vel idolorum cultu se contaminarunt, vel saltem excelsa non abstulerunt, quæ diuino cultui repugnabant, nolebat enim Deus in excelsis coli. ijs adde Iosaphatum cum Achabo impio idolorum cultore amicitiam iunxisse, & affinitatem, præterea cum Ochozia filio Achab iunxisse classem. Ozias verò alius Deo offerre voluit; Asa prophetam in vincula coniecit, quæ omnia diuino cultui aduersantur. De Ioatham non omnia sunt scripta. sed petes quodnam peccatum fuerit excelsorum permissio? Respondetur non fuisse mortiferum; nam si mortiferum fuisset, necesse esset concedere regem Iosaphat, Ioatham,& Oziam esse dãnatos, quod ea permiserint, nec ante mortem abstulerint, hoc autem nemo concedet.

Excelsa quæ dicuntur.

Deut. 12.

3. Reg. vlt.

4. Reg. 15.

3. Reg. 15.

At nondum nodus est dissectus, nam verba Ecclesiastici de peccato mortifero intelligenda sunt, sic enim addit; *Nam reliquerunt legem altissimi reges Iuda, & contempserunt timorem Domini*. Hæc verba peccatis venialibus non conueniunt. Respondemus, sensum verborum huiusmodi esse; Præter Dauid, Ezechiam,& Iosiam, omnes peccauerunt, id est, omnes reges vel mortiferum vel veniale crimen, aduersus cultum diuinum commiserunt. Post hæc non additur particula, omnes, non dicitur reliquerunt legem altissimi de idolis non colendis omnes reges Iuda,& contempserunt timorem Domini; sed *reliquerunt legem altissimi reges Iuda*, non omnes, sed multi,& contempserunt timorem Domini. Ex iis verò multis non est Iosaphat, aut Ioatham, aut Ozias, aut Asa.

1. Esdræ 1. Daniel. 2. Gen. 41.

Secundo modo verba hęc ita exponi possunt, vt dictio, omnes, pro multis sumatur. Quale illud: *Omnia regna terræ dedit mihi Dominus*. & Daniel. *Sub ditione tua*, scilicet Nabuchodonosoris, *Deus vniuersa constituit*. Genes. *Omnes prouinciæ veniebant in Ægyptum, vt emerent escas*, &c.

CAPVT XVI.

De Iechonia, & fratribus eius, & Captiuitate Babylonica.

2. Par. 3.

IOsias Rex 4. genuit filios; *filij Iosiæ fuerunt, primogenitus Iohanan, secundus Ioacim, tertius Sedecias, quartus Sellum*, &c. In lib. 4. Reg. & 2. Paralip. trium tantum fit mentio, Ioachaz, Eliacim, & Mathaniæ. Mathanias idem est qui Sedecias, Eliacim idem qui Ioacim, vt mox fiet perspicuum, Ioachaz idem est qui Sellum. probatur, quia Sellum vt constat ex Ieremia, regni clauum tenuit, ergo ex Ioachaz; nam tres filij Iosiæ regnum administrarũt, Ioacim, Sedecias,& Ioachaz, vt constat ex 4. Reg. 23. Sellum non est Ioacim nec Sedecias, vt patet ex 1. Paralip. igitur est Ioachaz; Iohanan non regnauit. Patri Iosiæ successit Sellum, siue Ioachaz, vt legitur 4. Reg. 23. & 2. Paralip. 36. tribus tantùm mensibus regnauit, vix enim regnare cœperat, cum sceptrum e manibus extorsit. Nechao Rex Ægypti, is qui cum Iosia pugnauerat, regnumque alteri fratri tradidit, qui Eliacim nominabatur, sed nomine mutato appellari voluit Ioacim, Ioachaz verò siue Sellum in Ægyptum duxit, vbi vitam cum morte commutauit, vt prædixerat Ieremias his verbis: *Hæc dixit Dominus ad Sellum filium Iosiæ regem Iuda, qui regnauit pro Iosia patre suo, qui egressus est de loco isto, non reuertetur huc amplius, sed in loco ad quem transtuli eum ibi morietur, & terram istam non videbit amplius*, &c. Dignus hac pœna fuit, non enim patris Iosiæ virtutem sed maiorum impietatem imitatus est; *Fecit malum coram Domino, iuxta omnia, quæ fecerant patres eius*.

Filij Iosiæ regis. 4. Reg. 23. 2. Par. 36.

Ieram. 22.

Ioachaz.

4. Reg 23.

Nihilo melior fuit Ioacim, qui Ægypti Rex sceptrum tradidit; vt dicitur eodem capite, *fecit malum coram Domino, iuxta omnia, quæ fecerant patres eius*; patres, inquam, impij, nam patri sanctissimo Iosiæ valde fuit dissimilis. Suprà iam diximus Iosiam cum librum audisset legis, perterritum scidisse vestimenta, fudisseque lachrymas. at Ioacim longè secus, cùm ad eum adductus esset Ieremiæ liber diuinas continens comminationes, & coram illo multisque alijs legeretur, non vestimenta, sed librum scidit, non lachrymas ex oculis fudit, sed sacrum volumen impius in ignem misit. Ierem. 36. *Rex sedebat in domo hyemali in mense nono, & posita erat arula coram eo plena prunis: cumq; legisset Iudi tres pagellas, vel quatuor, scidit illud*, id est, volumen, *scalpello scribæ, & proiecit in ignem, qui erat super arulam, donec consumeretur omne volumen igni, qui erat in arula, & non timuerunt, nec sciderunt vestimenta sua Rex, & omnes serui eius, qui audierunt vniuersos sermones istos*, &c.

Ieram. 22.

Ioacim combusit librũ Ierem.

Ierem. 36.

Infelix, impiusque rex meritas scelerum pœnas luit. Etenim anno tertio regni illius, vt scribit Daniel initio capitis: *Venit Nabuchodonosor Rex Babylonis in Ierusalem, & obsedit eam, & tradidit Dominus in manu eius Ioacim regem Iudæ, & partem valorum domus Dei, & asportauit ea in terram Sennaar in domum Dei sui, & vasa intulit in domum thesauri Dei sui*. Hæc Daniel, qui tunc temporis in Babylonẽ ductus est cum rege. De hac captiuitate sic Eusebius in Chronico; Anno (inquit) tertio Ioacim Nabuchodonosor Iudæam capit; & in ditionem suam redactis plurimis Iudæorum, cum etiam partem vasorum templi inuasisset, & tributarium fecisset Ioacim, victor ad patriam reuertitur, &c. Ductum autem regem in Babylonem constat ex his verbis: *Contra hunc*, id est, Ioacim, *ascendit Nabuchodonosor Rex Chaldæorum, & vinctum catenis duxit in Babylonem, ad quam & vasa Domini transtulit, & posuit ea in templo suo*, &c. In regnum tamen reductus est, annisque tribus tributa Babylonico regi soluit; postea rebellauit, vt scribitur: *In diebus eius* (scilicet Ioacim, anno tertio) *ascendit Nabuchodonosor Rex Babylonis, & factus est ei Ioacim seruus tribus annis; & rursum rebellauit*, &c. Rebellasse autem ait Iosephus Ægyptiaci belli spe ductum, cum audisset Ægyptios, aduersus Nabuchodonosorem pugnaturos. sed fefellit illum spes, non enim bellum gerere ausi sunt.

Supplicium Ioacim. Daniel 1.

Eusebius.

2. Paral. 36.

4. Reg. 24.

Iosephus l. 10. antiq. c. 8.

Anno vndecimo regni eius, rursus in Iudæam venit

venit Nabuchodonosor,in ciuitatẽque receptus,fortitudine,& specie,præstantes iuuenes, vt scribit Iosephus, vna cum rege impio occidit; quem etiam ante muros insepultum iussit abiici, vt prædixerat Ieremias his verbis; *Hæc dicit Dominus ad Ioacim filium Iosiæ regem Iuda; non plangent eum, væ frater & væ soror, non concrepabunt ei væ Domine, & væ inclyte; sepultura asini sepelietur putrefactus, & proiectus extra portas Ierusalem*, &c. *Cadauer eius proiicietur ad æstum per diem, & ad gelu per noctem*,&c. Sic Deus punit scelera etiam in hoc sæculo. Autor librorum de mirabilibus Sacræ scripturæ lib. 2. cap. 29. putat Ioacimum anno tertio non esse ductum in Babylonem, sed anno vndecimo, priusquam verò Babylonem perueniret,occisum in agro, & sepultura asini sepultum.

Ioacim. Ierem. 33. *Ieremi. 36.*

Occiso Ioacimo, filium eius Ioachinum Nabuchodonosor in locum patris suffecit. Aduerte duo hæc nomina similia esse,non tamen eadem: nomen enim patris est Iehoiaquim, per Coph & mem in fine,nomen filij Iehoiacin, per Caph & Nun, dicitur tam pater,quàm filius à Matthæo Iechonias, distinctionis causa, dici potest latinè pater Ioacimus, filius Ioachinus. similis fuit patri filius, *Fecit malum coram Domino iuxta omnia, quæ fecerat pater eius*. Vix cœperat regiæ dignitatis dulcedinem degustare, cũ amara percussus virga, sceleribus debita supplicia soluit. eadem Nabuchodonosoris manus,quę in regio solio illum collocarat, e regio solio deturbauit; vt enim ait Iosephus, *timuit ne paternæ necis memor,mali aliquid moliretur*. Cum regi potentissimo obsistere nõ auderet, in illius se potestatem tradidit,ne(vt ait Iosephus lib. 10. antiquit. cap. 13.)ciuitas vastaretur. *Iechonias*(inquit) *cum vxoribus & filijs, & omni cognatione sponte se tradiderat pro ciuitate sua,ne obsessione capta vastaretur*, &c. Tradidit verò se hostibus Ieremia suasore. Hierony.Ieremi.24. Iechonias(ait) Ieremię consilio & imperio Dei se tradidit regi Babylonio,&c. Abductus est in Babylonem simul cum matre, & thesauris,tam regiæ domus quàm templi.

Ioathim. *3. Reg. 24.* *Iosephus.* *Ioachin siue Iechonias ductus est Babylonem.*

Neque verò regem solùm,sed viros etiam omnes robore, & nobilitate præcellentes, Nabuchodonosor Babylonem tunc transtulit,pauperibus in Iudęa relictis. Sic enim scribitur: *Transtulit omnem Ierusalem, & vniuersos principes, & omnes fortes exercitus, decẽ millia in captiuitatem, & omnem artificem, & inclusorem; nihilq; relictum est, exceptis pauperibus populi terræ*, &c. Istuc est impios in virga ferrea regere. *Viuo ego, dicit Dominus, si fuerit Iechonias filius Ioacim regis Iuda, annulus in manu dextera mea, inde auellam eum & dabo te in manu quærentium animam tuam, & in manu Nabuchodonosor*, &c. Nullus itaque impunitatem sibi promittat; quamuis annulus sit in dextera Dei, tamen si criminũ se maculis inquinant,inde auelletur,& in Babyloniam, id est, Orcum detrudetur. Regnauit Ioachin mensibus tantùm tribus; ductus cum illo est Babylonem Ezechiel Propheta, vaticinatusque in Chaldæa. Vnde illud: *In quinta mensis, ipse est annus quintus transmigrationis regis Ioachin, factum est Verbum Domini, ad Ezechielem filium Buzi, Sacerdotem in terra Chaldæorum*,&c.

4. Reg. 24. *Ierem. 22.* *Ezechiel quo tempore ductus est Babylone.* *Ezech. 1.*

Assyriorum regem vocat Deus virgam furoris sui: *Væ Assur, virga furoris mei, & baculus ipse est, in manu eorum indignatio mea*. Virga fuit Rex Assyriorum Salmanasar decem tribuum, quas Ezechiæ regis anno 6. in captiuitatem abduxit. regni verò Iudæ virga fuit Nabuchodonosor. Vbi primùm cœpit imperare, Iudæos cœpit flagellare. Primo enim imperij sui anno Ioacim vinxit, & in Babylonem tulit, fuit autem primus annus regni Nabuchodonosor, quartus annus regni Ioacim, vt indicat Ieremias his verbis: *Verbum quod factum est ad Ieremiam de omni populo Iudæ; in anno quarto Ioacim, filij Iosiæ, regis Iuda, ipse est annus primus Nabuchodonosor regis Babylonis*. Obiicies; Si annus pri-

Isaiæ 10. *Ierem. 25.*

A mus Nabuchodonosor fuit quartus Ioacim, non potuit Nabuchodonosor rex vinculis constringere Ioacim anno tertio regni ipsius Ioacim, vt diximus ex Daniele,& ducere in Babylonem, cum nondum regnaret. Respõdetur,annum primum Nabuchodonosor incidisse partim in tertium, partim in quartum annum Ioacim. Anno octauo regni sui, regni autem Ioacimi anno vndecimo, eundem Ioacimum occidit. eodem octauo anno, vt dicitur 4. Reg. Ioachinum filium Ioacimi cum matre; decemq; hominum millibus Babylonem transtulit. Nec quieuere regum Iuda Iudæorumque scelera, quousque ciuitatem nobilissimam Ierusalem æquarunt solo. *4. Reg. 24.*

Nam translato Ioachino siue Iechonia in Babylonem, Nabuchodonosor Matthaniam eius patruũ
D fratrem Ioacimi, filiumque Iosiæ regem dixit, nomineque mutato vocauit Sedeciam, qui domesticis tot calamitatum exemplis sibi cauere non didicit, vt legitur: *Fecit malum in oculis Domini Dei sui, nec erubuit faciem Ieremiæ Prophetæ, loquentis ad se ex ore Domini; à rege quoque Nabuchodonosor recessit, qui adiurauerat eum per Deũ, & indurauit ceruicem suam & cor, vt non reuerteretur ad Dominum Deum Israël*. Hæc de rege Sedecia. De populo verò similia eodem loco referuntur; simile enim erat corpus suo capiti. *Omne caput languidum, & omne cor mœrens*, vt dixit Isaias, *à planta pedis vsque ad verticem, non erat in eo sanitas*. Verba libri Paralip. hæc sunt: *Vniuersi principes sacerdotum, & populus, prævaricati sunt iniquè iuxta vniuersas abominationes gentium, & polluerunt domum Domini, quam sanctificauerat sibi in Ierusalem*, &c. ô infinitam Dei clementiam, non solùm sceleratissimos tolerabat homines, verùm etiam nuntios mittebat, quorum sermonibus à sceleribus ad pietatẽ reuocarentur. Nihil minus illi egerunt; non nuntium impietati remiserunt, sed nuntios Dei ludificarunt. Subiiciam hac de re verba capitis iam indicati: *Mittebat Dominus Deus patrum suorum ad illos per manum nuntiorum suorum, de nocte consurgens, & quotidie commonens, eo quod parceret populo & habitaculo suo. At illi subsannabant nuntios Dei, & parui pendebant sermones eius, illudebantq; Prophetis &c.* Animo expende Dei benignitatem, & hominu impietatem, Deus de salute Iudæorum solicitus, veluti Pater familias ante lucem nuntios mittebat, at impij illos subsannabant.

2. Par. 36. *Sedecias Rex* *Isaiæ 1.* *Deus de nocte velut i commonens surgens nuntios mittebat.*

Impleta igitur iam scelerum mensura extulit
D Deus virgam, vt extremo supplicio populum afficeret; virgam, inquam, illam, de qua Ieremias: *Virgam* (inquit) *vigilantem ego video*; vigilat enim Deus quamuis aliquibus dormire videatur ad vlciscẽda scelera. Vnde D. Hieronymus Ieremiæ illo capite: *Vigilat*(ait) *virga, cuncta populi peccata considerans, vt percutiat, & corripiat delinquentes*, &c. Theodotio vertit virgam amygdalinam; Pagninus, virgam amygdalinam maturè efflorescentem; indicat enim virgam amygdali, eo quòd maturè efflorescat, supplicium velox, quod iam instabat; D. Hieronymus amaræ correptionis fructum dulcem, scribit indicare. Quomodo(inquit) nux siue amygdalum amarissimum habet corticem, & testa durissima cingitur, vt detractis austerioribus, & duris, fructus dulcissimus reperiatur, sic omnis correptio, & labor continentiæ, amara quidem videtur ad præsens, sed fructus parit dulcissimos. Vnde & vetus illa sententia est; *literarum radices amaræ, fructus dulces*. Hæc Hieronymus. Qui diuina correptione commonitus mores improbos corrigit, huic virga amygdalina dulces emendationis fructus profert, quemadmodum medici amara potio dulcem parit sanitatem. Iudæis verò virga fructum attulit amarissimum non emendationis, sed euersionis.

Ierem. 1. *D. Hieron.* *Virga Dei amygdalina fructus affert dulces.* *D. Hieron.*

Multo labore sudatum est, & non exiuit de eanimia rubigo eius, neque per ignem; immunditia tua execrabilis, quia mundare *Ezech. 24.*

dare te volui, & non es mundata à ſordibus tuis; ſed nec mundaberis prius, donec quieſcere faciam indignationem meam in te, &c. De ciuitate Ieruſalem loquitur Dominus, quam cùm ænea ac rubiginoſa olla confert carnibus, id eſt, hominibus referta. Quemadmodum verò olle ad coquendas carnes ſubiicitur ignis, ſic Deus ciuitati Ieruſalem ad decoquendos impios flammas admouit. Eodem capite: *Hæc dicit Dominus, Væ ciuitati ſanguinum, cuius ego grandem faciam pyram. congere oſſa, quæ igne ſuccendam, conſumentur carnes, & coquetur vniuerſa compoſitio, & oſſa tabeſcent. Pone quoque eam ſuper prunas vacuam, vt incaleſcat, & liqueſiat æs eius, & conflatur in medio eius inquinamentum eius, & conſumatur rubigo eius*, &c. Non ſolùm carnes, id eſt, ciues, Deus flammis decoxit, verùm ipſam quoque ollam vacuam liquefecit, quia Ieruſalem incendit. Typum habes tartari egregium: eſt enim tartarus olla rubiginoſa, carnibus, id eſt, carnalibus hominibus plena, perpetuis flammis impoſita, cui ſatis bene illud congruit. *Væ ciuitati ſanguinum, cuius ego grandem faciam pyram*. Vt Ezechiel, ſic etiam Ieremias Ieruſalem ollæ aſſimilat; *Ollam* (inquit) *ſuccenſam ego video*; id eſt, Ieruſalem ardentem & vitijs & flammis.

Ieruſalem cum olla confertur Ezechielis 24.

Typus tartari.

Ierem. 1.

Non eſt illa ſuccenſa cælitus delapſo igne, vt olim Sodoma, ac Gomortha: flammas admouit Nabuchodonoſor virga furoris Dei; quocirca Ieremias faciem ollæ vidit à facie Aquilonis: quia ab Aquilone ignis eſt admotus. *Ab Aquilone (inquit Dominus) pandetur malum, ſuper omnes habitatores terræ*, id eſt, à Nabuchodonoſor rege Babylonis aquilonaris. *Anno itaque nono regni Sedeciæ menſe decimo, decimo die menſis*, vt ſcriptum eſt, *venit Nabuchodonoſor Rex Babylonis, ipſe & omnis exercitus eius in Ieruſalem, & circundederunt eam, & extruxerunt in circuitu eius munitiones, & clauſa eſt ciuitas, atque vallata, vſque ad vndecimum annum regis Sedeciæ*, &c. Ezechiel depingit. obſidio hæc in latere; *Sume tibi laterem, & pones eum coram te, & deſcribes in eo ciuitatem Ieruſalem, & ordinabis aduerſus eam obſidionem*, &c. Hieronymus; vt vrbs (inquit) quam putabãt eſſe firmam, & inexpugnabilem, fragiliſſimo lateri comparetur, &c.

Ierem. 1.

4. Reg. 25.

Ezech. 4.

Ieruſalem ob ſidetur, & expugnatur a Chaldæis anno vndecimo Sedeciæ.

Ierem. 39.

Obſeſſa eſt ciuitas à fine noni anni Sedeciæ vſque ad annum vndecimum; Anno verò vndecimo mẽſe quarto, vt ſcribit Ieremias 39. aperta eſt. Caiet. 4. Reg. 25. exiſtimat apertam ciuitatem Ieruſalem nõ ab hoſtibus, ſed ab obſeſſis, vt famen, qua premebãtur, effugerent. At ex Ieremia colligitur à Chaldæorum principibus, non ab obſeſſis Iudæis, murum fuiſſe dirutum, aditumque in ciuitatem patefactum; *Aperta* (inquit) *eſt ciuitas, & ingreſſi ſunt omnes principes regis Babylonis, & ſederunt in porta media: cumq; vidiſſet eos Sedecias Rex, & omnes viri bellatores, fugerunt, & egreſſi ſunt nocte de ciuitate*, &c. 4. Regum dicitur, *interrupta eſt ciuitas*, vi ſcilicet Chaldæorum.

4. Reg. 25.

In fuga præſidium vitæ Rex Sedecias collocauit, ſed quem Dei perſequitur iuſtitia, is euadere non poteſt; à Chaldæis, imò à Dei iuſtitia miſer comprehenſus, & ad Nabuchodonoſorem virgam Dei, ac tortorem ductus eſt. Torſit illum in primis filiorum nece; filios enim eo inſpectante iuſſit occidi, & ad hunc dolorem hauriendum oculos tantiſper conceſſit, quos paulo poſt eruit; oculis priuatum, cateniſque conſtrictum Babylonem duxit. & vt ait Ieremias: *Poſuit eum in domo carceris vſque ad diem mortis eius*, &c. Hinc illud ænigma ſoluens quod extat Ezechieli: *Adducam eum*, id eſt, Sedeciam, *in Babylonem in terram Chaldæorum, & ipſam non videbit, ibiq; morietur*. Ductus enim eſt in Babylonem, & ipſam non vidit, quia carebat oculis; ænigma, ſi Ioſepho credimus, non intellexit rex ipſe Sedecias, ac propterea fidem prophetis non habuit. ſic enim ſcribit: *Sedecias prophetijs Ieremiæ, & Ezechielis non credidit, propter huiuſmodi cauſam*. Alia ſiquidem vniuerſa conſona à prophetis dicta ſunt, quomodo & ciuitas vaſtaretur, & ipſe Sedecias duceretur captiuus in Babyloniam. diſcordauit autem Ezechiel dicens, quia Sedecias Babyloniam non videret, cum Ieremias dixiſſet, quia vinctum eum Rex Babyloniæ duceret, & eo quod non idem vterque dixiſſet, etiam illa, quæ concordabant, vera non eſſe dicebat. Hæc Ioſephus. At miror cur Sedecias putarit Ieremiam ab Ezechiele diſſentire, ſiquidem Ezechiel apertiſſimè dixit Sedeciam ducendum in Babyloniam, & Ieremias: *Oculi* (inquit) *tui oculos regis Babylonis videbunt, & os eius cum ore tuo loquetur, & Babylonem introibis*. Ezechiel ſolùm addidit; *Babylonem non videbit*; quòd ſolùm difficile erat intellectu.

Sedecias ductus eſt Babylonem, & Babylonẽ nõ vidit, vt Ezechiel prædixerat. Ierem 52. Ezech. 12.

Ioſephus li. 10. antiq. cap. 9.

Ioſephus: Sedecias ænigma non intellexit. Ierem 34.

Hanc Sedeciæ fugam & excæcationem præſignificauit iuſſu Dei Ezechiel: *Egredieris (ait Dominus) veſpere coram eis, ſicut egreditur migrans; ante oculos eorum perfode tibi parietem, & egredieris per eum in conſpectu eorum, in humeris portaberis, in caligine egredieris, faciem tuam velabis, & non videbis terram; quia portentum dedi te domui Iſraël.* ſignificat egreſſio Ezechielis veſpertina, fugam Sedeciæ nocturnam. parietis perfoſſio muri perfoſſionem, nam muro ſuffoſſo fugiſſe ad deſerta Iordanis, ibiq; à Babylonijs comprehenſum ait Hieronymus; caligo, in qua eſt elatus, noctem ſignificat, vel Sedeciæ cæcitatem, quam etiam ſignificat faciei, & oculorum, ne terram videant, velatio. Ipſe Ezechiel ſic explicat eodem capite; *Dux qui eſt in medio eorum*, id eſt, Sedecias, *in humeris portabitur, in caligine egredietur, parietem perfodient, vt educant eum; facies eius operietur, vt non videat oculo terram; & extendam rete meum ſuper eum, & capietur in ſagena mea, & adducam eum in Babylonem*, &c. Hæc eſt diuinæ iuſtitiæ venatio: quemadmodum principes viri apros vrſoſque, ita diuina iuſtitia impios venatur reges veluti leones; *Extendam* (inquit) *rete meum ſuper eum, & capietur.*

Fuga Sedeciæ regis typus. Ezech. 12.

Iuſtitia Dei leones ad eſt, impios venatur reges.

Eundem Sedeciam aliosque Iudæos confert Dominus cum ficis malis, quæ comedi non poſſunt. *Oſtendit mihi Dominus, & ecce duo calathi pleni ficis, poſiti ante templum Domini*, &c. Calathus vnus ficus bonas habebat nimis, quibus adumbrabantur ij, qui cũ Iechonia, Ieremiæ conſilio, & imperio Dei, Nabuchodonoſori ſe tradiderant, vt ait diuus Hieronymus; & calathus vnus ficus habebat malas nimis, quæ cõmedi non poterant, eo quòd eſſent malæ, iis ſignificabatur Sedecias, & populus Iudæorum. Quẽadmodum malas ficus porcis abiicimus, ſic Sedeciã, & Iudæos malos, Deus Chaldæis veluti porcis abiecit. Eodem Ieremiæ capite; *Sicut ficus peſsimæ, quæ comedi non poſſunt, eo quod ſint malæ; hæc dicit Dominus, ſic dabo Sedeciam regem Iuda, & principes eius, & reliquos de Ieruſalem, qui remanſerunt in vrbe hac*, &c.

Ierem. 24.

Ficus malæ & bonæ apud Ieremiam quid ſignificent. D. Hieron.

Denique Rex Sedecias, quas commemorauimus, flagitiorum pœnas dedit; Populus ſimiles luit. *Adduxit Dominus ſuper eos regem Chaldæorum, & interfecit iuuenes eorum gladio in domo ſanctuarij ſui, non eſt miſertus adoleſcentis, & virginis, & ſenis, nec decrepiti quidem, ſed omnes tradidit in manibus eius, ſi quis euaſerat gladium, ductus in Babylonem, ſeruiuit regi, & filijs eius*, &c. Ipſa quoque olla, vt ſuprà diximus, id eſt, ciuitas nobiliſſima Ieruſalem, ſanctiſſimumque Dei templum, acerbiſſimo incendio conflagrauit. Eodem capite ſic ſcriptum eſt; *Incenderunt hoſtes domum Dei*, id eſt, templum *deſtruxerũntque murum Ieruſalẽ, vniuerſas turres combuſſe; rũt, & quidquid pretioſum fuerat, demoliti ſunt*, & Ieremias: *Nabuzardan incendit domum Domini, & domum regis, & omnes domos Ieruſalem, & omnem domum magnam igne combuſsit: & totum murum Ieruſalem per circuitum deſtruxit cunctus exercitus Chaldæorum, & qui erat cum magiſtro militiæ*, &c. Hæc eſt decãtata illa captiuitas Babylonica, quam

Supplicium populi Iſrael. 2. Par. 36.

Ieruſalem incenditur à Chaldæis & templum. Ierem. 52.

quam deflet Ieremias.

Tres fuere captiuitates, vel transmigrationes Babylonicæ.

Fuere autem tres captiuitates siue transmigrationes Babylonis; Prima anno tertio regni Ioachimi, & primo Nabuchodonosor, cùm Daniel & socij in Babylonem à Chaldæis ducti sunt, vt suprà diximus. Secunda post octo annos, anno octauo imperij Nabuchodonosor, primo Ioachim siue Iechoniæ, qui cum matre virisque principibus Nabuchodonosori se dedidit. tertia hæc de qua loquimur Sedeciæ, anno decimo nono imperij Nabuchodonosor, vndecimo verò Sedeciæ, quæ cæteras superauit. Etenim vrbs euersa, & templum augustissimum incensum est à Chaldæis: incensum, inquam, vt Iosephus scribit libro septimo de bello Iudaico capite nono, & 10, mensis Augusti die decimo, quo eodem mense, & die, Iosepho eodem teste, à Romanis postea est inflammatum. Has tres captiuitates memoriæ prodiderunt literæ sacræ, quartam addimus: anno vndecimo Ioachimi, quæ ordine secunda est; nam vt Iosephus scribit, Ioachim eo anno Nabuchodonosor occidit, eos autem, qui erant in dignitatibus constituti, numero tria millia, captiuos duxit in Babyloniam.

Iosephus, templum à Chaldæis incensum & à Romanis postea, eadem mensis Augusti die.

Iosephus l. 10. antiq. cap. 8.

Ierem. 39.

Euersa vrbe, tenues Iudæorum reliquiæ in Iudea manserunt, vt enim Ieremias scribit de plebe pauperum, qui nihil penitus habebant, dimisit Nabuzardan magistur militum in terra Iuda, & dedit eis vineas, & cisternas, &c. *Reliquam*, inquit, *populi partem, quæ remanserat in ciuitate, & perfugas, qui transfugerant ad regem Babylonis, & reliquum vulgus, transtulit Nabuzardan princeps militiæ, & de pauperibus terræ reliquit vinitores, & agricolas*, &c. Iudææ verò præfecit Godoliam, vt scribitur eodē capite, ad quem Iudæi multi varijs ex locis confluxerunt. Ieremias: *Iudæi omnes, qui erant in Moab, & in filijs Ammon, & in Idumæa, & in vniuersis regionibus, audito quod dedisset Rex Babylonit reliquias in Iudæa, & quòd præposuisset super eos Godoliam filium Ahicam, filij Saphan, reuersi sunt, inquam, omnes Iudæi de vniuersis locis, ad quæ profugerant, & venerunt in terram Iuda, ad Godoliam in Maspha, & collegerunt vinum, & messem multam nimis.* Hæc Ieremias. Itaque non erant planè extincti Iudæi, si sapere voluissent, potuissent rursus in terram radices iácere, & crescere. Sed nondum satis erat pœnarum datum, reliquias turbo repentè exortus dispulit.

Reliquiæ Iudæorum in Iudæa relictæ post euersam Ierusalem. 4. Reg. 25.

Ierem. 40.

Ierem 41.

Etenim Ismaël quidam è regio semine prouinciæ principem Godoliam occidit, populique reliquias in captiuitatem redegit; illæ tamen à quodam Iohanan liberatæ sunt. Cùm verò Iohanan & alij metuerent, ne Chaldæi Godoliæ necem vlcisci vellent, de petenda Ægypto cogitarunt; ad Ieremiam, quem Nabuchodonosor in Iudæa manere permiserat, se conferunt, Deum vt consulat, orant, quid facto opus sit, annuntiet, siue dulcia sint, siue acerba Dei mandata, facturos se pollicentur. *Sit*, inquiunt, *Dominus inter nos testis veritatis, & fidei; si non iuxta omne verbum, in quo miserit te Dominus Deus tuus ad nos, sic faciemus: siue bonum est, siue malum, voci Domini Dei nostri, ad quem mittimus te, obediemus, vt bene sit nobis, cum audierimus vocem Domini Dei nostri*, &c. Egregia sanè verba; sed verba prophetæ dederunt, non opera. Etenim consuluit Ieremias Dominum, oraculum reddidit omni misericordia plenum, quod huiusmodi est: *Hæc dicit Dominus Deus Israël, ad quem misistis me, vt prosternerem preces vestras in conspectu eius; si quiescentes manseritis in terra hac, ædificabo vos, & non destruam, plantabo, & non euellam, iam enim placatus sum super malo, quod feci vobis. Nolite timere à facie regis Babylonis, quem vos pauidi formidatis, nolite metuere eum, dicit Dominus, quia vobiscum sum ego, vt saluos vos faciam, & eruam de manu eius, & dabo vobis misericordias, & miserebor vestri, & habitare vos faciam in terra vestra*, &c.

Ierem 42.

Ierem. 42.

Oraculum Domini datũ relictis Iudæis, vt manerent in Iudæa.

A Verè misericors, verè clemens est Dominus, *calamum quassatum non conteret, & linum fumigans non extinguet*, quassato calamo similis erat Iudæorum populus, at quassatum calamum nolebat conterere, sed potius colligare; fumigabat lucerna, fumigans linum, siue ellychnium nolebat extinguere, sed rursus inflammare. De petenda Ægypto hęc addidit Ieremias: *Hæc dicit Dominus exercituum Deus Israël, si posueritis faciem vestram, vt ingrediamini Ægyptum, & intraueritis, vt ibi habitetis. gladius, quem vos formidatis, ibi comprehendet vos in terra Ægypti, & fames pro qua estis soliciti, adhærebit vobis in Ægypto, & ibi moriemini*, &c. *Isaiæ 42.*

Hunc in modum Ieremias supplicijs ab itinere B Ægypti Iudæos deterruit, præmijs, vt in Iudæa manerent, allexit. At illi, quorum paulo ante hæc vox fuerat; *Iuxta omne verbum, in quo miserit te Dominus Deus tuus ad nos, sic faciemus, siue bonum est siue malum, voci Domini Dei nostri, ad quem mittimus te, obediemus*, &c. Diuino oraculo parêre noluerunt, & prophetam mendacium dixisse asseuerarunt. *Cum complesset Ieremias, loquens ad populum vniuersos sermones Domini Dei eorum, pro quibus miserat eum Dominus Deus eorum ad illos, omnia vtrba hæc; dixit Azarias filius Osaiæ, & Iohanan filius Careæ, & omnes viri superbi, dicentes ad Ieremiam, mendacium tu loqueris, non misit te Dominus Deus noster, dicens; Ne ingrediamini Ægyptum, vt habitetis illic; sed Baruch filius Neriæ incitat te aduersum nos, vt tradat nos in manus Chaldæorum, vt interficiat nos, & traduci faciat in Babylonem*, &c. Si Ieremias Ægyptum petere suasisset, fidem habuissent; quia voluntati ipsorum non consensit, mendacium dixisse asseruerunt. quæ nobis displicent, etsi vera sint, falsa, quæ placent, etsi falsa sint, vera esse videntur. *Ierem 43.*

Non obtemperarunt Iudæi oraculo, Ægyptum petierunt.

Suo malo Iudæi vaticinij veritatem experti sunt. In Ægyptum se contulere omnes, Ieremias quoque, siue inuitus, siue sponte; quòd nollet populi reliquias illas derelinquere. O cæca hominum pectora, ex tutissimo Iudææ loco fugientes, in rete Nabuchodonosoris sese immiserunt. inobediens ipse sibi periculum creat; quemadmodum Ionas Deũ fugiens, in ventrem magni ceti, sic Iudæi consilium Dei fugientes, in ventrem magni illius draconis Nabuchodonosoris inciderunt. Etenim Nabuchodonosor anno 23. regni sui Ægyptum euertit, & Iudæos, quos in ea regione reperit, in Babylonẽ transtulit; erat is annus quintus post Hierosolymorum excidium, vt docet Iosephus libro 10. antiquit. cap. 11. Quinto (inquit) anno captiuitatis Hierosolymorum, qui est tertius & vigesimus regni Nabuchodonosor, castrametatus est idem Nabuchodonosor in inferiori Syria, eamque detinens, expugnauit Ammonitas, & Moabitas, cumque subdidisset has gentes, perrexit in Ægyptum, eamque subuertit, & regem quidem, qui tunc erat, occidit, aliumque in ea constituens, denuò Iudæos captiuos duxit in Babyloniam. Hæc ille. *Inobedientia: incidit in scyllam cupiens vitare charybdim.*

Iosephus.

Nabuchodonosor cepit Ægyptũ, Iudæos captiuos duxit in Babyloniam.

Fuit nobilis adeò hæc Nabuchodonosoris de Ægyptijs aliisque gentibus victoria, vt ab illa anno- E rum imperij cœperit fieri supputatio. Danielis 2. *In anno secundo regni Nabuchodonosor vidit Nabuchodonosor somniam*, statuæ scilicet, ex varijs conflatæ metallis. Secundus hic annus à victoria hac, & monarchia numeratur, vt docent Hebræi, teste Hieronymo in commentariis Danielis, & Iosephus: *Post annum*, (inquit) *secundum Ægyptiacæ vastationis, rex Nabuchodonosor vidit somnium*, &c. Prædixit illam Ieremias Iudæorum reliquijs, quæ in Ægyptum confugerant, lapides prægrandes iussu Dei Iudæis inspectantibus in crypta abscondit, quæ sub muro lateritio, in porta domus Pharaonis regis, in vrbe, quæ Taphnis appellabatur. Deinde sic est vaticinatus: *Hæc dicit Dominus* *Anni imperij Nabuchodonosor à victoria Aegyptiaca numerantur D. Hieronym. Iosephus. l. 10. antiq. cap. 12.*

Ierem 34.

nus exercituum Deus Israël. *Ecce ego mittam & assumam Nabuchodonosor regem Babylonis seruum meum, & ponam thronum eius super lapides istos, quos abscondi, & statuet solium suum super eos, venientsque percutiet terram Ægypti,* &c.

In Babyloniam ergo Iudæorum illæ reliquiæ, via qua non putarant, peruenerunt, quo itinere libertatem se consecuturos sperabant, eodem in captiuitatem, & in eos, quos declinabant, laqueos inciderũt. Nabuchodonosorem fugiebant, in manus Nabuchodonosoris incurrerunt. Si non fugissent, non incurrissent, si nõ fugissent, effugissent, si Ieremię monitis, non suo timori, & consilio paruissent, in Iudææ libertate, non in Babylonis captiuitate, vitam traduxissent. Sacerdotum, proborumque hominum cõsilia, & Dei voluntatem sequi, hoc ex facto discamus, quamuis ea nostris consilijs, nostræque voluntati aduersetur, prosperè succedent res.

Ex dictis iam intelliges, quis sit Iechonias, de quo Matthæus loquitur, qui nam fratres eius. Iechonias hic Ioachimus Rex est, filius Iosiæ, fratres eius Ioachaz, qui ante eum regnauit, & Sedecias Rex is, quo regnante vrbs Ierusalem capta, & euersa est. fuerũt igitur Reges tres Iechonias, & fratres eius, de quibus hactenus verba fecimus.

CAPVT XVII.

De transmigratione Babylonis, & de 70 annis captiuitatis.

Cur Iosias dicatur genuisse Iechoniam & fratres in transmigratione Babylonis.

TRes, vt suprà diximus, fuere Babylonis transmigrationes, siue captiuitates, prima sub Ioachimo Rege, secunda sub Ioachino, tertia sub Sedecia, vnde intelliges, quod dixit Matthæus: *Iosias genuit Iechoniam*, siue Ioachimum, *& fratres eius, in transmigratione Babylonis.* Obstat, quòd Iosias ante primã transmigrationem obierit, ergo non potuit gignere Iechoniam & fratres in transmigratione. Respondemus, Iosiam genuisse Iechoniam, & fratres eius, in transmigratione Babylonis, hoc est, circa tempus transmigrationis. etenim hi tres fratres omnes vixerunt tempore transmigrationum, imò omnes transmigrarunt, vt ex dictis liquet.

Transmigratio autem Babylonis, id est, Babylonica more hebræo, vel complectitur tres transmigrationes, & captiuitates, de quibus iam scripsimus, vel extremam sub Sedecia, quæ fuit præcipua, nisi velis significare transmigrationem Iechoniæ. Nam, vt Comestor in Scholastica historia, 4. Reg. cap. 39. ait, transmigratio propriè dicitur Iechoniæ, quia sponte se tradit Nabuchodonosori, & cum cæteris Iudæis transmigrauit. eorum verò, qui postea vi abducti in Babyloniam sunt, propriè captiuitas appellatur. Verùm in textu hebræo non est discrimen hoc, eodem enim verbo hebræo vtitur scriptura in omnibus his transmigrationibus, scilicet Galah, quod migrare, & captiuum duci significat, & Golah, siue Galuth, transmigrationem, siue captiuitatẽ. Quocirca filij transmigrationis appellantur Iudæi, qui à Babylonica captiuitate redierant, & Sedeciæ captiuitas transmigratio dicitur. Nihilominus D. Hieron. Ezech. 1. significantius, inquit, iuxta Hebræos, & cæteros interpretes, transmigratio dicitur Ioachim, & non captiuitas, quod septuaginta transtulerunt, non enim captus vrbe superata, sed voluntate se tradens ductus in Babylonem. Igitur Ioachin siue Iechoniæ dicatur prima transmigratio,

1. Esdræ. 6.

Ierem. 1. D. Hieron.

Sedeciæ autem secunda, vel extrema captiuitas, &c. Transmigrationis Ioachim non meminit Hieronymus. ideo primam nominat transmigrationem Iechoniæ, cum sit secunda. idem Hieronym. Ierem. 24. Non dixit, inquit, Ieremias captiuitatem Iechoniæ, sed transmigrationem, quia se vltro tradiderat, &c. De principijs harum transmigrationum iam dictum est, nunc locus postulat, vt de fine dicamus.

Septuaginta annis Babylonica captiuitas in sacris literis definitur, quos primum Ieremias prædixit iis verbis: *Hæc dicit Dominus exercituum, pro eo, quòd non audistis verba mea, ecce ego mittam, & assumam vniuersas cognationes aquilonis, ait Dominus, & Nabuchodonosor Regem Babylonis seruum meum, & adducam eos super terram istam, & super habitatores eius, & super omnes nationes, quæ in circuitu illius sunt, & interficiam eos, & ponam eos in stuporem, & in sibilũ, & in solitudines sempiternas,* &c. *Et erit vniuersa terra hæc in solitudinem & stuporẽ, & seruient omnes gentes istæ, regi Babylonis septuaginta annis, cúmque impleti fuerint septuaginta anni, visitabo super Regem Babylonis,* &c. Hæc vaticinatus est Ieremias anno 4. Regis Ioachimi, & primo Regni Nabuchodonosor, vt ex eodem capite liquet. Rursus eosdem septuaginta annos in Epistola commemorat, quam ad Iechoniam, alioscque Iudæos misit, qui Babylonem abducti fuerant, *Hæc dicit Dominus exercituum Deus Israël omni transmigrationi, quam transtuli de Ierusalem in Babylonem, ædificate domos, & habitate, & plantate hortos,* &c. *Quia hæc dicit Dominus: Cum cœperint impleri in Babylone 70. anni, visitabo vos, & suscitabo super vos verbum meum bonum, vt reducam vos ad locum istum,* &c. De ijsdem annis mentio fit 2. Paralipom. *Si quis euaserat gladium ductus in Babylonem seruiuit Regi, & filijs eius, donec imperaret Rex Persarum, vt compleretur sermo Domini ex ore Ieremiæ, & celebraret terra sabbata sua. Cunctis enim diebus desolationis egit sabbatum, vsque dum cõplerentur septuaginta anni,* &c. Terra verò dicitur celebrasse sabbata, quod hominum cultura carens quieuerit, sabbatum enim agere, quiescere est, & quies sabbatum appellatur. Præcipit Deus Iudæis, vt terra septimo quoque anno sabbatum agat, id est, non colatur: *Sex annis seres agrum tuum, & sex annis putabis vineam tuam, colligésque fructus eius: septimo autem anno sabbatum erit terræ requietionis Domini,* &c. Præterea Daniel: *Ego,* inquit, *Daniel, intellexi in libris numerum annorum, de quo factus est sermo Domini ad Ieremiam Prophetam, vt complerentur desolationis Ierusalem 70 anni,* &c. Exploratum ex ijs locis est, ad 70 vsque annos peruenisse captiuitatem. Sed vnde nam cœperint, vbi compleantur, versatur in controuersia.

Ierem. 25.

Ierem. 29. Captiuitati Babylonicæ 70. anni dati sunt.

2. Par. 36.

Leuit. 25.

Dan. 9.

Ex sacris literis tres diximus fuisse captiuitates, siue transmigrationes, totidem quoque dicimus esse de annorum septuaginta initio, sentẽtias. Prima asserit initium sumere hos annos à prima captiuitate Ioachimi. Hæc est Theodoreti Danielis 9. Ieremias, inquit, & Esdras à primę captiuitatis initio numerantes, iure vsque ad Cyrum Persarum Regem septuaginta definiunt annos, &c. Illius meminit Eusebius in Chronico, septuaginta, inquit, anni secundùm quosdam à tertio anno Ioachim, vsque ad 20 Cyri computantur. est etiam Hebræorum, vt refert Genebrardus in Chronologia his verbis: Captiuitatem Hebræi ordiuntur ab vndecimo anno Sedeciæ, vt videre est apud Abbẽ Ezram in 1. & 9. cap. Danielis, vel à quarto Ioachim, vnde historiam suã ordiritur Daniel, &c. In eandem iuit Lyranus Esdræ 1. At ille putat à Nabuchodonosore captum Ioachimum anno octauo regni, quod scripsit Iosephus lib. 10. antiquit. cap. 7. Id verò falsum esse probat Daniel, qui cap. 1. asserit Ioachimum in potestatem regis Babylonij venisse anno regni tertio. Itaque Lyranus septuaginta annos inchoat ab anno octauo Ioachimi.

Tres sunt opiniones de initio 70. annorum captiuitatis.

1. opinio. Theodoret.

Eusebius.

Lyranus.

Iosephus.

Vata-

Vatablus. Vatablus ab anno primo Nabuchodonosoris, qui fuit tertius Ioachimi, vt diximus, Nabuchodonosor (inquit) anno primo regni sui vicit Ioachim, quod tempus est initium desolationis Ierusalē. Existimat eodem loco desolationem Ierusalem æqualem fuisse regno Babylonis. Nam Deus (ait) pollicitus erat regnum Nabuchodonosor, filio eius, & nepoti, qui regnarunt septuaginta annos.

2. Opinio. Secunda sententia annos septuaginta numerat à transmigratione secunda regis Iechoniæ, sic numerat Cardinalis Caietanus ad finem libri 2. Paralip. & Rabbi Salomon, vt Lyranus ait Esd. 1. & Genebrardus in Chronologia: Iechonias, inquit, cum vniuersa prosapia Babylonem ductus, initium præbuit captiuitati seu transmigrationi Babylonicæ, quam 70. annos duraturam Ierem. 25 præmonuerat, &c. Cōfirmatur verbis supra citatis ex epistola Ieremiæ, ad hanc transmigrationem scriptam, cū cœperint impleri in Babylone septuaginta anni, visitabo vos, ergo tunc cęperunt septuaginta anni, debile est argumentum. Loquitur enim Deus de annis septuaginta, de quibus fuerat iam ante vaticinatus Ieremias, tempore Ioachimi, quasi dicat, patriæ vos restituā, cū cœperint impleri 70. illi anni vobis noti, de quibus cū in Iudæa agebatis, vaticinatus est Ieremias.

3. Opinio. Tertia sententia à tertia captiuitate regis Sedeciæ hos annos incipit supputare, cum templum incensum, & vrbs euersa est. Hæc est Iosephi: Rex, inquit, Babylonius pro abductis duabus tribubus nullam gentem in eam regionem reposuit, quo factum est, vt Iudæa cum Hierosolymis, ac templo, per septuaginta annos deserta maneret. Hæc ille. Eusebius item in fine lib. 10. de præparatione euangelica: Vrbe (ait) euersa, temploque incenso in Babylonem populus abducitur, & post annos septuaginta Cyrus regnauit, qui Iudæos libertate donauit, &c. Clemens Alex. lib. 1. stromatum: Nabuchodonosor excęcatum Sedeciam abducit in Babylonem, & totum facit populum transmigrare, fuit autem hæc captiuitas septuaginta annis, &c. Nicephor. Cùm Babylonius Nabuchodonosor bellicam contra Iudæos expeditionem sumpsisset, vna cum vrbe templum est euersum, & populus Babylonem captiuus ductus ad annos septuaginta, &c. Alter item Nicephorus Episcopus Constantinopolitanus in chronologia, post captiuitatem Iudæorum abductorum Babylonem, & solitudinem loci, anni sequuntur septuaginta, &c.

Iosephus l. 10. antiq. c. 11. *Eusebius.* *Clemens Alex.* *Nicephor. l. 1. c. 6.* *Alter Nicephorus.*

Hæ sunt de principio septuaginta annorum sententiæ, vt illam omittam, quæ ab anno decimo tertio Iosiæ supputat, quod nihil habeat probabilitatis, eius meminit in Chronico Eusebius, his verbis: Colligitur omne tempus captiuitatis Iudæorum annis 70. qui secundum quosdam à tertio anno Ioachim, vsque ad vigesimum annum Cyri, computantur. Porrò secundum alios à Iosiæ Iudęorum regis anno decimo tertio, sub quo Ieremias prophetare cœpit, vsque ad primum annum Cyri, &c.

De fine 70. annorū sunt etiam discrepantes sententiæ. Prima. Nicephor. Augustin. Hieronym. De fine sunt etiam discrepantes opiniones. Etenim Nicephorus Episcopus Constantinopolitanus anno secūdo Darij regis Persarum completos arbitratur: Septuaginta, inquit, anni complentur anno secundo Darij, qui populum illum captiuitate liberauit, & instaurauit templum. Et D. Augustinus 18. de ciuit. Dei, cap. 26. Sub Dario rege Persarum impletis septuaginta annis, quos Ieremias prædixerat, reddita est Iudæis libertas, &c. Hieronym. Zachariæ primo: Secundo anno Darij filij Hystaspis, septuagesimum desolationis templi annum, qui ab Ieremia prędictus est, fuisse completum, Zacharias testis est, &c. idem scribit in præfatione Aggæi; idē quoque sensisse Clementem Alexand. docet Eusebius in Chronico, his verbis: Clemens scribit in primo stromate: Et perseuerauit captiuitas annis 70. vsque ad secundum annum Darij, filij Hystaspis, &c. Ipse quoque Eusebius: Desolationis (ait) templi, sub Dario rege complentur anni 70. Probatur sententia hæc à Zacharia, secundo enim Darij anno, ait Zacharias, se audisse hęc verba Angeli cū Deo loquentis: *Domine exercituum vsquequo non misereris Ierusalem, & vrbium Iuda, quibus iratus es? iste iam septuagesimus annus est.* & cap. 7. eiusdem vatis, anno quarto Darij obiurgās Deus Iudæos: *Cū ieiunaretis (ait) in quinto & septimo mense, per hos septuaginta annos, nunquid ieiunium ieiunastis mihi?* per hos, inquit, septuaginta annos, qui vel tunc explebantur, vel paulò antè effluxerant.

Clemens Alex Eusebius. *Zach. 1.*

2. Opinio Iosephi l. 11. antiq. c. 1. Iosephi altera opinio est, septuaginta annos, anno primo Cyri esse definitos. Primo, inquit, anno regni Cyri, qui fuit transmigrationis nostræ Babylonicæ septuagesimus, miseratus est Deus captiuitatem, & calamitatem ærumnosi illius populi, & sicut illis per Ieremiam Prophetam ante dirutam vrbem prędixerat, quod postquam seruierint Nabuchodonosori, eiusque posteris per annos 70. rursus eos restituturus esset in patriam, & ædificato tēplo redituri essent ad felicitatem pristinam, ita eis omnia præstitit, &c. Theodoret. quoque existimat annos 70. ab Ieremia prędictos in primo Cyri regis anno desinere. D. etiam Hieronymus Ieremię 29. idem censet. Nisi (inquit) septuaginta anni expleti fuerint Cyro rege Persarum laxante captiuos, nequaquam in patriam reuertemini, &c. Supra diximus Hieronymū 70. annos explere anno secundo Darij, nunc explet anno primo Cyri, nec repugnat sibi. Putauit enim 70. annos captiuitatis compleri anno primo Cyri, quo captiuitas soluta est, 70. verò annos desolationis templi anno secundo Darij, de desolatione enim templi manifestè loquitur in præfatione Aggæi, & Zachariæ 1. Eusebius quoque de desolatione templi loquitur, vt vidimus. Hactenus quid alij senserint explicauimus.

Theodoret. *D. Hieron.*

Mihi autem verisimile videtur, Ieremiam annos prædixisse, quibus Nabuchodonosor, posteriąue eius Chaldæorū regno potiti sunt. Etenim anno primo regni Nabuchodonosor, cùm regnare cœpit, de septuaginta annis vaticinatus est Ieremias, quasi diceret, imperium illius tunc incipere, septuaginta verò annos tantummodo in eius posteris permāsurum. Id significant verba illa: *Seruient omnes gentes istæ, regi Babylonis septuaginta annis*, regi, inquam, Babylonis, id est, Nabuchodonosori, posterisque eius, siquidem Nabuchodonosor non regnauit annis 70. ideoque illi soli non potuerunt seruire gentes annis 70. seruierunt tamen illi, posterisq; eius. Confirmatur hæc sententia ex eodem Ierem. qui similem in modum imperio Nabuchodonosoris & posterorum finem assignat: *Nunc itaque ego dedi omnes terras istas (ait Dominus) in manu Nabuchodonosor regis Babylonis serui mei, insuper & bestias agri dedi ei, vt seruiant illi, & seruient ei omnes gentes, & filio eius, & filio filij eius, donec veniat tempus terræ eius, & ipsius*, &c. Id est, donec euertatur imperium Chaldæorum, quod hoc cap. 25. dixit Dominus: *Seruient ei omnes gentes, & filio eius, & filio filij eius, donec euertatur imperium*, aliis verbis dixit cap. 27. *Seruient omnes gentes istæ regi Babylonis septuaginta annis, cumq; impleti fuerint septuaginta anni, visitabo super regem Babylonis, & super gentem illam*, &c. Id est, euertam imperium. Vnus locus alteri lucem affert, cùm ergo in hoc secundo definiat tempus regni Chaldęorum, definit etiam in primo, attribuens illi 70. annos, qui eo anno quo Ieremias primum de iis septuaginta annis vaticinium edidit, initium sumebant, anno quarto siue tertio Ioachim regis Iudę. Ieremias ipse apertis verbis initio capitis hoc ostendit: *Verbum*, inquit, *quod factum*

Ierem. 25.

Ierem. 27.

est ad Ieremiam, de omni populo Iudæ in anno quarto Ioachim filij Iosiæ regis Iuda, ipse est annus primus Nabuchodonosor regis Babylonis. Hæc Ieremias. Quorsum ille hoc loco annum primum Nabuchodonosoris regis Babylonis memorauit? videlicet, quia tempus imperij Babylonici ab eo anno supputare volebat eodem cap. 25. cùm dixit: *Seruient omnes gentes istæ, regi Babylonis septuaginta annis*, scilicet ab hoc anno, in quo editum est vaticinium, quarto Ioachimi. Præter hæc, huic opinioni fidem faciunt verba eiusdē Ieremię, quę supra retulimus ex Epistola ad trāsmigrationē missa: *Aedificate domos*, &c. *Quia hæc dicit Dominus, cū cœperint impleri in Babylone 70. anni, visitabo vos*, &c. Id est, cū in Babylonico imperio cœperint impleri 70. anni, quibus imperium ipsum stabit, ex captiuitate vos liberabo.

Efficitur ergo ex iis, annos 70. de quibus Ieremias est vaticinatus, incepisse ab eo anno, in quo primū de illis est vaticinatus (vt ratio postulat) non ab alio, is autem annus fuit tertius siue quartus Ioachimi, & primus Nabuchodonosoris, atque adeò initium horum annorum 70. ducēdum est à prima captiuitate, primo enim anno Nabuchodonosoris Ioachimus est captus, habemus initium annorum Ieremiæ.

Finis etiam perspicuus est ex ipsis Ieremię verbis: *Cum impleti*, inquit, *fuerint 70. anni, visitabo super regem Babylonis*, &c. Finis ergo septuaginta annorum fuit, cū Deus visitauit super regem Babylonis vltimum Balsasarem, Cyriąue regis Persarum opera, Chaldæorū imperio euersionem intulit. Initium septuaginta annorum fuit initium imperij Chaldæorum, finis 70. annorum fuit finis eiusdem imperij. Septuaginta enim annorum spatio stetit, vt Ieremias docet. Cœpit anno tertio Ioachim, euersum est à Cyro, post euersionem Iudæi libertatem sunt consecuti.

Babylonicū imperiū 70. annis stetit.

Quòd si quis opponat, Babylonicum imperium stetisse plus quàm 70. annos, ibimus inficias. Septuaginta enim annis stetisse, indicāt verba Ieremię, quæ omnes auctores sentētiæ huic aduersantes superāt. Hebręi prętерea in sua chronologia septuaginta tātum annos huic imperio tribuunt. Ex eodem Ieremia colligitur duos tantum reges habuisse Chaldaicum imperium, post Nabuchodonosorem. Verba iam supra citauimus ex cap. 27. *Dedi omnes terras istas in manu Nabuchodonosor regis Babylonis, serui mei*, &c. *Et seruient ei omnes gentes, & filio eius, & filio filij eius, donec veniat tempus terræ eius*, &c. Perspicuis verbis numerantur duo tantum reges, præter Nabuchodonosorē, quorum etiam, & non aliorum fit in sacris literis mentio, seruient ei, scilicet Nabuchodonosori, & filio eius, Euilmerodach, & filio filij eius, vel nepoti Balsasar, de Euilmerodacho fit mentio 4. Reg. vltimo, ex quo loco constāt illum successisse Nabuchodonosori, Balsasaris meminit Daniel.

Ierem. 27.

Tres Chaldæorū reges.

4. Reg. vlt.

Dan. 5. 7. 9.

Alij his tribus regibus addunt alios reges, sed illos Ieremiæ dicto adhærētes reiicimus. Nam si alij fuissent præter hos, Ieremias illos numerasset, vt scirēt Iudæi, quot reges ex Chaldæis supereſſent. Hebræi quoque hos tātum tres reges statuunt in Chronologia, qui 70. annos imperium administrarunt. Nabuchodonosor 25. annis, ij hoc modo ex sacris literis colliguntur. Nabuchodonosor octauo anno regni sui Iechoniam abduxit in Babylonicā captiuitatem, 4. Reg. 24. Euilmerodach Nabuchodonosori succes-

4. Reg. 24.

sit anno trigesimo septimo transmigrationis Iechoniæ, eo enim anno cœpit regnare, vt scribitur 4. Reg. 25. his verbis: *Factum est verò in anno 37. transmigrationis Ioachin regis Iudæ, mense duodecimo, 27. die mensis, sublenauit Euilmerodach rex Babylonis anno, quo regnare cœperat, caput Ioachin*, &c. Regnauit ergo Nabuchodonosor 37. annos post octauum annū, quo Ioachin in Babylonē transmigrauit. Si 37. annos cum 8. cōiungas, summā efficies 45. Euilmerodachi annos Scriptura nō sup-

4. Reg. 25.

A putat, Hebræi in sua Chronologia 23. illi tribuunt: Balsasaris annum tertium cōmemorat Daniel c. 8. nec plures quàm tres annos videtur regnasse. In Chronologia Hebræorum hæc habentur: *Nabuchodonosor 45. annos imperauit, Euilmerodach eius filius 23. Balsasar ex filio isto nepos 3.* &c. Si igitur summam annorum trium horum regum efficias, 70. annos reperies, quibus imperium durauit Chaldæorum. De iis 70. annis Ieremias est vaticinatus, iisq; definita est Iudæorum captiuitas. Nam imperij Chaldaici euersio Iudæis attulit libertatem. Chaldęi in captiuitatem abduxerunt, Persæ libertate illos donarunt.

Dan. 8.

Hebræorum Chronologia.

Refelletur prætерea hæc sententia, quòd ex ea sequatur Iudæorum regionem non fuisse desolatam B annis septuaginta, quod repugnat verbis initio citatis ex 2. Paral. *Cunctis diebus desolationis egit terra Sabbatū, donec implerentur 70. anni*, & ex Daniele. *Vt complerentur desolationis Ierusalem 70. anni*, &c. Appellat Daniel annos 70. desolationis, ergo per annos septuaginta desolata fuit Ierusalem. Respondemus, vrbis solitudinem durasse ab vndecimo anno Sedeciæ, quo diruta est, vsque ad euersionem imperij Chaldæorum. Nā euersio illius imperij, Ierusalem fuit exædificatio, quem in modum cùm in nobis dæmonis imperium euertitur, ciuitatis Dei ædificium extruitur: etenim, vt loquuntur Philosophi, corruptio vnius generatio est alterius. Si petas, quot anni inter desolationem, & Iudæorum reditum in patriam, interfluxerint? dico interfluxisse duos & quinquaginta. Anno enim C 19. Nabuchodonosoris diruta est vrbs, si igitur 18. annos ex summa annorum 70. qui à primo Nabuchodonosoris inchoantur, detrahas, restant 52. quibus Ierusalem deserta fuit, atque derelicta. Hebræi in sua Chronologia: *Quinquaginta*, inquiunt, *& duos annos post excidium Ierusalem, Israelitæ traduxerunt in regno Chaldæorum, & visitati sunt, ascenderuntq;*, &c. Verba libri Paralipom. non sunt intelligenda de desolatione, quæ per omnes septuaginta annos, sed per magnam illorum partem durarit. Cunctis enim diebus desolationis per annos 52. egit terra Sabbatum, nec est culta quousque complerentur septuaginta anni, & redirent eius cultores. Verba Danielis similiter D sunt explananda: *Vt complerētur desolationis Ierusalem 70. anni*, id est, vt complerentur 70. anni, in quibus, quāuis non in omnibus, sed in maiori parte, Ierusalem fuit deserta, vel: *Vt complerentur desolationis Ierusalem 70. anni*, id est, vt complerentur 70. anni, & simul cum illis desolatio compleretur ciuitatis.

2. Par. 36. Dan. 9.

Hebræorum Chronologia.

Restant Zachariæ verba iam citata, apud quem afferit Angelus anno secundo Darij annos 70. fuisse expletos: *Iste*, inquit, *septuagesimus annus est*, nos verò dicimus anno primo Cyri ad finem peruenisse. Respondemus, verba Angeli per interrogationem legenda, quomodo Biblia Louanienſia efferunt: *Domine exercituum*, ait Angelus, *vsque quo tu non misereris Ierusalem, & vrbium Iuda, quibus iratus es? iste septuagesimus annus est?* quasi dicat, iste ne est septuagesimus annus, quo promiseras Iudæos reuersuros in patriam, & Ierusalem exędificandam? hęc ne promissa sunt illius anni septuagesimi? Secundo modo dici potest, Angelum significasse finem captiuitatis ab anno septuagesimo, quo prædictus fuerat. Quasi diceret, *iste iam septuagesimus annus est*, hoc est, iam diu finis captiuitatis aduenit, iste iam libertatis annus est. Tertiò exponit Genebrard. li. 2. Chronol. his verbis: Angelus precatur pro Ierusalē & Iuda, quibus, inquit, ô Domine iratus es, his septuaginta annis iā dudū exactis. Sic enim locus debet intelligi. Nam 70. captiuitatis anni iam pridem finierant, nempe imperij Cyri principio. Hęc ille. Quartò respondebitur, Zacharię septuaginta annos diuersos esse ab annis Ieremiæ, quæ est opinio Theodoreti Dan. 9. septuaginta

Zach. 1.

Verba Angeli Zachar. 1. exponuntur.

Theodoret.

annos

annos Ieremiæ (vt nos fecimus) à tertio anno Ioachim, vsque ad Cyrum numerat, septuaginta annos Zachariæ, ab euersione Ierusalem, vsque ad Darij annum secundum supputat. Ieremias, inquit, & Esdras à primæ captiuitatis initio numerantes, iure vsque ad Cyrum septuaginta definiunt annos, sed Zacharias à nouissima obsidione, qua funditus interiere numerans, septuaginta annorum numerum Dario regnante expleri asseruit. Hæc ille. Quod si obiicias, non tot annos numerari posse ab excidio Ierusalem, & templi, vsque ad secundum Darij annum, inficiabitur, qui sic respondebit. Nam euersa Ierusalē est anno 19. Nabuchodonosor, vt diximus: is autem regnauit annos 45. sublatis ergo 18. annis restant 27. post Nabuchodonosorem regnauit Euilmerodach 23. annos, post hunc Baltassar 3. post deuictos Babylonios Cyrus septem, Xenophon enim lib. 8. de Pædia Cyri, anno imperij septimo scribit obiisse, Cambyses octo, adde duos Darij, effeceris 70. Eusebius in Chronico aliter numerat, ab excidio vrbis Ierusalem, vsque ad Cyrum annos 30. à Cyro vsque ad 2. annum Darij 40 qui efficiunt summam annorum 70. at iam ostendimus ab euersione vrbis, vsque ad Cyrum plures quàm 30. fuisse annos.

Xenophon. *Eusebius.*

Ex dictis colliges Iudæos, qui cum Sedecia capti sunt, in Babylonica fuisse captiuitate per annos 52. vsque ad Cyrum, vt Hebræi volunt, in Chronolo. Difficultatem pariunt non leuem verba epistolæ scriptæ ab Ieremia ad Iudæos, Baruch 6. *Ingressi*, inquit, *Babylonem eritis ibi annis plurimis, & temporibus longis, vsque ad generationes 7. post hoc autem educam vos.* Expedietur difficultas, si verba sic explicentur: Eritis in Babylonia annis plurimis, & temporibus longis, id est, annis plus quàm 50. vsq; ad generationes 7. hoc est, multas, numerus enim septenarius pro multitudine sumitur, vnde in Cantico Annæ matris Samuelis, quo loco nostra versio sic habet: *Donec sterilis peperit plurimos*, hebraica lectio habet: *Donec sterilis peperit sibgah*, id est, septem, quocirca 70. interpretes vertūt, ἑπτὰ ἔτεκεν, id est, peperit septem, & Leuitici. *Corripiam vos septem plagis*, id est, multis; *addam correptiones vestras septuplum*, id est, sæpè. Prouerb. *Septies in die cadit iustus*, id est, sæpe. Significat ergo septem generationes, multas generationes, quas ego in hunc sensum censeo explicandas. Eritis ibi vsq; ad generationes multas, id est, filios multos ibi generabitis, non statim reuertemini, multæ in Babylonia filiorū generationes erunt, prius quàm in patriam reuocemini. Consentit hic sensus cum verbis alterius epistolæ eiusdem Ieremiæ ad eosdem missæ. *Accipite vxores, & generate filios, & filias, & date filiis vestris vxores, & filias vestras date viris, & pariant filios, & filias, & multiplicamini ibi*, id est, in Babylonia, *& nolite esse pauci numero*, &c. Aliter quoque dici potest, Ieremiam generationē hoc loco pro spatio decem annorum sumpsisse, in hanc sententiam: *Eritis ibi vsque ad generationes septem*, id est, vsq; ad 70. annos satis vobis notos: nam septem generationes, id est, septem decades annorum, 70 annos efficiunt, & hic germanus sensus videtur, & facilis.

Baruch. 6. *Verba Ieremiæ exponuntur.* *Leuit. 26.* *Prou. 24.* *Ierem. 29.*

Hæc de iis essent satis, si certa esset antiqui temporis Chronologia, sed ea adeò apud scriptores est incerta, vt non careat etiam probabilitate sententia Iosephi, qui l. 10. antiquit. c. 11. septuaginta annos ab euersione vrbis numerat, vsque ad libertatē Iudæis anno 1. Cyri concessam. & lib. 2. contra Appionem: Contigit, inquit, ciuitatem Ierusalem desolari annis 70. vsque ad Cyrum, &c. Hegesippus l. 2. cap. 13. Septuaginta, ait, annis post templum exustum, in captiuitate fuit populus, &c. Abulensis item episcopus 4. Reg. c. 25. quæst. 10. Man sit terra omnino deserta per omnes 70. annos, quibus manserunt Iudæi in Babylone, &c. Sed qui velit hanc tueri opinionem, dicat

Iosephus. *Hegesippus.*

necesse est, Euilmerodachum, & Baltassarem regnasse annos 43. qui simul cum 27. Nabuchodonosoris, summam efficiant 70. annorum, nisi velit duos alios reges addere, quos Berosus addit apud Iosephū libro 1. contra Appionem, scribit enim post Euilmerodachum regnasse quēdam Niriglissiorooré, huic successisse filium nomine Laborosardochum, hos secutum Nabonidum vltimum Babyloniorum Regem, qui dicitur esse Baltassar, sed quemadmodum in iis, quæ de Nabonido scripsit, à veritate aberrauit, ita etiam in numero regum aberrare potuit. Nabonidum enim, ait, à Cyro victum extra Babylonē, neque interfectum, sed in carmina viuere permissum. At Daniel apertè docet Baltassarem vltimum Babyloniorum Regem in expugnatione Babylonis interfectum.

Reges Chaldæorum.

Tertia Tessaradecas.

CAPVT XVIII.

De Iechonia, Salathiele, Zorobabele, & libertate Iudæis à Cyro concessa.

SEcunda Tessaradecas in captiuitate populi desinit, hæc tertia populum è duplici captiuitate liberat, à libertate incipit, quam Cyrus Iudæis concessit, in libertate desinit, quam verus Messias toti orbi attulit. Post transmigrationem Babylonis, ait Euangelista, Iechonias genuit Salathiel, &c. Iechonias hic diuersus ab illo est, de quo idē Euangelista in fine tessaradecadis 2. dixit: Iosias genuit Iechoniā & fratres eius, vt Hieron. docet Matthæi primo. Iechonias ille filius fuit Iosiæ, & pater huius secundi, ille Ioachimus à nobis dicitur, hic Ioachinus: ille sepultura asini, vt Ieremias prædixerat, sepultus est, hic Babylonem à Nabuchodonosor, cum matre, vxoribus, & viris principibus, translatus.

D. Hieron.

Quòd verò duo sint progenitores hoc nomine à Matthæo dicti probatur, quia si vnus tantum atque idem sit genitor, vel in secunda tessaradecade, vel in tertia vna deerit generatio. Si Iechonias secundæ adnumeretur, 14 habebit generationes, sed tertia habebit tantum tredecim, si contra adnumeretur tertiæ tessaradecas secunda, tredecim, non 14. progenitores, continebit, at Euangelista affirmat quatuordecim in vtraque numerandos. *A Dauid*, inquit, *vsque ad transmigrationem Babylonis generationes quatuordecim, & à transmigratione Babylonis vsque ad Christum generationes* 14. &c. Probatur præterea, quia prior Iechonias dicitur habuisse fratres: *Iosias*, inquit, *genuit Iechoniam, & fratres eius*, nempe dignitate regia claros, & notos, Ioachaz, & Sedeciam: at posterior hic Iechonias nō habuit huiusmodi fratres, sed vnum tantum, eumq; minimè in Scriptura celebrem, qui Paral. lib. 1. c. 3. Sedecias appellatur. D. Chrys. putat eundē esse Iechoniam prioris & posterioris Tessaradecadis, locū verò vnius generationis, tempus captiuitatis subire, sententiam tamen Hieronymi sequimur.

Translatus est Iechonias hic, vt diximus, cum matre & vxoribus Babylonem, coniectusque à Nabuchodonosore in carcerem, ex carcere à filio Nabuchodonosoris Euilmerodacho, anno illo quo regnare cœpit eductus, & ad summum honorem euectus. *Factum est verò in anno 37. transmigrationis Ioachin, regis Iudæ, mense 12. 27. die mēsis subleuauit Euilmerodach Rex Babylonis, anno, quo regnare cœperat, caput Ioachin, regis Iuda de carcere, & locutus est ei benignè, & posuit thronum eius super thronum regum, qui erant cum eo in Babylone, & mutauit vestes eius, quas habuerat in carcere, & comedebat panem semper in cōspectu eius, cunctis diebus vitæ suæ*, &c.

Iechoniam Euilmerodach è carcere eduxit & magno honore affecit. *4. Reg. vlt.*

Comeſtor. Huius honoris cauſam Comeſtor in hiſtoria libri Dan.c.5.his verbis reddit: Tradunt,inquit,quidam, quod Euilmerodach in diebus eiectionis paternæ, multa egit impiè in terra, & patre reſtituto accuſatus apud eum, miſſus eſt in carcerem, vbi Ioachim erat, cumq; regnare cœpiſſet,eleuauit Ioachim,quẽ ſocium habuerat in carcere. timenſq; ne reſurgeret pater Nabuchodonoſor,qui de beſtia redierat in hominem,conſuluit Ioachim,ad cuius conſiliũ cadauer patris effoſſum,diuiſit in 300.partes, & dedit eas 300.vulturibus,& ait ad eum Ioachim, non reſurget pater tuus,niſi redeant vultures in vnũ. Hæc Comeſtor.Eadem ſcribit Lyranus,& Epiſc.Abulenſis 4.Reg.c.vlt. Dionyſius itẽ Carthuſianus & Cardinalis Hugo Iſaiæ 14.Hebræi in chronologia aiunt, Euilmerodach Nabuchod. è ſepulchro extraxiſſe, & raptaſſe,quo ipſius decreta aboleret, vt impleretur vaticinium Iſa.14.*Tu proiectus es de ſepulchro tuo,quaſi ſtirps inutilis*.D.Hierony.in hunc Iſaiæ locum, fabulã appellat.Narrant,inquit,Hebræi huiuſmodi fabulã; Euilmerodach, qui patre ſuo Nabuchodonoſor viuente per ſeptem annos inter beſtias,ante regnauerat,poſtquam ille reſtitutus in regno eſt, vſque ad mortem patris cũ Ioachim rege in vinculis fuit.quo mortuo,cum rurſus in regnum ſuccederet, & non ſuſciperetur à principibus,qui metuebant, ne viueret Nabuchodonoſor,qui dicebatur extinctus, vt fidẽ patris mortui faceret,aperuit ſepulchrum,& cadauer eius vnco & funibus traxit,&c. Certè fabulã hæc ſapiunt. honor Iechoniæ obedientiæ remuneratio fuit,quod Ieremiæ conſilio, & imperio Dei,vt ciuitatem ſeruaret,Babyloniis ſe tradiderat.Id conſilium dedit etiam Ieremias Sedeciæ. *Hæc dicit Dominus*,&c. *Si profectus exieris ad principes regis Babylonis, viuet anima tua,& ciuitas hæc non ſuccendetur igni , & ſaluus eris tu & domus tua*,&c.Non paruit conſilio Sedecias, idcirco periit,paruit Iechonias,idcirco vixit, & honore affectus eſt. Ille illiuſque ſectatores cum ficis valde malis,hic eiuſque tranſmigrationis ſocij,cum ficis valde bonis ſunt comparati . *Hæc dicit Dominus Deus Iſraël,ſicut ficus hæ bonæ,ſic cognoſcam tranſmigrationem Iudæ,quam emiſi de loco iſto in terram Chaldæorum in bonum, & ponam oculos meos ſuper eos ad placandum,& reducam eos in terram hanc*,&c. Iechoniam non reduxit in Iudæã, quia ante libertatem conceſſam obiit.At ab Euilmerodacho,poſt diuturnum 37.annorum carcerem expurgatis veluti purgatorio carcere flagitiis, honoribus ornari voluit.Siue in carcere, ſiue poſt carcerẽ, in Babylonia Salathielem genuit,habuit ille multos filios,vt conſtat 1.Paral.3.hunc Salathielem,vt Matthæus ait,genuit poſt tranſmigrationem Babylonis, in ipſa Babylonia.Salathiel autem in eadem regione genuit Zorobabelem.is princeps fuit, & doctor Iudæorum,qui libertate à Cyro donati in Iudæam reuerſi ſunt. Petit igitur locus,vt de hac libertate Iudæis à Cyro data nonnulla verba faciamus.

Euilmerodach dicitur patris Nabuchodonoſoris cadauer in 300 partes diuiſiſſe.& vulturibus abiecisſe. Iſaiæ 14.

Obedientiæ præmium. Ierem 38.

Ierem.24.

Salathielem genuit Iechonias in Babylonia,& Salathiel Zorobabelem.

Ieremias fuerat vaticinatus,Babylonicum imperium Nabuchodonoſor, eiuſque filius Euilmerodach,& filius filij eius Baltaſſar 70.annorum ſpatio adminiſtrarunt. Baltaſſarem extremum trium regum Darius Medus regno priuauit , vt docet Daniel. Antequam eo priuaretur,mirandum illi viſum Deus obiecit . cùm enim in celeberrimo conuiuio cum viris Babylonici imperij principibus diſcumberet, ſacriſque templi vaſis veluti profanis abuteretur,ecce ſubito manum in pariete ſcribentem tria horrenda verba cernit, *Mane,Techel,Phares*, quæ Daniel ſic eſt interpretatus: *Mane, numerauit Deus regnum tuum,& compleuit illud, Techel,appenſus es in ſtatera, & inuentus es minus habens; Phares, diuiſum eſt regnum tuum , & datum eſt Medis & Perſis*. Eadem itaque nocte (vt idem Daniel ſcribit eodem cap. interfectus eſt Baltaſſar rex Chaldæus,& Darius Medus ſucceſſit in regno annos natus ſexaginta duos.

Ierem.27.

De libertate Iudæis data tempore Zorobabelis. Dan.5.

Hic Darius Medorum,Perſarum,Babyloniorumque rex, Babylonico imperio expugnato in Mediã reuerſus,vt ait Hieronym. Dan.6. & Ioſephus lib. 10.antiq.c.12.Danielem ſecum duxit,in ſummoque honore habuit. Nam ex tribus principibus, qui imperio ſumma cum poteſtate præerant, Daniel vnus erat,imò vniuerſi regni clauum Rex illi tradere cogitabat.Dan.6.*Placuit Dario, & conſtituit ſuper regnum ſatrapas centum 20. vt eſſent in toto regno ſuo, & ſuper eos principes tres,ex quibus Daniel vnus erat,vt ſatrapæ illis redderent rationem,& rex non ſuſtineret moleſtiam. ita igitur Daniel ſuperabat omnes principes, & ſatrapas, quia ſpiritus Dei amplior erat in illo . Porrò rex cogitabat conſtituere illum ſuper omne regnum*,&c.Honor tantus inuidiam magnam Danieli conflauit . Itaque quod aduerſus regis decretum Deo ſupplicaſſet,ab æmulis accuſatur,chariſſimum ſibi virum in lacum leonum iniicere Rex inuitus cogitur. inde tamen ſaluus & incolumis egreſſus ipſe eſt, aduerſarij verò in eundem lacum iuſſu regis præcipitati, & mox à leonibus deuorati,in foueã, quam fecerant,inciderunt.

Imperium Babylonicũ euerſum.

Darius Medus imperiũ obtinuit,& Danielem magno in honore habuit. D.Hieron. Ioſephus. Dan. 6.

Daniel bis immiſſus eſt in lacum leonum.

Aduerte autem hoc loco,Danielem bis in lacum leonum fuiſſe immiſſum. Ob principum inuidiam coniectus eſt in Media, Dario regnante . Iam ante coniectus ſemel fuerat,vt aliqui ſentiunt,in Babylonia,quod Belis idolum, templumque euertiſſet, & draconem,quem Babylonij venerabantur, occidiſſet.Quis autem tunc Rex Babylone imperaret , dubium eſt,imperaſſe Euilmerodachum filium Nabuchodonoſoris, vel Baltaſſarẽ ſentiunt Lyranus,Carthuſianus,& alij.iuxta quam ſententiam,hæc in Babylonia fuit prior in lacũ Danielis immiſſio, quamuis cap.vlt. Danielis deſcribatur, illa altera ſub Dario in Media poſterior fuit,etſi priori loco nimirum Dan.c.6. commemoratur. Verumtamen ex fine c. 13. Danielis probatur Babylonicam immiſsionem in lacum fuiſſe poſteriorem,regnante ſcilicet Cyro. in fine enim 13.c. dicitur Cyrus ſuſcepiſſe regnum Aſtyagis,deinde ſequitur initio ſequentis c.14. *Erat autem Daniel conuiua regis*,ſcilicet Cyri,quem ſupra dixerat ſucceſſiſſe Aſtyagi.Is autem rex, cuius cõuiua erat,coactus eſt à populo Danielem leonibus obijcere;ergo à Cyro eſt obiectus,ac proinde poſterior fuit hæc in lacum immiſſio. altera enim tempore fuit Darij Medi,hæc Cyri.Neque enim dicendum eſt,illam clauſulam c.13. præpoſterè, & ſine ordine & cauſa eo loco poſitam,ſed vt indicaret,quis rex Danielem in lacum leonum immiſerat;ſiquidem tempus hiſtoriæ Suſannæ indicare non poteſt:erat enim tunc Daniel puer iunior,vt eodem 13.c.dicitur. Cũ verò Cyrus ſucceſſit Aſtyagi,ſenex erat . Obiicitur huic opinioni:Abacuc,qui prãdium Danieli attulit, vaticinatum ante captiuitatem,nec potuiſſe tamdiu viuere,vt ad Cyri imperium peruenirent.Reſpondetur,Abacuc vaticinatum ante Sedechiæ captiuitatẽ, quæ 52 durauit annos,vt diximus, atque adeò potuiſſe natum ſeptuaginta quinque vel octoginta annos,ad Cyri tempora peruenire.

Dan.6.

Dan.13.

Eiuſdem Darij, qui Babylonio Baltazari ſucceſſit anno primo, intellexit Daniel compleri annos 70 ab Ieremia prædictos,precatuſque Deum eſt in ieiunio,ſacco,& cinere,Dan.9.vt populi ſui calamitates miſeratus, captiuitatis longæ vincula iam ſolueret. Gabriel Angelus aſtitit precanti, præclariſſimumq; de ſeptuaginta hebdomadibus vaticinium tunc ſuggeſſit,quod lib.3.c.9.explicauimus.

Dan 9. Darij anno primo Daniel vaticinium accepit 70 hebdomadarum.

Babylonem non Darius ſolus, ſed ſimul cum illo Cyrus expugnauit,Daniel verò ſolius meminit Darij,quod belli caput & rex fuerit,cui parebat Cyrus. Hieron.Dan.5.quod,inquit,vincẽte Cyro rege Perſarum,

ſarum,& Dario rege Medorum,ſolus Darius ſucceſ- A litum Medorum,imperium ad Perſas tranſtuliſſe.
ſiſſe in regno ſcribitur,ordo ætatis, & propinquita- *Quot annis regnauerit Darius Medus.*
Quis fuerit Darius Medus. tis,& regni eſt. Darius enim 62. annorum erat, & maius regnum Medorum quàm Perſarũ legimus, & auunculus,qui prior erat iure naturæ, ſucceſſor regni debuit numerari.Hæc ille

Quis fuerit hic Darius,dubitatur; omiſſis alijs, reſpondet Ioſephus lib.10. antiq.c.12. Aſtyagis fuiſſe *Ioſephus. D.Hieron.* filium.D.item Hieron.Dan.8.Aſtyagis fuiſſe filium, & Cyri auunculum;quem Græci Cyaxarem vocãt. Fuit autem Aſtyages Cyri auus maternus, præter alios docet Hieron.eodem loco, hęc recepta opinio eſt;alij nonnulli, vt idem Hieron. refert Dan.5.Darium Aſtyagem eſſe Cyri auum putauerunt. Hunc, ait,Darium in græcis voluminib. quidã Aſtyagem, B alij Aſtyagis filiũ putãt,&c.Genebrard.li.2. Chronoligiæ,Cyri ſocerũ ex Hebræorũ opinione facit.

Dubitatur præterea, an Cyrus rex iã eſſet Perſarum,quo tempore ſimul cum Dario bellum Baby- *D Hieron. An Cyrus rex fuerit Perſarũ, quo tempore Babylonem cum Dario cepit. Xenophon.* lonijs intulit?D.Hieron.Dan.5.regem Perſarum appellat. Vincente,inquit,Cyro rege Perſarum,& Dario rege Medorũ,ſolus Darius ſucceſſiſſe in regno ſcribitur,&c.Cyrum tunc temporis fuiſſe cenſet regem Perſarum,Darium,ſiue Cyaxarem regem Medorũ, quorũ regnũ amplius erat.idem probatur ex Xenophonte,li.enim 1.de Pædia Cyri ſcribit,patrẽ Cyri fuiſſe Cambyſem regem Perſarum:Cyrus, inquit,natus eſt patre Cambyſe rege Perſarum,matre verò Mandane,quæ nata eſt patre Aſtyage,&c.Si fi- C lius erat regis Perſarum,ergo poſt patris mortẽ rex erat Perſarum. At verò Darium fuiſſe non ſolũ Medorum,ſed Perſarum etiam regem ex c 6.Dan.pro- *Dan.6.* batur,in quo poſt expugnatam Babylonem Darius legem tulit Medis,Perſisque ſeruandam, vt illa magiſtratuum verba indicant:*Nunc itaque rex confirma ſententiam,& ſcribe decretum,vt non immutetur, quod ſtatutum eſt à Medis,atque Perſis.*70.interpretes vertunt,*vt immutetur decretum Perſarum.& Medorum.*& illa quoque.*Scito rex,quia lex Medorum eſt,atque Perſarum,vt omne decretum,quod conſtituerit rex,non liceat immutari.*Si Perſarum rex non erat,quorſum illorum mentio fit? Præterea eodem c.6.dicitur Darius centum 20.ſatrapas ſuper regnum ſuum conſtituiſſe, videlicet ſuper centum D 20.prouincias,tot autem prouincię non ad vnũ tantum Medorum, ſed ad vtrumque Medorũ & Perſarum regnum videntur pertinuiſſe,Reſpondemus, Darium fuiſſe regem Medorum, atque Perſarum. Cyrum verò Perſis imperaſſe ſub Darij imperio: parebant enim tam Perſæ, quàm ipſe Perſarum rex Cyrus Dario.ſimiliter Cambyſes pater, ſi rex fuit Perſarũ, vt ait Xenophon(nam Herodot.l.1.hominem tantum modo fuiſſe docet Perſam, bona familia ortum)regis Medorum Aſtyagis poteſtati ſubiectus fuit.*D.Hieron.* D.Hieron.Dan.8.non ſolùm Perſis,ſed etiã Medis,Cyrum cũ Dario imperaſſe ſcribit:*Cyrus,* inquit,*poſt Aſtyagem auum maternum,cum auunculo Dario,quẽ Græci Cyaxarem vocant,Medis imperauit & Perſis,*&c.cum E auũculo,inquã,imperauit,& ſub imperio auunculi.

Verùm repugnant ijs, verba extrema c.13.Dan. *Dan.13.* *Rex Aſtyages appoſitus eſt ad patres ſuos,& ſuſcepit Cyrus Perſes regnum eius,* &c. Si Aſtyagis vita functi regnum, Cyrus veluti hæreditarium accepit, ſanè non imperabat Darius Medis,quibus imperauerat Aſtyages, ſed Cyrus,at ex Dan.6.liquet Darium Medis imperaſſe. Reſpõdetur,hunc Aſtyagem, cuius imperium Cyrus ſuſcepit,non eſſe Cyri auum,ſed auunculum Darium,ſiue Cyaxarem,qui etiam Aſtyages patris nomine appellatur.Nam Cyrus huius vita functi imperium ſuſcepit,vt eſt compertum. Theodore- *Theodoret.* tus Dan.13.ait Aſtyage vita functo, cum Cyaxares illius filius regnum adminiſtrare non potuiſſet,Cyrum Aſſyriorum Chaldęorumque regnum demo-

Quot annos regnauerit Darius poſt captam Babylonem nõ eſt compertũ.Dan.9. primi tantũ eius anni meminit: *In anno,*inquit, *primo Darij filij Aſſueri de Semine Medorum,qui imperauit ſuper regnum Chaldæorum, anno vno regni eius,*&c.Videtur ergo vno tantùm anno Chaldæis imperaſſe,idque confirmatur,quia Iudæi libertate donati ſunt à Cyro, anno illo, quo euerſa eſt Babylon,quia tunc 70. anni Chaldaici imperij ſunt expleti, ergo Cyrus eo anno Dario mortuo Monarchiam obtinuit.vnde verba illa eiuſdem Cyri anno imperij primo. *Omnia regna terræ dedit mihi Dominus Deus cœli,*&c. *2.Par.36.*

Itaque anno primo Cyri Perſarum regis,poſt Darij obitum, exactis ſeptuaginta imperij Babylonici in Nabuchodonoſore, eiuſque poſteris Euilmerodach, & Balſaſar annis, facultas à Cyro Iudæis data eſt,in patriam reuertendi,templumq; Hieroſolymitanum exædificandi, vt ſcribit Eſdr. *In anno,*inquit, *1.Eſdr.1. Cyrus Rex adepta monarchia Iudæos in patriam liberos abire permittit.* *primo Cyri regis Perſarum,vt compleretur verbum Domini ex ore Ieremiæ.ſuſcitauit Dominus ſpiritum Cyri Regis Perſarum, & traduxit vocẽ in omni regno ſuo,etiã per ſcripturã,dicẽs: Hæc dicit Cyrus Rex Perſarũ: Omnia Regna terræ dedit mihi Dominus Deus cœli,& ipſe præcepit mihi,vt ædificarem ei domũ in Ieruſalẽ,quæ eſt in Iudæa. Quis eſt in vobis de vniuerſo populo eius? ſit Deus illius cũ ipſo,aſcendat in Ieruſalẽ quæ eſt in Iudæa,& ædificet domũ Domini Dei Iſraël,ipſe eſt Deus,qui eſt in Ieruſalẽ.*

Hæc Cyri facultas,cuius auctorem fuiſſe Danielẽ, *Theodoret.* ait Theodoretus in commentarijs extremi capitis Danielis: Daniel, inquit, quæ in Cyrum à Deo per Iſaiam prædicta fuerant, oſtendit, & ei dimittendi populi auctor fuit.Hæc ille. & capite Danielis 1.Da- *Daniel Cyro Regi Iſaiæ de ipſo Cyro vaticinium oſtendit.* niel,inquit, captiuos à Cyro dimiſſos conſpexit, & præſentem vitam tribulium ſuorum libertate, quã ipſe vidit,conſolatus eſt,& ab ipſo Cyrus Iſaiæ prędictionem eſt perdoctus. Iſaiæ autem prædictio extat cap.44. *Dico Ieruſalem habitaberis(ait Dominus)& ciuitatibus Iudæ ædificabimini,qui dico Cyro meo paſtor meus,& omnem voluntatem meam complebis.*& 45.*Hæc dicit Dominus Chriſto meo Cyro,cuius apprehendi dexteram,vt ſubiiciam ante faciem eius gentes, & dorſa regum vertam, & aperiam coram eo ianuas,& portæ non claudentur, ego ante tè ibo, & glorioſos terræ humiliabo, portas æreas conteram,& vectes ferreos confringam,& dabo tibi theſauros abſconditos,*&c. His per- *Theodoret.* ceptis, ait Theodoretus, Cyrus volentibus Iudæis, *Ioſephus* reditum in patriam gratificatus eſt. Ioſephus quo- *l.10.antiq.* que.Cyrum ſcribit Iſaiam legiſſe,eiuſque verbis ad *c.1.* donandam Iudęis libertatem permotum:verbis,inquit,Iſaiæ lectis,Cyrus admiratus vatis diuinitatem, correptus eſt cupiditate exequendi, quæ ſcripta legerat, conuocatiſque clarioribus Iudæis, ait ſe illis permittere,vt proficiſcantur in patriam,vrbemque & templum ædificent. Hæc Ioſephus.

Facultate accepta duce Zorobabele, ſummoque ſacerdote Ioſue filio Ioſedec, Iudæi in patriam reuerſi, altare Deo extruxerunt, templique iecerunt fundamenta.A vicinis verò gentibus,& Rege Cambyſe, qui Cyro ſucceſſit,ædificare prohibiti, ad ſecundum vſque Darij Hyſtaſpis filij annum,ab opere deſtiterunt. *Intermiſſum eſt opus domus Domini in Ieruſalem, & non fiebat vſque ad annum ſecundum regni Darij Regis Perſarum,* &c. Etenim poſtquam è vita migrauit Cambyſes,Perſarum regnum adeptus eſt Darius, cuius anno ſecundo templi ædificatio progreſſionem fecit, eoque fauente ſexto anno perfecta eſt. *Compleuerunt domum Dei iſtam, vſque ad diem tertium menſis Adar, qui eſt annus ſextus Darij Regis,*&c. Hoc appellatur templum ſecundum, primum Salomonicum fuit. de ſecundo ſcribit Eccleſiaſticus: *Quomodo amplificemus Zorobabel? nam & ipſe quaſi ſignum in dextera manu,& Ieſum filium Ioſedec, qui in diebus ſuis ædificauerunt domũ,& exaltauerunt templum ſanctũ Domino,*&c.

1.Eſdr.4. Zorobabel, & Ioſue filius Ioſedech pontifex, & Iudæi alij in patriã reuerſi templũ ſecundum extruxerunt. *1.Eſdr.6.* *Eccl.49.*

Zach. 4. Et Zacharias: *Manus Zorobabel fundauerunt domum istam, & manus eius perficient eam*, &c. Dicitur autem Ioannis capite secundo, templum hoc à Iudæis 46. annis ædificatum, propter illam operis intermissionem, quod anno secundo Cyri fundamenta posita, Dario verò regnante templum perfectum fuerit, qua de re eo Ioannis loco dicendum.

Post Zorobabelem, septimo Artaxerxis Longimani anno, è Babylone cum multis aliis Iudæis Esdras sacerdos in Ieruſalem rediit, magnumque religioni adiumentum attulit. Post Esdram eiusdem Artaxerxis Longimani anno 20. facultate à Rege impetrata, in Iudæam venit Nehemias, muroſque Ieruſalem, quos Chaldæi euerterant, vt 2. libro Esdræ memoriæ proditum est, extruxit. An vrbem quoque, id est, domos extruxerit? dubitatur. nam in libro Esdræ de murorum ædificatione agitur. dicendum tamen est non solùm muros, sed etiam multa alia ædificia construxisse. quod probatur, quia Nehemias facultatem petit à rege ad ædificandam vrbem: *Si videtur*, inquit, *regi bonum, & si placet seruus tuus ante faciem tuam, postulo, vt mittas me in Iudæam ad ciuitatem sepulchri patris mei, & ædificabo eam*, &c. Præterea, quia Eccleſiasticus domorum quoque ædificationē illi tribuit: *Nehemias*, inquit, *in memoria multi temporis, qui erexit nobis muros euersos, & stare fecit portas, & seras, qui erexit domos nostras*, &c. Et 2. Esdr. *Ciuitas erat lata nimis & grandis, & populus paruus in medio eius, & non erant domus ædificatæ*, &c. Nehemias igitur domos ædificauit, in ciuitatemque Ieruſalem habitatores duxit, lege 2. Esdræ 11. Ab hoc vigesimo Artaxerxis anno, quo facultas extruendæ vrbis Nehemiæ data est, Africanus, Chryſostomus, & multi alij septuaginta Danielis hebdomadas incipiunt numerare, propter illa verba Angeli: *Ab exitu sermonis, vt iterum ædificetur Ieruſalem, vsque ad Christum ducem hebdomades septem, & hebdomades sexaginta duæ erunt*, &c. Anno autem 20. Artaxerxis exijt sermo à Rege, id est, facultas, vt iterum euersa Ieruſalem ædificaretur. Hunc igitur in modum Iudæi libertatem nacti sunt, ab exilioque Babylonico duce Zorobabele Salathielis filio, & Iechoniæ nepote redierunt. De hoc Salathiele, & Zorobabele, scribit Matthæus, *post transmigrationem Babylonis*, id est, postquam Iudæi in Babyloniam transmigrarunt, in ipſa Babylonia *Iechonias Rex genuit Salathiel, Salathiel autem genuit Zorobabel.*

1. Esd. 7. Esdras è Babylone venit Ieroſolymam post eum venit etiam Nehemias.

2. Esd. 2.

Eccl. 49.

2. Esdr. 7.

Hebdomades Danielis vnde sumant initium.

Duplex exiſtit hoc loco dubitatio, prior ex verbis Ieremię ducitur: *Terra*, inquit, *terra, terra, audi sermonem Domini; hæc dicit Dominus, scribe virum istum sterilem, qui in diebus suis non proſperabitur: nec enim erit de semine eius vir, qui sedeat super solium Dauid, & poteſtatem habeat vltra in Iuda.* Hæc Ieremias. ſterilis igitur fuit Iechonias, nec filium habuit, nec Salathielem genuit. Negamus fuiſſe ſterilem, etenim poſt hoc Ieremiæ vaticinium, in Babylonia Salatielem genuit. Sterilis autem dicitur, quod ex illius filiis nullus regno eſſet potiturus, vt ipſe diuinus ſermo indicat.

Ierem. 22.

Vrgebis, Zorobabel de ſemine fuit Iechoniæ, & poteſtatem habuit in Iuda, fuit enim dux populi, quomodo ergo verum illud eſt; *Nec erit de ſemine eius vir, qui ſedeat ſuper ſolium Dauid, & poteſtatem habeat vltra in Iuda?* Reſpondemus, ſemen ſignificare hoc loco filios, non nepotes, Zorobabel autem nepos fuit Iechoniæ, non filius, nullus autem de filiis Iechoniæ Rex aut dux fuit. Vel aliter dicendum, nomen poteſtatis, ſignificare poteſtatem Regiam, quam nullus ex filiis, vel nepotibus Iechoniæ habuit in Iuda.

1. Paral. 3. Poſterior dubitatio ex lib. 1. Paralip. cap. 3. depromitur. eo namque capite dicitur Zorobabel filius Phadaiæ, fratris Salathielis: non ergo Salathiel genuit Zorobabel, vt ait Matthæus. Reſpondemus cum Epiſcopo Abulenſi, & Cardinali Caietano, Matthæi Zorobabelem diuerſum eſſe ab eo, cuius mentio fit lib. 1. Paralip. ille filius eſt Phadaiæ, hic de quo Matthæus, Aggęus, Zacharias, & Eſdras loquũtur, filius fuit Salathielis.

Abulenſis. Caiet.

CAPVT XIX.

De Abiud Zorobabelis filio, cæteriſque tertiæ Teſſaradecadis progenitoribus.

DE Abiud cæteriſque huius Teſſaradecadis tertię progenitoribus, præter ſanctiſſimum virũ Ioſeph, nihil eſt, quod dicamus. Eorũ enim geſta nuſquam diuinæ literæ eommemorarunt. Illud tantùm hoc loco obſeruandum, Iudæos ſuas habuiſſe ſcriptas genealogias, ex quibus familias poſſent, tribus, progenitoreſq; agnoſcere. Vnde de quibuſdã ſcriptum extat: *Hi quæſierunt ſcripturam genealogiæ ſuæ, & non inuenerunt, & eiecti ſunt de ſacerdotio*, de alijs quoque: *Non potuerunt indicare domum patrum ſuorum, & ſemen ſuum vtrum ex Iſraël eſſent.* Aſſeruatas autem genealogias in tabularijs, & ab Herode incenſas Africanus docet, cuius hæc extant verba apud Euſebium lib. 1. hiſtor. Eccleſiaſticæ cap. 7. Cùm familiæ non Hebræorum ſolùm, verùm etiam eorum, qui vſque ad proſelytos genus ſuum referebant (vt ad Achior Ammonitem, & Ruth Moabitidem) qui ex Aegypto elapſi commiſcebantur cum Iſraëlitis, ad illud tempus ſcriptis proditæ, in tabularijs reſeruarentur. Herodes quoniàm illorum ſtirpem nihil ad ſe pertinere, nihilque ad ſuam dignitatem illuſtrandam afferre adiumenti, animaduertebat, ſuæ ignobilitatis conſcientia exagitatus, annales illos de generum & familiarum antiquitate incendit, &c. Iis addit idem Africanus: Erant autem nonnulli antiquitatis replicandæ ſtudioſi, qui nomina auitę ſtirpis vel tenentes memoria, vel ex ſcriptis annalibus promentes, priuatim ſibi indices eorum conficiebant: magnopereque propterea gloriabantur, quod ipſorum nobilitas ita foret ad poſteritatẽ reſeruata. Hæc Africanus.

1. Esdr. 2. Genealogiæ Iudæorũ, & tres populi mutationes. Africanus. Euſebius.

At Iudæorum genealogię opus non ſunt. Exaruit iam fœmoris Iacob neruus, vt docet Rupertus in fine lib. 1. in Matthæum. *Tetigit*, inquit, *neruum fœmoris Iacob, vbi benedixit eum, & ſtatim emarcuit.* Quid eſt hoc, niſi quia ſic rationabiliter futurum erat, vt poſtquã promiſſio compleretur, poſtquam Chriſtus naſceretur, iam tunc omnis apud Deum genealogiarum vetus diligentia pro nihilo haberetur? ſciẽdũ quippe, quod omnis tam diligẽter facta in lege tribuum ac familiarum diſtinctio, maximeque illud quod iuſſum eſt Numerorum vltimo, vt vnuſquiſque de tribu ac familia ſua duceret vxorem, in vnum & ſolũ Chriſtum tendebat, vt dum veniret, non incertum ſciri poſſet, aut dici ad laudem fidelis & iuſti Dei, quia ſicut promiſit, ſic fecit, benedictionem, qua benedicentur omnes gentes, mittendo de ſemine Abrahæ, de tribu Iuda, de domo & familia Dauid. Iam de cętero fœmur Iacob marcidum ſit, ſicut verè eſt. Nam re vera emarcuit, ita vt iam neque dux, neque Propheta, neque ſacerdos poſſit inde ſperari, & omnino vigor ſiue viror eiuſmodi ſic defecit in illo, vt ſit infidelis, imo & infideli deterior, qui ſpem habet in carne eiuſdem populi, recepturus Antichriſtum ſub nomine Chriſti. Hæc Rupertus.

Rupertus. Gen. 32.

Quæret aliquis, cur in tres teſſaradecades ab Euangeliſta generationis hic liber diuiſus ſit? crediderim idcirco in has tres partes diſtributum, vt tres illuſtriores populi Iſraëlitici mutationes ſignificarẽtur. Prima teſſaradecas ab Abrahamo ducens initiũ,

in

in Dauide habens finem, mutationem indicat à Iudicibus ad Reges. Secunda à Salomone incipiens, in transmigratione Babylonis desinens, mutationem significat, à regibus ad captiuitatem Babylonicam. Tertia à Iechonia principium sumens, in Christo Opt. Max. terminum sortita, mutationem ostendit à lege, regno, populoque veteri, ad legem regnum populumque nouum. Præterea hæc à captiuo Iechonia primordium capit, in Christo mundi liberatore terminatur, vt orbis illam admirandam mutationem intelligamus, à captiuitate peccati, in admirabilem libertatem Christi, qui acerbissimum peccati iugum à ceruicibus hominum depulit. Christus finis est genealogiæ, finis totius populi Israëlitici, finis totius legis. Hac de re sic Euthymius Matthæi primo scribit: Omnes generationes trifariam Matthæus diuisit, & meritò, tres enim fuerunt gubernationis modi. Siquidem ab Abraham, post Moysem & Iosue vsque ad Dauid, sub iudicibus gubernabantur. A Dauide vsque ad transmigrationem Babylonicam sub regibus, à transmigratione vsque ad Christum, sub pontificibus, veniente autem Christo vero iudice, rege, ac pontifice, cessauerunt dictæ politiæ. Hæc ille.

Numerus trium tessaradecadum.

Vt verò numerus pateat, tessaradecadum breuiter singularum progenitores numeremus:

Primæ hi sunt. Primus Abraham. 2. Isaac. 3. Iacob. 4. Iudas. 5. Phares. 6. Esdron. 7. Aram. 8. Aminadab. 9. Naasson. 10. Salmon. 11. Booz. 12. Obed. 13. Iesse. 14. Dauid Rex, constat ergo prima 14. generationibus, id est, 14. progenitoribus, generatis.

Obiicies, in hac tessaradecade terdecies tantùm dicitur vnus alterum genuisse, & terdecies tantùm repetitur verbum, genuit: ergò 13. tantùm sunt generationes. Resp. Abrahami etiã generationem hic comprehendi, quamuis genitus non dicatur, genitum enim fuisse compertum est. cum ergo dicuntur esse 14. generationes, intellige 14. personas generatas, vel 13. generationes verbo, genuit, expressas, & decimam quartam Abrahami.

Secundæ tessaradecadis. Primus Salomon. 2. Roboam. 3. Abia. 4. Asa. 5. Iosaphat. 6. Ioram. 7. Ozias. 8. Ioatham. 9. Achaz. 10. Ezechias. 11. Manasses. 12. Amon. 13. Iosias. 14. Iechonias, siue Ioachimus.

Oppones, à Dauide vsque ad transmigrationem plures fuisse, quam 14. generationes, atque ideo non rectè dictum à Matthæo, à Dauid vsque ad transmigrationem Babylonis generationes esse quatuordecim. Nam, vt diximus suprà, Matthæus omisit tres reges, Ochoziam, Ioas, & Amasiam, ac proinde tres generationes; ergo fuere 17. generationes, à Dauid vsque ad transmigrationem. Respondetur, verum esse, neque id Euangelistam inficiari. Etenim non asserit à Dauide, vsque ad transmigrationem, fuisse tantùm re ipsa generationes 14. siquidem fuere plures, sed præter tres omissas fuisse illas 14. quas recensuit. sensus illorum verborum est, à Dauide vsque ad transmigrationem Babylonicam, 14. sunt generationes, à me numeratę. cùm autem plures essent, numero 14. eas comprehendit Euangelista, vt responderet numerus huius partis numero primæ partis, & secundæ.

Tertiæ tessaradecadis. Primus Iechonias. 2. Salathiel. 3. Zorobabel. 4. Abiud. 5. Eliacim. 6. Azor. 7. Sadoc. 8. Achim. 9. Eliud. 10. Eleazar. 11. Mathan. 12. Iacob. 13. Ioseph. 14. Christus Opt. Maximus.

Nonnihil habet quæstionis hæc enumeratio. videtur enim vna ex ijs generationibus non rectè cęteris adnumerata, nimirum generatio Ioseph. Nam Ioseph non genuit Christum, imo nullum genuit filium, fuit enim virgo, vt dicemus suo loco, ergo nõ bene vt genitor hic numeratur. Respondemus, nõ propterea Ioseph hic numerari, quòd aut Christum aut alium filium genuerit, sed propterea quòd pater fuerit Christi, hominum existimatione, & verè vir Deiparæ Virginis. Ideoque dicendi modum Matthæus mutauit: cũ enim in reliquis generationibus verbo, genuit, vtatur, de Ioseph non scripsit, Ioseph autem genuit Christum, sed *Iacob genuit Ioseph virum Mariæ, de qua natus est Iesus, qui vocatur Christus.*

Grauior hinc exoritur dubitatio, ea sic se habet. Virgo Deipara Christum genuit, vnde illud Ecclesiastici officij: *Tu quæ genuisti, natura mirante, tuum sanctũ genitorem.* In hac verò tertia tessaradecade, vt Christi genitrix numeratur: *De qua*, inquit, *natus est Iesus*, ergo quindecim in ea sunt generationes, nõ solùm quatuordecim. Respondemus, Virginem Deiparam simul cum Ioseph, loco vnius tantùm generationis numerari, quia enim ex Ioseph genitus non erat Christus, Ioseph solus non numeratur, addita virgo est, non vt distinctam, sed eandem efficeret generationem Christi, cuius pater putatiuus Ioseph erat, ipsa mater verissima est. Sic suprà cùm dicitur, *Dauid genuit Salomonem ex ea, quæ fuit Uriæ, Bethsabea*, & Dauid, non duas, sed vnam efficiunt generationem Salomonis.

CAPVT XX.

De primo statu & initiis populi Israëlitici.

DE triplici populi Israëlitici statu, ac mutatione, quam diximus triplici tessaradecade indicari, operæ pretium erit nonnulla hoc loco verba facere. Huius enim rei cognitio, ad intelligendas diuinas literas, non parum vtilis erit. Hebræi populi stirps & origo Abrahamus fuit, qui circumcisionis præceptum & Messiæ promissionem à Deo accepit. Ad Iacob vsque, aduentumque in Ægyptum, pauci fuere Israëlitæ, quocirca populi nomine caruerũt, in Ægypto in tantam multitudinem excreuerunt, vt populum efficere possent.

Quot annis in Ægypto vixerint, controuersum est. 400. annis vixisse, probatur ex Genes. quo loco ijs verbis Deus Abrahamum alloquitur: *Scito prænoscens, quod peregrinum futurum sit semen tuum in terra non sua, & subiicient eos seruituti & affligent 400. annis*, &c. Terra aliena Aegyptus est, in qua seruituti subiecti sunt Israëlitæ, & afflicti, ergò 400. annis in Aegypto habitarunt. Id verò clarissimè ostenditur ex illis verbis Exodi: *Habitatio filiorum Israël, qua manserunt in Aegypto, fuit 430. annorum.* Quid dici potuit clarius?

Gen. 15. Quot annis vixerint Israëlitæ in Ægypto. *Exod 12.*

Attamen non habitasse tot annis in Aegypto Hebræos, ex eisdem diuinis literis est compertum. Nã cum Iacob in Aegyptum, simul ex terra Chanaan venit eius filius Leui, & nepos Caath nomine. Gen. 46. hic autem Caath Exodi 6. genuit Amram, Amrã genuit Moysem, anno autem Moysis 80. ex Aegypto Hebræi profecti sunt. Exod. 7. Non potuit ergo habitatio Hebræorum in Aegypto horum trium hominum ętates, & annos superare, illi autem omnes, si ad calculum reuocentur, summam efficiunt annorum 350. non 400. Etenim Caath Exod. 6. vixit annis. 133. Amram annis. 137. Moyses 80. ferè annorum erat, cum populum ex Aegypto eduxit, hos omnes annos si copules, summam effeceris illam 350. annorum, ex qua tamen anni detrahendi sunt,

Gen. 46. Exod 6. *Exod. 7.*

quos egerat Caath, cùm in Aegyptum venit, ij præterea, quibus simul cũ filio Amrã vixit, ij quoque, quibus Amrã simul vixit cũ Moyse, eò quòd simul, eodemq; tempore efflúxerint, exploratum ergo est Hebræos in Aegypto 400. annis non habitasse.

Genebrard. Difficilem hunc nodum Genebrardus li. 1. Chronographiæ dissoluere conatus est, vtinam dissoluisset, viri doctissimi verba ascribam: Amram, inquit, diutius vixit, ad illud enim: *Accepit Amram vxorem, quæ peperit ei Aaron & Moysen, fuerúntque anni vitæ Amram* 137. subaudiri potest, quando eos videlicet genuit, vel post mortem patris Caath. Secundò; scriptura fortasse aliquos intermedios, nempe obscuriores, more suo transiliit. Hæc ille. Duobus ergo modis soluere conatur: ait vel Amram vixisse pluribus, quàm 137. annis, vel scripturam aliquas generationes intermedias omisisse, vt fecit Matthæus in genealogia Christi. Verùm secunda solutio non facit intellectui satis, quia dicere scripturam sine causa omisisse generationes, quæ nusquam extant, diuinare est, si Matthæum omisisse dicimus, causam cur omiserit, reddimus, præterea omisisse dicimus, quia illæ generationes in alio scripturæ loco extant. At generationes, quas Genebrardus omissas vult, nec scriptura, nec auctor idoneus cõmemorat, diuinat ergo. Prima quoque solutio non explet mentẽ, quia id, quod subaudit; subaudiri non potest. Nam scripturæ hæc sunt verba, *fuerunt q; anni vitæ Amram* 137. quæ verba perspicue significant, Amram solum vixisse 137 annis. Quemadmodum eodem dicitur capite, *anni autem vitæ Leui fuerunt* 137. id est, vixit Leui 137. annis tantummodo. Eodem loco asserit Genebrardus Iechoniam illum, qui dicitur genitus à Iosia in genealogia Matthæi, non fuisse filium, sed nepotẽ, nos verò iã suprà cũ Hiero. ostẽdimus filiũ fuisse, alterum verò tertiæ tessaradecadis nepotẽ.

Exodi 6.

Quid igitur dicemus? vtrinque scripturæ verba pugnant. Dicendum reor Israëlitas in Aegypto 400. annorum spatio non fuisse commoratos. sed 210. vel. 215. annos eius regionis fuisse incolas. Annis 400. non esse commoratos sentit Chrysost. homil. 36. in Genesim: Nec dimidium, inquit, quadragintorum annorum in Aegypto fuerũt Hebræi, & Oecumenius ad Galat. 3. Anni, ait, in Aegypto transacti sunt 144. Annos 210. in Aegypto egisse arbitratur Lyranus Genes. 15. & Hebræi eodem teste, Caietanus, Naclantus in Medulla scripturæ, & Montanus in lib. de seculis. Annos 215. in Aegypto mansisse, scribit Iosephus libro 2. antiquit. cap. 3. Idem putat Episcopus Abulensis.

Hebræi in Ægypto habitarunt annis 210. vel 215. D. Chrys.

Vrgent scripturæ allata loca, & in cõtrariũ pellunt opinionem, sed commodè illa explicabimus. Primo loco Geneseos 15. numerantur anni non ab ingressu in Aegyptum, sed ab ortu Isaac, vt communis fert opinio, Albini in quæstionibus in Genesim, D. Thom. ad Galat. 3. Abulensis, & aliorum etiam Hebræorum in sua Chronologia. Omnes, inquiunt, anni ab Isaac nato & versato cum suo semine in terra aliena vsque ad Moysis liberationem, 400. annos complent, &c. Et D. Augustinus in quæstionibus super Exodũ, quæstione 47. Quia, inquit, scriptum est Genesi: *In Isaac vocabitur tibi semen*, ex anno natiuitatis Isaac vsque ad annum egressionis ex Aegypto, computantur anni quadringenti quinque, &c. Sensus verò est, scito Abraham, semen tuũ (quod in Isaac sumet initium) 400. annis peregrinaturum in terra non sua, hoc est, partim in terra Chanaan, quam nondum possidebit, partim in terra Aegypti, & affligent eos intra hos 400. annos, præsertim in terra Aegypti, & subiicient seruituti. Illud 400. annis non est coniungendum cum verbo, affligent, aut subiicient seruituti, sed cum vocibus his,

Gen. 15. Albinus. D. Thom. Abulensis. Hebræi.

D. Augustl. Genes. 21.

Ab ortu Isaac vsque ad egressum Israëlitarum ex Ægypto numerantur anni 400.

A peregrinum erit. Non enim 400. annis afflicti fuere, aut subiecti seruituti in Aegypto. sic coniungit Augustinus loco notato: Referẽdi, inquit, sunt 400. anni ad id, quod dictum est: Peregrinum erit semen tuum in terra non sua, &c. Numerantur autẽ 400. anni ab ortu Isaac vsque ad egressum ex Aegypto, hunc in modum: *Isaaco 60. annos nato, natus est Iacob.* Gen. 25. Gen. 25. *Iacob annorum 130. descendit in Aegyptum.* Gen. 47. vnde constat ab ortu Isaac, vsque ad profectionẽ Iacob in Aegyptum fluxisse annos 190. in Aegypto habitarunt Israëlitæ, vt diximus, 210. annis, Summa ergo ab ortu Isaac vsque ad egressum, 400. annorũ est. Explicatus est locus primus. *D. Augustin.* *Gen. 25.* *Gen. 47.*

Secundus explanatores habet grauissimos interB pretes Septuaginta, locus huiusmodi est Exod. 12. in nostra versione: *Habitatio filiorum Israël, qua manserunt in Aegypto, fuit 430. annorum*, &c. Septuaginta interpretes ita explanant: *Habitatio filiorum Israël, quã habitauerunt in terra Aegypti, & in terra Chanaan, anni quadringenti triginta*, sic illi vertunt. Docent apertè hos 430. annos transactos esse, non in sola Aegypto, sed etiam in terra Chanaan. Vnde Augustinus in quæstionibus super Exodum, quæstione 47. Manifestum, inquit, est, computandum esse tempus etiam Abrahæ, Isaac, & Iacob, ex quo peregrinari cœpit Abraham de terra Chanaan, &c. Numerandi igitur sunt hi anni ab exitu Abrahami ex Vr Chaldęorum, ex C quo tempore cœpit peregrinari, ab hoc enim exitu Abrahami vsque ad exitum Israëlitarum ex Aegypto, anni supputãtur 430. hoc pacto: Abrahã profectus ex Vr oppido Chaldęæ, in Charan habitauit annis quinque, vt placet Card. Caietano, Exod. 12. Deinde cùm natus esset annos 75. ex Charan oppido Mesopotamię (quod à Latinis dicitur Charę) Crassi & Romani exercitus clade nobili, in regionem Chananęorum discessit, quę est terra promissionis. Centum annos agebat, cum illi natus est Isaac, ergo à profectione ex Vr vsque ad ortum Isaac interfluxerunt anni 30. etenim quando ex Vr profectus est, annorum erat 70. post triginta verò annos, D cùm esset annorum centum, in lucem editus est Isaac. Ab ortu autem Isaac, vsque ad exitum ex Aegypto, iam suprà numerauimus annos 400. habes ergo ab exitu Abrahami ex Vr Chaldęorũ vsque ad exitum Hebręorum ex Aegypto 430. annos. De hoc exitu loquitur D. Stephan. *Deus*, inquit, *gloriæ apparuit patri nostro Abrahæ, cum esset in Mesopotamia, priusquam moraretur in Charan*, id est, Charris, *& dixit ad illũ: Exi de terra tua, & de cognatione tua*, &c. *Ab exitu Abrahami de Vr Chaldæorum, vsque ad egressum Hebræorum ex Ægypto, supputantur anni 430.* *Gen. 11.* *Gen. 21.* *Act. 7.*

Iosephus affirmat, Hebræos anno quadringentesimo trigesimo, postquam Abraham in terram Chanaan venit, Aegyptum reliquisse, quem si sequamur, hos 430. annos ab eo tempore numerabimus, quo Abrahamus venit in terram promissionis, quæ terra Chanaan dicitur, quo fere modo numerat Eusebius in Chronico, & Augustin. 16. de ciuit. Dei, cap. 16. supputant enim ab annos 75. ætatis Abrahæ, quo è Charris egressus est, de quo egressu dicitur, *Septuaginta quinq; annorum erat Abraham, cùm egrederetur de Haran*, &c. Huic summæ quinque anni desunt. Nam Abraham 75. annorum erat, cum ingressus est terram promissionis, centenario natus est Isaac, postquam 25. annos in ea egerat, ab ortu autem Isaac vsque ad egressum ex Aegypto Israëlitarum, numerati sunt anni 400. sunt ergo omnes 425. Qui ergo hanc sentẽtiam sequetur, dicet Israëlitas in Aegypto spatio 215. annorum habitasse, quæ est Iosephi opinio capite indicato. Ex ea sequitur, ab ortu Isaac vsque ad Israëlitarum libertatem numerari annos 405. vt numerat August. quęst. 47. in Exodum: Ex anno, inquit, natiuitatis Isaac, vsque ad annum egressionis ex Aegypto, computantur anni *Iosephus 2. l. antiq. c. 13.* *Iosephi numerus, Euseb. & Augustini.* *Genes. 12.*

qua-

quadringenti quinque,&c. Scriptura ſolos.400. numerauit,quia minoris numeri qui narij rationem non habuit. Auguſtinus: Non mirum (ait) eſt,ſi quadringentos & quinq; annos ſumma ſolida quadringentos voluit appellare ſcriptura,quæ ſolet tẽpora ita nũcupare,vt quod de ſumma perfectioris numeri paululũ excreſcit,aut infra eſt,nõ computetur,&c.

D. Auguſt.

Hinc intelliges verba illa Pauli: *Deus,inquit,plebis Iſraël elegit patres noſtros,& plebem exaltauit,cum eſſent incolæ in terra Aegypti,& in brachio excelſo eduxit eos ex ea,& per quadraginta annorum tempus,mores eorum ſuſtinuit in deſerto,& deſtruens gentes ſeptem in terra Chanaan,ſorte diſtribuit eis terram eorum,quaſi poſt 450.annos*, &. Quadringenti anni ſunt 13,de quibus loquimur, addidit Paulus 40 in ſolitudine, & in itinere in terram promiſſionis tranſactos,decem alios in debellandis Chananæis conſumptos,ideoque ait fuiſſe annos 450. Intelliges quoque locum alterum eiuſdem Pauli: *Teſtamentum confirmatum à Deo quæ poſt.430.annos facta eſt lex, non irritum facit,ad euacuandam promiſsionem.* Loquitur Paulus de annis, de quibus ſermo eſt Exod. *Habitatio filiorum Iſrael,qua manſerunt in Aegypto,fuit* 430.*annorum*,&c. Poſt hos annos lex data eſt, tertio menſe ab egreſſu populi ex Aegypto,quæ pactum cum Abrahamo initum,& promiſsiones factas irritas non reddidit.

Explicatur locus Pauli Actor. 13. & alter,ad Galatas 3.

Gal. 3.

Exod. 12.

Inuenimus ergo quod quærebamus, quot annis in Aegypto Iſraelitæ manſerint. Manſiſſe dicimus 210.vel.215.annis. An autem omnibus ijs ducentis annis ſeruierũt,& à rege Aegypti vexati fuerint,alia quæſtio eſt,cui reſpondet Auguſti.q.47.in Exodum, his verbis: Centum quadraginta quatuor vel quinque annis,intelligitur ſeruiſſe in Aegypto populus Iſraël,poſt mortem Ioſeph,&c. Epiſcopus Abulenſis Gen.15.exiſtimat, centum tantummodo annis ſeruiſſe Hebræos ea in regione,quod eſt vero ſimile. Etenim Hebræi toto illo tempore,quo ſuperſtes fuit Ioſeph,libertate potiti ſunt. Vixit autẽ Ioſeph poſt ingreſſum illorum in Aegyptum annos 70. Poſt obitum quoque Ioſeph,aliquot annis eãdem libertatem conſeruaſſe videntur,quouſque regni clauũ Rex ille nouus accepit,*qui neſciebat Ioſeph.*

An ſeruierint Iſraëlitæ in Aegypto ducentis annis. D. Auguſt.

Abulenſis.

Exod. 1.

Hebræi in Cronologia 87. annis Aegyptiacam ſeruitutem definiunt,his verbis: Seruitus Aegyptiaca nec plus,nec minus.87.annis durauit,quãtus fuit annorum Mariæ ſororis Moyſis numerus,vnde Maria appellata eſt ab amarore,quem tota ipſius ætate ſenſerunt. Hãc illi exiſtimant ſeruitutem eo tempore cæpiſſe, quo nata Maria eſt ſoror Moyſis,atq; ideo Mariam ab amarore ſeruitutis vocatam, quæ in eius ortu cœpit. Longè aliter noſtræ Mariæ ſanctiſsimæ Deiparæ ſe habuit ortus, de quo Eccleſia canit: *Natiuitas tua Deigenitrix gaudium annuntiauit vniuerſo mundo*,&c. Maria ſoror Moyſis ſeptẽ ante Moyſem annis edita in lucem eſt,cœpit ergo ex ſententia Hebræorum ſeruitus 7.annis antequam Moyſes naſceretur. finem verò accepit anno Moyſis 80.nã octoginta annorum erat Moyſes,cum populum ex Aegypto eduxit. *Erat autem Moyſes 80.annorum,& Aaron 83.quando locuti ſunt ad Pharaonem*,&c.

Iudices Iſraëlitarum.

Exodi 7.

In Aegypto 215.annis,in ſolitudine 40.tranſactis, tandem in terram promiſſam Hebræi peruenerũt. In ſolitudine Rempubl. Moyſes per 40. illos annos adminiſtrauit,legibuſque à Deo in monte Sinai acceptis ſepſit,atque munuit. Moyſi Ioſue ſucceſſit, qui hoſtibus ſubiugatis,terram populo diuiſit. Poſt Ioſue iudices quindecim Iſraëlitis præfuerunt. Primus Othoniel ex tribu Iuda, populum e poteſtate Cuſan Raſathaim Regis Meſopotamiæ liberauit. Secundus Aod ambidexter ex tribu Beniamin, Moabitarum Regis Eglonis iugum excuſſit. Tertius Sãgar aduerſus Philiſtæos pugnans, ſexcentos viros A vomere interfecit. Quartus Barac ex tribu Nephtali,cum Debora prophetide,Siſaram ducem regis Chananæorum Iabin ſuperauit. Quintus Gedeon ex tribu Manaſſæ, de Madianitis victoriam reportauit. Sextus Abimelech Gedeonis filius, regis nomen eſt aſſecutus. Septimus Thola ex tribu Iſſachar. Octauus Iair ex tribu Manaſſæ. Nonus Iephte ex eadem tribu Ammonitas vicit,filiamque immolauit. Decimus Abeſã,ex tribu Iuda,& oppido Bethlehem. Vndecimus Ahialon ex tribu Zabulon. Duodecimus Abdon ex tribu Ephraim. Decimus tertius Sãſon ex tribu Can. Decimus quartus Heli ex tribu Leui princeps ſacerdotũ,& Iudex. Decimus quintus Samuel ex tribu eadem Leui.

Hic fuit primus Iſraëliticæ Reipub. ſtatus in Palæſtina ſub iudicibus,id eſt gubernatoribus, quos nõ hæreditaria ſucceſsio,ſed electio Reipubl. præficiebat. Erat ſtatus hic Ariſtocratia, ſi Genebrardo credimus lib.1.Chronologię. At Ioſephus libro.11. antiquita.cap.4.monarchiam potius appellat,ſic enim ſcribit: Ante reges æquè monarchæ res adminiſtrauerũt,appellati iudices. idẽ sẽtit Abulenſis,in Prologo lib.1.Reg. quæſt.1. Hæc tamen iudicum poteſtas multum a regia diſtabat, nec enim hæreditate ad poſteros tranſmittebatur,nec tributa Iſraëlitis imponebat,nec neceſſaria,ſed voluntaria erat,mortuo enim iudice vno,ſi vellent, Iſraëlitæ poterant alterum non eligere. Præterea iudices non erant Domini,vt reges, vnde illud Gedeonis: *Non dominabor veſtri,nec dominabitur in vos filius meus,ſed dominabitur vobis Dominus.* Poteſtas ergo regia penes Deum erat,qui illius populi rex eſſe volebat,vt indicat Samuel: *Dixiſtis,inquit,mihi,nequaquã, ſed rex imperabit nobis,cum Dominus Deus noſter regnaret in vobis*, &c. Regnabat ergo Deus tempore iudicum. Item ait Dominus Samueli: *Non te abiecerunt,ſed me,ne regnem ſuper eos*, cum ſcilicet regem petierunt.

Genebrar. Ioſephus.

Iudicũ quælis poteſtas.

Iud 8.

1 Reg.12.

1.Reg 8.

Hunc iudicum ſtatum plus quam quingentis annis duraſſe ait Ioſephus,ſed fallitur,ex ſcriptura ſacra pauciores colliguntur. Etenim, vt eſt in libro ab egreſſu Iſraelitarum ex Aegypto,vſque ad annũ quartum Salomonis,quo templum cœpit exẽdificari,anni numerantur 480. Ita enim eo loco ſcriptum eſt: *Factum eſt ergo,quadringenteſimo & octogeſimo anno, egreſsionis filiorum Iſrael de terra Aegypti, anno quarto(menſe Zio,ipſe menſis ſecundus)regni Salomonis ſuper Iſraël,ædificare cœpit domum Domino*,&c. Si ſubtrahas 40. annos regni Dauidis,qui hoc numero includuntur,20. quoq; annos Saulis,reſtant anni 420 ex quibus ſubtrahendi etiam ſunt 4. illi,quibus Salomon iam regnauerat. Sũt igitur anni 416. ab exitu ex Aegypto,vſque Saulis primi regis principatum, quibus Moyſes,Ioſue, & iudices quindecim,remp. gubernarunt.

Ioſephus l.11.c.4.

3.Reg 6.

Hoc tempore vixerunt Chriſti progenitores à Matthæo numerati in prima teſſaradecade, Naaſſon,Salmon,Booz,Obed,& Ieſſe Dauidis pater. Genebrardus lib.1.Chronologię hos omnes principes fuiſſe putat tribus Iudę,Ioſue & Othonielis tempori Salomonem aſſignat principem Iuda, tempori Aod iudicis eundem Salomonem & Booz; ſub Barac & Debora collocat Booz primum, & alterum Booz ſecundum principes Iuda. Sub Gedeone,& Abimelecho Booz ſecundum: Sub Thola iudice Booz ſecundum & Booz tertium. Sub Iair, & Iephte, & Abeſan iudicibus,Booz item tertium principem Iuda. ſequitur enim Lyranum,qui,vt ſuprà diximus, tres putat fuiſſe Boozos,patrem,filium, ac nepotẽ. Temporibus Ahialon,Abdon,Sanſon, iudicum aſcribit principem Iuda Obed, auum Dauidis; ętati Heli tribuit eundem Obed,& Ieſſe patrem Dauidis; ętati Samuelis,Ieſſe. Certum eſt Naaſſon principẽ fuiſſe filiorum Iuda,ita enim appellatur 1.Paralip.

Chriſti progenitores primi principes Iuda tempore iudicum.

Primo-

1. Paral 2. Primogenitus ergo filius Naaſſonis fuit etiam princeps Iuda. an autem Salmon, Booz, Obed, & Iſai, fuerint primogeniti, & principes, ex Scriptura non conſtat. non tamen caret veriſimilitudine Genebrardi opinio.

Iud. 2. Tempore iudicum idola coluerunt Hebræi.

Hoc etiam Iudicũ tempore in idololatriam prolapſi ſunt Iſraëlitæ, vt narratur lib. Iudic. his verbis: *Seruierunt filij Iſraël Domino cunctis diebus Ioſue & ſeniorum, qui longo poſt eum vixerunt tempore, & nouerant omnia opera Domini, quæ fecerat cum Iſraël. Mortuus eſt autem Ioſue, omnisq; illa generatio congregata eſt ad patres ſuos, & ſurrexerũt alij, qui non nouerant Dominum, & opera quæ fecerat cum Iſrael. Fecerúntq; filij Iſrael malum in conſpectu* Domini, *& ſeruierunt Baalim, ac dimiſerunt Dominum Deum patrum ſuorũ, qui eduxerat eos de terra Aegypti, & ſecuti ſunt deos alienos,* &c. Neq; vero ſemel, ſed ſæpius deos coluere alienos, quamobrem iratus Deus hoſtibus illos tradebat. Miſericordia deinde motus iudicem aliquem, qui hoſtes vinceret, excitabat. At iudice vita functo ad vomitũ redibant. Teſtatur hæc liber iudicum his

Iud. 2. verbis: *Cum Dominus iudices ſuſcitaret, in diebus eorum flectebatur miſericordia, & audiebat afflictorum gemitus, & liberabat eos de cæde vacantium. Poſtquam autem mortuus eſſet iudex, reuertebantur, & multo faciebant peiora quam fecerant patres eorum, ſequentes deos alienos,* &c.

Iud. 3. Itaque cum ſeruirent Baalim, & Aſtaroth, vt c. 3. refertur, in manus Cuſan Raſathaim regis Meſopotamiæ traditi ſunt, hoc ſtimulo puncti ad Deum cõfugerunt. Deus iudicem Othonielem excitauit, qui rege victo libertatem populo reſtituit. Poſt Othonielis mortem, ad idololatriam reuerſi ſunt, Deus quoque ad ſupplicium reuerſus iugo Eglonis Moabitarum regis impios ſubiecit, auxilium poſtularũt,

Iud. 4. iudicem Aod excitauit, qui occiſo Eglone graue iugum fregit. Mortuo Aod, vt ſcribitur Iudic. 4. idem ſcelus repetiuerunt, repetiuit quoque ſupplicium Dominus, Iabini regis Chanaan ſeruitute eos oppreſſit. Ad preces conuerſis opem tulit, opera Barac Deboræq; prophetidis, & Iahelis, Siſarã regis eiuſdem ducem, eiusque exercitum profligauit. Poſt Baracin idem idololatriæ barathrum reciderunt. Madianitarum virga puniti, Deum vt liberatorem mitteret, exorarunt, Gedeonem miſit, qui Madianita-

Iud. 6. rum copias admirabiliter fudit.

Iud. 8. Migrauit è vita Gedeon, migrarunt ad idolorum cultum Iſraelitæ, percuſſerũtque cum Baal fædus, vt eſſet eis in Deum. Deus bone, quis euripus, hoc populo reperiri poteſt inconſtantior? Neque hæc

Iud. 10. Iſraëlita ſæpe in idololatriam reciderunt, tẽpore Iudicum. ſatis: hæc adduntur: *Filij Iſrael peccatis veteribus iungentes noua fecerunt malum in conſpectu* Domini, *& ſeruierunt idolis, Baalim, & Aſtaroth, & diis Syriæ, ac Sidonis, & Moab, & filio-Ammon, & Philiſtiim, dimiſeruntq; Dominum, & nõ coluerunt eum,* &c. Vide hominũ inſaniã, Deũ ſuum verum, à quo mille acceperant beneficia, deſeruerunt, & vicinarum gentium, Syrorum, Sidoniorum, Moabitarum, Ammonitarum, & Philiſthinorum fictos deos venerati ſunt, eaque deorum inanium colluuione

Ierem. 2. remp. conſpurcarunt: *Obſtupeſcite cœli ſuper hoc, & portæ eius deſolamini vehementer, dicit* Dominus: *Duo enim mala fecit populus meus, me dereliquerunt fontem aquæ viuæ, & fecerũt ſibi ciſternas, ciſternas diſſipatas,* id eſt, idola, &c. Quẽadmodum enim ciſterna diſſipata aquam homini præbere non poteſt, ita idola auxilium, bonúmve aliquod ſuis cultoribus præbere nequeunt. Eodem quoque loco Deus populi in ſe colendo mutationẽ, & inconſtantiam illis verbis arguit: *Tranſite ad inſulas Cethim, & videte, & in Cedar mittite, & conſiderate vehementer, & videte, ſi factum eſt huiuſcemodi, ſi mutauit gens deos ſuos, & certè ipſi non ſunt dij, populus vero meus mutauit gloriam ſuam in idolum,* &c.

Sic Iſraelitæ in ſimulachrorum cultum veluti effrenati equi ruebant, adhibita tamen virga, in viam

Iud. 10. reuocati ſunt. *Dominus iratus tradidit illos in manus Philiſthijm, & filiorum Ammon, afflictiq; ſunt & vehementer oppreſſi, per annos decem & octo, omnes qui habitabant trans Iordanem in terra Amorrhæi, quæ eſt in Galaad,* &c. Oppreſſi inania abiecerunt idola, diuinamque implorarunt opem, qua impetrata duce Iephte Ammonitas ſuperauerunt. Hic ſorte putabis idololatriæ finem factum, minimè. Poſt mortem Iephte vela verterunt:

Iud. 13. *Rurſuſq; filij Iſrael fecerunt malum in conſpectu* Domini, *qui tradidit eos in manus Philiſtinorum 40 annis.*

Hoc verò tempore, inſignis aduerſus Philiſthæos Samſonis fortitudo emicuit. Poſt Samſonem creatus eſt Heli Iudex, ſub cuius principatu à Philiſthęis ſunt Iſraelitę, & arca capta. vt verò arcã in hoſtium deueniſſe poteſtatem cognouit, inſperato perculſus nuntio, è cathedra prolapſus exhalauit animam. Reducta arca eſt, & in oppido Cariathiarim collocata, 20. ibi annos manſit, ſic enim ſcriptum eſt: *Et factum eſt ex qua die manſit arca* Domini *in Cariathiarim,* 1. Reg. 7. *multiplicati ſunt dies, erat quippe iam annus vigeſimus, & requieuit omnis domus Iſrael poſt* Dominum, &c. Ex quibus verbis colligitur, ſub principatu Samuelis populum Deum verum, non idola coluiſſe. Nam poſt mortẽ Heli, iudex fuit Samuel, eratque iudex quo tempore arca Iſraelitis à Philiſtæis eſt reſtituta, & in Cariathiarim collocata; illis igitur 20. annis populum iudicauit, requieuitque omnis domus Iſrael poſt Dominum, vt loquitur ſcriptura; vera enim quies in Domino eſt, conſonat illud Chriſti, *venite ad me,* &c. *Et inuenietis requiẽ animabus veſtris.* Sub toto igitur principatu Samuelis, Saulis, Dauidis, & Solomonis, Hebræi ſimulachra minimè coluerunt. Poſt Salomonẽ ad idola rurſus defecerũt. Initio principatus, Samuel populũ, vt idola abiiceret, eſt hortatus. monitis ille paruiſſe dicitur: *Abſtulerũt filij Iſraël Baalim, & Aſtaroth, & ſeruierunt* Domino *ſoli,* &c. Cõuocauit deinde illos in Maſphat, quo loco pœnitentiam egerunt, hiſque armis muniti Philiſthæos admirabili Dei auxilio adiuti profligarunt. Toto autem Samuelis viri optimi principatu, Philiſtæorum arma à Deo contrita ſunt: *Humiliati ſunt Philiſthijm, non appoſuerunt vltra vt venirent in terram Iſraël; facta eſt itaque manus* Domini *ſuper Philiſthæos cunctis diebus Samuelis,* &c. Eſt equidem probus princeps gentis ſuæ clypeus fortiſſimus.

1. Reg. 7.

1. Reg. 6.

Ex his breuiter agnoſces, quæ fuerit his iudicum temporibus Iſraelitarum pietas, quę fides erga Deũ, quis Reip. ſtatus, quæ bella, qui iudices: qui verò fuerint pontifices, paucis accipe.

Primus huius gentis põtifex à Deo creatus, Aarõ fuit Moſis frater, habuit hic filios 4. Nadab, Abiu, Eleazar, & Ithamar. Nadab, & Abiu, igne diuinitus correpti, & incẽſi obiere. Propterea quod ignẽ alienum coram Deo obtuliſſent. Dicitur autem ignis alienus ignis prophanus, & minime ſacer, ex altari holcauſtorum ſumendus erat ſacer ignis, illi prophanum thuribulis cũ ſuffimento impoſuerunt, vt Deo offerrẽt. hæc cauſa mortis inopinatæ, ijs duobus filijs igne abſumptis ſuperſtites fuere duo alij, Eleazar, & Ithamar. Eleazar in patris Aaronis demortui locum ſuffectus, ſecundus Pontifex fuit, terramq; repromiſſionis cũ Ioſue ingreſſus, Iſraëlitis ſorte diuiſit poſſeſſiones. Tertius Pontifex fuit Phinees Eleazari filius, ille qui zelo permotus virũ Iſraëlitam, fœminamque Madianitidem in lupanari pugione transfodit. *Stetit Phinees, & placauit, & ceſſauit quaſſatio, & reputatum eſt ei in iuſtitiam,* &c. Quartus Abiſue filius Phinees, quintus Bocci filius Abiſue, ſextus Ozi filius Bocci. hi omnes numerantur primo lib. Paralip. cap. 6. & à Ioſepho lib. 5. antiquit. cap. vltimo. Ozi verò Pontificis ſexti ſucceſſor fuit Heli Iſraelis ille iudex, vt idem Autor eodem loco memorat. Abulenſis lib. 1. Reg. cap. 2. quæſt. 30. duos præterea Pontifices numerat ante Heli, videlicet

Leuit. 10. Pontifices Hebræorum tempore iudicum.

Ioſue 19.

Num. 25. Pſal. 105.

1. Par 6. Ioſephus.

Abulenſis.

Zaraiam

Zaraiam & Meraioth,ex 1.lib.Paralip.cap.6. Ad Ozi vsque Pontificem, Pontifices omnes ex familia fuere Eleazari,deinde in familiã Ithamari trãſlatus eſt pontificatus.Heli enim,vt Ioſephus ait, primus ex Ithamari familia ſummum ſacerdotinm obtinuit,quod eius generi manſit vſque ad Salomonis tempora, quando ad familiam antiquam Eleazari redijt,qua de re infrà dicemus capite 22.

CAPVT XXI.

De ſecundo ſtatu populi Hebræi.

IVDICVM poſtremus Samuel fuit,eo iam ætate prouecto,Hebræi regem poſtularunt,qui toti gẽti cũ imperio præeſſet.Datus eſt rex Saul, mutatuſque Reip.ſtatus à iudicibus ad reges.Primus rexSaul fuit, regnaſſe dicitur annis 40. *Poſt hæc* (ait Paulus) *dedit iudices,vſque Samuelem Prophetam,exinde poſtulauerũt regem,& dedit illis Saulem filium Cis,virum de tribu Beniamin annis 40*,&c. Ioſephus extremis verbis lib.6.Antiquit.in exemplari græco,quod vidi,apertè ſcribit, Saulem viuẽte Samuele 18.annis regnaſſe, poſt obitum eius annis 22.qui efficiunt 40.In verſione Sigiſmundi huic ſummæ detrahuntur 2.anni, in verſione verò Ruffini dicitur regnaſſe Samuele ſuperſtite 18.eo vita functo annis duobus. Verba Pauli Beda, & communis opinio, non de ſolo intelligit Saulis regno,ſed de principatu etiam Samuelis.Itaque aiũt illos 40 annos tam ad Samuelem, quàm ad Saulem pertinere.Samuel,vt conſtat ex 1.Reg. amplius 20. annos iudex fuit,Saul igitur alios fere 20. regni gubernacula tractauit.

Act.13. Reges Hebræorum ex tribu Iuda 21. Ioſephus.

1.Reg.7.

Poſt Saulem rex ſecundus fuit Dauid ,annis 40. tertius Salomon annis 40. quartus Rõboam , annis 17.quintus Abia,annis 3.ſextus Aſa, annis 41.ſeptimus Ioſaphat, annis 25. octauus Ioram , annis 8. nonus Ochozias,anno vno,decima Athalia regina mater Ochoziæ,annis 7.vndecimus Ioas , annis 40. duodecimus Amaſias,annis 29. decimus tertius Ozias annis 52. decimus quartus Ioatham , annis 16. decimus quintus Achaz , annis 16 . decimus ſextus Ezechias,annis 29.decimus ſeptimus Manaſſes, annis 55.decimus octauus Amon, annis 2.decimus nonus Ioſias annis 31.vigeſimus Ioachaz,mẽſibus tribus.Vigeſimus primus Ioachimus annis 11. vigeſimus ſecundus Iechonias mẽſibus tribus, vigeſimus tertius & vltimus Sedecias annis 11.ſequitur Babylonica captiuitas.

Si ad calculum reducantur hi regum anni, ſummam efficient 494.tot ergo annis reges viginti duo, Hebræorum ante Babylonicum exiliũ regnum tenuerunt,ſi Athaliam addas ſunt 23.Omnes autem ij ex tribu Iuda & familia Dauidica orti ſunt, vno eoque primo rege Saule excepto, qui ex tribu Benjamin originem duxit,excepta quoque Athalia , quæ Achabi regis Iſraël filia fuit.Ex his annis ſi ſubtrahas annos 20 . quos Saulis imperio cum Epiſcopo Abulenſi l.1.Reg.c.31.q.20.tribuimus, & 40.annos Dauidis,vndecimque Salomonis(quarto enim Salomonis anno templum extrui cœpit, ſeptemque annorum ſpatio eſt extructum) ſcies quotannis templum illud Salomonicum , poſtquam exædificatio perfecta eſt,ſteterit,annis nimirum 423.vſque ad incendium Nabuchodonoſoris,ſiue Nabuzardan. Ioſephus plures annos numerat. *Incenſum*, inquit,*eſt tẽplum annis,ex quo extructum fuerat,elapſis 470.menſibus ſex.*

Ioſephus l 10.ant.

Præter numeratos fuere alij quoque 19.reges,qui regno decem tribuum præfuere.Saul quidem, Dauid,& Salomon reges tres, cunctis Iſraelis tribubus

19.Reges decem tribuũ.

A imperarũt,at quia Salomon idolis exhibuit venerationem,poſt eius mortem diuiſum regnum eſt,duæ tribus,Iuda,& Benjamin,quibus adde Leuiticam,filium Salomonis Roboamum ſecutæ ſunt , decẽ reliquæ Ieroboamum regem conſtituerunt . Ex vno itaque regno duo effecta ſunt , alterum appellatur regnum Iudæ,cuius metropolis Ieruſalem,alterum dicitur regnum Iſrael,regnum Ephraim, regnum decem tribuum,& Samariæ,fuit enim eius caput Samaria.Fuit hæc regni ſciſſio à Propheta Ahia ſciſſione noui pallij adumbrata . *Apprehendens Abias pallium ſuum nouum,quo coopertus erat,ſcidit in duodecim partes , & ait ad Ieroboam: Tolle tibi decem ſciſſuras, hæc enim dicit Dominus Deus Iſraël: Ecce ego ſcindam regnum de manu Salomonis,& dabo tibi decem tribus.Porro vna tribus remanebit ei propter ſeruum meum Dauid,& Ieruſalem ciuitatem , quam elegi ex omnibus tribus Iſrael,eo quod reliquerit me,& adorauerit Aſtarthen Deam Sidoniorum,& Chamos Deum Moab,& Moloch Deum filiorum Ammon,& non ambulauit in vijs meis*, &c.Decem illæ pallij partes decem indicabant tribus,quibus imperauit Ieroboamus,Salomoni,id eſt, eius filijs,dicitur relicta vna præcipua tribus Iudæ, cum illa tamen coniuncta erat tribus Benjamin.

3.Reg. 11.

Diuiſum eſt regnum Hebræorum in duo regna.

Diuiſum autem eſt regnum poſt obitum Salomonis,hac occaſione: Acceſſere ad Roboamum Salomonis filium,regnique hæredem Iſraëlitæ, vtq; remitteret aliquid è tributis , leuiuſque redderet impoſitum iugum poſtularunt. ille iuuenum ſecutus C conſilium,humili poſtulationi ſuperbum dedit reſponſum,quo exulcerati, & à progenie Dauid alienati,Ieroboamo imperium detulerunt.Nam, vt dicitur: *Reſponſio mollis frangit iram , ſermo durus ſuſcitat furorem.*tantum autem furorem durus ille Roboami ſermo excitauit, vt Aduramum , qui regijs tributis præerat,vita priuarit.cum enim , vt Ioſephus ait,ad placandos concitati vulgi animos miſſus eſſet , ne auditum quidem,lapidibus Iſraelitæ obruerunt.

Prou.15.

Ioſephus.

Regni diuiſionem ſecuta eſt religionis diuiſio.

Regni diuiſionem ſecuta quoque eſt religionis diuiſio,cuius cauſa fuit,amittendi regni,& vitæ,metus.Cum enim in eam veniſſet cogitationem Rex Iſraelitarum Ieroboamus, quòd ſi populo faceret poteſtatem Hieroſolymam adeundi,victimaſque in D templo immolandi, facilè ſententia mutata , ſeque interfecto,ad Roboamum Salomonis filium deficere poſſet,duos aureos vitulos fabricauit , adorandoſque,alterum in oppido Dan,alterum in Bethel, propoſuit.Morem geſſit regi populus, propoſitoſq; vitulos,tẽplo Hieroſolymitano relicto,coluit.Vnde illud:*Vaccas Bethauen coluerunt habitatores Samariæ.*Vide quos regno ſuo conſeruatores , ac tutores , inſanus rex adhibuerit, vitulos aureos,qui cornibus Iſraelitas è patria expulerunt,regnumque euerterũt , iuxta illud: *Proiecit Iſraël bonum,inimicus perſequetur eum,argentum ſuum & aurum ſuum fecerunt ſibi idola, vt interirent*, &c.Imago eſt Ieroboamus hæreticorum noſtri tẽporis,quemadmodum enim Ioroboamus,ne regnũ E amitteret,populum ab Ieroſolymis,à vero Pontifice,veriſque Sacerdotibus auertit: Sic hæretici, ne deceptæ plebis iacturam faciant, ab vrbe Romana, in qua ſedes eſt Petri,à vero Pontifice ſummo,à veris Sacerdotibus,eorumque doctrina, imperitos homines abducunt.Sciunt enim non poſſe eum eſſe hæreticum,qui Romanę Eccleſiæ , Romanique Põtificis, qui Eccleſiæ caput eſt,fidem ſequatur.

Vitulos adorarunt Iſraëlitæ. Oſeæ 10.

Oſeæ 8.

Hæretici Ieroboamo ſimiles.

Hunc in modum ingreſſi ſunt vituli in populum decem tribuum,vt illum triturarent,peſſundarentque.Deus verò pro infinita miſericordia, qua illius abundant viſcera,magno idololatras prodigio terruit,vt ſi ſaperent, vitulos prius ipſi pellerent , quã ab ipſis è regno pellerentur.Cum enim impius Ieroboamus ſuper impiam ſtaret aram, thuſque iaceret:Propheta,quam Ioſephus Iadonem appellat , in

hæc

Idololatras Deus per Prophetam monet.

hæc verba inclamauit: *Altare, altare, hæc dicit* Dominus: *Ecce filius nascetur domui* Dauid Iosias *nomine, & immolabit super te sacerdotes excelsorum, qui nunc in te thura succendunt, & ossa hominum super te incendet.* Hæc verba cum Rex audisset, extendit in Prophetam manum, iubẽs hominem comprehendi. hic tria extitere prodigia admiranda, manus regis extensa subito exaruit, sicq; diriguit, vt reducere illam non posset, sacrilegum vero altare dirutum, impios effudit cineres, ijs adde manus, quæ diriguerat sanitatem. Cũ enim rex vatem rogasset, rogauit ille pro regis sanitate Deum, aridæque dextræ pristinũ vigorem ac succum reddidit. Nónne satis hęc prodigia erant ad profligandam idololatriam? at non est profligata, adeò sunt hominum obstinata in scelere pectora.

Iosephus l. 8. antiq.

Iosephus his miraculis Ieroboamum commotũ esse scribit, sed à Pseudopropheta quodam, qui miraculorum veritati tenebras offudit, in idololatria confirmatum. Aiebat enim lassitudine manum obtorpuisse, dum altari infert victimas, ac deinde post quietem, pristinum vigorem recepisse, altare quoq; recentis structuræ, quòd tot ac tantarum victimarũ molem non ferret, disruptum concidisse, postremo vatem à Leone occisum dixit, ideoque nihil in eius vita aut verbis diuinum fuisse probari. Quam benè

Hæretici.

hæreticorum in hoc Pseudopropheta est delineatũ ingenium, miracula clarissima hic futilibus quibusdam ac inanibus argumentis obscurauit, sic hæretici scripturas, fidemque apertissimam sophisticis quibusdam, & nullius ponderis rationibus, offuscare conantur. Regis Ieroboami conscientiam, vitulorum vanitati reddentem testimonium, impius ille homo pacauit, similem in modum principum suorum, circa vanitatem hæresum vacillantes mẽtes, hæretici vanis rationibus tranquillant.

Nec regem solum falsus vates, sed etiam verum vatem decepit. Etenim præceperat vero Prophetæ Deus, ne in loco illo, aut cibũ sumeret aut aquã biberet, quod mandatum, à rege ad capiendum cibũ & munera inuitatus, obseruauit egregiè, sic enim respondit 3. Reg. 13. *Si dederis mihi mediam partem domus tuæ, non veniam tecum, nec comedam panem, nec bibam aquã in loco isto. sic enim mãdatum est mihi in sermone* Domini *præcipientis:* Non comedes panem, nec bibes aquam, nec reuerteris *per viam, qua venisti,* &c. Eundem in modum à vate quoque falso inuitatus respondit, at impius vates, Angelus. inquit, locutus est mihi in sermone Domini dicens, reduc eum tecum in domum tuam, vt comedat panem, & bibat aquam, quibus verbis deceptus Iadon, habuit fidem, præceptumque Dei nimiũ credulus fregit. Quamobrem à Leone occisus, incautæ inobedientiæ pœnas dedit.

Occiditur Propheta à Leone.

Indicat locus hic, non esse omni spiritui credendum, sed probandos diligenter spiritus, an ex Deo sint, *quoniam multi Pseudoprophetæ exierunt in mundum*, vt docet Ioan. Indicat etiam, quantum sit obedientiæ

1. Ioan 4. Obedientiæ pondus.

pondus; *Si dederis*, inquit, *mihi mediam partem domus tuæ, non veniam tecum, nec comedam panem, nec bibam aquam, in loco isto*, &c. Leuis res videtur, nec comedere, nec bibere in loco aliquo, at obedientia rei leui maximum pondus dedit. indicat præterea, quantum sit inobedientiæ supplicium, si ignorata inobedientia sic punitur, quas pœnas soluet inobedientia cognita? ô altitudo diuitiarum scientiæ & sapientiæ Dei, in seruo

Iudicia Dei.

suo probo viro, morte leuem punit culpam, Prophetam deceptorem, & Ieroboamum religionis contemptorem, viuere permittit. Videlicet, inobedientiæ culpã mors temporaria expurgauit. Impiũ Prophetam & Ieroboamũ mors æterna deuorauit.

2. Par. 13.

Regnauit Ieroboamus 22. annis, percussusque à Deo animam exhalauit, vt dicitur 2. Paral. Antequam vero in barathrum descenderet, ab illo eodẽ

A Propheta Ahia, à quo de regno prædictionem acceperat, de supplicio quoq; desertæ religionis accepit oraculum. Cùm enim cultu mutato, ne à cæcutiente vate agnosceretur, vxorem suam ad eum misisset, de salute ægroti filij quæsituram, cognita protinus est, viroque iussa renunciare, ob læsæ maiestatis diuinæ crimen subeundas pœnas: *Vade, & dic Ieroboã, hæc dicit Dominus: Ecce ego inducam mala super domum Ieroboam, & percutiam de Ieroboam mingentem ad parietem, & clausum, & nouissimum in Israel, & mundabo reliquias domus Ieroboam sicut mundari solet fimus vsque ad purum. Qui mortui fuerint de Ieroboam in ciuitate, comedent eos canes, qui autem mortui fuerint in agro, vorabunt eos aues cœli*, &c. Vt prædictum ab Ahia est supplicium, ita euenit. 3. Reg. 14.

Etenim post Ieroboamũ, regni clauum accepit

B Nadab eius filius, paternæ impietatis imitator, quia vorò diuina iustitia ad delendam impiam domũ festinauit, duobus tãtùm annis sceptrum tenuit. Baasa igitur quidam per insidias Nadab interfecit, regnumque inuasit. Arrepto sceptro totam Ieroboami stirpem excidit: *Cum regnasset Baasa, percussit omnem domũ Ieroboam, non dimisit ne vnam quidem animam de semine eius, donec deleret eum*, &c. Has Ieroboamus scelerum pœnas exoluit. 3. Reg. 15.

Tertius Rex Baasa 24. annos in principatu exegit, Ieroboamique vestigia secutus idola coluit. Quamobrem misso Iehu Propheta, increpauit illum Deus, supplicium*que* prędixit, extirpaturum se totum illius genus, quemadmodum genus extirpauerat Ie-

Dei iustitia sceleratos reges punit.

C roboami, quod non multos post annos factum est. Nam Baasæ filius successit Ela nomine, Rex quartus, quem cum solum modo annis duobus imperasset, in ipso regni aditu, dux equitum Zambri interemit, neque illum solum, sed totam etiam illius stirpem extinxit. *Deleuit Zambri omnem domum Baasa, iuxta verbum* Domini, &c. Expẽde quæso Dei iustitiam, quomodo impios eradicet funditus. 3. Reg. 16.

O volubilem regni rotam, in cacumine eius septem tantum diebus Zambri stetit, quintus Rex, mox ab Amri præcipitatus, quam Elæ necem intulerat, ipse perpessus est. Cùm enim audisset Israëlitarum exercitus, qui vrbem Philisthinorum Gebbethon tunc temporis obsidebat, Zambri vita priuasse regẽ

D Elam, regnumque inuasisse, principi militiæ Amri regnum detulit. Is soluta obsidione Gebbethon, ad obsidendam vrbẽ regiam Thersam, in qua Rex erat Zambri, properauit. Infelix vero Zambri vrbem capiendam esse intelligens, in regiam domum se recepit, subiectoque igne simul cum eo conflagrauit, exemploque ostendit suo, quam sint honores instabiles, siquidem septem dierum rex fuit.

Combusto Zambri Rex sextus fuit Amri, de quo sacræ literæ hoc ferunt testimonium: *Fecit Amri malũ in conspectu* Domini, *& operatus est nequiter, super omnes, qui fuerunt ante eum*, &c. Per summam Dei misericordiã duodecim regnauit annis. Hic est notissimæ ciuitatis Samariæ exędificator. Montem à quodam Somer emit, in eo ædificauit vrbem, vocauitque Samariam, hebraicè Someron, à Somer, à quo montem emerat, nomine deducto. *Antequam conderetur Samaria, regum sedes fuit Therſa, postea Samaria decem tribuum fuit Metropolis, vnde reges Israel, reges dicuntur Samariæ*, & Ezechiel. *Quemadmodum regnum Iudæ appellatur Ierusalem, sic regnum decem tribuum appellatur Samaria.* Denique tota illa prouincia Samaria dicta est. Amri, de quo loquimur, 3. Regum 16. Therſę dicitur regnasse 6. annis, reliquos sex regnauit Samarię. Vitam cum ęterna morte impius commutauit, reliquitque similem sui fœtum Achab

Ædificator Samariæ Amrę Rex. 3. Reg. 16.

E *3. Reg. 16.*

Ezech. 23.

Achab septimus Israelitarum rex viginti duobus annis regnum administrauit, qualis fuerit, docent diuinę literę 3. Regum 16. his verbis:

Achab rex impius.

bis: *Fecit Achab filius Amri malum in conspectu* Domini *super omnes, qui fuerunt ante eum*, &c. Hactenus coluerant Israelitæ vitulos, Achab Baalis cultum addidit. Etenim vxorem duxit Iezabelem regis Sidoniorum filiam, Sidoniorumque idolum Baalem ab ea colere didicit, vt Iosephus ait lib. 8. antiq. c. 7. lib. 3. Reg. 16.

Iosephus. 3. Reg. 16. *Abijt Achab, & seruiuit Baal, & adorauit eum, & posuit aram in templo Baal, quod ædificauerat in Samaria, & plantauit lucum, & addidit Achab in opere suo, irritans* Dominum *Deum Israël, super omnes reges Israël, qui fuerunt ante eum*, &c.

Tantæ huic impietati iratus Deus, pluuiam Israëliticæ regioni denegauit, idque suppliciũ Elias Propheta regi prædixit. *Viuit*, inquit, *Dominus Deus Israel, in cuius conspectu sto, si erit annis iis ros, & pluuia, nisi iuxta oris mei verba*, &c. Habebat ergo Elias pluuiæ, atque adeò panis claues, quibus à Deo acceptis, primum quidẽ in orientalem discessit plagam, vbi apud torrentem Carith agebat, vnde in tanta siccitate potum hauriret: cibum enim corui Dei imperio, bis singulis diebus, manè, vesperique, panem & carnes, subministrabant. Postquam verò ob inopiam imbrium torrens exaruit, Deo iubente Sareptam abiit, quod oppidum inter Tyrum & Sydonem situm est, hoc in loco mulier illi vidua alimentum suppeditauit. Interim luebat Achab perfidiæ pœnas, equis, iumentisque reliquis, pabulum per varia discurrens loca ipsemet inquirebat, Samariam vehemens fames vexabat: Elias ablatis pluuiæ clauibus diligenter Achabi iussu quæsitus nusquam comparebat. *Non est gens aut regnum*, ait Abdias, *quo non miserit* Dominus *meus te requirens*, &c. Videlicet, vt pluuiam ablatam redderet, frustra quærebat Achab, quem Deus occultum esse volebat.

1. Reg. 17. Eliæ pluuiæ claues Deus tradidit.

3. Reg. 18.

Anno tãdem tertio, arescentis regionis misertus, vati præcepit Dominus, vt ad Regem, à quo quærebatur, pergeret, quòd vellet clausum cœlum iam reserare. Venit ad Achabum Elias, Baalis cultores Prophetas iubet congregari, in fidei certamen cum illis descendit, parãt illi primum Baali suo sacrificiũ, victimam altari imponunt, Baalem inclamant, sacrificium cœlesti igne vt absumat, precantur, nihil efficiunt, quid enim ab idolo fanatici homines impetrare possent? Elias deinde postquam aram constrnxit, hostiamque imposuit, Deum precatur, vt erranti populo potentiam ostendat suam. Ecce repente ignis è cœlo inspectante populo delabitur, impositamque victimam incendit. reportat Elias victoriam de Prophetis impijs, comprehensosque, & ad torrentem, qui Cison vocatur, adductos, scelerata vita omnes priuat. Oblatum sacrificium est in monte Carmelo, non procul torrens est Cison, in quo Baalis Prophetas Sanctus Propheta interfecit. In duos diuiditur torrẽtes fluuius Cison edito in loco ortus, alter versus orientẽ in mare fluit Galileæ, siue Tyberiadis, alter non procul à Carmelo versus occidẽtem in mare mediterraneũ illabitur. Carmelus autem mons inter Ptolemaidem, & Cæsaream Palæsthinæ situs, & mari vicinus est. Vicit igitur vera religio falsam, victis verò hostibus, impiisque Baalis Prophetis occisis, è cœlo optati fluxere imbres, Elia in vertice montis Carmeli orante. Si quando Deus pluuiam populo deneget, disce quomodo illam impetrare possit, assiduis nimirum precibus, & prophetarum Baalis, hoc est, scelerum internecione.

Sacrificium Eliæ.

Cison fluuius.

Quomodo pluuia impetranda.

Quæ in Carmelo gesserat Sanctus vates, vxori Iezabelæ narrauit Achabus, quodq; Prophetas ipsius omnes occidisset. illa furore correpta, nuntium ad Eliam mittit, necem minitans, suorum occisorem Prophetarum occisuram se pollicetur, parque pari reddituram. Minis territus in desertum aufugit, ad montem vsque Oreb, siue Sinaï, peruenit, speluncamque ingressus in ea manere decreuit. At Deus Prophetam suum nõ vt in spelunca Sinaï habitaret elegerat, sed vt populum Israëliticum doceret. Astat igitur illi, quid illic agat, rogat, homo non sibi soli, sed populo natus, iubet deinde in vrbem Damascũ proficisci, vngereque Hazaelem in regem Syriæ, Iehu præterea & Elisæum, illum quidem vt Israëli imperaret, hunc vt Eliæ ipsi succederet. Horum opera puniti sunt idolorum cultores Israëlitæ. nam Iehu occidit Iezabelem, quam Elias fugiebat, Achabique stirpem extirpauit. Hazael quoque & Elisæus idololatras sunt insectati.

Magna fuerunt ea, quæ dicta sunt, ad veram religionem amplectendam incitamenta: alia præterea addit Clementissimus Deus. Etenim de Syrorum Rege Benadad, Achabo duplicem præbuit victoriam; antequam verò præberet, ne idolis tribueretur, per Prophetam se daturum prædixit, vt intelligerent Israëlitæ ipsum verum esse Deum. *Certè vidisti*, ait Dominus Achabo, *omnem multitudinem hanc ingentem*, (Syrorum videlicet) *Ecce ego tradam eam in manum tuam hodie, vt scias, quia ego sum* Dominus, &c. Prima victoria in montanis Samariæ reportata est, quo- *Victoriam Achabo donat Deus.* circa dixerunt Syri, *Dij montium sunt dij eorum*, (id est, Israëlitarum) *ideo superauerunt nos, sed melius est, vt pugnemus contra eos in campestribus, & obtinebimus eos*, &c. Redeuntes ergò cùm in campestribus conflixissent, intellexerunt Deum Israël non montium solum, sed camporum quoque, & vallium esse Deum. Victi enim Syri sunt, rexque Benadad in potestatem Achabi venit, quem cùm occidere debuisset, vita donatum, fœdere icto, in regnum remisit. fuit hæc insipiens in hostem impium, morteque dignum clementia. Vnde Propheta: *Quia dimisisti*, inquit, *virum dignum morte*, id est, Benadad, *de manu tua, erit anima tua pro anima eius, & populus tuus pro populo eius*. Id quod post annos tres euenit. Intulit enim Achab bellum Syris, vt vrbem Ramoth Galaad, quæ in potestate Syri Regis erat, recuperaret, quo in bello missa in incertum sagitta vulneratus occubuit, veramque fuisse Michææ veri Prophetæ prædictionem, falsam Baalis Prophetarum diuinationem, euentu comprobauit, prædixerat enim Michæas Achabum in prælio illo occidendum, Baalis verò Prophetæ prospera omnia prænuntiauerant, fides veritati habita non est, sed illa vicit.

3. Reg. 20.

3. Reg. 20.

Hoc fine vitam clausit impius Achab. Iezabel verò, malo viro vxor peior, grauiores dedit pœnas è fenestra præcipitata, canumque dentibus dilaniata. 4. Reg. *Vxor hæc, fax fuit mariti*, vt dicitur 3. Reg. *Achab venundatus est, vt faceret malum in conspectu Domini, concitauit enim eũ Iezabel vxor sua*, &c. Huius execrandũ facinus est Nabothi cædes. Non erant Achabo satis tot prædia, amplæque opes, regiæ domui propinquam Nabothi vineam concupiscit, pro ea pretium offert, vel meliorem aliam. Negat ille se patrum suorum hæreditatem abalienaturum. Molestissimè hoc tulit Rex, in lectum se mœrens proiecit, ciboque præ tristitia abstinuit, hærebat cordi spina, donec auelleretur quiescere non poterat. Egregia vxor Iezabela huic vulneri sanguine Nabothi medetur, falsi criminis insimulatum occidi iubet, occisique vineam marito tradit.

4. Reg. 9. 3 Reg. 21.

Cædes Nabothi.

3. Reg. 21.

Cùm autem Achabus suis optatis factum satis videret, in vineam se confert, in itinere occurrit Magnus Elias, grauissimisque verbis tanti facinoris aliorumque scelerũ supplicium denuntiat. Territus Rex vestem discidit, induit cilicium, ieiunus à cibo abstinuit, egitque pœnitentiam veram, vt Abulensis vult ex charitate profectã, propter quam Deus post eius mortem vindictam distulit. ô felix pœnitentia, (ait Hieronym. in epitaphio Fabiolæ) quæ ad se Dei

Pœnitentia Achabi. Abulensis.

D. Hieron.

traxit oculos, quæ furentem sententiam Dei, confesso errore mutauit, &c. Et in epistola ad Rusticum, vnum, inquit, scelus Achab, & Iezabel, tamen conuerso ad pœnitentiam Achab, pœna differtur in posteros, & Iezabel in scelere perseuerãs, præsenti iudicio condemnatur, &c. Augustinus sermone 58. de tempore, Achab sacrificium contriti & humiliati cordis, Deo offerre non distulit, qui vtique si in illa humilitate, quam cœperat, perdurasset, nunquam ab illo Dei misericordia discessisset, &c. Lyranus, & Carthusianus, pœnitentiam ex timore seruili supplicij inferendi, non ex charitate emanasse sentiũt, idem arbitrari videtur D. Gregorius homil. 10. in Ezechielem: Pensandum, inquit, est, quomodo, & in electis suis mœror amaritudinis placeat, qui amittere timent Dominum, si sic ei, & reprobi Achabi pœnitentia placuit, qui timebat perdere præsens seculum. aut quomodo ei grata sit spontanea afflictio pro culpis in eis, qui placent, si hæc ad tempus placuit, & in eis, qui displicebant. Hęc ille.

D. Augustl. *Lyranus. Carthus.* *D. Greg.*

Octauus Israëlitarum Rex, Ochozias Achabi filius, duobus regnauit annis, patrisque Achabi, & matris Iezabelis vestigijs inhæsit, *Fecit malum in conspectu Domini, & ambulauit in via patris sui, & matris suæ*, &c. Per cancellos cænaculi hic recidit, quoniam in idololatriam ceciderat, quo casu afflictus ægrotare cœpit. De morbi verò euentu non Deũ, sed Belzebub per nuntios consuluit, ideoque mortis supplicio, ab Elia denuntiato, affectus, perijt. Ad quærendum Eliam, qui mortem denũtiauerat, principes tres quinquagenarios, id est, quorum quisque quinquaginta militibus præerat, cum militibus misit, duos cœlitus delapso igne Elias incẽdit, cum tertio ad Regem venit, diuinumque illi supplicium & supplicij causam coràm denuntiauit.

3. Reg. 22.

Cur quinquagenarius tertius non est igne absumptus. Vatablus. Carthusia. Abulensis.

Rogabis causam, cur primos duos principes quinquagenarios, ignis simul cum militibus absumpserit, tertius nihil nocumenti acceperit. Carthusianus, & Vatablus, putant duos quinquagenarios, Eliam irridentes hominem Dei appellasse, ideoque igne cœlesti interfectos. At cum verba nullam contineãt irrisionem, verisimilius cum Abulensi puto, ideo flammis incensos, quòd idola colerent, & à rege impio & idololatra missi essent, vt eum ducerent etiam inuitum. Tertium submissio animi liberauit, submisso enim animo, Eliam, ne periret, obsecrauit. Hebræi, vt ait Lyranus, aiunt fuisse hunc Abdiam virum probum.

Nonus Rex Ioram frater Ochoziæ (qui sine liberis è vita excessit) & filius Achabi, duodecim annis decem tribubus imperauit, inter impios reges numerandus, *Fecit malum coram* Domino, *sed non sicut pater suus, & mater; tulit enim statuas Baal, quas fecerat pater eius. Verum tamen in peccatis Ieroboam filij Nabat, qui peccare fecit Israël, adhæsit, nec recessit ab eis*, &c. Hoc regnante Elias in terrestrem paradisum igneo curru raptus est, successitque illi Eliseus. Moabitarum regi bellũ intulit, propterea quod debitum tributum nollet soluere, auxiliante Iosaphato rege Iudæ, & rege Idumæorũ. Cum verò per deserta loca iter tres reges facerent, & in magnam aquarum penuriam incidissent, Propheta Eliseus impleto aquis torrente, qui exaruerat, admirabiliter siti succurrit, victoriamque prædixit. Ingressi itaque Reges Moabiticam regionem, diruerunt oppida, obturarunt fontes, exciderunt arbores, agros lapidibus repleuerunt. Rex verò Moabitarũ in maximas angustias redactus, ad diuinũ cõfugiens auxilium, rem aggressus est miserandã simul ac detestandam. Primogenitum filium, cui regni hęreditas destinata erat, in mœnia produxit, hostili exercitu inspectante, veluti arietem, aut agnum, immolauit, funestúmque holocaustum super murum,

4. Reg. 3.

Eliseus.

Rex Moabitarum filium immolauit.

A ad misericordiam hostium persequentium cõciliandam, obtulit. Ob tam crudele facinus vehementer indignati Israelitæ & vicem regis miserati renouato cum eo fœdere, ab obsidione discesserunt. Communis opinio, Caietani, Lyrani, Pauli Burgensis, Vatabli, Abulensis, Carthusiani, Petri Comestoris, & Iosephi lib. 9. antiquit. cap. 1. hæc est, regem Moabitarum filium suum primogenitum immolasse.

Caietanus. Lyranus. Burgensis. Iosephus. Vatablus. Abulensis. Carthus. Comestor Isidorus. Clarius.

Nihilominus Isidorus Clarius non immolasse filium suum arbitratur, sed filium Regis Idumææ. Conatus enim est ad Regem Idumeæ peruenire, cum non potuisset, filium eius primogenitum arripuit, & in muro ciuitatis combussit. Sic enim interpretatur verba illa textus: *Tulit secum septingentos viros Rex Moab, vt irrumperet ad Regem Edom*, id est, Idumææ, *& non potuerunt, arripiensq; filium suũ*, verti potest ex hebræo, arripiensque filium suum, vel eius, id est, Regis Edom, qui regnaturus erat pro eo, obtulit holocaustum super murum, vnde secuta est indignatio in Israel, & discesserunt. Sed communem sequimur opinionem, cui nostra versio magis fauet, non enim habet *filium eius*, vt habet noua versio Mõtani, sed *filium suum*, id est, Regis Moabitarum.

B 4. Reg. 3.

Ingratum Regem Ioramum non omnino deserebat summa Dei misericordia, non hanc solum de Moabitis, verùm aliam quoque de Syris, illi victoriã contulit. *Obsidebãt Samariam Syri, obsidionem secuta est fames, vehemens adeò vt fœmina filium coxerit, & in viscera iterum condiderit*, 4. Reg. 6. Succurrit obsessis, fameque laborantibus, admirabiliter Deus, Eliseo orante, in aures hostium sonitum immisit curruum, equorũ, maximique exercitus ferentis opem obsessis, Syrosque ita exterruit, vt per summam trepidationem, relicta in castris magna alimentorum cæterarumque rerum copia, omnes aufugerint. Soluta obsidione egressi Israelitæ diripere castra, & ex summa annonę inopia, in magnam copiam subitò translati, famem, qua opprimebantur, depulere. Denique infelix Rex postquam 12 regnauit annos, à Iehu stirpis Achabi extirpatore, sagitta transfixus perijt, cadauer verò in agrum Naboth, quem mater illius Iezabel occiderat, proiectum est.

C 4. Reg. 6. 4. Reg. 7.

Decimus Rex Iehu, iussu Dei ad eradicandam funditus Achabi progeniem vnctus est, nec ille ad eam rem segnis fuit. Protinus septuaginta Achabi filios, qui in vrbe Samaria erant, occidi iussit: Ioram Regem horum fratrem sagitta transfixit, impiam Iezabelem è fenestra præcipitem dedit, deniq; omne Achabi genus radicitus extirpauit. *Percussit Iehu omnes, qui reliqui erant de domo Achab, in Iezraël, & vniuersos optimates eius, & notos, & sacerdotes, donec non remanerent ex eo reliquiæ*, &c. Congregatos præterea in templo, Baalis cultores, Prophetas, & Sacerdotes, morte mulctauit, Baalisidolum incendit, ędem diruit, pessimum idolum ex Israële exterminauit, vitulos tamen aureos retinuit. *Deleuit Iehu Baal de Israël, verum tamen à peccatis Ieroboam filij Nabat, qui peccare fecit Israël, non recessit, nec dereliquit vitulos aureos, qui erant in Bethel, & in Dan*, &c.

D 4. Reg. 9. 4. Reg. 10. 4. Reg. 10.

E

Ob nauatam operam in tollendis è vita impijs pollicitus est illi Deus regnum Israelis, vsq; ad quartam generationem. Postquam igitur 28. annis regnauerat, cum morte vitam commutauit, filio Ioachaz successore principatus relicto, qui 17 annis imperiũ tenuit Rex vndecimus, *& fecit malum coram* Domino, *secutusq; est peccata Ieroboam filij* Nabat, *qui peccare fecit Israël, & non declinauit ab eis*, &c. Non euasit impunitus, sed ab Hazaele Syriæ Rege bello vexatus, pœnas luit, *Hazael Rex Syriæ afflixit Israël cunctis diebus Ioachaz*, &c. Quàm verò attritæ sint illius copiæ, eodẽ capite indicatur his verbis: *Non sunt derelicti Ioachaz de populo, nisi 50. equites, & decẽ currus, & decẽ millia peditum: inter-*

4. Reg. 13. 4. Reg. 13.

interfecerat enim eos Rex Syriæ, & redegerat quasi pulueremA in tritura areæ,&c.

Duodecimus Rex fuit Ioas annis 16. filius Ioachaz,nepos Iehu,patris auiq́ue sectator:*Fecit quod malum est in conspectu Domini,non declinauit ab omnibus peccatis Ieroboam,filij Nabat,qui peccare fecit Israël,sed in ipsis ambulauit*,&c. Hoc rege sceptrũ Israëlis obtinente, Eliseus obijt,quem ægrotantem inuisit Rex, fuditq́ue lachrymas,dolens quod Propheta,qui Israëlis currus & auriga esset,è vita populoq́ue migraret. At vates dolentem consolatus,tres de Syris victorias reportaturum prædixit, quas de Benadad Syriæ Rege, Hazaëlis filio,consecutus est.

4.Reg 13.

Rex 13.Ieroboam,filius Ioas,pronepos Iehu, annis 41.regno potitus est,in eadémque maiorum impietate perstitit.4.Reg. 14.*Quamuis impius*, *Deo tamen*B *iuuante,quæ eius est clementia, regni terminos à Syris ablatos restituit, ab introitu Emath, vsque ad mare solitudinis siue mortuũ iuxta Ionæ Prophetæ vaticinium.* Introitus Emath versus septẽtrionem est terra promissionis, nõ procul à Damasco: Emath vrbis nomen est & regionis, quæ ab vrbe nomen accepit,in finibus Syriæ.

4.Reg.14.

Emath introitus.

Decimus quartus Rex Israëlis Zacharias,ab auita nequitia minime discessit, mensibus tantùm sex regnauit,nec enim illũ passus est Sellum longius protrahere imperium. E medio sublatus finẽ quatuor generationibus imposuit, quibus Deus ex stirpe Iehu,ob extirpatam Achabi familiam regnum fuerat pollicitus. Primus regnauit ex hac stirpe Ioachaz Iehu filius,secundus Ioas Iehu nepos, tertius Ieroboam Iehu pronepos,quartus Zacharias Iehu abnepos. In hoc quarta cernitur generatio,transiitq́ue ad alios regnum. Quæ promittit, præstat semper Deus.Sellum,qui Zachariæ necem attulerat, vacuũ regni solium occupauit, fuitq́ue decimus quintus Rex,vno folummodo mense, à Manahem occisus, malè partum regnum, malè perdidit.

4.Reg.15.

C

Decimus sextus Manahem interfecto Sellum decennio impetauit, eandemq́; quam reliqui Reges, impietatis viam tenuit. *Fecit quod erat malum coram Domino,non recessit à peccatis Ieroboam filij Nabat, qui peccare fecit Israël*,&c.

4.Reg.15.

Decimus septimus Rex Phaceia,filius Manahem, duobus annis ad clauum regni sedit.4. Reg. 15. *fecit quod erat malum coram Domino, non recessit à peccatis Ieroboam*,&c. Morte mulctatus à Phacee duce, qui filius dicitur Romeliæ,pœnas luit.

4.Reg.15.

D

Decimus octauus Rex Phacee, filius Romeliæ, 20.annis regni tractauit gubernacula, eadem illi cãtio,quæ cæteris regibus Israël,occinitur: *fecit quod erat malum coram Domino, non recessit à peccatis Ieroboam*, &c.Eo regnante Assyriorũ Rex, qui Theglath Phalasar nominatur,tribum Rubẽ,tribum Gad, & dimidiam tribum Manasse, & tribum Nephtalim, in Assyrios transtulit.

4.Reg.15.

4.Reg.15. & 1.Par.5.

Decimus nonus & vltimus Rex Osee, filium Romeliæ Phacee de medio sustulit. regnoq́ue præfuit annis nouem,minus quàm reliqui impius: *Fecit malum coram Domino, sed non sicut Reges Israël, qui ante eum fuerant*,&c.In hunc adduxit exercitum Rex Assyriorum Salmanasar,fecitq́ue sibi tributarium.Cum verò comperisset societate cum Rege Ægypti inita,iugum velle excutere;captum in carcerẽ coniecit.Samariam post tertium obsidionis annum vi cepit,regnumq́ue decem tribuum,vt erat promeritum,funditus deleuit: Israelitas autem in Assyriam transtulit,quo tempore regnũ Iudæ optimus Rex Ezechias gubernabat. Hunc exitum habuit decem tribuum idololatria,non aliter ignis hic,quam superfusa Assyriorum inundatione extinctus est.

4.Reg.17.

E

Regnum decem tribuum funditus deletur.

Cæterum in vacuas regiones Samariæ, alijs ex regionibus colonos Rex Assyriorum misit;Deus verò in eos leones immisit,quorum sæuitiã vt effugerẽt, Deum colere statuerunt. Quomodo verò colẽdus esset à sacerdote Israelita edocti, non illi soli, sed simul etiam commentitijs, vanisq́ue dijs,cultum exhibuere:*Fuerunt gentes istæ timentes quidem Deũ, sed nihilominus & idolis seruientes:nam & filij eorum,& nepotes,sicut fecerunt patres sui, ita faciunt vsque in præsentem diem*, &c. Hi sunt Samaritani,de quibus in Euangelijs mentio est,à Iosepho Cuthæi dicuntur,à regione Cutha, ex qua aliqui in Samariam venerant.

4.Reg.17.

Samaritani vnde venerint.

Si ad calculum reuoces annos Regum decem tribuum,quos numerauimus,summam colliges annorum 242.tot igitur annis Reges Israëlitæ,idolorũ cultores,imperium tenuerunt.

Si quæras,quid de decem tribubus actum sit? reuersæ ne sint cum duabus in Iudæam? omissis alijs, respondet Iosephus his verbis:Totuspopulus Israel in illa prouincia permansit, ideoq́ue , duæ tantùm tribus consistunt per Asiam & Europã,obsequentes Romanis. Decem autem tribus hactenus trans Euphratem commorati probantur.Hæc ille. Isidorus Clarius Ezechiel. 16. decem tribus in gentes degenerasse. Genebrardus lib. 1. Chronol. existimat degenerasse in Tartaros.

Iosephus l. 11. antiq. c. 5.

Clarius. Genebrard.

CAPVT XXII.

De summis sacerdotibus,siue pontificibus, secundi huius status.

HEli iudex fuit, simulq́ue pontifex ab Aarone septimus,translato summo sacerdotio, vt diximus in fine cap. 20. à familia Eleazari, in familiam Ithamari,translatum autem aiunt Hebræi,vt scribit Lyranus, 1.Regum 2. quòd ex Eleazaro orti ,ante tempus Heli, negligenter in docendo,ac arguendo populo , se haberent.Similiter Abulensis flagitiosos fuisse, & ineptos ad pontificatum putat.& Carthusianus: Creditur , inquit, translatum sacerdotium propter peccata posterorum Eleazari,qui in executione pontificatus sui valdè negligentes fuerunt. Genebrardus censet Heli transtuliisse ad se pontificatum: Heli,inquit, sacerdos,factus iudex , transtulit sacerdotium de domo Eleazari,ad suam. Et Cardinalis Hugo:Filij,inquit, Eleazari semper fuere sacerdotes summi vsque ad Heli, qui fuit de Ithamar, qui postea ad se transtulit sacerdotium, &c. Iure transtulisse videtur populi decreto, vt Abulẽsis putat,& Dei voluntate,iuxta illud, ad Heli dictum : *Loquens locutus sum,vt domus tua,& domus patris tui, ministraret in conspectu meo in æternum*, &c. Probatur præterea, quia non reprehenditur à viro illo Dei,quòd vsurpasset pontificatum.

Lyranus.

Abulensis. Carthus.

Quomodo pontificatus transtatus sit in familiam Ithamari. Genebrard.

Hugo Card.

Abulensis. 1.Reg 2.

1.Reg.2.

Post Heli summo sacerdotio functos est Achitob nepos Heli , tempore Samuelis , pontifex octauus. Nonus tempore Saulis Achimelech filius Achitob. Hic panes propositionis,gladiumq́ue Goliæ Dauidi tradidit in vrbe Nobe,in qua Dei tabernaculũ tunc temporis erat.Id postquam resciuit Saul, cum octoginta aliis sacerdotibus occidi pontificem iussit, quòd fauisset hosti Dauidi, vrbisq́ue Nobe incolas seuus veluti leo, viros , fœminas , paruulos, iumenta quoque,& pecora , neci dedit. Sumptum est hoc modo suppliciũ, 1.Reg. 2. prædictum Heli : *Prædixi ei, ait Dominus,quòd iudicaturus essem domũ eius in æternum,propter iniquitatem, eo quod nouerat indignè agere filios suos,& non corripuerit eos*,&c. Hi enim sacerdotes ex familia Heli erant, vt dicitur:*Misit Rex Saul, ad accersendũ Achimelech sacerdotem filium Achitob, & omnem domum patris eius sacerdotum,qui erant in Nobe , qui vniuersi venerunt ad Regem*,&c.Filius tamen Achimelechi Abiathar ad Dauidem fuga euasit.

1.Reg 21. *Achimelech panes propositionis dedit Dauidi,& occisus à Saule est.*

1.Reg 22.

Fuit hic Abiathar pontifex decimus tempore Dauidis. Ante mortem pontificatu priuatus est à Salomone, quod fratri Adoniæ regnum affectanti fauisset, reductusque est pontificatus ad familiam Eleazari. Nam vndecimus pontifex fuit Sadoc ex domo Eleazari tempore Salomonis. Hunc ait Iosephus lib. 10. antiq. cap. 11. primum fuisse in templo recens à Salomone extructo sacerdotem summum. In eadem sententia est Clemēs Alexandrinus lib. 1. stromatum. At Abulensis putat Sadocum, antequam templum esset exædificatum, obijsse, primumque omnium in eo pontificis officio functum Achimaā Sadoci filiū, qui fuit duodecimus sacerdos summus.

3. Reg. 2. Reducitur pō tificatus ad familiam Eleazari. Iosephus. Clemens Alexan. Abulensis.

Reliquos hoc ordine numerat Iosephus loco indicato, 13. Azarias, 14. Ioramus, 15. Ius, 16. Axioramus, 17. Phideas, 18. Sudeas, 19. Iulus, 20. Iothamus. 21. Vrias, 22. Nerias, 23. Odeas, 24. Saldumus, 25. Elcias, 26. Sareas, 27. Iosedec, qui captiuus Babylonē ductus est. Hi omnes, inquit Iosephus, quasi per manus traditum sacerdotium, filij parentum successores acceperunt, continuata generis serie.

Iosephus.

Numerantur summi sacerdotes hoc pacto: Eleazar filius *Aaronis genuit Phinees, & Phinees genuit Abisue, Abisue verò genuit Bocci, & Bocci genuit Ozi.* Post hunc Ozi transfertū est sacerdotium à familia Eleazari in familiam Ithamari, ideoque, qui post Ozi numerantur vsq; ad Sadoc sacerdotes summi nō fuere, numerātur autē hi: *Ozi genuit Zaraiā, & Zaraias genuit Meraioth, porro Meraioth genuit Amariam, & Amarias genuit Achitob, Achitob genuit Sadoc.* hic fuit sacerdos summus reuocato pontificatu in familiam Eleazari. fuisse quoque videntur summi sacerdotes, qui sequuntur: *Sadoc genuit Achimaas, Achimaas genuit Azariam, Azarias genuit Iohanan, Iohanan genuit Azariam genuit autem Azarias Amariam, & Amarias genuit Achitob, & Achitob genuit Sadoc & Sadoc genuit Sellum, Sellum genuit Helciam, & Helcias genuit Azariam, Azarias genuit Saraiam, & Saraias genuit Iosedec, porro Iosedec egressus est, quando transtulit Dominus Iudam & Ierusalem per manus Nabuchodonosor,* &c. Hæc est Pontificum genealogia ab Aarone vsque ad Iosedec, ex qua colligitur, post Achimaam, pontificem fuisse 13. Azariam, 14. Iohanan, 15. alium Azariam, 16. Amariam, 17. Achitob, 18. Sadoc, 19. Sellum, 20. Helciam, 21. Azariam, 22 Saraiam, 23. Iosedec. Non tamen constat, an omnes hi pontificatum gesserint, nam etiā cū eis recensentur, vt vidimus, qui pontificatum non gesserunt, & Iosephus alios numerat, nisi fortè sint ijdem viri, nomina alia.

1. Par. 6. Pontifices Hebræorum vsque ad captiuitatem Babylonicam.

Hebræi in Chronologia breuiori, neque cum libro Paralipom. neque cum Iosepho omnino consentiunt. Tempore Dauidis aiunt pontificem fuisse Abiathar, tempore Salomonis Sadoc. Regnāte Roboamo Achimaam, regnante Abia Azariam, regnante Iosaphato Ioam, regnante Ioramo Ioaribū, regnante Ochozia Iosaphatum, regnante Ioas Ioiadam, & Pedaiam, regnante Amasia Sedechiam, regnante Ozia Ioēlem. regnāte Ioathamo, Ioatham ū eiusdem nominis, regnante Achaz Vriam, regnāte Ezechia Neriam, regnante Manasse Osaiam, regnante Amone Sellum, regnante Iosia Helchiam, regnante Ioachimo Azariam, regnante Iechonia, & Sedecia, Seraiam. Hebræos sequitur Genebrard. in Chronologia. Regnante Asia addit quendam ſalium pontificem Abimelech, cuius meminit etiam Eusebius in Chronico iis verbis: Hebræorum Pontifex Maximus Abimelech illustris habetur.

Omnium pontificum summā conficit Iosephus ab Aarone vsque ad templum Salomonis extructum tredecim, à templo extructo vsque ad Babylonicam captiuitatem octodecim numerat. totidem Hegesippus lib. 2. cap. 23. sunt igitur omnes 31. Ast ego plures numeratis non reperi, ipse quoque Iosephus lib. 10. à Sadoc, quem ait primum in tēplo Salomonico functum pontificatu, vsque ad captiuitatem, septemdecim tantùm commemorat; ante captiuitatē verò apud eundem non plures inueni fuisse pontifices iis, quos recensui. Hæc de pōtificibus, de prophetis quoque nonnihil dicamus.

Iosephus. l. 20. antiq.

CAPVT XXIII.

De prophetis, qui regum tempore vaticinati sunt.

IN Chronologia Hebræorum breuiori, Hebræi Dauide regnante, prophetiæ munere functos scribunt Nathan, & Gad, regnante Salomone Ionathanum, Iddonem, & Ahiam Silonitem, regnante Roboamo Samaiam, & Iddonem: Regnāte Abia Azariam, & Iddonem, eundem, regnante Asa Ioramum, Azariam filium Obed, Hanani, & Iehu Hanani filium, regnante Iosaphato Iehu eundē, Abdiam, Michæam, Iehielem filium Zachariæ, Eleazarum filium Dodiæ. Addit Genebrardus in sua Chronologia, Eliam, & Eliseum, regnante Ioramo Eliam, regnante Ochozia Eliseum, regnante Ioas, Zachariam Ioiadæ filium, regnante Amasia Amos eiusdem Regis fratrem, patremque Isaiæ. Addit Genebrardus Ionam. Regnante Ozia, Amos, Isaiam, iis adiungit Genebrardus Ionam, & sequentibus, regnante Ioathamo Oseam, Isaiam, Amos, Oziam, Michæam Moraſthitem, regnante Achaz Oseam, Isaiam, Amos, Michæam, Obed, regnante Ezechia Oseam, Isaiam, Amos, & Michæam. Regnāte Manasse Ioēlem, Nahum, Abacuc, regnante Amone, Sellum, & Ozai. Regnante Iosia Holdam fœminam, & Ieremiam, addit Genebrardus Sophoniam, & Baruc, Regnante Ioachimo Ieremiam, & Vriam, regnante Iechonia, Ieremiam, regnante Sedecia Ieremia, Ezechielem in Chaldæa, & Iosedecum fratrem Esdræ, scribæ. Iis adiunge Danielem. Hebræos sequiter Genebrardus.

Quibus temporibus vaticinati sint Prophetæ.

Ex ipsis Prophetis hæc habemus. Isaias vaticinatus est in diebus Oziæ regis, Ioatham, Achaz, & Ezechiæ. Ieremias in diebus Iosiæ, Ioachim, & Sedeciæ. vsque ad captiuitatē Babylonicam. Daniel cum Ioachimo, Ezechiel cum Iechonia in Babyloniā tranſlati, ibidem vaticinationes ediderunt. Oseas in diebus Oziæ, Ioatham, Achaz, & Ezechiæ, sub quibus regibus floruit Isaias. Ioēl quoque iisdem vixit temporibus, iuxta documentum D. Hieron. in prologo duodecim Prophetarum: In quibus, ait, Prophetis tempus non præfertur in titulo, ij sub illis regibus prophetarunt, sub quibus & hi, qui ante eos habent titulos, vaticinati sunt. Amos regnante Ozia, & Ieroboam filio Ioas rege decem tribuum, futura prædixit. Abdiam volunt Hebræi fuisse domus Achabi dispensatorem illum, qui centum Prophetas pauit, D. Dorotheus & Isidorus scribunt, fuisse tertium illum quinquagenarium, qui venit ad Eliam, At D. Hieronym. initio comment. Oseæ docet, Isaiam, Oseam, Ioēlem, Amos, Abdiam, Ionam, & Michæam fuisse συγχρόνους, id est, contemporaneos. Cyrill. quoque Ioēlem, & Abdiam, ad idem tempus refert. Ionas reges, sub quibus prophetarit, nō indicauit. Michæas Ioatham, Achaz, & Ezechiam nominat: dicendum igitur hos omnes iisdem temporibus floruisse. Nahum, existimat Hieronymus post decem tribus in captiuitatem deductas, aduersus Niniuen Assyriósque vaticinium sub rege Ezechia edidisse. Sophonias tempus suum vaticinio ascribit. In diebus

D. Hieron. *3. Reg. 18.* *4. Reg. 1. D. Hieron.* *D. Cyrill.*

bus,inquit,Ioſiæ filij Amon regis Iuda,&c. ſub Ioſia Ieremias etiam & ſequentibus regibus vixit.Zacharias, Aggæus,Malachias poſt reditum ab exilio Babylonico Prophetarum munus obierunt.

Abacuc quo tempore ediderit vaticinium.

De Abacuc dubium eſt.D.Hieronymus fuiſſe ait poſt captiuitatem Babylonicam, ſiquidem ad Danielem in lacum leonum prandium attulit poſt captiuitatem.Verum quidem id eſt,fuiſſe poſt captiuitatem,ſed fuit etiam, & prophetauit ante captiuitatem de ipſa captiuitate , vt liber Abacuc probat. Hebræi ſub Manaſſe prophetaſſe volunt.Nos,ſupra iam diximus,cum de Daniele ageremus hoc lib. 5. cap.18.paulo ante captiuitatem vaticinium edidiſſe,prandiumque ad Danielem poſt reditum à captiuitate tempore regis Cyri attuliſſe,quidquid alij velint.Neque repugnat ætas, ſiquidem captiuitas 52 annorum tantum modo fuit,vt eſt explicatum . Potuitque Abacuc vſque ad nonageſimum vel centeſimum etiam annum peruenire.Fauet Clemens Alexandrinus,qui lib. 1. ſtromatum regnante Sedecia,ſub quo in Babyloniam ducti ſunt Hebræi , prophetaſſe ſcribit Abacuc.

Clemens Alexan.

Lyranus. Carthuſ.

Lyranus & Carthuſianus volunt prophetaſſe poſt captiuitatem Babylonicam: Lyranus verò ait hanc eſſe opinionem communem. De tempore , inquit, prophetiæ Abacuc, dicit Hieronymus in prologo, & expoſitores noſtri communiter, quod Abacuc prophetauit deſtructionem Babyloniæ , poſt deſtructionẽ templi,& ciuitatis Ieruſalem per Chaldæos. Hæc opinio cum ætate Abacuc melius conſentit, quam ſuperior , ſi enim poſt captiuitatem prophetauit , potuit tempore Cyri, cùm vir eſſet quinquaginta annorum , cibum ad Danielem perferre . Sed obſtat, quod Abacuc ipſam captiuitatem prædicit cap.1. & de illa quaſi de re futura non præterita loquitur . Reſponderi tamen poteſt , Dei verba illa eſſe,quibus futura captiuitas iã ante ali s Prophetis predicta fuerat: Abacuc autẽ non captiuitatem , ſed Babyloniorum euerſionem prænuntiare.Franciſco Riberæ præludio 2.placet,Abacuc ſub Manaſſe ante captiuitatem Prophetæ munus obijſſe , aliumque fuiſſe Abacuc,qui poſt captiuitatem,ad Danielem in lacum cum leonum ab Angelo raptus eſt.

Ribera.

Rogabis, ſi poſt captiuitatem,vt vult Lyranus,& Hieronymus,prophetauit, vbi nam erat,in Babyloniane, an in Iudæa? Reſpondetur, in Iudæa, captiuitatis enim tempore ex patria diſceſſit,poſtea redijt. Qua de re Dorotheus in Synopſi: Abacuc, inquit, cum aſcẽderet Nabuchodonoſor, aufugit in Oſtraciam,& factus eſt incola in terra Iſmaëlitarum . Cũ verò,qui in Chaldæa captiui fuerant,reuerterẽtur,& ij , qui Ieroſolymis reliqui erant , in Ægyptum deſcenderent , habitabat in terra ſua.Hæc ille . Inde ab Angelo in Babyloniam raptus eſt.

Dorotheus.

Non immeritò rogabis,num etiam in Ægypto & in deſerto, & tempore Iudicum , Prophetas aliquos habuerint Iſraëlitæ? Hebræi in Chronologia maiori cap.20. in Ægypto , & in deſerto , Prophetas fuiſſe memorant iis verbis: Filij Zaræ, Zimri, Ethan, Heman,Calcol,Dara ,Prophetæ fuerunt, qui vaticinabantur in Ægypto,filij Choræ,Aſir,Elcana,& Ebiaſaph prophetiæ munere functi ſunt in deſerto.Hęc illi. Filij Zarę, omnes illi numerantur 1.Paralip.2. Zara autem eſt filius Iudæ, quem ſimul cum Phares peperit Thamar,Matthæi 1. *Iudas autem genuit Phares, & Zaram,de Thamar* . Filij Choræ tres, Aſer, Elcana, & Abiaſaph Exod.6.numerantur,in Pſalmo quoque liorum Choræ mentio fit.

Propheta in Ægypto, & in deſerto. 1.Par.2. Matth.1 Exod.6.

Lyranus. Abulenſis.

Fuere etiam in deſerto Prophetæ Moyſes , & ſeptuaginta ſeniores,vt Lyranus, ait & Abulenſis , reſponſa enim à Deo circa populi gubernationem accipiebant,lege caput vndecimum Numerorũ . Fuit item Maria ſoror Moyſis Prophetiſſa . Prophetiſſa enim appellatur Exod.15.Aaronem præterea fuiſſe Prophetam,colliges ex illis verbis: *Num per ſolũ Moyſem locutus eſt Dominus? Nónne & nobis ſimiliter eſt locutus?* nobis,id eſt, Aaroni,& Mariæ. *Exod.15. Num.12.*

Tempore quoque Iudicum non defuere vates,libro Iudicum,Propheta quidam innominatus inducitur: *Clamauit ad Dominum Iſraël poſtulans auxilium contra Madianitas,qui miſit ad eos virum Prophetam*,&c.Hunc volunt Hebræi fuiſſe Phinees, ſed refellit Abulenſis.Secundo etiam primi libri Regum capite alter Propheta ignotus ad Heli iudicem,ſacerdotemque ſummum mittitur,quem Abulenſis Angelum, Hebręi in Chronologia maiori Elcanam fuiſſe putãt. Præter hos Propheta fuit ſanctiſsimus populi iudex Samuel,Propheticorum collegiorũ,vt Hebræi volũt,fundator. Antequã ſpiritu afflaretur diuino , nõ erãt Prophetę,quod ſignificant verba illa: *Sermo Domini erat pretioſus,in diebus illis non erat viſio manifeſta.* Præter hos fuit etiam tempore Iudicum Prophetis Debora: *Erat autem Debora Prophetis vxor Lapidoth,quæ iudicabat populum in illo tempore,& ſedebat ſub palma,quæ nomine illius vocabatur,inter Rama,& Bethel,in monte Ephraim aſcendebantque ad eam filij Iſrael,in omne iudicium*,&c. *Iud.6. Prophetæ tẽpore iud.cũ 1.Reg.3. Iudic.4.*

Tempore autem Regum præter Prophetas , qui idcirco minores dicuntur , quòd minori volumine contineantur, & præter maiores,quibus à magnitudine librorum nomẽ hoc eſt impoſitum, alios quoque fuiſſe Prophetas,non ſolùm ex Hebræis , ſed etiam ex ſcriptura diſcimus,quorum libros non habemus.Tempore Dauidis Gad Propheta fuit : *ſermo Domini factus eſt ad Gad Prophetam , & videntem Dauid*,&c. erat Dauid ipſe Propheta, & Prophetam habebat Gad.Nathan præterea illo regnante vaticinatus eſt: Eccleſiaſt.*ſurrexit Nathan Propheta in diebus Dauid*,&c. 2Reg.12. *miſit Dominus Nathar ad Dauid* , &c.D.Dorotheus in Synopſi ait fuiſſe hunc Prophetã Dauidis doctorem:Nathan(inquit) regem Dauidem docuerat legem Domini,&c.Addunt Hebræi in Chronologia maiori , tempori Dauidis Aſaph, Heman , & Idithum, quorũ mẽtio extat in titulis Pſalmorum. *Alij Prophetæ tempore regum , quorum libros non habemus. 1.Reg.22. & 2.Reg. 24. Eccle.47. 2 Reg 12. D.Doroth.*

Tempore Salomonis Ahias Silonites Propheta extitit: *dicitur Silonites ab oppido Silo, in quo fuit tabernaculum*,vnde ait Ieroboam vxori ſuæ : *Vade in Silo , vbi eſt Ahias Propheta,qui locutus eſt mihi,quòd regnaturus eſſem ſuper populum hunc*, &c. Hic enim Ahias prædixerat Ieroboamo imperium in decem tribus. fuit eodem tempore vates Addo,qui de Salomone ſcripſit 2.Paral. 9. vixit etiam tempore Roboam , eiuſque geſta ſcripſit 2. Paralip.12. *3.Reg.11. 2.Paral.19. 2.Par.9. & 12.*

Tempore Roboam propheta fuit Addo , Ahias, & Semeias : *Factus eſt ſermo Domini ad Semeiam hominem Dei*,&c.Et c.12 *Semeias propheta ingreſſus eſt ad Roboam,& principes Iuda*,&c. *Dixitq; ad eos: Hæc dicit Dominus, vos reliquiſtis me,& ego reliqui vos in manu Seſac*,&c.Fuit etiam hoc tempore propheta ille , qui aduerſus altare ab Ieroboamo extructum vaticinium protulit. *1.Par.11. 3.Reg.13.*

Tempore Aſæ regis propheta fuit Azarias filius Obed. *Facto in ſe ſpiritu Dei egreſſus eſt in occurſum Aſa,& dixit ei,audite me Aſa,& omnis Iuda,& Beniamin , Dominus vobiſcum, quia fuiſtis cum eo , ſi quæſieritis eum,inuenietis , ſi autem dereliqueritis eum, derelinquet vos*, &c. *Quod cum audiſſet Aſa* , verba ſcilicet , & prophetiam Azariæ filij Obed Prophetæ , *confortatus eſt, & abſtulit idola de omni terra Iuda, & Beniamin*,&c. Eodem tempore Propheta fuit Hanani: *Venit Hanani Propheta ad Aſam regem Iuda & dixit ei,quia habuiſti fiduciam in rege Syriæ, & non in Domino Deo tuo , idcirco euaſit Syriæ regis exercitus de manu tua*,&c.Item: *iratus Aſa aduerſus videntem , iuſſit eum mitti in neruum*, &c. *2.Par.15. 2.Paral. 16.*

Tempore Regis Ioſaphat Propheta fuit Iehu, filius Hanani,hic reprehendit Ioſaphat,quod Achabo *3.Reg.14.*

præbuisset auxilium: *impio*, inquit, *præbes auxilium*, & 2. Paral. 19. *his, qui oderunt Dominum, amicitia iungeris?* &c. prophetauit quoque ad Iosaphatum Iahaziel filius Zachariæ leuita & Eliezet filius Dodan, de Maresa, ille victoriam contra Ammonitas, Moabitas, & Idumæos 2. Par. 20. prædixit, hic contritas Iosaphati naues, nec in Tharsis nauigare potuisse, quod cum Ochozia fœdus percussisset, nuntiauit. Tempore Iosaphati decem tribubus imperauit Achab, quo regnante Elias propheta fuit, fuerunt præterea multi alij, nam ait Abdias, centum Prophetis in speluncis delitescentibus se cibum suppeditasse: *Nũquid* (inquit, cum Helia 3. Reg. 18. loquens) *non indicatum est tibi, Domino meo quid fecerim, cum interficeret Iezabel Prophetas Domini, quod absconderim de Prophetis Domini centum viros, quinquagenos, & quinquagenos, in speluncis; & pauerim eos pane & aqua?* Eodẽ tempore Michæas filius Iemla necem Achabi apud vrbem Ramoth Galaad vaticinatus est, eum Sedecias Pseudopropheta alapa percussit, rex verò Achab in 3. Reg. 22. carcerem misit.

2. Paral. 24. Tempore Ioas mittebat Dominus Prophetas ad Israëlitas, vt reuerterentur ad Dominum quos protestantes illi audire nolebant, &c. Prophetarum nomina reticentur. Eodem tẽpore interfectus est Zacharias sacerdos filius Ioiadæ summi sacerdotis, qui diuino afflatus spiritu Israëlitas reprehẽdit, quod Deum & legem dereliquissent.

Tempore Amasiæ Propheta fuit innominatus: 2. Par. 25. *Venit homo Dei ad Amasiam, & ait, ô Rex, ne egrediatur tecum exercitus Israel*, &c. Eodem cap. mentio fit Prophetæ, qui eundem Amasiam regem arguit, quòd Deos alienos adorauerit: *Iratus Dominus contra Amasiam misit ad illum Prophetam*, &c. De hoc Propheta sic scribunt Hebræi in Chronologia: In diebus Amasiæ venit homo Dei ad illum, & ait, ne egrediatur tecum exercitus Israël, qui postremo ad ipsum descendens, scio, inquit, quod cogitauerit Dominus occidere te, 2. Par. 25. &c. hunc Prophetam ferunt fuisse Amos fratrem eius, id est, Regis Amasiæ, & patrem Isaiæ: Hæc in Chronologia.

2. Par. 28. Tempore Achaz Propheta fuit Obed, cuius hortatu Israëlitæ captiuos duarum tribuum libertate donarunt.

4. Reg. 22. Tempore regis Iosiæ extitit Prophetis Holda fœmina.

Ierem. 26. Tempore Ioachimi Propheta fuit Vrias, quem Ioachimus occidit, Iere. 26. Saraias quidam dicitur Ierem. 51. *princeps Prophetiæ*, an esset Propheta, dubium est. Lyran. principem fuisse putat Leuitarum, qui in templo laudes diuinas decantabant, à Dauide aliisque Prophetis compositas, ideoque principem Prophetiæ appellari. Septuaginta interpretes ex hebræo vertunt, *principem donorum*, Chaldæus similiter, *Saraias erat princeps munerum*, regia Biblia, *erat princeps quietis*. In Biblijs Vatabli dicitur: *princeps recreationis*, quod regię quieti & recreationi esset præfectus. forsitan dicitur princeps Prophetię, quòd cura Prophetarum, & vaticiniorũ penes eum esset. Huic cum rege Sedecia ad inuisendum regem Nabuchodonosorem proficiscenti Babylonem, Ieremias librum tradidit, quo vaticinium de euersione Babylonis continebatur, præcepitque, vt postquam Babylone librum legeret, lapidi illigatum in Euphratem proiiceret, cum huiusmodi denuntiatione: *Sic submergetur Babylon, & non consurget à facie afflictionis*, &c. Lege Ieremiam.

Saraias an fuerit Propheta. Lyranus.

Chaldæus.

Liber in Euphratem proiicitur.

Ierem. 51.

Præter hęc, ex scriptura habemus fuisse multos Prophetarum filios. Nam habuerunt Prophetæ in populo illo collegia, in quibus discipulos docebant, qui dicebantur filij Prophetarum, id est, discipuli. 4. Reg 1. Chaldæus. sic Chaldæus interpretatur, lib. 4. Regum 1. & sequẽtibus, filios Prophetarum appellat discipulos Prophetarum. appellat quoque eosdem scribas, id est, *De filijs Prophetarum.*

A sapientes, *O huium habebis gregem Prophetarum descendentium de excelso*, &c. Chaldæus vertit, *offendes cœtum scribarum, descendentium de modo confessus*. Etenim hi Prophetarum filij, siue Prophetæ, scribæ erant, id est, sapientes, quia legis, diuinarumque rerum studio vacabant. prophetare etiam dicuntur, quia diuinas laudes canebant. *Obuium habebis gregem Prophetarum*, ait Sauli Samuel, *descendentium de excelso, & ante eos psalterium, & tympanum, & tibiam, & citharam, ipsósque prophetantes*, hoc est, diuinas laudes canentes, vt interpretantur Isidorus Clarius, Vatablus, Abulensis episcopus, Caiet. & alij. Chaldęus, quod noster interpres dixit, *Cum vidissent cuneum Prophetarum vaticinantium*, vertit: *Turmam scribarum laudantium*: Forsitan laudes canebant propheticas & à Prophetis compositos B hymnos. Verbũ prophetare aliquando diuinas laudes canere significat: *Dauid, & magistratus exercitus, segregauerunt in ministerium filios Asaph, & Heman, & Idithum, qui prophetarent in citharis, & psalterijs, & cymbalis*, &c. Hoc est, qui Deum laudibus celebrarẽt, adhibitis musicis instrumentis. idem quoque filij Prophetarum faciebant. Inter eos tamẽ aliqui Prophetæ erant, vel forsitan omnes. Id colligitur ex 2. Regum: *Egressi sunt filij Prophetarum, qui erant in Bethel, ad Eliseum, & dixerunt ei, nunquid nosti, quia hodie Dominus tollet Dominum tuum*, id est, Eliam, *à te?* Item: *Accesserunt filij Prophetarum, qui erant in Iericho, ad Eliseum, & dixerunt ei: nunquid nosti, quia Dominus hodie tollet Dominum tuum à te?* &c. Sciebant ergo prophetico spiritu filij Prophetarum, Eliam illo die tollendum, ergo Prophetę erant, C quibus futura Deus aperiebat.

1. Reg. 10. *Clarius. Vatablus. Abulensis. Caietanus.* 1. Reg. 19. *Prophetare significat aliquando Dei laudes canere à Prophetis compositas, vel alias.* 1. Par. 25. 2. Reg 4.

Horum propheticorum collegiorũ fundatorem, & auctorem Hebræi Samuelem faciunt, vt docet Genebrardus in Chronographia: Comestor in historia libri primi Regum capite decimo: Nota, inquit, quod Samuel primò instituit conuentus religiosorum, iugiter psallentium Domino, & dicebãtur prophetare, id est, iugiter Deum laudare, & fortè aliqui quandoque prophetabant ex eis, hæc ille. Colligitur hæc sentẽtia ex Scriptura: tempore enim Samuelis, primùm fit horum Prophetarum mẽtio, 1. Reg. 10. & 19. Samuel filijs Prophetarum præsediisse dicitur: *Misit Saul lictores, vt raperẽt Dauid, qui cum vidissent cuneum Prophetarum vaticinantium, & Samuelem stantem super eos, factus est etiam Spiritus Domini in illis, & prophetare cœperunt etiam ipsi*, &c. Stabat igitur Samuel super Prophetas, siue filios Prophetarũ, & docebat eos. Postea Elias, 4. Reg. 6. & Eliseus, munus idem obierunt. Chaldæus verba illa 1. Reg. 19. sic interpretatur, *vidit turmam scribarum laudantium, & Samuelem stantem docentem super eos.*

Genebrard. Collegiorum prophetieorũ Autor Samuel. Comestor.

Chaldæus.

Erant autem prophetica collegia in colle Dei. 1. Reg. 10. in Ramatha patria Samuelis. 1. Reg. 19. in Bethel, & in Iericho 4. Reg. 2. fortè alijs etiam in locis erant. Hebræi in Chronologia maiori, c. 21. Nulla, inquiunt, erat vrbs in terra Israël, quæ non habe- 1. Reg. 10. ret Prophetas, &c. Chaldæus, 1. Reg. 19. appellat col- 1. Reg. 19. legium, quod erat in Ramatha domum doctrinæ; 4. Reg. 2. quod enim nos legimus; *interrogauit Saul, & dixit: In quo loco sunt Samuel, & Dauid? dictumq; est ei: Ecce in Naioth sunt, in Ramatha*, &c. interpretatur. *Rogauit Saul, & dixit, vbi Samuel, & Dauid? & dixit*, scilicet aliquis: *Ecce in domo doctrinæ, in Ramatha, & abijt illuc in domum doctrinæ, quæ in Ramatha*, &c. id est, in collegium filiorum, vel discipulorũ, qui à Samuele Propheta docebãtur. D

Hebræi. Loca in quibus erant filij Prophetarũ.

Non erit forsitan inanis coniectura, si quis filios Prophetarum propriè à Prophetis genitos appellari coniecerit. Etenim Prophetæ filios habebant, & aliquando filios Prophetas. Vnde existit documentũ illud Hebræorum, ab Hieronym. traditum, in Commentarijs primi capitis Sophoniæ: *Tradunt*, inquit, *Hebræi cuiuscunque Prophetæ pater aut auus ponatur in titulo, ipsos quoque Prophetas fuisse.* Vnde & Amos, qui dixe- *D. Hieron.*

rat

rat, *non sum Propheta, nec filius Prophetæ*, patris nomen in titulo non habet, hoc si verum est, Sophonias nomine prophetico, & gloriosa maiorum stirpe generatus est. Hæc Hieronym. hi ergo Prophetarum filij in collegijs, de quibus diximus, simul cum alijs fortè erudiebantur. Fuit episcopus Abulensis 3. Reg. 16. Licet, inquit, Prophetia non deriuaretur ex progenie, tamen sæpissimè filij Prophetarum erant Prophetæ, & ob hoc dixit Amos: *Non sum Propheta, nec filius Prophetæ*, quasi dicat, quòd sicut Prophetæ sciũt, quæ Deus loquitur, ita & filij Prophetarum, quia ipsi communiter sunt Prophetæ. Et si filij Prophetarũ, vt communiter, vel saltem sæpe, non essent Prophetæ, frustra dixisset Amos: *Nõ sum Propheta, nec filius Prophetæ*, sed sufficeret dicere, *non sum Propheta*. Hæc ille.

Abulensis.

Prophetæ autem futura prædicebant, & de Messia vaticinia edebant. vnde illud Petri: *Et omnes Prophetæ, à Samuel, & deinceps, qui locuti sunt, & annuntiauerunt dies istos*, id est, Christi: Item eodem capite: *Deus, qui prænuntiauit per os omnium Prophetarum pati Christum suum, sic impleuit*, &c. Et: *Huic*, id est, Christo, *omnes Prophetæ testimonium perhibent, remissionem peccatorum accipere per nomen eius omnes, qui credunt in eum*, &c. Et Paulus: *Nunc autem sine lege iustitia Dei manifestata est, testificata à lege, & Prophetis.* Luc. *Consummabuntur omnia, quæ scripta sunt per Prophetas de filio hominis*, &c. *Incipiens à Moyse, & omnibus Prophetis, interpretabatur illis in omnibus scripturis, quæ de ipso erant*, &c. Item: *Necesse est impleri omnia, quæ scripta sunt in lege Moysi, & Prophetis, & Psalmis de me*. Quia verò Prophetarũ vaticinia nõ obuia cuiq; sunt & aperta, sed obscura; Sequitur: *Tunc aperuit illis sensum, vt intelligerent Scripturas*. Hebræi quoque Prophetas de Messia vaticinatos credũt, vnde Rab. Haia Abę filius ex doctrina R. Iohanan: *Vniuersi*, ait, *Prophetæ, non nisi de diebus Christi vaticinati sunt*, Item, vniuersi Prophetæ non nisi de Christo vaticinantur. idque discipulo sapientum, & ei, qui se in actione virtutis exercet, discipulo sapientum, & ei, qui liberaliter largitur discipulo sapientum, de suis facultatibus, &c. Et Lyranus Exodi 12. Rab. Salomon dicit, & antiqui doctores Hebræi, quòd omnes Prophetæ, non prophetauerunt, nisi ad diem Messię, &c. Et ad Roman. 3. Dicit Rab. Salomon Hebræus, quod Prophetę nõ sunt locuti, nisi ad dies Messiæ, quod est intelligendum de principali intentione, &c.

Act. 3. *Act. 10.* *Rom. 3.* *Luc. 18.* *Luc. 24.* *Rab. Haia. Prophetæ de Christo vaticinati sunt.* *Lyranus.*

Libros præterea sacros scripserunt Prophetæ, vt docet Iosephus libro 1. contra Appionem: Neque conscribendi, inquit, potestas omnibus data, neque est vlla in conscriptione discordia, sed solummodo Prophetis antiquissima quidem, secundùm inspirationem factam à Deo, cognoscentibus, alia verò suorum temporum, sicuti sunt facta, palam conscribentibus, infiniti libri nõ sunt apud nos, sed solummodo duo & viginti. Horum quinque sunt Moysis, à morte verò Moysis, vsque ad Artaxerxem Persarũ Regem, qui fuit post Xerxem, Prophetæ suorũ tẽporum res gestas conscripserunt, in tredecim libris: reliqui verò quatuor, Hymnos in Deum, & vitę humanæ præcepta noscuntur continere. Ab Artaxerxe verò vsque ad nostrum tempus, singula quidẽ conscripta, non tamen priori simili fide sunt habita, eo quod non fuerit certa successio Prophetarum. Hæc Iosephus.

Iosephus. *Prophetæ libros sacros scripserunt.*

Scripsisse autem Prophetas temporum illorũ historias, etiam ex Scriptura est compertum. *Gesta Dauid Regis, priora, & nouissima, scripta sunt in libro Samuelis videntis, & in libro Nathã Prophetæ, atq; in volumine Gad videntis, vniuersique regni eius, & fortitudinis, & temporũ, quæ transierunt sub eo, siue in Israël, siue in cunctis regnis terrarũ*, &c. *Reliqua gestorum Iosaphat, priorum, & nouissimorum, scripta sunt in verbis Iehu filij Hanani, quæ digessit in libros regum Israel*, &c. Iehu autem hic Propheta erat. *Reliqua autem opera Salomõ priorum & nouissimorum scripta sunt in verbis Nathan Prophetæ, & in libris Abiæ Silonitis.* In visione quoque Addo videntis contra Ieroboam filij Nabat: *Opera Roboam prima, & nouissima, scripta sunt in libris Semeiæ Prophetæ, & Addo videntis, & diligenter exposita*, &c. *Reliqua sermonum Abiæ, viarumq;, & operum eius, scripta sunt diligentissimè in libro Addo Prophetæ*, &c. *Reliqua sermonum Oziæ, primorum, & nouissimorum, scripsit Isaias filius Amos Propheta*, &c. Ex his satis liquet, Prophetas regum gesta, illorumque temporum historiam literis mandasse. Hebræi libros 4. scilicet Iosue, Iudicum, Samuelis, & Regum, Prophetas priores appellant, quod à Prophetis sint conscripti, vt infrà dicitur cap. 24.

1. Par. 10. *2. Par. 20.* *2. Par. 9.* *2. Par. 12.* *2 Par. 13.* *1. Par. 26.*

Denique, vt aliquid de vestitu dicamus, Prophetæ sacco vtebantur, cum ad pœnitentiam populum volebant prouocare, Isaiæ præcipit Deus: *Solue saccum de lumbis tuis, & calceamenta tua tolle de pedibus tuis.* Calceos ergo gestabat Propheta Isaias, saccoq; erat indutus. De Prophetis falsis dicitur: *Nec operientur pallio saccino, vt mentiantur*, &c. Quo loco D. Hieronymus sic scribit: Hic erat habitus Prophetarum, vt quando populum ad pœnitentiam prouocabant, indueretur cilicio. Ergo Pseudopropheta nequaquam habitum accipiet prophetalem, ne sub alieno vestitu simplices decipiat, &c. Habitum cilicinum appellat prophetalem. Hic erit habitus Eliæ & Enoch, cum extremo tempore prophetabunt. *Dabo duobus testibus meis, & prophetabunt diebus mille ducentis sexaginta amicti saccis*, &c.

Isaiæ 20. *Zachar. 13.* *Habitus prophetalis cilicinus.* *D. Hieron.* *Apoc. 11.*

Sacræ literæ tradunt Prophetas ab Israëlitis fuisse occisos, qui autem & quomodo occisi sint, non tradũt Lucas: *Ierusalem, quæ occidis Prophetas*, Matth. *Si fuissemus in diebus patrum nostrorum, non fuissemus eorum socij in sanguine Prophetarum.* Act. *Quem Prophetarum non sunt persecuti patres vestri, & occiderũt eos, qui prænuntiabãt de aduẽtu iusti.* 1. Thessal. *Iudæi Dominum occiderunt & Prophetas*, &c.

Prophetæ occisi. *Luc. 13.* *Matth. 22.* *Act. 7.* *1. Thess. 2.*

In primis Isaiam eximium Prophetam constat sub Manasse rege in duas partes sectum occubuisse, sic enim Romanum docet Martyrologium, & Origenes in epistola ad Africanum: Est, inquit, manifestum, quod dicunt traditiones, sectum esse Isaiam Prophetam, &c. Dorotheus in synopsi: Isaias, inquit, mortuus est Ierosolymis, sub rege Manasse, sectus in duas partes. idem scripsit D. Isidorus in libro de vita & morte sanctorum: Isaiam, ait, Manasses extensum à vertice per medium secuit, &c.

Isaias sectus.

Ieremias lapidibus est obrutus à Iudęis in Ægypto apud Taphnas, quò cum populi reliquijs abierat, vt suprà scripsimus. Tradit Martyrologium Romanum, Dorotheus, Isidorus, & alij. *Missus in lacum est regnante Sedecia*, Ierem. 38. in atrio quoque carceris clausus, Ierem. 32.

Ieremias lapidibus obrutus. *Ierem. 38.*

Ezechiel à iudice populi Israël, quòd cum de cultu idolorum argueret, apud Babyloniam est interfectus, Martyrologium Romanum, Dorotheus, Isidorus. Amos Prophetam Amasias sacerdos plagis frequenter afflixit, & filius eius Ozias vecte per tempora transfixit, qui postea semiuiuus in patriam deuectus ibidem expirauit. Martyrologium Romanum, Dorotheus, Isidorus, Michæam ait Dorotheus à Ioramo filio Achabi præcipitio necatum. Præter hos, de Vria Propheta, qui vixit tempore regis Ioachimi, Ierem. viri de senioribus terræ hęc verba faciunt: *Fuit vir prophetans in nomine Domini, Vrias filius Semei, de Cariathiarim, & prophetauit aduersus ciuitatem istã, & aduersus terram hanc, iuxta omnia verba Ieremiæ. & audiuit Rex Ioacim, & omnes potentes, & principes eius, verba hæc, & quæsiuit Rex interficere eum, & audiuit Vrias, & timuit, fugitq;, & ingressus est Ægyptũ, & misit Rex Ioacim viros*

Ezechiel occisus. Amos, Michæas. Vrias. *Ierem. 26.*

viros in Ægyptũ Elnathan filium Achobor, & viros cum eo in Ægyptum, & eduxerunt Vriam de Ægypto, & adduxerunt eum ad Regem Ioacim, & percussit eum gladio, & proiecit cadauer eius in sepulchris vulgi ignobilis,&c.

Iis adde Michæam filium Iemla, quem Sedecias Pseudopropheta alapa percussit, & Achab in carcerem coniecit, 3.Regum 22. Adde etiam Iehu filium Hanani, de quo 3. Regum 16. hæc leguntur: *Baasa occidit eum, hoc est, Iehu filiũ Hanani Prophetam*,&c. Occisus ergo est Iehu Propheta, à Rege Baasa. Verùm aliud probatur ex 2. Paralipom. capite 19. & capite vigesimo, ex quibus constat Iehu vixisse tempore Regis Iosaphati, non potuit igitur vita priuari à Rege Baasa, quem ex libro 3. Regum capite 16. constat obiisse, antequam regnaret Iosaphat. Nam filius Baasæ Ela successit patri, regnante Asa patre Iosaphati. Præterea Iehu filius Hananiviuebat post mortem Achab, reprehendit enim Iosaphatum, quòd fuisset comitatus Achab in illud bellum, in quo est occisus, 2. Paralip. 19. ergo non est occisus à Baasa, qui multo ante Achab è vita migrauit. Denique Hanani gesta omnia Iosaphati, literis mandauit, 2. Paralipom. 20. ergo vixit etiam post Iosaphat, atque adeò non potuit interfici à Baasa. Itaque verba illa. 3. Regum 16. *Hoc est, Iehu filium Hanani Prophetam*, Abulensis 3. Regem 16. ex aliqua Glossa in textum irrepsisse scribit. Lyranus quoque nõ dissentit. At in Biblijs correctis non expunguntur, sed conseruãtur. Quãobrem respondendum est cum Dionysio Carthusiano 2. lib. Paralip. cap. 19. duos fuisse eiusdem nominis Prophetas, quorum alter fuerit à Baasa vita priuatus, alter postea vixerit; nisi fortè vnus & idem à Baasa est interfectus, & à Deo postea in vitam reuocatus.

3. Reg. 22. 3. Reg 16. Michæas. an sit interfectus Iehu Propheta à rege Baasa. 2. Par. 19. & 20.

De tertio statu populi Israël, post captiuitatem Babylonicam.

CAPVT XXIV.

De Esdra Sacerdote, Nehemia, & Pontificibus vsque ad Alexandrum Magnum.

Resp. Iudæorum per Pontifices administrata.

TErtius Israëlitici populi status post captiuitatẽ fuit Babylonicam. Tunc, vt Iosephus testatur lib. 11. antiq. c. 4. ea Reipub. forma est instituta, quæ per optimates administratur, & à Græcis dicitur ἀριστοκρατεία, penes Pontifices, autem summa erat auctoritas. Penes Pontifices ait Iosephus, fuit summa auctoritas, donec Assamonæorum, id est, Machabæorum gens, mutato rerum statu, regnum obtinuit, & lib. 20. antiquit. c. penult. Iesus, inquit, Iosedeci filius, & eius posteri quindecim, vniuersi vsque ad regem Antiochum Eupatora, statum Reipubl. popularem rexerunt, &c. Primus Pontifex post captiuitatem fuit Iosue filius Iosedec, *Surrexit Iosue filius Iosedec, & fratres eius sacerdotes*, &c. Iosedec autem pater Iosue fuit etiam summus sacerdos ductus Babylonem captiuus. *Iosedec egressus est, quando transtulit Dominus Iudam & Ierusalem per manus Nabuchodonosor*, &c. Appellatur hic Iosue Iesus: *Ostendit mihi Dominus Iesum sacerdotem magnum*, &c. Hebraicè Iehosuah. Tẽpore huius Pontificis dux fuit ex familia Dauidis Zorobabel, nondum enim Pontifices rem profanam administrabant, sed sacræ præerant. Eodem tempore prophetiæ munere functi sunt Aggæus & Zacharias: *Prophetauerunt autem Aggæus, & Zacharias filius Addo, prophetantes ad Iudæos, qui erant in Iudæa, & Ierusalem, in nomine Dei Israel*, &c. Ad templi ædificationem populum prouocabant; eodem capite: *Tunc surrexerunt Zorobabel filius Salathiel, & Iosue filius Iosedec, & cœperunt ædificare templum Dei, in Ierusalem, & cum eis Prophetæ Dei adiuuantes eos*, &c.

Esdr. 3. 1. Par. 16. Post captiuitatẽ primus Pontifex Iosue filius Iosedec. Zach. 3. Esdræ 5. Aggæus, & Zacharias Prophetæ post captiuitatẽ.

Post Zorobabelẽ, & Iosue, vt suprà iam scripsimus, Esdras è Babylonia venit, qui, vt colliges ex lib. 1. Esdræ, cap. 7. & lib. 1. Paralip. cap. 6, fratrer fuit Iosedec summi sacerdotis, filius Saraiæ, summi item sacerdotis. Is Hebræos, qui nunc in vsu sunt, characteres inuenit, vt Hieron. testatur in Prologo Galeato: Certum, inquit, est Esdram scribam, legisque doctorem, post captam Ierosolymam, & instaurationem templi, sub Zorobabel alias literas reperisse, quibus nunc vtimur. Cum ad illud vsque tempus ijdem Samaritanorum & Hebræorũ characteres fuerint. & Ezechiel, 9. Antiquis, ait, Hebræorum literis, quibus vsque hodie vtuntur Samaritani, extrema, thau, litera, crucis habet similitudinem, &c. Eusebius item in Chronico: Affirmatur, inquit, Esdras literas Iudaicas commutasse. Et Beda Esdræ 7. Ferunt, inquit, pro certo Hebræi, quòd Esdras leuiores literas excogitauit, sub nominibus earũ, quas ante habuerant, quibus velocissimè tantam librorum copiam, quæ consumpta erant, reficeret. Ideò non solùm scriba, sed etiam velox nominatur Esdræ 7. priores autem literæ remanserunt apud Samaritas, quibus illos quinque libros Moysis, quos solos de Scriptura sancta receperant, scribere solebant. Hæc ille. Idem docent Lyranus, & Carthusianus, Esdræ 7. Comestor in historia libri Iudith, cap. 5. & D. Isidorus in libro de vita & morte Sanctorum: Esdras, inquit, hebraicarum literarum monumẽta inuenit. D. etiam Anton. p. p. histor. tit. parag. 14.

1. Esdræ 7. 1. Par. 6. Esdras Hebræos characteres reperit. D. Hieron. Euseb. Beda. Lyranus. Carthus. Comestor. D. Isidor. D. Anton.

Idem tradit Genebrardus lib. 2. Chron. Elementa, inquit, quibus iam olim, hodieque Iudæi vtuntur, sunt Assyriorum, non veterum Hebræorum, auctore Esdra, qui ideo literas, idque vt opinor Synodi cõsilio, & auctoritate mutauit, quòd has Samaritani calleient, vel quia etiam veterum Hebræorum, quã Assyriorum operosior erat Scriptura. In tractat. Sanedrim. Et infrà: Tradita est lex charactere hebræo, idiomate sancto, quæ Esdræ tẽporibus in Arameum, id est, Syriacum idioma, & Assyrios mutata est characteres. At paulo post, characteres Assyrios retinẽtes, sanctum elegerunt sibi idioma, hebræum characterem, & Arameum idioma. idiotis relinquentes. Mar. Sutra in tracta. Sanedrim. Per idiotas intelligit Samaritanos. Rab. Hista Rabbi verò affirmat à principio ijsdem, quibus nunc scribitur, characteribus datam legem, mutatam quidem aliquando, sed restitutam. At R. Simon: Nullo, inquit, tempore nec scribendi nec loquendi modus mutatus est. Hæc illi de mutatione literarum.

Genebrar.

Non solùm autem literas, verùm linguam etiam post captiuitatem mutasse dicuntur Hebræi. Etenim nõ vt antea pura hebræa, sed corrupta lingua vsi videntur, in Chaldæum idioma degenerante, quod in Babylonica captiuitate didicerant. Arias Montanus in præfatione Masoreth: Constat, inquit, apud omnes, qui antiquas Hebræorum historias legerunt, Iudæis hebraicæ linguæ vsum, in Chaldaicum primum sermonem, deinde ex illa captiuitate in patriã restitutis, in Syriacum degeneraſſe. Guido etiam Fabricius in epistola ad Ariam, quæ extat initio dictionarij Syrochaldaici in regijs biblijs, affirmat Iudæos ex captiuitate reuersos nouam linguam Syriacam effeciſſe: Iudæi, inquit, qui ad patrias sedes in Syriam reuersi sunt, sensim labentibus annis, Chaldæoque sermone nonnihil immutato, Syriacę linguę dederunt originem, &c. In præfatione verò Euangelij Syriaci,

An Hebræi post captiuitatem Babylonicam mutarint linguam. Arias Montanus. Guido Fabricius.

Syriaci,hac lingua putat Chriſtum Opt. Max. locutum,& Apoſtolos, quippe quæ Iudæis tunc temporis vernacula eſſet. Noſter quoque Bellarminus in eadem eſt opinione lib.2.de verbo Dei,cap.4.& alij.

Marc 5. Matth.27. Marc.3. Act.1. Matth.6. & 27. Ianſenius. 2.Eſdr.8.

Faciunt fidem vocabula,quæ in Euangelijs reperiuntur Syriaca,Marci 5.*talitha*, Matth 27. *Golgotha*, Marc.3. *Boanerges*,Act.1. *Akeldema*,1.Chorinth. vltim. *maran atha*, *Abba pater*,Matthæi 6.*mammona*.Matth.27. *Sabachtani*. Vnde Ianſenius concordiæ cap. 34. Ex pleriſque,inquit,locis Euangelij colligitur Dominũ plebeis hominibus locutum fuiſſe non purè hebraicè,ſed Syra lingua,quam tunc in Iudæa vernaculam fuiſſe certiſſimum eſt,&c. Colligitur etiam hæc opinio ex lib.2. Eſdræ Leuitæ enim, & Eſdras eo loco legem populo interpretantur. *Legerunt in libro legis* B *Dei,diſtinctè,& apertè ad intelligendũ,& intellexerũt,cũ legeretur.* & infrà: *Eſdras & Leuitæ interpretãtes vniuerſo populo* Rurſus: *Abijt omnis populus,vt comederet,& biberet,& mitteret partes,& faceret lætitiã magnã, quia intellexerãt verba, quæ docuerant eos.* Item: *Congregati ſunt principes familiarum vniuerſi populi,Sacerdotes & Leuitæ, ad Eſdram ſcribam, vt interpretaretur eis verba legis.* Interpretatione indigebat lex,ergo populus idioma hebræum non intelligebat,quod vero per interpretem intellexiſſet,lętatus eſt.Verùm locus non probat. Interpretabantur enim Leuitæ,& Eſdras legis ſenſum,nõ verba,dicet, qui hanc opinionem reſpuerit,quam ob cauſam lætitia affectus eſt populus.Si ex Ioan. Phariſæorum

Ioan.7. illa verba afferas:*Turba hæc, quæ nõ nouit legem,maledicti* C *ſunt*,& inferas,ergo turba,& vulgus Iudæorum, hebræum legis ſermonem non intelligebat. Reſpondebit,ſermonem quidem hebræum intellexiſſe,non tamen fuiſſe legis peritum,& in lege verſatum.

Abulenſis. Abulenſis, Matth. 10.q. 3. Iudæos non quidem propriã linguam Syriacã effeciſſe, ſed lingua, qua reliqui Syri vtebantur,vulgo vſos ſcribit: *Cephas*, inquit, non eſt nomen hebræum,ſed Syrum, vt Rabanus dicit.ratio huius eſt,quia Iudæa eſt pars Syriæ, & ita vulgare totius terræ Iudææ erat Syriacum, & Iudæi imponebant ſibi nomina multa Syriaca ſecũdùm conſuetudinem vulgarem,&c.

Mihi difficile videtur cõcedere Hebræos, qui per D ducentos annos in Ægypto hebręam linguam retinuere,amiſiſſe eandẽ in captiuitate Babylonica,quæ annorum 50.fuit,vt ſuprà oſtendimus in poſt Ægyptiacam ducentorum annorum captiuitatem, hebraicè locuti ſunt, cur poſt quinquaginta annorum captiuitatem,Syriacam linguam effecerunt ? ideo meritò Abulẽſis in prolog.Galeatum, q. 1.Nullum, inquit,motiuum eſſe poteſt ad videndum,quomodo omnes Iudæi linguam paternam, quã à ſæculis habuerũt,in captiuitate Babylonica perderent, cùm tantus populus tranſlatus fuerit in Babylonem, potiſſimè quia non manſerũt ibi longo tẽpore, ita vt aliqui de illis,qui iuerãt in captiuitatem, redirẽt poſtea,hæc ille.Suſpecta mihi eſt opinio.Præterea quia recentiorum eſt,nec vſpiam,quod ſciam, illius me- E minit hebraicorum ſcriniorum ſcrutator Hieronymus,imò Euangeliũ Matthæi, quod lingua vulgari ſcripſit,hebræâ lingua ſcriptum affirmat,Syriacę nõ meminit. Opinio nititur vocabulis Syriacis quæ in Euangelio reperiuntur.At reſpondemus, Iudęos ex lingua Syriaca vicinarum gentium, vocabula mutuatos aliqua,non tamen nouam linguam effeciſſe. Concedimus itaque hebręam linguam alienis vocabulis Iudęos,vt ſolent, locupletaſſe : Prętera nõnihil à priſtina puritate deflexiſſe. Adde Apoſtolos non admodum verba curaſſe, ideo obuiis quibuſq; & ſermone Galilęo vſos,qui à puritate hebręa degenerauerat.Huius ſententię eſt Rabbi Simon, cuius verba citata illa ſunt:Nullo tempore,nec ſcribendi, nec loquendi modus mutatus eſt,&c.

Ab eodem Eſdra poſt captiuitatem aiunt Patres, A *D.Irenæus. Eſdras ſacros libros repararit.* ſacros libros,quos Chaldæi incenderant, reparatos. D.Irenæus li.3.cap.25.In ea captiuitate populi, quæ facta eſt à Nabuchodonoſor corruptis ſcripturis, & poſt ſeptuaginta annos Iudæos deſcendẽtibus in regionem ſuam,& poſt deinde temporibus Artaxerxis Perſarũ regis,inſpirauit Deus Eſdræ ſacerdoti, præteritorum Prophetarũ omnes rememorare ſermones,& reſtituere populo eam legem,quę data eſt per Moyſem,&c. Tertullianus in lib.de habitu mulie- *Tertull.* bri capit. 3. Potuit, inquit, Noë Scripturam Enoch abolefactam, in ſpiritu rurſus reformare, quemadmodum & Ieroſolymis Babylonica expugnatione deletis,omne inſtrumentum Iudaicæ literaturę, per Eſdram conſtat reſtauratum,&c. Autor de mirabilibus ſacræ Scripturæ lib.2.cap.33.Eſdras combuſtam à Chaldæis in archiuis templi reſtituit legem, nempe qui eodem ſpiritu, quo antea ſcripta erat, plenus fuit.Euſebius in Chronico: Fuit Eſdras eruditiſſimus *Euſebius.* legis diuinę,& clarus omnium Iudæorum magiſter, qui de captiuitate regreſſi fuerant in Iudæam, affirmaturque diuinas Scripturas memoriter cõdidiſſe, & vt Samaritanis non miſcerentur, literas Iudaicas *Bedæ.* commutaſſe,&c. Beda Eſdræ 7.Scriba velox in lege Moyſi appellatur Eſdras, quia legẽ Moyſi, quæ conſumpta erat,refecit. & etiam (vt communis maiorũ fama eſt)omnẽ ſacræ Scripturæ ſeriem, quam ignis abſumpſerat, prout videbatur legentibus ſufficere,ſcripſit,& nonnulla,vt fertur, quę opportuna putabat,adiecit,&c.D.Iſidorus in lib. de vita & morte *D.Iſidorus. Clemens Alexand* Sanct.Eſdras legem incenſam renouauit. Clemens Alexand.lib.1.ſtrom.Per Eſdram facta eſt diuinitus inſpiratorum eloquiorum recen ſio & renouatio, &c.Theodoretus in præfatione Pſalmorum : Eſdras *Theodoret.* diuino numine afflatus, ſacrorum voluminum memoriam illis hominibus renouauit. Idem ſcribit Comeſtor in hiſtor. Iudith,cap.5. D. Anton. 1. part. *Comeſtor. Carthuſia.* hiſtor.titulo 4. §.17. Carthuſianus, & Lyranus Eſ- *Lyranus.* dræ 7.& Abulenſis lib.2. Paralip. cap. 9. quæſt. vlt. *Abulenſis.* Deus(inquit)dedit Propheticum ſpiritum Eſdræ,ad reſtaurandum omnes libros legis , qui ante captiuitatem Babylonis ſcripti erant.

Rogabis, num memoriter ſcripturas dictarit Eſ- *An Eſdras memoria libros ſacros renouerit, & ex memoria repararit.* dras, atque ita dictando repararit, an ex libris , qui ſupererant,correxerit,& inſtaurarit?Euſebius aper- *Euſebius. Tertullian* tè Eſdram memoriter ſacros libros protuliſſe ſcri- *D.Iſidorus.* bit. Idem videntur ſentire Tertullianus,& Irenæus, vt ex eorum verbis colliges, Iſidorus quoque,& alij, qui aiunt eũ legem incenſam renouaſſe. Cùm enim incenſam dicunt , ſignificant non extitiſſe libros, vnde repararetur.Magnum hoc miraculum fuit,ſpiritu diuino afflatum hominem,memoriter tot libros dictaſſe,nec à veritate alienum. Simile habes 4. Eſdræ 14. ſed Apocrypho.

Veruntamen fortè probabilius eſt,quod D.Atha- *D. Athan.* naſius in Synopſi ait,Eſdram libros ſacros cuſtodiſſe. Narratur , inquit, de Eſdra,quod cum libri ſacri per incuriam populi,ac diuturnam captiuitatẽ periiſſent , ipſe illos cum vir eſſet honeſti ſtudioſus , induſtrius, & lector, apud ſe omnes cuſtodierit , & tandem protulerit, omnibuſque tradiderit , atque ita ſeruauerit, &c.D.Chryſoſt. addit , explanaſſe, & ex *D Chryſ.* reliquijs compoſuiſſe homil. 8. ad Hebræos : Deus, inquit , virum inſpirauit admirabilem , id eſt , Eſdram,vt ſcripturas exponeret, & fecit, vt componerentur ex reliquijs , &c. Ex D.Hilarij præfatione in *D.Hilar.* Pſalmos colligitur,diſperſos libros in vnum corpus coniunxiſſe.'De Pſalmis enim ſic ille:Eſdras, vt antiquæ traditiones ferunt, incompoſitos Pſalmos , & pro autorum ac temporum diuerſitate diſperſos, in volumen vnum collegit & retulit, &c. Idem de cæteris libris conjicitur.

Collegit

Collegit igitur Esdras scripturas, an aliquid erroris hominum negligentia vel prauitate irrepsisset, spiritu Prophetico examinauit, correxit, & in corpus vnum, & ordinem, quem Hebræi seruant, redegit. Vnde D. Isidorus lib. 6. Etymologiarum, cap. 1. Hebræi (inquit) vetus Testamentum Esdra autore, iuxta numerum literarum suarum, viginti duobus libris accipiunt, diuidentes eos in tres ordines, videlicet Legis, & Prophetarum, & Hagiographorũ, &c. Legis libri sunt quinque libri Moysis, siue Pentateuchus: Prophetarum ordo 8. libros complectitur, nempe quatuor libros Prophetarum priorum, scilicet Iosue, Iudicum, Samuelis, & Regum tertiũ, & quartum, hos Prophetarum appellant, quia à Prophetis sunt conscripti, & quatuor libros Prophetarum posteriorum, Isaiæ, Ieremiæ, Ezechielis, & duodecim Prophetarum minorum, qui omnes vno lib. copulantur. Hagiographa, id est, sancta scripta nouem sunt: Psalmi, Prouerbia, Canticum canticorum. Ecclesiastes, Iob, Daniel, Esdras, Paral. Esther. Nam Ruth subiiciunt velut appendicem libro Iudicum. De Hebræis loquimur, nam Canon Ecclesiæ Catholicæ plures libros recipit. De Canone Hebræorũ loquitur Hieronymus in prologo Galeato, cum sacros libros sic numerat: Fiunt, inquit, pariter veteris legis libri viginti duo, id est, Moysis quinque, & Prophetarum 8, Hagiographorum nouem, quamquam nonnulli Ruth & Threnos Ieremiæ inter Hagiographa scriptitent, & hos libros in suo putent numero supputandos, ac per hoc esse priscę legis libros viginti quatuor. Hæc Hieronymus.

D. Isidorus.

Ordo sacrorũ librorum iuxta Hebræos.

Seruata autem à Iudæis sacra volumina suadet, quod illi sacrum ignem in profundo puteo seruarunt, vt scribitur 2. Machab. Si ignis tantam habuere curam, cur non etiam scripturarum? Adde Ieremiam Prophetam, postquam Ierusalem est expugnata, voluntati suæ permissum. Præceperat Nabuchodonosor Rex Babylonis de Ieremia, Nabuzardan magistro militum dicens: *Tolle illum, & pone super eum oculos tuos, nihilq; ei mali facias, sed vt voluerit, sic facias ei*, &c. Potuit igitur Ieremias facile sacra volumina conseruare, & incendio eripere, quemadmodum arcam, altare incensi, & tabernaculum eripuit, vt dicitur 2. Machab. potuerunt, & alii qui cum eo in Ægyptum sunt profecti. Iis adiunge, Nehemiam post reditum à captiuitate, libros Prophetarum & alios sacros congregasse, vt dicitur 2. Machab. vnde colligitur non omnino in captiuitate perijsse.

2. Mach. 1.

Ierem. 39.

2. Mach. 2.

2. Mach. 2.

In libro Esdræ quarto Apocrypho ducentos quatuor libros diuinitus à se dictatos his verbis scribit Esdras: *Accepi quinque viros, sicut mandauit mihi Deus, & profecti sumus in campum, & mansimus ibi, & factus sum in crastinum, & ecce vox vocauit me dicens: Esdra aperi os tuũ, & bibe, quo te potauero, & aperui os meum, & ecce calix plenus porrigebatur mihi. Hoc erat plenum sicut aqua, color autem eius, vt ignis similis, & accepi, & bibi, & in eo cũ bibissem, cor meum cruciabatur intellectu, & in pectus meum increscebat sapientia. Nam spiritus meus conseruabatur memoria, & apertum est os meum, & non est clausum amplius. Altissimus dedit intellectum quinque viris, & scripserunt, quæ dicebantur excessiones noctis, quas non sciebant. Nocte autẽ manducabant panẽ. ego autem per diem loquebar, & per noctem non tacebam. Scripti sunt autem per quadraginta dies libri ducenti quatuor. & factum est cum compleuissent quadraginta dies, locutus est altissimus dicens, Priora, quæ scripsisti, in palàm pone, & legant digni & indigni, nouissimos autem septuaginta conseruabis, vt tradas eos sapientibus de populo tuo. In his enim est vena intellectus, & sapientiæ fons, & scientiæ flumen, & feci sic.* Hactenus Esdras.

4. Esd. 14.

Libri multi ab Esdra dictati.

D. Basilius in Epistola ad Chilonem, ad hunc Esdræ locum alludit, illis verbis: Hic sita est cãpestris planities, in quam seorsim à cæteris cùm se Esdras submouisset, libros Scripturæ diuinitus inspiratæ, omnes ex Dei mandato ad communem omnium vsum eructauit, & exprompsit. Videtur Basilius intellexisse, Esdram in campo illo, in quẽ cũ viris quinque secessit, Scripturæ sacræ libros diuinitus reparasse. At illi non erant sacræ Scripturæ canonici libri, fuerunt enim plus quam ducenti, libri verò canonici multo sunt pauciores.

D. Basil.

Quidnam tot libri continerent, ex verbis eiusdem capitis 14. colligi potest: *Lex tua incensa est* (ait Esdras) *propter quod nemo scit, quæ à te facta sunt, vel quæ incipient opera. Si enim inueni in te gratiam, immitte in me Spiritum Sanctum, & scribam omne, quod factum est in sæculo ab initio, quæ erant in lege tua scripta, vt possint homines inuenire semitam, & qui voluerint viuere, in nouissimis viuant*, &c. Respondet Dominus: *Accendam in corde tuo lucernã intellectus, quæ non extinguetur quoadusque finiantur, quæ incipies scribere*, &c. Ex iis verbis colliges ea scripsisse Esdram, quæ transactis temporib. à Deo gesta erant.

4. Esd. 14.

Picus Mirandulæ comes in Apologia, putat septuaginta libros, quos sapientibus tradere iussus est, sciẽtiam Cabalæ fuisse complexos. Cabala receptionem significat. Ait Picus Moysem, non legẽ solùm, sed mysticam quoque legis intelligentiã, in monte Sinai accepisse, preceptumque illi à Deo, vt legem quidem populo publicaret, legis interpretationem nec traderet literis, nec vulgaret, sed ipse Iosue tantum, Iosue verò aliis deinceps succedentibus sacerdotum primoribus, magna silentij religione reuelaret. Cùm ergo posteriores à prioribus acciperent, receptio dicta est, hebraicè Cabala. Moyses quidem mysticũ legis sensum intellexit, quo Christi mysteria continentur, eundem verò nonnullis patefeciss indicat D. Hilarius in commentarijs Psal. 2. Moyses (inquit) quamuis veteris Testamenti verba in literis condidisset, tamen separatim quædam ex occultis legis secretiora mysteria, septuaginta senioribus, qui doctores deinceps manerent, intimauerat. Hæc ille. Similiter lib. 4. Esdræ Apocrypho ita loquitur Deus: *Adduxi Moysem super montem Sina, & detinebam eum apud me diebus multis, & enarraui ei mirabilia multa, & ostendi ei temporum secreta & finem, & præcepi ei dicens, hæc in palàm facies verba, & hæc abscondes*, &c. Et Galatinus lib. 1. cap. 1. Vt Hebræi, inquit, prisci testantur, eodem spiritu Moyses, & legem, & ipsius legis expositionem in monte Sinai accepit, ipsa autem legis explanatio ad geminum tendit sensum, literalem, & spiritualem, vel mysticum, quorum neutrum Moysem scripsisse affirmant, sed vtrumque verbo tradidisse; & hanc legem eam esse dicunt, de qua legitur in capitulis Patrum, Moyses accepit legem de Sinai, & eam tradidit Iosue, Iosue senioribus, seniores Prophetis, Prophetæ viris Synagogæ magnæ. Hæc ille. Legis igitur mysticum sensum illis libris Esdræ conscriptum censet Mirandulanus.

Picus Mirandulæ.

Cabala.

D. Hilar.

4. Esdra. 14.

Galatin.

Verùm ille ait, illos septuaginta libros scriptos ab Esdra conuocatis, qui tunc supererant, sapientibus, vt afferret quisque in medium, quæ de mysterijs legis memoriter tenebat: At Esdras omnes à Deo inspiratos testatur. Libros eosdem scribit idem Miran, non mediocri impensa sibi comparasse, atque in eis Sacrosanctæ Trinitatis, Christique mysteria reperisse: Vidi (ait) in illis libris (testis est Deus) religionem non tam Mosaicam, quam Christianam. ibi Trinitatis mysteriũ, incarnatio, Messiæ diuinitas, ibi de peccato originali, de illius per Christũ expiatione, de casu Dæmonum, de purgatorijs, de inferorum pœnis, eadem legi, quæ apud Paulum, & Dionysium, apud Hieronymum, & Augustinũ quotidie legimus. Hæc ille. Idem sensit Genebrardus lib. 2. Chronol. Esdras (inquit) Propheta, & scriba, Cabalã apud Hebræos collegit, & 72. libris mandat. Eius consilio & opera

Genebr.

opera libri ſacri collati ſunt,& emendati, vnde correctio ſcribarũ appellatur correctio Eſdræ.Hæc ille.

Sed dices, hæc ex apocrypho libro Eſdræ eſſe petita:ita eſt;tamen non caret ille liber autoritate, etſi in canonem ſcripturarum non ſit receptus.Etenim *D.Ambroſ.* D.Ambroſius in epiſtola ad Horontianum, ſuadet librum quartum Eſdræ eſſe legendum,& in lib.de bono mortis, & 2. in Lucam commentario, petitis *Genebr.* ex illo teſtimonijs vtitur.Lege Genebrardum lib. 2. Chronol. qui ait quartum librum Eſdræ eſſe de canone non primo, ſed ſecundo Hebræorum: Lege *Sixtus Sen.* etiam Sixtum Senenſem.

Vrgebis,ſi ergo aliquid habet autoritatis, ſequitur Eſdram memoriter reparaſſe legem.Idem enim oſtendunt illa verba: *Iextua incenſa eſt, propter quod nemo ſcit,quæ à te facta ſunt,vel quæ incipient opera,* &c. Nam ſi vel Eſdras,vel alij ex hebræis,libros ſacros vtdicebamus cuſtodiſſent,etiam ſi lex deflagraſſet, tamen ſcire poſſet ex libris cuſtoditis, quę à Deo facta eſſent. Præterea ſi Moyſis libri, cæteriq́ue hiſtorici extabant, quorſum Eſdras à Deo ſpiritum petiuit ſanctum ad ſcribendum, quæ in lege erant? *Immitte,* inquit, *in me ſpiritum Sanctum,& ſcribam omne, quod factum eſt in ſæculo ab initio, quæ erant in lege tua ſcripta,*&c. Reſpondeo,iuxta hunc librum apocryphum,veriſimile eſſe libros ſacros à Chaldæis ſimul cum templo,in quo aſſeruabantur,fuiſſe incenſos,nec ab Eſdra cuſtoditos,quia forſitan in Babylonia natus fuit, ſed diuini ſpiritus afflatu inter illosducẽtos quatuor, in campo Babyloniæ,ante quã Cyrus priſtinæ libertati Iudæos reſtitueret dictatos. In Babylonia enim Eſdras erat,cùm libros illos ducentos dictauit, reparatos ſeruauit,Ieroſolymam adduxit. Quia verò Eſdras eo capite,non ait aperte ſe vel legem,vel ſacra volumina reparaſſe,dici quoque poteſt, Eſdram tũc temporis in Babylonia ſacram ſcripturam minimè reparaſſe, ſed poſtea Ieroſolymis, vel ex repertis ſcriptis, vel per diuinũ ſpiritũ ex memoria inſtauraſſe.Nam quemadmodum ignem ſacrum in puteo, ita ſcripturas ſacras forſitan Iudæi abſconderunt.

Academia Ieroſolymis ab Eſdra inſtituta. Præter hęc ſcribit Genebrardus,Eſdram Academiam Ieroſolymis inſtituiſſe omni diſciplinarũ genere refertam,ex qua multi docti viri,ſcribæ,& legis periti, prodierunt. Scribit etiam eundem Eſdram, & viros ſynagogæ magnæ, ſiue ſynodi magnæ, quæ tunc celebrata eſt,diuino afflatos ſpiritu, ſcripturas in Peſucim,id eſt,verſus,diſtinxiſſe.Vnde & codices Iudæorum per ſententias, membra, & verſus diuiſi, & interuallis quibuſdã diſtincti fuere, qui antea veluti vnus erant verſus. In hac ſynodo ſcribit idem auctor, editum Hebræorum canonem in ſacris libris, Eſdrąque auctoritate veteris Teſtamenti volumina redacta in ordinem.

Poſt Eſdrã anno vigeſimo Artaxerxis,venit in Iudæam Nehemias, hic, vt ſupra iam diximus, muros *2.Eſdr.2.* Ieruſalem, ædesque exædificauit: vt verò ſcriptum *2.Mach.1.* extat lib. 2. Machab. ſacrum ignem reperit: Sacer autem ignis dicitur,quo in altari holocauſtorum ſacrificia Deo incendebantur. Hunc ſacerdotes,cum à Nabuchodonoſore vrbs capta eſt, in profundo puteo occultarunt: Nehemias verò cum in Iudæam venit,poſt tot captiuitatis annos, ſacerdotes ad inquirendum miſit,repererunt illi non ignẽ,ſed craſſam aquam.Ea verò aqua, ligna, ſacrificiaque altari holocauſtorũ impoſita, nullo ſubiecto igne aſpergi cùm iuſſiſſet,ſolis ſplendore,qui nubibus obtegebatur affulgente, ignis admirabiliter excitatus ligna, hoſtiasque incendit. Lege lib. 1. Machabæorum capite 1. eo capite Nehemias ſacerdos fuiſſe dicitur, quemadmodum & Eſdras,appellatusquoq; eſt nomine alio,fortè in captiuitate impoſito, Atherſatha, *2.Eſdr.8.& 12.* dicitur dux;Bibliothecam Ieroſolymis conſtruxiſſe docet ſecundus Machabæorum liber his verbis: *Inferebantur autem in deſcriptionibus & commentarijs Nehemiæ, hæc eadem, & qualiter conſtruens Bibliothecam, congregauit de regibus libros,& Prophetarum,& Danid,& Epiſtolas Regũ, & de donarijs,*&c. *2.Mach.2.*

Poſt Ioſue filium Ioſedec,pontifices numerantur, qui ad Magnum vſque Alexandrum pontificatum geſſerunt, his verbis: *Ioſue genuit Ioachim, & Ioachim genuit Eliaſib,& Eliaſib genuit Ioiada, & Ioiada genuit Ionathan,& Ionathã genuit Ieddoa.* Hic Ieddoa Iaddus eſt,qui Alexandri Magni tempore Pontifex fuit, vt ſcribit Ioſephus lib.11.cap.8.Primus igitur põtifex fuit Ioſue,ſiue Ieſus:ſecundus eius filius Ioachim, tertius Eliaſib,quartus Ioiada,quintus Ionathan,6. Iaddus, vſque ad Alexandri Magni imperium. Fuit autem tertius hic populi Iſraëlitici vſque ad Chriſtũ ſtatus, primùm ſub regibus Perſarum,deinde ſub regibus Græcorum,tandem ſub Romanorũ poteſtate; ideoque de regibus Perſarum nunc paucis agendum, de Græcis,& Romanis poſtea. *Poſt Ioſue filium Ioſedec, numerantur Pontifices, vſque ad Alexandrũ Magnum functi pontificatu. 2.Eſdr.2. Ioſephus. Status Iudæorum poſt captiuitatẽ fuit ſub regib. Perſarũ,& Græcorũ,& ſub Romanis.*

CAPVT XXV.

De Regibus Perſarum, & Pontificibus Iudæorum.

QVot fuerint Perſarum Reges controuerſum eſt. Ex Daniele colligitur, quatuor fuiſſe tantummodo.Eo enim loco Angelus in hunc modum cum Daniele loquitur: *Ecce tres Reges adhuc ſtabunt in Perſide,& quartus ditabitur opibus nimijs ſuper omnes,& cum inualuerit diuitijs ſuis,concitabit omnes aduerſus regnum Græciæ. Surget verò Rex fortis*(id eſt,Alexander Magnus) *& dominabitur poteſtate multa.* Hæc Angelus. Ex quibus conſtat à temporibus Danielis, vſque ad Alexandrum,qui monarchiam à Perſis ad Græcos tranſtulit,quatuor tantùm,nec plures fuiſſe Perſarũ Reges, in qua ſententia Lyranus eſt in commentarijs Danielis 11. Primum Perſiæ Regẽ Cyrum fuiſſe docet, ſecundum Cambyſem filium Cyri, tertium Aſſuerum maritum Eſther,quartum Darium filiũ Aſſueri, & Eſther, cuius anno ſexto templum perfectum eſt,hunc ab Alexandro ait ſuperatum.Danielis verò nono,Cyrum regnaſſe ſcribit annis tribus poſt adeptam monarchiam, Cambyſem annis ſex, Aſſuerum 40. Darium 6. vſque ad templum perfectum. Eoſdem quatuor Reges numerat Paulus Burgenſis Epiſcopus, cum Raymundo, Danielis nono, additione tertia. *Quatuor fuiſſe tantum Perſarum reges. Dan.11. Lyranus. Burgenſis. Raymund.*

Genebrardus lib.2. Chron. non diſſentit ab hac opinione,ſic enim ſcribit:Perſpicuè non plurus,quã quatuor Perſarum Reges poſt Dariũ (aut certe Cyrum,iuxta Rab. Moyſem) imperaturi affirmantur, Dan.11.nec plures in ſcriptura nominãtur,ex Rabbi Moyſe addo pro ſexto, & vltimo,Darium Diſamis filium. Hæc ille. Primus apud Genebrardũ rex eſt Darius Hyſtaſpis filius, ſocer Cyri annis 2. putat enim Darium Hyſtaſpis eſſe Darium Medum, qui Babylonem ſimul cum Cyro expugnauit, vt Daniel ſcripſit cap.5.Secundus Rex eſt Cyrus annis 30.Cãbyſem à numero excludit,quod ſimul cũ patre Cyro regnarit,eodemque fere tempore obierit.Regnauit enim Cãbyſes in Perſide abſente Cyro in bello Scythico.Oportebat enim ex inſtituto Perſarum regem ita demum in expeditionem ire, cum regni ſucceſſorem declaraſſet,vt ait Herodot. lib. 7. ideoque Cambyſis anni Cyro tribuuntur. Tertius Rex Aſſuerus, quem noſtri Xerxem vocant, Chaldæi Artaxerxem primum, carij Medi filium, annos 20. Hunc ait duxiſſe Eſther vxorem, & templũ ædificare prohibuiſſe,ſed poſtea Eſther & Mardochæi cauſa *Genebrard. Perſarum reges ſex. Herodotus.*

ſa annuiſſe. Quartus Darius Lõgimanus Artaxerxes ſecundus, Pius, annis 40. Huius Darij anno 6. perfectum templum, anno 7. Eſdram, anno 20. Nehemiã in Iudæam, aſcendiſſe ſcribit: Iudæisque fauiſſe, fortaſſe quod filius eſſet Eſther. Quintus Artaxerxes tertius, Mnemõ, annis 49. Sextus Darius Codomanus Arſami filius, quem vicit Alexander, annis 6. hæc ex Genebrardo.

Tres tantum reges Perſarũ ex Chronologia Hebræorum.

Hebræi in Chronologia cap. 29 tres tantum Perſarum Reges commemorant, Cyrum, Aſſuerum, & Darium. Cyrum imperaſſe aiunt annis tribus, Aſſuerum annis 14. Darium vſque ad templum abſolutũ annis 6. Aſſuerum ſcribunt regni initio templi exædificationi obſtitiſſe, tertio anno conuiuium illud exhibuiſſe, quod Eſther primo memoratur, ſeptimo Eſther duxiſſe vxorem. At cap. 30 duos tantùm numerant Perſarum Reges, duos Medorum: Non inuenies, inquiũt, reges Perſarũ in ſcriptura, niſi duos, Cyrum & Darium: Medorum verò duos alios, Darium, & Aſſuerum. Summa omnium annorũ regum Mediæ, & Perſidis, ducentis & quinquaginta annis comprehenditur. Hæc illi. Reges illos duos Medorum numerare videntur ex Daniele, filium Darium, & patrem Aſſuerũ, *In anno primo*, ait Daniel, *Darij filij Aſſueri, de ſemine Medorum*, niſi forte Aſſuerum Eſther maritum, Medorum Regem fuiſſe putant, nõ Perſarum. Itaque plures Perſarum Reges non fuiſſe putant, quòd plures in ſcriptura non inueniãt, quaſi verò ſcriptura omnes ſuſceperit numerandos. Merito à Galatino lib. 4. c. 15. piſcatori dicuntur ſimiles, qui tres tãtummodo piſces expiſcatus, plures in mari non eſſe aſſerebat, eo quòd plures ipſe non repererat. Sic Iudæi, quia paucos Reges Perſarum in ſacris literis inuenerũt, plures non eſſe exiſtimarũt. Vnde dixiſſe legitur Rabbi Ioſe: Regnum Perſidis durauit, domo, id eſt, templo Dei, durante 33. annis, iis paucis annis ille Perſarum monarchiam terminauit, quia paucos Perſarum Reges agnouit.

Dan. 9.

Galatinus.

Septem reges Perſarum ex Ioſepho.

Ioſephus tamen Hebræus plures & agnouit, & numerat lib. 11. antiquitat. Primo loco Cyrum, poſt hunc Cambyſem locat, Cambyſe vita functo Magos principatum obtinuiſſe ait, poſt horum interitum Regem creatum Darium Hyſtaſpis, Dario filiũ eius Xerxem ſucceſſiſſe, quo regnante Eſdras primùm, deinde Nehemias in Iudæam venerint. Xerxe mortuo eius filium Cyrum, græcè Artaxerxem appellatum, regni clauum tenuiſſe, qui Eſther coniugẽ habuerit. Præter hos Darij quoque meminit, quẽ Magnus Alexander vicit. Septem ergo Perſarum reges (ſi Magos non excludas) ex Ioſepho, quãuis Iudæo, fuiſſe conſtat.

Philo Annij

Philo Annij, quiſquis ille fuerit auctor, Darium illum Medum, Cyri in expugnatione Babylonis ſocium, Hyſtaſpis filium fuiſſe ſignificat, Reges verò Perſarum quinque memorat, primum Cyrum, ſecundum Aſſuerum Priſcum Artaxerxem, qui templum extrui prohibuit, tertium Darium Longimanum, quartum magnum Artaxerxem Aſſuerũ maritum Eſther, quintum Ochum Artaxerxem.

Metaſthenes Annij.

Metaſthenes eiuſdem Annij, octo numerat, primum Cyrum, ſecundum Artaxerxem priſcum Aſſuerum, filium Darij Medi, tertium Darium Longimanũ, quartum Darium nothum filium Longimani, quintum magnum Artaxerxem Darium Mnemonem, ſextũ Artaxerxem Ochum, ſeptimum Arſem, octauum Darium vltimum. Si autem ſcire cupis, quid horum regum toties repetita nomina ſignificationis habeant, docet Herodotus lib. 9. In noſtra, inquit, lingua pollent hæc nomina, Darius, quod Coercitor, Xerxes, quod Bellator, Artaxerxes, quod Magnus Bellator, &c. Sed qui Reges in Scriptura numerentur, videamus.

Herodotus.

A Diuinæ literæ Cyrum quidem Regem Perſarum multis locis memorant. Aſſuerum & Artaxerxem his verbis: *In regno Aſſueri, in principio regni eius, ſcripſerũt accuſationem aduerſus habitatores Iudæ, & Ieruſalem, & in diebus Artaxerxis ſcripſit Beſelam Mithridates, & Thabeel, & reliqui, qui erant in conſilio eorum, ad Artaxerxem regem Perſarum*, &c. Dubium eſt, an hoc loco duorum regum fiat mentio, Aſſueri & Artaxerxis, an vnius tantum? Reſpondetur, eundem Regem eſſe Aſſuerum, & Artaxerxem, qui duobus ijs nominibus appelletur, quamuis illa coniunctio, &, diuerſitatem innuere videatur. Hic templi ædificationem vetuit. vt eodem capite dicitur:

Reges Perſarum in ſcriptura memorati.

1. Eſdr. 4.

B Primo Eſdræ 5. & 6. mentio fit Darij, neque additur Hiſtaſpis filius; ſed tantummodo Darius nominatur, cuius ſexto anno templum perfectum ſcribitur. Extant capite ſexto hæc verba: *Conſtruxerunt iuſſũte Deo Iſraël, & iubente Cyro & Dario, & Artaxerxe, Regibus Perſarũ*: Ambigitur, nũ tres Reges hoc loco numerẽtur, vt ipſa præſe verba ferunt, qui templum extrui iuſſerint? At non numerari, illud confirmat, quod Cyro tantùm & Dario iubente ædificatum ſit templum, nõ autem Artaxerxe: etenim Artaxerxes ſiue Aſſuerus ædificationi oppoſuit impedimentum. Reſpondetur, eundem eſſe Regem Darium, qui dictus etiam eſt Artaxerxes, coniunctione illa, &, non obſtante, ſic reſpondet Rab. Salomon, & verſio Vatabli. Omnes autem Perſarum Reges Artaxerxes appellatos aiunt Hebræi in Chronol. capite 30. Genebrardus in Chronologia libro ſecũdo ait, Artaxerxem hunc eſſe illum, qui templũ ædificare prohibuit, poſtea verò decreto abrogato templum extrui iuſſiſſe, ſed repugnat ſcripturæ, quæ docet toto tempore, quo hic Artaxerxes regnauit, ante Darium, templi opus fuiſſe intermiſſum. *Tunc*, inquit Eſdras, *intermiſſum eſt opus domus Domini in Hieruſalem, & non fiebat, vſque ad annum ſecundum regni Darij Regis Perſarum*, &c. ergo Artaxerxe illo iubente non eſt templum extructum, neque fit eius mentio loco indicato. Artaxerxis quoque mentio fit primo Eſdræ 7. & 2. Eſdræ ſecundo, & in lib. Eſther Aſſuerus Rex memoratur, qui idem in fine libri dicitur Artaxerxes.

1. Eſdr. 5. & 6.

Rab Salomõ Vatablus.

Genebrard.

1. Eſdr. 4.

1. Eſdr. 7.

D An autem idem Rex ſit ille Artaxerxes Eſdræ, & hic Eſther, dubium eſt. Dubium item eſt, quis ille Darius ſit, qui nominatur illis verbis: *Leuitæ in diebus Eliaſib, & Ioiada, & Iohanan, & Ieddoa ſcripti principes familiarum, & ſacerdotes in regno Darij Perſæ*, &c. Darium vltimum Perſarum Regem ab Alexandro Magno victum hunc eſſe probatur, quod regnarit tẽpore, quo ſummum ſacerdotium adminiſtrabat Ieddoa, ſiue Iaddus, vt ex hoc loco colligitur. Ad Iaddus Alexandri Magni ætate ſacerdos ſummus fuit, vt docet Ioſephus. Verùm non eſt firma probatio, poſſunt enim verba illa ſic exponi; Leuitę ſcripti ſunt principes familiarũ in diebus Eliaſib, & Ioiada, & Iohanam, & Iaddi, ſummorum ſacerdotum, & ſacerdotes ſcripti ſunt in regno Darij Perſæ, cuius 6 anno templum eſt abſolutum.

1 Eſdr. 2.

2. Eſdr. 12.

E Ex ſcriptura igitur de Regibus Perſarum hæc habemus expreſſa, Danielis vndecimo, quatuor fuiſſe Perſarum Reges, ex alijs locis, Reges fuiſſe Cyrum, Aſſuerum, Darium, Artaxerxem. At diuinæ literæ non omnes numerant. Quod ſi obiicias verba Angeli, quatuor tantũmodo numerantis, reſpondet D. Hieronymus eodem loco, non fuiſſe curæ ſpiritui prophetali, hiſtoriæ ordinem ſequi, ſed præclara quæque perſtringere.

Recepta ſentẽtia eſt, Perſarũ Reges plures, fuiſſe, quam quatuor, Euſebius in Chronico quatuordecim numerat, & D. Hier. in cõmentarijs Danielis 7. & 11. in hanc opinionem eunt alij, qui poſtea ſcripſerunt.

Recepta ſententia, Perſarũ reges fuere 14. Euſebius. D. Hieron.

Primus

Cyrus rex. Plutarch. Primus Persarum Rex Cyrus fuit, qui imperium in Persas transtulit, à Sole ita nuncupatum ait Plutarchus in vita Artaxerxis: Cyrus enim Persica lingua sol dicitur. Iudæos è Babylonica captiuitate dimisit, templumque Hierosolymitanum exædificari iussit. bellum Thomyridi intulit Massagetarum reginæ, in quo (vt Herodotus lib. 1. scribit) occubuit. *Herodotus.* Amputatum illius caput regina in vtrem humano cruore completum coniecit, his verbis insultãs: Tu filium meum perdidisti, dolo captũ, at ego te (prout interminata sum) cruore satiabo. Sic Herodotus. Iustinus lib. 1. sic: Satia te sanguine, quem sitisti, cuiusque insatiabilis semper fuisti. *Iustinus.*

Secundus Cambyses, Cyri filius, is est, qui dicitur Assuerus, & Artaxerxes, quique templi constructioni obstitit, vt Iosephus vult, & Eusebius, proprioq; gladio, cùm in equum insiliret, casu percussus perijt: lege Herodotum lib. 3. & Iustinum lib. 1. *1. Esdr. 4.* *Herodotus. Iustinus.*

Tertius fuit Smerdes quidã magus, qui per fraudem, Cambysis se fratrem esse simulans, regnum occupauit, & paulo post occisus amisit. Lege Herodotum lib. 3. & Iustinum.

Darius Hystaspis. 1. Esd. 6. Zopyrus. Quartus Darius Hystapsis filius Iudæis fauit, templumque iussit construi. Ab eo defecit Babylon, quã Cyrus ceperat, vt narrat Herodotus lib. 3. & Iustinus lib. 1. sed fraude Zopyri recuperata est. Aduersus Scythas expeditionem suscepit, hostibus verò pugnæ potestatem minimè facientibus, metuens ne interrupto ponte Istri, reditus sibi intercluderetur, amissis 90. millibus hominum trepidè refugit. Inde *Marathonia pugna.* Asiam & Macedoniam domuit. Ionas nauali prælio superauit, infelicemque illam pugnam commisit, quæ Marathonia appellatur. Ducenta Persarũ millia in marathonijs campis, à Miltiade Athenienſiũ duce clarissimo ea tempestate, cæsa dicuntur. dum verò Darius aduersus eosdem Athenienses bellum *Herodot. Orosius.* repararet, vt ait Herodotus lib. 7. è vita discessit. Lege Herodotum, Orosium, & Iustinum.

Quintus Xerxes Darij filius, bellum, quod morte præuentus pater aduersus Græcos gerere non potuit, ipse gessit. Septingenta millia de regno armauit (ait Iustinus lib. 2.) & trecenta hominum millia de auxilijs parauit, vt non immeritò proditum sit flumina ab exercitu eius siccata, Græciamque omnẽ vix capere exercitum eius potuisse. Naues quoque decies centum millia numero habuisse dicitur. Lege Herodotum lib. 7. Hic ille Rex est, de quo *Dan. 11.* Angelus: *Rex* (inquit) *quartus ditabitur opibus nimijs super omnes, & cum inualuerit diuitijs suis, concitabit omnes aduersum regnum Græciæ*, &c. De diuitijs Xerxis Iustinus lib. *Xerxes. Iustinus.* 2. Diuitiarum (ait) tanta copia in regno eius fuit, vt cùm flumina multitudine hominum consumerentur, opes tamen regiæ supereſſent. Concitauit omnes aduersum regnum Græciæ, quia bellum Græcis innumerabili exercitu vndique conuocato intulit. At quam terribilis fuit eius in Græciam introitus, (ait Iustinus) tam turpis ac fœdus discessus fuit. A Græcis victus, milites ducibus perducendos tradidit, ipse cum paucis Abydon contendit, vbi cum solutum pontem hybernis tempestatibus offendisset, piscatoria scapha traiecit trepidus. Erat (ait Iustinus) res spectaculo digna, in exiguo latentem videre nauigio, quem paulò ante vix æquor omne capiebat, carentem etiam omni seruorum ministerio, cuius exercitus propter multitudinem terrę graues erant, &c. *Iustinus.*

Artaban. Sextus Artabanus, Xerxe occiso malè regnum sibi peperit, malè verò partum, malè post aliquot mẽses, simul cum vita dilapsum est.

Artaxerxes. Septimus Artaxerxes Xerxis filius, græcè μακροχεὶρ, latine Longimanus dictus, vel quod dexteram manum sinistra haberet longiorem, vt scribit Plutarchus in vita Artaxerxis Mnemonis, vel quod brachia adeò haberet longa, vt genua contingeret, quod scribit Strabo, in fine lib. 15. Indęis fuit: etenim eius anno septimo Esdras, anno vigesimo Nehemias, Ierosolymam venit, mœnibusque vrbem cinxit. De illo hęc Plutarchus in vita Artaxerxis: Artaxerxes ille primus Xerxe patre natus, ex Persarum regibus, tum facilitate, humanitateque, tum maxime animi magnitudine præstitit, &c. *Strabo.* *Plutarch.*

Octauus Xerxes secundus, & nonus Sogdianus, per vim, dolumque regnum inuaserunt, moxque amiserunt. *Xerxes 2. Sogdianus.*

Decimus Darius Artaxerxis Longimani filius, idcirco Nothus cognominatus, quoniam ex pellice susceptus. *Darius nothus.*

Vndecimus Artaxerxes Mnemon nomine græco, μνήμων, id est, memor, ob memoriam præstantem appellatus. Eusebius, alijque scriptores hunc maritum Esther esse volunt, cuius gesta liber Esther cõplectitur, illius vitam scripsit Plutarchus. *Artaxerxes Mnemon.*

Duodecimus Artaxerxes Ochus, de hoc scribit libro 16. Diodorus Siculus, & Iustinus libro 10. *Artaxerxes Ochus.*

Decimus tertius Arses Ochi filius, vt Eusebius ait. *Arses. Darius.*

Quartus decimus Darius vltimus, Arsami filius, quo victo monarchiam in græcos transtulit Alexãder Magnus.

Hos omnes quatuordecim Persarum reges numerat Eusebius, Cyrum ait regnasse annis 30. Cambysem octo, Smerdem Magum cum fratre 7. mensibus, Darium annis 39. Xerxem annis 20. Artabanum menses 7. Artaxerxem Longimanum annis 40. Secundum Xerxem mensib. 2. Sogdianum menses 8. Darium Nothum annis 19. Artaxerxem Mnemonẽ Darij filium annis 40. Artaxerxem Ochum annis 26. Arsem Ochi filium annis 4. Darium vltimũ Arsami filium annis sex. Hos omnes numerat etiam D. Hieronymus in Comment. Dan. 7. Nicephorus Episcopus Constantinopolitanus in Chronologia, tredecim numerat, Smerdis Magi nõ meminit. Sulpicius lib. 2. historiæ sacræ numerat duodecim, Artabanum prætermisit, & Darium Nothum. Clemẽs Alexandrinus octo tantum, Cyrum, Cambysem, Darium, Xerxem, Artaxerxem, Darium, Artaxerxẽ, Arsem siue Ochum, quem ait victum ab Alexãdro. Tertullianus in lib. contra Iudęos quinque, Dariũ, Artaxerxem, Cyrum siue Ochum, Argum, Darium vltimum, quem ait Melam appellatum. videtur Tertullianus à Dario Notho numerare cępisse, vt aduertit Pamelius. *D. Hieronym. Nicephor. Sulpicius. Clemens Alex. Tertull.*

Persarum regibus quatuordecim monarchiam obtinentibus, Iudæorum sex Pontifices summo sacerdotio functi sunt, Iosue, Iocim, Eliasib, Ioiada, Ionatham, Iaddus. Iosue pontifex fuit Cyro, Iaddus verò Alexandro imperante. Vt Iosephus scribit libro vndecimo de antiquitatibus cap. octauo, Alexãder cum Tyrũ oppugnaret, scriptis ad hunc pontificem literis, petiuit auxilium, & vt forum rerum venalium præberet exercitui, & vt quę prius Dario conferre solebat, daret Macedonibus, prælata eorum amicitia. Bonus Pontifex Dario datum iusiurandum fidemque frangere noluit, itaque respondit sacramento se obligatum Dario, ne arma contra eũ sumeret. hęc audita responsione minatus est Alexander, Tyro capta, mox se exercitu contra pontificem ducturum. Quod & fecit. Pontifex indictis populo supplicationibus, & immolatis victimis, ad opem Dei confugit. Affuit precanti Deus, in somnis iubẽs, vt bono animo esset, coronataque vrbe portas aperiret, & tam populus in albis vestibus, quàm ipse cũ reliquis sacerdotibus cultu sacerdotali, prodiret Alexandro obuiam. Imperata fecit Iaddus. Alexander verò vidit è longinquo candidatum populum, *Pontifices Iudæorum functi põtificatu sub Persarũ monarch. Iosephus.*

Alexander nomen Dei adorauit, & pontificem salutauit.

pulum, & sacerdotes ante agmẽ in amictu byssino, pontificemque in stola hyacinthina auro distincta, tiaram capite gestantem, cum præfixa aurea lamina insculpta Dei nomine, solus ad eum accedens nomen illud adorauit, & salutauit pontificem. Obstupuere Syriæ reges, & reliqui, vix credentes regẽ mentis compotem. Solus Parmenio rogauit, quid ita cum ipse adoraretur ab omnibus, nũc adoraret Iudæorum pontificem? At ille non hunc se adorasse respondit; sed Deo, cuius pontifex esset, honorem eum exhibuisse.

Alexander Magnus in tẽplo Ierosolymitano sacrificium obtulit Deo.

Hunc enim, inquit, vidi & antea hoc ipso habitu, cũ adhuc essem in Dio Macedoniæ. Comiter igitur complexus pontificem, deducentibus sacerdotibus in vrbem peruenit, & ascendens in tẽplum immolauit Deo ex sacerdotis præscripto, ostensoque sibi Danielis libro, in quo græcum quendam Persas debellaturum significat, hunc ipsum se esse interpretatus, lætus dimisit multitudinem. Ita Deus pontificem, qui iusiurandum frangere noluerat, periculo eripuit. Ptolemęus verò Lagi, vt Iosephus ait lib. 12. antiq. c. 1. cùm Ierosolymitas constantissime iusiurãdi fidem seruare compertum habuisset, ex respõso, quod Alexandri legatis dederant, multa ex eis præsidia disposuit per arces.

Iosephus.

Iudæi soluebant tributa Persis, Græcis, & Romanis.

Soluebant eo tempore Persis tributa, Iudæi, soluerunt postea Alexandro, tandem Romanis. Nam, vt est apud Iosephum eodem loco, pontifex ab Alexandro petiuit, vt 7. quoque anno concederetur Iudæis tributorum immunitas.

Eodem tempore templum Samaritanum conditum est, discordiæ seminarium. Iaddo pontifici frater fuit Manasses nomine, hic vxorem duxit filiam Sanaballetis, quem Darius Persarum Rex vltimus, Samariæ Satrapam constituerat. Pontificis fratrem externi generis fœminam duxisse, seniores Ierosolymitani, iniquo animo tulerunt. Poslulabant igitur, vt aut Manasses vxorem dimitteret, aut nõ amplius ad altare accederet, cumque Pontifex Iaddus ab altari eum arceret, de vxore dimittenda cum socero Manasses egit. Socer Sanaballetes põtificatum pollicetur, si filiam suam retineat. Alexandro autẽ facultatem dante in monte Garizin, qui Samariæ imminet, reliquis montibus celsior, templum Ierosolymitano simile atque æmulum ædificauit, generũque suum Manassem eius sacerdotem constituit. Ad quem multi sacerdotes, & Israëlitæ, similibus coniugijs irretiti defecerunt. Seditiones igitur (ait Iosephus lib. 12. cap. 1.) continuæ fuerunt inter Iudæos, & Samaritanos, pugnabantque inter se iugiter, Ierosolymitani suum templum Sacrosanctum esse affirmabant, & victimas à Iudæis non aliò mittendas. Samaritani contrà in montem Garizin eas mitti debere contendebant. De hoc monte loquitur Samaritana illa fœmina, cùm ait: *Patres nostri in mõte hoc adorauerunt.* Erat templum extructum, vt diximus, in monte Garizin, prope montem autem situm erat oppidum Sichem, vt Iosephus testatur lib. 11. cap. vlt. Samaritanorum caput eo tempore, quo Alexander venit Ierosolymam. Hæc de pontificibus, qui sub Persarum monarchia vixerunt, de ijs qui sub Græcorũ regno pontificatũ gesserunt, dicendũ est.

Templũ Samaritanorũ in monte Garizin, de quo Samaritana loquitur, Ioan. 4.

Iosephus.

CAPVT XXVI.

De Pontificibus, qui post monarchiam Persarũ vixerunt, vsque ad Antiochũ Epiphanẽ.

ALEXANDER Magnus monarchiam à Persis transtulit ad Græcos, regnauit annis 12. vt scribitur 1. Machab. De illo Angelus apud Danielem: *Surget*, ait, *Rex fortis, & dominabitur potestate multa, & faciet, quod placuerit ei, & cùm steterit, conteretur regnum eius, & diuidetur in quatuor ventos cœli*, hoc est, in quatuor mundi plagas. Nam post Alexandrum diuiso imperio, in Aegypto Ptolemæus Lagi filius, in Macedonia Aridæus Alexandri frater, in Asia Antigonus, in Syria Seleucus Nicanor primus regnauit, deinde Reges alij secuti sunt Aegyptus, Syriaque, propinqua regna sunt Iudææ, Aegyptus ad Austrum, Syria ad Septentrionem spectat, media Iudæa interiacet, ideoq; eũ Syris, & Aegyptijs, res Iudęis semper fuit.

1. Mach. 1. Dan. 11.

Alexandri monarchia diuisa.

Post Persarum monarchiam, Pontifex fuit Onias filius Iaddi, vt docet Iosephus lib. 11. antiquit. cap. vlt. fuit is septimus põtifex post captiuitatem. Octauus Simon iustus cognominatus, teste eodem auctore lib. 12. c. 2. quòd & Deum pie coleret, & eius summa benevolentia potiretur. Eximijs laudibus ab Ecclesiastico extollitur: *Simon*, inquit, *Oniæ filius, sacerdos magnus, qui in vita sua suffulsit domum, & in diebus suis corroborauit templum. Templi etiam altitudo ab ipso fundata est, duplex ædificatio, & excelsi parietes templi. In diebus ipsius remanauerunt putei aquarum, & quasi mare adimpleti sunt supra modum*, &c. Non ædificauit Simon templum, sed corroborauit, & suffulsit, ac renouauit, & aliqua etiam addidit ædificia. Post hæc, multis similitudinibus commendatur: *Quasi stella matutina in medio nebulæ, & quasi luna plena in diebus suis lucet, & quasi sol refulgens, sic ille effulsit in tẽplo Dei; quasi arcus refulgens inter nebulas gloriæ*, id est, quasi Iris splendens inter nubes gloriosas, hoc est, illustratas lumine solis, *quasi flos rosarum*, &c. Alias congerit similitudines ad laudandum iustum sacerdotem, iustus enim sacerdos omni laude dignus est.

Iosephus. Simon iustus Pontifex.

Eccli. 50.

Nonus Pontifex Eleazarus fuit, Simonis iusti frater; filius enim Simonis Onias, quòd paruulus esset, pontificatum administrare non valebat. Lege Iosephum lib. 12. antiquit. cap. 2. Hoc Eleazaro pontificatum gerẽte, diuinæ literæ à septuaginta interpretibus, ex hebræa in Græcam linguam trãslatę sunt. Ptolemæus enim Philadelphus, qui tunc temporis in Aegypto regnabat, ab Eleazaro per literas sacrorum voluminum interpretes petijt, vt in Bibliotheca, quam collectis ex toto orbe libris instruebat, reponerentur. Misit interpretes Pontifex, qui diuinos libros à gentibus perlegendos, non sine Dei prouidentia maxima, græca lingua donarunt. Instabat enim iam tempus, quo non Hebręi solùm, verùm etiam Græci, cęteręque gentes omnes ad fidem Christi conuocandæ, & diuinis scripturis docendę erant. Multa de septuaginta interpretibus dici possent, sed ad alia properemus.

Eleazarus Pontifex.

Septuaginta interpretes.

Decimus Pontifex fuit Manasses Eleazari patruus. Vndecimus Onias Simonis iusti filius, ille quẽ paruulum reliquit, vt testatur Iosephus lib. 12. c. 3. Duodecimus, Simon Onię filius.

Decimus tertius Onias filius Simonis, auctore eodem Ioseph. lib. 12. cap. 4. Fuit Pontifex optimus is. qui Iudæ Machabęo post mortem, pro populo orãs apparuit. Erat huiusmodi (Iudæ Machabęi) visus: *Oniam, qui fuerat summus sacerdos, virum bonum, & benignum, verecundum visu, modestum moribus, & eloquio decorum, & qui à puero in virtutibus exercitatus sit, manus protendentem orare pro omni populo Iudæorum*, &c. Vides qualem depingat Pontificem scriptura? vtinam multos tales terra, siue potius cœlum ferat. Ab hoc Pontifice librorum Machabęorum historia sumit exordium. Secundi libri Machabęorum caput tertium, initium est historiæ: sunt enim duo illi libri de eadem fere re, à diuersis auctoribus conscripti. Florebat pace ciuitas Ierusalem, leges etiam optimè seruabantur propter Onię Pontificis, ait sacer auctor, pietatem,

Onias Pontifex, qui Iudæ Machabæo apparuit.

2. Mach. 15.

2. Mach. 3.

pietatem,& animos odio habentes mala. Obserua quantū à bono Pontifice legū pendeat obseruatio.

Perturbata hæc pax est,legum custodia,summūque sacerdotium,à viris impijs.In primis Simō quidam templi præpositus (vt scriptum extat) contēdebat obsistente sibi principe sacerdotum iniquum aliquid in ciuitate moliri.Sed cum vincere Oniam non posset,Duci Cælesyriæ ac Phœnicis Apollonio pecunijs innumerabilibus plenum esse ærarium Ierosolymitanum nuntiauit,dux regem fecit certiorem. Rex Seleucus Heliodorum ad deprædandū ærarium misit,verùm ab Angelis egregie flagellatus,horroreque plenus, re infecta discessit. Cumque à rege rogaretur;quisnā,vt Ierosolymam iterū mitteretur,esset idoneus, sic respondit: *Si quem habes hostem aut regni tui insidiatorem,mitte illuc, & flagellatū eum recipies,si tamen euaserit,eo quod in loco sit verè Dei quædā virtus.* Hæc Simon fecit.

2. Mach. 3. *Heliodorus flagellatur ab Angelis.* 2. Mach 3.

Frater deinde Oniæ,qui Iason dicebatur,summi sacerdotij cupiditate incensus, regem Antiochum Epiphanem,qui tunc temporis regnabat in Syria, adijt,multaque pollicitus talenta,quod cupiebat,ab eo impetrauit.Adepto pontificatu, impius, Iudæos ad Græcos mores transferre cœpit.lege 2. Mach.4. Non impune scelera tulit,par pari relatum est.Cū Menelaum Simonis fratrem ad regem Antiochum misisset,sacerdotiū ille summū in se retorsit, Iasonemque dignitate spoliauit;spoliatus Iason in Ammonitem abijt regionem,vtque ipse sacerdotio Oniam priuauerat,ita à Menelao eodem priuatus est, exulq; Lacedæmone mortuus. Fuit ergo decimus quartus Pontifex Iason impius. Decimus quintus similis illi Menelaus,qui quod pecunias regi nō solueret,à malè parto pōtificatu ipse quoq; deiectus est.

Iason frater Oniam pellit pontificatu. 2. Mach. 4. *Iasonem pontificatu pellit Menelaus.* *Pellitur pontificatu Menelaus.*

Sed deiectus non quieuit,aurea vasa è templo furatus,quædam vendidit,alia Andronico,qui locum absentis obtinebat regis,donauit.Hæc deinde scelera maximo alio scelere cumulauit. cùm enim ab Onia optimo Pontifice,qui superstes adhuc erat,& Antiochiæ secus daphnē tuto in loco se cōtinebat, argueretur,proregem Andronicum, vt morte sanctissimū virum mulctaret,rogauit.Quod rogabatur sceleratus prorex præstitit,sanctissimumq; pontificē ex asylo per fraudem eductum interemit.Tantū sacrilegium inultum non est passus Deus. Iudæi Græcique regē,quo absente cędes patrata est, postquam redijt,Antiochiæ adeunt, & de iniustissima tanti pontificis nece conqueruntur.Rex misericordia commotus, Oniæ sobrietatem, modestiamque recordatus,lachrymas fudit.Tum proregē Andronicum purpura exutum per totā vrbem circūduci, eodemque in loco vbi Oniā occiderat,iussit occidi.

Interficitur Onias fraude Andronici, Menelai rogatu. *Occiditur iussu regis Andronicus.* 2. Mach. 4.

Decimus sextus Pontifex Lysimachus fuit,frater Menelai,deiecto enim à pontificatu Menelao successit hic Lysimachus,& sanguine,& impietate,frater.Multis in templo commissis sacrilegijs, Menelai fratris consilio, vt dicitur 2. Machab.4.multoque iam auro exportato, iuxta ærarium sacrilegus populari tumultu interfectus est. Post Lysimachi necem,Menelaus ad pontificatum redijt,2.Mach.4. Menelaus propter eorum, qui in potentia erant,auaritiam permanebat in potestate,&c.Sed eundem, quem Lysimachus,vel peiorem etiam vitę exitum habuit:regis enim Antiochi Eupatoris iussu in aggerem cineris iniectus, ac suffocatus, meritas luit pœnas.*Erat turris,quinquaginta cubitorum aggestū vndique habēs cineris hæc prospectū habebat in præceps,inde cinerē deiici iussit sacrilegū,omnibus eū propellētibus ad interitū,*tali lege prævaricatorē legis cōtigit mori,necterræ dari Menelaū,& quidē satis iustē.Nā quia multa ergā aram Dei delicta cōmisit,cuius ignis & cinis erat sanctus, ipse in cineris morte dānatus est. Hæc sacer auctor.

Lysimachus frater Menelai fit Pontifex, & occiditur. 2. Mach 13 *Occiditur Menelaus.*

CAPVT XXVII.

De persecutione Antiochi Epiphanis.

Fuerunt hæc tempora Iudæis calamitosissima,quæ enim calamitates in libris Machabæorum describuntur,in ea inciderunt.Etenim post Alexandrum,Seleucus Nicanor in Syria (cuius pars Iudæa est)primus regnauit, vt Eusebius ait,32.annis.Post eū Antiochus Soter,annis 19. Tertius Antiochus Theos annis 15.Quartus Seleucus Callinicus annis 20.Quintus Seleucus Ceraunus annis 3.Sextus Antiochus Magnus annis 36.quem Romani victum omni Asia cis Taurum spoliarunt per Scipionem,ideo Asiaticum cognominatum.Septimus Seleucus Philopator annis 12.filius fuit Antiochi Magni.Octauus Antiochus Epiphanes,id est,nobilis,siue illustris,annis 11.frater fuit Seleuci natu minor, Antiochi Magni filius, quem ille Romanis obsidē tradidit.Romæ priuatus vixit, postea, vt scriptū est primo lib.Mach.anno centesimo trigesimo septimo regni Græcorum Syriæ regnum adeptus est.A Seleuco autem Nicanore primo Rege Syriæ, annos numerat liber Machabæorum, vt constat ex Iosepho libro duodecimo antiquitat. capite 7. & Eusebio in Chronico.Erat ille annus à Seleuco cēteſimus trigesimus septimus.

Eusebius. Reges Syriæ. 1. Mach. 1. *Iosephus. Eusebius.*

Epiphane igitur regnante:*Exierunt ex Israel filij iniqui,& suaserunt multis,dicentes: Eamus,& disponamus testamentum,*id est,fœdus,*cum gentibus,quæ circa nos sunt; quia ex quo recessimus ab eis,inuenerunt nos multa mala, & bonus visus est sermo in oculis eorum,& festinauerunt aliqui de populo,& abierunt ad Regem,& dedit illis potestatem,vt facerent iustitiam gentium,*(iustitia gentium,dicuntur gentium mores,& ritus) *& ædificauerunt gymnasium in Ierosolymis secundum leges nationum,& fecerunt sibi præputia, & recesserunt à testamento sancto, & iuncti sunt nationibus,& venundati sunt,vt facerent malum.* Et: *Ausus est Iason Pontifex sub ipsa arce gymnasium constituere,& optimos quosque Ephebōrū in lupanaribus ponere.* Vide quantum inter duos fratres fuerit discriminis,Oniam,& Iasonem: Onias Pontifex sanctissimus,vt diximus suprà,populū in cultu Dei,legibusque diuinis continuit.Iason praua instituta sanciens,populum in scelera præcipitem egit.Petes quodnam gymnasium Ierosolymis impius Pontifex constituerit? Respondent Lyranus & Carthusianus,constitutum gymnasium, in quo Ethnicorum ritus,legesque traderentur, Genebrardus in Chronologia ait, Græcas literas & religiones in eo gymnasio traditas.

1. Mach 1. *Iudæi in pravos Ethnicorum mores degenerarunt tempore Antiochi.* 2. Mach. 4.

Non defuit Iudęis flagellum, & quidem durissimum,Antiochus Rex:Is(vt Iosephus ait)domi prospera vsus fortuna,expeditionem Ægyptiam tentare statuit,captus eius regionis cupiditate. Profectus ergo cum exercitu magno, Ægyptum occupauit. Sed omnes eius conatus,vnica Romanorum denunciatione,pressi sunt. Vt ab Ægypto discederet per legatum iussere Romani. Cum verò Popilius (hoc legato nomen)Regem cunctari cerneret, (ait Iustinus lib.34.) & ad amicos referre velle, virga,quam in manu gerebat,amplo circulo inclusum, vt amicos etiā caperet,consulere iussit, nec prius inde exire,quā responsum senatui daret,aut pacem,aut bellum cum Romanis habiturū. Adeò verò hęc asperitas animum Regis fregit,vt pariturum se senatui responderet.Paruit,ab Ægyptoque regressus centesimo quadragesimo tertio anno, ex quo primum ad Seleuci familiam Syrię regnum deuenerat, ad vrbē Hierosolymam mouit exercitum.

Iosephus l. 12. antiq. c. 6. *Antiochus Epiphanes Ægyptum occupat, & à Rom. pellitur.*

Antiochus ex Ægypto regressus Ierosolymam venit. & templum spoliauit. 1.Mach.1.

Quid egerit in vrbe, caput primum lib. Machabęorum docet his verbis: *Intrauit in sanctificationem*, id est, templum, *cum superbia, & accepit altare aureum, & candelabrum luminis, & vniuersa vasa eius, & mensam propositionis, & liberatoria, & phialas, & mortariola aurea, & velū, & coronas, & ornamentum aureum, quod in facie templi erat, & comminuit omnia, & accepit argētū, & aurum, & vasa cōcupiscibilia, & accepit thesauros occultos quos inuenit, & sublatis omnibus abijt in terram suam, & fecit cædem hominū, & locutus est in superbia magna, & factus est planctus magnus in Israël*, &c. Neque hoc satis.

1.Mach.1.

Post duos annos principem tributorum, hoc est, qui tributis exigendis præerat, in Iudæam misit. Is, vt legitur 1. Machab: *Irruit super ciuitatem repēte, & percussit eam plaga magna, & perdidit populum multum ex Israel, & accepit spolia ciuitatis, & succendit eam igni, & destruxit domos eius, & muros eius in circuitu, & captiuas duxerunt mulieres, & natos, & pecora possederunt. Et ædificauerunt ciuitatem Dauid muro magno, & firmo, & turribus firmis, & facta est illis in arcem.* Hæc ethnici fecere. Iudæi verò vrbem deseruerunt. Eodem capite: *Fugerunt*, ait diuinus auctor, *habitatores Ierusalem, & facta est habitatio exterorum, & facta est extera semini suo, & nati eius reliquerunt eam.* De templo vero adiungit: *Sanctificatio eius*, id est, templum, *desolata est sicut solitudo, dies festi eius conuersi sunt in luctum, sabbata eius in opprobrium, honores eius in nihilum*, &c. Ad hæc, præcepit Rex Antiochus, vt abrogatis diuinis legibus, Iudæi ad ritus gentium transirent, mortis proposito supplicio ni facerent. In templo execrādum Iouis idolum collocatū est, & in omnibus ciuitatibus sacrilegæ arę extructæ, diuinæ legis libri flammis traditi, qui legem Dei obseruabāt trucidati, multi martyres constanter interfecti. Inter eos Eleazarus, 2. Machab. 6. & cum matre septem fratres Machabæi, 2. Machab. septimo. Alij vero viri impijs idolis sacrificium exhibuere: *Multi ex Israël consenserunt seruituti eius*, id est, Antiochi, *& sacrificauerunt idolis, & coinquinauerunt Sabbatum*, &c.

Iudæi vrbē deseruerūt.

2.Mach.6. & 7.

1.Mach.1.

De Antiocho Danielis vaticinium. Dan.8.

Appellatur Rex hic Antiochus, *cornu modicum. Hircus*, inquit, *caprarū* (id est, Alexāder Magnus) *magnus factus est nimis, cúmque creuisset fractum est cornu magnum*; quia mortuus est Alexander, fracta est Monarchia. *Et orta sunt quatuor cornua subter illud, per quatuor vētos cœli*, id est, orta sunt quatuor regna, Aegypti, Syriæ, Asię, & Macedonię, per quatuor mundi plagas. De vno autem ex eis egressum est cornu vnum modicū, id est, de vno ex ijs regnis, de vno ex successoribus Alexandri, scilicet Seleuco Nicanore primo Rege Syrię, ortus est Antiochus Epiphanes octauus Rex, qui modicum cornu dicitur, quòd fuerit secundus natu Antiochi Magni filius, Romę obses, ad quem regni non pertinebat hęreditas.

Addit Daniel de hoc cornu, *& factum est grande contra meridiem, & contra Orientem, & contra fortitudinem, & magnificatum est vsque ad fortitudinem cœli, & deiecit de fortitudine, & de stellis, & conculcauit eas, & vsque ad principem fortitudinis magnificatum est, & ab eo tulit iuge sacrificium, & deiecit locum sanctificationis eius. Robur autem datum est contra iuge sacrificium, propter peccata, & prosternetur veritas in terra, & faciet, & prosperabitur.* Hæc Daniel de Antiocho. *Factum est grande hoc cornu contra Meridiem, & Orientem*, propter bella, quę gessit, aduersus Aegyptum, & aduersus, Orientales, *factum est grande contra fortitudinem, & magnificatum est vsque ad fortitudinem cœli*, id est, vsque ad militiam cœlestem, vsque ad stellas, & deiecit de militia, siue fortitudine cœlesti, & de stellis. Hebraicè pro fortitudine est nomen, Seba, quod significat militiam, *deiecit stellas, & conculcauit*, hoc est, Iudæos semen Abrahæ stellis simile. *Vsque ad principē fortitudinis*, id est, vsque ad ipsum Deum principem militię Iudęorum, ipsiusque templum, magnificatū est cornu. *tulit iuge sacrificium, & deiecit locum sanctificationis eius*, qui templum profanauit, sacrificia expulit, Iouis simulachrum in eo statuit. Quis tantum homini aduersus Dei templum robur dedit? *Robur*, inquit Daniel, *datum est propter peccata.*

Seruauit Deus morem suum, in medijs hisce tenebris, misso auxilio veluti luce effulsit, de quo Daniel: *Ruent in gladio, & in flamma, & in captiuitate, & in rapina dierum. Cumq; corruerint, subleuabuntur auxilio paruulo*, &c. Paruulum auxilium vocat id, quod non multis militum millib. stipati Machabęi attulerunt. Iudā enim Machabęum populo suo ducem fortissimum Deus præstitit, eiusque fratres, quorum gesta libris Machabęorum continentur: *Præliabatur Iudas*, ait diuinus auctor, *prælium Israël cum lætitia, dilatauit gloriam populo suo, & induit se loricam sicut gigas, & succinxit se arma bellica sua in prælijs, & protegebat castra gladio suo, similis factus est leoni in operibus suis*, &c. Apollonium Antiochi ducem vicit, atque occidit, deinde Seronē principem exercitus Syrię superauit, 1. Mach. 3. Gorgiā quoque, & Nicanorem, 1. Machab. 4. & 2. Machab. 8. Post hos Lysiam. 1. Macha. 4. Hostibus profligatis, recuperataque vrbe Ierusalem, profanatum templum perpurgauit, diuinumque cultum restituit, 1. Machab. 4. & 2. Mach. 10.

Dan.11. Auxiliatur Deus populo.

1.Mach.3.

Iudæ Machabæi victoriæ. 1.Mach.4. 2.Mach.8.

Anno autem imperij Seleucidarum 148. in mense nono Casleu (qui respondet Nouēbri) post annos tres eodem die templum renouauit, quo ab Ethnicis fuerat contaminatum, statuitque, vt renouationis festiuitas singulis annis deinceps per octo dies celebraretur: *Statuit Iudas, & fratres eius, & vniuersa Ecclesia Israël, vt agatur dies dedicationis altaris, in temporibus suis, ab anno in annum, per dies octo, à quinta & vigesima die mensis Casleu*, &c. Celebrabatur festiuitas, hæc tēpore Christi Opt. Max. De illa enim loquitur Ioan. cum ait: *Facta sunt encænia in Ierosolymis, & hyems erat*, &c. Nomen, encenia, grecum est, quod significat renouationem, καίνον enim nouum dicitur à Grecis. Celebrabatur item tempore Iosephi. Tanta, inquit, lętitia ob reductos ritus patrios, & priscam religionē, occupauit gentis eius animos, maximè quòd ea felicitas ex insperato obtigerat, vt lex lata sit ad posteros, quę iuberet quotannis hoc festum per octo dies celebrari, & ex eo tempore mos hic apud nostros obtinuit, vocamusque hanc festiuitatem luminum, opinor, ideo quòd ex insperato nobis illuxerit tanta felicitas. Hæc ille.

Templum & ciuitas recuperatur.

1.Mach.4.

Festum encæniorum. Ioan.10.

Iosephus l.12. antiq. c.11.

Agebant festiuitatem hanc encęniorum Iudæi, ramos palmasque præferentes, vt in festiuitate tabernaculorum, ideoque appellantur dies encęniorum, dies Scenopegiæ, id est, tabernaculorum, illis verbis: *Frequentate dies Scenopegiæ mensis Casleu.* & infra: *Facturi quinta & vigesima die mensis Casleu purificationem templi, necessarium duximus significare vobis, vt & vos quoque agatis diem Scenopegiæ*, &c. Eodem lib. Machabęo. 10. *qua die templum ab alienigenis pollutum fuerat, contigit eadem die purificationē fieri 25. mensis, qui fuit Casleu. & cum lætitia dieb. 8. egerunt in modum tabernaculorum, recordantes quòd ante modicum temporis diē solemnem tabernaculorum in mōtibus, & in speluncis, more bestiarum egerant, propter quod Thyrsos, & ramos virides, & palmas præferebant ei, qui perauit mundare locum suum. & decreuerunt communi præcepto, & decreto vniuersæ gentis Iudæorum, omnibus annis agere dies istos*, &c.

In festo encæniorum, ra mos ferebant Iudæi. 2.Mach.1. 2.Mach.10

Si petas quot annis persecutio Antiochi durarit: respondetur, durasse annis sex, vt colligitur ex lib. 1. Machabæorem. Nam cap. 1. dicitur, Antiochus Ierosolymam venisse anno centesimo quadragesimo tertio regni Grecorum; capite 4. dicitur, renouatum templum anno centesimo quadragesimo octauo. Ab initio ergo persecutionis, vsque ad tēpli renouationē, sex anni interfluxerunt. Ab ipsa vero tēpli profanatione, vsque ad renouationem, tres tantùm anni

Quot annis persecutio durarit. 1.Mach.1. & 4.

ni interceſſerunt. Profanatum enim templum eſt, vt dicitur 1. Mach. 1. anno centeſimo quadrageſimo quinto, renouatum vero anno centeſimo quadrageſimo octauo, vt diximus. Ioſephus: Integro (inquit) triennio deſertum fuit templum, poſt factam ab Antiocho profanationem, prædixerat autem eam deſolationem Daniel, &c. Lege Danielem: *Audiui (inquit) vnum de ſanctis loquentem: & dixit vnus ſanctus alteri neſcio cui loquenti; Vſquequo viſio, & iuge ſacrificium, & peccatum deſolationis, quæ facta eſt, & ſanctuarium, & fortitudo conculcabitur? & dixit ei; Vſque ad veſperam, & mane, duo millia trecenti, & mundabitur ſanctuarium*, &c. Dies bis mille trecenti ſex annos efficiunt, & ſeptem fere menſes, quibus perſecutio Antiochi durauit. Sex annos duraſſe diximus ex lib. 1. Mach. vſque ad templi reparationem. Daniel ſeptem menſes addidit, quia perſecutionem vſque ad obitum Antiochi extēdit. Etenim Antiochus poſt reparatum templum, ſequenti anno centeſimo quadrageſimo nono e vita diſceſſit, vt docet liber 1. Mach.

Ioſephus l. 12. antiq. c. 11.

Dan. 8.

1. Mach. 6.

Quo obierit modo, traditur his verbis: *Percuſſit eum Deus inſanabili, & inuiſibili plaga, vt enim finiuit hunc ipſum ſermonem*, (videlicet, ſe venturum Ieroſolymam, & congeriem ſepulchri Iudæorum eam facturum) *apprehendit eum dolor dirus viſcerum, & amara internorum tormenta*, & quidem ſatis iuſtè, quippe qui multis & nouis cruciatibus aliorum torſerat viſcera. Et poſt alia: *Ingeſtatorio portabatur, manifeſtam Dei virtutem in ſemetipſo conteſtans, ita vt de corpore impii vermes ſcaturirent, ac viuentes in doloribus carnes eius effluerent, odore etiam illius & fœtore exercitus grauaretur.* Et in fine capitis: *Igitur homicida, & blaſphemus peſsimè percuſſus, & vt ipſe alios tractauerat, peregrè in montibus, miſerabili obitu vita functus eſt*, &c.

2. Mach. 9. Antiochi mors.

At obiicies, de morte Antiochi longè aliter ſcriptum eſſe capite primo eiuſdem libri, occiſum ſcilicet in templo Naneæ. Reſpondemus, alium eſſe illum Antiochum, de quo ſermo habetur in epiſtola illa, ad Ariſtobulum magiſtrū Ptolemæi, & Iudæos, qui in Ægypto agebant, miſſa. Etenim illa epiſtola miſſa eſt anno centeſimo octogeſimo octauo, hoc eſt, poſt mortē Antiochi Epiphanis, anno fere quadrageſimo. De Antiocho autem loquitur, quicunq; ille ſit, qui circa illum annum centeſimum octogeſimum bellum Iudæis intulerit, & de Perſide ebullire fecerit eos, qui aduerſus Ieroſolymam pugnarēt. Quod ſi nec apud Ioſephū, nec apud aliquem aliū, Antiochus aliquis eo mortis genere interfectus reperiatur, parū refert, nec enim omnia hiſtorici memoriæ prodiderunt. Sane ſi de Epiphane Iudæi eo loco agerent, mortem illius eo capite primo deſcripſiſſent, eodem modo, quo cap. 9. ſequenti deſcripſerunt. Quod ſi quis reſpondere malit, in templo illo Naneę alios eſſe occiſos, Epiphanē euaſiſſe, non ſatis placebit. Verba enim epiſtolæ Antiochum illū occiſum in templo fuiſſe indicant.

Antiochus alter occiſus in templo Naneæ.

A

B

C

D

E

CAPVT XXVIII.

De reliquis Iudæorum pontificibus & rebus geſtis vſque ad Herodem.

ANTIOCHO Epiphani filius ſucceſsit Antiochus Eupator, bellum Iudæis intulit, ſuperatus à Iuda Machabæo pacem iniit. Anno centeſimo quinquageſimo primo Græcorum, vt ſcribitur 1. Machab. 6. Regnum Syriæ occupauit Demetrius, & Antiochum Eupatorem vita priuauit, erat autem Demetrius Seleuci illius filius, qui ante Epiphanem regnauerat. Is Rex Alcimum impium virum pontificem creauit, de quo loco indicato agitur, & 2. Mach. 14. Mach. 14. Miſit præterea in Iudæam ducem Nicanorem, vt leges 2. Mach. 14. datis mādatis, vt ipſum quidem Iudam caperet, eos verò, qui cum illo erāt, diſpergeret, & conſtitueret Alcimum maximi templi ſummum ſacerdotem. Nihil ille efficere potuit, cum Iuda cōfixit, ſed victus & occiſus eſt. Fuit autem hæc adeò celebris victoria, vt eius memorię celebrandæ, dies decima tertia menſis duodecimi, Adar, qui reſpondet Februario, fuerit deſtinata, voce autem Syriaca pridie Mardochæi appellatur. Agitur de hoc prælio 1. & 2. Machab. hæc enim victoria ſecundo libro felicem dedit finem.

2. Mach. 14.

1. Mach. 7. 2. Mach. vlt.

Primus verò liber vlterius progreditur, cap. 8. dicitur Iudas famam audiuiſſe Romanorum, legatoſque ad illos miſiſſe, qui inter Iudæos ac Romanos amicitiam, ſocietatemque conſtituerent, aduerſus græcos auxilium poſtularent. Hanc verò legationē putat Dionyſius Carthuſianus Deo non placuiſſe, quod ad humana idololatrarum auxilia populum ſuum confugere nollet. Deſcribitur (inquit) 1. Mach. 8. qualiter Iudas confugit ad humana præſidia, imò ad Romanorum idololatrarū auxilia, propter quod videtur diuini promeruiſſe ſubtractionem præſidij, cum iam dudum ante Deus per Prophetam dixiſſet ad Regem Iuda, *ô Rex ne egrēdiatur tecum exercitus Iſrael ad pugnam, non enim eſt Dominus cum Iſrael. quod ſi putas in robore exercitus bella conſiſtere, ſuperari te faciet Dominus ab hoſtibus: Dei quippe eſt adiuuare, & in fugam vertere.* Hæc ille. Rupertus quoque lib. 10. de Victoria Verbi cap. vltim. Subſcurum (inquit) quiddam fratribus victoriosis in medio ſuæ claritatis accedit, Iudæ Machabæo, Ionathæ, atque Simoni, quod videlicet victorijs clarificati, vltro miſerūt ſocietatem & amicitiam ſtatuere cum Romanis; quāuis ſuper hac re nō culpet eos ſcriptura, nihilominus tamē animaduertere promptū eſt, non fuiſſe tutum coram Deo, neque lege conceſſum Iudęis, vt expeterent amicitias gentium. Verumtamen ſicut fuerūt in vita ſua, ita & poſt mortem glorioſi ſunt, quia ſi quid pulueris, aut puluere vanitatis taliter admiſerūt, omnino deletum eſt cita ſubſequēte morte ſingulorum. Denique Iudas primus miſerat Romā conſtituere cum illis amicitiam, & ſocietatem, & interea Demetrius Rex appoſuit Bacchidem mittere in Iudæam, & in illo prælio cecidit. Deinde Ionathas miſerat Romā ſtatuere amicitiam, & poſtmodum à Tryphone eſt occiſus. Similiter Simon miſerat cum illis renouare amicitiam, nec multò poſt à genero ſuo per inſidias eſt interfectus. Tales euentus, ſingulorū fines obſcurare videtur, quòd videlicet in eo ſibi cęleſte diminuerint auxilium, dum quærunt ab hominibus ſeculi, quaſi pacis, & ſecuritatis firmamentū. Porrò diligens animus cauſam aliam libētius arbitratur, ſcilicet, quòd idcircò taliter in breui deceſſerint, quia talibus ac tantis ducibus, vt diu permanerent, tunc temporis dignus non erat ille populus. Hactenus Rupertus.

1. Mach. 8. De legatione miſſa à Iuda ad Romanos. Dionyſius Carthuſ.

2. Par. 20.

Poſt miſſam legationem, Iudæ interitus deſcribitur: Etenim Demetrius Rex Nicanore interfecto Alcimum illum peſſimum pontificem, & ducem alium Bacchidem, in Iudæam cum exercitu miſit, collatis ſignis vtrinque certatum eſt. Iudas Machabæus illo in prælio generoſe occubuit, adminiſtrato, vt Ioſephus ait lib. 12. antiq. ca. vlt., per trienniū pontificali ſacerdotio.

1. Mach. 9. Iudas Machabæus in prælio occubuit.

Fuit itaque (vt ad pōtifices reuertamur) decimus ſextus pontifex Lyſimachus, decimus ſeptimus Menelaus. redijt enim ad pōtificatum interfecto Lyſimacho, in quo decenniū exegit, vt Ioſephus ſcribit lr. 12. antiq. c. 15. Succeſsit illi decimus octauus Pontifex Alcimus, auctore eodē Ioſepho eodem capite.

Ioſephus.

Perijt impius diuino percuſſus flagello, vt ſcribit idem Ioſephus lib.12. antiq.c.17. *Anno centeſimo quinquageſimo tertio, menſe ſecundo* (ait Sacer Auctor) *præcepit Alcimus deſtrui muros domus ſanctæ interioris, & deſtrui opera Prophetarum, & cepit deſtruere; in tempore illo percuſſus eſt Alcimus, & impedita ſunt opera illius, & occluſum eſt os eius, & diſſolutus eſt paralyſi, nec vltra potuit loqui verbum, & mandare de domo ſua: Et mortuus eſt Alcimus in tempore illo cum tormẽto magno*, &c. Ioſephus: Alcimo, inquit, Pontifici volenti demoliri veterem adyti parietem, ſanctorũ vatum ædificium, morbus diuinitus inflictus eſt, &c. Voluit ergo Alcimus euertere muros aliquos templi, qui opera prophetarum Aggęi, & Zacharię, fuerant extructi, percuſſuſque à Deo perijt, poſt exactũ in ſacerdotio quadriennium.

Alcimus Pontifex. 1. Mach. 9.

Eo vita functo populus pontificatum communibus ſuffragiis Iudæ Machabæo tradidit, vt teſtatur Ioſephus loco iam citato: verùm non ſatis ſibi conſtat. Nam lib.20.antiq.cap.penult. hæc ſcribit: Iacimus, vel Alcimus triẽnio in põtificatu exacto mortuus, neminem ſucceſſorem habuit, ſed per ſeptennium ſine Pontifice manſit ciuitas, deinde poſtquã Aſſamonæorum familiæ principatus noſtræ gentis eſt creditus, rebellantes Macedonibus, Ionatham creauerunt Summum Pontificem. Hæc ille. Iudam Machabęum à numero pontificum videtur hoc loco excludere, ſiquidem poſt Alcimum Ionathã põtificatum adminiſtraſſe ait.

Ioſephus.

Hoc tempore, vt ſcribit idem auctor lib.12.antiq. c.15. in Ægypto à ſacerdote Iudæo templum eſt exædificatum. Nam Onias ille, quem ſupra diximus, Pontificem fuiſſe optimum, ab Andronico interfectus, filium reliquit paruulum, nomine etiam Oniam. Is videns, quod Rex ſacerdotium Alcimo dediſſet, nihil pertinenti ad cognationem Pontificum, ad Aegypti Regem Ptolemęum profugit, apud quẽ, & vxorem eius Cleopatram, in pretio habitus, impetrauit ab eis locum in præfectura Heliopolitano, in quo templum Hieroſolymitano ſimile extruxit. De hoc templo ſcribit idem Ioſephus lib.7. de bello Iudaico cap.20. copioſius, & lib.13. de antiq.c.6. Onias, inquit, extruxit templum in Aegypto, & altare Deo ad Hieroſolymitani ſimilitudinem, ſed minus, & non peræque opulentum. Nec defuerunt Oniæ ſimiles ipſius Sacerdotes, & Leuitæ, qui illuc diuinum cultum frequentarent, & inſtaurarent ceremonias, &c. De hoc item Onia, & eius aſſeclis interpretantur Hierony. & alij illud Dan: *Filij quoque præuaricatorum populi tui extollentur, vt impleant viſionem, & corruant*, &c. Nam Onias & cæteri ſeſe extulerunt, & legem præuaricati ſunt, dum in Aegypto templũ exædificarunt. Lex enim in ſola vrbe Ieruſalem tẽplum vnicum eſſe iubebat. Onias autem implere ſe dicebat viſionem, & vaticiniũ illud, quod extat Iſa. 19. *Erit altare Domini in Aegypto, & titulus Domini in terminis eius*, &c. Quæ verba ad tempora Chriſti pertinent, non ad Oniæ templum. De hoc Onia ſcribit etiam Hieron. in comment. Danielis 11. hunc in modum: Onias ſacerdos aſſumptis Iudæorum plurimis fugit in Aegyptum, & à Ptolemęo Rege Aegypti honorifice ſuſceptus, accepit eam regionem, quæ Heliopoleos vocabatur, & concedente rege, templum extruxit in Aegypto, ſimile templi Iudęorũ, quod permãſit vſque ad imperium Veſpaſiani annis 250. ſub occaſione igitur Onię pontificis, infinita examina Iudęorũ in Aegyptũ confugerunt. Aſſerebat enim Onias ſe Iſaię implere vaticiniũ. Hęc Hieronymus.

Onias templum extruit in Ægypto. *Ioſephus.* *D. Hieron. Dan. 11.* *Iſaiæ 19.* *D. Hieron.*

Pontifex ergo decimus nonus communibus populi ſuffragijs creatus Iudas Machabæus ſit, ex tribu Leuitica. Genebrard. in Chronologia putat Machabęos genere paterno fuiſſe ex tribu Iuda, materno ex tribu Leui. At ſi verum id eſſet, nec ſacerdotes, nec pontifices eſſe poſſent: nam, vt Paulus ait, de tribu Iuda nullus ſacerdotium adminiſtrauit: *In quo*, inquit, *hæc dicuntur* (id eſt, Chriſtus) *de alia tribu eſt*, id eſt, de tribu Iuda, *de qua nullus altario præſto fuit. Manifeſtum eſt enim, quod ex Iuda ortus ſit Dominus noſter, in qua tribu nihil de ſacerdotibus Moyſes locutus eſt*, &c. Probat Paulus Chriſtum non fuiſſe legalem Sacerdotem, quod ortus ſit ex tribu Iuda: valeat igitur eadem in Machabæis ratio.

Genebrard. *Hebr. 7.*

Machabæus autem cognomen eſt Iudæ, ductum à belli veluti teſſera, quã militibus in vexillis propoſuit. Nam ſingulis ordinum vexillis hebræa illa verba Cantici Moyſis inſcripta geſtaſſe dicitur: מי כמכה באלם יהוה mi Camoca, baelim, Iehouah, id eſt, *Quis ſimilis tui in fortibus Domine?* cauſa verò breuitatis quatuor tantum initialibus literis deſignabantur, m.c.b.i. cum itaque populus legeret, macabai, inde effectum, vt duces Machabæi appellarentur. Hãc nominis rationem ex Rabbino quodam nomine Iſaac reddit Genebrard. lib.2. Chronolog. ſed figmentum forſitan eſt Hebræorum. Nã antequam milites haberet, & bellum gereret cum Antiocho, vocatus videtur Machabęus, vt colligitur ex his verbis. *Habebat Matthathias filios 5. Ioannem, qui cognominabatur Gaddis, & Simonem, qui cognominabatur Thaſi, & Iudam, qui vocabatur Machabæus*, &c. Vocabatur, inquit, Machabæus iam ante bellum. Quemadmodum fratres ante bellum alia habebant cognomina, ſic Iudas cognomen habuit Machabæi, nec enim eo loco eſt anticipatio vlla.

De cognomine Machabæus. *Exodi 15.* *Genebrard.* *1. Mach. 2.*

Aſſamonæi quoq; nominati ſunt, ab Aſſamonæo progenitore. Matthathias enim pater Iudæ Machabæi, vt Ioſephus ait lib.12. antiq. capite 8. filius fuit Ioannis, Ioannes filius fuit Simeonis; Simeon verò filius fuit Aſſamonæi. Erant autem Machabæi ſiue Aſſamonæi Sacerdotes ex vice ſiue ſorte Iarib, vt legitur 1. Machab. 14. ſiue Ioiarib, vt legitur 1. Paral. 24. primo Mach. 2. dicuntur Machabæi filij Ioarim. Erant ſacerdotes diuiſi in ſortes viginti quatuor, vt traditur 1. Paralip. 24. prima ſors erat Ioiarib, ex hac Iudas & fratres templo miniſtrabant.

Vnde dicti Aſſamonæi. Ioſephus.

Vigeſimus Pontifex fuit frater Iudæ Machabæi Ionathas, cuius geſta narrantur lib. 1. Mach. cap. 9. & ſequentibus. *Cum Bacchide pacem compoſuit, & ceſſauit gladius ex Iſrael, & habitauit Ionathas in Machmas, & cœpit Ionathas ibi iudicare populum, & exterminauit impios*, &c. Anno autem centeſimo ſexageſimo regni Græcorum, ſiue Seleucidarum, Alexander Bales, filius Antiochi Epiphanis, regnum Syriæ inuaſit, cui Demetrius filius Seleuci imperabat, Seleucus, vt ſuprà diximus, Antiochi Epiphanis frater erat natu maior, Seleuci filius Demetrius, qui regnum obtinebat: Alexander filius Antiochi Epiphanis fuit, vt docet Ioſephus lib.13. antiq. cap.3. Ionatham ſibi ſocium adiungere datis literis multa pollicens, ac largiens, Demetrius Rex conatus eſt, Alexander quoque epiſtolam miſit ad Ionatham, purpuram, & auream coronam, conſtituitque eum ſacerdotem ſummũ, induit verò Ionathas pontificalem veſtem anno centeſimo ſexageſimo, in die tabernaculorum ſiue Scenopegiæ: & cùm Alexandro iniit Societatẽ. Alexander exercitu congregato cum hoſte cõflixit, victorque euaſit, Demetrio rege occiſo. Victus occiſuſque Rex Demetrius, filium reliquit Demetrium, huius ducem Apolloniũ ſuperauit Ionathas. Quamobrẽ ab Alexand. rege fibulam accepit auream, quod cognatorum regis erat inſigne. Ioſephus lib.13. antiq. c.8. ait Apollonium ducem fuiſſe Alexandri, ſed fallitur, vt conſtat ex 1. Mach. 10.

Ionathas frater Iudæ Machab. 1. Mach. 9. *Alexander Bales Demetrũ regno expulit: cum Ionatha ſocietatẽ iniit.*

Erat Ægypti Rex eo tempore Ptolemæus Philometor, filiam Cleopatram in matrimonium Alexãdro dedit, vt leges 1. Mach. 10. Poſtea tamen generi

Alexãder regno expellitur, & occiditur. 1. Mach. 10.

regno

regno vsurpato, Antiochiam imperij caput ingressus, duo sibi diademata Ægypti atq; Asiæ imposuit, filiamq; Cleopatram, Alexandro ablatam, Demetrio tradidit. Alexander validum ducens exercitum cum illo prælium commisit, victus in Arabiã profugit, & à Zabdielo Arabum dynasta interfectus, vitæ calamitosum finem inuenit. Demetrius verò Demetrij filius anno cẽtesimo sexagesimo septimo Syrię imperauit, fauitque pontifici Ionathæ, quemadmodum fauerat Alexander Bales 1. Machab. 10. At postea vela vertit, 1. Mach. 11.

1. Mach. 10. & 11.

Longa fuit inter posteros duorum fratrũ Seleuci, & Antiochi Epiphanis, de regno Syriæ cõcertatio: & vicissitudinaria, vt videmus, successio. Post Antiochum Epiphanem regnauit Antiochus Eupator eius filius, post Eupatorem Demetrius filius Seleuci, hoc occiso regnauit Alexander filius Epiphanis, Alexandro interfecto regnũ occupauit Demetrius filius Demetrij, nepos Seleuci, hũc quoq; Demetriũ regno expulit Antiochus filius Alexandri, nepos Epiphanis, regnoq; potitus misit ad Ionatham epistolam & vasa aurea, pontificatum ei confirmauit, deditque potestatem in auro bibendi, vtendi purpura, & aurea fibula, quod vt diximus regis cognatorum erat ornamentum. Cùm verò omnia Ionathæ ex animi cederent sententia, Romam legatos ad renouandam cum Romanis amicitiam misit, & cũ Lacedæmoniis siue Spartiatis, à Tryphone deinde est interfectus.

1. Mach. 11.

1. Mach. 12.

1. Mach. 11. 1. Mach 12. Mors Ionathæ

Antiochũ enim Tryphon quidã in regnũ euexit. 1. Mach. 11. Se quoque euehere cum vellet, idque sine cęde regis effici non posset, regem de medio tollere decreuit. Ne verò Ionathas obstaret, dolo Ptolemaidem euocatũ comprehendit, posteaque occidit. Hoc est, quod Rupertus obseruauit, Ionatham, quemadmodum, & Iudam Machabæũ, interfectũ, postquam Romam ad renouandã misit amicitiam. Cæterũ Tryphon quod decreuerat, ad exitum perduxit, regem per dolum priuauit vita, Asiæque diadema rapuit, verum non diu rapto potitus est. Etenim Antiochus Demetrij filius bellum illi intulit. prælioque victum in fugam compulit.

1. Mach. 12. & 13.

1. Mach. 15.

Vigesimus primus Pontifex clarissimus, fuit Simon, nostri Summi Põtificis Simonis Petri imago. *Venit Athenobius amicus regis in Ierusalem, & vidit gloriam Simonis, & claritatem in auro, & argenso, & apparatum copiosum, & obstupuit*, &c. Ita etiamsi quis nostri Simonis Petri gloriam, & claritatem, in auro charitatis, in opibus apparatuq; copioso præclarissimarũ virtutum videat, si diuinitus traditam potestatem, clauesque consideret, obstupescet. Simon frater fuit Iudæ Machabæi, & Ionathę, eius vitam, mortemque liber primus Machabæorum cap. 14. & sequentibus complectitur.

Simon Pontifex frater Iudæ. 1. Mach. 15. D. Petrus.

1. Mach. 14.

Huius Pontificis tempore, vt dicitur primo Machab. 15. ablatum est iugum gentium ab Israël, anno centesimo septuagesimo Seleucidarũ, & cœpit populus Israël scribere in tabulis & gestis publicis: Anno 1. sub Simone summo sacerdote, magno duce, & principe Iudæorum. Ioseph: Tanto (inquit) in honore apud populum fuit Simon, vt tam in priuatis instrumentis quàm in publicis scripturis adjicerent, actum esse, anno primo Simonis Iudęorum Ethnarchæ, optimè de gente sua meriti. Hoc quoque tempore arcem, quę in monte Sion extructa Ierosolymę imminebat, Simon magna cum lętitia recepit: *Mundauit arcem à contaminationibus, & intrauerunt in eam tertia & vigesima die secundi mensis, anno centesimo septuagesimo primo, cum laude, & ramis palmarum, & cinnyris, & cymbalis, & nablijs, & hymnis & canticis, quia contritus est inimicus magnus ex Israel, & muniuit montem templi, qui erat secus arcem, & habitauit ibi ipse*, &c. De hac arce scriptum est lib. 1. Mach. *Aedificauerunt* (scilicet ethnici) *ciuitatem Dauid muro magno, & firmo, & turribus firmis, & facta est illis in arcem, & posuerunt illic gentem peccatricem, viros iniquos*, &c. Ciuitas autem Dauid pars ciuitatis Ierusalem appellabatur, in monte Siõ sita. Vnde illud: *Habitauit Dauid in arce, & vocauit eam ciuitatem Dauid*, &c.

Iosephus lib. 13 antiq. cap. 11.

Iosephus scribit Simonem tam arcem, quã montem, in quo illa erat ędificata, ęquasse solo: Ierosolymorum (inquit) arcem solo æquauit Simon, ne posthac esse posset hostibus receptaculũ, néve inde vrbi aliquod inferretur incommodum. Quo facto visum est illi operæ pretium, si mons etiam, in quo sita fuerat, complanaretur, vt solum templum emineret, effecitque id commemoratis pro concione malis, quæ à prędiarijs in eam diem Iudęi passi fuerant, quęque etiam in posterum ferre cogerẽtur, si externus aliquis princeps ei loco imponeret prędium. adeoque permotus est eius exhortatione populus, vt non intermisso per triennium, neque die, neque noctu opere, tandem ad planitiem eum locum indefesso labore per vices sibi succedentes redegerint, atque ita nihil reliquerint, quod obstaret, quominus templum omnibus in vrbe locis esset lõgè celsius. Sic Iosephus. At videtur repugnare ijs verbis; *In diebus Simonis prosperatum est in manibus eius, vt tollerentur gentes de regione ipsorũ, & qui in ciuitate Dauid erant, in Ierusalem in arce, de qua procedebant, & contaminabant omnia quæ in circuitu Sanctorum sunt, & inferebant plagam magnam castitati. & collocauit in ea viros Iudæos, ad tutamentum regionis, & ciuitatis, & exaltauit muros in Ierusalem*, &c. Simon in arce prędiũ collocauit Iudęorum, ergo illam non euertit, nisi dicas mutato consilio postea solo ęquasse.

1. Mach. 14.

Ad Simonem Antiochus is, qui Tryphonem in fugam vertit, literas amoris plenas misit. Postea verò mutato consilio Ierosolymitanam arcẽ, & alias ciuitates cũ pecunia sibi restitui, per legatũ Athenobium postulauit. Cendebęum deinde ducem cũ exercitũ in Iudęam misit: Eo victo ac fugato, quod restabat vitę in pace Simon populusque exegit. De pace autem, quę tempore Simonis viguit, agitur his verbis: *Siluit omnis terra Iuda in omnibus diebus Simonis, & quæsiuit bona genti suæ, & placuit illi potestas eius, & gloria eius omnibus diebus. Fecit pacem super terram, & lætatus est Israel lætitia magna, & sedit vnusquisque sub vite sua, & sub ficulnea sua, & non erat, qui eos terreret, defecit impugnans eos super terram, reges contriti sunt in diebus illius*, &c. Eodem capite illa verba obseruatione digna sunt, *Iudæi, & sacerdotes eorum consenserunt eum*, id est, Simonem, *esse ducem, & summum sacerdotem in æternum, donec surgat Propheta fidelis*, id est, donec surgat Messias, vt Lyranus interpretatur, & Genebrard. li. 2. chronolog. Expectabant enim Messiam regem ac Prophetam fidelissimum.

1. Mach. 15.

1. Mach. 15.

1. Mach. 14.

Cùm præclarus hic Pontifex, Pontificis officio fungens, Iudææ ciuitates perambularet, vt scribitur 1. Mach. solicitudinem earum gerens: In ciuitatem Iericho venit cum duobus filijs Matthatia & Iuda, anno cẽtesimo septuagesimo septimo regni Græcorũ. Excepit illos conuiuio dux in campo Iericho constitutus, Ptolemęus Simonis ipsius gener, & cũ vtroque filio patrem, socerumque suum peremit, gradum sibi per hanc cædem ad Iudęę principatum parans. Antequam vita priuaretur cum Romanis Simon Societatem statuerat, eisque clypeum mille minarum ex auro miserat.

1. Mach. vlt.

1. Mach. 14.

Ioannes Hyrcanus Pontifex. Iosephus lib. 13. antiq.

Vigesimus secundus Pontifex fuit Ioannes Hyrcanus, Simonis filius, eius gesta lege apud Iosephum, nam liber Machab. ad Simonem tantum huius patrem peruenit. Vno & triginta annis pontificatu functus est, Sichem cum alijs oppidis in pote-

ſtatem redegit.templum illud,quod ſupra diximus in monte Garizim fuiſſe extructum, poſt annum 200.diruit.Samariam euertit, Idumæos ſub iugum miſit,aperto Dauidis regis monumento tria millia talentorũ inde protulit,quibus pecunijs fretus primus omnium externum militem alere cœpit. Hæc omnia copiosè Ioſephus narrat.

Ariſtobulus regni diadema primus poſt captiuitatem ſibi impoſuit.

Vigeſimus tertius Pontifex rexque ſimul fuit Ariſtobulus filius Hyrcani,vt enim ait Ioſephus l.13. antiquit.c.19.volens principatum in regni formam vertere,diadema ſibi primus impoſuit, poſt 481.annos,ex quode captiuitate Babylonica liberatus populus,ad priſtinas ſedes poſtliminio reuerſus eſt. Vno tantùm anno in regno exacto (ait Ioſephus) obijt, cognominatus Philellen,id eſt,Græcorum amator, poſt auctam multis beneficijs patriam, illato bello Iturææ,magnaque eius parte attributa ad Iudææ limites.Antigonum fratrem,quem præ alijs diligere videbatur,& in ſocietatem imperij admiſerat,calũniatoribus,quibus ſtudium erat inter fratres diſcordiam excitare,fidem adhibẽs,occidit.Tres alios fratres in vinculis habuit. Matrem etiam coniecit in carcerem,principatus æmulam(nam illam Hyrcanus dominam rerum reliquerat) & fame necauit.

Alexander Iannæus Pontifex & Rex.

Vigeſimus quartus Pontifex, & ſecundus poſt captiuitatem Babylonicam Rex,fuit Ariſtobuli frater Iannæus,qui Alexander etiam appellatur. Nam Ariſtobuli vxor Salome Alexandra, ſolutis fratribus,quos ipſe,vt diximus,vinxerat, Alexãdrum regem conſtituit,qui ætate cæteros ac modeſtia præcedebat,27.annis regnauit,varijs agitatus bellis, de quibus Ioſephus lib.13.antiquit,ſcribit,lege eundẽ lib.1.de bello Iudaico.

Hyrcanus.

Vigeſimus quintus Pontifex Hyrcanus põtificatum geſſit,regnum verò poſt Alexandri obitum adminiſtrauit regina Alexandra,ex viri teſtamẽto annis nouem. fuerat Alexander Phariſæis infenſus. quòd verò magna præſtarent apud populum auctoritate,morti vicinus dum caſtellum quoddã oppugnat,illorum beneuolentiam vt ſibi compararet, vxori conſuluit,ſi vellet regnũ ſecurè obtinere.Sed,

Phariſæorũ magna apud populum auctoritas.

vt Phariſæorum apud populum auctoritatem cognoſcamus,operæ pretium erit Ioſephi verba aſcribere lib.13. antiquit. c.23.Conſuluit,inquit,Alexãder,vxori Alexandræ,vt ſuis monitis pareat,ſi velit ſecurè cum filijs regnum obtinere.Primùm vt apud milites celet mortem ſuam, tantiſper dum caſtellũ capiat:deinde poſtquam victrix Ieroſolymam reuerſa fuerit,Phariſæis nonnihil licentiæ permittat. Hos enim pro habito ſibi honore laudaturos eam, & cõmendaturos apud populum:poſſe enim plurimũ Phariſæos apud populum, ſiue exoſum aliquẽ cupiant Iædere,ſiue amicum iuuare. valde enim his fidem habere vulgus,etiam ſi per inuidiam de quopiam maleloquãtur,nec ſe ob aliam cauſam incurriſſe totius gentis odium, quam quia hoc genus offenderit.Hæc ille.Cõſilium Aleãdra ſecuta eſt. Itaque,vt Ioſephus ſequenti capite ait, ex Phariſæorũ ſententia,permiſſu reginæ gerebantur omnia, quibus etiam plebs parere iuſſa eſt. Nomen regni erat penes reginã,penes Phariſæos verò adminiſtratio.

Ariſtobulus regno fratrẽ expulit. Ioſephus. Antipater Herodis pater.

Porro Alexander duos reliquit filios,Hyrcanum natu maiorem,cui pontificatus obuenit, & Ariſtobulum.Hyrcanus animo leni erat,& amator quietis,Ariſtobulus audax,& induſtrius.cum igitur fungeretur amator quietis Hyrcanus pontificatu, bellum ei intulit audax Ariſtobulus, fratremque vicit, de pacis deinde conditionibus actum: Ariſtobulo regnum traditum,Hyrcano vt priuatam vitam duceret,conceſſum.Cęterum Idumæus quidam Hyrcani amicus,vt Ioſephus ait li.14.c.2.nomine Antipater,vir pecunioſus,Ariſtobuloque infenſus,regnum ad Hyrcanum redire cupiebat. Quocirca in Ariſtobulum criminationes affingens, quaſi fratris vitæ inſidiaretur,tãdem vrgendo ægrè obtinuit,vt ad Aretam Regem Hyrcanus fugeret.Rex eiuſdem Antipatri hortatu expeditionem contra Ariſtobulum ſuſcepit,euaſitque victor commiſſo prælio.Victus Ariſtobulus Hieroſolymam confugit,quem victor Aretas oppugnauit in templo,adiuuante Hyrcanum etiam populo,ſolis ſacerdotibus non deſerentibus Ariſtobulum. Sed ſoluta obſidio eſt iuſſu Scauri Romani ducis;is enim Aretam recedere iuſſit,ni faceret,Romani populi hoſtem declarandum denuntiauit.

Pompeius templum cepit, & ingreſſus eſt.

Denique delata ad Pompeium Magnum fratrum cauſa eſt,qui tunc temporis in Syriam venit,vrbſq; illi & regia à Iudæis tradita. Cùm verò Ariſtobuli factio occupato templo ad bellum ſe expediuiſſet, templum Pompeius oppugnauit, multisque Iudæis cæſis vi cepit.Ingreſſus deinde,& vna cum eo non pauci alij,ea inſpexere, quæ ſolis ſacerdotib. videre fas erat.Illud non poteſt non laudari, nimirum,ex tot templi opibus rapuiſſe nihil:cùm enim intus eſſent ex auro menſa, & candelabrum, & pocula,& odoramentorum magna copia, præterea in theſauris ſacræ pecuniæ circiter duo talentorum millia, attigit nihil.Pompeio valde diſſimilis Craſſus fuit:

Craſſus templum ſpoliauit.

is enim cùm in Parthos pararet expeditionẽ, in Iudæam peruenit, duoque talentorum millia, quæ Pompeius attingere noluerat, reliquum præterea aurum,cuius ſumma ad octo talentorum millia accedebat,trabẽ quoque ex auro ſolidam trecẽtas minas pendentem abſtulit,ſpoliatoque templo ad paratam ſibi necem profectus, cum omnibus copijs infelix prædo periit.At Pompeius Hyrcano pontificatum reddidit,Ariſtobulum eius fratrem vinculis obſtrictum cum duobus filijs, totidemque filiabus ſecum abduxit.Iudæos verò Romanis ſubiectos,ſtipendiarioſque fecit. Tum primùm (ait Ioſephus) libertatem amiſimus, ſuctiecti Romanorum imperio.

Ioſephus l.14.antiq. c.8.

Cæſar in Syriam venit, & Antipatrum Herodis patrem procuratorem Iudææ conſtituit.

Poſt Pompeium deuictum,in Syriam quoque Cęſar deuectus,magnos honores contulit,tum in Hyrcanum,cuius pontificatum confirmauit,tum in Antipatrum,quem ciuitate Romana, & immunitate donatum,ob egregiam ſibi operam nauatam, procuratorem Iudęę cõſtituit.Erat ergo Pontifex Hyrcanus,Idumęus Antipater Iudęę procurator;qui,vt Ioſephus ſcribit libro 14.antiquit.capite 2.primum Antipas vocabatur,eodem, quo pater ipſius nomine.Cùm igitur Iudææ eſſet procurator, Phaſelum filium natu maximum Ieroſolymis & circumuicinæ regioni ducem creauit, Herodi Galilææ curandam commiſit. Herodem poſtea ſenatus primùm Romanus,deinde etiam Cęſar Auguſtus, Iudææ regem præfecit,vt leges apud Ioſephũ lib.14. antiquitat.capite vigeſimo ſexto,& libro 15.capite 10.Hoc Herode regnante Chriſtus Optim. Maxim. ortus eſt.

Herodes rex, eiuſq; filij.

Tres ille filios reliquit ſuperſtites, Archelaũ,Herodem Antipam,& Philippum,quorum mentio extat in Euangelijs. Archelaum Cæſar Auguſtus, vt Ioſephus. Ioſephus ſcribit libro 17.antiquitat.cap.13.non regem creauit,ſed dimidia parte ditionis,quæ Herodis patri fuerat conceſſa,Ethnarcam conſtituit, regnum quoque pollicitus,quam primum ille ſe tali honore dignum redderet.Partem alteram in alios duos fratres partitus eſt. Itaq; Archelao Iudæa obtigit,Idumæa,& Samaria, Herodi Antipæ Galilæa ceſſit,regioque trans flumen, Philippo Batanea,regio Trachonitis,& Auranitis. Primus Herodes innocentes infantes vita priuauit, Herodes Antipas eius filius Ioannẽ Baptiſtam occidit, Chriſtũ veſte indutum

indutum alba irrisit,& fratris sui Philippi vxorem Herodiadem habuit,vnde illud Baptistæ: *Non licet tibi habere vxorem fratris tui.* Archelaus apud Augustum accusatus, imperio mulctatus, & in vrbem Galliæ Viennam relegatus est. Iudæa verò in prouinciam redacta,& à Romanis præfectis administrata deinceps,inter quos Pontius Pilatus numeratur, qui iniquissimam sententiam in Christum tulit.

Meminere præterea sacra volumina Herodis Agrippæ, is Herodis primi nepos fuit,ex filio Aristobulo.Iudææ Regnum à Romanis adeptus,Iacobum
Act.12. maiorem interfecit,& D.Petrum coniecit in carcerem.Ab Angelo percussus vermibusque consumptus,animam infelix exhalauit. Iansenius capite secundo Concord. scribit hunc Agrippam non fuisse
Herodes Agrippa. Regem Iudææ,sed Thraconitidis, Iturææ, & Galilææ:at Iudææ quoque imperasse compertum ex Iosepho est lib.19.antiquit. capite 4.Claudius, inquit, Cæsar edictum proposuit, quo Agrippam in regno A per Caium antè concesso confirmabat,addita insuper Iudæa & Samaria, quòd olim ad eius aui Herodis regnum pertinuissent. Hæc ille. Lege eundem, libro eodem capite vlt. Fuit alter quoque Agrippa iunior,huius Agrippæ filius,quem Claudius Chalcidis Regem creauit, vt docet Iosephus libro vigesimo antiquita.cap.3.Postea verò,vt scribit sequenti capite quinto,regno Chalcidis ablato, Philippi tetrarchiam & Batanæam illi donauit, adiuncta his B Trachonitide cum Abila,quę tetrarchia Lysiæ fuerat.Eiusdem imperium Nero Galilææ parte amplificauit,vt ait Iosephus eod.cap.Hic ille est Agrippa, *Act.29.* quo audiente Paulus sermonem habet.

Alter Agrippa iunior.

Hactenus de triplici populi Israëlitici statu, ea diximus, quæ Christi genealogiam, diuinaque volumina perlegentibus,nonnihil lucis afferre possint, vniuersamque antiqui illius temporis historiam, in parua veluti tabula descriptam,ante oculos proposuimus,nunc ad ea,quæ restant,transeamus.

CAPVT XXIX.

De Christi genealogia ex capite tertio Diui Lucæ.

IPSE Iesus erat incipiens quasi annorum triginta vt putabatur filius Ioseph,qui fuit Heli,qui fuit Matthat,qui fuit Leui,qui fuit Melchi, qui fuit Ianne,qui fuit Ioseph,qui fuit Matthathiæ,qui fuit Amos,qui fuit Naum, qui fuit Hesli,qui fuit Nagge, qui fuit Mahath, qui fuit Matthathiæ, qui fuit Semei,qui fuit Ioseph,qui fuit Iuda,qui fuit Iohanna,qui fuit Resa,qui fuit Zorobabel,qui fuit Salathiel,qui fuit Neri,qui fuit Melchi, qui fuit Addi, qui fuit Casan,qui fuit Elmadan, qui fuit Her,qui fuit Iesu, qui fuit Eliezer,qui fuit Iorim,qui fuit Matthat, qui fuit Leui, qui fuit Simeon, qui fuit Iuda, qui fuit Ioseph,qui fuit Iona,qui fuit Eliacim,qui fuit Melcha,qui fuit Menna,qui fuit Matthatha, qui fuit Nathan,qui fuit Dauid,qui fuit Iesse,qui fuit Obed,qui fuit Booz, qui fuit Salmon, qui fuit Naasson, qui fuit Aminadab,qui fuit Arani,qui fuit Esron,qui fuit Phares, qui fuit Iudæ,qui fuit Iacob,qui fuit Isaac,qui fuit Abrahæ, qui fuit Thare, qui fuit Nachor,qui fuit Sarug,qui fuit Ragau, qui fuit Phaleg,qui fuit Heber,qui fuit Sale, qui fuit Cainan,qui fuit Arphaxad,qui fuit Sem,qui fuit Noë,qui fuit Lamech,qui fuit Mathusale, qui fuit Henoch, qui fuit Iared, qui fuit Malaleel, qui fuit Cainan, qui fuit Henos, qui fuit Seth,qui fuit Adam, qui fuit Dei.

DIVERSA est Lucæ genealogia ab ea, quam scripsit Matthæus, alios enim progenitores Matthæus,alios & multo plures commemorat Lucas. Etenim Matthæus à Dauide, vsque ad Christum, generationes viginti octo; à Salathiele, vsque ad Ioseph,duodecim numerat.Lucas verò à Dauide, vsque ad Christum, generationes quadraginta duas;à Salathiele,vsque ad Ioseph, vnam & viginti recenset.Vniuersè Matthæus tessaradecadas tres, personas quadraginta duas, Lucas septuaginta septem D profert. Matthæus ab Abrahamo, vsque ad Christum; Lucas à Christo,vsque ad Adamum;& Deum, genealogiam contexit; Matthęus ab Abrahamo descendit ad Christum, Lucas à Christo ascendit ad Deum omnium hominum conditorem. Matthæus verbo(genuit) vtitur, Abraham genuit Isaac, &c. Interpres apud Lucam verbo (fuit) *qui fuit Eli, qui fuit Matthat*,scilicet filius, &c. Interpretem dixi vsum verbo(fuit) quoniam Lucas nullo verbo Græce vtitur,sic enim scribit: Ιωσὴφ τοῦ ἦλι, τοῦ μάτθατ, τοῦ C λέυι,τοῦ μέλχι,&c.hoc est,Ioseph Eli,scilicet,filij Eli, Matthat,&c.

Vt autem ordine inuerso Lucę genealogiam explicemus; Adam humani generis fator genuit Seth, vt est in Genes.post Abelis necē; *Posuit* (inquit Eua) *mihi Deus semen aliud pro Abel,quem occidit Cain*; inde nomen ductum Seth,id est, positus, quòd in Abelis locum suffectus ac positus sit. Similis fuit Abeli, vir probus ac pius. Seth genuit Enos, significat autem Enos hominem,fuit enim verè homo,Dei cultui addictus. *Hic* (ait Moyses) *cœpit inuocare nomen Domini*, nempe solenniori aliquo cultu, extructo fortè templo, quo ad sacrificandum homines confluerent. Cardinalis Caietanus,& Naclantus, putant cœpisse *Caietanus.* inuocare nomen Domini,id est,nomen tetragram- *Naclantus.* maton Iehouah, quod Hebræis est ineffabile. *Enos genuit Cainan, Cainan genuit Malaleel, Malaleel genuit Iared, Iared genuit Henoch* illum, qui in paradisum terrestrē raptus est. *Henoch genuit Mathusalam, Mathusala genuit Lamech, Lamech genuit Noë, Noë genuit Sem, Sem genuit Arphaxad, Arphaxad genuit Cainan.*

Genes.4.

Genes.5.

De

De hoc Cainan non leuis est controuersia; non enim vel in hebræis codicibus, vel in nostra vulgata editione numeratur Genes. 11. quo capite omnes hæ generationes recensentur. Non rectè verò Iansenius ait hanc generationem abundare; Caietanus similiter scribit, vel forte abundare, vel codices hebræos, ex quibus noster interpres vertit, non fuisse integros; nō dissentit Genebrardus in Chronolog. Peius Eugubinus Genes. 11. Error, inquit, est Septuaginta, Interpretum, quod scribant Arphaxad genuisse Cainan, cum genuerit Sale. Hinc factum est, vt idem error sit Lucæ 3. sequebatur enim Septuaginta, qui iam erant toto orbe receptissimi, hæc ille; quæ si nunc viueret, non dubium quin correxisset. Alij nonnulli respondent, Cainan & Sale eundem fuisse hominem, duobus his nominibus appellatū, in Euangelio verò Lucæ pro verbo, fuit, particulam, &, legendam hoc modo: Qui fuit Sale, qui & Cainan, hoc est, qui Sale dictus est etiam Cainan. Sed apertè ex Septuaginta interpretibus redarguūtur, ex quorum interpretatione constat liquido, Sale, & Cainan, duos fuisse homines; redarguuntur etiam ex ipso Lucæ contextu, in quo sic scriptum extat: *Qui fuit Cainan*, non autem, vt illi comminiscuntur: Qui & Cainan.

Genes. 11. Iansenius. Caietan. Quæstio de Cainan. Genebrard. Eugubinus.

Respondendum ergo paucis, ex editione Septuaginta interpretum Genes. 11. compertum esse Arphaxad genuisse Cainan, idemque ex Euangelio Lucæ liquere, cui nihil falsitatis inesse potest. Quòd si in hebræa & vulgata editione hæc generatio nō extat, non propterea veritate caret. Præterita enim à Moyse est, quem in modum Matthæus aliquot generationes, vt diximus, præterijt, à Septuaginta verò interpretibus, & à Luca diuino spiritu, qui falli nulla ratione potest, addita.

Cainan genuit Sale, Sale genuit Heber; cum linguæ propter ædificationem Babylonicæ turris diuisæ sunt, in familia Heber, lingua sancta permansit, quæ ab eo Hebræa est nominata. *Heber genuit Phaleg, Phaleg genuit Reu siue Ragau, Ragau genuit Sarug, Sarug genuit Nachor, Nachor genuit Thare, Thare genuit Abraham:* Hæc genealogia extat Genes. 11. *Abraham genuit Isaac, Isaac genuit Iacob, Iacob genuit Iudam, Iudas genuit Phares, Phares genuit Esron, Esron genuit Aram, Aram genuit Aminadab, Aminadab genuit Naasson, Naasson genuit Salmon, Salmon genuit Booz, Booz genuit Obed, Obed genuit Ieſſe, Ieſſe genuit Dauid Regem.* Hæc eadem sunt apud Matthæum.

Genes. 11. Matth. 1.

Dauid genuit Nathan. Ex Bethsabea enim, vt diximus ex libro Paralip. quatuor filios suscepit, Salomonem, Nathanum, & duos alios, *Nathan* filius Dauidis *genuit Matthatham, Matthatha genuit Mennam, Menna genuit Melcham, Melcha genuit Eliachim, Eliachim genuit Ionam, Ionas genuit Ioſeph, Ioſeph genuit Iudam, Iudas genuit Simeonem, Simeon genuit Leui, Leui genuit Matthat, Matthat genuit Iorim, Iorim genuit Eliezer, Eliezer genuit Ieſum, Ieſus genuit Her, Her genuit Elmadan, Elmadan genuit Coſam, Coſam genuit Addi, Addi genuit Melchi, Melchi genuit Neri, Neri genuit Salathiel, Salathiel genuit Zorobabel, Zorobabel genuit Reſa, Reſa genuit Iohanna, Iohanna genuit Iudam, Iudas genuit Ioſeph, Ioſeph genuit Semei, Semei genuit Matthathiam, Matthathias genuit Mahath, Mahath genuit Nagge, Nagge genuit Heſli, Heſli genuit Naum, Naum genuit Amos, Amos genuit Matthathiam, Matthathias genuit Ioſeph, Ioſeph genuit Ianne, Ianne genuit Melchi, Melchi genuit Leui, Leui genuit Matthat, Matthat genuit Heli, Heli,* siue Eliachim, siue Ioachim, *pater fuit*, id est, socer *Ioſeph, qui hominum opinione Christi pater dicebatur.* Ipse autem Heli genuit intemeratam Virginem Mariam Ioſephi coniugem, ex qua verus Messias ortus est.

1. Par. 3.

Vides Lucæ genealogiam longiorem esse genealogiam Matthæi, quippe, quæ progenitores Christi ab Adamo vsque ad Christum numeret; cum Matthæi genealogia ab Abrahamo tantum vsque ad ipsum Christum patres contineat. Ab Adamo vsque ad Dauidem nulla, à Dauide vsque ad Christum magna est inter vtramque diuersitas: Nec mirum; Etenim Lucas progenitores Virginis Deiparæ, vt dicemus, Matthæus Ioſeph patres enumerauit, vt tam Virginis, quàm Ioſephi, qui pater Christi est existimatus, genus ex familia Dauidis constaret.

Philo ille, quem Annius edidit, in Breuiario temporum, posteros Salomonis regni Iuda sceptrum ad Ochoziam vsque tenuisse affirmat; deinde Salomonis posteritate Athaliæ facinore extincta, ad Nathani fratris posteros regnum fuisse trāslatum: & Ioas illum, qui post Ochoziam & Athaliam regnauit, ex posteris fuisse Nathani, non Salomonis, scribit.

Philo Annij.

Ait præterea, Ioas & reliquos deinceps reges plura habuisse nomina. Ab isto (inquit) Ioas, atq; deinceps, in rememorationem reges semper binomij, & trinomij fuerunt; nam iste primus dictus est Heli, Ioas, Simeon; item Her Manasses, Ezechias Iesus, & eiuscemodi. Hæc ille. Ex iis, & aliis illius Philonis dictis colligitur, Nathani filij Dauidis posteros, qui à Luca numerantur vsque ad Iudam, viros principes, & regni successores fuisse; sequentes fuisse reges. Simeon enim filius Iudæ rex fuit, idem qui Ioas, tribus nominibus appellatus, vt ait Philo, Ioas, Heli, & Simeon; Leui est Amazias rex, Matthat est Ozias, Iorim est Ioatham, Eliezer est Achaz, Iesus est Ezechias, vt ait Philo, & Her est Manasses, Elmadan est Amon, Cosam est Iosias, Addi est Ioachaz, Melchi est Ioachimus, Neri est Iechonias, quem Philo Neri vocatum docet à populo, id est, lucernam meam, quòd cùm ab Euilmerodacho ex carcere eductus est, lucerna Dauid, quæ extincta videbatur, illuxerit. Hic Neri siue Iechonias genuit Salathielem, Salathiel genuit Zorobabelem, Zorobabel duos habuit filios, Resam, & Abiud; Matthæus per Abiud genealogiam ad Christum ducit; Lucas per Resam, & cæteros consequentes; quos Philo in Breuiario temporum iisdem nominibus appellat, & post captiuitatem Babylonicam populi principes fuisse docet. In captiuitatis (inquit) solutione, Zorobabel primus præfuit annis 58. Et Resa sexaginta sex, Iohanna filius Resa 53. Iudas cognomine Hyrcanus quatuordecim. item, post hos duces ex domo Dauid vsque ad Iudam Machabæum, fuêre Ioſephus annis 7. Semei 11. Matthathias 12. Matthat 9. Naguid 10. Hesli 8. Naum 7. Amos 14. Matthathias 10. Ioſeph 60. Iannæus Hyrcanus 16. Mox secuti Asmonai, id est, Machabæi, simul cum pontificatu etiam ducatum à domo Dauid surripuerunt. Hęc Philo, siue quisquis ille est autor, quem Annius in suis commentariis, Ioannes Lucidus lib. 7. Beauxames in concordia, & alij recipiunt. Alij verò viri docti merito non recipiunt, qua de re non est huius loci disputare.

In primis quod is Philo, & qui eum sequuntur affirmant, Salomonis posteros ad Ochoziam vsque tantum modo regnasse, & Ioas non ex Salomonis, sed ex Nathani posteris esse; falsum est, & Scripturę sacrę repugnans. Etenim Scriptura apertissimis verbis Ioas filium vocat Ochoziæ, Ochoziam autē ex Salomonis, non ex Nathani posteris esse constat, ergo Ioas ex Salomonis, nō ex Nathani posteris est. *Ioſaba filia Regis Ioram, Ioas filium Ochoziæ furata est de medio filiorum regis, qui interficiebantur.* Item eodem capite: *Ioiada ſummus Sacerdos militibus oſtendit filium regis*, id est, Ioas: *produxitq; filium regis, & posuit ſuper eum diadema*, &c. Quòd si respondent, dici filium regis adoptione, id nullo modo contra apertissima Scripturæ verba probare possunt. Præterea ex libro Paralip. redarguuntur, quo loco hæc extant verba: *Ioram genuit Ochoziam, ex quo ortus est Ioas*; filius naturalis, non filius

De dictis Philonis Annij.

4. Reg. 11.

1. Paral. 3.

filius adoptione, ortus dicitur ex patre. Ioas igitur ex posteris fuit Salomonis, itemque qui à Ioa Reges genus traxerunt, à Matthæo numerati, Salomonis, non Nathani posteri, siue nepotes dicēdi sunt, quidquid Annius cum suo Philone velit; cuius quemadmodum hoc dictum falsum est, ita quæ addit reliqua, valde dubiæ sunt autoritatis & veritatis.

An verò Nathani filius fuerit Dauidis natura, an adoptione, diximus in secunda tessaradecade Matthæi, cum de Salomone egimus. Prophetam illum fuisse, qui Dauidem de admisso scelere celebri parabola commonefecit, Lyranus Lucæ 3. & nonnulli alij crediderunt; adoptauit enim, (inquiunt) eum Dauid ob sanctitatis præcellentiam. In hac sententia videbitur esse Ambrosius Lucæ tertio, cum ait, per Nathan expressam prophetiæ dignitatem, & Augustinus lib. 2. de consensu Euangelist. cap. 4. quo loco affirmat Lucam ascendisse ad Dauid per Nathan, per quem prophetam Deus peccatum Dauidis expiauit. At in libro 2. retract. cap. 16. quid sibi velit, aperte exponit; Dixi (inquit) per quem Prophetam, & dicere debui, per cuius nominis Prophetam. Similiter Ambrosius exponi potest, opinio enim nihil habet veri similitudinis, cum ex Scriptura aperte habeamus, Nathanum filium fuisse Dauidis, ex Bethsabea genitum. 1. Par. 3.

CAPVT XXX.

Dissentiántne Lucas & Matthæus in describenda Christi genealogia.

DIssentire probatur. Primò, quia Matthæus asserit patrem Ioseph fuisse Iacob, Lucas autem ait fuisse Heli. Secundò, quia diuersi admodum sunt in vtraque genealogia progenitores, vt legenti perspicuum est. Tertiò, quia Matthæus affirmat Salathielem filium fuisse Iechoniæ, Lucas fuisse filium Neri. Quartò, quia multo plures generationes Lucas, quàm Matthæus numerat, vt vidimus suprà. Præter hæc, hi Euangelistæ non videntur Christi descripsisse genealogiam. Etenim Christus non est natus ex Ioseph, sed ex intemerata Virgine, Spiritus sancti opera conceptus. Euangelistæ autem Iosephi progenitores, non progenitores Virginis Deiparæ enumerarunt.

Respondemus diuino afflatos Spiritu Euangelistas, vt cætera, ita etiam Christi genealogiam descripsisse; nec vlla in re alterum cum altero pugnare, has verò & similes difficultates, quę dissensiones primo aspectu videntur, cùm dissensiones non sint, in literis sacris reperiri voluit Deus, vt ardenti in illas studio incumbamus, veritatē sedulo scrutemur, iuxta illud, *Scrutamini Scripturas*, intellectumque nostrum in obsequium fidei redigamus. Ioan. 5.

Primo argumento multi, & recte quidem, respōdent, Ioseph duos habuisse patres, non quidem naturales, id enim fieri nequit, sed alterum naturalem nomine Iacob, alterum legalem nomine Heli, Matthæum verò genealogiam vsque ad patrem naturalem Iacob; Lucam vsque ad patrem legalem Heli, deduxisse. Id quod verba, quibus hi Euangelistæ vtuntur, indicant. Nam Matthæus, quia de naturali loquitur patre, verbo (*genuit*) vtitur, quod naturalem significat generationem: *Iacob genuit Ioseph*, &c. Lucas quia de legali patre scribit, verbum (*fuit*) adhibet; *Qui fuit Heli*, &c. Quod non naturalem, sed legalem generationem ostendit. Pater naturalis is dicitur, qui filium gignit; pater legalis à lege appellabatur frater vita functus, cui frater superstes ex lege filiū gignebat. Etenim huiusmòdi de semine suscitando lex extat; *Quando habitauerint fratres simul, & vnus ex eis absque liberis mortuus fuerit, vxor defuncti non nubet alteri, sed accipiet eam frater eius, & suscitabit semen fratris sui; & primogenitum ex ea filium nomine illius appellabit, vt non deleatur nomen eius ex Israel.* Hinc illud Sadducæorum: *Erant apud nos septem fratres, & primus vxore ducta defunctus est, & non habens semen, reliquit suam vxorem fratri suo. Similiter secundus, & tertius, vsque ad septimum*, &c. Iacob ergo, & Heli, fratres cùm essent, vita excessit Heli absque liberis, relicta vxore superstite: hanc Iacob lege obstrictus duxit, genuitque Ioseph, qui filius fuit Heli legalis, filius quoque Iacob, qui eum genuerat naturalis. Hęc est antiquorum Patrum sententia. Iustini q. 131. ad gentes, & quæst. 133. Iulij Africani apud Eusebium libro 1. histor. Ecclesiasticæ, cap. 7. Ambrosij lib. 3. in Lucam, cap. 3. Hieronymi in Commentariis Matthæi, Damasceni lib. 4. fidei, cap. 15. & Orat. tertia de natiuitate Virginis, Nazianzeni in carmine de genealogia Christi, Nicephori lib. 1. cap. 11. Augustini libro 2. retractationum, cap. 7. & 12. Anselmi, Bedę, D. Thomæ 3. part. quæst. 31. artic. 3. & aliorum. Deut. 25. Matth. 22. D Iustinus. Africanus. D Ambrof. D Hieron. D. Damasc. D Grego. Nazianz. Nicephorus. D. Augusł. D. Anselm. Beda. D. Thom.

At huic sentētiæ illud in primis opponitur, quod Heli & Iacob fratres esse non potuerint; vnde efficitur, vt Iacob, vita functo fratri Heli, semen suscitare nequiuerit. Prior propositio confirmatur, quia fratres eosdem habent auos atque atauos: at Iacob, & Heli, vt ex genealogiis Matthæi & Lucæ liquet, diuersos habuere auos, atque atauos; ergo fratres nō fuere. Illud deinde obiicitur, quòd filius legalis, nomine patris legalis appellari solebat, vt ex lege prescripta patet; *Primogenitum*, inquit, *ex ea filium nomine illius* (id est, Patris legalis) *appellabit, vt non deleatur nomen eius ex Israel*. Si ergo Ioseph filius legalis Heli esset, Heli appellaretur; appellatur autem non Heli, sed Ioseph. Oppugnatur opinio proposita. Deut. 25.

Non est difficile argumenta hęc dissoluere. Priori respondetur cum Iulio Africano, Iacob & Heli fuisse fratres ex matre tantum, non etiam ex patre; fuerunt enim eiusdem vteri, & matris filij, quam Africanus, & Nazianzenus in carmine, Estham vocant. Hæc duobus nupsit viris, scilicet Matthat, qui fuit pater Heli, & Matthan, qui fuit pater Iacob. Lucas auos Heli, & Matthat eius patris; Matthęus auos Iacob, & Matthani eius genitoris, qui alij ac diuersi sunt, recensetur. Iansenius sentit fratri vita functo semen excitare non potuisse, nisi germanum fratrem ex eodem patre natum. Sed maior est patrum autoritas, quàm vt Iansenij dictis cedere debeat: neque enim quod opinatur satis probat, ex nomine Hebræo, Iabam, quo Scriptura vtitur, quodque fratrem solùm germanū significare vult. Id verò nos negamus, nam in biblijs regijs etiam leuirum significat, non solum fratrem non germanum; idque docet Elias, & nomen fœmininum Iebama, vxorem defuncti fratris significat, quæ nec eius germana est, nec leuiri. Præterea, si propinquus filium legalem defuncto gignere poterat, vt constat ex lib. Ruth; cur negabit Iansenius fratrem vterinum idem facere potuisse? *Iacob & Heli fratres eiusdem vteri non eiusdem patris.* Iansenius. Deut. 25.

Posteriorem obiectionem soluimus cum Augustino lib. 2. retract. cap. 12. filium legalem negamus patris legalis habuisse nomen ex prącepto legis; ita, vt si pater Heli vocaretur, filius Heli quoque vocari debuerit. Nomen defuncti (ait Augustinus) quod dictum est, ad hoc lex valere præcepit, vt eius filius diceretur; non ad hoc, vt quod ille, vocaretur. Et lib. quæst. in Deuteron. quæst. 46. Quod (inquit) additum est; *Et non delebitur nomen eius ex Israel*; potest ita intelligi, non quod nomen eius puer consequenter accipiat, sed quod ille non sine posteritate mortuus esse videbitur; D. Augusł.

Quis appellatur legalis pater.

videbitur; & ideo permanet eius nomen, hoc est, memoria. Neque enim etiam si ipse filium genuisset, nomen suum ei fuerat impositurus, vt nomen eius non deleretur ex Israël, sed ex hoc vtique non deleretur, quia non sine liberis ex hac vita migraret. Hæc August. Præcipiebat igitur lex, vt appellaretur nomine patris legalis filius legalis, hoc est, vt diceretur eius filius; estque sensus verborum legis; Filium Primogenitum nomine defuncti appellabit; hoc est, appellabit filium defuncti, hic sensus ex libro Ruth confirmatur: *Testis estis* (inquit Booz) *quod ego Ruth vxorem Mahalon in coniugium sumpserim, vt suscitem nomen defuncti in hæreditate sua, ne vocabulum eius de familia sua, ac fratribus, & populo deleatur.* Ex iis verbis quis sic non argumentabitur? Booz affirmat se duxisse Ruth vxorem, vt suscitet nomen defuncti in hæreditate sua, ne vocabulum eius de familia sua, ac fratribus, & populo deleatur; ergo filius Booz naturalis, qui fuit Mahalonis filius legalis, appellatus est nomine defuncti, videlicet Mahalon. At hæc consecutio aperte falsa est; nam filius Boozi non est appellatus Mahalon, sed Obed, vt luce meridiana clarius est ex libro Ruth. Quamuis autem Obed appellatus sit, vocabulum defuncti non est deletum ex populo, quia Obed filius defuncti Mahalonis dicebatur. Quemadmodum enim patrum naturalium nomen non perit, quamuis filij primogeniti, qui hæreditatē adeunt, illorum nomine non vocentur, quia filios relinquunt naturales; sic & patrum legalium nomen non deletur, quamuis filij, eorum nomine non appellentur, quia filios relinquunt legales.

Non erat opus filio legalis, nomen imponere patri legalis.

Ruth 4.

Obiicitur præterea ex Iansenio, Lucas non describit genealogiam Ioseph, ergo illi aui, atauique, quos numerat, non sunt Ioseph. Probat Iansenius propositionem antecedentem; quia Lucas manifestè ostendit Ioseph patrem Christi non fuisse reipsa, sed hominum sola opinione; *Vt putabatur* (inquit) *filius Ioseph*; non igitur est verisimile eius genealogiā voluisse describere, quem patrem Christi non esse affirmauit. Respondemus Iansenium negare non posse Matthæum genealogiam Iosephi contexuisse, attamen aperte idem Matthæus asseruit non fuisse illum patrem Christi, nisi sola hominum existimatione, cùm dixerit Christum fuisse Spiritus sancti opera conceptum. Quod ergo Matthæus, idem Lucas quoque fecit; vterque putatiuum patrem Christi Ioseph esse asseruit, nihilominus eius genus descripsit. Quidquid ergo Iansenius, & alij nostri seculi scriptores velint, patrum sententia rectè explicata, & facilis, & verisimilis est, quorum in exponendis sacris literis vestigia summa cum veneratione sequenda sunt.

Iansenius.

Aliter quoque per patres sanctissimos, licebit nobis argumentum illud, quod initio quæstionis propositum est, facile diluere; Si enim viuerent, hanc diluendi rationem etiam ipsi probarent; illam enim alteram vt verisimilem, non vt omnino certam secuti sunt. Respondeti igitur potest, Matthæum quidem asserere Iacob patrem fuisse Ioseph, Lucam autem affirmare Heli fuisse auum Christi, vel patrē, id est, socerum Iosephi, vt suprà iam dicere cœpimus, verò enim simile est Matthæum Iosephi, Lucam Virginis Deiparæ maiores numerasse; id quod multi nostri seculi scriptores censuerunt, Galatinus lib. 7. cap. 12. Lucidus item libro 7. de emendatione temporum, cap. 1. Canus vndecimo libro de locis Theologicis, cap. 5. Annius in commentariis Philonis, Sotus in 4. sentent. dist. 30. quæst. 2. artic. 1. Iansenius, Genebrardus, Canisius & alij. Itaque iuxta hanc probabilem sententiam Matthæus Iosephi ex Dauide per Salomonem, Lucas virginis intemeratę ex eodem Dauide per Nathanum, genealogiam ad Christum vsque deduxit, suntque verba illa vltima Lucæ hoc pacto explananda; *Christus putabatur filius Ioseph, Qui*, scilicet Christus, *fuit Heli*, scilicet nepos, quia enim patre Christus carebat, ad eius auum Euangelista transijt. Fuit autem auus Christi virginis pater Ioachim, qui Heli etiam dicitur. Aliter relatiuum, Qui, referre Iosephum potest, hoc modo: Qui, id est, Ioseph, fuit Heli gener, vel filius, gener enim filius soceri dici solet. Sed oppones Christi auum patrem Virginis, non esse appellatum Heli, sed Ioachim. Respondemus idem fere nomen esse Ioachim, & Heliachim, & per Aphæresim Heli. Idē enim significatum his duobus nominibus inest, hoc est, Deus suscitabit: vnde in libro Iudith, idem pontifex appellatur Eliachim, cap. 4. & cap. 15. Ioachim, & 4. Reg. 23. Pharao nomen Eliachim vertit in nomen Ioachim, apud Galatinum lib. 7. cap. 12. illius Rabbini, quem Iudæi Rabbenuhaccados, id est, magistrum nostrum sanctum vocant, huiusmodi extāt verba; Animaduertere (inquit) debes patrem Matris Messiæ, duplex habiturum nomen, vnum Heli, alterum Iehoiachim.

Iudith 4. & 15.

4. Reg. 23.

Ex hac solutione efficitur, Ioseph à Dauide per Salomonem, regiamque Salomonis stirpem manasse, Virginem verò integerrimam ex eodem Dauide duxisse genus, per filium regis Nathanum, à quo Heli, id est, Ioachim originem traxit. Dubium verò est, num eadem Virgo sanctissima per Salomonem quoque, & reges consequentes, quos Matthæus numerat, à Dauide oriunda sit, an solùm per Nathanum, eiusque posteros, qui regio sceptro clari non fuerunt. Respondetur, ex Euangelistis hoc minimè liquere; Patres verò in affirmante sententia esse. Vnde illud D. Bernardi in serm. de verbis Apocal. *Signum magnum apparuit in cœlo*, &c. Quid (inquit) fidereū micat in generatione Mariæ? Planè quòd ex regibus orta, quod ex semine Abrahæ, quod generosa ex stirpe Dauid, &c. Ambrosius lib. 3. in Lucam; Veri (inquit) regalisque generis dicimus Christum, & per veros & nobiles reges, actum domini genus, &c. Idem Ambrosius eodem loco, Christum è semine Iechoniæ regis Iudæorum esse scribit; idem affirmat Theodoretus Ieremiæ 22. & Hieronym. eodem loco, etsi Iansenius neget. Vnde colligitur Christum, atque adeò Virginem Deiparam, ex regibus Iechoniæ patribus originem habuisse. Sed obiicies illud Ieremiæ, quod est Iansenij fulcimentum; *Nec erit de semine eius*, scilicet Iechoniæ, *vir qui sedeat super solium Dauid, & potestatem habeat vltra in Iuda*; vnde sequitur, nullum ex posteris Iechoniæ super solium Dauid sedisse, atque adeò Christum ex posteris eius non esse, quippe qui super solium Dauid sederit, iuxta illa Angeli ad Virginem verba: *Dabit ei Dominus sedem Dauid patris eius*, &c. Respondet Ambrosius loco citato in Lucam iis verbis; Futuros ex semine Iechoniæ posteros non negatur, & ideo de semine eius est Christus; & quod regnauit Christus, non contra prophetiam est; non enim seculari honore regnauit, &c. Et Theodoretus in Ieremiam; Christus (inquit) ex Iechonia deducens genus secundum carnem in sedibus Dauidicis non sedit; Sed supra omnem principatum, & dominationem, & omne nomen, quod nominatur non solum in hoc seculo, sed etiam in futuro, &c.

An Virgo & Salomone oriunda.

D. Bern.

D. Ambr.

Theodoret. D. Hieron.

Theodoret.

D. Ambr.

Hanc sententiam sequi videtur Ecclesia in Antiphona illa Deiparæ Virginis; *Regali ex progenie Maria exorta refulget*, &c. D. Thom. 3. p. q. 31. art. 3. ad secundum; Credendum (ait) est, quod Virgo etiam ex Salomone originem duxerit, secundum aliquem modum, per illos patres, quos enumerat Matthæus; præsertim cùm Ambrosius dicat, Christum de semine Iechoniæ descendisse. Hæc ille.

Galatinus. Lucidus. Canus. Annius. Sotus. Iansenius Genebrard. Canisius.

Primum

Laurentius in genealog. virorum ac mulierum Sacræ Script. inprafat. Isagogica num. 8. & nomine Eli 2. ita Ioseph Patruelis, frater li. primogenitus) B. V. Mariæ fuit-

cùm Eli, siue Ioachim vel Eliacim pater paternalis Mariæ & sit legalis Iosephi et frater Iacobi qui fuit frater naturalis Iosephi. Ita hic auctor. Sed obstat quod sequatur Mariam & Iosephum fuisse

fratres vterinos ex Anna quod nullus dixit, nec discrepauit. Ea quòd si fuissent fratres non possent paucis viris sequi, nec esset frater naturalis vni, et legalis alterius, ex vna matre natus, et frater.

Soluuntur argumẽta initio capitis propoſita. D. Auguſt.

Primum ergo argumentum, quod initio capitis adductum eſt, duobus his modis, quos hactenus explicauimus, ſolui poteſt. Auguſt. li. 3. contra Fauſtũ, & lib. 2. de conſenſu Euangeliſtarum, cap. 3. tertium tradit ſoluendi modum; ait enim Ioſeph duos habuiſſe patres, alterum natura, alterum adoptione; vnde efficitur genealogias eſſe diuerſas. Secundo argumento reſpondetur, meritò in duabus genealogijs diuerſos eſſe progenitores, ſiquidem diuerſi ſunt Ioſephi patres, vnus naturalis, alter legalis. vel quia diuerſæ genealogiæ ſunt; altera Ioſephi, altera Ioachimi Virginis Deiparæ patris. Tertio reſpondetur, Zorobabelem ac Salathielem, quos Lucas commemorat, diuerſos ab ijs eſſe, quorũ Matthæus meminit, ſolent enim eodem nomine diuerſi homines nominari; ideoque Matthæi Salathiel filius Iechoniæ dicitur, Salathiel verò Lucæ, Neri filius recte appellatur. Quarto reſpondetur, pauciores generationes à Matthæo, quam à Luca numerari, quia diuerſæ ſunt, vt cõcedimus, genealogiæ, diuerſi progenitores, diuerſiq; temporis generationes.

Cur Euãgeliſta Ioſephi, & non Deiparæ genealogiam deſcripſerint. D. Chryſoſt. Euthymius.

Extremo argumento Patres reſpondent, ea de cauſa Euangeliſtas Ioſephi, non Deiparæ Virginis genealogiam contexuiſſe, quod in more eſſet poſitum, non fœminarum, ſed virorum genealogias deſcribere. Non erat mos (ait Chryſoſtomus Matt. 1.) apud Hebræos, generationum catalogum per fœminas texere, &c. Idem tradit Euthymius, & Theophylactus: Lex (inquit) erat mulierum genealogiam non ponere, propterea non Virginis genealogiam ponit Euangeliſta, &c. Damaſcenus lib. 4. Fidei, c. 15. Scire operæ pretium eſt, nec apud Hebræos, nec apud Scripturam ſacram, hoc in more poſitum fuiſſe, vt mulierum genus recẽſeretur, & in oratione 3. de natiuitate Virginis: Si quis Virginis quoque ſanctiſſimæ genus peculiariter recenſeri poſtulet, non recte mihi facere videtur, cum lex nuſquam hoc permittat, aut imperet. Quonam enim loco mulieris genus commemoratum fuiſſe oſtẽditur, cum in recenſendis generibus præſtantior pars anteferatur? Damaſceno objici poteſt: in Scriptura ſacra, in libro Iudith, ipſius Iudith genealogia deſcripta extat; ergo fœminę genealogiam deſcribi non eſt à ſcriptura alienum. Reſp. in li. Iudith deſcribi genealogiam fœminæ ſolius, & viduę; at genealogiam viri non eſſe per fœminę genealogiam deſcribendã. Cùm ergo Chriſti ab Euangeliſtis generatio deſcriberetur, non per Virginem fuit, quę virum habebat, ſed per Ioſephum, ex ſententia patrũ contexenda. Hieronymus, Matthęi 1. Non eſt conſuetudinis ſcripturarum, vt mulierum in generationibus ordo texatur, &c.

Theophyl. Damaſcen. Iudith 8.

Ex genealogia tamen viri, vxoris quoque genus cognoſcitur, vt ijdem Patres affirmãt. Damaſcenus loco citato; Lege cautum erat, ne tribus vlla vxores ex altera tribu accerſeret, ac proinde Ioſeph, qui ex tribu Dauidica ortum trahebat, ſanctam Virginem haudquaquam deſpondiſſet, niſi ex eodem ſceptro genus duxiſſet, ob idque ſatis habuit Euangeliſta demonſtraſſe, vnde Ioſeph ortum traxerit. Chryſoſtomus in Matthęum: Sponſi matris Dei genealogiã Matthæus contexuit, & per hunc, quod intendebat, demonſtrauit. Theophylactus: Ioſephi genealogia poſita, manifeſtum eſt quòd genealogiam colligat Euangeliſta matris Dei; nam ex eadem plane tribu, & familia erat Mater Dei. atque ita obſeruauit Euãgeliſta legem prẽcipientem, non ponendam mulierum genealogiam, & nihilominus genealogiam matris Dei poſuit, &c. Hieronymus: Ex vna tribu fuit Ioſeph, & Maria, vnde ex lege eam accipere cogebatur vt propinquam. Euſebius lib. 1. hiſt. cap. 7. Cùm genealogia Ioſeph deducatur, conſtat Mariam ex eadem tribu ortam, ſiquidem à Moyſe ſancitum lege erat, non licere diuerſas tribus inter ſe matrimonĩũ iungere, &c. Nicephorus: certò colligere licet, Mariã ex eadem, quæ Ioſephi fuit, fuiſſe tribu; quandoquidem ex prẽſcripto legis, tribum alia tribu commiſcere prohibitum eſt, &c.

Chryſoſtom. Theophyl. Vxores ducebantur à viris ex eadem tribu. D. Hieron. Euſebius.

Nicephorus.

Lex extat huiuſmodi: *Omnes viri ducent vxores de tribu, & cognatione ſua, & cunctæ fœminæ de eadem tribu maritos accipient, vt hæreditas permaneat in familijs, nec ſibi miſceantur tribus, ſed ita maneant, vt à Domino ſeparatæ ſunt.* Hęc lex. Cum ergo Ioſeph eſſet ex tribu Iuda, & familia Dauid, vt probat genealogia; efficitur Virginẽ ex tribu quoque Iuda & familia Dauidica fuiſſe ortam. *Num. 36.*

Non leue tamen argumentum hęc dicta eneruat. Etenim fas erat viris vxores non de ſua ſolùm, ſed de reliquis etiam tribubus ducere, ergo potuit Virgo ex alia tribu eſſe, duciq; à Ioſepho viro tribus Iudę. Antecedentem propoſitionem probat Auguſtini dictum, in quęſtionibus libri Iudicum, quęſt. 47. Solebant (inquit) nubere fœminæ de alijs tribubus: vnde & Saul cum eſſet de tribu Benjamin, dedit filiam ſuam Dauid homini de tribu Iuda. Hęc Auguſt. Idem confirmatur, quia homini, qui Goliath interfeciſſet, hoc præmium propoſitum eſt; *Ditabit eum Rex diuitijs magnis, & filiam ſuam dabit ei.* Saul ex tribu Benjamin cuiuſcunque tribus homini pollicebatur filiam vxorem; ergo id coniugium inire fas erat. Præterea legimus viros tribus Benjamin ex alia tribu duxiſſe vxores; ipſos verò Iſraëlitas non propterea filias ſuas illis tradere recuſaſſe, quod lege, ſed quod iuramento prohiberentur: *Iurauerunt filij Iſrael in Maſpha, & dixerant, nullus noſtrũm dabit filiis Beniamin de filiabus ſuis vxorem.* Quidnam iuramento opus fuit; ſi lex huiuſmodi coniugijs interdicebat? Item; *vnde vxores (aiunt) accipient?* (viri ſcilicet tribus Benjamin) *omnes enim in commune iurauimus, non dabimus nos his filias noſtras*, &c. Nulla legis, ſed iuramenti ſolum fit mentio, ergo non videbatur lex huiuſmodi cõnubia excludere. Is adde Summũ Sacerdotem Ioiadam ex tribu Leui, duxiſſe vxorẽ Ioſabeth filiam regis Ioram, ex tribu Iuda.

D. Auguſt. Obiectio. 1. Reg. 17. Iudic. 21. 2. Paral. 22.

Reſpondetur obiectioni prę ſententia patrum.

Reſpondetur argumento; legem illam de fœminis intelligendam, quæ patrum hęreditatem adibant; illis enim alterius tribus viris nubere nõ licebat, ne hęreditates permiſcerentur. Id quod hebręa Lectio aperte ſic habet: *Omnis filia hæreditatem obtinens, de tribubus filiorum Iſrael, vni de familia tribus patris ſui erit in vxorem.* Ita etiam vertit Chaldæus: *Omnis filia hæres poſſeſſionis*, &c. Fœminæ ergo illę, quibus alterius tribus viris fas erat nubere, patrũ hęreditate carebãt; huiuſmodi fuere fœminæ tribus Leuiticę; nullam enim tribus Leuitica habuit hęreditatem. Huiuſmodi item fuit filia Saulis, fuere quoque Benjaminitarum vxores, quę hęreditarios patrum ſuorũ agros, à ſuis tribubus, ad tribum Benjamin minimè tranſtulerunt. Neque enim fas erat vnius tribus agros, in aliquam aliam tribũ hęreditate transferre, poſſeſſioneſque tribuum permiſcere. Virgo autem Deipara patris Ioachim hęreditatem habuit, vnica enim illi filia fuit; Oportuit ergo ſuę tribus, ſuęque familię viro, in matrimonium collocari, ne hęreditas ad alienam tribum tranſiret. Itaque cum Ioſeph ex tribu Iuda & Dauidica familia eſſet, ex eadem tribu ac familia Virgo ſanctiſſima fuit. Atque hęc, vt Patrum defenderemus interpretationem, diximus. *Num. 36.*

Ex recentiorum ſententia eidem extremo argumento initio capitis propoſito reſpondetur, alterum Euangeliſtam Ioſephi, alterum Virginis Deiparę genealogiam poſteritati propagaſſe: vt tã patris putatiui, quàm veriſſimę ac ſanctiſſimę Chriſti

matris, præclarum genus cognoſceretur.

Quæres hoc loco: Num fuiſſet ſatis exiſtimatum Chriſti patrem Ioſeph ſolum eſſe ex tribu Iuda, & familia Dauidis, vt Chriſtus ex tribu Iuda, & familia Dauidis eſſe diceretur? Quod enim ſatis fuiſſet
D. Auguſt. ſentit Auguſt. lib. 2. de conſenſu Euangeliſt. cap. 2. Si (inquit) demonſtrare aliquis poſſet; Mariam ex Dauid nullam conſanguinitatis originem ducere; ſat erat ſecundùm iſtam rationem accipere Chriſtum filium Dauidis, qua ratione etiam Ioſeph pater eius
Origenes. rectè appellatus eſt. & Origenes lib. 1. in Epiſtolam ad Rom. Interim (inquit) ſufficit nobis reſpondere, quòd ſicut Ieſus Ioſeph filius eſſe dicitur, ex quo nō eſt generatus; ita ex ſemine Dauid ſecundum carnem Chriſtus poteſt accipi, &c. At reſpondendum B eſt, non fuiſſe ſatis. Etenim vt, quæ in ſcripturis ſacris de ortu Meſsiæ ex Dauide dicuntur, vera & firma ſint, vt reipſa ſunt; aſſerere oportet Meſsiam ex ipſius Dauidis non legalibus, ſed naturalibus filijs naturale genus ducere; Scriptura enim ſacra Meſſiam Dauidis natura filium eſſe manifeſte indicat.

CAPVT XXXI.

Morale.

QVemadmodum fluuij per varios agros decurrunt, in mare tandem vaſtiſsimum prolabuntur; ita duo ſanctitatis flumina, Matthæus & Lucas, cum Chriſti genealogiam deſcribunt, per varios progenitores defluunt; tandemque in immenſum omnium bonorum pelagus Chriſtum influunt. Vnde Nazianzenus in carmine de Chriſti genealogia; Fluxu (inquit) non diſpare currit vterque, ſcilicet Matthæus & Lucas.

D. Greg. Nazianz.

Donec peruentum eſt clari Dauidis ad annos:
Tramite poſt bifido currunt, ac denique rurſus
In Chriſto noſtræ coëunt autore ſalutis.
Non ſecus ac fluuius, partes diſſectus in ambas,
In mare collectis tandem deuoluitur vndis.

Genealogia linea piſcatoriæ ſimilis. D. Gregor. Magnus.

Hæc Nazianzenus Gregorius. Alter vero Gregorius Magnus, Iob 40. Genealogiam hanc cum piſcatoria confert linea, cum eſca, id eſt, carne, contectus Deus, veluti hamus ad expiſcandum immanem cetum diabolum adnectitur, & in mare mittitur. Cum (inquit) dicitur Abraham genuit Iſaac, &c. quaſi quædam linea torquetur, in cuius extremo incarnatus Dominus, id eſt, hamus, ligaretur, quem aperto ore cetus expeteret. In hanc ſententiam illud exponit; *An extrahere poteris Leuiathan hamo?*
Iob 40. Diabolus (inquit) hamo captus eſt, quia in Redemptore noſtro dum eſcam corporis momordit, diuinitatis illum aculeus perforauit, &c. Similem in mo-
Beda. dum Beda, in Homilia de Natiuitate Deiparæ Virginis; Veluti hamus (ait) Chriſtus, in mare huius mundi miſſus, ſerpentem occidit, &c. Et Rupertus Mat-
Rupertus. thæi 1. generatio Chriſti quaſi longa piſcantis linea E eſt, cui hamus ſubligatus, carne operitur, &c. D. Iſi-
D. Iſidorus. dorus lib. 1. de ſummo bono, cap. 16. Eſt in Chriſto hamus diuinitas, eſca caro, linea genealogia, quæ ex Euangelio recitatur, &c. Rupertus idem Matthæi 1.
Genealogia ſcala Iacob. Rupertus. genealogiam hanc ſcalam Iacob nominat; Scala (inquit) Iacob, generatio iſta eſt; & latera ſcalæ, patres, vel principes ſunt, huius generationis, Abrahā atque Dauid; ad quos promiſſio facta eſt. Supremus gradus, cui Dominus innixus eſt, beatus eſt Ioſeph; innixus, inquam, tanquam tutori pupillus, &c. D.
D. Bernar. Bernardus ſerm. 1. de aduentu, hos Patriarchas mōtibus ſimiles eſſe dicit, in quibus ſaliens Chriſtus ad nos venit; Ecce venit (inquit Bernard.) ſaliens in A montibus, tranſiliens colles; montes, & colles, Patriarchas & Prophetas accipe, & quemadmodum venerit ſaliens, & tranſiliens, in libro generationis lege; Abraham genuit Iſaac, Iſaac genuit Iacob, &c. Ex his montibus prodijt radix Ieſſe. Hæc Bernardus.

Genealogia paradiſo terreſtri ſimilis. Mihi ſimilis genealogia Matthæi videtur terreſtri paradiſo, vmbroſis, fructiferiſque arboribus conſito, inter quas illa nobilis ſurgebat arbor, quam à vita, arborem vitæ appellamus. Etenim plena eſt progenitoribus, qui veluti fructiferæ arbores vmbris, ac typis, & virtutis fructibus, abundant. Quid fuit (ait Ambroſius in ſerm. 2. Palmarū) Abrahā, quid
D. Ambroſ. fuit Dauid, quid reliqui iuſti niſi fructiferæ arbores?
D. Bern. Et Diuus Bernardus ſerm. 3. Cant. hiſtoriam (inquit) B ſcripturæ, ad hortum puto non immeritò deputari; quòd in ea inueniantur viri virtutum, tanquam ligna fructifera, in horto Sponſi, & in paradiſo Dei; de quorum bonis actibus, ac moribus, quot ſumis exēpla, tot carpis poma. An forte quis ambigat, Dei eſſe plantationem bonum hominem? audi Dauid, de viro bono quid canat: *Erit tanquam lignum, quod plantatum eſt ſecus decurſus aquarum, quod fructum ſuum dabit*
Pſal. 1. *in tempore ſuo;* & Pſalm. 91. *Iuſtus vt palma florebit, & ſicut*
Pſal. 91. *cedrus Libani multiplicabitur.* & de ſe ipſo Pſalm. 51.
Pſal. 51. *Ego autem ſicut oliua fructifera in domo Dei.* Hæc Bernardus.

Vt vmbras relinquamus, & typos, de quibus ſuprà C dictum; ex Abraham fructum carpere licet fidei, iuxta illud: *Credidit Abraham Deo, & reputatum eſt illi ad*
Geneſ. 15. *iuſtitiam;* fructum quoq; obedientiæ ſingularis, quippe qui, vt obediret Deo, filium voluerit immolare.

Ex Dauide manſuetudinis fructum; iuxta illud:
Pſal. 131. *Memento Domine Dauid, & omnis manſuetudinis eius;* Semei enim iniurias, Saulis inſectationes, Abſalonis perſecutionem mitiſſime tulit. Fructum quoque pœnitētiæ; vbi enim Nathani voce peccatum agnouit, protinus ingemuit; *Peccaui,* inquit. Ambroſius Apologiæ cap. 2. Ille Rex tantus, ac potens, præmatura confeſſione, atque immenſo dolore reddidit peccatum ſuum Domino; quem mihi nunc facile reperies honoratum ac diuitem, qui ſi arguatur alicuius culpæ reus, non moleſtè ferat? at ille regio clarus imperio, cum corriperetur, non indignatus infremuit, ſed D confeſſus ingemuit, &c. Collige quoque ex hac pulcherrima arbore Dauide fructum alium: da operam, vt ſecundùm cor Dei ſis, omneſque Dei voluntates facias; ſic enim de Dauide Deus: *Inueni* (inquit)
Act. 13. *Dauid, filium Ieſſe, virum ſecundum cor meum, qui faciet omnes voluntates meas,* felix, qui cor habet ſecundùm cor Dei, cor obediens, cor flexibile in diuinam voluntatem, ad recipiendam quamlibet figuram, molle, ac tractabile; huiuſmodi enim corde gaudet Deus. Præſta (inquit D. Irenæus lib. 4. c. 76.) Deo cor tuum
D. Irenæus. molle, & tractabile; & cuſtodi figuram, qua te figurauit artifex habens in temetipſo humorem, ne induratus amittas veſtigia digitorum eius, &c. Collige ex Iacob in cuſtodiendo grege tuo vigilantiam, iuxta illud: *Die noctúque æſtu vrebar, & gelu, fugiebatq; ſomnus*
Geneſ. 31. *ab oculis meis,* &c. Percurre arbores reliquas, fructuſque excerpe ſimiles.

Nec deeſt in hoc paradiſo decantata illa arbor ſcientiæ boni, & mali, cuius fructus omnibus interdicitur. Salomon habes, quem propter eximiam boni, malique ſcientiam, congruè ſciētiæ boni, & mali, arborem licet appellare, huius fructus eſt vetitus. Etenim vt ſcriptura docet; *Deprauatum eſt cor eius per*
3. Reg. 11. *mulieres vt ſequeretur deos alienos.* Vides quem fructum hæc arbor protulerit? vetitus eſt, noli decerpere, fœminarum fuge conſortium, harum enim id eſt proprium, cor deprauare. hinc illa ad impium iudicem verba: *Species decepit te, & concupiſcentia ſubuertit cor*
Dan. 13. *tuum;*

zuum,fœminæ ſpecies, hoc eſt, pulchritudo decipit A hominem,& concupiſcentiam excitat,excitata cõcupiſcentia deprauat cor, cor deprauatum hominẽ ſubuertit. Nónne Iſraëlitarum cor per mulieres deprauatum eſt,cùm per ſolitudinem iter in Palæſtinam habebãt? *Fornicatus eſt populus cum filiabus Moab, quæ vocauerunt eos ad ſacrificia ſua, at illi comederunt, & adorauerunt deos earum.* Vide quam fuerit horum hominum cor, vſque ad ſimulachrorum adorationem, per mulieres deprauatum. *Vinum & mulieres apoſtatare faciunt ſapientes,* &c. Etſi ſapiens tibi videaris, fœminas fuge,atris nubibus mentem,ni fugias, obcæcabunt. Quemadmodum enim terræ anhelitus in nubes coacti Soli,ſic concupiſcentiæ halitus intellectui, lucẽ eripiunt. Quamobrem D.Thom.2.2.queſt.153.art.5. B cæcitatem mentis primam luxuriæ filiam eſſe docet. Nomen Samſon Hebræum multi aiunt ſignificare ſolem eius. Quis huic ſoli tenebras offudit? Quis Samſoni oculos eruit?nõne quam amabat Dalila?illa Philiſtæis eum tradidit, quem cum apprehendiſſent(vt eſt in lib.Iudic.) ſtatim eruerunt oculos eius. Dalila ſolem,id eſt,Samſonem obſcurauit, illa oculos Samſonis, libido oculos cuiuſuis hominis,ni ſibi caueat,eruit. Hoc autem primum conantur Philiſtæi,id eſt,dæmones, vt Samſonis oculos eruant,id eſt,hominem diuina luce priuent, qua luce priuatus,in ſcelere conquieſcat,Philiſthinorumque molas agat. Arboris ergo ſcientiæ boni & mali, id eſt,Salomonis, fructum huiuſmodi noli attingere, fœminæ(ait Hieronymus ad Ruſticum) nomen tuũ C nouerint,vultum tuum neſciant, & ad Nepotianũ: Nec ſub eodem tecto cum muliere manſeris, nec in præterita caſtitate confidas,&c. Appellaſſe dicitur Philoſophus quidam mulierem viri incontinentis naufragium,& merito quidem:multi enim viri hoc naufragio miſerè perierunt. Fuge ergo hos ſcopulos,fuge hanc ſcyllam, fuge hanc charybdim, fuge hoc venenum:vt enim ait Chryſoſt.Pſal.50. *Pulchra mulier caſtitate carens,eſt venenum ſtolidis præparatum,* &c. Tanto autem peius eſt venenum hoc reliquis,quanto facilius, celeriuſque hauritur, oculis enim ſæpe trahitur,vt venenum reguli.

Alium præterea fructum ex his arboribus excerpere licet,videlicet timorem,humanæ valdè neceſſarium ſaluti. Animo quæſo tuo volue, quibus ſuppliciis Deus parentem ſuum Dauidem, quibus Salomonem,quibus denique totum Iudæorum populum,in tranſmigratione Babylonis, ob crimina cõmiſſa affecerit,atque inde intellige, ſi peccatũ perpetraueris,te nõ impunè laturum. Hoc Paulus ſuadet illis verbis: *Noli altum ſapere.ſed time.* Si enim Deus naturalibus ramis non pepercit, ne forte nec tibi parcat,&c. Communis ac recepta ſententia eſt,paradiſum terreſtrem aquarum illa admirabili inundatione,quæ totũ oppreſsit orbem,non fuiſſe euerſum.Non eſt euerſus paradiſus ille,in quo prima fœmina Eua condita, & primus homo Adamus collocatus eſt. At euerſus eſt paradiſus ille,hoc eſt, popu- E lus Iſraëliticus, ex quo admirabilis Dei mater, ex quo eius filius Chriſtus Opt.Max.eſt ortus.Tantum habent pondus apud Deum commiſſa ſcelera, niſi vera pœnitentia obliterentur. Rectè ergo Iob: *Semper* (ait)*quaſi tumentes ſuper me fluctus timui* Deum, *& pondus eius ferre non potui.* Veluti fluctus tumentes Dei iram timeamus ſemper,quæ Iſraëliticum populum veluti fluctus oppreſſit.Qui fluctus tumentes timet, mutata nauigatione in tutum ſe recipit locum, vt effugiat periculum;ſic qui Deum timet,mutata velificatione,in meliorem ſe recipit frugem,vt eius iram euadat. Qui fluctus timet, nauis abiicit onera, ſentinamque exhaurit,qui Deum timet, pondera abiicit peccatorum, fœtidiſſimamque ſcelerum ſentinam eiicit. Niſi venti ſpirent, maris fluctus non tumeſcunt,niſi peccata perpetrentur, ira Dei non cõmouetur,ventis fluctus inflantur,peccatis ira Dei concitatur,cuius pondus merito ait Iob ferre ſe non potuiſſe,ſi enim nauis fluctuum pondus ferre non poteſt,abſorptaque mergitur, multo minus homo diuini furoris pondus ferre poterit. Quocirca Ieremias: *Corripe*(ait)*me Domine,verumtamen in iudicio,& non in furore tuo,ne fortè ad nihilum redigas me,* &c. Sed ad arborem tandem vitæ,quæ in hoc noſtro paradiſo, id eſt,genealogia extremá eſt, Virginem ſcilicet Deiparam veniamus.

In ea fructus reperies, quos in cæteris reperiſti, multoque etiam præſtantiores, Abrahæ obedientiã, Dauidis manſuetudinem, Iacob vigilantiam, cæteraſq; virtutes omnes. Præter hos, fructum inuenies ſingularem,quem hæc ſola tulit arbor,videlicet vitam, vnde arbor vitæ merito appellatur. *Benedictus fructus ventris tui,* ait Eliſabetha, is Chriſtus eſt, vera mundi vita. Vnde Auguſtinus de Symbolo lib.2.c.4. *Per fœminam,*inquit,*mors,per fœminam vita,per Euam interitus,per Mariam ſalus,* &c. Epiphanius hæreſi 78. Beata, inquit, mater Dei Maria per Euam ſignificatur, quæ per ænigma accepit,vt mater viuentium vocetur,à Maria vere hæc vita mundo genita eſt, vt viuentem gigneret,& fieret mater viuentiũ. Eua cauſa mortis facta eſt,Maria cauſa vitæ, per quã genita eſt nobis vita,&c. Daniel. *Magna arbor deſcribitur & fortis,& proceritas eius contingens cœlum, folia eius pulcherrima, & fructus eius nimius,& eſca vniuerſorum in ea.* Magna equidem arbor virgo fuit, ex radice Ieſſe orta, fortis, quam nulla temporis iniuria, nulla ſoli inclementia,potuit lædere,procera,quę ad cœlum vſque pertingebat;folia,id eſt,verba habuit pulcherrima,fructum nimium,eſca & vita hominum vniuerſorum in ea. Additur. *Subter eam habitabant animalia,& beſtiæ,& in ramis eius conuerſabantur volucres cœli,& ex ea veſcebatur omnis caro,* &c. Subter virginis autem vmbram homines tam peccatis inquinati, quàm iuſti habitant. Omnibus enim (vt Bernar.in ſer. de verbis Apocalypſis ait) ſinum miſericordiæ ſuæ aperit, vt de plenitudine eius accipiant vniuerſi. Quamobrem ab Andrea Cretenſi, de Aſſumptione Virginis, com- D mune omnium hominum propitiatorium nominatur.Ex quo,inquit,tranſlata es à terra,te vniuerſus mundus continet commune propitiatorium,ô vitæ ſuppeditatrix,& vita viuentium,& cauſa vitæ, &c.Hugo Victorinus in ſententijs: Maria ſtella eſt, ideo peccatores quaſi in nocte à Maria conſolãtur, idcirco ſi pertimeſcis ſupplicaturus ad Deum accedere,reſpice ad Mariam,non illic inuenis, quod timeas,genus tuum vides,&c. *In ramis eius conuerſantur volucres cœli,* id eſt,eius virtutibus cogitant,illis ſe oblectant,illas canunt perpetuo, qui volucres cœli ob contemplationem merentur appellari. Denique *ex ea veſcitur omnis caro*, quia fructus Virginis benedictus, omnium hominum cibus eſt. Habes igitur paradiſum arboribus ſuauiſſimi fructus conſitum.

Quod ſi fluuium requiras illi ſimilem,de quo dicitur, *fluuius egrediebatur de loco voluptatis, ad irrigandum paradiſum,qui inde diuiditur in quatuor capita*, fluuium in hac genealogia reperies egreſſum è loco ſummæ voluptatis,id eſt,Chriſtum. Sed quiſnam ſit voluptatis locus,ex quo oritur forſitan ambigis. Docet Euangeliſta: *Virum*(inquit) *Maria,ex qua natus eſt Ieſus, qui vocatur Chriſtus.* Hic voluptatis locus eſt omni amœnitate,omnique oblectatione pleniſſimus, ſcilicet virgo, qui *delicijs affluere* dicitur. Eſt etiam voluptatis infinitæ locus,infiniti patris æternus ille vterus, de quo ſcriptum extat: *Ex vtero ante luciferum genui te.* Ex his omnium voluptatum locis fluuius, id eſt, Chriſtus,egreditur, *qui deinde diuiditur in quatuor capita*, id eſt,

Num.25. *Fugiendum fœminarum conſortium.* *Eccleſ.19.* *D.Thom.* *Iud.17.* *D.Hieron.* *D.Chryſoſt.* *Rom.11.* *Iob 31.* *Timor Dei.* *Virgo Deipara arbor vitæ.* *D.Auguſt.* *D.Epiphan.* *Dan. 4.* *Virgo Deipara cũ arbore confertur de qua Dan. 4* *Dan. 4.* *D.Bernar.* *Andr.Cret.* *Geneſ.2.* *Chriſtus paradiſi fluuius.* *Cant.8.* *Pſal.90.*

in quatuor Euangelia, quibus totus orbis irrigatur.

Quidquid amœnitatis & fructus in his arboribus est, id totum ex fluuij huius irrigatione est. Nam etsi in genealogia extremus est Christus, eius tamen saluberrimus sanguis vt præsentes irrigat, ita præteritos quoque homines Abrahamum, Isaacũ, Dauidem, cęteroſque irrigauit: *Ego ero ei*, id est, Ecclesiæ (*ait* Dominus) *murus ignis in circuitu, & gloria in medio eorum*, quo loco obseruat Montanus verbum hebræum chabod כבוד, quod gloriam significat, significare etiam iecur, ex quo in reliqua mẽbra sanguis transmittitur. Itaque verti potest, ero iecur in medio eorum. Christus enim & cordi & iecori similis est. Quemadmodum ex iecore in reliqua mẽbra, ita ex Christo in omnes homines sanguis diffunditur. Est quidem in genealogia hac Christus omnium vltimus, at in mente prædestinationeque diuina fuit omnium primus, quippè qui totius gratiæ fons est, ex quo in omnes homines gratia dimanauit. Quamobrem à D. Petro *præcognitus* dicitur *agnus, ante mundi constitutionem, manifestatus autem nouissimis temporibus*. Quam etiam ob causam dici potest, *Primus & nouissimus*: primus in prædestinatione, nouissimus, quia post legem, Prophetas, & Patriarchas nouissimis temporibus ortus. D. Bernardus ser. 16. Tom. 1. Primus, inquit, Christus, quem Deus in suo populo principaliter intẽdebat, & nouissimus scilicet patriarcha, rex, & dux, in populo illo. Hęc ille. Est etiam primus in genealogia Lucæ, nouissimus in genealogia Matthæi.

Zachar. 2. Christus præsentes homines irrigat, præteritos irrigauit, futuros quoque irrigabit sanguine suo.

1. Pet. 1.

Apoc. 1.

D. Bern.

Cur Christus nouissimi, nõ primis venerit temporibus.

Cur autẽ non primis fuerit, sed nouissimis temporibus, post tot generationes ortus interrogabis: cui interrogationi respondetur cum Irenæo lib. 4. cap. 76. Deum opportunè omnia facere, fecisseque incarnationis opus admirandum, tempore iuxta infinitam sapientiam opportuno. Expecta (ait Irenæus) manum artificis tui, opportune omnia facientem, &c. Nõ potest manus sapientissimi huius artificis, vel in opere faciendo, vel in tempore, quo fieri debet, vlla ratione aberrare. Rupertus Cantic. 2. ad illa verba: *En ipse stat post parietem nostrum*, hominum scelera putat incarnationis eximium opus retardasse: Moratus, inquit, est Dominus propter parietem inimicitiarum, qui non de vno tantũ peccato originali, verùm etiam de multis actualibus, cõgestus est. Primum illud fuit, quod fratres, Ioseph vendiderunt, secundùm Dauidis, &c. At aliæ sunt rationes. Regem præcedere solent multi principes viri, multi nobiles, ita summum regem Christũ præcedere par erat multos prophetas, multos etiã patriarchas. Vnde illud Augustt. tractatu 31. in Ioannẽ: Quanto maior Iudex veniebat, tanto præconũ lõgior series præcedebat. Præterea oportebat præcursores priùs mittere, qui viam summo imperatori præpararent. Missi itaque sunt prius Prophetę, qui tanti imperatoris aduentum prædicerent, missa lex, quæ multis typis atque imaginibus eundem demonstraret, & velut aurora, solem iustitiæ præcederet. Per multam seriem temporum (ait eodem loco Augustinus) & annorum, prędicendus fuit Christus, non enim aliquid paruum venturum fuit, &c. Prius colitur terra, & proscinditur aratro, quã frumentum seratur. Prius ergo terra fuit colenda, ac subigenda, quàm granum illud frumenti illi committeretur, quo mortuo seges exurgeret admirabilis. lege Eusebium lib. 1. hist. cap. 2. & Nicephorum, cap. 3. Huc illud pertinet Hugonis Victorini lib. 1. de Sacramentis ca. 2. Verbum incarnatũ rex noster est, qui in hunc mundũ venit cũ diabolo pugnaturus, & omnes Sancti, qui ante eius aduentum fuerunt, quasi milites sunt ante faciem regis præcedẽtes: & qui postea veniunt vsque ad finem mũdi, milites sint regem subsequẽtes, & ipse rex medius est in exercitu suo stipatus agminibus suis, & licet in hac tanta multitudine diuersæ armorum species in Sacramentis, & obseruationibus præcedentium, & subsequentium populorum appareant, omnes tamen vni regi militare, & vnũ vexillum sequi probantur, & hostem vnum persequi, & vna victoria coronari. Hæc Hugo.

D. Augusti.

Eusebius. Nicephorus.

Ante Christium multi præcursores, lex, & Prophetæ. Hugo Vict.

Tertio. Desiderandus prius erat Dei filius, incensisque votis postulandus. Nam vt ait D. Thom. 1. p. q. 12. art. 6. desiderium quodammodo facit desiderantem aptum, & paratum ad susceptionẽ desiderati, & August. psal. 83. Desiderium, inquit, differtur, vt crescat, crescit vt capiat. & tractatu 4. in Epistolam primam Ioannis: Deus differendo extendit desiderium, desiderando extendit animum, extendendo facit capaciorem.

Desiderium animum extendit, & ad capiendum parat. D. Thom. D. August.

Quarto. Expectandum fuit scelerum incrementum, *vt vbi abundauit delictum, abundaret & gratia*. Expectandum diluuium fuit, vt Arca, in qua genus seruaretur humanum, id est, Christi humanitas, à Spiritu sancto fabricaretur. Theophylactus ad Heb. 9. postquam extremis temporibus ingens peccatorũ copia erat, meritò manifestatus est Christus in cõsummatione seculorum, vt demoliatur peccatum, &c. Et Gregorius Nyssenus, in Oratione de natiuitate Christi: Christus, (inquit) qui vitiositatis tollẽdæ causa, vitę humanę se immixtus erat, necessariò expectauit, donec omne peccatum opera inimici, radicibus actis germinasset, atque ita deinde radici securim, vt Euangelium dicit, admouit, &c. His addit ex medicis sumptam similitudinem huiusmodi: Medici dũ adhuc febris corpus intrinsecus vrit, ac paulatim accenditur, indulgent infirmitati, donec ad summũ vigorem ægritudo progressa fuerit, nullum à cibis ægrotanti auxiliũ adhibentes. Cũ autem constiterit malum, ac morbus se totus exeruerit, atque prodiderit, tunc demũ adhibent artem. Itidem Christus expectauit, donec nequitiæ morbus totus reuelatus atque detectus esset, vt nihil latens & occultũ curationis expers maneret, si medicus id solũ, quod apparuisset curaret, &c. Tũ post alia concludit: Postquã omnis nequitiæ vis ex mala radice edita est, & varijs modis in animis eorum, qui per quamque ætatẽ improbitate insignes fuerunt, luxuriando creuit, tunc quemadmodum Paulus ait, *cum tempora ignorantiæ Deus quasi conniuẽtibus oculis dissimulasset, ac tolerauisset, nouissimis temporibus aduenit*. Cùm non esset, qui intelligeret & exquireret Deum, cùm omnes declinassent, simul inutiles facti essent, cum omnia intra peccatum concluſa essent, cum scelus abundasset, cum ad summum modum nequitiæ caligo creuisset, tunc apparuit iustitiæ sol. tunc pede nitens impresso, multa draconis capita contriuit. Hæc Nyssenus. Hinc illud Pauli: *Concluſit Deus omnia in incredulitatem, vt omnium misereatur*. &: *Concluſit scriptura omnia ſub peccato, vt promiſsio ex fide Ieſu Chriſti daretur credentibus*. Bernardus etiam in ſerm. 1. de aduentu illud Pauli: *Quando venit plenitudo temporis, miſit Deus filium ſuum*, in hanc sententiam sensu quodam morali exponit: Nimirum (inquit) plenitudo & abundantia temporaliũ, obliuionem & inopiam fecerat æternorũ. Opportunè ergo tunc venit ętternitas, quando magis temporalitas prævalebat, &c.

Quarto. Expectandum fuit scelerum incrementum, vt vbi abundauit delictum, abundaret & gratia. Rom. 5.

Theophyl.

Abundanti delictũ, post. ea superabũdauit gratia incarnationis. D. Gregor. Nyſſenus.

Act. 17.

Ad Rom. 11.

Ad Gal. 3.

D. Bernard. Galat. 4.

Quinto. Dilatum est incarnationis tempus, vt faceret homines, fidei capaciores ipsa mora. D. Leo serm. 3. de Natiuitate, sapientia & benignitas Dei, ac salutifer ioperis mora, capaciores nos suæ vocationis effecit, vt quod multis signis, multis vocibus, multisque mysterijs, per tot fuerat secula prænuntiatũ, in his diebus Euangelij non esset ambiguum. & natiuitas, quę omnia miracula, omnemque intelligentiæ

Mora facit fides capaciores homines. D. Leo.

ligentiæ erat exceſſura mẽſuram, tanto conſtantiorem in nobis gigneret fidẽ, quanto prædicatio eius, & antiquior præceſſiſſet, & crebrior. Hęc ille.

Sextò. Venit Chriſtus in nouiſſimis diebus, quia incarnationis beneficium, & neceſſitatem, agnoſci oportebat, ne ingratitudinis crimẽ cõmitteremus: ſic in nuptijs Canæ, non protinus cum eſt rogatus, ex aqua vinum fecit. Bern. ſer. 1. de aduentu: Venit Chriſtus non in principio, nec in medio temporis, ſed in fine. Nec incongruè factum eſt, ſed verè ſapienter diſpoſuit ſapientia, vt cum magis eſſet neceſſarium, tunc primò ferret auxilium, pronos ad ingratitudinem Adæ filios non ignorans, &c.

D. Bernar. Gratitudo.

Præſentiſſimum remedium extremo loco. Theodoret.

Septimò, Venit Chriſtus in nouiſſimis diebus, quia ad extremum locum præſentiſſimum criminũ remedium voluit Deus referuare. Theod. lib. 6. de curatione græcarum affectionum: Medici leniori- B bus remediis prius vſi, quæ potentiora ſunt, vltimo loco adhibent. Idem feciſſe inuenitur medicus animarum noſtrarum. Nam cum prius olim multa & varia remedia attuliſſet, cunctis quidem hominibus ad pietatem alliciendus ea inſpectanda proponens, quæ in mundi fabrica, & natura rerum ab eo facta cernuntur: Hebræis autem prophetas mittens, & ſcriptam legem tribuens. Poſtremò & hoc vndique potens pharmacum ac ſaluberrimum nobis attulit, (id eſt, Chriſti incarnationem) quo omnis ægritudo funditus tolleretur, &c.

Octauò, Prius docere oportet ſcholaſticos Grã- C maticã, ac Philoſophiã, quã ad illos veniat doctor, qui Theologiam tradat. Prius igitur fuere Iſraëlitæ à Moyſe, à lege, à prophetis quadã veluti Grãmatica & Philoſophia imbuendi, prius Ethnici à Philoſophis inſtituẽdi, quam ſummus doctor Chriſtus ad tradendam cæleſtem doctrinã, ac Theologicam, aduenirẽt. Vnde lex ad Galat. *prædagogus* dicitur *Iudæorum in Chriſto*, quia præceptis, ac varijs ceremonijs imbutos, veluti pædagogus, ad Chriſtum ſummum doctorem mittebat. Theophylactus eodem capite: Lex, inquit, in virtute moderata alumnos ſuos inſtituebat, & ad Chriſtum doctorem adducebat, &c. Et Theodoretus, cum Dei cognitionem lex docuiſſet, veluti ad quendam doctum doctorem ac magiſtrũ D docuit nos, Chriſtum Dominum, vt perfectas diſciplinas ab eo diſcamus, & iuſtitiam, quæ eſt per fidem acquiramus, &c. Item, Paulus elementa huius mũdi legis inſtituta vocat: *Cum*, inquit, *eſſemus paruuli, ſub elementis mundi huius ſeruientes.* Nonnulli, ait Theophyl. per elementa elementalem, & introductoriam, vel inſtitutoriam legem intellexerunt, &c. Erant ergo elementa Moſis inſtituta, & veluti rudimenta quædam, ad Chriſti Theologiam præludia.

Ad Gal. 3.

Theophyl. Lex Moſis elemẽta, is. ad Chriſti Theologiam ducebat. Theodor.

Ad Gal. 4.

Theophyl.

Nono, Expectãda fuit virgo excellẽtiſsima Maria, quæ Chriſti mater eſſet. Vnde Bernar. in ſer. de Natiuit. Virginis: Propterea, inquit, tanto tempore humano generi fluenta gratiæ defuerunt, quòd nec dum intercederet is tam deſiderabilis aquæ ductus, id eſt, Virgo. Nec miraberis diutius expectatum, ſi E recordaris, quot annis Noë in Arcæ fabricã laborarit, in qua paucæ, id eſt, octo animę ſaluæ factæ ſunt, &c. Et D. Anſelmus in li. de excellentia Virginis c. 9. Trãſierunt, inquit, multa ſæcula, & damnationis immanitas ſuper omnes filios hominũ ſemper eſt in deterius roborata. Nec enim Dei ſapientia vllam in maſſa creationis humanæ viam inuenit, per quã, vt diſpoſuerat in mundũ veniẽs, tam luctuoſæ perditioni ſubueniret, donec ad Virginẽ ventum eſſet. Sed hæc mox vbi in mũdum per humanæ generationis lineã venit, tanta omnis boni virtute & conſtantia perfectè reſplenduit, vt eam ipſa ſapientia Dei verè dignam iudicaret, per quam in homine veniẽs, non modo reatum primorum hominum, ſed

Virgo Maria expectata.

D. Anſelm.

A & totius mundi peccata deleret: Hæc Anſelmus. *D. Anſelm.*

Denique vt ait D. Leo ſerm. 3. de Natiuit. *Non eſt ſero impletum, quod ſemper eſt creditum*, &c. Chriſtus enim ita in nouiſſimis tẽporibus natus eſt, vt primis etiã temporibus ſuccurrerit. Verbi incarnatio (ait D. Leo) hęc cõtulit faciẽda, quæ facta, & Sacramentũ ſalutis humanę, in nulla vnquã antiquitate ceſſauit. Nõ nouo cõſilio, Deus rebus humanis, nec ſera miſeratione, cõſuluit, ſed à cõſtitutione mũdi vnam, eandemque omnibus cauſam ſalutis inſtituit. Hoc magnę pietatis ſacramentũ tã potẽs etiã in ſuis ſignificationibus fuit, vt nõ minus adepti ſint qui in illud credidere promiſsũ, quã qui ſuſcepere donatũ. Hactenus Leo. Merita enim Chriſti nõ in præſentia ſolũ, verũ in præterita etiã, ac futura omnia tẽpora, extẽduntur. Quemadmodũ ſol fons luminis, nec in primo nec in vltimo collocatus eſt cęlo, ſic Chriſtus fons gratiæ, nec in primo, nec in vltimo mundi tẽpore ad nos venit. Sol ex 4. cœlo, tam ſuperas, quam inferas regiones lumine colluſtrat: Chriſtus ex 4. ferè mundi annorum milliario, quo mortem ſubijt, tam præcedẽtes, quàm ſubſequentes homines gratiæ ſplẽdore illuminat. Huc pertinet illud D. Cyrilli lib. 2. de adoratione: Quemadmodũ, inquit, quãuis Moſes caudã ſerpentis apprehendiſſet, tamen vſq; ad ipſum quoque caput illa reformatio recurrit, eſt enim totus ille ſerpens in virgã immutatus. Ad eũdem modũ, vltima licet apprehenderit Chriſtus, attamen in vniuerſum genus pertinet, & ad caput ipſum vſque, id eſt, Adam, illa per gratiam reformatio pertingit. Scriptum eſt enim: *ideo Chriſtum eſſe mortuũ & reuixiſſe, vt viuis ac mortuis dominetur*, igitur in extremis, ipſa quoque principiorum ſimul eſt perfecta redemptio. Hæc ille. Sed pergamus.

Chriſti incarnatio omnibus ſæculis profuit.

Ad Rom 14.

Obſerua quæſo qualem patrem hominum opinione Chriſtus habere voluerit: voluerit, inquam, quia reliqui homines patres non eligunt, (reges enim eligerent) ſed à Deo accipiunt. Chriſtus autem patrem elegit hominum exiſtimatione, nũquid regem? nunquid ducẽ? nunquid nobili ſtemmate decoratum? minimè, ſed pauperem fabrum. *Ego* (ait Dominus) *flos campi, & lilium conuallium*, hoc eſt, (ait Rupertus Matthæi 1.) decus parentum humilium. Non eſt flos regij alicuius horti Chriſtus, non enim regẽ aliquẽ, hominum exiſtimatione patrẽ habere voluit, ſed Ioſeph fabrum; *Ioſeph* (inquit Matthæus) *virũ Mariæ, de qua natus eſt Ieſus*, &c. Vide quot mõtes, quot reges ſunt præteriti, in quorum hortis noſter flos oriri noluit: *Dauid autem rex genuit Salomonem, Salomon genuit Roboam*, &c. Nempè flos eſt non mõtium, ſed campi, lilium eſt conuallium, in cõualle humili ortus eſt, ex humili Virgine natus, ſuperbas reginas, & opulentas, velut montes fugit: *Emittis fontes in conuallibus, inter medium montium pertranſibunt aquæ*, &: *Et valles abundabunt frumento.* Fons ille ex patris emanans altiſſimo ſinu, inter medium mõtium per humiles cõualles tenuit curſum, vallis illa incredibili humilitate prędita, virgo, cæleſti abundauit frumẽto: *Venter tuus ſicut aceruus tritici, vallatus lilijs*, fame laborabat orbis vniuerſus, horreum frumenti admirabile parauit Deus, Virginis nimirum Deiparæ vterum integerrimum, quod horreum cunctis hominibus ſaturandis fuit ſatis ſuperque. Vt autẽ intelligas Ioſephum nihil in hunc aceruum tritici contuliſſe, dicitur Deiparæ vterus vallatus vndiq; lilijs, quæ lilia Virginis perfectiſſimã virginitatem ſignificant. Huiuſmodi lilijs vallatam Virginem Matthæus vidit, cum in genealogia Chriſti loquẽdi modum mutauit: in cæteris verbo genuit, vſus eſt, at cùm ad Ioſeph, Virginemque peruenit, verbum, genuit, exploſit.

Ad Rom 14.

Pſal 103.

Pſalm. 64.

Cant. 7.

Humanam autem genealogiam habere voluit

Deus, vt abiectissimos propter admissum peccatũ, & despicatissimos homines extolleret, Chrysost. Homil. 2. in Matth. Non frustra, inquit, ad tantam humilitatem Christus descendit, sed vt nos ex humili subleuaret, &c. Si quis summus Pontifex, si quis rex in abiectam, ignotamque familiam se inserat, sua nobilitate eam maxime illustrat, atque extollit: ita etiam Dei filius totius rex orbis, despicatæ hominum familiæ, ac genealogię se inserens, valde illam sua infinita dignitate exornauit atque extulit. De homine dicitur: *Comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis*, vide quam sit abiectus, qui cum insipientibus iumentis comparatur. Et peius est comparari (ait Chrysost. in Homil. de Ascensione) quam nasci. nam naturaliter non habere rationem tolerabile est, verùm rationis decoratione decoratum, irrationabili naturæ comparari, voluntatis est crimen, &c. Richardus Victorinus lib. 1. de Emmanuele part. 1. cap. 19. Homo reiecta similitudine Dei, transfigurauit se ad similitudinẽ iumenti. Ecce quale dedecus, iuxta magnitudinem honoris, magnitudo dedecoris, &c. At abiecti hominis filius Dei se fecit consanguineum, adeoq; extulit humanam naturam, vt amplius extolli non posset. Chrysost. loco citato: Eleuata est natura nostra, vt homo, qui tam humili loco tenebatur, vt descendere non posset vlterius, ad tam excelsam sedem eleuaretur, vt altius non posset ascendere, &c. Lege Nazianzenum Oratione 36. Richardus: In Christo recuperauit homo honorem suum, ipse est qui abstulit opprobrium nostrum, &c.

Psal. 48. *Christi genealogia humanum genus extulit.* *Chrysostom.* *Richardus Victorinus.* *Chrysost.*

Esther 6. *Quid debet fieri viro, quem rex honorare desiderat?* rogauit Rex Assuerus Amanum. Ille vero respondit: *Homo quem rex honorare cupit, debet indui vestibus regijs, & imponi super equum, qui de sella regis sit, & accipere regium diadema super caput suum, & primus de regijs principibus ac tyrannis teneat equum eius, & per plateam ciuitatis incedens clamet, & dicat, sic honorabitur quemcunque voluerit rex honorare*, &c. Satis se honorandum Amanus putabat, si similis fieret regi, si illius equo impositus, illius diademate & vestibus ornatus, in publicum procederet. sed quid hic honor hominis vnius à theatrali honore differt? sic in theatrum prodit rex personatus. Multo excellentius humanam naturam Deus honorauit, non personatum vnius horæ regẽ hominem fecit, sed vniuersi orbis verissimum Dominum, moderatoremque Christum Deum, atq; hominem constituit. naturam humanã non equo regio imposuit, sed cum diuino suppositò copulauit, fulgentissimisq; vestibus indutam, ad dexterã suam collocauit.

Esther 6.

Non vnus tantum ex principibus minister homini & Deo Christo adest, sed innumeri propè principes, innumeræ angelorum myriades admirabili illum honore, diuinoq; prosequuntur. Nimirum sic honoratus est, quem sic voluit Deus honorari, quia sic naturam humanam in filio Dei altissimè decuit extolli.

Ironicè irridebat Sãctissima Trinitas olim Adamum: *Ecce*, inquiens, *Adam quasi vnus ex nobis factus est.* At iam nunc non ironicè irridebit hominem, sed verè dicet: Ecce Deus quasi vnus ex hominibus factus est, quia Deus verè factus est homo. O honorem eximium. Richardus loco citato: Meritò, inquit, ô Sanctissimæ Trinitatis personæ exprobrastis, sed nunquid adhuc exprobrabitis? certè si dicitis ironicè: Quia homo factus est, quasi vnus ex nobis, nos de cætero dicemus tam fidenter, quàm veraciter: Quia Deus factus est, quasi vnus ex nobis. Dictum est illud, & merito, cum exprobratione, dicamus nos iam istud, cum gratiarum actione, &c.

Richard.

Neque verò solum in Christo, sed etiam in nobis A natura humana honorata est, *dedit enim nobis potestatem filios Dei, atque hæredes cœlestis regni fieri.* Quid hoc honore maius? quid cælesti hæreditate locupletius? Chrysost. hom. 2. in Matth. Cum verus filius esset Dei, filius Dauid esse dignatus est, vt te filium faceret Dei, &c. D. Leo sermon. 2. de Natiuitate: Recõciliationis, inquit, huius gratiam iusto perpende iudicio, tibi enim quondam abiecto, tibi extruso à paradisi sedibus, tibi per longa exilia moranti, tibi in puluerem & cinerem dissoluto, cui non erat spes vlla viuendi, per incarnationem Verbi potestas data est, vt de lõginquo ad tuũ reuertaris autorem, recognoscas parentem, liber efficiaris ex seruo, de extraneo proueharis in filium, vt qui ex corruptibili carne natus es, ex Dei spiritu renascaris, & obtineas per gratiam, quod non habes per naturã, & sic te Dei filium per spiritum adoptionis agnoueris, vt Deum patrem audeas nuncupare, &c. Magno se honore affectum credebat Amã, si regis vmbram quãdã breui tẽporis spatio gereret, at Deus ita homines honorauit, vt non vmbram sui, sed æternam similitudinem dederit, eosque quodammodo Deos effecerit sempiternos. *Primus homo de terra terrenus, secundus homo de cœlo cœlestis*, qualis terrenus, tales & terreni, qualis cœlestis, tales & cœlestes, similes sunt patribus filij, filij igitur Adami Adamo, filij Christi Christo similes sunt. Hanc honoris celsitudinem Ecclesia conspicabatur, cum incarnationis desiderio exardescens exclamabat: *Quis mihi det te fratrem meum sugentem vbera matris meæ, vt inueniam te foris, & deosculer te, & iam me nemo despiciat?* Quis, inquit, mihi det, vt videam te foris in mundo, in carne, non intus solùm, in sinu patris, sed etiam in sinu matris, sugentem vbera matris tuæ & meæ? Virgo enim mater est omnium. Sic fiet, vt me iam nemo despiciat, si me tanto honore affeceris. Quem enim rex honorat, nemo despicit.

D. Chrysost. *D. Leo.* *Esther 6.* *1. Cor. 15.* *Cant. 8.*

Præter hęc, indicatur hac genealogia, vt diximus, *Confertur synagogæ cũ luna mutabili.* synagogę antiquę status, & mutationes. Etenim fuit synagoga lunæ similis, quæ multiplicẽ habet mutationem. Est in nouilunio parua, paulatim vsq; ad plenilunium augetur, deinde minuitur, ac disparet. Rursus oritur, rursus ad plenilunium peruenit, denique rursus fugit aspectũ. Similem in modum antiquus ille populus, vt luna in Abrahamo, Isaac, & Iacob exortus, paruus fuit, paulatim in Ægypto, & Palæstina vsque ad plenilunium, id est, vsque ad regnum, & vsque ad Dauidem & Salomonem creuit. fuit enim synagogæ plenilunium Dauidis & Salomonis tempore, quo ad summum peruenit splẽdorem. Post hoc plenilunium lumẽ cœpit amittere, ac decrescere. diuisum est regnũ, in idololatriã populus prolapsus est, decem tribus in captiuitatẽ abductæ, denique tandem in trãsmigratione Babylonica luna disparuit. Quid? peribit omnino? nullo vnquã tempore apparebit? *Post transmigrationem Babylonis* (ait Matth.) *Iechonias genuit Salathiel, Salathiel autem genuit Zorobabel*, &c. Rursus apparuit luna, quæ disparuerat, rursus crescere cæpit, creuitque vsque ad plenilunium, id est, vsque ad Christum. tunc enim synagogæ plenilunium fuit, cũ Solis, id est, Christi, in Palæstina versantis, splendore est illuminata. At quemadmodũ in plenilunio luna cũ è regione solis est, terræ interiectu deficit, sic in hoc plenilunio, cum esset è regione solis, id est, Christi synagoga, terræ interpositu defecit. Nõne tunc terra inter solem hunc, & synagogã, interponebatur, cũ in concilio illo sine consilio, pharisæi & Pontifices sic loquebantur: *Si dimittimus eum sic, omnes credent in eum, & venient Romani, & tollent locum nostrum, & gentẽ?* Luna eclipsim patitur, cum in vmbram terrę incurrit, sic hi in vmbrã terræ cùm incurrissent, eclipsim passi sunt.

Confertur synagoga cũ luna mutabili. *Matth. 1.* *Ioannis 11.*

sunt. Ille Romanorum timor vmbræ instar erat, vanus, atq; inanis, si enim omnes in eum credidissent, tunc Romani Iudæos magnificissent, sic sæpe nos in vmbras incurrimus, atque deficimus, vmbræ enim sunt inanes res, quæ nos à virtutis officiis, veluti ab itinere recto timida iumenta, deterrent. *Dicit piger,* (vt est in Prouerbijs Salomonis,) *Leo est in via, & leæna in itineribus.* Incurrit piger in vmbram, id est, timorem inanem, ideoque deficit, sequiturque apud Salomonem: *Sicut ostium vertitur in cardine suo, ita piger in lectulo suo.* Deficit piger vmbra leonis territus, ad opera bona præstanda non surgit, in lecto se volutat. Non attingit vmbra terræ sydera altiora, ideoq; defectum à terra pati nequeunt, non attingunt huiusmodi vmbræ celsiora corda, ideoque minimè deficiunt. Vnde illud: *Altissimum posuisti refugium tuum, non accedet ad te malum,* & Dauid, *Dominus illuminatio mea, & salus mea, quem timebo?* quasi dicat, defectum nō patiar, Dominus semper me illuminabit, non incurram terræ vmbras, timoremque inanem.

Prou. 26.

Inanis timor mūdi vmbra est, quæ nos terret.

Psalm. 90.

Psalm. 26.

Præterea, quemadmodum Salomon olim in porticu, ante fores templi illius, quod extruxit, duas columnas non sine nomine statuit, & super capita columnarum opus in modum lilij posuit, ita etiā Matthæus veluti in porticu genealogiæ Christi, ante portam cœli, id est, Virginem Deiparam, quam felicem cœli portam appellare consueuimus, columnas duas, Abrahamum scilicet & Dauidem collocauit. Super Salomonis columnas opus in modum lilij positum est, nostris columnis admirabile illud liliū impositum, quod sic loquitur: *Ego flos campi, & lilium conuallium. Liber* (inquit Matthæus) *generationis Iesu Christi:* Ecce lilium conuallium, ipsa pulchritudine pulchrius, addit: *Filij Dauid, filij Abraham:* Ecce columnas duas, quibus impositum est lilium pulcherrimum. Columnæ enim fidei Messiæ, ac promissionis, merito dici possunt, Abrahamus, & Dauid, quia de Messia mittendo stabilem, firmissimamque Dei promissionem, veluti columnæ sustinuere, id quod duarum columnarum nomen adumbrat. Altera enim, Ioachin, quod nomen firmitatem, altera, Booz, quod fortitudinē sonat, nominabatur, stabilis fuit ac constantissima Dei de Messia promissio Abrahamo facta atque Dauidi, quæ nullis hominū sceleribus labefactari vnquam potuit.

3. Reg. 7.

Cant. 2.

Abraham, & Dauid columnæ duæ promissionis Messiæ.

Columna fuit Abrahamus, cùm enim promissionem de Messia ex Isaac oriundo accepisset, iuxta illud: *In Isaac vocabitur tibi semen,* iussus tamen Isaac ipsum immolare, nihil de promissione dubitans libenter obediuit. Hanc Abrahami fidē exaggerans Paulus: *Fide,* inquit, *obtulit Abraham Isaac, cùm tentaretur, & vnigenitum offerebat, qui susceperat repromissiones, ad quem dictum est, quia in Isaac vocabitur tibi semen, arbitrans quia & à mortuis suscitare potens est Deus,* &c. Dauid quoque columna: *Tibi,* inquit, *soli peccaui, vt iustificeris in sermonibus tuis. Et vincas cum iuditaris,* hoc est, peccaui tibi soli, vt iudici & regi, qui me solus potes absoluere, vt cùm me absolueris, iustificeris in sermonibus tuis, id est, tuam admirabilem in præstandis dictis veritatem mundo ostendas, vt iustum te in explendis promissis esse hominibus demonstres, qui promissionē de nascituro ex meo sanguine Messia, licet peccauerim, non reuocasti. *Et vincas cū iudicaris,* id est, victoriam reportes in iudicio, quo de tua iustitia & misericordia homines iudicant, existimantque ex meo genere propter scelus admissum Messiam non nasciturum.

Genes. 21.

Hebr. 11.

Psalm. 50.

Mensa templi Patriarcha reges candelabra vasa alia, alij ignotiores progenitores.

Post duas illas columnas, quæ in porticu erant, qui Salomonis templum ingrediebantur (hi autem soli sacerdotes erant) decem mensas aureas cernebant, altare aureū, panes propositionis, multa aurea candelabra. Sic post duas illas columnas Abrahamum & Dauidem, qui in hanc genealogiam Matthæi ingredimur, Isaacum, Iacob, cæteroſque patriarchas, aureas veluti mensas cernimus. Nec verò vacuæ sunt hæ mensæ, propositos habent panes, proposita, inquam, exempla, quæ nobis vsui esse possint. Sequuntur deinde aurea candelabra, id est, Iudę reges, Dauid, Salomon, reliquique omnes; reges enim merito candelabra dici possunt, quod populo prælucere debeant imperio, atque exemplo. Erant etiam illo in templo vasa alia, sunt quoque in genealogia progenitores alij ignotiores.

In extremo verò templi loco, qui Sancta Sanctorum dicitur, arca erat testamenti, aureumque propitiatorium, nec non duo Cherubini: atque hæc velo tegebantur. Ita in nostræ quoque genealogiæ extrema parte, quæ Sancta sanctorum, quòd sanctitatis fontem contineat, merito dici potest, arca est testamenti noui, virgo scilicet Deipara, est propitiatorium quoque mundi Christus, nec deest Ioseph veluti cherubinus, cuius sæpè brachia Dei fuere sedes, iuxta illud: *Qui sedes super Cherubim. Iacob* (inquit Matthæus) *genuit Ioseph virum Mariæ, de qua natus est Iesus, qui vocatur Christus,* &c. Ecce cherubinum, ecce arcam testamenti & propitiatorium, ecce Sancta sanctorū illis antiquis sanctis multo sanctiora. At hæc velo olim tegebantur, quantæ dignitatis Christus esset, quantę Virgo, quantæ Ioseph eius sponsus ignorabatur: Christi diuinitas, Deiparę Virginitas, Iosephi immaculata castitas latebat. Scissum est velum à summo vsque deorsum, & per fidem, Christi sacrosancta mysteria orbi vniuerso patuere. *Apertum est templum Dei in cœlo, & visa est arca testamenti eius, in templo eius, & facta sunt fulgura, & voces, & terræmotus, & grando magna.* In hoc cœlo, siue cœlorum regno, id est, ecclesia, apertum est Dei templum, aperta sunt Sancta sanctorum, visa est testamenti arca Virgo Deipara, quantę sit dignitatis, quantę sanctitatis, quantę potestatis, cognitum est. Vnde secutę sunt voces concionatorum, secutę sunt voces Doctorum, quę quod de tanta Virgine nouerunt, concionibus, scriptisq; celebrent, id nos iam copiosius postea faciemus, nostraque duo minuta æra, cum euangelica vidua in virginis laudes conferemus.

Virgo Deipara arca testamenti. Christus propitiatorium. Ioseph cherubinus.

Psalm. 79. Finis genealogiæ Matthæi similis est Sanctis sanctorum.

Apoc. 11.

Adde hæc quoque. Quemadmodem longa elementorum & cælorum series, empyreo cœlo, in quo Deus inhabitat, terminatur, sic longa hæc progenitorum series, quorum alij elementis, alij cœlis similes sunt, Virgine velut empyreo, id est, igneo cœlo, definitur.

Virgo cœlum empyreum. igneum.

Igneum enim cœlum amore inflammatum, omniumque cœlorum, id est, Sanctorum celsissimum, Virgo est, in cuius vtero Deus nouem mensium spacio habitauit, in cuius pectore habitat in sempiternum. Cum pompa ducitur celebri, augustissimum Eucharistiæ Sacramentum: longo prius ordine, hominum præcedit multitudo, extremo tandem loco auro, gemmisque exornato ferculo omni veneratione, admirationeque dignissimum Sacramentū fertur. Similem in modum celebri veluti pompa Christus in hac genealogia exhibetur. Longo ordine patriarchæ, deinde reges, tum progenitores alij præcedunt, ad extremum Christus Deus Opt. Max. aureo in ferculo, gemmisque omnibus fulgentissimo, id est, in Virgine producitur.

Virum, inquit, *Mariæ, ex qua natus est Iesus, qui vocatur Christus.* Etenim Virgo eximium fuit Christi ferculū omnibus pyropis, gemmisque distinctum. Ferculi huius gemmas, id est, fulgentissimas virtutes, longū esset numerando recensere. *Ferculum fecit sibi rex Salomon, de lignis Libani, columnas eius fecit argenteas, reclinatorium aureum, ascensum purpureum, media charitate constrauit, propter filias Ierusalem. Egredimini, & videte filiæ Sion*

Virgo, Christi veri Salomonis ferculū eximium.

Cant. 3.

regem Salomonem, in diademate, quo coronauit illum mater suа, in die desponsationis illius, & in die lætitiæ cordis eius, &c. Virgo Deifera veri Salomonis Christi ferculum est, quæ & vtero, & brachijs, & corde, toto animo, totoque corpore, Christum tulit: Ferculum enim à ferendo nominatur. *Rex Salomon*, id est, Christus, hoc sibi ferculum fecit, quo gestaretur, *ex lignis*, id est, arboribus, *Libani* montis fecit. Iam supra Patriarchas illos, quos genealogia demonstrat, arboribus similes esse ostendimus: ex his igitur celsis arboribus montis Libani, id est, Iudaici populi, ferculum fabricatum est. Columnas habet argenteas, id est, candidissimas summi pretij virtutes, omniumque linguarum sono celebrandas, (argẽtum enim sonorũ est) quibus animus virginis veluti columnis fulciebatur, humilitatem, virginitatem, fidem, reliquasque huiusmodi.

Reclinatorium habet *aureum*, quo aureus Virginis adumbratur vterus, in quo se summus Rex, Christus, nouem mensium spacio reclinauit. O verè aureum vterum, qui aurum nobis, quo redimeremur, pretij infiniti præbuit, qui veluti auro purissimo, virginitatis rutilantissimo decore splenduit, in quo veluti aurea sella, rex cœli summus sedit. *Ascensus* autem est *purpureus*, regnum adumbrat purpura: habet ergo nostrum ferculum ascensum purpureum, quia Deipara Virgo plusquam puræ omnes creaturæ ascendit, nempè dignitatem regiam. Illa enim sola regina cœli & appellatur, & reuera est, *Media*, ferculi, id est, medium Virginis cor, Deus *charitate constrauit*, eximiam enim charitatem Virgo habuit, quæ etiam ardentissimorum Seraphinorum amorem superabat. Ecce ferculum, ecce lecticam, quæ magnũ Salomonem tulit. Cur autem hoc ferculo gestari voluerit, adiũgitur: *Propter filias Ierusalem*, id est, propter animas, vt amore suo illas incenderet, vt à Satanæ seruitute liberaret. Quamobrem admirandum incarnationis mysterium vt cõsiderent, Christum auro gemmisque rutilante lectica, id est, Virgine, veluti in pompa patriarcharum, regum, & prophetarum gestatum, vt intueantur, filias ipsas Ierusalẽ, propter quas in mundum venit, hortatur.

Quia vero ab ijs quæ sensũ percipiuntur ad Dei potentiam nullis terminis circumscriptam mentẽ oportet attollere, & à sensibus egredi. *Egredimini* (inquit) à sensu, *ô filiæ Sion, & videte* oculis fidei, *regem Salomonem*, Christum, *in diademate, quo coronauit illum mater sua in die desponsationis illius, & in die lætitiæ cordis eius*. Egredimini (ait Bern. ser. 2. Epiph.) de sensu carnis ad intellectum mentis. Egredimini (ait Theodoretus in Cant.) & videte, nec enim potestis videre, nisi ab occupationibus huius vitæ recedatis, &c. Hugo Victorinus in lib. Sent. fol. 178. Egredimini, inquit, & ingredimini, egredimini, & videte in Christo, quod mater dedit, ingredimini, & videte quod pater dedit; quod enim mater dedit, foris est, quod pater dedit, intus est. Mater dedit infirmitatem, pater dedit maiestatem, &c. Greg. Cant. 3. Beata Maria Christum diademate coronauit, quia humanitatem nostram ex eaipse assumpsit. Et Bern. ser. 2. de Epiph. Videtis Christum in diademate, quo coronauit eum mater sua, id est, in sacco mortalitatis, &c. humanitas ergo Christi velut diadema est, fulgentissimis omnium virtutum ac donorum margaritis rutilantissimum, eo coronauit Virgo Deipara filium in die desponsationis eius, id est, incarnationis, qui dies lætitiæ quoque cordis eius fuit.

D. Bernard. Theodoret. *Hugo Victor.* *D. Gregor.* *D. Bernar.*

Humanitas Christi diadema, & spinea corona.

Tres Patres apud Theodoretum in Cantica, de spinea corona hæc verba interpretantur: Videte (aiunt) Christum in diademate, in spinea nimirum corona, quam illius capiti imposuit Iudæorum Synagoga, ex qua ipse est secundùm carnem, in die salutiferæ mortis eius, in qua proprio sanguine sibi Ecclesiam desponsauit, & in die lętitiæ cordis eius, qua mortem pro nobis oppetens, nos ab hostis seruitute liberauit, atque ita patris obtemperans voluntati lætatus est spiritu, licet carnis cruciatibus vexaretur. Hæc illi. Aponius quoq; diem lætitiæ cordis Christi diem vocat passionis, Lachrymas, inquit, fundebant Apostoli, lugebant & elementa, sed lætabatur Christus, quia mors eius credentibus vitam & gaudia apportauit, &c.

Aponius.

Theodoretus diadema charitatem significare putat vsque ad mortem, mortem autem crucis: coronatum autem ait Christum à matre, id est, Synagoga, charitate, quia illum occidit, & spinis coronauit, quam ille coronam summa cum charitate excepit. O diuinum diadema charitatem, hæc hominem vt diadema ornat, hæc mille cæterarum virtutum pyropis rutilat, hæc homini regnum parat, hæc vt diadema supremum in homine locum tenet, quia cæteris virtutibus præstat. Felix rex quem magis hoc diadema exornat, quam quod capite gestat aureum: proprium enim regis est subditos amare, illorumq; commodis, & saluti, magno cum amore inuigilare. Egredimini (ait Theodoretus) & videte charitatis Christi diadema, quo decorauit eum Iudæa, quæ illum genuit, &c. dicitur autem Iudæa charitatis diadema Christo imposuisse, non quod charitatẽ Christo tribuerit, sed quod tormenta, mortemq; intulerit, in quibus charitas summa exercetur, & demonstratur. O felices mortales, qui regẽ habemus Christũ, cuius diadema charitas est, quid ab eo rege non expectandum, cuius corona amor est caput cingẽs, cor cingens, pectus cingens. hanc eius charitatem illa etiam verba demonstrant, quæ supra sunt exposita: *Media ferculi charitate constrauit*: Etiam ferculũ talis regis, currus, quo vehitur, domus, tabernaculum, denique quæcumque ad eum pertinent, amorem spirant, charitate sunt constrata. Ex Hebræo verti potest: Medium eius, id est, ferculi, siue lecticæ, succensus amore à filiabus Ierusalem, hoc est, in medio lecticæ vehitur Christus verus Salomon, amore animarum inflammatus. Nunquid nõ vehitur etiam nunc in medio lecticæ Christus, amore succensus filiarum Ierusalem? qui Christum in cruce videt, nónne Christum in lectica videt, charitate ardentẽ, charitatisque radios per aperta corporis vulnera eiaculantem? Etenim, vt Aponius arbitratur, Salomonis ferculum etiam crucem significat.

Theodoret. *Theodoret.* *Aponius.*

Obserua quoque Matthæum verbo, *genuit*, vsum, quo Patres illos in vitam immittit, interpretem vero apud Lucam verbo, *fuit*, quo videntur e vita pelli; nam verbum, *fuit*, è vita exitũ significat. vnde illud, *fuimus Troës, fuit Ilium*, &c. In vitam omnes ea lege ingredimur, vt parũ in ea commorati protinus exeamus. *Heri venisti* (ait Dauid ad Ethai) *& hodie cõpelleris nobiscum egredi?* Cõgruunt etiã nobis hæc verba, heri in vitã venimus, & paulo post exire cõpellemur. Sapientia: *Nati* (aiunt impij) *continuo desiuimus esse*: Vide quã breue duxerint vitæ spaciũ: vbi primũ in vitã ingressi sunt, exirè statim se cõpulsos dicũt.

2. Reg. 15. *Vitæ tempus exiguum.* *Sapient. 5.*

Et quidem vbi primum vitam ingredimur, statim exire alia porta incipimus. Quid enim aliud est vitæ huius tempus, quàm vt Augustin. ait 13. de ciuitate Dei. c. 9. cursus ad mortem? Hinc illud Nazianzeni distichũ, in carmine de hominis externi vilitate, idque ipsum est quod viuo, velut rapidissimus amnis, qui sursum exoriens, semper ad ima fluit, &c. *Quotidie morimur* (ait Seneca) quotidie enim demitur aliqua pars vitæ, & tunc quoque cum crescimus, vita decrescit, hunc quem agimus diem cum morte diuidimus, &c. Ergo cùm primùm in vitã intramus, in mortẽ statim tendere, & à vita egredi incipimus.

D. Augusti. D. Gregor. Nazianz. *Seneca epist. 59.*

Vt

Vt vera anguſta via natiuitatis eſt, qua ingredimur, ita & anguſta ianua mortis, qua egredimur. In vtraque dolores ſunt, in vtraque fletus, & nuditas, iuxta illud: *Nudus egreſſus ſum de vtero matris meæ, nudus reuertar illuc*: Sed *nunquid poteſt homo iterato in ventrem matris introire?* quod rogabat Nicodemus; cur ergo ait Iob ſe nudum illuc, id eſt, in ventrem matris, reuerſurum? Mater appellatur à Iobo terra, quę communis eſt omnium mater, eodemque nomine ab Eccleſiaſtico vocatur. *Graue* (inquit) *iugum ſuper filios Adam, à die exitus de ventre matris eorum, vſque in diem ſepulturæ, in matrem omnium*, &c. Eandem quoque Plinius matrem nominat li. 2. naturalis hiſtoriæ cap. 63. Sequitur (inquit) terra, cui vni rerum naturæ partium, eximia propter merita, cognomen indidimus maternæ venerationis. Nos naſcentes excipit, natos alit, ſemelque editos ſuſtinet ſemper, nouiſſimè complexa gremio, tum maximè, vt mater operiens, &c. Idem quod Iob dixit Eccleſ. *Sicut egreſſus eſt nudus de vtero matris ſuæ, ſic reuertetur, nihil auferet ſecum de labore ſuo.* Et Paul. *Nihil intulimus in hunc mundum, haud dubium, quod nec auferre quid poſſumus.* Nazianzenus loco indicato: A tumulo (inquit) tumulum peto, id eſt, ab vtero matris, in ſepulchrũ tendo. Vterum matris etiam ſepulchrum appellauit; & quod Iob dixit ex vtero in vterum, dixit Greg. ex ſepulchro in ſepulchrum. Quemadmodum vterus matris, ſepulchrũ dicitur, ita ſepulchrum dicitur vterus terræ: in ſepulchro enim veluti vtero terræ vſque ad iudicij tẽpus abſcondemur, tunc temporis ex illo, veluti noua, atq; admirabili natiuitate, in lucem prodituri.

Hunc in vitã ingreſſum, hunc e vita exitum, hãc nuditatẽ vtinam ſæpè ante mentis oculos proponeremus, ne diuitiis & honoribus inhiaremus: Bernar. l. 2. de conſideratione: Qualis, inquit, natus ſis attendas, nudè nudum conſideres, quia nudus egreſſus es de vtero matris tuæ: conſideranti qui ſis, occurret tibi homo nudus, & pauper, & miſer, & miſerabilis; homo dolens quòd homo ſit, erubeſcens quod nudus ſit, plorans quòd natus ſit, murmurans quòd ſit homo natus ad laborem, non ad honorem, &c.

Conſiderauit hanc hominis nuditatẽ, ille quoq; naturæ indagator egregius Plinius, in Prologo libri ſeptimi hiſtoriæ naturalis: Cæteris (ait) animantibus natura variè tegumenta tribuit, teſtas, cortices, coria, ſpinas, villos, ſetas, pilos, plumam, pennas, ſquamas; vellera, truncos etiã, arboreſque, cortice interdũ gemino, à frigoribus & à calore tutata eſt; hominẽ tantũ nudum & in nuda humo natali die abiicit, ad vagitus ſtatim, & ploratum, nullumq; tot animaliũ aliud, ad lachrymas, & has protinus vitæ principio. Tandem poſt alia concludit ſic: Heu dementiã, ab iis initiis exiſtimantiũ ad ſuperbiam ſe genitos.

Hæc hominũ ſunt initia, fines multo miſerabiliores. Nudi ingredimur in mundũ, veluti nudi athletę cũ diabolo decertaturi, & vt ait S. Max. in Hom. de S. Michaele, Nudi naſcimur, nudi etiã accedimus ad lauacrũ, vt nudi quoq; & expediti ad cęli ianuã properemus, &c. At nos quãtũ conniti poſſumus opib. honorib. voluptatibus nos oneramus, atq; implicamus: onerati ad ianuã arctiſſimã, id eſt, mortẽ, peruenimus, in qua omnia cogimur onera deponere. Mors aufert omnia, omnes ſpoliat, excutit omnes, ne obolũ quidẽ relinquit. Recte portus appellatur, in quem omnes appellimus, in portu onus deponit nauis, aurũ, argentum, gemmas, veſtes, aromata, ſiue quicquid aliud ferat. Vt nauis in portu, ita homo in morte exoneratur; is verò ſapiens eſt, qui antequam portũ attingat, in pauperes ſe exonerat: Vnde Nazianz. orat. 27. Nauem (inquit) paulum exonera, vt leuius nauiges, &c. Stulti oneratam nauem portus, id eſt, mors, exonerat, quamobrẽ diuiti onerato dici-

A tur: *Stulte hac nocte repetunt animam tuam à te, quæ autem parasti, cuius erunt?* Reſpondeat dives: Mea erunt, mecum feram omnia, hic illis frui nõ potui, poſt mortem fruar. O ſtultum hominem, ſtultus enim merito vocatur, qui illud ignorauit: *Ne timueris, cũ diues factus fuerit homo, & cum multiplicata fuerit gloria domus eius, quoniam cum interierit, non ſumet omnia, neque deſcendet cum eo gloria eius.* At dices, ſi non ſumet omnia, ergo ſaltẽ ſumet aliqua. Agnoſce hebraiſmum: Non ſumet omnia, id eſt, nihil, quemadmodum: *Non dominetur mei omnis iniuſtitia*, id eſt, nulla. Et quidem ſumet aliqua, quæ cum eo deſcendant, mala ſumet & bona opera. Nã ſi gloria, ſi opes, hominem non comitantur, at certe comitantur illum opera, iuxta illud: *Opera enim illorum ſequantur illos.* Nudat mors hominem opibus, non nudat operibus. Aug. in l. 50. homiliarum, hom. 42. c. 8. Ipſa, inquit, eſt infœlicitas hominũ, propter quod peccant, morientes hic dimittunt, & ipſa peccata ſecum portant. Peccas propter pecuniam, hic dimittenda eſt, peccas propter villam, hic dimittenda eſt, peccas propter mulierem, hic dimittenda eſt, & quicquid eſt, propter quod peccas, hic dimittis, & ipſum peccatũ, quod committis, tecum portas. Hæc Aug. Quocirca D. Iſidor. li. 3. de ſummo bono c. 47. reges ſic monet: Regni gloriam, qua in hoc ſeculo ſublimantur, reges non aſpiciant, ſed opus quod ſecum ad inferos portent, attendant, ſi amiſſuri ſunt huius temporis gloriam, illa agant, quæ poſt finem, ſine fine poſſideant. Hæc ille. & Aug. ſer. 32. de verbis Domini: Si omnes, inquit, tranſimus, aliquid quod tranſire non poteſt operemur, vt cũ tranſierimus, & illo venerimus vnde nõ tranſeamus, opera noſtra bona ibi inueniamus, &c. Obſerua item, Matthæum multos numeraſſe, regis tamen nomine ſolum Dauidem appellaſſe, idque ſemel atque iterum: *Ieſſe*, inquit, *genuit Dauid regem, Dauid autem rex genuit Salomonem.* Literalis ratio eſt, quia primus fuit ex tribu Iuda rex, à quo reliqui duxere genus. Moralis verò, quia virtutibus clarus vir Dauidi ſimilis, dignus eſt, qui bis, terque, quaterque & centies, Rex & nominetur, & ſit. Priami forma (dixit quidam) digna eſt imperio, at rectius dicetur: Dauidis forma digna eſt imperio, forma, inquam animi virtutibus ſecũdum diuini cordis formam exaggerati, iuxta illud: *Inueni Dauid filium Ieſſe, virum ſecundum cor meũ, qui faciet omnes voluntates meas.* Secundũ cor Dei ille rex eſt, qui facit omnes voluntates Dei. Quemadmodum enim à populo rex, ita à rege Deus obedientiam exigit; paret populus regi, pareat rex Deo: rex populo, Deus populo & regi imperat. Vnde Magnus Greg. epiſt. 62. ſcripta ad Mauriciũ Imperatorẽ: Ad hoc, inquit, poteſtas Dominorũ meorũ pietati cœlitus data eſt ſuper omnes homines, vt qui bona appetunt adiuuentur, vt cęlorum via largius pateat, vt terreſtre regnũ cęleſti regno famuletur, &c. In manu Dei orbis globum depingimus, vt totius mundi Dominus ac moderator eſſe ſignificetur, in eadem Dei manu Rex obediens cor ſuum veluti alterũ mundi globum collocet, vt abſque vlla obſiſtentia cœli inſtar, quocunque voluerit, illud verſet, & inſtar aquæ ad irrigandos populos deriuet, iuxta illud: *Sicut diuiſiones aquarũ, ita cor regis in manu Domini, quocunque voluerit inclinabit illud.* Ad irrigandos agros ac fœcundandos diuidi ſolent, ac fluere aquæ: Sic regũ corda nõ ad vaſtãdos, ſed ad tuendos, ornandoſque populos, moueri debent. Quemadmodũ verò aquæ deriuantis ductum, ita cor regis voluntatem Dei ſequatur. Primum mobile, cui reliqui parent cœli, Angelo mouenti paret: Eundem in modum Rex, qui inſtar primi mobilis, ſuo motu & imperio ſubditos rapit, ac circumfert, Deo ipſe obſecundet, ſitque Dauid alter, qui faciat omnes voluntates eius, qui ſeruet omnes leges eius.

Quamobrem

Luce 12.

Pſalm. 48.

Hominem nõ opes poſt vitam, ſed opera comitantur

Pſal 118.

Apoc. 14.

D. Auguſt.

De rege, & populi rectore.

Act. 13.

D. Gregor.

Prou. 21.

Rex Deo obediat, populum regat, à Deo regatur.

Deut. 17. Quamobrem præcipit Regi Deus, vt legis librum apud se habeat, ac legat: *Postquam sederit in solio regni sui, describet sibi Deuteronomium legis huius in volumine, accipiens exemplar á sacerdotibus Leuiticæ tribus, & habebit secum, legétque illud omnibus diebus vitæ suæ, vt discat timere Dominum Deum suum, & custodire verba & ceremonias eius, quæ in lege præcepta sunt,* &c. Hinc factum est, vt Regi, cum 4. Reg. 11. coronabatur, legis liber traderetur: *Produxítque filium regis, & posuit supra eum diadema, & testimonium,* id est, legem: *fecerúntque eum regem, & vnxerunt.* Cum diademate legem coniungit Scriptura; diuinæ enim leges, ac mãdata, si à rege obseruentur, fulgẽtissimi sunt pyropi, qui regis diadema illuminãt. Præterea dicitur summus sacerdos Ioiadas testimonium, id est, legẽ. super regem imposuisse; super Regem (inquã) quòd oporteat regem legi subiectum esse, atque obtemperantem. Solent reges consiliarios habere multos, quorum consilia sequantur; optimi autẽ consiliarij, qui in cõsilio dando, nec fallũt, nec falluntur, diuinę leges sunt. Quocirca Rex Dauid: *Cõsilium* (ait) *meũ, iustificationes tuæ*, ex Hebræo verti potest: *Testimonia, siue mandata tua, viri cõsilij mei.* Hieron. vertit: *Viri amicissimi mei.* O felicissimos & amicissimos Regũ Consiliarios. O felicissimos illos reges, qui animi effrenatas perturbationes, virosque improbos, quibus illæ dominantur, è suo concessu pellunt: his verò consiliarijs obtemperant.

Mandata Dei regis consiliarij. Psal. 118.

Infelices reges, qui illos non audiunt; diuina Sapientia horribilibus ijs verbis alloquitur: *Præbete aures vos, qui continetis multitudines, & placetis vobis in turbis nationum; quoniam data est à Domino potestas vobis, & virtus ab Altissimo, qui interrogabit opera vestra, & cogitationes scrutabitur. quoniam cum essetis ministri regni illius, non rectè iudicastis, nec custodistis legem iustitiæ, nec secundum voluntatem Dei ambulastis; horrendè, & cito apparebit vobis, quoniã iudicium durissimum in ijs, qui præsunt, fiet,* &c. Timeant ergo reges durissimum hoc iudicium, ne in summa potestate summa sit licentia, libertasque viuendi. Nam vt ait Ambrosius in Apologia Dauid cap. 3. Lubrica est in bonis moribus licentia potestatis, & oblatio facultatis, &c. Lubricus locus est regnum, adeò vt in eo collocatus sãctus Dauid, in adulteriũ lapsus sit.

Sap. 6.

Lubricus locus regni & potestas. D. Ambros.

Quamobrem freno timoris Dei opus est regi, quo potestatis libertatem coërceat. Difficile est, (ait D. Isidorus de summo bono lib. 3. cap. 51) principem regredi ad melius, si vitijs fuerit implicatus, populi enim peccantes iudicem metuunt, & à malo legibus coërcentur. Reges autem nisi solo Dei timore, metuque gehennæ coërceãtur, libere in præceps proruunt, & per abruptum licentiæ, in omne facinus labuntur. Hæc ille.

D. Isidorus.

Longum esset ex reliquis Dauidis præclaris virtutibus, eas virtutes indicare, quæ regum splendori congruunt. Illud tamen non prætermittam, quod illustris veluti gemma in Dauide micat, diuini cultus studium. Quantus in illo huius cultus ardor fuerit, illa indicat admirabilis ante fœderis arcam saltatio: *Saltabat totis viribus ante Dominum,* &c. Quod admirans Magnus Greg. in septimum caput Iob: Ego, inquit, Dauid plus saltantem stupeo, quam pugnantem, pugnando quippe hostes subdidit, saltando autem coram Domino, semetipsum vicit. Item: Rex se in diuino obsequio per saltum rotat: Ecce quem Dominus cunctis singulariter prætulit, sese sub Domino & exæquando minimis, & abiecta exhibendo, contemnit. Non potestas regni ad memoriam reducitur, non subiectorum oculis saltando vilescere metuit, non se honore prælatum cæteris, ante eius arcam, qui honorem dederat, recognoscit. Et Ambr. lib. 1. de Apologia, Docuit (ait) Dauid, contuitum regalis potentiæ non habẽdum, vbi religioni exhibetur obsequium. Honestum est enim pro religione facere, etsi incongruum potestati sit, &c.

2. Reg. 6. *D. Greg.*

Dauid cultus Dei studiosus.

Idẽ studium demonstrant verba illa: *Domine dilexi decorem domus tuæ*: Illa quoque: *Si dedero somnum oculis meis, & palpebris meis dormitationem, & requiem temporibus meis, donec inueniam locum Domino, tabernaculum* Deo Iacob. Illa item: *Ecce ego habito in domo cedrina, Arca autem fœderis Domini sub pellibus est.* Quamobrem templum Deo extruere voluit, vbi arcam honorificentissimè collocaret. Cum verò templum extruere non potuisset, magno diuini cultus studio, impensas præparauit. *Opus* (inquit) *grande est, neque enim homini præparatur habitatio, sed* Deo: *Ego autem totis viribus meis præparaui impensas domus* Dei *mei,* &c. Præterea, vt est in lib. Eccles. *Stare fecit cantores contra altare, & in sono eorum dulces fecit modos, & dedit in celebrationibus decus, & ornauit tempora vsque ad consummationem vitæ, vt laudarent nomen sanctum* Domini, *& amplificarẽt mane Dei Sanctitatem,* &c. Lege. 1. Par. 23. & capita sequentia.

Psalm. 25. Psal. 131. 1. Par. 17. 1. Par. 29. Eccl. 47.

Vnius Regis facta, omnium Regum sunt exempla. Sit ergo Rex Dauidi similis, diuini cultus studiosus, domus Dei decorem diligat. Ecclesiam tueatur: Religioni imperium seruire doceat. tunc enim terrę imperabit, cum cælo, religionique seruierit. Vnde illud Valerij Maximi lib. 1. cap. 1. Omnia post religionem ponenda semper nostra ciuitas, id est, Romana, duxit, etiam in quibus summæ maiestatis decus conspici voluit, quapropter non dubitauerunt sacris imperia seruire. ita se futura regimen humanarum rerum existimantia, si diuinæ potentiæ benè & constanter fuissent famulata, &c. *ad portandũ per solitudinem tabernaculum, obtulerunt principes Israelitarũ sex plaustra tecta, bouésque duodecim.* Qua principum oblatione adumbratur, Ecclesiæ principum hoc esse munus, Ecclesiam opibus auxilioque subleuare, & per hanc mundi solitudinem, sacrum hoc Dei tabernaculum ferre. Vt sint verè *currus Israel*, currus, inquam, qui portent, currus quoque falcati, qui defendant. Diuus Isidorus libro tertio, de summo bono, capit. 53. Cognoscant, inquit, principes seculi Deo debere se rationem reddere propter Ecclesiã, quam à Christo tuendam suscipiũt, &c. Item: Principes seculi nonnunquam intra Ecclesiam, potestatis adeptæ culmina tenent, vt per eandem potestatem, disciplinam Ecclesiasticam muniant. Item: sæpe per regnum terrenum, cœleste regnum proficit, vt qui intra: Ecclesiam positi contra fidem & disciplinam Ecclesiæ agunt, rigore principum conterãtur, &c. Rex Soli similis est, populus Lunæ, vt ait Augustinus lib. 1. de Gen. contra Manichæos cap. 23. Quid, inquid euidentius splendorem regni significat, quàm Solis excellentia? & plebem obtemperantem regno, splendor Lunæ ostendit, &c Quẽadmodum ergo Sol Lunam luce, sic Rex populum religione & virtute compleat: quemadmodum Sol tenebras omnes, sic Rex hæreseon omnium caliginem, è Republica expellat.

Religionis tuitissima habenda cura. Num. 7. Rex Ecclesiæ defensor. 4. Reg. 2. D. Isidorus. D. Augustin.

LIBER

LIBER SEXTVS,

DE ADMIRABILI SVMMAQVE VENERATIONE DIGNA MATRE DEI MARIA.

CAPVT PRIMVM.

Virginem Deiparam maximè laudandam.

HACTENVS de Chriſti Genealogia dictum libro quinto. Poſtulat nunc ea, quæ Magnæ matri ipſius Chriſti, totiuſque Orbis Reginæ, memoria celebratioque debetur, vt de eius vita, & laudibus, pro tenui noſtra parte, nonnulla verba hoc libro ſexto faciamus. Nam ſi, vt dicitur Apocalyp. *Cum viſa eſt arca teſtamenti, facta ſunt fulgura, & voces,* æquum eſt, vt ſacra & viua arca (ſic Damaſcenus vocat, ſerm. 2. de Aſſumptione) id eſt, Virgine conſpecta, & in Mundo cognita, fulgura ſplendeant, voceſque omnium hominum ſonent. Atque vtinam in tantæ Matris laudibus, vt Pericles qui ab Ariſtophane fulgurare & tonare dictus eſt, nos fulgurare poſſemus, ſed ſi non fulgura, voculas ſaltem inſtar auicularum emittamus. Etenim in ramis arboris illius admirabilis, quam ſecundùm quietem Rex ille vidit, verſabantur volucres cœli, voculaſque edebant ſuas: ſic nos in ramis fæliciſsimæ noſtræ arboris, quam arborem vitæ ſuprà appellauimus, id eſt, in geſtis, vitaque Virginis vt auiculæ verſemur, hanc veniente die, hanc & decedente canamus, hanc totis medullis cordium, (vt Bernard. ait in ſerm. de eius Natiuitate) præcordiorum affectibus, & votis omnibus veneremur. Quia ſic eſt voluntas eius, qui totum nos habere voluit per Mariam.

Apoc. 11.

Dan. 4.

At non eſt quod me magis delectet, (ait idem pater mellifluus ſermon. 4. de Aſſumpſione) non eſt quod terreat magis, quàm de gloria Virginis matris, ſermonem habere, &c. Delectant quidem, quæ de Virgine habentur eloquia, quibus ſane illud congruit Dauidicum: *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua,* ô Virgo, *ſuper mel ori meo,* dulcis eſt ori fauus melle plenus, dulciſſima eſt ori noſtro Virgo Deipara, qua fauus nullus dulcior, ipſa enim fauus eſt omnibus Dei donis veluti melle redundans. Vnde illud: *Fauus diſtillans labia tua Sponſa, mel, & lac, ſub lingua tua.* Sed Bernardum quamuis hæc delectent eloquia, tamen etiam terrent, nam immenſum mare laudum virgo eſt, quod illius nomen ſignificat, vt infra dicemus. Immenſum dixi laudum mare, quia (vt Cardinalis Petrus Damiani in ſerm. 2. de Natiuitate ait) Nullus humanus ſermo in laude Virginis inuenitur idoneus, & impar eſt illi omne humanæ linguæ præconium, & ſermon. 3. Quid, inquit, mirum, ſi hæc ineffabilis Virgo in ſuis laudibus modum humanæ vocis exuperat, cùm & ipſam humani generis naturam, excellentium meritorum dignitate tranſcendat? Ad eius efferenda præconia, non Rhetoricorum diſerta facundia, non Dialecticorum ſubtilia argumenta, non acutiſſima Philoſophorum, apta reperiuntur ingenia. Hæc ille. Et Damaſcenus Oratione prima de Aſſumptione Virginis: Virginem non hominum lingua, non mundo ſublimior Angelorum mens, ſat dignis laudibus efferre poteſt, &c. Et oratione 2. Virgo omnium encomiorum legem excedit. Item: nec ſi omnes toto Orbe diſperſæ linguæ in vnum coëant, eius laudes oratione conſequi poſsint, &c. Sanctus Baſilius Seleuciæ Epiſcopus in Oratione de Annunciatione Deiparæ: De Virgine, qui omnia illuſtria, & glorioſa dixerit, nunquam is à veritatis ſcopo aberrauerit, attamen dignitatis magnitudinem, nulla vnquam oratione exequabit. Hæc ille. D. quoque Bernard. ſerm. 4. de Aſſumptione: Quænam, inquit, poterit lingua, etiam ſi Angelica ſit, dignis extollere laudibus Virginem matrem, matrem autem non cuiuſcunque, ſed Dei? &c. Eandem Virginem Bernard. eodem ſermon. indicibilem appellat. Si ergo indicibilis & ineffabilis eſt, quid de ea dicere, & effari poterimus? Si magnam illam Bernardi nauem vaſtiſsimum hoc pelagus terret, quid ni paruam noſtrã cymbam terreat? Veruntamen ſi mare profundum Virgo eſt, eſt etiam maris ſtella, vt mare terret, vt maris ſtella ad nauigationem allicit, dirigit, atque illuminat. Hac ergo maris dirigente ſtella, atque illuminante, immenſum laudum pelagus abſque terrore ingrediamur, & Verbi æterni Magnæ Matri, verba noſtra, paruum licet munus, offeramus.

D. Bernard.

Cant. 4.

Virginis Mariæ laudes percenſeri nequeunt. Card. Pet. Dam.

Damaſcen.

Baſilius.

Bernard.

CAPVT II.

De principio, ex quo gratiæ donaque Virginis eximia colliguntur, qui eſt titulus admirandus Matris Dei.

PRincipium donorum omnium, quibus ampliſsimis Deus Virginem cumulauit, in fine Genealogiæ Matthæus nobis propoſuit: *Virum,* inquit, *Mariæ, ex qua natus eſt* Ieſus, *qui vocatur Chriſtus.* Etenim ex hoc loco liquet Virginem vere matrem eſſe Chriſti Dei Optimi Maximi; hic autem ſtupendus titulus, principium eſt, ex quo ſumma dona, recta conſecutione deducuntur. Nam ſumma Sanctitas, ſumma Virginitas, eximia gratia, eximia gloria, cæteraque huiuſmodi ex eo concluduntur. Vnde Cancellarius Pariſienſis Gerſon in ſermone de Natiuitate Virginis: Offertur, inquit, ex Matthæi verbis vnum fidei principium. Quòd ex Maria natus eſt Ieſus, qui vocatur Chriſtus, & ita fuit mater Dei, quia Chriſtus eſt Deus. Ex hoc autem principio concluditur alterum, quòd decuit, vt Maria tanta puritate niteret (vt dicit

Gerſon.

dicit Anſelmus) qua ſub Deo maior nequit intelligi. Ex hoc duplici principio, veluti copioſiſſimo & ampliſsimo laudum ſeminario, habet deuoti contemplãtis animus, vnde faciliter aſſurgat ad laudes quantaſlibet Mariæ, quomodo ſi recte aſcribat ei, per ſufficientiam, aut virtualem continentiam, laudes, quas in aliis creaturis etiam Angelicis confiderat. Nam habet hoc Hierarchicus ordo ſecundum Dionyſiũ, vt inferiorũ virtutes, ſint in ſuperioribus perfectiori modo repoſitæ, quemadmodum Sapiẽtia perfectior eſt in Seraphim, quam in Cherubim. Eſt autem Maria ſuper choros Angelorũ per gratiam, & gloriam ſublimata: Erunt igitur in ea perfectiones cæterarum creaturarum irrationabilium, & rationabilium, etiam Angelicarum, eminenti quodam modo reperibiles, & attribuibiles. Hæc ille. Bernardus quoque ex hoc principio in Epiſtola 174 ad canonicos Lugdunenſes colligit, omnia reliquorum ſanctorum dona in Virgine reperiri; Quod (inquit) vel paucis mortalium conſtat fuiſſe collatum; fas certe non eſt ſuſpicari, tantæ Virgini eſſe negatum; per quam omnis mortalitas emerſit ad vitam. Ex eodem colligit Anſelmus Virginis inauditam puritatem, in libro de conceptu Virginali, capit. decimo octauo, Decens (inquit) erat, vt ea puritate, qua maior ſub Deo nequit intelligi, Virgo illa niteret, cui Deus filiũ ſuũ ita dare diſponebat, vt eſſet vnus, idemq; Dei Patris, & Virginis filius, &c.

D. Bernar.

D. Anſelm.

Quemadmodũ Theologis, titulus Filij Dei, principium eſt, ex quo humanitatis Chriſti dona excellentiſſima colligunt; eſt enim homo Chriſtus, Dei filius, & Deus. Ita titulus Matris Dei, principium eſt, ex quo collata Virgini à Deo eximia munera, ijdem Theologi inferunt. Vt enim decuit Filij Dei humanitatem, omni cœleſti dono ornari; ita par, æquumque fuit, matrem Dei omni diuina gratia poſt filium decorari. Præclare Dionyſius Carthuſianus initio libri primi de laudibus Virginis; Poſt præſtantiſsima (inquit) ac excellentiſſima gratiæ dona & opera, aſſumptæ huminitati à Verbo collata, primum excellentiæ gradũ ſortita ſunt munera gratiarum, Virgini condonata; quæ tam in donis gratiæ gratis datæ, quàm in muneribus, habitibus, atque operibus gratiæ gratum facientis, in donis quoque gloriæ poſt filium gloriosè, ineffabiliterque præfulget. Quemadmodum enim decentiſſimum fuit, vt illam naturam, quam creator voluit ſuæ perſonę vnire, omni chariſmate gratiæ & gloriæ, omni virtute perfecta, ac dono Spiritus Sancti ſumme & incomparabiliter decoraret, eodem inſtante quo eam aſſumpſit; ita omnino condecens fuit, vt Virginem illam, quam ſibi matrem elegit, poſt humanitatem aſſumptã, vniuerſis gratiæ ac gloriæ chariſmatibus, inenarrabiliter excellentius munificentiuſque ornaret, quantum ſine dubio decuit matrem Dei præminiſtris ornari, exaltari, atque deificari. Etenim ſicut non decuit naturam humanam, niſi pulcherrimè, atque incomparabiliter decoratam aſſumi à Verbo, ita nullatenus decens fuit, perſonam humanam effici Dei matrem, niſi ſpecioſiſſime ac glorioſiſſimè ornatam. Hactenus Dionyſius.

Dionyſius Carthuſ.

Titulus Matris Dei omnia gratiæ ornamenta flagitat.

Si domus, qua terrenus Rex excipitur, pretioſis, aureisque aulæis exornatur, odoribuſque perfunditur, matrem quæ Deum excepit, quibus gratiæ ornamentis exornatam, quibus virtutum odoribus perfuſam fuiſſe credendum eſt? D. Anſelmus in lib. de excellentia Virginis. cap. 3. Si talis, inquit, apparatus fit pro aduentu terreni hominis, qualis apparatus omnis boni putamus fiebat pro aduentu cœleſtis Regis in corde Virginis, quæ illum non ſolũ erat tranſitiuè hoſpitatura, ſed etiam ex ſubſtantia ſua factum hominem peritura. &c. Meſſiæ veſtimẽta odoribus reſperſa ſuauiſſimis ex domibus eburneis deprompta dicuntur: *Myrrha, & gutta, & caſia à veſtimentis tuis, à domibus eburneis*, ſiue palatijs eburneis. Chriſti veſtimentum humanitas eſt, omnibus gratiæ odoramentis imbuta, à matre ergo depromi debuit, quæ palatium eſſet eburneum, ſuauiſſimis odoribus perfuſum, vel aureum, omni pretioſo lapide pretioſius. Thronum ſuum typicus Salomon, *Veſtiuit auro fuluo nimis*, quam radianti igitur charitatis auro, verum Salomonem, æquum erat Thronum ſuum, id eſt, matrem veſtire. Thronum ſibi Salomon typicus fabricauit, de quo illo eodem cap. ſcriptum extat, non eſt factum tale opus in vniuerſis Regnis. qualem ergo Thronum ſibi fabricare, qualem matrem ſibi parare par erat verum Salomonem? nimirum eam, de qua veriſſimum fit affirmare, non eſſe factum tale opus in Vniuerſis Regnis, non eſſe factam talem Virginem, talem fœminam, talem matrem: *Nebula impleuit domum Domini*, & infra: *Impleuerat gloria Domini domum Domini*, Salomonicum quidem templum nebula impleuit, quæ idcirco gloria Domini appellatur, quod Domini maieſtatem indicaret, matrem verò Domini, quæ ipſum Salomonicum templum longe ſuperat, nebula alia, alia Domini gloria impleri decorum erat, hoc eſt, ſummis virtutibus, ſumma gratia, ſummiſque donis, quæ filij maieſtatem, potentiam, ſanctitatemque declararent. Qualis pater æternus eſt, talis eſt filius. ſimilem igitur in modum, talem oportebat eſſe eundem filium ſecundum humanam naturam, qualis eſt mater, ipſam verò matrem talem eſſe decebat ſecundùm gratiam, virtutesque ſummas, qualis eſt filius: ita vt immenſum filium mater non exæquaret quidem, ſed infinitam illius dignitatem donorum exuberantia demonſtraret. Etenim terreni regis matrem fœminam aliquam eſſe, nobilium hominum famulantium turba, ingens palatium, magnæ opes indicant, at Dei matrem nõ inania hæc, ſed maximarum virtutum comitatus, inaudita gratia, inauditæque charitatis, & ſempiternæ gloriæ diuitiæ demonſtrant. Quemadmodum terreni regis matrem illis caducis ornamentis, ita Dei matrem ijs veris, ac ſolidis, exornatam eſſe decet. Quo autem filius maior eſt, eo maiores eſſe matris opes conuenit. Si igitur filius eſt Deus, cuius magnitudo eſt infinita, opes verò ſunt gratia & gloria, quantos Deus bone, gratiæ, quãtos gloriæ aceruos, quam ſtupẽdas opes, Virginis Dei matris eſſe oportet: De viro beato, & ſanctitate prædito canere Eccleſia ſolet: *Amauit eum Dominus & ornauit eum; amat enim Deus, & quia amat, ornat, quantus eſt amor, tãtus eſt ornatus*: cùm igitur amor filij Dei in matrem fuerit incredibilis, incredibilis quoque fuit, qui ex illo emanauit ornatus. De amore Chriſti erga matrem lege Anſelmũ libro de excellẽtia Virginis, capite quarto: Eſt ne, inquit, putatis, vlla mens hominis, quę modum huius dilectionis, quam Deus ad Virginem habuit, queat penetrare, quando & illi quod carius amabat, id eſt, Virginitatem, ſic integrè ſeruabat, & eam fœcundatam ſui ipſius matrem fecit? poteſt ne quæſo vllus hominum, aut Angelorum ipſius amoris immenſitatem penetrare, vel dignitati honoris illius quidquam cogitatu percipere comparabile? Hæc ille: *Placuit oculis Aſſueri Regis Eſther, & extendit contra eam virgam auream, quam tenebat manu.* Eundem planè in modum Virgo Sanctiſsima potentiſſimi Regis, id eſt, Dei, oculis placuit, atque ita placuit, vt ex tot fœminarum millibus in matrem illam elegerit. extendit ergo contra eam virgam, quam tenet manu, hoc eſt, extendit ſceptrum, & potentiam ſuã, ad exornandam matrem ſuam. Extendit inquam ſceptrũ, & brachiũ, quia non contracta, ſed extenſa potentia,

Pſal. 44.

3. Reg. 10.

3. Reg. 8.

D. Anſelm.

Eſther 5.

potentia,ac extenſo brachio,ad exornandam,vt tã- ta dignitas poſtulabat,matrem Dei opus erat.

Fecit,inquit,*mihi magna,qui potens eſt*, extendit in me ſceptrum,extenſa potentia me decorauit.*Iudith Dominus contulit ſplendorem, & in illam pulchritudinem ampliauit,vt incomparabili decore, omnium oculis appareret*. Si Iudith ad profligandum Holophernem hæc Dominus contulit: Virgini ad excipiendum vtero Dei filium,quid conferre, qualem mentis ſplendorem, qualem pulchritudinem largiri oportuit? Ampliauit quidem in illa Deus ita mentis pulchritudinem, vt incomparabili decore,omnium hominum, omniumque Angelorum oculis videatur.

Iudith 10.

In ſole ſplẽdidiſsimo,hoc eſt,matre eximio ſplẽdore clariſsima,par erat Deum ponere tabernaculum ſuum.Quamobrem meritò.*Mulier* dicitur *amicta Sole,pedibuſq; lunam*,id eſt,omnem mutabilitatem, *calcare*.Etenim Luna mutabilitatis ſymbolum eſt,quippe quæ mille lucis habet mutationes, at Virgo in virtute fuit conſtantiſſima, gratiæque plena radiis ſemper,maiores in dies in ea progreſſus fecit.*A reliquis terræ regionibus diuerſum plantauit Deus paradiſum, vt Adamum illum primum in eo collocaret* : Eundem in modum oportebat à reliquis fœminis longiſſimè diuerſam Virginem inſtar paradiſi amœniſſimi præparari, vt in eo ſecundus ille Adamus priore multo excellentior collocaretur,non ex valle aliqua,aut humili colle,ſed celſo ex monte abſciſſus eſt ſine manibus lapis ille, qui ſtatuam euertit , Chriſtumque adumbrauit:quia celſiſsimum montem eſſe par erat matrem,ex qua abſque viri opera Chriſtus erat naſciturus. Damaſcenus oratione 1.de Natiuit. Virginis: Clariſsimus, inquit, mons Virgo, qui omnem collem,ac montem,id eſt, Angelorum,& hominum ſublimitatem,exuperat, ex quo citra vllam manuũ operam, corporeo modo excindi voluit lapis angularis Chriſtus,vna perſona diſtinctas naturas copulans,diuinitatem,& humanitatem, Angelos & homines,gentiles, & carnalem Iſraëlem,in vnum ſpiritualem Iſraëlem.Mons Dei, mons pinguis, mons coagulatus,mons pinguis,mons in quo beneplacitũ eſt Deo habitare in eo. Hæc Damaſcenus . Vides qualem montem matrem Dei eſſe doceat , in quo Deo placuit inhabitare?

Apoc.12.

Geneſ.2.

Dan.2.

D.Damaſc.

Denique quemadmodũ magni regis titulus magnum honorem,magnaſque opes exigit,ita magnæ Dei matris titulus eximiam gratiã, eximiamq; gloriam flagitat.Non enim inanes, medullaque vacuos titulos largitur Deus: Vnde D. Thom.3.p.q.27.art.5. ad primum: Vnicuique, inquit, datur gratia à Deo, ſecundùm hoc ad quod eligitur. Electa eſt autẽ Virgo in matrem Dei, qui titulus vt admirabilis eſt, ita admirabiles ſanctimoniæ vniuerſæ diuitias poſtulat.Quam verò admirabilis ſit matris Dei titulus, indicat D.Bernardus homilia prima ſuper Miſſus: Eſt (inquit) maius aliquid, quod mireris in Maria ſcilicet cum Virginitate fœcunditas.Quòd ſi & cuius ſit mater attendas, quo te tua ſuper eius mirabili celſitudine ducet admiratio? nónne ad hoc, vt te videas nec ſatis poſſe mirari? nónne tuo imò veritatis iudicio, illa, quæ Deum habuit filium, ſuper omnes etiam choros exaltabitur Angelorum? &c. Et D.Anſelmus in lib.de excellentia Virg. cap. 3. Intendat (inquit) mens humana, & contempletur, videat & admiretur, vnum filium ſibi conſubſtantialẽ Deus Pater genuit,hunc ſibi tam vnicum, & in omnibus omnino æqualem , non paſſus eſt remanere ſolum modo ſuum . Sed eundem ipſum voluit in rei veritate eſſe Beatæ Mariæ vnicum, & naturalem filium. Nec ita, vt duo eſſent, vnus videlicet filius Dei,alius Virginis,ſed vnus idem ipſe,qui filius Dei, in vna perſona eſſet filius Virginis,& qui filius Virginis,vnus & idem ipſe eſſet in vna perſona filius Dei. Quis hæc audiens non obſtupeſcet ? & quòd Deus tale quid velle potuerit,non vltra omne quod dici poteſt,admirabile ducat? Hæc Anſelmus.

D.Bernar.

Matris Dei titulus eſt admirabilis.

D.Anſelm.

D. verò Thomas prima parte, quæſt.25.art.6.ad quartum,affirmat titulum matris Dei infinitũ quãdam dignitatẽ continere.Humanitas, inquit, Chriſti ex hoc quòd eſt vnita Deo , & beatitudo creata ex hoc quod eſt fruitio Dei , & beata Virgo ex hoc quod eſt mater Dei,habent quandam dignitatẽ infinitam , ex bono infinito quod eſt Deus . & ex hac parte non poteſt aliquid fieri melius eis , ſicut non poteſt aliquid melius eſſe Deo.Hæc D.Tho.ex quibus colliges tria hęc,humanitatem Chriſti,beatitudinem cœleſtem, & ſanctiſsimam Virginem , infinitam quandam habere dignitatem ex Deo,humanitatem Chriſti,quia à Deo in vnitatem ſuppoſiti aſſumpta eſt,beatitudinem cœleſtem,quia in viſione Dei conſiſtit , Virginem Deiparam,quia Dei genitrix eſt.Summa humanitas eſt Chriſti humanitas,ſummum bonum,quod Deus ſanctis largitur,eſt beatitudo,ſumma mater ſumma dona poſtulans eſt Virgo Deipara.D.Bonau.in ſpeculo cap.8. Virgo, inquit,eſt mater,qua maiorem Deus facere nõ poſſet , maiorem mundum poſſet facere Deus,maius cœlum poſſet facere Deus,maiorem matrem, quam matrem Dei,non poſſet facere Deus,&c.

D.Thom.

Aduerte non negare Diuum Bonauenturam,Deũ poſſe facere matrem maiorem,ſi gratiæ naturæque dona ſpectes,infinita enim potẽtia exhauritur nũquam.Cenſet ergo , Deum non poſſe facere maiorem matrem,hoc eſt,matrem,quæ ſit mater maioris filij,nec enim maior filius eſſe poteſt quã Deus. A parentibus filij genus , nobilitatemque trahunt, at ſanctiſsima hæc parens à filio, quemadmodum à Sole Luna charitatem,ſplendoremque vitæ, & nominis, & infinitam quandam dignitatem accepit. Cardinalis Petrus Damiani in ſer.2. de natiuit. In humano,inquit,genere ille nobilis dicitur,qui claris maiorum titulis inſignitur . Beata verò Maria, licet de generoſa ſit patrum ſtirpe progenita,ab illo tamen trahit excellentiſſimæ nobilitatis genus, qui de illa eſt nouo naſcendi genere procreatus,& per clariſsimam ſobolem omnẽ humani ſtem matis excedit nobilitatem. Clara proauorum titulis , ſed incomparabiliter clarior generoſitate prolis, filia ſiquidem regum,ſed mater Regis regum,&c.

Virgo à filio nobilitatem traxit. Card. Pet. Dam.

Verùm ſummam huius tituli dignitatem eneruare videntur verba Chriſti illa:*Quinimo beati qui audiunt verbum Dei,& cuſtodiunt illud.* Auguſt. item explanatio. tract.10.in Ioan.Hoc eſt dicere, & mater mea inde felix eſt,quia Dei verbum cuſtodit.non quia in illa Verbum caro factum eſt,& habitauit in nobis, ſed quia cuſtodit ipſum Verbũ Dei , per quod facta eſt, &c.Et in libro de Sancta virginitate cap.3 . Beatior, inquit,fuit Maria percipiendo fidem Chriſti , quam concipiendo carnem Chriſti,item materna propinquitas nihil Mariæ profuiſſet,niſi felicius Chriſtum corde,quàm carne geſtaſſet: & Epiſt.38.ad Lætum: Diuinus Magiſter maternum nomen , quod ei quaſi priuatum, proprium que nuntiauerant , quia terrenum erat , in comparatione cœleſtis propinquitatis abiecit,&c.abiecíſſe autem dicitur nomen matris: *Quæ eſt*, inquit,*mater mea,qui ſunt fratres mei?* Et extendens manus in diſcipulos ſuos dixit : *Ecce mater mea , & fratres mei , quicunque enim fecerit voluntatem patris mei, qui in cœlis eſt , ipſe meus frater , & ſoror , & mater eſt.*

Luc. 11.

D.Auguſt.

Matt.12.

Stat nihilominus ſumma matris Dei titulo dignitas:Etenim duobus modis ſpectari poteſt , aut ipſe per ſe ſolus,abſque illa gratia quam poſtulat, aut cum gratia quam flagitat;ſi priori ſpectetur modo,

vera ſunt omnia Auguſtini dicta; ſi poſteriori conſideretur, quo pacto à nobis conſideratur, vt principium eſt gratiæ, & gloriæ, quam exigit, haud dubiè eximiam habet dignitatem. Chriſtus verò Lucæ 11. fœminæ imperitæ, & incarnationis ignaræ reſpondebat, quæ Virginem cæteris matribus ſimilem putabat; ideoque illud reſponſum dedit, quo oſtendere voluit, qua nam in re beatitudo poſita ſit, vt eo loco Deo fauente dicemus.

Virginem autem Dei appellamus matrem, non ideo quòd diuinitatem genuerit, (quis enim adeò inſaniet) ſed quòd genuerit Chriſtum, qui non homo ſolùm, ſed etiam Deus eſt, eratque ipſo conceptionis inſtanti. Vincentius Lirinenſis in libr. aduerſus hæreſes cap. 21. Virgo (inquit) veriſimè eſt θεοτόκος confitenda; ſed non eo modo, quo impia quædam hæreſis ſuſpicatur, quæ aſſerit eam Dei matrem ſola appellatione dicendam, quæ eum, ſcilicet, pepererit hominem, qui poſtea factus eſt Deus; ſicut dicimus presbyteri, aut epiſcopi matrem, non iam presbyterum, aut epiſcopum pariendo, ſed eum generando hominem, qui poſtea presbyter vel epiſcopus factus eſt. Non ita (inquam) S. Maria θεοτόκος, id eſt, Deipara, ſed ideo potius, quoniam vt ſuprà dictum eſt, iam in eius ſacrato vtero Sacroſanctum illud myſterium perpetratum eſt, quod propter ſingularem quandam, atque vnicam perſonæ vnitatem, ſicut Verbum in carne caro, ita homo in Deo Deus eſt. Hæc ille. Diuus Cyrillus in Epiſtola ad Neſtorium: Hoc (inquit) ſanctos Patres ſenſiſſe, eaque de cauſa ſacram Virginem Theotocon, id eſt, Deiparam appellare minimè dubitaſſe conſtat; non quòd Verbi natura, ipſiúſve diuinitas, ortus ſui principium ex ſancta Virgine ſumpſerit; ſed quòd ſacrum illud corpus, anima intelligẽte perfectum, ex ea traxerit, huic enim Dei verbum ſecundum hypoſtaſim vnitum, ſecundum carnem natum dicitur, &c. Et Epiſtola prima: Si Dominus noſter Ieſus Chriſtus Deus eſt, quo tandem modo ſacra Virgo, quæ illum edidit, Deipara non dicatur? Hanc fidem diuini Diſcipuli nobis tradiderunt, quamuis iſtius dictionis meminerint, ad hunc modum à ſanctis Patribus inſtituti ſumus, &c. Item, eadem Epiſtola: Sola inter cæteras matres, ſacra Virgo Chriſtipara ſimul ac Deipara appellatur, & eſſe dignoſcitur. Quandoquidem vna hæc non merum hominem, vt cæteræ ſolent, ſed Dei Patris verbum Incarnatum, & hominem factum peperit, &c.

Diuus Cyrillus hoc loco Virginem Chriſtiparam appellat: At Damaſcenus lib. 3. fidei cap. 12. huiuſmodi nomen repellit, Deiparam, non Chriſtiparam nominandam cenſet. Chriſtiparam (inquit) ſanctam Virginem neutiquam dicimus, propterea quòd ad tollendum Deiparę vocabulum excecrandus Neſtorius hoc nomen excogitauit, &c. Non putat Damaſcenus falſam eſſe hanc Virginis nuncupationem, ſed propter Neſtorij errorem fugiendam. Nam Neſtorius, vt ſcribit Euagrius lib. 1. cap. 2. vocem hanc Deiparam ſiue θεοτόκον, à multis lectis, ſpectatiſque Patribus fabricatam repulit, & vocem Chriſtiparam ſiue χριστοτόκον, à ſe veteratorie effectam ei oppoſuit. Quamobrem cùm iam vox periculo vacet, extincta hæreſi licet etiam cum Cyrillo Chriſtiparam Virginem nuncupare, ſiue Chriſti matrem. Cum enim Chriſtus ſit Deus, cum Chriſti matrem dicimus, Deiparam abſque dubio appellamus. Graſſante hæreſi cautio maior opus erat, ne ſub melle venenum propinaretur, ſubque viridi herba anguis, id eſt, ſub vera appellatione hæreſis, lateret. Lege ſi placet ſynodi Epheſinæ acta, in qua aduerſus Neſtorium agitur. Apud diuum Cyrillum in lib. Apologetico anathematiſmum hunc leges; *Si quis Emmanuelem non confitetur eſſe verum* Deum, *& propterea Dei genitricem ſanctam Virginem, (peperit enim ſecundum carnem factum* Dei *verbum, ſecundum quod ſcriptum eſt; Verbum caro factum eſt) anathema ſit.* Sed propoſito iam matris Dei titulo veluti principio, ad reliqua gradum faciamus.

Vincentius Lirinenſis.

Virgo Dei mater dicitur, quod Chriſtũ Deũ pepererit.

D. Cyrillus.

D. Damaſc.

Virgo dicitur Deipara, & Chriſtipara.

Euagrius.

D. Cyrillus.

CAPVT III.

De *parentibus Virginis, eiuſdemque Conceptione immaculata.*

CVm eximius Rex Dauid de templo à Salomone exædificando faceret verba, principium ex his verbis duxit; *Opus grande eſt; neque enim homini præparatur habitatio, ſed* Deo. Hinc nos quoque de animati admirandique templi exædificatione locuturi, exordium capere par eſt. Opus grande erat, opus admirabile generanda Virgo, in qua non homini, ſed Deo habitatio præparabatur: omnia igitur in ea grandia, omnia magna, omnia admirabilia, conceptionem, natiuitatem, vitam, mortem, gratiam, gloriamque eſſe oportebat. Vt verò oportebat, ſic magna, admirabilia, & glorioſa omnia extitere; iuxta illud: *Glorioſa dicta ſunt de te ciuitas Dei.* Ecquam aliam (ait Damaſcenus orat. prima de dormitione Virginis) Dei ciuitatem intelligemus, quam eam quæ Deum ſuſcepit? de qua glorioſa ab ipſo Domino dicta ſunt. Omnia tua (ait Germanus Conſtantinopolitanus Archiepiſcopus in oratione de Zona virginis) ſunt admirabilia ô Deipara, omnia ſupra naturam, omnia ingentia, & aliorum vires ſuperantia, &c. *Fecit mihi magna* (canit Virgo ipſa) *qui potens eſt;* quia magna fecit in ea, & inuſitata Deus, maximeque in ea ſuam excreuit potentiam. Magna ergo, & inuſitata fuit illius conceptio; glorioſæ huius ciuitatis glorioſum fuit fundamentum. *Fundamenta muri ciuitatis* cœleſtis, *omni lapide pretioſo ornata* dicuntur Apoc. 21. eundem in modum Virginis fundamentum, id eſt, conceptio, multorum priuilegiorum gemmis enituit.

Gemma prima, qua fundamentum hoc ſplenduit, eſt matris ſterilitas, quocirca à Damaſceno Oratione prima, de Natiuit. Virgo ſterilitatis fœtus nominatur. Fuere autem Deiparæ parentes Ioachim & Anna; quos Damaſcen. Orat. 1. Ob caſtitatem ſingularem par turturum appellat, & maxime laudat, his verbis: O caſtiſſimum (inquit) par turturum ratione præditarum, Ioachim, & Anna. O par beatum, vobis omnis creatura obſtricta eſt; per vos enim dono omnium donorum præſtantiſsimum creatori obtulit, nempe caſtam matrem, quæ ſola creatore digna erat. O beatum Annæ vterum, qui viuum cœlum cœlis ipſis latius peperit, &c. Virginem viuum cœlum appellat, ſed ex terrena Annæ & Ioachimi ſubſtantia factum, quemadmodum cœlum ex aquis olim eſt conditum. Ex terrena (inquit) natura cœlum, id eſt, Virginem, in terra ille condidit, qui olim firmamentum ex aquis fixerat, atque in altum extulerat, ac ſanè hoc illo longè diuinius eſt, nam iuſtitiæ Sol, qui in illo ſolem effecerat, ex hoc ortus eſt, &c. Quanta verò virtute præditi parentes hi Virginis fuerint, ex ipſo fructu colligit idem Damaſc. eadem oratione; ex fructu enim arbor agnoſcitur, optimæ ergo arbores Ioachim & Anna, ex quibus eximius fructus productus eſt. Ex ventris veſtri fructu immaculati agnoſcimini (ait Damaſcenus) O Ioachim & Anna: quemadmodum Chriſtus dixit: *Ex fructibus eorum cognoſcetis eos.* Vt Deo gratum erat, ac dignum ea quæ à vobis orta eſt, vitæ veſtræ rationes inſti-

Pſalm 86. Damaſcen.

Germanus.

Luca 1.

Apoc. 21. Conceptio Virginis, fundamentum ciuitatis Dei gemmis exornatum.

D. Ioachim & Anna parentes Deipara.

Virgo ſola mater creatore digna. D. Damaſc.

De parentibus Virginis.

Damaſcen. Matth. 7.

inſtituiſtis;caſtè enim ac ſanctè munere veſtro functi, virginitatis theſaurum produxiſtis,&c.

Nicephorus l.1.c.7. De iiſdem Deiparæ parentibus Nicephorus hæc ſcribit: Ambo erant accuratiore vita præſtantes,nec non primis quibuſque & ſplendidiſsimis,nobiliſsimiſque genere connumerati. Similiter Greg. Nyſſenus in oratione de Chriſti natiuitate,ex arcana quadam hiſtoria,ait patrem Virginis inſignem fuiſſe,in illa exacta ſecundùm legem veterem viuendi ratione;& nobilem propter ſummam virtutem. Autor item libri de Oritu Virginis tom.4.Hieronymi: Vita(inquit)Ioachimi,& Annæ ſimplex,& recta apud Deum;apud homines irreprehenſibilis erat,& pia. Nam omnem ſubſtantiam ſuam trifariam diuiſerunt,vnam partem templo, & templi miniſtris impendebant,aliam peregrinis & pauperibus erogabant,tertiam ſuæ familiæ vſibus reſeruabant,&c.

Nyſſenus.

Adrichomius. Quo in loco hi parentes Deiparæ orti fuerint ſi quæras,reſpondet Adrichomius de tribu Zabulon ſcribens,in vrbe Sephoro ortos. Sephorus(inquit) eſt vrbs opulentiſſima,& totius Galilææ maxima, in meditullio regionis tutiſsimo loco ſita,natalis vt putatur,beatorum Ioachimi & Annæ. Verum id ſequendum,quod Romanum tradit Breuiariũ lect. 4.de Anna: *Anna Gazari filia, ex tribu Iuda in Bethlehem nata, Ioachimi vxor,qui & ipſe ex eadem tribu Galilæus erat, ex Nazareth;ambo ex ſtirpe regia,* &c.

D. Anna ſterilis fuit. Cum eximia virtute coniuncta erat Diuæ Annæ ſterilitas, qua,vt ait Damaſcenus Oratione prima de dormitione Virginis, ſignificabatur gratiam eatenus ſterilem fuiſſe, & infœcundam;nomen enim Anna,Hebræis gratiã ſonat. Anna(inquit Damaſc.) quę gratiã ſonat,non minus morum,quã matrimonij iugo,cum Ioachim copulata erat;verum quamuis omni virtutum genere floreret, tamen arcana quadam ratione,ſterilitatis morbo tenebatur. Etenim ſterilis vere gratia erat,vt quæ in hominum animis fructum edere minime poſſet, &c. Depulſa eſt ab Anna ſterilitas cõceptu optatiſsimo,quo Virgo concepta eſt;eoque fœliciſsimo eſt adumbratũ, ſterilitatem gratiæ eſſe depellendam. Damaſc. eadẽ Orat. ſterilitatis depulſio ab vtero Annę apertiſsimè indicabat,fore vt bonorum ſterilitas, qua mundus laborabat,ſubmoueretur,arcanæque beatitudinis ſeges produceretur,&c.

Damaſc.

Cur Virgo ex ſterili matre orta ſit. Damaſcen. Cur verò & matre ſterili orta fuerit Virgo, ſi roges;rationem reddit Damaſc.ſcilicet,vt ad incarnationis ſummũ miraculum,per miraculum hoc fieret gradus. In Oratione prima de Natiuit. Virginis; Quid eſt (inquit)cur Virgo ex ſterili matre orta ſit? quoniam ſcilicet oportebat,vt ad id quod ſolũ ſub Sole nouum erat,ac miraculorum omnium caput, id eſt,ad incarnationem,via per miracula ſterneretur,ac paulatim ab humilioribus, ad ſublimiora, progreſſus fieret. Addit etiam aliam cauſam,quia videlicet natura,voluit gratiæ in conceptu Virginis cedere; vt Virginis conceptio gratiæ Dei, non naturæ viribus tribueretur. Natura(inquit) gratiæ cedit,ac tremula ſtat,progredi non ſuſtinens; quoniã itaque futurum erat,vt Dei genitrix ex Anna oriretur,natura gratiæ fœtum anteuertere minimè auſa eſt,verùm tantiſper exſtauit,dum gratia fructũ ſuum produxiſſet. Tertia cauſa ex Angeli verbis,qui Ioachimo apparuiſſe dicitur in libro de ortu Virginis,elici poteſt. *Cum alicuius vterũ* (ait Angelus) *claudit Deus,ad hoc facit,vt mirabilius denuo aperiat; & non libidinis eſſe quod naſcitur, ſed diuini muneris cognoſcatur,* &c. Orta ergo eſt Virgo ex ſterili matre,vt non ex carnis cõcupiſcẽtia,ſed ex diuina gratia,mirabiliter oriretur.

Beda. Id quod de Ioanne Baptiſta in hanc ſententiam Beda dixit,in homilia de eius vigilia, de Virgine dici poteſt: Diuinitus (inquit) procuratum eſt, vt ex ſterili matre & vtroque parente prouectioris ætatis Ioannes naſceretur;quatenus etiam ortus eius miraculo pateſceret, virum magnæ virtutis futurum eſſe,qui naſcebatur,vbi deſinente omni concupiſcentiæ carnalis laſciuia,conſtaret,quia nulla in cõceptione cauſa voluptatis,ſed ſola cogitata ſit ſpiritualis gratia prolis,&c. Eundem in modum diuinitus procuratum eſt, vt ex infœcunda matre Virgo in lucem ederetur, vt ſumma Virginis puritas, & ſanctitas indicaretur;quæ tunc orta eſt,cum deſinẽte in parentibus omni concupiſcentiæ carnalis laſciuia,conſtabat,quia nulla in conceptione cauſa voluptatis, ſed ſola cogitata fuerat ſpiritualis gratia prolis. Quadrat etiam in Virginem illa Chryſologi de eodem Ioanne laus Serm.91.Eliſabeth partus nõ eſt ablatus,ſed dilatus,donec tranſiret tempus carnis,voluptatis cauſa,cupiditatis ſenſus;mundabatur enim longo tempore ſanctitatis hoſpitium;parit caſtitas,&c. Muta nomen Eliſabethę in nomen Annę: Annæ partus non eſt ablatus,ſed per ſterilitatem dilatus,donec tranſiret tempus carnis, & cupiditatis: caſtiſſimuſque vterus Virgini concipiendæ pararetur. Caſtitati igitur Virginitatem peperit; id eſt, Anna Deiparam. Nicephorus lib.1. cap.7. Virgo(inquit)ex membris ſenilibus,& longè à naturæ feruore alienis,tanquam quidam diuinitus datus fructus, producta eſt,&c.

Chryſolog.

Nicephorus.

Beda. Quartam cauſam collige ex dictis Bedæ eadem homilia: Ait enim matres ſteriles peperiſſe,vt miraculo natiuitatis,natorũ dignitas noſceretur;& probarentur ſublimes in vita futuri,qui in ipſo vitæ exortu conditionis humanæ iura tranſcenderent. Ex ſterili ergo Anna,Virgo concepta eſt,vt conceptionis miraculo,eius præclariſſima dignitas demõſtraretur;vtque ea quæ non homines ſolũ, verũ Angelos etiam tranſcendit,in ipſa etiã conceptione conditionis humanæ iura tranſcenderet.

D. Epiphan. Secunda huius fundamenti, id eſt, conceptionis gemma,eſt Oratio;frequens enim oratio Virginem mundo impetrauit, vt docent Patres. Epiphanius hæreſi 79.Virgo(inquit)ex Ioachim donata eſt Annæ;quę per preces,& omnem diligentiam,ſecundũ promiſsionem,patri ac matri data eſt. Et Nyſſenus orat.citata:Expers(inquit)ſobolis Ioachim cõſenſcebat, quòd coniunx non eſſet apta ad liberorum procreationem; imitatur ergo matrem Samuelis, ſupplicat Deo,& donum quod petijt, accepit. Damaſc.lib.4.fidei cap.15. Quemadmodum priſca illa Anna,cum ſterilitatis morbo laboraret, per orationem,ac promiſſionem Samuelem procreauit; eodẽ modo Anna mater Virginis, per obſecrationem,& promiſſionem,Dei genitricem à Deo accepit;vt ne hac quoque in re illuſtribus matronis cederet, &c. *Deprecatus eſt Iſaac dominum pro vxore ſua, eò quòd eſſet ſterilis;qui exaudiuit eum, & dedit conceptum Rebeccæ.* Preces ſterilitatem Rebeccæ, preces ſterilitatem Annæ illius,quæ Samuelem peperit,preces noſtræ quoque ſanctiſſimæ Annæ,infœcunditatem depulere.

D. Gregor. Nyſſenus.

Damaſc.

Genes 25.

Virginis conceptio precibus,ac ieiunio impetrata.

Sterilitatẽ ex corpore,ſterilitatem ex mente quoque pellit oratio.infœcunditatem agrorum pluuia, mentium oratio fugat. *Pluuiam voluntariam ſegregabis Deus hæreditati tuæ;infirmata eſt, tu vero perfeciſti eam.* Vt pluuia,ſic oratio,Dei irrigat hæreditatem;infirmata eſt & ſterilis;oratione perficitur, & fœcunditatem conſequitur: *Lignum quod plantatũ eſt ſecus decurſus aquarum fructum dabit in tempore ſuo;* ſic animus ſecus orationis decurſum conſtitutus.

Pſal.67.

Pſalm. 1.

Germanus. Orationi ieiunium additum, ait Germanus Archiepiſcopus Conſtantinopolitanus in encomio Virginis: *Meus* (inquit Anna) *coniux*, id eſt, Ioachim, *cum eſſet ſolus in monte, & ieiunaret quadraginta dies, eadem à Deo petebat ſupplex,* &c.

Tertia Gemma est, conceptionis Angelica annunciatio. Epiphanius hæresi 79. Historia Mariæ (inquit) & traditiones habent, quod dictum est Ioachim in deserto; *Vxor tua concepit*; hoc ab Angelo dictum addit idem Epiphanius. Damasc. in Orat. prima de dormitione Virginis; Angelus conceptionē Virginis parentibus nunciat; conueniebat enim vt hic quoque nulli ea cederet, quæ Deum esset paritura. Præterea Author libri illius de ortu Virginis, qui inter Hieronymi opera extat, narrat Ioachimū à Pontifice ob infœcunditatem despectui habitum, ac repulsum, ad pastores in pascua sua abijsse; atque eo loco de optatissima Virginis cōceptione ab Angelo certiorem factum. Germanus archiepiscopus Constantinopolitanus in encomio Virginis: *Dominus flexus amborum precibus*, id est, Annæ, & Ioachimi, *misit Angelum, qui prænunciaret filiæ conceptionem.* Siquidē ex diuinis literis scimus Samsonis, Ioannis Baptistæ, & Isaac conceptionem diuinitus nunciatam parentibus; par est credere, hac etiam in re Virginem reliquos superasse. *Angelus is, qui Isaac conceptionem nunciauit, apparuit Abraham sedenti in ostio tabernaculi sui, in ipso feruore diei.* Sic etiam verisimile est Angelum Gabrielem Ioachimo & Diuæ Annæ visum in ipso orationis & amoris erga Deum feruore; conceptumque Deiparæ promisisse. *Idem Gabriel Baptistæ conceptionem Zachariæ nunciauit, à dextris altaris incensi stans.* Deiparæ verò conceptionem parentibus promisit, cum in ipsis cordibus veluti aris, suauissimum suffimentum, id est, orationem, Deo imposuerant. Gabrielem autem Angelum D. Annæ Virginis cōceptum nunciasse scribit Pantaleon, apud Metaphrastem in oratione de sancto Michaele.

D. Epiphan. *D. Damasc.* *Virginis conceptio ab Angelo est prænuntiata.* *Germanus.* *Genes. 18.* *Lucæ 1.* *Pantaleon.*

Quarta Gemma est rationis vsus, etenim verisimile est, Virginem nullo tempore rationis vsu caruisse, in ipsoque conceptionis instanti, eo donatam esse; qua de re diuum Bernard. loquentem audiamus, tomo 2. Serm. 51. cap. 2. Ex dictis sequitur, quod beata Virgo etiam dum erat in vtero matris habuit vsum liberi arbitrij, atque lumen perfectum in intellectu, & ratione. Et Serm. 61. tom. 1. artic. 3. cap. 3. Tanto (inquit) lumine illustrata fuit beata Virgo: cū etiam esset in ventre matris; quòd non tantum plena fuit lumine rationis, sed etiam altissimę contemplationis, &c. Dionysius Carthusianus in lib. de laudibus Virg. art. 12. tom. 1. operum minorum. Si Ioannes (inquit) adhuc in vtero matris Christum cognouit, & exultauit, vsu rationis miraculosè præuentus; cur non amantissima Dei, quæ à nullo illustrium vincitur; imò superat vniuersos, credatur ex supernaturali illuminatione ante solitum tempus vsu rationis frequenter præuenta, & ante coætaneas suas assiduum & completum rationis vsum sortita. Argumentatur Dionysius à Ioannis priuilegio, quoniam vt ait Bernardus Epistola 174. quod vel paucis mortalium constat fuisse collatum, fas certè nō est suspicari, tātæ Virgini fuisse negatum, &c. Sic Ambrosius lib. 2. in Lucam ait, Ioannem infantiæ impedimenta nescisse; cur de Deipara Virgine nos non dicamus, vsus rationis impedimenta in vtero ignorasse?

Virgo in ventre matris rationis vsu donata. *D. Bernar.* *Dionysius Carthusian.* *D. Bernard.* *D. Ambros.*

Opinio D. Thomæ. D. Thomas 3. p. quæst. 27. art. 3. aliud sentit; Virgo ait non statim habuit vsum liberi arbitrij, adhuc existens in ventre matris, hoc enim est speciale priuilegium Christi. Verùm licet sit priuilegium Christi, cùm sit Ioanni tributum, in vtero matris vsum rationis habere, vt infra suo loco dicetur; Virgini quoque non sine ratione tribuetur. Confirmatur ex probata reuelatione D. Brigittæ, quæ apud Dionysium extat art. 6, in qua hæc sunt Virginis verba: *Cùm anima mea sanctificabatur, & suo corpori iungebatur, tanta animæ meæ aduenit lætitia, vt impossibile sit effatu, &c.*

D. Brigitta.

A Sicùm anima Virginis in corpore à Deo creata est, in ipso conceptionis instanti, summa lætitia affecta est, sanè iam tunc rationis iudicio pollebat. Confirmatur præterea, quia si Virgo in sua cōceptione vsu rationis caruit, inferior hac in re Angelis omnibus fuit. Omnes enim Angeli ipso instanti, quo sunt cōditi, intelligendi vsum habuere. Habuere Angeli, ergo credi potest habuisse etiam Virginem; ne hac re ab Aegelis superetur. Quamobrem merito dicitur *amicta Sole*, amicta, inquam, omni ex parte; quia siue in vtero, siue extra vterum, Solis, id est, rationis splendore ac vsu non caruit: *Thronus eius sicut Sol.* Virgo Christi thronus, Soli similis fuit; quia sicut Sol semper habet splendorem, ita illa semper habuit rationis vsum. Hac de re sic scribit Iacobus episcopus Christopolitanus, in Canticum Virginis, ad illa verba: *Fecit mihi magna*, &c. Gratiam (inquit) merendi confecutus est Ioannes in sexto mense suæ conceptionis, & in quarto mense à sua animatione; ergo perfectius consecuta est virgo in vtero matris. scilicet, quòd si Ioannes incepit vti libero arbitrio in quarto mense suæ animationis; ergo Virgo incepit ante quartū mēsem, quia in aliquo debuit excedere Baptistam. Et ideo dicunt quidam contemplatiui viri, quòd Virgo in sua prima sanctificatione consecuta est hanc gratiam simul cum cæteris, & illico incepit vti libero arbitrio, & mereri, quia debuit excedere Ioannem, & quia per nullum tempus debuit cessare ab actu merendi in vigilia, &c.

Apoc. 12. *Psalm. 88.* *Episcopus Christopolitanus.*

C Quinta Gemma in conceptione maximè fulget, ea est gratia, omnium virtutum margaritis circumsepta, nam quod de Angelis dixit D. August. lib. 12. de ciuitate cap. 9. Deus Angelos cum bona voluntate, id est, cum amore casto, quo illi adhærent, creauit; simul in eis & condens naturam, & largiens gratiam; de Virgine quoque, quæ omnibus præcellit Angelis, verisimum est. Virginis Deus animam cum bona voluntate, charitateque creauit; simul in ea condens naturam, & largiens gratiam, priuilegio singulari, quod Dei futuram matrem maximè decebat. Alia erat olim sanctuarij mensura, alia vulgaris, Leuit. 27. *Dabit quinquaginta siclos, ad mensuram sanctuarij.* Leuit. 5. *Emi potest duobus siclis iuxta pondus sanctuarij.* Leuit. 27. *Omnis æstimatio sicli sanctuarij ponderabitur*, &c. Si diuersa erat sanctuarij mensura à vulgari, diuersa quoque esse debet mensura, qua sanctissimæ Virginis, id est, diuini sanctuarij, & Matris Dei, res metimur à mensura illa, quam reliquis fœminis, hominibusque adhibemus. Omnis æstimatio Virginis pondere sanctuarij ponderabitur. Reliquarum fœminarum, & hominum, illa mensura est, illud pondus. *Ecce in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea*; Et illud, ex versione Septuaginta interp. *Quis mundus erit à sorde? at nemo, si & vnus dies vita eius in terra*; Illud item; *Omnes in Adam peccauerunt, propriumq; in se originale peccatum contraxerunt*: At sanctuarij Dei, id est, Virginis, non est hæc mensura, non est hoc pondus; sed: Ecce enim in gratia concepta sum; &, in splendoribus sanctorum concepit me mater mea. Quis mundus à sorde? Virgo sanctissima. Omnes in Adam peccauerunt; Virgo tamen ex Adamo nullam in se contraxit labem. Ezech. 43. *Hæc est lex domus in summitate montis; omnis finis eius in circuitu Sanctum sanctorum est.* Hæc (inquam) est lex Virginis Deiparæ, quæ domus Dei est, in celsissimo sanctitatis monte exædificata; *omnis finis eius in circuitu*, conceptio, natiuitas, vita, cogitationes, verba, opera omnia, *Sancta sanctorum*, hoc est sanctissima, ab omniq; peccato, siue originali, siue actuali remotissima sunt. Esther 15. *Non morieris*, (ait rex Esther reginæ) *non enim pro te, sed pro omnibus, hæc lex constituta est; accede igitur, & tange sceptrum*, &c.

Leuit. 27. & 5. *Psalm. 50.* *Iob 14.* *Virgo peccatum originale non contraxit.* *Ezech. 43.* *Esther 15.*

hæc

hæc Aſſuerus Eſtheri, Deus autem matri futuræ; Non morieris ait, peccati etiam originalis mortem effugies; quòd ſi lex obſtat, non pro te, ſed pro cæteris hæc lex conſtituta eſt. Similem mihi te eſſe volo, originis peccatum longe à mea, longe à tua quoque conceptione aberit. Sceptrum tetigit Eſther; crucẽ tetigit Virgo, quæ præſeruationis cauſa fuit.

A lege filium cum dolore pariendi, à lege Virginitatem in partu amittendi, à lege ex viro concipiẽdi, à lege quoque, quæ corpus in cinerem redigit, à lege, quæ cadauer in ſepulchro ad iudicium vſque retinet, excepta Virgo eſt; cur à lege quoque peccati originalis non excipietur? A regula illa Ioannis: *Si dixerimus quod peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus;* & ſimilibus, excluditur Virgo; cur non etiam ab illa Pauli: *Omnes in Adam peccauerunt,* & huiuſmodi aliis excludetur? Si terræ Reginis multa priuilegia conceduntur, quid ni credamus inter alia multa, hoc etiam priuilegium, cœli reginæ conceſſum eſſe? Auguſta (ait Vlpianus in lege princeps .ff. de legibus) licet legibus ſoluta non ſit, princeps tamen eadem priuilegia illi concedit, quæ ipſe habet, &c. Sine peccato Chriſtus conceptus eſt, quod ipſe habuit, auguſtiſſimæ matri conceſſit. Ipſe tamen tum ex vi conceptionis ex Spiritu ſancto, tum ex vi diuini ſuppoſiti, quod in natura ſibi coniuncta peccatum ferre nulla ratione poterat, ſine peccato originali conceptus eſt; Virgo autem, nec ex vi conceptionis, neque ex vi ſuppoſiti, ſed ex diuina miſericordia labem effugit.

Rom. 5.

Vlpianus.

Neque verò opponas, ſequi Chriſtum non fuiſſe Virginis redemptorem; etenim fuit Chriſtus tum omnium hominum, tum vel maximè Virginis redemptor: Et Virginis quidem, modo quodam multo præſtantiori. Præſtantius enim eſt à peccato hominem liberare, antequã in peccatum incurrat; quàm poſtquam illo ſe contaminauit. Quemadmodum præſtantius eſt quempiam antequam in lutulentas ſordes incidat retinere; quàm poſtquam incidit, ex ſordibus extrahere; præſtantiuſque eſt fœminam in captiuitatem redigendam, antequam in manus hoſtium veniat, tueri ac eripere; quàm poſtquam captiuitatis iugum ſubiit, in libertatem vindicare. Non ſubiit Virgo vnquam peccati iugũ, ex humani generis generali captiuitate erepta eſt, tartarei ſerpentis flatu non eſt infecta; quippe quę caput illi diuina gratia contriuerit, iuxta illud Geneſ. 3. *Ipſa conteret caput tuum.* Nam ſerpentis caput merito peccatũ originale appellari poteſt, quia principium & ſeminarium peccatorum eſt. Quamobrem Dauid ait: *Ecce enim in iniquitatibus conceptus ſum;* quia videlicet peccati originalis effectus, effrenata concupiſcẽtia, omnium malorum fons eſt. *Iudith,* quæ Deiparæ typus fuit, *Holopherni amputauit caput, Iahel Siſaræ caput clauo transfixit.* Virgo ſerpentis caput contriuit; hoc contrito ne leuiſsimæ quidem culpę morſu illam lędere valuit.

Chriſtus Virginis eſt redemptor modo præſtantiſsimo.

Caput ſerpẽtis, id eſt, peccatum originale Virgo contriuit.

Pſalm. 50.

Iudic. 4.

Vna mulier Hebræa fecit confuſionem in domo Regis Nabuchodonoſor, &c. Vna mulier, ſingularis mulier, cui nulla ſimilis, Virgo Deipara, cõfuſionem fecit in domo diaboli. Non potuit autẽ diabolus vllius peccati cõfuſionem in domo Virginis facere, ita enim obſeruauit potentiſſima Dei manus fores Virginis, vt nulli in eius domũ peccato aditus vnquam patere potuerit; iuxta illud: *Confortauit ſeras portarũ tuarũ.* Ita eam in primo conceptionis puncto armauit, vt peccati originalis telũ ſanctiſſimã animam tãgere nequiuerit; armauit (inquam) gratia, quam in illo primo inſtanti copioſè cum omnibus virtutibus coniunctã largitus eſt. Gratia autem aduerſus peccatũ originale, nulla potentiora arma eſſe poſſunt; nam vbi gratia adeſt, originale peccatum locum habere nequit.

Iudith 14.

Pſal. 146.

Virginem igitur gratiæ thorax fortiſſimus à pec- *Gratia Virginẽ aduerſus peccatũ originis armauit, at protexit.*
cato defendit, Virginem gratiæ ſcuta protexerunt. *Aſtitit regina à dextris tuis in veſtitu deaurato, circumdata varietate;* ſtatim in primo conceptionis inſtanti, regina noſtra à dextris Dei aſtitit; numquam ne puncto quidem temporis aſtitit à ſiniſtris, tunc veſtitu induta eſt gratiæ deaurato, tunc circumdata eſt omnium virtutum varietate. Diuus Hieronymus eodem Pſalm. 44. quod Septuaginta verterunt, varietatem, vertit ſcutulatas veſtes, hoc modo: *Faſciis aureis veſtita eſt, in ſcutulatis ducetur ad regem.* Scutulatæ autem veſtes dicuntur, quia orbibus, & ſcutulis diſtinctæ erant. Faſcijs charitatis aureis in ipſo matris vtero veſtita eſt Virgo, & ſcutulatis gratiæ veſtibus amicta. Scutulatæ autem veſtes gratiæ merito appellantur, quia mille ſcuta peccato opponit gratia; tot verò ſcuta originalis culpæ ſpicula penetrare non potuere. *Mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium.*

Pſal. 44.

Cant. 4.

Anna, vt diximus, gratiam ſonat: filia Annæ, id eſt, gratiæ, eſt Virgo, quia gratia Virginem veluti concepit, & peperit; peccatumque originis excluſit: *Fecit Beſeleel arcam;* be ſignificat, *in,* ſel, *vmbram,* el, *Deum:* Beſeleel autem, idem eſt, quod *in vmbra Dei;* Beſeleel ergo arcam fecit, quia in vmbra Dei, id eſt, in gratia Dei, facta & concepta eſt Virgo arca Dei; virtus enim Altiſsimi obumbrauit illi. In pupilla oculi ne leuiſſimam quidem feſtucam toleramus; dilectiſſima Deo Virgo, pupilla oculi Dei fuit; non ergo peccati originalis feſtucam, ſiue potius trabem, in ea pertulit. *Gloriosa dicta ſunt de te ciuitas Dei.* quænam glorioſa? vt alia omittam, id glorioſum de ea dicitur, quòd ciuitas fuit Dei, & ſemper Dei; quòd in poteſtatem hoſtis numquam venit; quòd in montibus ſanctis fundamenta habuit, iuxta illud eiuſdem Pſalmi; *Fundamenta eius in montibus ſanctis.* Noſtra fundamenta in originali iaciuntur peccato, virginis fundamenta in montibus ſanctis ſunt collocata; in celſo gratiæ monte, in monte charitatis, in montibus virtutum reliquarũ. Eodem Pſal. *Diligit Dominus portas Sion, ſuper omnia tabernacula Iacob;* portas Virginis, id eſt, conceptionem, per quam anima in carnem, & Virgo in mundum eſt ingreſſa, dilexit Dominus, & gratia exornauit; ſuper omnia tabernacula Iacob, id eſt, ſuper omnes patriarchas populi Iudaici. Cum regina in vrbem ingreditur, portæ omnes aulæis pretioſis, picturis, triumphalibuſque fornicibus exornantur; eundem in modum, cùm regina mundi mundũ eſt ingreſſa, porta per quam eſt ingreſſa, videlicet conceptio, omnium virtum picturis decorata eſt; triumphaliſque gratiæ fornix eſt in ea excitatus, illius triumphi index, quem præclariſsimum de Satana, ipſo in vitæ limine reportabat.

Virgo in gratia eſt concepta.

Pſal. 86.

Pſalm. 86.

Tenebræ erant ſuper faciem abyſsi, dixitq; Deus fiat lux, & facta eſt lux, quemadmodum mundus informis, ac tenebroſus conditus eſt; ita animus hominis, poſt peccatum Adami, informis abſque gratia conditur, & tenebris originalis culpæ circumfunditur. Tenebrę olim erant ſuper faciem abyſſi, & tenebræ peccati originalis ſunt ſuper faciem animi, quouſque dicat Deus, fiat lux; fitque gratiæ lux clariſſima. In reliquis hominibus, poſt aliquod à cõceptu tẽpus, ait Deus, fiat lux, & fit lux. At in Virgine, ipſo primo cõceptionis inſtanti, dixit; fiat lux; & facta eſt ante omnes tenebras, lux ſplendidiſsima. Cæteris cœlis lux ſolis defuit, ad quartam vſque diem, qua Deus Solem cõdidit, & aſtra; empyreum verò cælum ſedes Dei, in luce conditum eſt, nec vnquam illa caruit; vnde à luce nomen empyrei, id eſt, ignei, habet. Cæteris cœlis ſimiles ſunt cæteri homines, gratię Sole, virtutũque aſtris aliquo tẽpore carẽt; at Virgo empyreũ

Geneſ. 1.

Peccatũ originale tenebræ ſuper faciem abyſſi.

cœlum, Deiq́ue ſedes, gratiæ luce caruit numquam: ſplendida ſemper ab ipſo conceptionis fœliciſſimę puncto, ſemper ignea fuit.

Qui hac de re diſputationem deſiderat, Scholaſticos Doctores legat; de vulgata quęſtione diſputare non eſt animus. Mihi hæc ratio ſatis eſt; Mater Dei eſt Virgo; omnia ergo priuilegia quæ decent Dei matrem, quibuſque Eccleſia fauet, illi tribuenda ſunt. decet hoc, fauet maximè Eccleſia, igitur tribuendum. Qualis finis eſt, talia & media; finis ad quem Virgo eſt electa, ſupremus, & inauditus fuit, nempè vt Mater Dei eſſet; quid igitur mirum, ſi ſuprema & inaudita media poſtulauit? Auguſt. lib. 3. de libero arbitrio cap. 5. Quidquid (inquit) tibi vera ratione melius occurrerit, id ſcias feciſſe Deum, bonorum omnium cõditorem. Vera ratione nobis melius occurrit, Virginem nulla peccati originalis labe fuiſſe inquinatam; id ergo ſciamus feciſſe Deum.

Omnia priuilegia, quæ decent Matrẽ Dei, quibuſque Eccleſia fauet, Deiparæ Virgini ſunt tribuenda. D. Auguſt.

Decuit ſanè aliquam eſſe puram creaturam, quę per Chriſti merita, omnibus numeris abſolutiſſimam innocentiam, & ab omni etiam originali peccato liberationem conſequeretur; dãdum ergo hoc Deiparæ. Idq́ue poſtulabat ordinis decor, Chriſtus ab originali peccato, & in cauſa, & in effectu, liber eſt, reliqui homines, & in cauſa, & in effectu, illi ſunt obnoxij; Virgo in cauſa habuit, in effectu caruit. habuit, inquam in cauſa, quia ex Adamo, ſolito generandi modo originem traxit: caruit, quia diuina gratia eo inſtanti, quo peccatum fuerat contrahendum, eſt exornata. Deus voluit corpus Virginis ingenti miraculo, & in partu intemeratum, & in morte incorruptum permanere; qui tantam geſſit curã corporis, mentis etiam curã ita geſſiſſe par eſt credere, vt peccati maius dedecus ab ea pelleret.

D. Bonauentura.

D. Bonauentura, in 3. Sentẽt. d. 3. quæſt. prima, congruũ (inquit) fuit, vt Mater filij Dei ſic eſſet immaculata mente, ſicut intemerata carne, &c.

Hoc flagitat honor Matri Dei debitus, quæ ſanctificationem Ioannis Baptiſtæ magno interuallo debuit ſuperare. Ioannes Baptiſta ſexto menſe eſt ſanctificatus in vtero, ergo Virgo, vt ſit magna aliqua ſanctificationis præcellentia, ſanctificari debuit ipſo primo conceptionis inſtanti. Cecidit in peccatum originale Ioannes, ſed poſt caſum erectus à Deo eſt; ſi poſt caſum quoque erecta eſt Virgo, quid maius illi contulit Deus, quam Ioanni? Credendum ergo eſt, Virginem non cecidiſſe; vnde illud apud D. Bonauenturam 3. d. 3. quæſt. 2. ex quorundã ſententia: Alij poſt caſum erecti ſunt, Virgo quaſi in ipſo caſu ſuſtentata eſt, ne caderet: *Rex Aſſuerus feſtinus exiliuit de ſolio, & ſuſtentauit Eſter vlnis ſuis*; eundem in modum ſummus Rex Deus, cũ videret virginem in peccatum, niſi ſuccurreret, caſuram; feſtinus accurrit, eamq́ue infuſa gratia ſuſtentauit: *Adiuuabit eam Deus mane diluculo*: non eſt cunctatus Deus, in auxiliũ Virginis properauit; manè, diluculo, in ipſa conceptione illam iuuit, ac ne laberetur potentiſſima dextra tenuit.

Alij poſt caſum erecti, Virgo antequam caderet ſuſtentata. Eſther 15. Pſalm. 45.

Id conſtat (ait Dionyſius lib. 1. de dignitate Virginis, art. 8.) quod tantum dedit Chriſtus matri, quantum, tantum, ac talem filium dare decuit genitrici ſuæ; hoc autem donum dare decuit, ergo dedit. Procul oleum à ſerico, ex quo regia veſtis confici debet, ne maculet; ergo procul peccatum à Virgine, ex qua regia humanitas ſumenda erat. *Fluminis gratiæ impetus*, vt eſt in Pſalm. *Lædificauit ciuitatem Dei*, qui impetus originale peccatum fugauit, neque enim gratiæ impetum fortiſſimum, ignauũ timidũq́ue peccatum ferre potuit. Vnde ſequitur: *Sanctificauit tabernaculum ſuum altiſſimus*, poſuit prodigia ſuper terram, arcum dæmonis contriuit & confregit, arma & ſcuta combuſsit igne, ne Virgini nocere vnquam poſſent: *Hæc dicit Dominus de rege Aſſyriorum: Non intrabit ciuitatem hanc, & non iaciet ibi ſagittam.* Non intrauit is, *qui rex eſt ſuper filios ſuperbiæ*, vt eſt in lib. Iob, in ciuitatem hanc Dei, nec miſit peccati originalis ſagittam in eam. *Non permiſit me Dominus* (ait Iudith) *ancillam ſuam coinquinari*; ſed ſine pollutione peccati reuocauit me Dominus, gaudentem in victoria ſua, in euaſione mea; quæ verba egregiè Virgini congruunt, cuius typus fuit Iudith. Non permiſit Dominus ancillam, matremq́ue ſuam peccato inquinari, ſed ſine peccati originalis macula cõcipi voluit; gaudentem de euaſione ſua, & de victoria Dei. Etenim euaſio à peccato, Virginis fuit, at victoria Chriſti, illius enim præuiſis meritis, peccatum abſceſsit victum. Quemadmodum olim per mare rubrum euaſio Iſraelitarum fuit, ſed victoria Dei, qui Pharaonis exercitum maris rubri fluctibus demerſit, ita per mare paſſionis ſanguineum liberatio Virginis fuit, ſed triumphus Dei, qui peccatum originale ſanguinis Chriſti vndis, antequam Virginem attingeret, obruit. Inſequebatur Pharao Iſraelitas, & ſine dubio, niſi maris fluctibus à Deo mirabiliter fuiſſet oppreſſus, comprehendiſſet; ſimilem in modum, inſequebatur originale peccatũ Virginem, & quidẽ niſi ſanguinis Chriſti pręcogniti vndis fuiſſet admirando auxilio præoccupatum, illam contaminaſſet. Quamobrem merito cum antiqua illa Maria ſorore Moyſis canere poteſt Virgo: *Glorioſe magnificatus eſt Dominus, equum & aſcenſorem deiecit in mare, fortitudo mea & laus mea Dominus, & factus eſt mihi in ſalutem*, &c.

Iſaia 37. Iob 41. Iudith 13. Exod. 15.

Sexta Gemma eſt fomitis extinctio; eſt autem fomes ipſa carnis concupiſcentia, quæ ex peccato originali oritur, & ad peccatum impellit; quam ob cauſam peccatum à Paulo appellatur: *Quod habitat* (inquit) *in me peccatum*, id eſt, concupiſcentia, peccati effectus, & ad peccatum impellens. Vnde Auguſt. libro 1. de nuptijs, & concupiſcentia ca. 23. Concupiſcentia (ait) ſic vocatur peccatum, quia peccato facta eſt, cum iam in regeneratis nõ ſit ipſa peccatum, ſicut vocatur lingua, locutio, quam facit lingua, & manus ſcriptura, quam facit manus. Itẽq́ue, ſic vocatur peccatum, quia peccatum, ſi vincit, facit: ſicut vocatur frigus pigrum, quod pigros facit, &c. Appellatur quoque fomes peccati, quia quemadmodum fomes ignem, ita peccatum facilè concupiſcentia ni caueamus concipit. Dicitur etiã à Magiſtro lib. 2. Sententiarum, d. 30. lex membrorum, languor naturæ, lex carnis, & tyrannus; de hoc hoſte Auguſt. ſerm. 12. de verbis Apoſtoli: Multo eſt (inquit) mihi optabilius inimicum non habere, quam vincere; etſi ei fortè, adiuuante Deo non cõſentiam, nolo habere, cum quo litigem. quicquid in me rebellat aduerſus mentem meam, & litigat mecum delectatione cõtraria, quicquid tale in me eſt, omnino interficere volo, &c. Cupiebat Auguſtinus hoſte omnino carere. At tantum hoc bonum, Deiq́; donum nemo habuit præter Chriſtum, & Virginẽ matrem. In hominibus peccatum habitat (vt Paulus ait) hoc eſt concupiſcentia, ſiue peccati fomes: in Virgine, hoc eſt in domo Dei, tam fœdum habitatorem habitare non decebat. Fatetur Paulus habitare in nobis peccatum, id eſt, concupiſcentiã: expelli domo omnino non poteſt, ne regnet in nobis effici poteſt, ideoq́ue id Paulus flagitat: *Non regnet* (inquit) *peccatum in veſtro mortali corpore, vt obediatis concupiſcentijs eius.* in Virgine verò non ſolùm non regnauit, ſed nec habitauit. Vnde Richardus Victorinus in lib. 2. de Emmanuele, prima parte c. 31. Cæteris (inquit) ſanctis præcipitur, vt in mortali eorum corpore peccatum nõ regnet, ſoli Virgini ſingulariter

Fomes peccati concupiſcentia. Rom. 7. D. Auguſt. Magiſter Sentent. D. Auguſt. Virgo Deipara peccati fomitem non habuit. Rom. 5. Richardus Victorinus.

Dionyſius. Carthuſian. Pſalm. 45.

riter datur, vt mortale corpus eius, peccatum non A inhabitet, &c.

Non decebat vt eam, quæ mundi salutem erat paritura, malus ille naturæ languor male afficeret: nec decebat vt lex carnis, ea in carne aliquid imperij haberet, ex qua Spiritus sancti opera Christus erat producendus. denique æquum non erat, vt Tyrannus ille fomes, in Virgine illa aliquid haberet, aut iuris, aut tributi, quæ summi Regis, ac sacerdotis mater futura erat: *Genes 47.* *Ex eo tempore vsque in præsentem diem, in vniuersa terra Aegypti, regibus quinta pars soluitur, & factum est quasi in legem, absque terra sacerdotali, quæ libera ab hac conditione fuit,* &c. Reliqui agri tributum pendebant Pharaoni, sacerdotalis terra libera erat. Similem in modum, homines tributum pendunt Tyranno, id B est, fomiti, quem suprà diximus Tyrannum appellari; at terra sacerdotalis, terra summi Pontificis Christi, id est, Virgo, libera est, singulariqúe gaudet immunitate. Expulsum est à Virgine originale peccatum, simulque cum eo extinctus est eius effectus concupiscentia. Expulsa est ex domo Saræ nō sola Agar, sed simul cum filio Ismaele; expulsa est ex domo Virginis non sola originalis labes, sed simul cum filio fomite. Expulsa omnis inter spiritum, & *Ad Gal. 5.* carnem rixa, de qua Paulus: *Caro concupiscit aduersus* *Ad Rom. 7.* *spiritum.* &: *Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ*: Expulsa *desideria illa, quæ,* vt ait D. Petrus, *militant aduersus animam.*

1. Petri 2. *Psalm. 45.* Magna hæc, admirabilia hęc sunt, sed digna Vir- C gine: *Venite, & videte opera Domini, quæ posuit prodi-*

Summa in virgine pax nihil rebellauit Deo. *gia super terram, auferens bella vsque ad finem terræ.* Admiranda quidem sunt prodigia in hac sacerdotali terra, fœminam ex viro, & fœmina concipi, & tamen nec peccato originis infici, nec fomitem peccati habere, nec vel leuissimum aduersus rationem motum, in aliqua, vel corporis, vel animi parte sentire. *Richardus Victorinus.* Richardus Victorinus li. 2. de Emmanuele, parte prima, cap. 29. Quæ est ista, obsecro, terra, de qua bella omnia sine tenus auferūtur, nisi illa, de qua idem Propheta alibi protestatur, *veritas de terra orta est?* de hac terra omnis pugna tol- *Psalm. 147.* litur, in hac pax plena reparatur. hæc ille: *Posuit fines tuos pacem*, ita vt à fomite bellum nullum exur- D gere potuerit; Extinctus enim aduersarius bellum *Richardus.* inferre nequit, Richardus cap. 31. In cæteris Sanctis magnificum habetur, quod à vitijs non possunt expugnari; in Virgine mirificum videtur, quod à vitijs non potest ipsa vel in modico impugnari, &c. Aduerte tamen, Richardum existimare, fomitem Virgini tunc ablatum, cum Christum concepit, sic enim scribit cap. 27. Mira illa obumbratio Spiritus sancti fuit, quę sub vno momento deterſit, & exterminauit à Virgine, tam ignorantiam boni, quam concupiscentiam mali, &c. Eadem est sententia D. *D. Thom.* Thomæ 3. parte, quæst. 27. art. 3. quo loco ait in prima sanctificatione, scilicet in vtero matris, fuisse fomitem Virginis ligatum; in secūda verò sanctifica- E tione, hoc est, in Conceptione Christi, fuisse extinctum. At dignitati Virginis congruit magis, existimare tunc fomitem esse penitus extinctum, cùm illa concepta est.

Virgo in gratia cōfirmata ex vtero. Esther 5. Septima Gemma est, in sanctitate perpetua cōfirmatio. In ipsa namque Conceptione, gratia, admirabiliqúe sanctitate donata est Virgo, atque in ea in sempiternum singulari priuilegio confirmata: *Induta est Esther regalibus vestimentis.* Regalia virginis vestimenta, gratia, charitas eximia, reliquæ etiam virtutes, & Spiritus sancti dona sunt, quibus in ipso primo vitæ puncto ita induta cæli Regina est, vt ea nunquam postea vel exuerit, vel tenuissimo alicuius culpæ puluere respersérit: *Prouerb. 9.* *Sapientia ædificauit sibi domum, excidit columnas septem.* Non sine columnis, iisque firmissimis, Patris Sapientia sibi domum Virginis extruxit; adumbrant autem columnæ illam, quæ Virgini concessa est, in sanctitate firmitatem. Vt columnæ domum fulciūt; sic eximiæ virtutes, singulariséque Dei prouidentia, Virginem, ne vel in leuissimum peccatum laberetur, fulciebant. *Quæ est ista, quæ ascendit de deserto, deliciis* *Cant. 8.* *affluens; innixa super dilectum suum?* Videsne cui innitatur Virgo columnæ? *innixa* (inquit) *super dilectum suum,* super filium suum, super Deum suum; huic innitebatur, eiusque donis ac virtutibus & prouidentia sustentabatur.

Octaua Gemma est, amoris actus erga Deū eximius, cum eximia Dei contemplatione, & gratiarū B actione coniunctus. Si enim vsum rationis in ipsa conceptione, fidem, gratiam, virtutesque Virgo habuit, otiosa non fuit; Dei ergo summam bonitatem, ac maiestatem, & contemplari, & amoris actu excellentissimo statim diligere, gratiasque agere cępit. O Virginem admirandam, cuius intellectus in ipso primo vitæ limine Deum protinus contēplatus est, cuius voluntas in ipso conceptionis puncto, diuini ignis flamma exarsit, cuius idem fuit & viuendi, & Deum contemplandi, atque amandi, principium stupendum. O beatum intellectum, quem nullę vnquam obcæcarunt tenebræ, sed clarissima rationis, diuinæque contemplationis lux, vbi primū creatus est, statim illustrauit! O fœlicissimam voluntatē, quæ in eodem puncto temporis, quo esse cœpit, diuini ignis ardorem concepit. O Aquilam nobilissimam, quæ ex ipso nido, id est, matris vtero, rutilantem solem conspexisti, eiusque ardentissimis radiis inflammata, diuino amore exarsisti.

Virgo in vtero matris Dei amore exarsit, eumque mirabiliter contemplata est. D. Bernard. De Virginis autem in vtero matris contemplatione hæc scribit D. Bernardinus tom. 2. serm. 51. art. 1. cap. 2. Secundum quosdam (inquit) Virgo in vtero matris fuit in sublimiori contemplationis statu, quā vnquam fuerit aliqua creatura humana in perfecta ætate. Et tom. primo, sermone 61. Tanto (inquit) lumine illustrata fuit beata Virgo, cùm etiam esset in ventre matris, quòd non tantum plena fuit lumine rationis, sed etiam altissimę contemplationis, in quo quidem lumine perfectè hęc quatuor intellexit, saltem secundum genera singulorum, secūdum quosdam: Primò, naturam creatam irrationalem; secundò naturam creatam rationalem; tertiò, naturam creatam spiritualem; quartò, naturam increatam diuinalem, quæ distinctio cognitionem creatoris & omnis creaturæ in se comprehendit; quia in lumine creatoris cognouit omnes alias creaturas, sicut propheta ait: *in lumine tuo videbimus lumen.* Ad tantam enim contemplationem sublimata est, vt perfectius etiam in ventre matris contemplaretur Deum, quā vnquam fuit contemplatus aliquis in perfecta ætate. Hæc ille.

De terra cùm primùm condita est dicitur: *Terra* *Genes. 1.* *autem erat inanis & vacua*, sine vllo florum, arborum, animaliumque ornatu, aquarum fluctibus obruta. Huiusmodi terræ similes sunt reliqui homines, cum inanes, & gratia cœlesti vacui, virtutum floribus, & fructu carentes, originarij peccati veluti quibusdam vndis oppressi generantur. Virgo autem Dei para cum concepta est, protinus *hortus fuit conclusus*, vt est in Cant. & *fons signatus*; hortus, sed adhuc in- *Cant. 4.* tra materna viscera conclusus; fons, sed sacro Annæ vtero septus, & veluti signatus. Hortus non est terra inanis, & vacua, sed florum varietate, arborumque amœnitate, & fructu ornata; erat ergo Virgo in matris visceribus concluſa, hortus conclusus, in quo non Originarij peccati spinæ, sed virtutum flores, arboresque suauissimis onustæ fructibus ortæ sunt. Nullus vnquam hortus tam præcoces tulit fructus.

Cæteri post aliquot annos fructus pariunt, hortus autem hic eodem ipso temporis puncto, quo consitus est, fructus tulit vberrimos, excellentissimam fidem, Dei eximiam charitatem, singularē humilitatem, gratiarum pro beneficijs acceptis miram actionem. O fructus admirandum in modū præcoces; nimirum, vt ait Ambrosius li. 2. in Lucam: *Nescit tarda molimina Spiritus sancti gratia.* D. Ambr.

Iussit Rex Assuerus conuiuium præparari in vestibulo horti, & nemoris, quod regio cultu & manu consitum erat: Iussit diuinus spiritus conuiuium exhiberi, in vestibulo horti huius, id est, in Conceptione Virginis, quæ veluti vestibulum fuit huius horti amęnissimi, & fructiferi nemoris, quod regio cultu, regijs virtutibus, regiaque Dei manu consitum est. Exhibetur autem conuiuium ijs, qui hanc immaculatam cōceptionem magnæ cum mentis deuotione celebrant, virtutesque eas, quæ in illa emicant, animi palato dulciter degustant, & in animum suum veluti suauissimas epulas traiiciunt. Esther 1. B

Eodem Esther libro: *Placuit Regi Assuero Esther; & præcepit eunucho, vt acceleraret mundum muliebrem; & traderet ei partes suas, & septem puellas speciosissimas de domo regis, & tam ipsam, quā pediseguas eius ornaret, atque excoleret,* &c. Quemadmodum accelerauit mūdum, id est, ornatum muliebrem Assuerus Esther; ita accelerauit ornatū cęlestem Virgini Deus. In ipsa cōceptione, in ipso matris vtero, amplissimis illam ornamentis mirabili celeritate illustrauit; speciosissimas pediseguas dedit Esther Assuerus: speciosissimas virtutes largitus est Virgini Deus, totius postea cęlorum, terrarumque orbis, omniumque Angelorum, principatum traditurus. Esther 2. C

Iis addi potest Gemma nona, iustitia Originalis. Volunt enim nonnulli iustitia Originali fuisse Virginem donatā. Maior Lucę 2. Virgo (inquit) probabiliter iustitia originali fuit redimita, & Cardinalis Nicolaus de Cusa l. 8. exercitationum in illa verba, sicut lilium inter spinas; Virgo sola post Adami lapsum, nō indiga, sed plena iustitia Originali, vt Eua, & multo magis creata fuit, sicut Christus secundum humanitatis naturam, in omni plenitudine iustitię, multo magis, quàm Adam creatus est. Hęc ille; Pro hac sententia refert Cordubensis li. 1. quæst. 46. Fabrum Stapul. ad Roman. 5. & alios: Si Virgo iustitia Originali ornata est; tunc est ornata, cum gratiam primo conceptionis instanti accepit. Habuit autem iustitiæ Originalis habitus tres, quos Adamus habuit, & Eua; in voluntate vnum, quo voluntas Deo, vt fini vltimo naturali hærebat; in appetitu autem irascibili, & concupiscibili duos alios, quibus fomes extinguebatur; & appetitus cum delectatione rationi obtemperabat; nisi velis opinari, iustitiam Originalem gratiam tantum significare, virtutesque perfectas, simul cum diuina prouidentia & custodia coniunctas. Quicquid sit, Virgo iustitiæ Originalis habitus, effectusque potissimos, appetitum rationi absque vlla dissensione obtemperatissimū, mentem Deo obedientissimam, fomitem extinctū habuit. alia verò, quæ innocentiæ statui conueniebant, doloris, mœstitiæ, laboris, famis, sitis vacuitatē, impassibilitatem, immortalitatemque non habuit; hæc enim si habuisset, magnam meritorum partem amisisset. *Maior Card. Nicolaus de Cusa* *Cordub.* D E

Decima Gemma sit, summa in qua concepta est parentum castitas. Galatinus libro 7. ca. 8. affirmat, Ioachimum & Annam absq; libidine, voluptateq; effrenata, Deiparam genuisse, eo modo quo primi parentes, si nō peccassent, filios in paradiso terrestri procreassent. Mihi persuasum est, nullum nec leuissimum peccatum veniale in illa cōceptione accidisse, summamque in eo coniugio castitatem fuisse obseruatam: qua de re extant hæc Virginis verba in probatis reuelationibus D. Brigittæ lib. 1. cap. 6. quæ etiam à Dionysio Carthusian. referuntur in lib. de Laudibus Virginis art. 6. Filius meus (ait Virgo sanctissima) coniugium patris mei, & matris, tanta castitate coniunxit, vt tunc non inueniretur castius coniugium. Ex charitate diuina, & ex verbo Angeli annuntiantis conuenerunt carne, non ex concupiscentia aliqua voluptatis, sed contra voluntatem suam ex diuina dilectione, &c. Et in sermone Angelico feria quarta Lectione prima: Deus dum vniuersa iusta & honesta coniugia, quæ à primi hominis creatione, vsque in diem nouissimū fieri debebant, prospiceret; nullum simile Ioachim & Annę cōiugio, in omni diuina charitate, & honestate præuidit. Et idcirco ei placuit, de hoc sancto coniugio, suæ matris corpus generari. &c. *Virgo ex castissimo connubio genita. D. Brigitta.*

Vltimum rutilantissimumque margaritum sit, Virginitatis perpetuæ votum. In cōceptione enim sua Virgo Dei maiestatem, pulchritudinemq; contemplans, ardentissimi amoris igne flagrās, eum sibi vnicum sponsum elegit, perpetueque Virginitatis votum nuncupauit. iuxta illud: *dilectus meus mihi, & ego illi, qui pascitur inter lilia, donec aspiret dies, & inclinentur vmbræ:* hoc est, nullus alius sponsus mihi erit; dilectus meus, Deus meus, mihi erit sponsus, & ego illi ero sponsa; qui pascitur inter lilia virginitatis, virginibus mirum in modum delectatur. Virginitatem ergo amplector, illamque voto confirmo: *Donec aspiret dies, & inclinentur vmbræ;* id est, vsque ad vesperam mortis; vespertino enim tempore dies aspirat, quia tunc auræ aspirant, occidenteque sole vmbræ inclinantur. Quod autē votum emiserit Virgo virginitatis, dubium non est; in vtero autem matris nuncupasse verisimile; vt nullo tempore Virginitas illa præstantissima, non fuerit certo stabilita proposito, votoque illustrata. Fuit hæc nonnullorum opinio, quorum meminit Iacobus Episcopus Christopolitanus, in Canticum Virginis, ad illa Verba: *Fecit mihi magna,* &c. Dicunt (inquit) viri quidā contemplatiui, quod Virgo illico post sanctificationē fecit votum perpetuæ Virginitatis in vtero matris, quod postea per successionem temporis ostēdit. Nam statim tertio anno tanquam Virgo se ad Dei famulatū dedicauit, ad seruiendum Deo, in templo Domini. Hæc illi. Neque verò vana est hæc contemplatio, si enim multæ Virgines amore Dei incensæ in tenera ætate Virginitatem Deo vouerunt, quid mirum, si virginum Virgo cum in Conceptione, maiore quā aliæ omnes Dei amore flagrarit, & multo maiore rerum expetēdarum cognitione prædita fuerit, hoc voto se obstrinxerit? Cant. 2. *Virgo in ipsa conceptione virginitatis votum nuncupauit.* *Episcopus Christopolitanus.*

Hæc de Gemmis dicta sint, quibus cœlestis ciuitatis fundamenta rutilant. Vere vt est in Psalm. *Magnus Dominus, & laudabilis nimis in ciuitate Dei nostri, in monte sancto eius, fundatus est exultatione vniuersæ terræ mons Sion, latera Aquilonis Ciuitas Regis magni.* Verè Magnus Dominus in magnis, quæ Virgini contulit donis, laudabilis in Virgine plena laudibus: Fundata est, concepta, & nata, cum exultatione, gaudioque vniuersæ terræ, ciuitas hæc Dei, Sion hęc id est, specula celsissima, Virginis mens altissima, quæ meridiem vt mons Sion spectabat, diuinisq; ardoribus inflammabatur. & latera Aquilonis, id est, altera pars ciuitatis, ad Aquilonē frigidū vergens; hoc est, caro Virginis, nullo fomitis ardore calens, sed niueo incredibilis puritatis candore tecta. D. Hieronymus ita vertit: *Magnus Dominus & laudabilis nimis, in ciuitate Dei nostri, in monte sancto eius, speciosogermine, gaudio vniuersæ terræ,* &c. Speciosus mons Christo germine: Virgo est, vniuersęque terræ gaudium, iuxta illud Ecclesię: Natiuitas tua Dei genitrix gaudium *Psalm. 47.* *Galatinus.*

dium annunciauit vniuerſo mũdo. In regijs Biblijs ſic etiam vertitur: Pulcher climate, gaudium vniuerſæ terræ, mons Sion. Pulcher eſt mons Sion climate, pulchra Virgo climate: in clementiſſimo enim, ſplendidiſſimoque cęli & terræ climate concepta atque orta eſt; in quo nullæ peccati tenebræ, ſed lux gratiæ ſplendidiſſima ſemper fulſit.

CAPVT IIII.

De Nomine Virginis Deiparæ, & Prædeſtinatione.

SANCTISSIMVM Virginis nomen, ab ęterno in libro vitæ ſcriptum eſt; neque vnquã in libro mortis fuit exaratum. Vnde Cardinalis Nicolaus Cuſanus l. 8. exercitationum: Non eſt (inquit) Maria deleta de libro mortis, quia nunquam in eo ſcripta fuit. Primum nomen in libro illo ſcriptum, nomen IESVS, eſt; ſecundum, poſt illud, nomen MARIA. Primus enim prædeſtinatorum, omniumque caput eſt Chriſtus, ſecundum poſt Chriſtum locum nobiliſsimũ, ſanctiſsima Virgo inter prędeſtinatos habet. Cum enim Deus hominis peccatum præuidiſſet, opemque illi per incarnationem Verbi ferre ſtatuiſſet; Chriſtum primò, Virginem deinde illius matrem, ad ſummam gloriam prædeſtinauit.

Card. Nicol. Cuſanus. *Primum nomen in libr. vitæ eſt nomen Ieſus, ſecundum nomen, Maria.*

Nec enim mihi perſuadeo Virginem, ſi homo in peccatum non incurriſſet, matris Dei dignitatem fuiſſe conſecuturam. quod ſentit D. Anſelmus in libro de excellentia Virginis cap. 12. cum illam his verbis affatur; Cur non iuuabis nos peccatores, quando propter nos in tantam celſitudinem es leuata, vt te dominam habeat, & veneretur omnis pariter creatura. Item cap. 1. Si propter peccatores facta eſt Dei mater, quomodo immanitas peccatorum meorum cogere poterit deſperare veniam, cũ tam ineffabile bonum ſit factum ex ea, ob curationem eorum? Abulenſis epiſcopus, Num. 23. quæſt. 9. De Beata Maria (inquit) dicimus, quòd ipſa propter nos mater Dei eſt. & ſic dicit Eccleſia: *Qui pro nobis natus tulit eſſe tuus*; licet ly, pro, vel propter, non dicit cauſam meritoriam, ſed finalem; quia nos non meruimus, vt ipſa eſſet mater Dei, ſed vt nos ſaluaremur, ipſa mater Dei facta eſt. Hæc Abulenſis. & Dionyſius lib. 3. de laudibus Virgin. art. 5. Virgo recognoſcit ſe peccatoribus ſuo modo debere, quòd mater effecta ſit Dei, &c. Sẽtit idem diuus Thomas, & Patres, qui Verbum diuinum propterea aiunt naturam humanam aſſumpſiſſe, vt hominem redimeret; nec fuiſſe aſſumpturum, ſi hæc cauſa non fuiſſet.

D. Anſelm. *Si homo non peccaſſet, Virgo non fuiſſet mater Chriſti.* *Abulenſis.*

Si aliæ ſunt rationes efficaces naturam diuerſam aſſumendi, præter hominis redemptionem, aſſumpſiſſet potius Verbum, ſi non peccaſſet homo, naturam ſeraphicam, quæ præſtantiſsima, quam humanã, quæ infima eſt; aſſumpſiſſet etiam Pater naturam aliquam, & Spiritus ſanctus. Noſtra opinio amorem maximè excitat, ideoque potius ſequenda. Hæc vna ratio efficax fuit, & potens, nempe hominis indigentia. Vnde Athanaſ. ſerm. 3. contra Arianos; Neceſsitas (inquit) indigentiaque hominum anterior eſt, quã Chriſti natiuitas; qua ſublata carnem non induiſſet. item: Non propter ſeipſum, ſed propter noſtram ſalutem aduenit, &c. Et Nazianz. Orat. 36. quę humanitatis à Deo propter nos ſuſceptæ cauſa extitit? profectò vt nobis ſalus pararetur, quid enim aliud cauſæ afferri poſsit? Omitto alios Patres, Auguſt. audiatur ſerm. 9. de verbis Apoſtoli, Nulla (inquit) cauſa fuit veniendi Chriſto, niſi peccatores ſaluos facere, tollè morbos, tollè vulnera, & nulla cauſa eſt medicinę, & ſerm. 8. Si homo non perijſſet, filius hominis non veniſſet. Hæc ſatis perſpicuè hi Patres. Nec minus perſpicuè diuus Leo ſermone 3, de Pentecoſte: Si homo (ait) in ſua honore naturæ manſiſſet, nec à lege ſibi poſita deuiaſſet, creator mundi creatura non fieret, &c. Non ergo aſcendiſſet Virgo ad dignitatem matris Dei, ſi peccato ſe non inquinaſſet homo. Geneſ. 7. *Multiplicatæ ſunt aquæ, & eleuauerunt arcam in ſublime à terra*, ſimilem in modum multiplicata ſunt peccata, & eleuauerunt Virginem arcam Dei in ſublimẽ dignitatem matris Dei. Vnde illud Anſelmi ſupra dictum: Propter nos peccatores in tantam celſitudinem eleuata es.

D. Leo. *Geneſ 7.*

Magna eſt Dei bonitas, quæ ex malis bona elicit, vt Auguſt. ait tract. 112. in Ioannem: Bene (inquit) vtens bonus malis, & faciens bona de malis, &c. Et lib. 11. de ciuit. Dei c. 17. Deus malarum voluntatum eſt iuſtiſsimus ordinator, vt cum male illæ vtuntur naturis bonis, ipſe bene vtatur etiam voluntatibus malis. Vide quantum bonum ex quanto deprompſerit malo; quã dulce mel ex amariſsimo eduxerit felle. ex magno malo, id eſt, peccato, magnũ elicuit bonum, id eſt, incarnationem. Nos autem ex bonis mala, ex ſanitate & viribus audaciam, ex vitæ longitudine peccatorum multitudinẽ, ex pulchritudine libidinem, ex diuitijs ſuperbiam, ex poteſtate tyrannidem, ex ipſa Dei miſericordia, in peccatis perſiſtentiam, ex floribus venenũ, ex melle fellis amaritudinem, depromimus: *Sanſon ex Leonis ore fauum*, Ionathas ex fauo mellis, mortis periculum retulit. Simili modo quidam ex ipſis leonibus, ex doloribus, ignominijs, iniurijs, ex peccatis denique, quę deplorant, mel efferunt: alij verò ex ipſo diuinæ miſericordiæ fauo, ipſaque creaturarum dulcedine, quam Deus condidit, mortem ęternam expromunt.

D. Auguſt. Dei bonitas ex malis elicit bona. *Homines ex bonis eliciunt mala.* *Iud. 14. 1. Reg. 14.*

De Virginis autem prędeſtinatione illa verba intelligenda ſunt, quę ex Prou. Eccleſia illi accommodat: *Dominus poſſedit me in initio viarum ſuarum, antequam quidquam faceret à principio: Ab æterno ordinata ſum, & ex antiquis, antequam terra fieret.* Illa quoque: *ab initio, & ante ſæcula creata ſum*, &c. Deipara enim Virgo ab initio & ante ſæcula prędeſtinata eſt, ad ſummam matris Dei gloriam, ab initio & ante ſæcula dilexit eam Dominus, & omnibus virtutibus, Spiritusque ſancti donis, exornatam illius ideã diuina in mente habuit. quod enim de mundo Boëtius olim cecinit lib. 3. de conſolatione metro 9.

Prouerb. 8. *Eccleſ. 24.* *Deus ab æternitate Virginẽ mente geſsit.* *Boëtius.*

Mundum mente gerens pulchrum, pulcherrimus ipſe:
De Virgine quoque Deipara cani poteſt:
Matrem mente gerens pulchram, pulcherrimus ipſe.

Quemadmodum mundi, ita & Virginis exẽplar Deus, mente ab æterno geſsit pulcherrimum, vnde illius pulchritudinem antequam exiſteret in Canticis illis verbis depingebat: *Tota pulchra es amica mea, & macula non eſt in te*; & multis alijs. Rupertus Cant. 2. Virginem ſic loquentem facit; Priuſquam naſcerer Deo pręſens aderam, antequam fierem, bene illi cognita fueram. ſi enim dicitis, & vere dicitis, quia *elegit nos in ipſo ante mundi conſtitutionem, vt eſſemus ſancti, & immaculati in conſpectu eius in charitate*; nónne & de me rectè ſentitis, & rectè ſentiendo dicitis, quia elegit me ante mundi conſtitutionem, vt eſſem ſancta, & immaculata in conſpectu eius, in charitate? etſi *delicię eius, eſſe cum filijs hominum*, quanto magis deliciabatur cum iſta Ancilla Domini, miraculo cunctorum filiorum hominum? &c.

Rupertus. *Epheſ. 1.*

Ab æterno igitur Deus mente, Deiparæ pulcherrimam ideam, ſimulque ſanctiſsimum nomen, Maria, in libro vitæ, id eſt, intellectu ſcriptum geſsit; in tem-

Nomen Virgini ab Angelo impoſitum.

in tempore vero illam produxit,& nomen ab Angelo nuntiatum imposuit. Ab Angelo autē nomen hoc nunciatū scribit autor libri de Ortu Virginis,
Genes.17. Luca 1. idque credibile est;siquidem nomen Isaac & nomē Ioannis ab Angelo est traditum. De significatione Hieronym. in libro de nominibus Hebraicis hæc
Quid significet nomen Maria. scribit: Mariam pleriq; æstimant interpretari, illuminat̄ me isti;vel illuminatrix,vel Smyrna maris; sed mihi nequaquam videtur. melius autem est, vt dicamus sonare eam *stellam maris*, siue *amarum mare*. Sciendumque quod Maria sermone Syro domina nuncupatur. Hebræi nunc legunt Mariam, at Hieronymus,& 70. cum alio puncto legerunt Mariam, nam nomen Hebreum, mem, habet in fine. Græcè
Luca 1. Exodi 15. etiam à D. Luca μαρίαμ appellatur,& à 70. interpretibus soror Moysis μαρίαμ,dicitur,cum,m,in fine. A Latinis Maria nominatur. Syllaba Iam, Hebreis significat mare;altera,Mar,sonat,vt Hieronymus docet,stellam,& amarum,& Syriace Dominam.

Congruunt hæc significata Virgini eximie. Nam
Damasc. Domina est, totiusque Regina orbis. Damascenus libr.4.de fide cap.15. Gratia(inquit) nam hoc sonat Annæ vocabulum, Dominam parit:id enim Mariæ nomine significatur. Vere enim rerum omnium Domina facta est, cum creatoris mater extitit: Hæc
Card. Petrus Damian. ille. Cardinalis Petrus Damian. in serm. de Natiuit. Deiparæ. Fecit(inquit) in te magna qui potens est, & data est tibi omnis potestas,in cælo, & in terra,
Rupertus. &c. Rupertus Can.4. Ita coronaberis O Virgo,vt in cœlis regina sanctorum,& in terris regina sis regnorum;item : Prædicabitur de te, quod sis mater
Virgo est Domina mūdi. Christi,ac proinde regina cœlorum; totū iure possides filij regnum. D. Anselm. lib. de excellent. Vir.
D. Anselm. cap.7. curiæ cœlestis dominam vocat, & materno iure cœlorum regnum suum effecisse ait; & Christum alloquens; Tota(inquit) tua est,totaque per te
D. Bonauentura. eadem cælestis curia sua, id est, Virginis. D. Bonauent. in speculo Virginis cap.3. Virgo(inquit) reuera domina est cęlestium,terrestrium, & infernorū. Illius deinde typum fuisse ait Esther,de qua dicitur:
Esther 15. *Assumpsit duas famulas, & super vnam innitebatur, altera autem famularum sequebatur dominam,defluentia in humum indumenta sustentans*, &c. Duæ(inquit) famulæ, quarum domina est regina Maria,sunt Angelica & humana natura;intelligentia Angelica est famula,super quā domina innititur in cœlo;anima verò humana est famula,quæ dominam suam sequitur in mūdo,colligens vestimenta Dominę;scilicet,colligens virtu-
Exēpla Virginis colligēda,& imitanda. tes & exempla Mariæ. Hæc Bonauēt. Domina ergo nostra Virgo est,id à seruis suis obsequiū maximè postulat, vt defluentia in humum eius vestimenta,id est,virtutum exēpla,quæ in terra hominibus nota fiunt,colligamus,atque imitemur. Fœmina quæ tetigit fimbriam vestimenti Christi,corporis sanitatē est consecuta; sic qui fimbriam matris collegerit, animæ salutem consequetur.

Præterea,est Virgo stella maris,est quidem stella cæteris omnibus astris multo excelsior;quia vt stel-
Virgo est stella maris. la lucem summa cum pulchritudine, nulla cū læsione ex se effundit; ita Virgo lucem mundi Christum, summo cum decore, nulla cum Virginitatis
D. Bernard. iniuria,ex castissimis visceribus protulit. D. Bernardus homilia secunda,super missus;Stella Virgo est, quia sicut sine corruptione sydus emittit radiū; sic absque læsione sui,parturijt filiū, nec syderi radius suam minuit claritatem, nec Virgini filius suā virginitatem,&c. Stella verò maris, id est, procellosi huius mūdi appellatur, quia in medijs vitæ procellis,lucem nauigantibus in cœlum præfert,cursumque, virtutum suarum exemplo,& patrocinio dirigit. Bernardus eadem homilia : Stella est super hoc mare subleuata,micans meritis,illustrās exemplis; Ane auertas oculos à fulgore huius syderis,si non vis obrui procellis,&c.

Est item mare:& amarū mare;mare quidē meritò,quia Oceanus est omnium gratiarum, donorūque Spiritus sancti: *Deus congregationes aquarum appellauit Maria*: Virgo autem veluti congregatio omnium virtutum appellatur, Maria. Quod dixit Albertus Magnus super missus;Congregationem (inquit) aquārum vocauit Deus Maria;locus autem omnium gratiarum vocatur Maria;& Dionysius Carthus. libro 3.de laudibus Virg. art. 30. Maria(inquit) interpretatur mare;quia sicut nullus valet guttas maris dinumerare,sic misericordiam,gratiæ excellentiā, gloriamque Mariæ, nullus valet exprimere, &c.
Genes.1. Virgo est mare gratiæ. Albertus Magnus. Carthus.

B *Omnia flumina intrant in mare*, (ait Salomon) *& mare non redundat*. in nostrum verò mare omnia gratiarū flumina intrant,sed redundat in nos. Omnibus enim (vt ait Bernardus in serm. de Verbis Apocal.) misericordiæ sinum aperit, vt de plenitudine eius accipiant vniuersi,captiuus redemptionem, æger curationem,tristis consolationem, peccator veniam,iustus gratiam,&c. Vides quàm redundet nostrū mare? per hoc mare Deus ad nos nauigauit, nosque ad illum nauigamus;mare est tranquillū, profundum, absque procellis,absque fluxu,atque refluxu.
Eccles.1. D. Bernard.

Amarum verò mare fuit propter dolores, quos ob filij dilectissimi mortem pertulit acerbissimos; qua de re D. Bonauentura in speculo cap.1. sic scri-
Virgo mare amarū Dæmonis.

C bit: Maria mare est,gratia affluendo; & amara filio compatiendo,& amarū mare est, Diabolum submergendo,quemadmodum mare rubrum amarum fuit Ægyptijs in ipso submersis. ô quam amarū, & timendū est hoc mare Ægyptijs! ô quam amara & timenda est Maria Dæmonibus! Vnde Bernardus: *Non sic timent hostes visibiles quasi castrorum multitudinem copiosam, sicut aereæ potestates Mariæ vocabulum,patrocinium, exemplum.* fluunt, & pereunt sicut cera à facie ignis, vbicunque inueniunt crebram huius nominis recordationem, deuotam inuocationem, solicitam imitationem. Hæc D. Bonauentura. De hoc sanctissimo nomine lege cap.9.lib.1.reuelationum D. Brigittę. & Carthusianum libr. 3. de laudibus Virginis
D artic. 30.

CAPVT V.

De Natiuitate Virginis Deiparæ.

SEculū quo Maria soror Moysis nata est infelix fuit,& amarū;nam vt Hebræi aiunt,quo tempore Maria illa in lucem venit,cœperunt Ægyptij Hebræos affligere,quamobrem,nata puella Maria ab amarore appellata dicitur. Lege Genebrardū lib.1. Chronologiæ. Contra verò seculū illud, quo Maria
Seculum quo Virgo est orta fuit felicissimum.

E nostra orta est,fœliciſſimū fuit,tūc enim stella maris,& gratiarum omnium mare, dulce hominibus, amarum Dæmonibus, Domina vniuersi orbis, Messię felicissima mater toti orbi salutem per filium allatura,in lucem est edita. Quocirca D. Ioannes Damascenus in Oratione de Virginis Natiuitate, secula contendisse ait de Virginis natiuitate; Certabant,inquit,secula,quodnā ortu Virginis gloriare-
Contendebāt secula de virginis ortu.

tur. Verū eorum contentionē præfinitum Dei consilium superauit,postremaque secula, prima facta sunt,dū ipsis natiuitas Virginis obtigit,&c. Postrema,ait,secula prima facta sunt;hæc enim extrema tempora,quibus Virgo nata est,priora illa, quæ Patriarchas & Prophetas protulerunt, longo post se relinquunt interuallo. Postrema sunt ordine, sed prima fælicitate, quibus illud Poëtæ rectè cōgruit:

Magnus

Magnus ab integro seclorum nascitur ordo:
Iam redit, & Virgo, redeunt Saturnia regna:
Iam noua progenies cœlo demittitur alto.

Age verò, mundi secula, & sex ętates percurramus; hæc vltima tempora beatissima fuisse ostendamus. Sex mundi ætates, ait Augustinus lib. 1. de Genes. contra Manichæos ca. 23. similitudinem habere illorũ sex dierũ, quibus mundus conditus est. Quemadmodum ergo sexta mundi dies, in qua Deus hominem condidit, cæteros quinque dies superauit, in quibus alia creauit, ita sexta mundi ætas, in qua Virginem, & ex Virgine Christum produxit, cęteras mundi ætates prœcellit. Diem autem mundi primam nõ à creatione empyrei cęli, & Angelorum, sed à creatione lucis inchoo. Lux enim primam fecit diem, ante lucem dies non erat. Prima ętas, quæ ab Adamo vsque ad Noë protenditer, similis fuit primę mundi diei, in illa enim prima ętate facta est lux Originalis iustitię, & gratię, sed dies hic habuit vesperam, cum peccauit Adam, obscurissimamque noctem, cum se turpissimis flagitijs homines inquinarunt, diluuioque absorpti periere. Secunda ętas à diluuio vsque ad Abraham, similitudinem gessit diei secundę; nam secunda die factum est firmamentum in medio aquarum, diuisitque Deus aquas ab aquis. Quis cum Noë admirabilem illam arcam diluuij aquis innatantem considerat, firmamentũ in medio aquarum, se cum Augustino cernere non existimat? Augustinus loco citato, Arca (inquit) firmamentum erat inter aquas inferiores, in quibus natabat, & superiores, quibus compluebatur. factum est ergo hac ętate hoc firmamentum in medio aquarum, diuisitque Deus aquas ab aquis, id est, populos à populis (*aquæ* enim *populi sunt*) diuisit enim linguas, ex qua diuisione, diuisio orta est populorũ. Mane diei huius tempus fuit diluuio propinquum, vespera verò linguarum confusio, ac diuisio. Tertia ętas ab Abrahamo, vsque ad Dauidem, tertiam refert diem: tertia die Deus terram ab aquis segregauit, herbisque, floribus, & arborum amœnitate exornauit; tertia ætate Israëliticum populum hæreditatem suam à cæteris nationibus seiunxit, legeque, cæremonijs, & sacrificijs, decorauit. Augustinus. Tertia (ait) ætate à gentium vanitate, & huius seculi fluctibus separatus est populus Dei per Abraham, &c. Prima lux huius ætatis fuit Abrahæ vocatio, vespera populi idololatria. Quarta ætas à Dauide vsque ad Babylonicam captiuitatem, quartæ diei habet imaginem. Quarta die solem, astraque Deus condidit; quarta ætate Dauidem, & Salomonem, velut populi illius Solem, ac Lunam; cæteroque reges, velut astra produxit. Augustinus loco citato: Quid euidentius significat splendorem regni, quàm Solis excellentia, & plebem obtemperantem Regno, splendor Lunæ ostendit, tanquam Synagogam ipsam; & stellæ principes eius, & omnia tanquam in firmamento, in Regni stabilitate fundata, &c. Diluculum diei huius Dauidis fuit imperiũ, vespera siue nox, Babylonica captiuitas. Quinta ætas à Babylonica captiuitate, vsque ad Messiam, cum die confertur quinta. Quinta die ex aquis volucres auolarunt, in aquis pisces permanserunt; quinta ætate Israëlitæ ex aquis, id est, populis gentium in Iudæam ad colendum Deum, veluti volucres facultatem donante Cyro euolarunt; gentes verò, vt pisces, in suis regionibus, & idolorum cultu perstiterunt.

Sexta ætas à Messia Opt. Max. vsque ad mũdi finem, quemadmodum annis, sic & rebus cęteras superat. Sextæ diei similis dicitur. Sexta die primum Adamum Deus condidit, Euamque primã, in sexta mundi ætate, secundùm Adamum Christum exhibuit mundo, Euamque secundam Virginem Deiparam. Omnes igitur omnium ætatum Patriarchas, omnes Prophetas, & omnes reges, omnes Imperatores, omnes omnium ætatum opes, omnes virtutes, omnes laudes, omnia præclare gesta, cum hoc secundo huius ætatis Adamo, cum hac secũda Eua, eorumque sanctimonia, opibus, & gestis confer; quantum ab amplissimo cœlo exiguus terræ globus distat, tantum inter se distare intelliges, vltimamque hanc ætatem omnium bonorum fontem continere cognosces. Vespera illius, tẽpus Antichristi erit, & iudicij extremi, post quod sabbatum sequetur æternum, id est, quies sanctorum omni fine & vespera carens. Aurora vero Virgo mater fuit; tunc enim mundo tenebris circũfuso illucescere Christi ætas sexta cœpit, cum mater veluti aurora orta est, iuxta illud: *Quæ est ista, quæ progreditur quasi aurora consurgens?* O auream auroram: O auroram nõ fabulosi Mennonis, sed Dei veri genitricẽ. O auroram magni Solis non solũ prænuntiam, sed etiam matrem. O auroram æternæ caligini exterminatricẽ, æternæ lucis inuentricem. qui te fœlices currus, quę nam post tam longam noctem beatæ in orbem aduexere quadrigæ? Sanè charitatis te ardentes quadrigæ, diuini amoris citati duxere iugales; festinabat enim diuinus amor. Virginem iam nasci cupiebat, cuius vterus amoris esset fornax, in qua admirabile charitatis opus Verbi incarnationẽ Spiritus sanctus, id est, amor, fabricaret: *Surge* (aiebat) *propera amica mea, columba mea, formosa mea, & veni.* Verba hæc sic accipite (ait Rupertus) quasi verba desiderantis, tanquam festinantis, & optantis iam adesse materiã tantæ salutis, scilicet Virginem, cuius caro illi materia foret assumendæ carnis; tanquam præsentiloquebatur, illamque iubebat surgere, & properare, id est, nasci, & hospitium cito præparare. Hæc ille.

Aduenit ergo beatum illud tempus, quo post tot sæculorum tenebras, roseum vultum mundo diuina ostendit aurora. Illuxit octaua Septembris lux fœlicissima, aureumque terris effudit partum. Nata illa Virgo est, tot expectata seculis, tot adumbrata typis, tot expetita votis, simulque cum Virgine omnium virtutum, gratiarumque illustrissimis comitatus in Iudæam est ingressus: Iudæa enim illius fuit patria; fœlix, sua si bona nouisset; infœlix, quia non nouit. Damascen. oratione prima de Natiuitate Virg. Hodie (inquit) ad Oriẽtem porta Ezechiel extructa est; per quam Christus ingredietur, & egredietur, & erit clausa porta. hodiè perflarunt aurę, lętitię totius orbis prænuntię. Lętentur cœli, & exultet terra, commoueatur mundi mare; in ipso enim concha gignitur, quę cœlitus ex diuinitatis fulgetra in vtero concipiet, & Christũ ingentis pretij vnionem pariet, &c.

Eo mense concepta Virgo est, quo filius est natus, nempe mense Decembri; orta verò Septembri. Octauo Decembris die in matris visceribus genita, octauo Septembris ex genitricis vtero, in lucẽ lux hęc clarissima est edita. Meritò octauã sibi vendicat diem hęc conceptio, octauã quoque natiuitas; quẽadmodũ enim numerus octonarius senariũ exuperat: sic res omnes sex diebus cõditas, octaua die nata, ac concepta Virgo longè superauit. Beatitudinũ numerus est octonarius, octo enim sunt beatitudines; vnde illud Ambrosij li. 5. in Lucã: Octaua summa virtutum est: quis igitur numerus beatissimę conceptioni, natiuitatique celebrandæ, quàm beatitudinum numerus accommodatior?

Præterea quis numerus Virgini aptior, quę omni iustitia omnibusque virtutibus plena, & concepta, & nata est, quàm is qui plenus numerus, & iustitia appellatur? Diuus Hilarius Psal. 118. Octonarium omnium

D. Augusti. — *Sex mundi ætates similes sex primis mundi diebus.* — *D. Augusti.* — *Apoc. 17.* — *D. Augusti.* — *Sexta ætas reliquas superat.* — *Cant. 6. Virgo aurora exortа.* — *Rupertus.* — *Damasc. Virgo Christum, vt conchа vnionem concepit.* — *Virgo cõcepta octauo die Decembris: & nata octauo die Septembris.* — *De numero octonario D. Ambros.* — *D. Hilarius.*

omnium conuenientium in se vndique partium æqualitate perfectum & plenum esse ait. clemens Alexandrinus lib.6.Stromatum, primum numerũ cubum esse docet, id est, tesserę similem: Octo (inquit) qui est primus cubus, est æqualitas in omnibus dimensionibus, longitudinis, latitudinis, & altitudinis. Explicat hæc Macrobius libr.1. de somnio Scipionis cap. 5. Octonarius (inquit) numerus plenus dicitur propter corporeæ soliditatis effectum. Pythagorici hunc numerum iustitiam vocauerunt. quia primus omnium ita soluitur in numeros pariter pares, hoc est, in bis quaterna, vt nihilominus in numeros æquè pariter pares diuisio quoque ipsa soluatur, in bis bina; eadem quoque qualitate contexitur, id est, bis bina bis. Cũ ergo & contextio ipsius pari æqualitate procedat, & resolutio æqualiter redeat vsque ad monadem, quæ diuisionẽ non recipit; merito propter æqualem diuisionem iustitię nomen accepit. Et quia ex supra dictis apparet, quãta & partium suarum, & seorsum sua plenitudine nitatur: meritò plenus vocatur. hęc ille: His adde octauũ diem, id est, dominicum, festum esse nouę legis, quemadmodùm septimus, id est, sabbathum veteris fuit; etenim septimũ diem Iudęi colebant, vt creationis mundi memoriam renouarent, nos octauum diẽ veneramur, vt resurrectionis Christi, ac redemptionis mundi, memoriam æternam conseruemus. Vnde Rupertus lib.7.de diuinis officijs, c.19. De creatione (ait) mundi sabbatizant dilectores mundi; nobis autẽ de saluatione mũdi gaudendum est, &c. Et Ambrosius Epist. 39. Hebdomas veteris testamenti est, octaua noui, &c. Meritò ergo Virgo mater noui testamenti, die mensis, & gignitur, & oritur octaua noui testamenti.

Clemens Alexandr.

Macrobius.

Rupertus.

D. Ambrosius.

De mense autem loquimur latino, Hebræi mensis quotus dies fuerit non satis constat: Etenim Hebræorum mensis lunaris in duos Latinorũ cadit; in nostrum Septembrẽ & Augustum incidit Hebręorum mensis septimus, quem vocant, Thisri. Huius mensis die 15. festum tabernaculorũ Iudæi solebãt celebrare, Leuit.23. *A quinto decimo die mensis huius septimi, erunt feriæ tabernaculorum septem diebus* Domino. Illi festum tabernaculorum septem diebus agebant, nos festum sanctissimi tabernaculi, quod sanctificauit altissimus, id est, Virginis Deiparæ, numero noui testamenti, octo diebus mense Septembri celebramus. Est enim Virgo Dei tabernaculum, ac templum Dei animatum. Virgo (ait Damasc. orat. 1. de natiuitate) templum Dei sanctum, quod pacis princeps Salomon, id est, Christus construxit, & habitauit; non auro, & inanimis lapidibus ornatum, verùm auri loco spiritu fulgens, pro lapidibus autẽ pretiosis margaritam ingentis pretij Christum habens, &c. Item: Cedat (inquit) Moysis & Abrahami tabernaculum, viuo, & ratione prædito Dei tabernaculo, id est, Virgini, &c. De partibus admirabilis huius tabernaculi fusius dicamus, quod Deus postquam in vtero D. Annæ extruxit; in die natiuitatis mundo ostendit, de quo illud canitur: *Sanctificauit tabernaculum suum Altissimus.*

D. Damasc. Festũ tabernaculorũ agebant Israëlitæ. Nos festum agimus maximi tabernaculi, id est, Virginis.

Psal. 45.

Tabernaculum illud antiquum, Moyses secundum exemplar fecit sibi in monte indicatũ, vt imperarat Deus: *Fac secundum exemplar, quod tibi in monte ostratum est*; admirandum de quo loquimur tabernaculum, id est, Virginem Deus ipse fabricauit, secundum exemplar, quod pulcherrimus ipse, pulcherrimum ab æterno non in monte, sed in mente, habebat: *Ab initio* (ait Virgo) *& ante sæcula creata sum*, &c. Quid hoc est Virgo sanctissima? Solum Deum æternum esse scimus, creaturas omnes in tempore conditas nouimus, cur igitur te ab æterno creatam prædicas? Ab æterno se creatam prædicat, quòd ab æterno eximiam illius ideam Deus mente gesserit, eamque inter cæteras creaturas puras, præcipue, & prius prædestinarit, & summa cum gratia creare decreuerit. Quam ob causam primogenitam redemptoris filiam illã appellat D. Bernardinus tom. 2. serm.61. art.3. cap.3. Primogenita (inquit) Redemptoris filij sui Iesu, fuit beata Virgo; & plus pro ipsa redimenda venit, quam pro omni alia creatura, &c. Præter exemplar autem illud, quod mente Deus gerebat, imagines Deiparæ multas, multosque typos Patribus olim ostendit; qua de re lege Bernardũ super missus, hom.2. Missus (inquit) est Angelus ad Virginem, nec nouiter, nec fortuito inuentam, sed à sæculo electam, ab altissimo præcognitam, & sibi præparatam, à Patribus præfiguratam, à Prophetis promissam, &c. D. Damasc. Virgo æuo omni antiquiore ac præsciente Dei consilio prædestinata, varijsque Prophetarum imaginibus, ac sermonibus per Spiritum sanctum adumbrata & prędicata est. &c. Hanc rubus Moysaicus, Aaronis virga, Noë arca, Gedeonis vellus, Ezechielis clausa porta, & alia similia adumbrarunt. *electa dicitur vt Sol*, id est, vt Christus; eo quòd quemadmodum Christus qua homo electus est, vt omni peccato etiam originali careret, omni gratia plenus esset; ita suo modo electa est Deipara.

D. Bernardinus. Tabernaculi, id est, Virginis exemplar, & typi. D. Bernard.

D. Damasc. lib 4 fidei, c.15.

Cant. 6.

Habemus tabernaculi exemplar, materiam quæramus. Illam indicat Matthęi Euangelium, & Lucæ genealogia; Patriarchæ illi, Dauid, Abraham, Isaac, & Iacob, quid sunt aliud quam arbores, ex quibus ad hoc tabernaculum secta est materies? Si quæras, vnde Hebræi in solitudine ligna setim habuerint, ex quibus tabernaculum fabricarunt; respondet Rabbi Salomon apud Lyranum in hunc modum Exod.25. *Iacob vidit in Spiritu sancto, quod filij sui erant fœcturi tabernaculum in deserto, post exitum de Aegypto, & secũ portauit in Aegyptum semina, & radices talium arborum; & ibi plantauit, & nutriuit, præcipiens filijs suis, vt exeuntes de Aegypto secum portarent.* Hæc ille. Non facile adhibeo Rabbinorũ fabulis fidẽ. Quicquid sit de Iacob, certè Deus Optimus Maximus cum præuideret se tabernaculum toti orbi venerandum in mundo extructurum; seminarium in Iudæa cedrorum fecit, ex quibus materies excideretur. Creuerũt ergo in montibus Iudææ cedri, Prophetæ, Patriarchæ, reges, cæterique omnes, quousque tanto operi materia suppeditata, tabernaculumque extructum est. Oportebat enim, vt ait D. Ioannes Damasc. orat. 3. de natiuitate, prius palatium pręparari, atque ita regem adesse, & opus erat, vt ait Nicephorus li.1. c.7. præparare vas, & instruere, quod eum, qui incomprehensibilis est, comprehenderet.

Tabernaculi sanctissimi materia.

Damasc.

Nicephorus.

Fuerũt autem in typico illo tabernaculo partes tres; prima quę atriũ sacerdotũ, secũda quę sancta, tertia quæ Sancta sanctorũ nominatur. totidẽ in nostro multo prę stãtiori tabernaculo, quisquis aduertet, poterit inuenire. Etenim erat in Virgine pars animę superior, in qua ratio dominatur, erat & inferior, in qua appetitus sedẽ habet; prę ter duas has, erat etiã tertia, ipsa corporis species externa; similis atrio omnib⁹ cõspicuo. De singulis breuiter dicẽdũ.

Tres tabernaculi partes.

In primis prima illa, superiorque animi pars, partis illius, quæ à summa sanctitate in tabernaculo Sãcta sanctorum dicebatur, similitudinem gerebat, & quidem nomen Virgini magis quàm illi domui cõgruit. Est enim Virgo Sancta sanctorum, quia sanctis omnibus, Angelis, & hominibus sanctitate longè antecellit. Anselmus in Inuocatione Virginis. O tu (inquit) benedicta tu inter mulieres, quę Angelos vincis puritate, sanctos superas pietate. Item: sancta, & inter sanctos post Deum singulariter sancta, &c. Et in lib. de excellentia Virginis ca.9. Pura (ait) sancti-

Virgo est Dei tabernaculũ sanctissimũ. Exodi 25.

Virgo Sancta sanctorum.

D. Anselm.

ſanctitas, & ſanctiſſima puritas pectoris Deiparæ virginis, omnem omnis creaturæ puritatem, ſiue ſanctitatem tranſcendens, incomparabili ſublimitate hoc promeruit, vt reparatrix perditi orbis digniſſima fieret,&c.& cap.1.ſupereminentem omni, quod poſt hominem Deum creatum eſt, excellentiam Matris Dei eſſe affirmat. Magnus Gregor. 1. Regum 1. *Mons in vertice montium*, quia altitudo Mariæ ſuper omnes ſanctos refulſit: An nō mons ſublimis Maria? quæ vt ad conceptionem æterni Verbi pertingeret, meritorum verticem ſuper omnes Angelorum choros, vſque ad ſolium deitatis erexit? Damaſc. Orat.1.de natiuitate, Virgo mons eſt ille, qui collem omnem,ac montem,id eſt, Angelorum, & hominū ſublimitatem exuperat,mons in quo beneplacitum eſt Deo habitare in eo,&c.

D.Gregor.

D.Damaſc.

Pars prima tabernaculi, id eſt, Deipara.

Pſal.79.

In intima illa, & ſanctiſſima tabernaculi parte; duo erant Cherubini,in quibus ſedere Deus dicebatur,iuxta illud. *Qui ſedes ſuper Cherubim*; erat præterea teſtamenti arca,intus, foriſque auro contecta. In ſuperiori quoque amictu Virginei parte Cherubini erant,nec non auro vndique fulgens Dei arca,Nónne Virginis intellectus, ac memoria duo velociſſimis alis prædíti Cherubini rectè dici poſſunt, in quibus Deus perpetuam ſibi ſedem fixit? volant Cherubini, volabat Virginis memoria, volabat & intellectus; ſcientia,cognitioneque præſtant Cherubini, ſcientia, cognitioneque eximia, Virginis excellebat intellectus, *In propitiatorium verſos habebant vultus Cherubini*, in Deum propitiationis fontem, memoria & intellectus Deiparæ verſos habebant omnes actus.

Exod.25.

Magnæ virginis alæ, id eſt, contemplatio. Apoc.12.

Quis horum duorum Cherubinorum volatus, quis rerum diuinarum cognitionem, quis rerū cœleſtium contemplationem, perpetuámque recordationem,verbis complecti poterit? *Datæ ſunt mulieri alæ duæ aquilæ magnæ*; Illi mulieri,quæ Sole amicta apparuit,alæ duæ datæ ſunt,quibus volaret in deſertū: Virgini Sole amicta. Aquilæ magnæ, alæ datæ ſunt magnæ,quibus perpetua contemplatione volaret in Deū. Damaſc.1.Orat.de natiuitate Virginis; Virginis (ait) animus humilis erat in ſublimiſſimis contemplationibus,&c. Cardinalis Petrus Damianus ſermone 1. de Natiuitate Virginis,aſſimat contemplationem in Virgine, ab actione non fuiſſe imminutam. Vita,inquit, actiua,& contemplatiua Virginem ambierunt,adeò vt nec actio contemplationem minueret, & contemplatio non deſereret actionem. Et Carthuſianus Dionyſius lib.2.de laudibus Virginis, art. 8. Nulla vnquam inordinata affectio,diſtractio, fragilitas mentem Virginis à contēplationibus lumine reuocauit,neque occupatio vlla exterior,&c.

D.Damaſc.

Card. Petr. Damian.

Carthuſian. D.Bernar D virginis eximia contemplatione.

Virginis contēplationem nec actio,nec ſomnus impediebat.

D. Bernardinus ait,nec à ſomno fuiſſe impeditā. Serm. 61. Tom. 1. artic. 3. cap. 3. Ad tantam, inquit,contemplationē ſublimata eſt Virgo, vt perfectius etiam in ventre matris contemplaretur Deū, quàm vnquam fuit contemplatus aliquis in perfecta ætate,magiſque in contemplatione Dei exceſſit dormiendo,quam aliquis alius vigilando, ſicut ipſa teſtatur.*ego dormio,& cor meum vigilat*, &c. Et Tom. 2. Serm. 51.art. 1. c. 2. Licet, inquit, in vtero matris dormiret,attamen ſomnus qui abyſſat, & ſepelit in nobis rationis, & liberi arbitrij actus, & per conſequens actum merendi,non credo quòd talia in Virgine fuerit operatus, ſed anima eius liberè,ac meritorio actu tunc tendebat in Deum, vnde illo tempore erat perfectior contemplatrix, quàm vnquam fuerit aliquis alius dum vigilauit. Vnde & ipſa ait: *Ego dormio,& cor meum vigilat*, ſcilicet in contemplatione perfecta,à nulla actione debilitata. Hoc tamen ſecundùm alios fuit poſt ſecundam ſanctificationem,quod fortè verius eſt. Hæc Bernardinus. & eodem Ser.art. 3.cap.3. ad contemplationem Virginis illud refert: *Vulneraſti cor meum in vno oculorum tuorum*: Vulneraſti,inquit,cor meum in vno oculorū tuorum,id eſt,in lucidiſſima contemplatione:in tātum mecū vnita es,propter vnitiuam attentionem tuorum aſpectuum contemplatiuorum,&c. Duo illi Cherubini,qui in ſanctis ſanctorum erant, verſos habuere vultus in propitiatoriū, ita Virginis intellectus verſos habuit,aſpectus, vt appellat Bernar. contemplatiuos in Deum.

Cant.4.

Rupertus Cant.3.de Virginis contemplatione,illud etiam exponit: *Ego dormio & cor meum vigilat*. multarum,inquit,animarum fuit,& eſt,non ſolum ſecūdùm ſimilitudinem Iacob,ocio ſancto dormire, id eſt,à terrenis curis vacare,& in cœleſtibus per contemplationem corde vigilare:Verum etiam eodem modo,quo & Iacob tunc dormiuit, ſecundùm corpus dormire,& ſecundum animam per ſomniū cœleſtia videre,iuxta illud: *ſenes veſtri ſomnia ſomniabūt, & iuuenes veſtri viſiones videbunt*. Sed tu ô cœlum Dei,vnica ſedes Domini,in vtroque vigilantiæ modo cunctis mortalibus longe eminentior extitiſti, longe ſtudioſior ad contemplandum eum, in quem deſiderant Angeli proſpicere,atque aptior fuiſti,&c. Dionyſius Carthuſianus, Verba eadem: *Ego dormio,& cor meum vigilat*: de Virginis contemplatione his verbis exponit digniis,quæ hoc loco ſcribātur:Hoc,inquit, præclariſſima ſponſa Verbi æterni ſanctiſſima Virgo,præeminenter dicere potuit, quia contemplatiuiſſimā vitam duxit,& ab exteriori tumultu, omniſque inordinato ſtrepitu, & cura ſuperflua, atque inquietudine culpæ penitus abſtinens & ſopita, vigilantiſſima mente Deo vacauit, pro Eccleſia exorauit, actibuſque virtutum in termino excellentiæ perfectiſſimis,iugiter fuit intenta. Denique in ſomno corporali cor eius peruigil fuit, & ex aſſidua aſſuefactione perfecta,inſiſtēdi diuinis, ex ardentiſſima,& exercitatiſſima charitate,ex ſplendidiſſima,& exuberantiſſima ſapientia ſibi infuſa,& contemplatione in vigilijs, penè aut prorſus continue, etiam tempore ſomni, vigili corde fuit Deo coniuncta: Hæc Dionyſius.

Cant.5.

Dionyſius Carthuſian. Can.5.

Quod ſi Cherubini, vt ait Hieronymus in Cantico Abacuc, ſcientiæ multitudinem ſignificant, Virginis Cherubinis nomē etiam congruit, quippe qui ſcientiæ multitudine pleni fuerint,qua de re D.Bernardinus: Tanta, inquit,ſapientię claritas à Deo ſuper infuſa eſt virgini, quod hæc ſeptem perfectè intelligebat ſecundùm quoſdam, primò naturam creatam irrationalem, ſecundò naturam creatam rationalem, tertiò naturam creatam ſpiritualem, quartò naturam increatam diuinalem, quintò omnia quæ erant fugienda & ſpernenda, ſextò omnia quæ erant ſequenda & amplectenda, ſeptimò per quem modum,& ad quantum gradum omnia eſſent odienda vel diligenda. Hæc Bernardinus. Dionyſius quoque loco iam iudicato; ſapientiam virgini infuſam ait, & ſplendidiſſimam atque exuberantiſſimam vocat.Ex ſplendidiſſima,inquit, & exuberātiſſima ſapientia ſibi infuſa, &c. Et D. Anſelmus in libro de excellent. Virg.cap.7. Erat (ait) vt hic quidem videtur, vtilis & neceſſaria fidei noſtræ, virginis conuerſatio poſt aſcenſionem Domini, inter Apoſtolos eius.quia licet ipſi per reuelationem Spiritus Sancti,edocti in omnem veritatem fuerint, incomparabiliter tamen eminentiùs ac manifeſtius Virgo per eum ſpiritū veritatis, illius veritatis profunditatē intelligebat.& per hoc multa eis per virginē reuelabantur,quæ in ſe non ſolū ſimplici ſciētia,ſed ipſo effectu, ipſo experimento didicerat de myſterijs Chriſti.Hæc Anſelm. Et Rupertus ad illa verba:

D.Hieron.

De Sapiētia Deiparæ.i D. Bernard. tom. 2. ſer. 51 art. 1. cap. 2.

Dionyſius Carthuſian.

D.Anſelm.

Rupertus in cap. 2. Matth.

verba: *Acceperunt responsum, ne redirent ad Herodem*, &c. Ex tunc, inquit, id est, post ascensionem Christi, beatæ Virgini fuit tempus loquendi, & hoc amicis, id est, Sanctis Apostolis, & talia loquendi, qualia prius portare non potuissent, quod sciens ipse filius hominis, dixerat quodam loco, *adhuc multa habeo*

Ioan. 6.

vobis dicere, sed non potestis portare modo, vbi venit spiritus veritatis. primus quidem & princeps ipse, illos omnem veritatem docuit, sed & ipsa beata Virgo testimonium suæ vocis adhibuit, & taliter locuta est auribus fidelibus, vt proinde rectè dicat dilectus eius: *Fauus distillans labia tua, mel & lac sub lingua tua, emissiones tuæ paradisus malorum punicorum, fons hortorum, puteus aquarum viuentium, quæ fluunt impetu de Libano.* Hæc Rupertus.

Cant. 4.

Voluntas Virginis arca, in qua lex asseruabatur.

Iam verò quid similius arcæ testamenti, quæ in tabernaculi penetralibus asseruabatur, quam ipsa Deiparæ voluntas, quæ in animi penetralibus erat? In arca illa tabulæ recundebantur, quibus mandata Dei fuere inscripta, in volutate Virginis ipsa Dei præcepta sic custodiebantur, vt ne tenuissimũ quidem vnguem ab illis discederet. Voluntas Virginis arca erat voluntatis Dei, lex Dei arca volũtatis Virginis, iuxta illud: *In lege Domini voluntas eius.* Diuus Bernardinus: Virgo, inquit, semper habuit continuum aspectum ad Dei beneplacitum, promptumque cõsensum semper gerebat in mente, beneplacita diuina adimplere, &c.

Psal. 1.

D. Bernard. tom. 1. serm. 51. art. 3. cap. 2.

Matth. 5.

Iota vnum, aut vnus apex (ait Dominus) *non præteribit à lege, donec omnia fiãt.* Egregie in Virginẽ h ęc verba quadrant, nec iota, nec vnum quidem præteriit legis diuinæ apicem, omnia diuina mandata, & magna, & minima, perfectissimè seruauit, nullum ne veniale quidem peccatum commisit, illumque statum in vita est assecuta, quem Gregorius Nazianzenus ait,

D. Gregor. Nazianz.

omnem humanæ naturæ modum superare: Oratione quarta, aduersus Iulianum: Eum, inquit, vitæ statum, qui omni prorsus peccato vacet, Deus supra humanæ naturæ modum constituit, &c. Nunc eundem statum Alexand. Clemens libro primo Pædagogi, capite secundo, Dei esse docet: Optimum (ait) est nullo modo peccare penitus, quod quidem Dei esse dicimus, &c. Et Gregorius Nazianzenus oratione quadragesima: Omni, inquit, peccati labe carere Dei est, primæque & non compositę naturæ, peccare autem humanæ ac terrenæ compositionis. Compositio siquidem dissidij origo est, &c. Eandem sententiam hoc carmine complexus dicitur Solon, quod citat Demosthenes oratione de corona.

Clemens Alexand.

Dei est nihil peccare hoc Deipara largitus est. Solon.

μηδὲν ἁμαρτεῖν ἐστὶ θεῶν, πᾶσι πάντα κάτοφθοῦν.

Hoc est, nihil peccare est Deorum, & omnia dirigere.

Id ergo quod Dei est, scilicet impeccantiam, Virgo diuino munere habuit, id verò, quod terrenæ est compositionis, vt dixit Nazianzenus, id est, peccatum, singulari priuilegio nulli mortalium concessio non habuit. Vnde Bernardus, Epistola 174. Ego (inquit) puto, quod & copiosior sanctificationis benedictio in Virginem descenderit, quæ ipsius non solùm sanctificaret ortum, sed & vitam ab omni deinceps peccato custodiret immunem, quod nemini alteri, in natis quidem mulierum, creditur esse donatum. decuit nimirum reginam Virginum, singularis priuilegio sanctitatis, absque omni peccato ducere vitam. Hæc Bern. Hoc eximium priuilegium commemorat etiam Augustinus in libro de natura & gratia, cap. 36. hic verbis: Excepta Sancta Virgine Maria, de qua propter honorem Domini nullam prorsus, cùm de peccatis agitur, habere volo quæstionem. Vnde enim scimus quòd ei plus gratiæ collatum fuerit, ad vincendum omni ex parte peccatum, quæ concipere ac părere meruit eum, quem constat nullum habuisse peccatum. Hac ergo Virgine excepta, si omnes illos sanctos, & sanctas, cum hic viuerent, congregare possemus, & interrogare, vtrum essent sine peccato, nónne vna voce clamassent, *si dixerimus quia peccatum non habemus, nosipsos seducimus.* hactenus Augustinus. Richard. Victorinus Cant. 39 Maria, inquit, supra homines est, in eo quòd numquam peccatum commisit sicut homines, item: Virgo speciem suam numquam per aliquod peccatum mortale vel veniale maculauit: Vnde speciem eius Rex cœlestis concupiuit, &c. lege eundem cap. 26. D. Bonauentura in 3. Sent. d. 3. Congruebat, aduocata generis humani, vt nullum haberet peccatum, congruebat vt Virgo ita vinceret diabolum, vt nec ei succumberet ad modicum. Congruum etiam fuit, vt sic esset immaculata mente, sicut intemerata carne, &c.

Rich. Vict.

D. Bonau.

Merito igitur dicitur: *tota pulchra, & absque vlla macula*, Et: *Terribilis, vt castrorum acies ordinata*, quemadmodum enim terribilem atque ordinatam castrorum aciem fugiunt hostes, sic virginem peccata omnia fugiebant, in qua virtutes omnes, actiones, & cogitationes, sub Dei vexillo, peculiarique auxilio, sic ordinatæ erant, vt ab ordine ne puncto quidem vnquam recesserint. Nulli vnquam milites sic præscriptum seruauerunt ordinem, nulla castra: *stellæ manentes in ordine & cursu suo, aduersus Sisaram pugnauerunt.* Virginis virtutes, manẽtes semper in ordine & cursu suo, aduersus diabolum dimicarunt. Vt cœli, ita omnes Virginis sensus, animique facultates, admirabilem tenuere ordinem, admirabilemque concentum. *Concentum cœli quis dormire faciet?* Nemo sanè cœli, nemo Virginis suauissimum ex somno omnium cogitationum & actionum ordine profectum concentum, impedire vnquam valuit.

Cant. 4. Cant. 6.

Virginis omnes cogitationes verba, & actiones, admirabilem tenuere ordinem. Iud. 5.

Iob. 35.

Si dulcis est sonus castimoniæ, vt ait Ambrosius in Psal. 42. dulcis sonus fidei, dulcis sonus timentium Deum, quam dulcis fuit summæ virginitatis, humilitatis, charitatis, fortitudinis, cæterarumque virtutum omnium, quæ in Virgine Deipara sonabant, perpetua, admirabilisque harmonia? Nulla cithara est, quæ vnius anni spacio suaue chordarum temperamentum conseruare possit, at Virginis illa suauisonans cithara (animam dico) sexaginta tribus quibus in mortali carne permansit annis, omnium fidium, omnium sensuum, facultatumque suauissimũ temperamentum, stupendo modo conseruauit. Denique *sicut lilium inter spinas*, sic hæc Dei *amica fuit inter filias*. In reliquis omnibus spinæ fuere peccatorum, in hac amica, & matre, vt in lilio spina nulla, odore plena omnia. Nulla est sine fumo flamma, nullus in hoc mundo sine peccati venialis fumo, charitatis ignis (de Christi igne non loquimur) præter illum, qui in pectore Virginis exarsit. Constat ergo in arca nostra, id est, Virginis voluntate, tabulas fuisse diuinæ legis, summa cum diligẽtia asseruatas. Quonam auro radiarit iam videamus.

Contemtus virtutum in Deipara sua nullissimus.

Cant. 2.

Charitatem præstantissimo metallorum auro significari, nemo ambigit. Hoc itaque pretij excellentissimi ignito auro, arca, id est, voluntas Virginis, & rutilabat, & ardebat. Quis eius splendores, quis flammas, diuinosque ardores fando possit explicare? Deus, vt Ioannes ait, *charitas est*. Virgo quoq; Dei Mater charitas est. quo loco legimus: *Ne suscitetis, neque euigilare faciatis dilectam*: Hebraicè legitur אהבת, ahaba, quæ dictio significat charitatem, ne suscitetis charitatem. Septuaginta verterunt ἀγάπην, id est, dilectionem, siue amorem. est ergo Christi sponsa, & mater Virgo, charitas. Quid mirum si Deo amicissima, id quodam modo sit quod Deus est? & sit (si mihi fas est ita loqui) sit inquam non

De charitate Virginis ardentissima. 1. Ioan. 4. Cant. 3.

D. Bernard. Virgo nullum vnquam peccatum commisit.

D. August.

non solùm charitas, sed etiam quodammodo Deus: siquidem Aristotele autore: *Amicus est alter ego, & amici Dei sunt etiam suo modo Dij*, iuxta illud: *Ego dixi Dii estis*, & illud Augustin. tract. 2. Epist. Ioannis. *Deum diligis, quid dicam? Deus eris.* Ardebant in cœlo seraphini, sed flagrantiori igne ardebat in terra Virgo. *Lampades eius lampades ignis atque flammarum*: Hebraice, *lampades eius lampades ignis, flamma Dei*, &c. id est, flamma vehementissima, & maxima, quæ enim maxima sunt, Dei appellantur ab Hebræis, vt Psal. 35. *montes Dei*, id est, maximi, Charitas Virginis flāma fuit Dei, Dei enim solius est, hanc flammā in pectus mittere, iuxta illud Christi, *Iguem veni mittere in terram*. Ignis diuini spiritus è cœlo delapsus est, ignis qui olim in altar. ardebat e cœlo est diuinitus datus. Auguit. q. 31 in Leuiticum: Ex illo, inquit, igne quod diuinitus ad altare venerat, deinceps custodito, omnia erant accendenda. Sic flamma charitatis e cœlo in cor Virginis velut altare venit, in eoque semper arsit, iuxta illud: *Ignis in altari semper ardebit*, D. Bernardinus Mes, inquit, Virginis in ardore dilectionis continuæ tenebatur, &c. Fuit præterea charitas Virginis flamma Dei, id est, vehementissima, & ardentissima, omniq́ue peccati fumo carens.

Aristoteles. Ethic. 9. *Psal 81.* *August.* *Can 8.* *Psal. 35.* *Charitas è cœlo delabitur, cœlestis ignis est.* *Luc. 12.* *August.* *Leuit. 6.* *D. Bernar. tom. 1. ser. 51. art. 3. cap 1.*

Quod noster Interpres vertit, *lampades eius, lampades ignis*, vertit Simmachus: *Impetus eius, impetus ignei*, ignei quidem sunt charitatis impetus. Ignis turribus subiectus, solo illas æquat, charitas pectori subiecta, superbiæ turres, peccatorum moles, mundi omnes machinas euertit. Ignis ferreos globos longissimè iacit, hostesque maxime terret, charitas carnea corda lōgius, hoc est, in cœlum impellit, dæmonibusq́; horribilis est. Quemadmodū D. Bern. loco citato, ait sic dæmones magnam Virginis fugisse charitatem, quemadmodum muscę magnum fugiunt flammarū rogum. Sicut magnus, inquit, ignis effugat muscas, sic ab ardentissima Virginis mente, & inflammatissima charitate dæmones effugabantur, & pellebātur, in tantum quòd solum in modico non erant ausi respicere mentem eius, nec de magno spacio illi propinquare. Et Richardus Victorinus in Comm. Cant. cap. 26. Virgo (ait) tenebrarum principibus terribilis fuit, vt ad eam accedere eamque tentare nō præsumpserint, deterrebat enim eos flamma charitatis, incendebant orationes, & feruor deuotionis, stupebant immunem à peccatis, &c.

Ignei charitatis impetus. *Bernardin.* *Virgo terribilis dæmoni. Richardus Victorinus.*

Merito ergo dicitur Virgo, *mulier amicta Sole*, amicta ardore, amicta charitatis flammis. Calidissimus est huius mulieris amictus (ait Bern. in Serm. de Verbis Apoc.) cuius omnia tam excellenter irradiata noscuntur, vt nihil in ea non dico tenebrosum, sed obscurum saltem, vel minus lucidum, sed ne tepidum quidem aliquid, aut non feruentissimum, liceat suspicari, &c.

Apoc. 12. *D. Bernar.*

Habet sagittas suas charitas, de quibus August. lib. 9. Confes. cap. 1. Sagittaueras (ait) tu Domine cor nostrum charitate tua. habet & vulnera sua, vulnera, quæ non mortem, sed dulcissimam vitam afferunt. Cant. 5. quo loco legimus: *Amore lāgueo*, septuaginta transferunt: *Vulnerata charitatis ego sum*. O admiranda vulnera, ô admirandam vulneratam, admirandamque vulnerantem. Vulnera non cruorē, sed cœlestem rorem trahunt, vulnerata anima non moritur, imò si mortua est reuiuiscit, vulnerans non in eos, quos habet odio, sed in eos quos diligit sagittas iaculatur. O terque quaterque beata illa anima, quæ verè dicere potest: *Vulnerata charitatis ego sum*. Virginis sunt hæc verba, singulari modo illa vulnerata est charitatis, in cuius pectus pharetrā charitas exhausit. Nulla mundi, nulla dæmonis, nulla carnis, sola charitatis iacula, cor illud beatum excepit. sed mellifluum Bernardum de Virginei pectoris vulnere, ser. Cant. 29. loquentem audiamus: Est, inquit, sagitta electa amor Christi, quæ Mariæ animam non modo confixit, sed etiam pertransiuit, vt nullam in pectore virginali particulam amore vacuā relinqueret; sed toto corde, tota anima, tota virtute diligeret, & esset gratia plena; & infrà, Virgo quidem in tota se, grande & suaue amoris vulnus accepit: ego verò me fœlicem putauerim, si summa saltem quasi cuspide huius gladij pungi interdum me sensero: vt vel modico accepto amoris vulnere: dicat etiam anima mea, *vulnerata charitate ego sum*, &c.

Cant. 5. *Sagitta charitatis.* *D. Bernard.*

Denique qualis Virginis vita fuerit hinc colligito: *qualis enim amor, talis vita est.* August. tract. 2. in Epistolam Ioannis: *Talis est quisq́; qualis eius dilectio est*, &c. Dionysius Areopagita in libro de diuinis nominibus cap. 4. Facit extasim diuinus amor, non dimittens sui ipsorum esse amantes, sed amatorum. & infrà: Propter quod & Paulus magnus in continentia diuini factus amoris, & virtute ipsius extasim faciente participans, diuino ore: *Viuo ego*, dicit, *iam non ego, in me autem viuit Christus*, sicut vetus amator, extasim passus (sicut ipse dicit) Deo, & non sui ipsius viuens, sed amati vita, sicut valde diligibili, &c. Vides talem esse vitam, qualis amor est, qui extasim facit amantis in amatum: Paulus (ait Dionysius) amati viuebat vita, sicut valde diligibili, similiter & quiuis alius ardenter Christū amans, Christi amati viuit vita, potestque merito Pauli verba vsurpare: *Viuo ego, iam non ego, viuit verò in me Christus*. Si verba hæc ardenter amans vsurpare potest, quid de illa dicemus, quæ amauit ardentissime? Viuo, dicere poterat, sed multo cæteris excellentius dicere, viuo ego, non ego, viuit verò in me Christus, viuit in me Deus. Christi Dei summi vita viuebat, Christum spirabat, in Christo animam habebat, illiq́ue semper præsens aderat. Vt enim ait Bernardus in fine libri de præcepto, & dispensatione: Non est præsentior spiritus noster vbi animat, quam vbi amat, nisi forte putetur esse magis, vbi inuitus ex necessitate tenetur, quam quo sponte & alacri voluntate fertur. denique *vbi est thesaurus tuus, ibi est & cor tuū*, hæc ille. Cato Senior dicebat, amantis animum in alieno corpore viuere, nos dicimus Virginis vehementissimè amantis animum in filij non solùm corpore, sed animo etiam ac diuinitate, semper vixisse, potiusq́;, vt cum Bernardo loquamur, ibi fuisse vbi amabat, quàm vbi animabat.

Qualis amor, talis vita D. Augustī. Dionysius Areop. *Amor facit extasim.* *Amans vitā amati vita.* *D. Bernard.*

Perpetuam sui memoriam flagitat æternus sponsus: *Pone me*, inquit, *vt signaculum supra cor tuum, vt signaculum supra brachium tuum, quia fortis est vt mors dilectio.* Quæ verba sic Cassiodorus exponit: *Pone me vt signaculum supra cor tuum*, hoc est, habeto me semper in memoria. nam & nos quando aliquid in memoria habere volumus, signaculum digito vel brachio imponere solemus, &c. Hanc perpetuā Dei memoriā Virgo habuit, supra cor suum, & supra brachiū suū, vt signaculum Christum posuit, cuius nulla vnquā hora obliuisce retur, fuitque eius dilectio fortis, sicut mors, eo quòd quemadmodū mors animā, à corpore separat, ita dilectio, Virginis memoriam ab omnibus caducis rebus separauit. Cassiodorus in Cantica: Sicut mors animam à corpore separat, & iam nihil concupiscere, nihil in præsenti vita licet ambire, ita dilectio Christi, quem verè peruaserit, totum mortificat huic sæculo, & quasi insensibilem reddit, &c.

Cant 8. Perpetua Dei memoria. Cassiodorus. *Charitas mortificat animum. Cassiodorus.*

De amore Virginis lege D. Anselmum lib. de Excellentia Virginis cap. 4. quo docet filiorum amorem diuisum esse in patrem & matrem, amorem autem Christi in matre sola fuisse vnitum. Itemque docet, Virginē filio vtrumque amorē debere, & patris, & matris siquidem vt homo est, patre caret, matrem

Amor Virginis in filiũ, & filij in Virginem, maximus

matrem tantummodo habet. Omnes, inquit, homines amorem ſuum patri & matri debent, ipſumque amorem ſuum parentes ambo, amorem autem quem pater, & mater, ſinguli debent filio ſuo, debet hæc fœliciſſima matrum ſola filio ſuo, amorẽ etiam, quem debet filius ſimul ſuo patri & matri, ille filius Virginis debet ſoli matri. Excedit itaq; omnes amores parentũ in filios, aut filiorum in parentes, amor iſtius matris in filium ſuum, & iſtius filij in matrem ſuam, &c.

Eccli. 24. Amor Dei pulcher, amor mundi turpis. Cant. 4. Gregorius Nazian.

Vides quali auro arca noſtra radiet? Simili nos radiare illa cupit. *Ego*, inquit, *mater pulchræ dilectionis*, pulchra eſt charitas, quia pulchram reddit animam, tolle charitatem, deformis anima eſt, adiice charitatẽ, protinus pulchra dixeris. *Tota pulchra es amica mea*, pulchra (inquam) quia amica, quia charitate prædita. Gregorius Nazianzenus in carmine de laudibus Virginitatis. Hic, id eſt, Dei ſolus amor, formoſum reddit amantem, &c. Eſt etiam pulchra dilectio, dilectio Dei, deformis dilectio mundi. Quemadmodũ dilectio Dei pulchram, ita mundi amor turpem reddit animam. *Facti ſunt abominabiles, ſicut ea, quæ dilexerũt*, ſimiliter, facti ſunt pulchri, ſicut is, quem dilexerũt, qui Deum dilexerunt: Auguſtin. tract. 2. in Epiſtolã Ioannis: *Talis eſt quiſque, qualis eius dilectio eſt*, terram diligis, terra es, Deum diligis, quid dicam? Deus eris, &c. Pellamus ergo animo deformem mundi & carnis amorem, pulchram charitatem amplectamur, animum, vt vas, diuino hoc liquore implendum, exhauriamus. Auguſtin. loco citato: Exclude, inquit, malum amorem mundi, vt impleatis amore Dei. Vas es, ſed adhuc plenus es, funde quod habes, vt accipias, quod non habes, &c. Demus operam vt charitas in animo altas agat radices: iuxta illud Pauli: *In charitate radicati, & fundati*. Vt autem radices agat, mundi ſyluam excidamus: Nam vt ait Auguſtinus eodem loco: Quomodo ibi radicatur charitas, inter tanta ſyluoſa amoris mundi: Extirpate ſyluas, magnum ſemen poſituri eſtis; ſcilicet charitatis, non ſit in agro quod ſuffocet ſemen, &c.

Oſea 9. D. Auguſt.

Mundi amor excidendus.

Epheſ. 3.

Manna, & Virga Aaronis, quid in virgine adumbrent.

Quod ſi dulce manna in hac arca requiras, & virgam, quæ in priſca illa arca fuere, quodnam dulcius manna vnquam fuit ea dulcedine, quam ex diuinarum rerum contemplatione, diuinaque charitate, Virginis voluntas percipiebat? Quemadmodum in beatis ex viſione Dei, & amore, ſumma oritur delectatio; ita in Virgine ex contemplatione, & charitate, ſumma oriebatur dulcitudo. Superat (ait D. Anſelmus loco citato) omnes omnium rerum creatarum amores, & dulcedines, magnitudo amoris iſtius Virginis in filium ſuum & dulcedinis immenſitas, qua exultabat, & liquefiebat anima eius, in eũdem Dominũ Deũ ſuum, &c. Dulcedinis immenſitatem appellat Anſelmus. Aaronicæ verò virgæ, principatus flores, fructuſque admirabiles, voluntatis rectiſſimæ in totum animũ, totumque corpus imperium, internos actus florentiſſimos, externoſque admirabili fructu pleniſſimos, adumbrarunt.

D. Anſel.

De humilitate arcæ, i Virginis deiparæ Thren. 2. Pſal. 98. 1. Par 28. D. Bernard

Obſerua præterea arcam illam teſtamenti veteris, non in ſublimi aliquo throno, ſed humi fuiſſe collocatam, Deique ſcabellum appellatum, iuxta illud Thren. *Non eſt recordatus ſcabelli pedũ ſuorum*, & Pſal. *Adorate ſcabellum pedum eius*. Et Paralip. *Cogitaui, vt ædificarem domum, in qua requieſceret arca fœderis, & ſcabellum pedum Domini Dei noſtri*, &c. Hæc arcæ humilitas Virginis humilitatem adumbrat, de qua præclarè D. Bernardinus ſermone 51. citato art. 1. cap. 3. Sicut (inquit) nulla poſt filium Dei creatura, tantam aſcendit in gratiæ dignitatem, ſic nec tantum deſcendit in abyſſum humilitatis profundæ. Nec inſuper alicui puræ creaturæ in hoc ſæculo eſt datum, tantum guſtare nihilum creaturæ, nec tantum ſe humiliare & annihilare ſub volito diuinæ maieſtatis, &c. Et art. 3. c. 2. Virgo, inquit, continue habebat actualem relationẽ ad diuinam maieſtatẽ, & ad ſuam nihileitatem. Dionyſius Carthuſ. lib. 3. de laudibus Virginis artic. 27. Erant, inquit, Virgini ſemper aperti duo libri, id eſt, duæ illuminationes internæ, vnus fuit liber Sapientialis, in quo ea, quæ Dei ſunt, & omnem excellentiam eius profunde ac perlucide contemplabatur: alter fuit liber ſcientialis, in quo ſeipſam, & ea quæ ſua erant, clariſſime intuebatur. ſicque cum admiratione & reuerentia ſumma dixit: O Deus meus, quid tu, & quid ego, &c. Richardus Victorinus, in expoſitione Canticorum capite 26. Quia humilitas locus eſt gratiæ Dei, adeò vt tantum gratiæ capax ſit aliquis, quantũ fuerit humilis, ſicut Virgo virtutem hanc perfectè & totam poſſedit, ita totam eam gratia impleuit, totamque decorauit, &c. Nimirum erat Virgo arca gratia plena, quia humi ſe collocarat. Non implet gratia ſuperbos, ſed humiles.

Dionyſius Carthuſ.

Richardus.

De prima Virginei tabernaculi parte, quæ ſuperior animi portio eſt, diximus hactenus. Ad ſecundam, quæ appetitus eſt, faciamus gradum. Secunda Moſaici tabernaculi pars ſancta dicitur, ſecũda quoque Virginei tabernaculi pars idem habet nomẽ. Nã licet in hac animi noſtri parte, vt Paulus ait: *peccatum habitet*, id eſt, concupiſcentia, quæ ex peccato orta, ad peccatum impellit, ideoque peccatum dicitur, quamuis ipſa per ſe peccatum non ſit proprie, vt iam diximus ſupra, in Virgine tamen nó peccatum, ſed ſanctitas extincto fomite habitabat. quidquid enim appetebat ſanctum, Deoque gratiſſimum erat. Tria fuêre in Moſaici tabernaculi parte ſecũda, vaſa pretioſa, candelabrum, menſa. altare thymiamatis: Tria ſunt in appetitu noſtro, quæ iis indigent vaſis mala: tenebræ, eſuries, peſtiferi halitus. Eſt enim tenebris circũfuſus, eſurit ſemper, peſtiferos efflat halitus. Aduerſus tenebras candelabrũ, aduerſus eſuriẽ menſa, aduerſus peſtiferos halitus, altare thymiamatis opus eſt. In appetitu Virginis nõ tria mala noſtra, ſed triapretioſa vaſa, triaq; illis adumbrata bona reperiũtur. Noſtri affectus ſæpe in tenebris, Virginis affectus in maxima ſemper luce mouebãtur, habebãt enim aureum rationis; fideique candelabrum. In muliere amicta ſole quænam tenebræ eſſe poſſint? Virginis (ait Bernardus in ſerm. de verbis Apoc.) omnia excellenter irradiata noſcuntur, &c. Noſter appetitus ſemper eſurit; Aſpice (inquit Sen. 7. de beneficiis cap. 26.) quemadmodum immenſæ hominum cupiditates hient ſemper, & poſcant. Virginis appetitus non eſuriebat, nihil præter Deum poſcebat, nihil expetebat terrenum: Dei menſa, Dei dulciſſimis epulis ſatiabatur. Quidni ſatiata Virgo viueret, quæ propoſitum ſemper ante oculos habebat panem propoſitionis, qui è cœlo deſcendit? Noſter appetitus peſtiferos efflat halitus, id eſt, cogitationes, Auerno lacui ſimilis, de quo Maro:

De 2. Tabernaculi virginei parte 1. appetitu. Rom. 7.

Appetitus Virginis illuminatus, ſatiatus, odorẽ ſuauiſsimum exhalans. D. Bernard. Seneca.

Maro, lib. 6.

Spelunca alta fuit, vaſtoq; immanis hiatu,
Scrupea, tuta lacu nigro, nemorúmque tenebris,
Quam ſuper haud vllæ, poterant impune volantes
Tendere iter pennis: talis ſeſe halitus atris
Faucibus eructans ſupera ad conuexa ferebat.
Vnde locum Graii, dixerunt nomine Auernum.

Virginis verò affectus altare fuit Thymiamatis, admirabilem ſemper odorem exhalans, iuxta illud: *Quæ eſt illa, quæ aſcendit per deſertum ſicut virgula fumi, ex aromatibus myrrhæ, & thuris, & vniuerſi pulueris pigmentarij?* Per deſertum aſcendere dicitur Virgo, quia ſola ſic aſcendit, nullam habuit in aſcenſu altiſsimo, odoratiſsimoque parem, nec primam ſimilem viſa eſt, nec habere ſequentẽ. *odor vnguentorũ tuorum, ſuper omnia aromata*, &c. Super omnia, inquit, quia omnes ſanctos

Cant. 3.

Cant. 4.

sanctos vicit. De Virginis odoribus præclarè Doctor extaticus Dionysius Carthusianus. Cant. 4. Tanta, inquit, est suauitas virtutum matris Dei, quod cuncta mundi odoramenta transcendit, imò & totam perfundit Ecclesiam Triumphantem, insuper Ecclesia militans in fætoribus exilij degens: odore & suauitate huius exilij degens, odore & suauitate huius Deiferæ Virginis, Dominæ suę recreatur, fouetur, atque exhilaratur. &c.

Dionysius Carthusia.

Imitemur Deiparam Virginem, habeat appetitus candelabrum, rationis, fideique sequatur lucem, nihil cęco impetu, omnia sancto, iusto que rationis, & fidei motu appetat. D. Hieronymus Micheæ 6. Discit, inquit, Dominus vt faciamus iudicium, id est, vt nihil absque ratione & consilio faciamus, vt ante mens iudicet quid factura sit, & postea opere compleat, &c. Habeat item appetitus mensam, ne hiet semper, atque esuriat, habeat cœleste manna, cœlesti dulcedine compescatur. Cerberus ille triceps, mellita offa à Sibylla sopitus dicitur.

D. Hierony.

Appetitus noster qualis esse debeat.

Æneid. 6.

Melle soporatam & medicatis frugibus offam
Obiicit, ille fame rabida tria guttura pandens,
Corripit obiectam, atque immania terga resoluit
Fusus humi, &c.

Noster quoque cerberus biceps, id est, appetitus irascibilis, & concupiscibilis, si mellitam offam, hoc est, diuini amoris dulcedinem in fauces iniicias, mitigabitur, ac sopietur. dulcedo dulcedine abiicietur, diuini dulcedine amoris, mundani amoris dulcedo repelletur, diuinæ charitatis vulnere, febris ardens curabitur.

Namque tuum superet si Christus ab arce,
ait Nazian. Greg. in carmine ad Nemesium.
Pectus, & in medio figat tibi corde sagittam:
seiunctim inspiciens vtrumque oculatus amorem,
Quanto sit Domini stimulus mage dulcis, habebis
Perspectum, &c.

D. Gregor. Nazian.

Quis mihi tribuat (ait Bernard. serm. 29. in Cantica) charitate non modo vulnerari, sed expugnari omnino, vsquè ad exterminationem coloris, & caloris illius, qui militat aduersus animam, &c. Charitas enim appetitus calorem, & febrim, siue esuriem exterminat.

D. Bernar.

Denique habeat hæc hominis inferior pars, altare Thymiamatis, quod auernales halitus, cœlestium desideriorũ suffimentis pellat, mortificationis, cõtinentiæ, orationis, charitatis, & humilitatis ex eo ascendat odor, sitque suo modo *virgula fumi, ex aromatibus myrrhæ, & thuris, & vniuersi pulueris pigmentarij.* Myrrha continentiam, thus orationem, puluis humilitatem indicat, vt vult Gillebertus Abbas. Bona, inquit, myrrha, quæ carnalem petulantiam reprimit, & fluxos motus lasciuire non sinit, & carnem non esse carnalem compellere nititur. In thure accipio orationis materiam, & in fumo gratiam, in puluere pigmentarij humilitatis expressit virtutem, quòd ea de magnis meritis nihil magnum sentire noluerit, sed humili æstimatione reliquarum attenuet merita virtutum, & earum soliditatem, quasi ad quãdam pulueris exiguitatem deducat, &c.

Cant. 3. Gillebertus. ser. 15. in Cant.

Tertia Tabernaculi sanctissimi pars restat, ea est externa corporis Virginei species, atrio similis omnibus conspicuo. Omnis quidem Virginis gloria ab intus, verùm quod intus erat, foris quoque radiabat. vnde Ambrosius lib. 2. de Virginibus ait, ipsam virginei corporis speciem, mentis fuisse simulachrũ. Si bona domus (vt eodem loco ait Ambros.) in vestibulo debet agnosci, tam bona Dei domus optimum vestibulum, sanctissimum tabernaculum, sanctissimum habere atrium, id est, modestiam egregiam debuit, ex qua agnosceretur. Quis modestiam illam stupẽdam, quis oculorum, manuum, oris, vultus, totiusque corporis motus, dicendo possit exprimere? Exiguo ingenio ferant opem Patres. Ambrosius libro 2. de Virginibus: Nihil, inquit, torui in oculis Virginis, nihil in verbis procax, nihil in actu inuerecundum, non gestus fractior, non incessus solutior, non vox petulantior, vt ipsa corporis species simulachrum fuerit mentis, figura probitatis, &c. Itẽ, quę incessu, affectuque venerabili, non tam vestigium pedis tolleret, quam gradum virtutis attolleret. Damas. quoque Oratione 1. de Natiui. Virg. Quonam modo (ait) honestissimum tuum, ô virgo, incessum exprimam? quonam modo amictum? quonã modo oris tui venustatem? senilem in iuuenili corpore prudentiam? Honestus vestitus molliciem omnem ac luxum fugiens, gressus honestus, ac sedatus, atque ab omni mollicie remotus, mores seueri, atque hilaritate temperati, sermo iucundus ex leni animo progrediens. Hæc Damasc. Richardus Vict. Cant. 26. virgo tota lucida fuit opere, nihil tenebrosum habens, vel sinistrum, sed totum lucidum & perfectum, vt aliorum aspectibus pateret, & exemplo luceret, induta vestitu deaurato virtutum, & circundata varietate meritorum, &c.

D. Ambros.

Richardus Vict.

Ex his intelligere, quale fuerit sanctissimi huius tabernaculi atrium, & vestibulum, discesq; ipse tuo tabernaculo vestibulum & atrium eiusmodi fabricare, vt Dei domum esse cognoscant omnes, iuxta illud Pauli: *Modestia vestra nota sit omnibus hominibus.* Mens quidem omnibus hominibus nota esse non potest, modestia, quæ mentem indicat, potest. Bona domus (ait Ambros. loco citato) in ipso vestibulo debet agnosci. Ac primo prætendat ingressu, nihil intus latere tenebrarum, vt mens nostra nullis repagulis corporalibus impedita, tanquam lucernæ lux intus posita, foris luceat, &c. Et lib. 1. officiorum cap. 18. Habitus, inquit, mẽtis in corporis statu cernitur, hinc homo cordis nostri absconditus, aut leuior, aut iactantior, aut turbidior, aut contrà grauior, & constantior, & purior, & maturior æstimatur. Itaque vox quædam est animi, corporis motus, &c. Modestia igitur nostra sit omnibus nota, ex qua mens quoque ipsa cognoscitur, & iudicatur, immodestia verò à Christiano homine longè exulet, intuentium enim, maximè sanctorum, ferit oculos. Cum quendã (ait Ambros. loco officiorum indicato) in clero reperissem, meministis iussisse me, ne vnquam præiret mihi, quia velut quodam insolentis incessus verbere, oculos feriret meos, &c. Vides oculos sanctissimi patris Ambrosij insolenti incessu, atque immodesto, veluti verbere fuisse percussos? idem pater eodem loco narrat, quendam se amicum in clerum propter immodestiam non recepisse. Meminislis, inquit, quendam amicum, cum sedulis se videretur commendare officijs, hoc solo tamen in clerum à me non receptum, quod gestus eius plurimum dedeceret, &c. Vtinam sacerdotes, Ecclesiasticique viri tam modestię essent studiosi, quàm illa ad Ecclesiæ ornamentum necessaria est. Humiles nos esse decet (ait idem Ambros.) mites, mansuetos, grues, patientes, modum tenere in omnibus, vt nullum vitium esse in moribus, vel tacitus vultus, vel sermo annuntiet, &c. De diuino tabernaculo, *quod sanctificauit Altissimus.* Hæc sint satis.

Philip. 4. De modestia Christiani hominis.

D. Ambros.

Ambros. lib. 1. c. 20.

Psal. 45.

Dubium est, vbi nam sit Virgo nata? Vt scribit autor libelli de ortu Virginis, qui inter opera Hieronymi extat, in ciuitate Nazareth orta est. Abulensis Matthæi 2. quæst. 91. Maria, inquit, nata est in Nazareth, vt asserunt, vel in Sepphoro, quod est oppidum distans à Nazareth per tres leucas, cõtra Aquilonem. Nam de ipso loco asserũt fuisse Ioachim, alij D. Annam ibi ortam dicunt, Hæc ille. Adrichomius de Ierusalẽ scribens num. 37. ait, Ierosolymis

De tertia parte Virginei tabernaculi, atrio, i. externa Virginis modestia.

Vbi nata sit Virgo.

D. Annam habuisse domum, conceptamque in ea Deiparam, eadem in domo, atque adeò Ierosolymis natam, vulgo Ierosolymis dicitur, extat eo loco extructum templum, virginumque olim cœnobium, quod D. Annæ appellatur. est domus hæc prope piscinam probaticam. Fortè de hac domo intelligendus est Damascenus cum hæc scribit: In lucem editur Virgo in domo probaticę Ioachim, id est, in domo, quæ iuxta probaticāpiscinam sita erat. & Oratione 1. de Natiuitate Virginis: Fausta (ait) tibi sint omnia ô probatica patrium reginæ domicilium, fausta tibi sint omnia ô probatica, seminum Ioachim vetus fanum, nunc autem ouilis ratione præditi Ecclesia cœlum imitans: atque olim semel quot annis Angelum Dei excipiens aquam turbantem & vnum valetudini restituentem, &c.

Damasc. l. 4. fidei, c. 15.

B

CAPVT VI.

De præsentatione Virginis Deiparæ

IN lucem felicissimè edita Virgo, non diu in domo paterna mansit, sed veluti nobilissima arbor in solum pinguius, id est, templum, ex materno gremio translata, in atrijs domus Domini, mirandos flores, fructusque vberrimos protulit. Iuxta illud: *Plantati in domo Domini, in atrijs domus Dei nostri florebunt*: Et illud: *Quasi cedrus exaltata sum in Libano, & quasi cypressus in monte Sion, quasi palma exaltata sum in Cades, & quasi plantatio rosæ in Iericho, quasi oliua speciosa in campis, & quasi platanus exaltata sum iuxta aquas*, &c. Damasc. Ad templum (inquit) adducitur Virgo, & in domo Dei plantata, instar oliuæ frugiferæ, virtutum omnium domicilium efficitur, &c. Etenim Mater Anna voto nuncupato partum suum templo dicarat, vt docet Nicephorus lib. 1. ca. 7. Promissionem (inquit) Mater Anna adimplet, & in templum ascendens, iuxta votum eam Deo consecrat, &c. Et D. Gregor. Nyssenus in Oratione de Natiuitate Christi, ex arcana quadam historia: Non cunctata est Anna, eam ad templum adducere, & Deo reddere, ac promissum præstare. Idem docet Germanus Archiepiscopus Constantinopolitanus in oratione de oblatione Virginis in templo.

Psal. 91. Eccli. 24.

D. Damasc l. 4 fidei, c. 15.

D. Anna ex voto nuncupato Virginē templo dicauit.

Nicephorus.

D. Gregor. Niss.

C

D

Magna cum lætitia ac celebritate oblatam scribit idem Germanus. Sic enim D. Annam cum Zacharia sacerdote Ioannis patre loquentem inducit, Vota mea reddo Domino, quæ distinxerunt labia mea, & ideo Virginum cateruas coëgi cum lampadibus, & conuocaui sacerdotes, congregaui cognatos meos, omnibus dicens, congratulamini mihi, quòd hodie mater & productrix effecta sum, non regi terreno meam offerens filiam, sed Deo cœlesti, &c. Quoto anno adducta fuerit rogabis: Anno tertio adductam docet idem Archiepiscopus Constantinopolitanus loco indicato, & liber ille, qui inter opera Hieronymi de ortu Virginis circumfertur: Nicephorus libro primo, capite septimo, diuus Bonauent. in meditationibus de vita Christi, cap. 3. & alij, Gregorius Nyssenus ex illa historia arcana: Cùm puella (inquit) iam grandis euasisset, vt mammæ admoueri eam amplius non esset opus, non cunctata est Anna eam ad templum adducere, &c. Quot annis in templo vixit? Respondet Niceph. lib. 2. cap. cita. 3. vndecim mansisse. In libro illo de ortu Virginis citato legimus, quindecim gradus cùm in templo offerretur ascendisse: Erant (inquit autor ille) circa templum, iuxta quindecim graduum psalmos, quindecim ascēsionis gradus. In horum itaque vno

Germanus.

Quoto anno in templum adducta sit Virgo.

Nicephorus D. Bonauen. D. Gregor. Nyss.

E

Beatā Virginem Mariam paruulam parētes constituerūt, cumque ipsi vestimenta, quæ in itinere habuerant, exuerent, & cultioribus ex more vestibus se & mundioribus induerent: Virgo Domini cunctos sigillatim gradus, sine ducentis & leuatis manu, ita ascendit, vt perfectæ ætati in hac duntaxat causa, nihil deesse putares. Iam quippe Dominus in virginis suæ infantia magnum quid operabatur, & quanta futura esset, huius miraculi indicio præmōstrabat, &c. Dubitatur, vbi nam hi gradus in templo fuerint. Ioseph. lib. 6. de bello Iudaico cap. 6. Gradus (inquit) quindecim à muro, qui mulieres segregabat, ad maiorem portam ducebant. Hos ergo gradus Virgo potuit ascendere, vel alios similes, qui fuerint in secundo templo. nam Iosephus loquitur de templo ab Herode constructo, quod post ortum Virginis est fabricatum, cœpit enim extrui 18 Herodis anno, ante quem Virgo est orta. Arias Montanus in lib. de arcæ fabrica de quindecim gradibus hæc scribit: Quindecim (ait) gradus quos quidam in templo constituunt, ad quos psalmi canerētur, ab Israëlitis, ad sacerdotum atrium pertinuisse videntur.

De quindecim gradib. quos virgo ascendisse fertur. Iosephus.

Arias Mōt.

Difficilius est indicare, quonam in loco templi Virgo habitarit, nō enim videtur in templo illo Ierosolymitano vllus fuisse locus, in quo fœminæ habitare possent. Germanus Archiepiscopus Constātinopolitanus in Sanctis sanctorum habitasse docet: Vbi, inquit, non sæpe, sed semel solùm in anno, sacerdos ingrediens, peragebat cultus mysticos, illuc Virgo, vt ibi perpetuò maneret, à suis adducitur parentibus, vt esset in sacris gratiæ adytis. Quis vidit, aut audiuit fœminam, quæ adduceretur in intima Sancta sanctorum, ad quæ vix patet aditus hominibus, vt in eis habitet, & versetur? An non est hoc euidens demonstratio noui & alieni operis, quod in ea futurum erat postea? ostendant nobis, qui in eam linguas mouent, & vident, tanquam non videntes, vbinam talia vnquam viderunt, puellam ex professo adduci intra tertium velum, tanquam donum in quod nulla cadit reprehensio, vt illic habitaret assiduè. Hæc ille. Eodem loco ait Virginem à Zacharia sacerdote, & Propheta, qui pater postea fuit magni Baptistæ, in Sancta sanctorum introductam. Euodius Antiochenus post Petrum Episcopus, apud Canisium lib. 1. ca. 12. Maria (inquit) trimula cùm esset in templo est præsentata, & ibi in Sanctis sanctorum traduxit annos vndecim. &c. Niceph. lib. 1. cap. 7. Virgo vt res diuina intacta & sacrosancta in templi sanctiore loco, & in adytis ipsis viuebat, &c.

Germanus Arch.

An virgo in sanctis sanctorum sit versata.

Euodius.

Nicephorus.

Verumtamen à veritate aliena hæc opinio videtur: Etenim in Sancta sanctorum soli Pontifici ingredi fas erat, semel annis singulis, iuxta illud Pauli ad Hebræos 9. *In secundo tabernaculo*, id est, in Sancto sanctorum, *semel in anno, solus Pontifex non sine sanguine introibat*. idem docet Iosephus libro secundo contra Appionē, & libro octauo antiquitatum, capite secūdo. Non ergo permitteretur Virgo eum in locū ingredi, in quem soli Pontifici accedere licebat. Vim habet non exiguam hæc obiectio, estque rejicienda opinio, si tantùm opinio est, non autem maiorum traditio.

Hebr 9.

Iosephus.

Quòd si traditio esset, responderemus, soli Pontifici licuisse ingredi Sancta sanctorum ex lege, ex priuilegio vero etiam Virgini Deiparæ, quod D. quoque Iacobo concessum scribit Hieronymus, recepitque Ecclesia in Breuiarij lectionibus: *Iacobo* (inquit) *vni licebat ingredi in Sancta sanctorum*. Si Iacobo, cur nō Virgini, in qua virtutes fulgorem tantum emittebant, vt testamenti altera arca Sanctis sanctorum dignissima videretur? imò, vt Georgius ait Nicomediæ Archiepiscopus, in Oratione de præsentatione Virginis, oportebat Virginem non in sanctis sanctorum

D. Hieron.

Georg Nicom.

ctorum tabernaculis, sed in ipso cœlo cœli, in prima ætate educari, eam quæ his conspecta sit latior, & puritate antecelluit, &c. Illud hoc loco adiiciam falsum esse, quod Gregorius Nyssenus in oratione de Natiuit. ex arcana quadã historia refert, D. Annam sancta sanctorum ad orandum esse ingressam, nisi sancta sanctorum latè pro toto templo sumantur.

D. Greg. Nyssen.

Circa templum domus erãt, in quibus fœminæ habitabant.

Verisimilius est fuisse circa templum domos aliquas, in quibus fœminæ, quæ diuino cultui se mancipabant, quáſve parentes templo deuouebant, habitarent, qualis forsitã illa erat Anna filia Phanuel, quæ teste Luca, *non discedebat de templo ieiunijs, & obsecrationibus seruiens, nocte ac die.* Fuisse verò apud Iudæos fœminas, quæ diuino cultui se traderent, colligi potest ex verbis illis: *Fecit labrum æneum cum basi sua, de speculis mulierum, quæ excubabant in ostio tabernaculi,* &c. Vnde Rabbi Abraham in Commentarijs: Erant, inquit, in Israel mulieres Deum colentes, quæ spreta mundi vanitate, sua specula Domino offerebant, quia nõ erant illis opus, quæ per singulos dies veniebant ad ostium tabernaculi, vt orarent, & Dei audirent præcepta, &c. Accedit quod legitur 1. Regum: *impios Heli sacerdotis filios, earum fœminarum quæ obseruabant ad ostium tabernaculi, castitatem commaculasse.* Adde illud quoque: *Accinctæ mulieres cilicijs pectus, per plateas consluebant, sed & Virgines, quæ conclusæ erant; procurrebant ad Oniam,* summum scilicet sacerdotem, &c. De Virginibus enim, quæ iuxta templum habitabant, à nonnullis locus exponitur, vt Lyranus ait: Fauet illud: *Iosaba abscondit Ioas à facie Athaliæ, vt non interficeretur, eratq; cum ea sex annis clam in domo Domini.* &c. Ergo in domo Domini, id est, templo, fœminæ habitabant. Siquidem Iosaba filia Regis Ioram vxor Ioiadæ Pontificis, in eo sex annis habitauit, cum magno ancillarũ comitatu. Suadet illud Ambrosij initio libri primi de Virginibus: Etiam, inquit, templo Hierosolymis legimus fuisse Virgines deputatas.

Exod. 38.

1. Reg. 2.

2. Mach. 3.

Luca. 2.

4 Reg. 11.

D. Ambros.

In templo igitur vsque eò vixit Virgo, quoad Iosepho tradita est. Ab Angelo cibum sumpsisse scribit Germanus: Mansit, inquit, in Sãctis sanctorũ, seu in templi pentralibus, ambrosiam nutrimentum per Angelum accipiens, vique ad secundam ætatẽ, &c. Georgius Archiepiscopus Nicomediæ, in Oratione de Virginis oblatione: In dies, inquit, procedente ætate, crescebant in ea dona spiritus, & versabatur cum Angelis, nec erat diuinarum expers apparitionum. Cum ea, vt solebat, versante in adytis, vidit Zacharias quendam sermocinantem, qui erat inusitata specie, & ei præbentem alimentum, erat autem qui apparebat Angelus, &c. Andreas item Cretensis, Archiepiscopus Ierosolymitanus, in Oratio. de dormitione Virginis, scribit, tanquã pulchrũ munus Deo dicatam, in adytis tanquam in aureis vectam thalamis, immortalem, non autem communem cibum sumpsisse. D. Bonauentura in meditationibus capite tertio: Virgo, inquit, de manu Angeli escam accipere solebat.

Germanus Archiepis. Virgo ab Angelo dicitur accepisse cibum.

Georg. Nic.

And. Cret.

D. Bonau.

Angelos verò sæpe vidisse, scribit idem D. Bonauentura, cap. 4. Non fuit, ait, Virgo turbata de visione Angeli, quia eos videre sepe solita erat, sed in sermone, &c. Et Ambrosius initio lib. de Virginib. Gabriel eam vbi solebat reuisere, inuenit, & Angelum Maria, quasi viri specie mota trepida, quasi non incognitum, audito nomine recognouit. Bernard. homil. 2. super missus: Missus est angelus ad Virginem, ab angelis seruatam, &c. Et D. Bernardinus serm. 51. art. 3. cap. 2. tomo 2. Adfuit, inquit, Virgini Angelorum protectio, assidebant enim illi innumerabiles multitudines angelorũ in eius protectionem. Pie etenim credo, quod plurimas legiones habuit Angelorum ad custodiam, & protectionem suã. Cum & Elisæus, vt legitur, Angelorum multitudinem habuit, ad sui defensionem. Hæc ille. Auctor libro de ortu Virginis: Quotidie Virgo ab Angelis frequentabatur, quotidie diuina visione fruebatur, &c. Georgius Nicomediæ Archiepiscopus in Oratione de præsentatione Virginis: Quis vidit, quis audiuit talem ascensum corporis, quod in sanctis habitat, & stipatur ab Angelis? &c.

D. Ambros.

D. Bernard.

D. Bernardinus. Virginem Angeli custodiebant.

4. Reg. 6.

Georg. Nic.

Sic præcepit Deus: *Canetis tubis super holocaustis,* si tubarum cantum postulant holocausta, quam sonoram, diuinamque tubam holocaustum postulabit, quod Virgo in templo, cum præsentata est, obtulit? Non enim aut arietem, aut vitulum aliquem, sed semetipsum veluti holocaustum Deo adoleuit. Anna Samuelem filium templo olim obtulit, sed vincitur ab Anna nostra, cuius oblatio longo interuallo oblationes omnes superat, holocausto nostro verè nomen hebræum עוֹלָה Golah, congruit, id est, ascẽdens, scilicet sacrificium. Super omnia enim legis veteris sacrificia Virgo ascendit, præsentata. Vt Genebrardus narrat. lib. 2. Chronograph. Antiochus Sedetes, præstantem taurum, cornibus auro ductili obtectis, bdellijs, omnique pretiosorum lapidum genere cinctum, purpureo panno, & summi pretij ornamentis opertum, cum vasis aureis, & argenteis aromatum plenis, Ierosolymã in sacrificium misisse dicitur. Præclarum sane sacrificium, quo præclarius forsitan nunquam templum vidit, sed nihil ad nostrum. Non hic taurus offertur purpura, auro, gemmis, aromatibusque ornatus, sed Seraphinis præstantior Virgo, cuius ornamenta Dauid illis verbis canit: *Astitit regina à dextris tuis, in vestitu deaurato, circũdata varietate.* Quis Virginis purpuream patient iam, auream charitatem, sapphirinam virginitatem, smaragdinam humilitatem, quis fulgentes pyropos, quis odorem eximium exhalantia aromata, oratione cõplecti possit? *Dedit regina Saba regi Salomoni centum viginti talenta auri, & aromata multa nimis, & gẽmas pretiosissimas,* non fuerunt aromata talia vt hæc, &c. Typum habes oblationis reginæ, non Saba, sed cœlorum, non fuerunt aromata talia, non tale aurum, non gemmæ tales, quales Virgo sanctissima non Salomoni, sed Deo obtulit. Nullæ enim tales toto terrarum orbe, quales in tenera Virgine, virtutum opes erant. O opulentissimam oblationem.

Num 10. De virginis oblatione Deo gratissima.

Genebrar.

Psal. 44.

1. Par 9.

Quod si vt Gregorius docet 22. Moraliũ cap. 12. Omne quod datur ex dantis mente pensatur: Virginis mentem, voluntatemque qui animaduerterit, is quo pensanda sit modo oblatio cognoscet. *Holocausta medullata* (ait Dauid) *offeram tibi,* &: *Abel obtulit de primogenitis gregis sui, & de adipibus eorum,* &c. Holocaustorum medulla, & adeps, voluntas est, & amor, quo offerũtur: Virginis holocaustum, medulla, adipeque plenissimum fuit, siquidem voluntate & amore redundabat. *Respexit Dominus ad Abel, & ad munera eius,* quia medullata erãt, & adipata. Rupertus, Abel, inquit, primò cor suum, deinde rem suam obtulit: Deus bone, si Abelis munera Deus respexit, quibus iam oculis Virginis munus è cœlo conspexit? quam placidis, benignis, amore gaudioque plenis? Verè respexit humilitatem Ancillæ suæ. Respexit ad Abel, & munera eius, quia Abel à muneribus distinctus erat. Ipse homo erat, & agnos offerebat. At non respexit ad Virginem, & ad munera eius, quia Virgo, & munera eius, idem penitus erant. Virgo non agnos, sed seipsam offerebat, offerebaturque à matre Anna. Longe tamen filiæ effectus, matris affectui præcellebat.

D. Gregor.

Psal. 65. Donum ex mente pensatur.

Gen 4. Virginis holocaustum medullatum Gen. 4.

Multi pecunias, pecudes, sericas vestes, huiusmodique alia externa Deo offerent, præclarè quidem, pauci tamen sunt, qui seipsos totos illi cum Virgine deuoueant. Philomela suauissimum tibi ex arbore amœna offeret canticum, si tamen extensa manu in

tuam poteſtatem redigere libere volantem voles, ſubito aufugiet, videlicet, cantum, non ſeipſam offert. Similem in modum multi pecuniam aliaque ſimilia, non ſeipſos Deo tradunt. Virgo ſe totam tradidit, excepit nihil, ideoque merito holocauſtum, id eſt, totum incenſum ſacrificium, dici poteſt.

Cito ſe dedit virgo Deo.

Iam verò, ſi verum eſt, quod dicitur: *Bis dat, qui cito dat*, quæ tam cito ſe Deo dedit, millies dedit. citiſſime ſe Deo dedit, citiſſimè aurora noſtra, roſea virtutum luce fulgere, mirosque progreſſus facere cœpit, vnde illud: *Quæ eſt iſta, quæ progreditur quaſi aurora conſurgēs?* Per quindecim illa templi progreſſa dicitur gradus, at virtutis, omnes hominum, omnes Seraphinorum gradus, tranſcendit.

Cant. 6.

Apoc. 12.

Meritò ſane *luna* dicitur *eſſe ſub pedibus eius*. Propterea, quod ſanctimoniæ incredibilis curſum mira celeritate confecit, eaque in re reliquos ſanctos, vt luna reliquos planetas, ſuperauit. Ad idem vnde moueri cœpit punctum, redit Saturnus, poſt annos 30. Iupiter poſt 12. Mars poſt duos, Sol poſt 365. dies & aliquot horas. Venus, & Mercurius idem fere in curſu tempus conſumunt. Luna verò ociſſime 27. diebus, & aliquot horis, totam Sphæram proprio motu percurrit. Eundem in modum ex hominibus multi Saturno ſimiles, quò celſiorem dignitatis locum obtinent, eò ad virtutis curſum ſegniores ſunt. Alij vt Iupiter, breuiori tempore curſum abſoluunt, alij vt Sol, Venus, & Mars, ocyus mouentur. At Virgo ſanctiſſima, vt luna totā ſanctitatis vniuerſæ Sphæram, admirabili velocitate percurrit. *Quam pulchri ſunt greſſus tui in calceamentis, filia principis*, quanto in virtutis via celeriores, tanto ſunt greſſus pulchriores.

Ozyſime virgo virtutum percurrit Sphæram.

Cant 7.

Felix, qui Virginem imitatur, à tenera ætate Deo ſe totum deuouet, quaſi aurora progreditur ſemper, neque ſtat in ſtatuam conuerſus ſalis, vxori Loth ſimilis. Deoque iniucundus: *Vidiſti virum velocem in opere ſuo, coram regibus ſtabit, nec erit ante ignobiles.* Veloces in exercitatione officiorum quorumcunque (ait hoc loco Cardinalis Caietanus) gratiſſimi ſunt principibus, &c, Sic etiam Chriſto regum regi, qui in virtutis via celeres ſunt, maxime placent, qui ſegnes diſplicent. Eodem loco, ait Cardinalis, qui cito efficit, quaſi bis efficit, &c. Gratiam enim operi magnam addit celeritas, ſegnicies verò teſtudinea, iniucunditatem affert. Stat ſemper ſegnis, grauisq; terra, volat cœlū; quales terra, tales terreni, quale cœlum, tales cœleſtes homines ſunt, illi ſegnes, hi celeres.

Prouerb. 22. in virtute feſtinandum. Cardi. Caiet.

Iahel Siſaram ducem clauo per caput adacto occidit, *Poſuit ſupra tempus capitis eius clauum, percuſſumq; malleo defixit in cerebrum, vſque ad terram*, &c. Iahelis inſtar, clauis veluti quibuſdam terræ affigit, tardosque ad cœleſtia capeſſenda nos reddit inertiſſima caro. Nam, vt Ambroſ. ſcribit in Commēt. Luc. 14. Quaſi clauis quibuſdam ſuffigitur anima corporeis voluptatibus. Ideoque Nazian. Greg. in carmine ad virgines, carnem Echeneida vocat. dicitur autem Echeneis, latinè remora, piſcis, quod nauis curſum remoretur: Remora nauis, caro hominis in cœlum curſum, inhibet. Nazianzeni carmina hæc ſunt:

Iudit. 4.

Caro ſegnes reddit homines & tardos. D. Ambroſ.

Ne vitæ ipſa tuæ immittas Echeneida carnem.
Quæ veluti iniecta properantem compede puppim
Detinet: ac tantam cogit ſubſiſtere molem.

D. Greg. Nazianz.

His illa quoque eiuſdem patris conſentanea ſunt, in laude Virginitatis:

Quantiſper tardæ quæſo teſtudinis inſtar,
Aut velut obliquo gradientes tramite cancri,
Aut per humum oblongi velut angues membra trahentes.
Oblique, preſſi viuetis pondere carnis?

Excutiendæ igitur ſunt carnales voluptates, ſi agiles eſſe, & non teſtudinis, aut cancri (vt ait Nazian.) ſed lucis inſtar, vt docet Salomon, progredi cupimus,

Prou. 4.

Iuſtorum ſemita quaſi lux ſplendens, procedit, & creſcit, vſque ad perfectam diem, &c. Nō ſtat lux, ſed procedit, ſed creſcit, quouſque perfectam efficiat diem. nec ſtat iuſtus, quouſque perfectionem attingat. *Exultauit Sol vt gigas ad currendam viam*, ſimilem in modum inſtar Solis properare oportet, currere, volare: & inſtar gigantis fortiſſimi quæcunque obſtiterint impedimēta ſuperare. Quemadmodum ſol horrenda peragrat ſigna, taurum, leonem, ſagittarium, ſcorpium, ſic & nos, occurrant licet tauri, ſcorpij, ſagittarij, leones, ne cedamus. *Tu ne cede malis*, ait ille, *ſed contra audentior ito*. & noſter Nazianz. Gregor. in præceptis ad Virgines:

Pſalm. 18.

Feſtinatio ſolis, & iuſti hominis.

Aeneid. 6.

Greg. Naz.

Ad cætera magno
Tende gradu, ſemper ſcandens, ſpectansque priore
Stare loco mala res ergo torpore remoto,
Vt capias propera, donec virtutis ad arcem,
Supremumq; gradum peruenieris, auſpice Chriſto.

Et Paulus: *Sic currite, vt comprehendatis*: Sic, id eſt, ea animi gigantæa fortitudine curramus, vt palmam, & coronam, non corruptibilem, ſed æternam, comprehendere poſſimus. Quæ Soli occurrunt monſtra, monſtra ſunt nomine tenus, taurus eſt, Leo, Scorpius, voce tenus, cornua, vngues, dentes, venenum, & ſæuitia abſunt, ita etiam, quæ ſe nobis offerunt monſtra, labores. tentationes, monſtrorum ſunt veluti ſpectra quædā inania, nihil, ſi obſiſtere velimus, habent ſolidi tatis.

1. Cor. 9.

Fœminas illas quæ excubaſſe dicuntur in oſtio tabernaculi, hebræum verbum militaſſe ſignificat in oſtio tabernaculi, ſic enim verti poteſt; *Fecit Beſeleel labrum æneum cum baſi ſua de ſpeculis mulierum militantiū*, hebraice צבאות ſobeoth, *quæ militabant, in oſtio tabernaculi*, &c. Militantium exercitus eſt, Virginum religioſarum multitudo; quæ in cœnobijs, ſacrisque tēplis, in ipſo ætatis flore præſentatæ, Deiparæ Virginis vexillum ſequuntur: Nam vt ait Chryſoſt. hom. 8. in Matth. Communis fœminis & viris aduerſus diabolum pugna eſt, ſæpeque in huiuſmodi acie fortius viris, fœminæ decertarunt, ac trophæis inſignibus claruerūt, & Ambroſ. lib. 1. de Virginibus: Hæc, inquit, eſt militia illa cœleſtis, quam laudantium exercitus Angelorum promittebat in terris, &c. hinc illud: *quid videbis in Sunamite, niſi choros caſtrorum?* Caſtris ſimiles ſunt Virginum congregationes, quia bellum cum hoſte gerunt, choris, quia diuinas laudes canunt. Theodoretus Cantic. 7. Sponſa, inquit, multis ex ſanctis conflata, cum propter fortitudinem, armāque militaria, caſtris eſt ſimilis, tum etiam chorus exiſtit, diuinas laudes in ore gerēs, &c. Quid de Virginibus Bononienſibus loquar (ait Ambroſius libr. 1. de Virginibus) fœcundo pudoris agmine, quæ relicto parentum hoſpitio, tendunt in tabernaculis Chriſti, indefeſſæ milites caſtitatis, nūc canticis ſpiritualibus perſonant, nunc victum operibus exercent, &c.

Egod. 38. Fœminæ religioſæ Deo militans.

D. Chryſ.

D. Ambroſ.

Cant. 7.

Theodoret.

D. Ambroſ.

Quia verò in caſtris, arma non ſpecula neceſſaria ſunt, idcirco fœminæ illæ militantes, non abs re ſpecula abieciſſe dicuntur, ex quibus Moyſes labrum æneum effecerit. Hoc Virginum proprium eſt, aduerſus hoſtem ſpiritalia comparare arma, ſpecula, corporisque ornatum omnem abjicere. Virgo quæ corporis ornatum nondum abiecit, mundum nōdum deſeruit, etenim ornatus fœminæ mundus muliebris & appellatur, & eſt. Quis ſit Virginitatis ornatus, docet in præclaro carmine de Virginitatis laude Nazianzenus Gregor.

Ornatus Virginū nō corporis, ſed animi internus.

D. Gregor. Nazianz.

Sordida Cæſaries (loquitur Virginitas) *decor eſt mihi, vilis amictus.*

& in altero Carmine de præceptis ad Virgines:

Detritas etiam veſtes venerare, capútque
Deliciis vacuum, & luxu, non ſerica fila,
Quam decor occultus decorat, quam tecta venuſtas.

Hic

Hic decor occultus, hæc venustas non Dei oculis, sed hominum tecta, maximè curanda est Christianæ Virginis; vt enim dicitur: *Omnis gloria eius ab intus.* Nihil in bestijs, ait Ambros. in lib. de institut. Virginis cap. 3. plus reperias, quam quod videtur, in homine nihil est inferius, quam quod videtur. Aliorum gratia foris, hominibus intus est. Hæc ille. Duo sunt homines in vno homine, vt ait idem sanctissimus Pater eodem lib. cap. 2. vnus interior, alter exterior, exterioris ornamenta abiicienda, interioris omni animi contentione querenda, quod monet D. Petrus: *Quarum*, id est, mulierum, ait, *non sit extrinsecus capillatura, aut circumdatio auri, aut indumenti vestimentorum cultus, sed qui absconditus est cordis homo in incorruptibilitate quieti & modesti spiritus, qui est in conspectu Dei locuples*, &c. Non sit, inquit, mulierum cultus, & ornatus externus, in crinium nitore, & implicatione, in ornamentis aureis, in vestibus pretiosis situs, sed sit internus muliebris decor, absconditus cordis homo, in incorruptibilitate quieti & modesti spiritus, positus.

Psal. 44. D. Ambros.

1. Petr. 3.

Hic autem ornatus, multo præstantior est externo, in primis quia summi pretij est, deinde quia animam oculis Dei gratissimam, ac pulcherrimam reddit, quod D. Petrus indicat illis verbis: *Qui est in conspectu Dei locuples*, quasi dicat, ornatus externus auri, gemmarum, vestiumque sericarum pretiosus est, sed in conspectu hominum, internus absconditi hominis opulentissimus est in conspectu Dei. Habet hoc præterea externus cultus, quod corporis, id est, floris decor est, cuius pulchritudo temporis momẽto euanescit, at internus incorruptibilem spiritum ornat. Vnde D. Petrus: *In incorruptibilitate* (inquit) *quieti & modesti spiritus.* De interno item ornatu August. Epistola 109. ad Monachas, sic scribit: Non sit notabilis habitus vester, nec affectetis vestibus placere, sed moribus, &c. Et Epistola 73. Verus, inquit, ornatus maximè Christianorum, & Christianarum, non tantum nullus fucus mendax, verum ne auri quidem, vestisque pompa, sed mores boni sunt, &c. Quamobrem Paula illa à D. Hieronymo maximè celebrata (vt ait idem Hieronymus in Epitaphio) si vidisset Virginem aliquam comptiorem, contractione frõtis, & vultus tristitia, arguebat errantem, dicens, munditiam corporis, atque vestitus, animę esse immunditiam.

Ornatus Christianus boni mores. D. August.

Abiiciant ergo Virgines vitrea specula, quę vitreę inseruiunt carnis pulchritudini, speculum sibi proponant æternum, quod æternæ inseruit mentis vestigium. Virginem Sanctissimam, vt speculum splẽdidissimum intueantur, ad illius conspectum mores suos comant, animum ornent, vitam, actionesque omnes componant. Sit (ait Ambrosius lib. 2. de Virginibus) vobis tanquã in imagine descripta virginitas, vitaque beatæ Mariæ, & quæ velut in speculo refulget species castitatis & forma virtutis: hinc sumatis licet exempla viuendi, vbi tanquam in exemplari magisteria expressa probitatis, quid corrigere, quid effugere, quid tenere debeatis ostẽdunt. Et Sophronius de assumptione: Christus, ait, ideo matrem Virginem elegit, vt ipsa omnibus esset exemplum castitatis, in qua velut in speculo refulget forma virtutis, &c.

Deipara Virgo speculum est virginum quæ post eam Deo præsentantur. D. Ambros.

Sophronius.

Virgo Deipara Virginum speculũ est, dux, & regina, iuxta illud: *Adducentur Virgines post eam, proximæ eius afferentur tibi, afferentur in lætitia, & exultatione, adducentur in templum regis.* Multæ ad templum Christi Virgines adductæ sunt, & præsentatæ, multæ ad finem vsque orbis adducentur, & præsentabuntur, omnes tamen post eam, quia illa dux omnium est, ac princeps. Nunc in templis, quæ in terra sunt, post Virginem præsentãtur, carnis verò, quam vicerunt, ergastulo solutæ, cœlesti in templo eadem duce, summa cum lætitia præsentabuntur. Postquam mare Maria soror Moysis transijt, sumpsit tympanum in manu sua, egressæque sunt omnes mulieres post eam, cum tympanis & chorîs, quibus præcinebat dicens: *Cantemus Domino, glorioſe enim magnificatus est, equum & ascensorem eius deiecit in mare*, &c. Similem in modum, postquam hoc mare, salua, incolumique virginitate, & charitate, transeunt Virgines, Maria Virginum ductrix, cœleste sumit tympanum, egrediunturque Virgines post eam, quibus hoste triumphato præcinit dicens: *Cantemus Domino*, &c. Ambrosius lib. 2. de Virginibus: Tunc, inquit, Maria tympanum sumens, choros virginales excitabit, cantantes Domino, quod per mare sæculi, sine sæcularibus fluctibus, trãsierunt. O quantis illa virginibus occurret, quantas complexa ad Dominum trahet dicens, hęc thorũ filij mei, hęc thalamos nuptiales immaculato seruauit pudore, &c. Faxit Deus, vt omnes per mare sæculi (vt Ambrosius ait) sine sæcularibus fluctibus, plcni cœlestibus fructibus transeamus.

Exod. 15.

In cœlo virginibus occurrit Virgo Deipara. D. Ambros.

Rarum hoc & dexteræ diuinæ opus, inter aquas, aquis non obrui, inter fluctus, fluctibus non demergi, *filij tamen Israel*, id est, viri, quibus dextera Dei fert opem (vt est in Cantico Moysis) *ambulauerunt per siccũ in medio eius*, id est, maris. Nec solum fluctibus non demerguntur, verum etiam ne falsis guttis respergantur, cauent. Non solum enim magnos fluctus, id est, mortifera crimina, sed paruas quoque guttas, id est, venialia delicta, paruasque peccandi occasiones fugiunt. Audi egregium Theologum Gregorium Nazianzen. in præceptis ad Virgines:

Exod. 15.

Peccata venialia fugiẽda, & occasiones peccati ac radices. D. Gregor. Nazianz.

Sed neque furtiuos mundi secteris amores,
Atque fidem Christo iuratam prædita fallas.
Hanc porro fallit, sacrataq; fœdera rumpit,
Quisquis vel tenuem radicem criminis in se
Excipit. Innumeros nam paruo tempore ramos,
Hinc atque hinc extenta solet diffundere radix.
Et succo exiguo densatur copia lactis.
Ac lapidem si quis tranquillas iactet in vndas,
Præclaros turbat latices, vitiatq; colorem,
Multiplicesq; orbes summa nascuntur in vnda.
Qui simul ac pacantur aquæ, soluuntur inanes.
Quin etiam paruo liuescit vulnere totum
Corpus, & ingentes subeunt, cruciantq; dolores.
Exiguusq; cibus mihi mortem inuexit acerbam.
Nam scelus hoc, scelerum densissima turba secuta est.
Aspidis haud grande est vulnus, tamen illa soporem
Mortiferum extemplo inducit, vacuusq; dolore
Interit, excepit qui tetrum corpore virus.
Ergo caue, ne vel labes tenuissima mentem
Inficiat, minimaq; etiam procul abĳce noxas.

Hæc ille.

Fugienda ergo etiam parua vitia viro probo, nam, vt idem asserit Nazianzenus Orat. 31. *splendidæ vestis manifestiores sunt sordes*, &c.

Ad extremum, parentes hoc loco monere libet, ne filios, filiasve suas, Virginẽ sequi, Deo se præsentare, religiosumque vitæ genus cõplecti prohibeant. Vt enim scribit Hieronymus ad Furiam, filij magis sunt Christi cui renascũtur, quàm patris cui nascuntur. Non es, inquit ille, eius, cui nata es, sed cui renata, & qui te grandi pretio redemit sanguine suo, &c. Amant parentes filios suos, at amor hic sępè scientiam non habet, vt eodẽ loco ait Hieronymus. Piũ, inquit, parentis errorem intellige, cui vt amorem in te tribuam, amoris scientiam non concedo, &c. Parentes illi amoris scientiam habent, qui filios religiosæ sanctæque vitę mancipare sciunt, hac scientia illi carent, qui mundi mancipia filios esse, mundo, honoribus, magistratibusque seruire cupiunt, à religiosa vero vita abducunt. Quod ne faciant suadentes, vtinam & persuadentes, audiant Ambrosium, ex

D. Hieron. Parentes monentur ne filios, vel filias à religiosa vita abducant.

Nazian-

Nazianzenum Gregorium, ille in fine lib. 1. de vir-
D. Ambrof ginibus sic parentes alloquitur: Si hominem amarēt filiæ vestræ, per legem possent eligere quem vellēt, quibus igitur hominem eligere licet, Deum non licet? Bonum est, si virgini studia parentum quasi flabra pudoris aspirent. Eximium eodem loco virginis exemplum proponit. Memoriæ, inquit, nostræ puella dudum nobilis in sæculo nunc nobilior Deo, cum vrgeretur ad nuptias à parentibus, & propinquis, ad sacrosactum altare confugit. Stabat ad aram Dei, pudoris hostia, victima castitatis: Quid agitis, aiebāt
Qualis sponsus sit Christus. propinqui, quid exquirendis adhuc nuptijs solicitatis animum? iam dudum prouisas habeo. Sponsum offertis, meliorem reperi, quaslibet exaggerate diuitias, iactate nobilitatem, potentiam prædicate, habeo eum cui nemo se comparet, diuitem mundo, potentem imperio, nobilem cœlo. Si talem habetis, non refuto optionem, si non reperitis, non prouidetis mihi, sed inuidetis, &c. Non possunt parentes vel opulentiori, vel nobiliori sponso, quam Christo filias tradere; si igitur alijs tradant, non illis prouident sed potius inuident.

Ambrosium audierunt, Nazianzeni quoque dulD. Gregor. Nazianz. cia Carmina, etsi aliena lingua, audiant, in præceptis ad Virgines:

Vos ego conuerso iam nunc sermone parentes,
Alloquar, in quorum manibus iacet arbitrióque
Gloria Virgineæ, vel fœda infamia prolis.
Ac simul ad charos etiam dabo dicta propinquos,
Et quibus ætatis commissa est cura tenellæ.
Haud decet, haud fas eis, magni figmenta parentis
Cogere.
Nemo igitur stolidæ, vanissima gaudia carnis,
Dum sequitur, Christi, quæ flagrat amore puellam,
Inuitam ad thalamos reuocet, venerémque molestam.
Ac velut hærentem saxo affixúmque rigenti
Polypon, aut volucrem tentet depellere nido:
Quin tua si potius transfixit pectora Christus
Atque ea diuino pater immortalis amore
Impleuit, Christo ne sit graue sistere nympham,
Aut puerum, vt quondam gremio quem fuderat Anna.
Quo nullum semen sacratius, hostia viua,
Primigenis cunctis præstantior, omnibus vnis
Et spicis, manus agricolæ, quas sedula carpit,
Primitijs frugum, dum cœli numen adorat, &c.

D. Hieron. Addamus Hieronymū, qui ad Paulum de obitu Blesillæ: Grandis, inquit, in suos pietas, impietas in Deum est. Hæc Patres illi sanctissimi.

Quòd si ea non sunt satis, timeant parentes, ne Deus è vita illos tollat, vt filijs ad capessendū sanctius vitæ genus tollat impedimentum, quod docent iidem Patres. Cùm Virgo illa, de qua suprà dictum
D. Ambrof. est, altari hæreret: Silentibus cæteris, ait Ambrosius, vnus abruptius: Quid si, inquit, pater tuus viueret, innuptam te manere pateretur? Tum illa maiori religione, moderatiore pietate respondit, & ideo fortasse defecit, ne quis impedimentum posset afferre. Quod ille responsum de patre, de se oraculum, maturo sui probauit exitio. Ita cæteri eadem quisque metuentes, fauere cœperunt, qui impedire quærebant. Parentes cauete offensionis exemplum. Hæc Ambros. Nazianzenus verò his carminibus Ambrosio concinit:

D. Gregor. Nazianz. *Nec rursus cupientem viuere Christo,*
In thalamos compelle graues, & trade marito.
At verò totam si tu mentémque manúmque
Connubio dederis, thalamos, epulásque, choróque
Instituens, animo lætus, curísque molestum
Talibus excutiens senium, miseréque fugata
Virginitas cœlos repetat, Christóque querelas
Deferat, vt quondam terris Astræa relictis
In cœlum redijt, cum bos est cæsus arator,

A *Quam vereor, ne iudicijs pater almus iniquis*
Offensus, iusta facinus graue vindicet ira, &c.

His adde Tridentinam Synodum, anathemati subSynodus Trident. sess. 25. cap. 18. iecisse eos, qui sanctam virginum, vel aliarum mulierum voluntatem, vel accipiendi, vel voti emittēdi, quoquo modo sine iusta causa impedierint. Ad-
D. Hieron. iunge vice corollarij, quod Hieronymus asserit aduersus Heluidium: Virginitatem, siue Virgines fructum esse nuptiarum. Steriles igitur se parentes putent, si fructum hunc non producant, tunc se fœcūFructus nuptiarum filij vel filiæ virgines. dos arbitrentur, cum qui virginitatem colant, filios, filiasque protulerint. O fœlicem matrem, cui illud
Cant. 7. aptari potest: *Venter tuus sicut acernus tritici, vallatus lilijs,* id est, liberis, virginitatem amplexantibus. & illud
B eiusdem capitis: *Omnia poma noua & vetera*, id est, omnes filios, *seruaui tibi*, ô Christe, Denique impleāt pater, & mater, nominis sui mensuram, tunc autem implebunt, cum filios nō sæculo, sed Deo procreauerint, vt Hierony. docet in Epist. ad Furiam: Pater,
D. Hieron. inquit, impleat nomen suum, lętetur filiam genuisse Christo, non sæculo, &c.

CAPVT VII.

De Desponsatione Virginis.

C VIxit in templo Virgo Deipara quousque ad ætatem coniugio aptam peruenit, Iosephoque viro sanctissimo tradita est: qua de re Gregorius Nyssenus in Oratione de Natiuitate, ex arcana historia sic scribit: Cùm creuisset, & adulta esset, consilium Sacerdotes agitarunt, ne quid de sacro illo corpore statuentes in Deum peccarent.

Nam subiugare eam legi naturæ, & addicere quasi seruam, si quis eam in matrimoniū duceret, res longè absurdissima, minimeque decora videbatur. Sacrilegium enim prorsus existimabatur, si homo ius ac potestatem in donarium, quod Deo consecratum ac dedicatum esset, haberet. quoniam legibus sanci-
D tum est, vt vir potestatem habeat in vxorem. Vt autem intra templū vna cum sacerdotibus mulier versaretur, & in sanctis conspiceretur, neque consuetū & vsitatum erat, & simul grauitas & honestas rei nō aderat. Deliberantibus igitur eis super hac re, diuinitus incidit consilium, vt darent eam quidem viro nomine desponsationis: is autem ad custodiendam virginitatem eius idoneus esset. Inuentus est igitur Ioseph talis, qualem ratio consilij requirebat, ex eadem cum Virgine familia ac tribu, isque de consilio sacerdotum, sibi puellam despondet. Coniunctio autem non vltra sponsalia progrediebatur. Hæc ille.

Nicephorus similiter. Postquam, inquit, adoleuit Nicephorus. l. 1. c. 7. Virgo, consilium sacerdotes agitarunt, quid de ea statuerēt, ne in sacrum eius corpus admittere quid-
E quam viderentur. Sacrilegium namque prorsus se commissuros putabant, si viro eam coniungerent, atque in seruitutem coniugalis legis redigerēt, quæ semel Deo dicata esset. è diuerso autem puellam eo ætatis flore, in sacratiore tēplo versari, nec permissum lege putabant, nec rem satis honestam & decoram esse videbant. Sæpè itaque & multum re deliberata, diuinitus eis per inspirationē ostenditur, vt eam alicui, qui ad templum sedulo esset, sponsæ nomine committerent, eum verò talem esse debere, cui rectè virginitatis custodia demandaretur. Porrò non alius Iosepho visus est magis idoneus, ad solorum sponsalium coniunctionem contrahendam, quippe qui propinquitate generis eam contingeret, eiusdē enim tribus erāt, insuper verò & senio, & honestate morum, iam pridem bonæ fidei existimationem

con-

consecutus esset. Hæc Nicephorus.

Germanus Constant. Quomodo fuerit electus Ioseph, vt virginem duceret.

Germanus item Archiepiscopus Constantinopolitanus: Mansit, inquit, Virgo in templo vsque ad secundam ætatem; tunc autem Dei nutu, & consilio sacerdotum, de ea datur sors, & sorte eligitur Ioseph iustus, &c. D. Epiphanius hæresi 78. Virgo tradebatur Iosepho, sortibus cogentibus ipsam ad hoc venire, &c. Damascenus in oratione prima de dormitione Virginis: Cùm Virgo ad ętatis florem iam perueniret, atque intra templi septa manere lege prohiberetur, sponso, hoc est, virginitatis custodi Iosepho, à sacerdotum choro traditur, qui quidem integram & inuiolatam legem, ad senectutem vsque, si cum alijs conferatur, seruauerat, &c.

D. Epiphanius.

D. Damascenus.

Operæ etiam pretium erit his ea addere, quæ scribit auctor libri de natiuitate Virginis iam citati aliquoties: Pontifex, inquit, publice denuntiabat, vt Virgines, quæ in templo constituebantur, & ætatis tempus implessent, domum reuerterentur, & nuptijs secundùm morem gentis, & ætatis maturitatē, operam darēt. Cùm mandato cum cæteræ paruissent, sola Virgo hoc se facere non posse respondit, dicēs, se quidem & parentes suos Domini seruitio mancipasse, & insuper seipsam Domino virginitatem vouisse. Tunc Pontifex præcepit, vt ad festiuitatem, quę imminebat, omnes ex Hierosolymis, & vicinis locis primores adessent, quorum cōsilio scire posset, quid de tam dubia re faciendum esset, omnibus in commune placuit Dominum consulendum, & cunctis quidem orationi incumbentibus, Pontifex ad consulendum Deum ex more accessit. Nec mora cunctis audiētibus de oraculo, & propitiatorij loco, vox facta est, secundùm Isaiæ vaticinium requirendum esse, cui illa Virgo desponsari & commendari deberet. Secundum ergo Isaiæ vaticinium, *egredietur virga de radice Iesse & flos de radice eius ascendet, & requiescet super eum spiritus Domini*, cunctos de domo & familia Dauid nuptui habiles, non coniugatos, virgas suas allaturos ad altare prædixit, & cuiuscunque virgula florem germinasset, & in eius cacumine Spiritus Domini in specie columbæ consedisset, ipsum esse, cui virgo desponsari deberet. Erat autem Ioseph de familia Dauid grandæuus, cunctis verò virgas suas iuxta ordinem deferentibus, ipse solus suā subtraxit, vnde cum nihil diuinæ voci consonum apparuisset, Pontifex iterato Deum consulendum putauit. Qui respondit solùm illum ex iis, qui designati erāt, virgam suam non attulisse, qui Virginem desponsare deberet. Proditus est itaque Ioseph, cùm enim virgā suam attulisset, & in cacumine eius columba de cœlo veniens consedisset, liquidò omnibus patuit, ei Virginem desponsandam fore. Hæc ille, quæ nō magnum habent auctoritatis pondus.

Isaiæ 11.

D. Gregor. Nyssen.

Quod Nyssenus ex illa occulta historia & Nicephorus aiunt, sacerdotes Virginem Iosepho tradidisse, vt virginitatem eius seruaret, neque ad matrimonij consummationem perueniret, verum esse nō videtur. Cùm enim postea vidissent sacerdotes virginem concepisse, tam de illo, quàm de virgine supplicium sumpsissent, nec fuisset satis honori Deiparæ cautum, nisi velis dicere, sacerdotibus illis mysterium incarnationis à Deo fuisse patefactum, quod non est verisimile. Oporteret præterea etiam iis patefieri, quibus notum erat Virginem Iosepho in custodiam solùm virginitatis traditam. Credendum ergo Virginem Iosepho traditam à sacerdotibus mysterium ignorantibus, tanquam coniugi ad liberos procreandos, quam ob causam nemo illius partum est admiratus, quia ex coniuge non ex virginitatis custode, cuncti (etsi falsò,) concepisse arbitrabantur.

Id præterea, quod aiunt, Virginem cum Iosepho A solùm sponsalia contraxisse, ita exponendum est, vt sponsalium nomine matrimonium ratum, non consummandum intelligatur: fuit enim verissimū, à sanctissima Virgine, cum sanctissimo Iosepho, initum matrimonium. Id docet Matthæus in fine genealogiæ verbis illis: *Iacob genuit Ioseph virum, id est, coniugem Mariæ, ex qua natus est Iesus*, &c. Et Angelus Matth. 1. *Noli timere accipere Mariā coniugem tuam*, Et: *Ascendit Ioseph cum Maria, desponsata sibi vxore prægnante*. Vnde Aug. lib. 2. de cōsensu Euangelist. c. 1. Exēplo, inquit, Virginis & Ioseph insinuatur fidelibus coniugatis, etiā seruata, pari consensu continentia, posse permanere, vocarique coniugium, non commixto corporis sexu, & lib. 1. de nuptijs, & concupisc. c. 12. Cur non coniuges maneant, qui ex consensu concumbere desinunt, si manserunt coniuges Ioseph & Maria, qui concūbere nec cœperunt? & cap. 11, Omne, inquit, nuptiarum bonum impletum est in illis parētibus Christi, proles, fides, Sacramentū; prole cognoscimus ipsum Dominum Iesum: fidem, quia nullum adulterium: sacramentum, quia nullum diuortium, &c. Ne tamen existimes fuisse hoc matrimonium sacramentum: nondum enim illo tempore, coniugium sacramenti habebat rationem.

Virgo & Ioseph verum matrimoniū contraxerūt. Lucæ 2.

Tria bona matrimonij proles, fides, sacramentū, in matrimonio Virginis.

Sunt aliqui Patres, qui in contrariam opinionem iuisse videri possunt. Bernardus Homilia secūda super missus: virum, inquit, nominat Euangelista Iosephum, non quia maritus, sed quod homo virtutis erat. Eodem loco, nec vir matris, nec filij pater Ioseph extitit, quamuis vtrumque ad tempus & appellatus sit, & putatus. D. Cyrillus Ierosolymitanus Archiepiscopus Catechesi 12. in illa verba Lucæ: *Vt profiteretur cum Maria desponsata sibi vxore*: Nō dixit, inquit, cum vxore sua, sed desponsata sibi, & paulo superius: Maria propter solam desponsationem, vxor Iosephi vocabatur. D. Hieronymus in libro aduersus Heluidium: Ioseph Mariæ custos potius fuit, quàm maritus, & in illa verba: *Ioseph accepit puerum, & matrē eius.* Non dixit accepit filium suum, & vxorē suam, sed puerum, & matrem eius, quasi nutritius, non maritus. Quod si obiicias, Virginem dici ab Euangelistis vxorem Ioseph, respondet in libro contra Helnidium, ac probat, hanc esse scripturæ consuetudinem, vt sponsas appellet vxores.

D. Bernard.

D. Cyril. Ierosol.

D. Hieron.

Dicta patrū de matrimonio virginis, exponuntur. Matth. 2.

Hilarius Matthæi primo: Quotiescunque de vtroque, id est Virgine & Iosepho, fit sermo, mater potius Christi virgo, quia id erat, non vxor Ioseph est nuncupata, quia non erat, & cæt. Cyprianus de passione Domini: Obsequium Virginis Virgini discipulo tradis Domine, vt iam non Ioseph tanti mysterij oneretur præpositura, sed Ioannes, quia iam exigebat ratio, vt coniugij remoueretur opinio, nec vltra pater Christi æstimaretur, qui eatenus vicem patris & coniugis tenuerat. Ambrosius de institutione Virginis c. 6. Desponsata viro virgo, coniugis nomen accepit, cum enim initiatur coniugiū, tunc coniugij nomen ascisitur, &c.

D. Hilar.

D. Cyprianus.

Hæc Patrum verba interpretanda eo fere modo sunt, quo Nissenum & Nicephorum sumus iam interpretati, de coniugio consummato: id enim solum contendunt, & volunt patres, Deiparam Virginem, virginitatem seruasse perpetuam, neque vnquam ad matrimonij consummationem peruenisse. Non erat igitur Ioseph maritus, vt Bernardus ait, & Hieronymus, non erat vxor Virgo, vt ait Hilarius, & Cyrillus, consummato matrimonio. Erat tamen Ioseph maritus, Virgo vxor matrimonio rato.

Cum enim initiatur coniugium, (vt dixit Ambrosius lib. de institutione Virginis cap. 6.) tunc cōiugij nomen ascisitur. Non enim defloratio virginitatis facit coniugiū, sed pactio coniugalis. Cū iungitur puella, coniugium est, non cum virili admixtione

tione cognoscitur. Hæc Ambrosius.

Significatum nomine desponsationis matrimonium, quod Theologi ratum vocant, indicat idem Ambrosius Epistola septuagesima nona; Testis inquit, est Christus materni pudoris assertor, quòd desponsata fuerit viro tantummodo Ioseph, nulla tamen coniugalis coitus consuetudine, thori iura cognouerit, & cæt. Augustinus libro primo, de nuptijs, & concupiscentia, capite vndecimo: Non fallaciter dictum est ab Angelo ad Ioseph, noli timere accipere Mariam coniugem tuam. coniux vocatur ex prima fide desponsationis, quam concubitu nec cognouerat, nec fuerat cogniturus. Nec perierat, nec mendax manserat coniugis appellatio, vbi nec fuerat, nec futura erat vlla carnis commixtio, &c.

D. Ambros. *D. Auguſt.*

Oppones Bernardi illa verba Homilia secunda super Missus: Mirũ, inquit, cur desponsata fuerit, nõ nuptura, & illa magni Gregorij Homilia vigesima sexta in Euangelia: Dominus Mariam habere sponsum voluit, qui tamen ad eius nuptias non peruenit, & cæt. Et illa Augustini sermone 13. de natali Domini: Concepit virgo, antequam sponsum haberet, parit antequam nubat. Et illa D. Epiphanij hæresi 78. Desponsa, inquit, & non nupta. Apertè affirmant hi Patres Virginem non nupsisse Iosepho, atque adeò non fuisse eius coniugem. Respondemus, nuptias sumi ab iis Patribus pro consummatione matrimonij, ideoque dixisse rectè Gregorium, Ioseph non peruenisse ad nuptias, id est, matrimonij consummationem, & Bernardum, Virginem non fuisse nupturam, id est ad consummationem matrimonij peruenturam. Eode m modo Augustinum & Epiphanium explicabis.

D. Bernar. *D. Grego.* *D. Auguſt.*

Vrgebis, Virgo ab ineunte vita, virginitatẽ, quæ matrimonio repugnat, voto illustrauit, ergo matrimoniu m noniniit. Respondemus paucis, Virginem ex diuina reuelatione, sine vlla virginitatis, votique iniuria, matrimonium contraxisse, propterea, quòd sciret se viro tradi, cui perpetuam quoq; colere virginitatem erat in animo. Cap. Beata Maria, 27. q. 2. dicitur in carnalem copulam consensisse his verbis: Committens Deo virginitatem suam, consensit in carnalem copulam, non illam appetẽdo, sed diuinæ inspirationi in vtroque obediendo. Consensisse autem intellige in carnalem copulam, non explicato consensu, sed implicito in radice, quia matrimonio consensum præbuit, quod huiusmodi copulæ radix est.

Virginitas quomodo cũ matrimonio consistat.

Admirandi huius coniugij, multæ à Patribus causæ redduntur. prima per seipsa patens Virginis, & Christi honor fuit. si enim extra coniugij thorũ virgo peperisset, & Christus natus fuisset, labem vterque nominis nõ nimiam incurrisset. Vnde Ambrosius initio lib. 2. in Lucam: Desponsata, inquit, virgo, ne temeratę virginitatis adureretur infamia, cui grauis aluus, corruptelæ videretur insigne, præferre. Sciebat Dominus teneram esse Virginis & lubricam famam pudoris. seruatur itaque sanctæ Mariæ, sicut pudore integra, ita inuiolabilis opinione, virginitas. Oportet enim Sanctos, & ab iis bonum testimonium habere, qui foris sunt. Nec decuit sinistra virginibus opinione viuentibus, velamẽ excusationis relinqui, quòd infamata mater quoque Domini videretur. Hæc Ambrosius, & Bernard. homil. 2. super missus: Tolerabilius, inquit, fuit, atque honestius, putari ad tempus Christum de coniugio fuisse natum, quam de fornicatione, &c.

Causa coniugij Deiparæ. *D. Ambros.* *D. Bernard.*

Secunda ratio redditur à D. Basilio, voluisse ait Christum ex Virgine virum habente nasci, vt virginitas maximè probaretur; coniugium verò nõ improbaretur, hom. 25. de Christi generatione: Et Virgo, inquit, erat, & viro desponsata, & apta coniugali officio obeundo putata, vt & virginitas in honore ante omnia haberetur, & matrimonium non propterea improbaretur, &c.

D. Basil.

Tertia causa est eiusdem Basilij eadem Homilia: Simul, inquit, vt & Ioseph domesticus puritatis Mariæ testis esset, & Bernar. homil. 2. super missus: A sponso, inquit, virginitas comprobatur, & Virginis famę prouidetur. Itẽ: Dicã quod mihi, imo quodante me Patribus visum fuit, illa vtrique fuit ratio desponsationis Mariæ, quæ & dubitationis Thomæ. Sicut Thomas dubitando, palpando constantissimus factus est resurrectionis confessor, ita Ioseph Mariam sibi desponsando, eiusque conuersationem studiosius comprobando, factus est pudicitiæ fidelissimus testis. Hæc Bernard.

Quarta causa est Hieronymi, Matth. 1. Thephyl. & Origenis, Vt in Ægyptum fugiens haberet virgo comitem, & solatium.

D. Bernard. D. Hieron. Theophyl. Origenes.

Martyr Ignatius (teste Hieronymo) quintam adiungit, vt partus cælaretur diabolo, dum Christum putat non de Virgine, sed de vxore generatum. Hãc rationem non probat Abulensis quæst. 31. in primum ca. Matthæi, Scotus quoque in 3. dist. 30. quæst. 2. Illam tamen amplectuntur Basilius in Homil. de Christi generatione, Origenes Homil. 6. in Lucam, Theophylactus Matth. 1. Ambrosius lib. 2. in Lucam: Hieronymus Matthæi primo. Damasc. libro quarto, fidei cap. 15. Rupertus de Victoria Verbi lib. 11. cap. 19. Bernard. Homil. 3. super missus, & Homil. 4. in vigilia natiuitatis: Damascenus verò existimat diabolum fuisse virginum obseruatorẽ, quia sciebat ab Esaia prædictum, Messiam ex virgine nasciturum. & Theophylactus: Diabolus, inquit, cum audisset quòd virgo vterum gereret, obseruauit virgines: vt igitur deceptor decipiatur, desponsat virginem, & cæt. Chrysostomus, in Oratione de Annũciatione: Diabolus, ait, singulas virgines obseruabat. Obiicit Abulensis, diabolo facile esse Virginem a corrupta discernere, atque adeò Deiparæ Viginitatem facile cognoscere potuisse, etsi in matrimonio esset collocata. At responderi potest, singulari Dei voluntate factum, vt Deiparæ virginitatem nec adueterent, nec cognosceret. Vrget Scotus, & ait potuisse quoque dæmonem impediri, ne Virginitatem Deiparæ exploraret, quæ muis coniugio minime alligata pareret, non igitur hanc fuisse causam coniugij. Respondetur, non decuisse Deiparam extra coniugium filium procreare. Præcipua igitur causa coniugij, honor Virginis fuit; accessit, vt eo velo mysterium tantum, ne dæmoni esset exploratum, tegeretur. Rupertus libro vndecimo de victoria verbi, capite decimo nono: Desponsatio, inquit, Virginis diabolum fefellit, & cunctos satellites eius, vt nescirent sacramentum, cuius sciendi nondum erat tempus, &c. lege D. Thomam tertia parte, quæstione vigesima nona, art. 1.

An virgo cõiugium ineat, vt partus diabolo celaretur. Abulensis Scotus. D Basilius. Origenes. Theophyl. D. Ambros. D. Hieron. D. Damasc. Rupertus. D. Bernard. D. Chrysost. Abulensis. Scotus.

Dubium est, quanam ætate Virgo in matrimonium fuerit collocata? Respondeo ex Nicephoro, libro secundo capite tertio, Virginem cùm tertium annum ageret, in templo præsentatam, in templo vndecim annos mansisse, anno autem ætatis decimo quarto Iosepho traditam, apud eum cùm menses quatuor traduxisset, de incarnatione lætissimũ à Gabriele nuncium accepisse. D. item Bonauentura, capite tertio in meditationibus, virginem ait desponsatam Iosepho anno ætatis 14, eiusdem fere sententiæ est Lucidus lib. 2. cap. 2. & alij. Vnde Carthusianus in libro de laudibus virginis: Dixerũt, inquit, quamplures etiam eruditi, quòd virgo circa quintum decimum ætatis annum conceperit Dei filium, &c. Et Maior, Luc. primo: Autore, inquit, Epiphanio

Rupertus. Nicephorus. Qua ætate fuerit Virgo in matrimonium collocata & Christum concepit. D Bonauen. Lucidus. Charthus. Dionys. Maior.

piphanio 14. ætatis anno Virgo concepit, & decimo quinto completo Christum peperit. item, Vulgatior via prodit, Virginem iam 14. annum ætatis compleuisse, & 15. intrasse, sic quòd in Domini natiuitate, 15. annum impleuit, &c.

Abulens. Abulensis Matth. 2. quæst. 91. quosdam ait opinari Virginem quatuordecim annis ante natiuitatem Christi in Lucem editam, ipse verò cum alijs censet, sexdecim egisse annos, cùm Christus natus est, ortamque quarto decimo Herodis anno. Anno, inquit, sexto decimo regni Herodis Virgo nata est in Nazareth, vt asserunt, vel in Sephoro, quod est oppidum distans à Nazareth per tres leucas ad Aquilonem, nam de hoc loco asserunt fuisse Ioachim: alij D. Annam ibi ortam dicunt. Fuit autem hoc ante Christi natiuitatem per annos quatuordecim, vt quidam volunt, & sic fuit anno decimo sexto regni Herodis. Alij autem volunt Virginem fuisse 16. annorum quando Christus natus est, quod verisimilius est. & tunc dicetur eam fuisse anno 14 Herodis regni, & ab orbe condito annis tribus millibus nongentis & 47. Hæc Abulensis.

Albertus Magnus. Albertus Magnus maiorem ætatem ei tribuit; sic enim argumentatur: Corpus perfectissimum secundùm statum, non est ante statum viginti quinque annorum, ergo corpus beatissimæ Virginis debuit esse vt minimum 25. annorum, dum Christum concepit. Itaque supponendo quòd in beatissima Virgine fuit omnis congruentia, tam ex parte naturæ, quam ex parte gratiæ, ad hoc vt mater Dei fieret, credimus quod Deum concepit tali ætate, qua perfecta fuit statu corporis, & quantitate, & quod circa eandem quantitatem ætatis fuerit desponsata, tanto temporis spatio dempto, quanto sponsalia matrimonium solent præcedere, duorum videlicet mensium. Hæc Albertus, quæ verba recitat Carthusianus in lib. de laudibus Virginis art. 37.

Card. Caiet. Huic sententiæ subscribit Cardinalis Caietanus Luc. primo, ad illa verba: Desponsatam Ioseph, &c. Ætas, inquit, nubilis exigit saltem completum motum augmenti, quia naturalis ordo habet, vt prius perficiatur persona, quam detur opera ad conseruandam speciem; & dico saltem, quia ratio suadet, quòd natura exigit plus ætatis, videlicet, vsque quo firmata sint ossa, ad quod quartum septennium dicitur requiri in viris. Quocirca certum est beatam Virginem fuisse tunc ad minus annorum decem & nouem, & hoc, si mulieris tertio senario annorum completur augmentum; & rationabile est, vt fuerit tunc annorum viginti quatuor, vt perfecta etiam secundum ossa mulier, perfecta mater perfectum filium gigneret. Hactenus Cardinalis.

Verumtamen non tot annos expectasse videntur sacerdotes, vt nuptui traderent Virginem, satisque fuit quatuordecim vel quindecim annorum ætas summo incarnationis mysterio peragendo, vt alij opinantur. Ideoque Carthusianus postquam Alberti verba recitauit, hæc adiunxit: Alberti non obstantibus dictis verius puto, quòd virgo dignissima, circa decimum quintum annum conceperit. Damasc. annos Virginis non numerat, oratione prima, de dormitione Virginis, tantùm ait traditam Iosepho, cùm ad ætatis florem peruenisset: Nyssenus, cum creuisset, & adulta esset.

Dionys Carth.

De ætate Virginis dictum, de Iosephi quoque ætate dicendum. Senem coniugium inijsse, sententia est antiquorum. Vnde autor ille libri de natiuitate Virginis: Erat, ait Ioseph de familia Dauid grandæuus: Damasc. in oratione prima, de dormitione Virg. Ioseph inuiolatam legem ad senectutem vsque seruauerat. Nicephorus libro primo, capite septimo: Ioseph senio, & honestate morum, iam pridem

D. Damas.

A bonæ fideiexistimationem consecutus erat. D. Epiphanius hæresi 78. Ioseph accepit Mariam agens annum fortassis octogesimum & vltra, &c. Item senex octogesimum annum supergressus, non accipit Virginem in vsum, sed magis dispositus est ipsi in custodiam, &c. *Nicephor. Fuerit ne senex Ioseph, cum Virgine Deiparam duxit? D. Epho.*

Cancellarius Parisiensis Ioannes Gerson, in sermone de natiuitate Virginis, consideratione tertia, existimat Ioseph natum fuisse annos quinquaginta, à quo tempore senectus incipit. Abulensis Matthæi primo, quæst. 32. ait ætatis fuisse quæ ad generationē B apta iudicari posset. Num. trigesimo, quæst. trigesima prima. Dicendum, inquit, quòd quamuis Ioseph esset aliqualiter senex, tamen adhuc erat potens ad gignendum, & manifestè apparebat omnibus ex habitudine corporis, &c. *Gerson.* *Abulensis.*

Viguerius iuuenem fuisse censet in suis Institutionibus cap. 20. Parag. 9. Virgo, inquit, non euasisset notam infamiæ, si vir eius fuisset senex, & decrepitus, prout olim nondum reuelata veritate pingebatur, nec fuisset Virgini solatio, aut adiutorio, sed tædio. Quod autem esset iuuenis apparet ex eo, quod habetur: *Lætabitur sponsus super sponsam, & habitabit iuuenis cum Virgine*, hoc est, Ioseph cum Maria, hæc Viguerius. Maior Matthæi 1. triginta annorū ætatem, vel ampliorem illi tribuit; Lyranus in eadē opinione fuisse videtur, siquidem Isaiæ 62. illa verba, *habitabit iuuenis cum Virgine*, sic explicat, habitabit caste & sancte, vt Ioseph, & Ioannes cum Maria, Valerianus cum Cæcilia, & Chrysantus cum Daria, &c. *Viguerius* *Isaiæ 62.* *Maior.* *Lyranus*

Eckius in serm. de Ioseph, in antiquam sententiam magis propendet. In hac, inquit, re non iubet ad alterutram partem declinare, vbi nullū nobis constat scripturæ pro quacunque parte testimonium. Eò maximè, quod à recepta, & diu persuasa opinione temere discedendum non est. facilius igitur pateret, antiquiori sententiæ authoritatē suam, fidemque manere. Hæc ille.

Crediderim Ioseph non fuisse senem, sed ætatis perfectæ virum, generandis liberis, iuuandæque Virgini, & fabrilis artis labori aptum. Alioqui nec Virginis famæ satis consultum esset, si generationi esset propter senectutem ineptus, neque eius obsequium & ars vtilis esset, si iam ætate esset confectus. Epiphanius senem fuisse dicit, quia vxorem alteram habuisse credidit, nec fuisse perpetuò Virginem, quod falsum est, vt infrà ostendemus. Quomodo (inquit ille) poterat tantus senex Virginem habere vxorem, cùm esset viduus à prima vxore, per tot annos? &c. Cæteri quoque, qui Iosephum senem dicunt, idem videntur existimasse.

Admirandum quidem fuit inter Deiparam Virginem, Iosephumque coniugium, cui reliqua omnia coniugia cedere debeant. Fuit in primis coniugium hoc maximi mysterij, id est, incarnationis, veluti tegumentū. Quemadmodū enim *ante Sancta Sanctorū olim velum ex hyacintho, purpura, coccoq; bis tincto, & bysso retorta, opere plumario, & pulchra varietate contextū*, Deus iussit oppandi, ita ante sanctissima illa incarnationis mysteria, sacrum coniugium veluti velum, ex omnium virtutum varietate, Spiritus Sancti opere compositum, voluit collocari. Magnum fuit coniugium. Primò quia inter magnos coniuges, quo maiores sunt coniuges, eo maius est coniugium, inter nobiles magnum, inter duces maius, inter reges reginamque maximum. Hoc coniugium inter virginē Deiparam, quæ Seraphinos ipsis nibilior erat, & Iosephum virum præstantissimum contractum est, maximum igitur fuit. Secundò quia cōiugij dos fuit maxima; Etenim non terrenas opes, non aurū, gemmas, pecuniæve magnam vim, sed sanctitatis ingentes *Coniugium incarnationi integumētū. Exod. 26.* *Coniugium inter maximos coniuges illinsbona maxima.*

ingentes diuitias virgo attulit. Tertiò quia maxima bona coniugij continuit, vt Augustinus ait, lib. primo de nuptijs & concupiscentia, capite vndecimo: Omne, inquit, nuptiarum bonum impletum est in illis parentibus Christi, proles, fides, sacramentum. Prolem cognoscimus ipsum Dominum Iesum: fidem, quia nullum adulterium; sacramentum, quia nullum diuortium, &c. Nuptiarum illarum bonũ fuit infinitum bonum, proles nimirum illa infinita Christus, quod igitur coniugium cum hoc conferri poterit? Quamuis enim Christus Ioseph filius non fuerit, tamen Virginis, quæ coniux illius erat, filius fuit: Ioseph quoque filius hominum existimatione est habitus. fuit etiam bonum fides, qua nulla maior, & sacramentum, quia sola mors coniugium dissoluit.

D. Augus.

Coniugium cum virginitate coniunctum mirabile.

Quartò, Magnum fuit coniugium, quia virginitate floruit. Vnaquæque arbor peculiarem profert fructum, nec pyrus ficus, nec ficus pyra vnquã tulit, nec coniugium virginitatem, nec virginitas liberos solet procreare; at magnum hoc coniugium virginitatem illibatam, virginitas verò in eo illibata, filium admirandum produxit. Quinto magnũ fuit, quia ab omni mundi solicitudine alienum. Longe ab hoc coniugio illud Paul: *Quæ nupta est cogitat, quæ sunt mundi, quomodo placeat viro, & qui cũ vxore est, solicitus est quæ sunt mundi, quomodo placeat vxori*, &c. Nec cogitauit vnquã virgo, quæ sunt mũdi, nec Iosephus quæ sunt mũdi solicitus fuit. quamuis & virgo viro suo, & Iosephus sponsæ suæ maximè voluerit placere. Non aurum, non margaritæ, non sericæ vestes, non vitrea pulchritudo, sed virtus, eximiaque sanctimonia complacentiæ causa esse poterat. Si amorem strinxeris, Nazianz. ait Greg. Orat. 31. totaque Deo coniuncta fueris, sursum tendes, nunquam humi prolaberis, nec diffluës, &c. Amorem strinxit virgo, strinxit & Ioseph, cum Deo solo coniuncti, strictissimo nodo constringebantur. Quamobrem sursum tendebant semper, neque humi in terrenas inutilesque curas prolabebantur. Sextò magnum fuit illud coniugij vinculum aureum, quia duobus virginitatis votis, veluti quibusdam fulgentissimis pyropis, fuit exornatum. Etenim virgo & Ioseph virginitatis votum nuncuparunt. Vt ad ardentem rubum accederet Moses, calceos exuit: *Ne appropies*, inquit Angelus, *huc, solue calceamentum de pedibus tuis, locus enim in quo stas terra sancta est*. Eundem in modum, vt ad virginis domum, & consortium, cuius rubus ardens typus fuit, accederet Ioseph, omnem carnalem cogitationem velut calceos per votum abiecit, terra enim illa, domus illa Virginis, sancta erat, ne vmbram quidẽ carnis ferre poterat. Sed postulat locus hic, vt de Iosephi virtute plura verba faciamus, quę cùm fuerit eximia, tamen à multis suo pondere non penditur.

1. Cor. 7.

Virgo & Ioseph non cogitarunt in coniugio quæ sunt mundi.

D. Grego. Nazianz. Amor stringendus.

Virgo & Ioseph virginitatis voto obstricti.

Exod. 3.

CAPVT VIII.

De *Iosepho sponso Deiparæ.*

QVemadmodum vt virginis dignitatem agnoscamus, admirabilem Matris Dei titulum expendere necesse est, ita vt Iosephi virtutem intelligamus, præcellentes eius titulos cõsiderare oportet. Ex titulis enim à Deo datis, firmoque fundamento stabilitis, veluti principiis, sanctorum magnitudo, & virtus veluti conclusiones deriuantur. *Tanto melior Angelis effectus*, ait de Christo Paulus, *quanto differentius præ illis nomen hæreditauit*. Eundem in modum de Iosepho dici potest, tanto melior aliis sanctis effectus, quanto differentius præ illis nomen & titulum habet. Nec enim Deus inanes titulos, & rebus vacua nomina donat, si titulum dat, largitur ea quoq; quæ titulus datus flagitat. *Idoneos*, inquit Paulus, *nos fecit ministros noui testamenti*, ministros fecit: Ecce titulum, *idoneos*, quia necessaria præstat. Deus enim, ait D. Tho. eodem capite, cuilibet rei dat ea, per quæ possit consequi perfectionem suæ naturæ, vnde quia Deus instituit ministros noui testamenti, dedit eis idoneitatem ad hoc officium exercendum, &c.

Dens cum titulũ donat, necessaria quoque tituli largitur. 2 Cor. 3. D. Ibem

Sunt autem Iosephi duo præstantissimi tituli, etenim coniux Deiparæ virginis, & pater fuit Christi, hominum opinione. Quid præstantius toto terrarũ orbe reperiri potest, quam coniugem esse Deiparæ virginis? Si laudatur maximè Ioannes, quod virginem à Christo sibi commendatam in sua acceperit, quibus laudibus afficiendus erit Ioseph, qui virginem non in sua solum, verùm in suam etiam cõiugem accepit, qui cum ea multos annos vixit, cum ea habitauit, cum ea familiarissimè vt cum sponsa versatus est? Sane quemadmodum aureus torques, siue aurea catena summi pretij gemmis exornata, colloque appensa, plurimum homini splendoris addit: Ita coniugium hoc, quod vinculo, & aureę catenæ omnibus gemmis fulgenti simile est, incredibilem Iosepho dignitatem affert. Quamobrẽ Cancellarius Parisiensis Ioannes Gerson in sermone de natiuitate virginis: O mirãda, inquit, prorsus Ioseph sublimitas tua, ô dignitas incomparabilis, vt Mater Dei, regina cœli, Domina mũdi, appellare te Dominum non indignum putauerit, &c.

Vinculum huius coniugij catena aureæ simile.

Gerson.

Non est bonum hominem esse solum (ait Deus) *faciamus ei adiutorium simile sibi*. Eundem in modum dixisse videtur: Non est bonum Virginem, matrem filij mei esse solam, ne partu pudicitiam violasse videatur, ne ignominiæ nota magna afficiatur, faciamus ei adiutorium simile sibi. Quodnam igitur fuit hoc adiutorium virgini sanctissimæ simile? sanctissimus Ioseph, vnde D. Bernardinus Tomo 3. in sermone de sancto Iosepho: Quomodo, ait, cogitare potest mens discreta, quod Spiritus sanctus tanta vnione (coniugij scilicet) vniret menti tantę virginis, aliquã animam, nisi ei virtutum operatione simillimam? Vnde credo Ioseph fuisse mundissimum in virginitate, profundissimum in humilitate, ardentissimum in charitate, altissimum in contemplatione, &c. Videlicet, vt esset adiutorium simile Virgini, & Bernardinus Homil. 2. super missus. Non est dubium, quin bonus & fidelis homo fuerit iste Ioseph, cui mater desponsata est saluatoris, fidelis, inquam seruus & prudens, quem constituit Dominus suę matris solatium, suæ carnis nutritium, solum denique in terris magni consilij coadiutorem fidelissimum.

Gen. 2.

D. Bernardinus.

Ioseph similis virgini, virtutum operatione.

D. Bernard.

Itaque si roges, qualisnam vir fuerit Ioseph? paucis respondeo, fuit adiutorium simile Virgini Deiparæ. Gregorius Nazianzenus Oratione vndecima de laudibus Gorgoniæ sororis suæ, cum indicare vellet qualis vir fuisset Gorgoniæ coniux, vno illũ verbo descripsit, virum Gorgoniæ fuisse dicẽs: Vultis, inquit, vno verbo virũ describã? vir illius, id est, Gorgoniæ, nec enim scio quid amplius dicere necesse sit. Idẽ meliori iure nos in Iosephũ transferre possumus: Vultis vno verbo Iosephum describamus? vir erat & coniux Deiparæ Virginis. Eadem Gorgonia dimidia ex parte se baptizatam putabat, quod eius maritus nondũ esset baptizatus, maritus enim dimidia veluti pars est vxoris: Porrò (inquit Nazianz.) cũ vnũ hoc ad omnia accedere cuperet, vt maritus quoque perficeretur; vt sic toto corpore cõsecraretur, ac nõ dimidia tantũ ex parte initiata discederet, ipsiusq; aliquid imperfectũ relinqueretur, hoc quoque precibus impetrauit, &c. Similẽ in

D. Greger. Nazianz.

Hebr. 1.

modum

modum Deipara Virgo, quamuis ipſa eſſet perfectiſſima, imperfectam ſe poterat exiſtimare, ſi dimidia ipſius pars, id eſt, coniux Ioſeph imperfectus eſſet. Quamobrem perfectionem ſummam credibile eſt ſuis precibus illi impetraſſe. Quod D. Bernardinus docet ſerm. citato, Cùm virgo, inquit, tot & tãta impetret peccatoribus ſceleratis, quanta putas impetrauerit chariſmata Ioſepho ſponſo, &c,

Virgo multa Ioſepho à Deo dona impetrauit.

D. Bernardinus.

Multum precibus Virgo, multum etiam coniugali familiaritate, verbisque ſuis Ioſepho profuit. Si enim nos miſeri, ait Bernardinus, ex cohabitatione ſanctorũ virorum, qui reſpectu Virginis nihil ſunt, ſæpe tamen proficimus, quantum exiſtimandum eſt Ioſephum cũ ſacra Virgine profeciſſe? Hæc eſt, (ait Bernardus in ſerm. 1. de aſſumptione) cuius ſalutationis vox & ipſos exultare facit in gaudio, quos materna adhuc viſcera claudunt. Quod ſi paruuli, nec dum nati anima liquefacta eſt, vt Maria locuta eſt, quid putamus, quænam illa fuerit cœleſtium exultatio, cum & vocem audire, & videre faciem, & beata eius præſentia frui meruerunt? Hæc Bernardus. quæ nos in noſtrum Ioſephum merito traducemus. Si paruuli nec dum nati anima liquefacta eſt, vt Maria locuta eſt, quid putamus, quænam illa fuerit Ioſephi exultatio, & in virtutibus progreſſio, cum & vocem audire, & videre faciem, & beata eius non ſolùm præſentia, ſed etiam coniugali familiaritate, & amicitia frui meruit?

D. Bernard.

Familiaritas Virginis valde Ioſepho profuit.

Quis enim neget coniugalem Virginis erga Ioſephum familiaritatẽ, & amicitiam fuiſſe maximã? Quia nouerat virgo, ait D. Bernardinus, quanta erat vnitas matrimonialis in ſpirituali amore, & ſciebat Ioſephum ſibi à Spiritu Sancto datum in ſponſum, & in ſuæ virginitatis fidum cuſtodem, & ad participãdum ſecum in charitatis amore, & obſequioſa ſolicitudine diuiniſſimam prolem Dei, ideò credo quod totius ex cordis affectu, eum ſynceriſſime diligebat. Amplius, cum omnia quæ ſunt vxoris, ſint viri, credo quod beatiſſima Virgo, totum theſaurum cordis ſui, quẽ Ioſeph recipere poterat, ei liberaliſſimè exhibebat. Hæc Bernardin. Quid excellẽtius hoc Virginis amore erga ſanctiſſimum virum, quid præclarius hac tanta familiaritate reperiri poteſt? Nulla in orbe pura creatura fuit, quàm maiori, quàm coniugem ſuum amore, Virgo proſequeretur, nulla fuit qua familiarius quàm illo vteretur.

D. Bernardinus.

Rupertus.

O coniugium verum, & ſanctum (ait Rupertus Matthæi primo) Coniugium cœleſte, non terrenum, vnus ſpiritus & vna fides erat in eis, ſola illic carnis corruptio deſiuit, & cæt. Congruit potius huic, illud quod de ſuorum parentum coniugio, Nazianzenus oratione decima nona dixit: Sic exiſtimo, ſiquis ab vltimis terrarum finibus, atque ex vniuerſo hominum genere, præſtantiſſimum coniugium conſiliare ſtuduiſſet. nullum vnquam hoc præſtantius, aptiusque reperiri potuiſſe. Hæc ille.

Nazian.

Mulieris bonæ (ait Eccleſiaſticus) *beatus vir*, ſi beatus vir eſt mulieris bonæ, ô terque quaterque, & millies beatum Ioſephum virginis virum, quæ cunctos homines, Seraphinosque bonitate ſuperat. Si prudens vxor Dei donum eſt, vt docet Salomon *à domino*, inquit, *vxor prudens*, quam eximium Dei donum Ioſepho datum Virgo fuit, vſque ad miraculum prudentiſſima? *Pars bona*, ait Eccleſiaſticus: *mulier bona, in parte timentium Deum, dabitur viro pro factis bonis*, &cæt. Si pro factis bonis bona datur mulier à Deo, Eximia ſanè fuere facta Ioſephi, pro quibus eximia illi virgo data eſt, de qua illud merito dicere potuit, quod de ſapientia dixit Sapiens: *Intrans in domum meam conquieſcam cum illa, non enim habet amaritudinem conuerſatio illius, nec tædium conuictus illius, ſed lætitiam, & gaudium*, &c.

Eccleſ. 26.

Prouerb. 19.

Eccleſ. 26. Vxor bona datur pro factis bonis.

Sapient. 8.

Magnus igitur titulus, ſcilicet, coniux Virginis, magnum virum fuiſſe Ioſeph oſtendit. Idem indicat alter quoque titulus, ſcilicet, Pater Chriſti, etſi non generatione, ſed hominum opinione fuerit. Præclarus exiſtimatur Euãgeliſtæ Ioannis titulus omnium ore celebratus, Chriſti ore pronũciatus; *Ecce filius tuus.* Cur non etiam omnium ore celebretur titulus Ioſephi Virginis ore prolatus, *Ecce pater tuus?* *Ecce*, inquit, *pater tuus, & ego, dolentes quærebamus te.* Quid maius eſt, filium eſſe Virginis, an coniugem eſſe virginis? Quid mirabilius eſt, filium dici Virginis Deiparæ, an Patrem Chriſti Optimi Mæx. Miratur Eliſabet & exclamat, Vnde hoc mihi, vt veniat Mater Domini mei ad me? O quoties Ioſeph ſimilẽ in modum in admirationem magnam raptus exclamauit, Vnde hoc mihi, vt Mater Domini mei, & Dominus ipſe meus, in domo mea verſentur? Vnde hoc mihi, vt Matris Domini mei coniux ſim? Vnde hoc mihi, vt Dei mei pater appeller? Vnde hoc mihi, vt Deus mihi obediat? Mirabile quidem fuit: *Solem in cœlo ſtare*, Obediente Domino voci hominis, ſed multo fuit mirabilius iuſtitiæ Solem in terras retrogredi, ac deſcendere, incarnatumque Deum voci Ioſephi veluti patris obedire. *Erat enim ſubditus illis.* Hæc ſubiectio, ait Gerſon, ſicut ineſtimabilem notat humilitatem in Chriſto, ita dignitatem incomparabilem ſignat in Ioſeph, & Maria, &c.

De titulo patris Chriſti hominum opinione.

Luc. 2.

Ioſue 10.

Luc. 2. Gerſon.

Vidit Iacob Deum in cœlo, ſcalæ ſupremo gradui innixum, Nos eundem videmus in terris, Ioſepho qui ſupremus eſt genealogiæ Matthæi gradus incũbentẽ. Supremus, ait Rupertus Matth. 1. Scalę gradus, cui Dominus innixus eſt, beatus Ioſeph eſt, innixus illi eſt tãquã tutori pupillus quippe qui in hoc mũdo, ſine patre natus eſt. ita innixus eſt beato Ioſepho, vt eſſet infantulo pater optimus, vt eius ſolatio paterno, puer cum virgine ſuſtentaretur. Hæc ille. Nónne Deus Ioſepho innitebatur, cum Ioſephi brachijs Chriſtus ſæpe ferebatur, cũque in gremio Ioſephi ſæpe ſomnum capiebat? Semel Simeon chriſtum in vlnas ſuas accepit, miroque exhilaratus gaudio præclarum cãticum Deo cecinit, at Ioſephus non ſemel, ſed ſepiſſimè eundem optatiſſimum Meſſiam brachijs tulit, & amplexatus eſt. Quæ ergo cantica, quas gratiarũ actiones, quas Deo laudes ſi non ore, ſaltem corde illum ceciniſſe credendum eſt? Recubuit caput Ioãnis ſuper pectus Chriſti ſemel, recubuit pectus & caput Chriſti, imò totus Chriſtus, ſuper Ioſephum ſæpe. O leuiſſimum onus: O dulce pondus, verè onus tuum leue eſt Domine Ieſu, quis nolit ſic onerari? O onus aureum, onus omnibus margaritis leuius. *Læua tua ſub capite Ioſephi, & dextera tua amplexabitur eum.*

Gen. 28.

Ioſeph ſæpe Chriſtum in vlnas vt Simeon accepit.

Cant. 2.

Optabat ſponſa: *Quis mihi det te fratrem meum ſugentem vbera matris meæ, vt inueniam te foris, & deoſculer te, & iam me nemo deſpiciat?* Inuenit fœlix Ioſeph ſponſæ deſideria, inuenit æternum Dei Verbum foris, in mundo hoc incarnatum, amplexatus eſt, & deoſculatus. Quis ergo eum deſpiciat: imò quis non maximi faciat: quis illius virtutes non æquet cælo? Ille primus poſt Virginem, cœleſtem ſponſum è thalamo prodeuntem in præſepio Bethlehemitico vidit, primus adorauit, primus cœleſtis mannæ è cœlo venientis dulcedinem deguſtauit, primus poſt lõgiſſimam noctem Solem Orientem vidit, primitiasque nati Chriſti cum Virgine tulit. Natum verò infantem poſtea vt filium enutriuit, vt Deum coluit, & ardenter amauit, non enim poteſt quiſquam ignem ſinu gerere, quin ardeat, iuxta illud: *Nunquid poteſt homo abſcondere ignem in ſinu ſuo, vt veſtimenta illius nõ ardeãt?* Cùm igitur Ioſeph, ſinu ſuo ignem, id eſt, Chriſtum, tulerit, quis inficiabitur vehementer exarſiſſe, & vehementer amaſſe?

Cant. 8.

Prouerb. 6.

Splendidam reddidit Mosis faciem consortium sermonis Domini, iuxta illud: *ignorabat quod cornuta esset*, id est, splendida facies sua, ex consortio sermonis Domini. Faciem Mosis, consortium sermonis Domini non multorum mensium radijs fulgoris incendit, pectus Ioseph consortium non sermonis solùm, verùm etiam conuictus Dei multorum annorum, radijs amoris mirum in modum inflammauit. O beatos oculos qui Christum toties viderunt. *siquidem beati oculi*, ait Christus, *qui vident quæ vos videtis*, O beatas manus, quæ Christum toties tetigerunt, nec vnquam illo ad Magdalenam dicto prohibitæ sunt, *Noli me tangere*, O beata brachia, quæ Deū toties portauerunt; O beatam domum, in qua beatissima illa Trinitas habitabat, Christus, Maria, Ioseph, sic vocat Parisiensis Cancellarius. Cuperem, inquit, vt mihi verba suppeterent ad explicandum tam altum mysterium, tam admirandam, venerandamque Trinitatem, Iesus, Mariæ, & Ioseph, &c. O quam dilecta Trinitati, Patri, Filio, & Spiritui Sancto, domus illius Trinitas, Christus Maria, Ioseph, Nihil charius, nihil melius, nihil in terris erat excellentius. Inuidebat terris tales habitatores cœlum, cœlo digniores, quam terris.

Exod. 34.

Luc. 10.

Gerson.

Vere hortus erat amœnissimus, sed hominū oculis conclusus domus illa, in qua cœlestis ille agnus, *inter lilia pascebatur simul, ac pascebat*, inter lilia, inquam, id est, virginem, & Iosephum, vt Rupertus interpretatur. Vere, ait, ambo lilia, Virgo, & Ioseph, pro virginalibus nuptijs, & cohabitatione castissima. Pascebatur corporeo cibo, pascebat Virginem, & Iosephum, cœlestibus epulis. Quid hortum dixi? cœlum erat domuncula illa. in cœlo habitat Deus, in domū cula quoque illa habitabat. Cœlum à cælando dictū. eximias opes, beatorumque gloriam cælat domuncula illa, infinitam Christi maiestatem, summū virginis splendorem, summumque Iosephi honorem cælabat, tectum illud istar cœli, quod tegit omnia, summum incarnationis mysterium tegebat. Cui enim hominum in mentem venire poterat, Deum, Deum inquam incarnatum, in domo illa habitare, coniuges illos virginitatem colere, virginē Dei matrem esse, Iosephum Christi non patrem sed nutritorem? Videlicet, cœlum erat domus illa, admirandum mysterium celás; *nigra erat foris sed formosa intus; sicut tabernacula Cedar. sicut pelles Salomonis.*

Cant. 2. Domus Ioseph hortus cōclusus, & cœlum.

Cant. 1.

Deniq; benedictio illa Iosephi filij Iacob, nostro Iosepho cum nomine cōgruit, *Filius*, inquit, *accrescēs Ioseph filius accrescens & de aspectu*, Hebraicè non est verbum *Iasaph*, id est, *addidit*, à quo deducitur nomen Ioseph, id est, *addens*, sed est verbum *Parah*, id est, *fructificauit*. Verti etiam potest ex Hebræo, *filius fructifer Ioseph, filius fructifer, vel crescens iuxta fontem*, vel, *iuxta oculum*. Pagninus vertit, *vt ramus crescens Ioseph, vt ramus fructificans iuxta fontem*, &c. Nónne infans ille, quē Ioseph amplexabatur, cuius pedes sæpè osculabatur, iuxta quem sedebat, dormiebat, vigilabat, virtutibus crescebat, omnium bonorum fons erat vberrimus? quam bene ergo iuxta fontem creuisse dicitur Ioseph, vel, iuxta oculum, iuxta oculos enim Christi versabatur, quem in oculis ferebat. O fœlicem arborem, tali irrigatam fonte ad maximum incrementum peruenisse quis nō putet? Filius equidem accrescens Ioseph noster, filius accrescens, plusquam alter Ioseph filius Iacob.

Gen 49. Ioseph benedictio.

Pagninus.

D. Bernard. Ioseph pōtifex virginis cōfertur cū Ioseph filio Iacob.

Iosepho illi data est (vt ait Bern. homil. 2. super missus) intelligentia in mysterijs somniorū, nostro datum est conscium fieri cœlestium sacramētorū; ille frumenta seruauit nō sibi, sed omni populo, hic panem viuum e cœlo seruandum accepit, tam sibi quàm toti mundo. Illi subditi fuere Ægypti, huic subditi fuere Deus incarnatus, eiusque admirabilis mater, illum honore affecit Pharao, hūc multo maiori honore affecit Deus, illi dedit Pharao vxorē filiam Phutipharis sacerdotis, huic dedit Deus coniugem matrem suam, illius castimonia magna fuit, quòd adulterium fugerit, huius multo maior, quòd virginitatē seruarit; ille dictus est Saluator mundi, quòd ab Ægypto famem depulerit, hic Pater Domini veri totius mūdi saluatoris est appellatus, quòd Matris Domini coniunx fuerit. Ille Ægyptū à fame, hic Christum ab Herode liberauit, ille longe à Domini ortu abfuit, hic cum Domino & matre eius habitauit. Vterque virtutem habuit suo congruentem muneri, sed hic tanto maiorem, quanto maiori munere functus est. Filius igitur accrescens Ioseph noster, super Ioseph filium Iacob filius accrescens, & decorus aspectu.

Ioseph vultū habuit venerandum.

Erat enim Ioseph, vt credibile est, aspectu venerando; & si Gersonis coniectura aliquid haberet momenti, Christo similis, vt eius filus videri posset, sic enim in fine Iosephinæ cecinit:

Personas inter similes est nexus amoris,
De Ioseph ast ratio suadet, sua quod facialis
Forma, Iesu formæ similis reputanda fuisse est,
Si non: quo pacto pater eius creditus esset:
Qualiter omnimodo matris saluasset honorem,
Disparitas vultus prolis, cum patre putato?
Gratia naturæ fieri vult consona sæpe,
Nónne minor Iacobus frater Domini, perhibetur
Valde sibi similis? quod gratia non caro fecit.

Gerson.

Hæc ille.

Exístimat idem autor, pia (vt ait) credulitate, in sermone de Natiu. Virginis, in concilio Constantiēsi habito, Iosephū in vtero matris fuisse sanctificatum, idque affirmat in officio Hierosolymitano de Ioseph compositio contineri. Addit, peccati fomitem vel extinctum, vel repressum in eo fuisse, ne Virginis pulchritudine, & familiaritate laederetur. Videtur idem sentire Ekius in sermone de Ioseph, & Iacobus episcopus Christopolitanus, in Canticum Virginis, cum agit de quarta Virginis dignitate: In ambobus, inquit, id est, in Virgine & Ioseph, erat fomes extinctus per sanctificationem, &c. Sanctificatio Ioseph in vtero infirmum habet fundamentum, fomitem repressum cum coniugium inijt, non caret verisimilitudine.

Fomes repressus in Ioseph.

Sentit præterea Cancellarius eundem Iosephum ea gratia donatum, quæ omnes peccatū mortiferū superaret. Sicut decuit, inquit, vt Virgo summa puritate niteret, sic decuit vt haberet suo modo parem sponsum purissimum, qui cum perpetua Virgine virgo permaneret. Vterq; regali progenie illustris, vterque sanctificationem in vtero recipiens. cum Maria plena gratia fomitem reprimente, mansit Ioseph repletus gratia, peccatum mortale quodlibet superante, &c. Verisimile admodum est, maximè post coniugium, huiusmodi peccatum Iosephum non incurrisse. Filius igitur fuit accrescens Ioseph, tot auctus incrementis. Videlicet, coniugis Deiparę, putati patris filij Dei, gratiæ, virtutumque maximarum, quæ incrementa gloriæ secuta est mensura singularis.

Ioseph post coniugium nullum commisit peccatum mortiferū imo nec per totam vitam. Gerson.

Antequam Christus cruci suffigeretur, sanctissimam vitam cum clarissima morte videtur commutasse, clarissimam dico mortem, quæ Christi, Deiparæque Virginis præsentia, veluti Solis ac Lunæ splēdore est illuminata. Quātas (ait diuus Bernardinus) exhortationes, consolationes, promissiones, illuminationes, inflammationes, & æternorum bonorum reuelationes, recepit in transitu suo Ioseph, à Sanctissima sponsa sua, & à dulcissimo filio Dei Iesus? &c. De hac morte in sua Iosephina Cancellarius sic scripsit:

De morte Ioseph & sūnere D. Bernardinus.

Venerat

Gerſon. *Venerat illa dies, quæ vitam morte pararet*
Perpetuam tibi iuſte Ioſeph, Dauid inclyta proles:
Chriſtus adeſt cum matre pia, quibus officioſe
Seruieras: vultu plaicdo ſolantur euntem.
Ora licet lachrymis oppleuerit intus obortis
Naturalis amor, etenim ſat credere fas eſt,
Quod patrem Ieſus, & ſponſum fleuit morientem,
Virgo benigna ſuum, &c.

O funus lętiſſimum, quod ipſum mundi gaudium eſt proſecutum. Nam Chriſtus, & Virgo Deipara, Ioſephi feretrum comitati ſunt. huiuſmodi fuiſſe apud Iudæos morem, vidua illa indicat, quæ filium vita functum ex ciuitate Naim in ſepulchrum ſequebatur. Potuit quidem Chriſtus tacto feretro Ioſephũ, vt Viduæ filiũ, vitæ reſtituere: Sed in tempus reſurrectionis ſuæ, ſui Ioſephi diſtulit forſitã reſurrectionem, vt qui pariter vixerant, pariter & reſurgerẽt. Si enim cũ Chriſto multi ex ſanctis Patribus in vitam ſunt reuocati, quid prohibet credere ex illis fuiſſe vnum Ioſephum? Vnde Gerſon, Legimus, inquit, *multa corpora Sanctorum reſurrexiſſe, & veniſſe in ſanctorum ciuitatem, & apparuiſſe multis:* recogitet oro, pius animus, ſi iuſtus Ioſeph vnus ex illis putandus eſt, qui apparuerit charilſimæ ſponſæ, qui eam consolatus ſit. Qui tandem Chriſto in cœlos aſcendente, ſimul & aſcendit glorificatus: non dubium in anima, ſed & in corpore neſcio, Deus ſcit. Hæc Gerſon.

An reſurrexerit D. Ioſeph.

Gerſon.

D. Bernardinus. D. verò Bernardinus, in anima ſimul & corpore glorificatum pie credit. Pie, inquit, credendum eſt, non tamen aſſerendum, quòd piſſimus filius Dei pari priuilegio decorauit ſuum putatiuum patrem, ſicut ſuam ſanctiſſimã matrem, vt ſicut illã aſſumpſit in cœlum in corpore, & anima, gloriosam, ſic etiam in die reſurrectionis ſuæ, ſanctiſſimum Ioſeph in gloria reſurrectionis ſecum. Vt ſicut illa ſancta familia, ſcilicet, Chriſtus, Virgo, & Ioſeph, in laborioſa vita, & amoroſa gratia ſimul vixerunt in terris, ſic in amoroſa gloria, nũc & corpore, & anima regnẽt in cœlis: iuxta regulã Apoſt. *ſicut ſocij paſſionum eſtis, ſic eritis & conſolationis.* Hæc D. Bernardinus.

2. Cor. 1.

Gerſon. De gloria D. Ioſeph.

Quanta autem in cœlo gloria fulgeat, docet Cãcellarius his verbis: *Collocatus eſt à dextris Ieſu*, hoc eſt, in potioribus bonis ſuis. itẽ: Quantus exiſtimandus eſt iuſtus Ioſeph in gloria, & in cœlis, qui talis, ac tantus inuentus eſt in miſeria, & in terris? Profectò cùm dicat Chriſtus: *Vbi ſum ego, illic & miniſter meus erit*, ille proximior videtur collocandus in cœlis, qui in miniſterio fuit vicinior, obſequentior, atque fidelior poſt Mariam inuentus in terris. Hæc ille.

De' interceſſione D. Ioſeph.

Quantum illius preces valeant, idem ſapientiſſimus Autor in Ioſephina his verſibus ſignificat:

Quanta ô fiducia, quanta eſt
Vis impetrandi: quia dum vir, dum pater orat
Vxorem, & natum, velut imperium reputatur, &c.

CAPVT IX.

De *pulchritudine Deiparæ Virginis.*

POſtquam de coniugio, & ſponſo Deiparæ Virginis diximus, locus hic poſtulabat, vt de viſitatione, de Angelica annunciatione, de cõceptione, partuque admirabili, aliiſq; eiuſmodi ad Virginem attinentibus diceremus. Verùm quia hiſce de rebus Euangeliſtæ, quos interpretamur, ſcripſerunt, Euãgelicæ hiſtoriæ ordinem ſequentes, ſuo quamque rem loco tractabimus. Nunc de iis, quæ ſilentio illi præterierunt, atque in primis de pulchritudine, nõnulla verba faciemus.

A Duplex eſt pulchritudo, altera corporis, altera multò præſtantior, animi. Etenim in corporis elegantia, & apta membrorum compoſitione ſita pulchritudo, temporis & morbi ludibrium eſt, vt ait Gregorius Nazianzenus, orat. 31. Fragile bonum, vt dixit Poëta:

D. Grego. Nazianz.

Forma bonum fragile eſt, quantumque accedit ad annos,
Fit minor, & ſpacio carpitur ipſe ſuo.

Ouid. lib 2. de arte.

Florum mutabilitate fugacior, (vt Boëtius ſcripſit Proſa 8. lib. 3. de conſolatio Philoſ.) Formæ, inquit, nitor, vt rapidus eſt, vt velox, & vernalium florũ mutabilitate fugacior, &c. Febris igniculo diſſoluitur, vt idẽ Boëtius ait: Æſtimate, inquit, quam vultis nimio corporis bona, dum ſciatis, hoc quodcunque miramini, triduanæ febris igniculo poſſe diſſolui, &c. In ipſa cute externaque facie conſiſtit, niſi enim nitida ſit cutis, ſuauique colore perfuſa, pulchritudo perit. Vnde Boëtius addit, Si vt Ariſtoteles ait lynceis oculis homines vterentur, vt eorum viſus obſtantia penetraret, nónne introſpectis viſceribus, illud Alcibiadis ſuperficie pulcherrimũ corpus, turpiſſimum videretur? Igitur te pulchrum videri non tua natura, ſed oculorum ſpectantium reddit infirmitas, &c.

Boëtius. Pulchritudo corporis fragile bonum. Boëtius.

Merito ergo, *Fallax* dicitur *gratia*, quæ gratas oculis fœminas reddit, & *vana pulchritudo*. Vana eſt, quia eum neſcit, Fallax eſt quia fallit. filios Dei olim, id eſt, probos viros, pulchritudo fefellit; *Videntes filij Dei filias hominum, quòd eſſent pulchræ, acceperunt ſibi vxores*, &c. Deſerto magno bono, id eſt Deo, ait Auguſtinus, libro 15. de ciuitate Dei, capite 22. lapſus factus eſt ad bonum minimum, id eſt, pulchritudinem, &c. Quemadmodũ piſcator piſces, auceps aues eſca, ſic diabolus homines, fœminarũ pulchritudine decipit. Carnes, (ait Ambroſius lib. 3. de Virgin.) etiam volantes aquilas deponunt. Eundem in modum caro pulchra, etiam aquilas Dauides & Salomones (ni caueant) fallit.

Prou 31. Fallax & vana pulchritudo corporis. Gen 9. D. Auguſt.

D. Ambroſ.

Quid nam Iſraelitarũ exercitum fefellit ac vicit? ſane fœminarũ pulchritudo. Aduerſus Hebræos milites, non fortes milites, ſed pulchras fœminas, inſtrui præcepit Rex Balac, ex conſilio Balaam, quem egregiè Origenes hom. 20. Numerorũ, hunc in modum loquentem inducit: Non virtute, inquit, militum, ſed mulierum decore pugnandum eſt, nec armatorũ vigore, ſed mollicie fœminarum, procul amoue armatorum manum, electã congrega ſpeciem puellarum, forma vincit armatos, ferrũ pulchritudo captiuat. Vincẽtur ſpecie, qui non vincuntur prælio. Hæc ille. O fallacẽ pulchritudinem, quæ Dei exercitum victum, ac deceptum, ſub idolorũ iugum miſit.

Num. 25. Origenes.

Fallax pulchritudo à Deo homines auocat, caſta ad Deum ducit. Græci vt Dionyſius Areopagita vult 4. cap. de diuinis nominibus, pulchritudinem, κάλλος appellauit, à vocãdo, Pulchritudo, inquit, ille, κάλλος à vocando, dicitur, καλῶ enim καλῶ vocare ſignificat. Turpiſſima pulchritudo eſt, quæ ad Dæmonem, pulcherrima, quæ ad Deum vocat, qualis fuit Deiparæ virginis, quam ſilentio præterire non eſt æquum.

Dionyſius Areop.

Quamuis enim fragile ſit bonum, Dei tamen eſt donum, vt Auguſtinus docet loco indicato: Pulchritudo, inquit, Dei donum eſt, ſed propterea id largitur etiam malis, ne magnum bonum videatur bonis, &c. Donum Dei eſt, quod in hoc terrarum Orbe nonnullis largitur, in cœlo omnibus Beatis largietur. In terra fragile bonum, & fugax, & fallax, in cœlo perpetuum, conſtans, fallens neminem. Non eſt virgini huiuſmodi donum negandum, nam venuſto in corpore gratior virtus eſt. Vnde illud Poëtæ:

D. Auguſt. Pulchritudo corporis Deiparæ tribuẽda.

Gratior & pulchro veniens in corpore virtus.

Virg. Aen. 5.

Præterea in pulchritudine magis eminet virginea puritas. Etenim vt ait Dionyſius Carthuſianus lib.

Dionyſ. Cart.

1. de laudibus Virginis, art. 34. Sicut incontinentia in deformibus est vituperabilior, sic continentia in pulchris laudabilior. Siquidem pulchritudo apta, sed rara est pudicitiæ comes, iuxta illud Iuuenalis:

Rara est concordia formæ atque pudicitiæ.

Iuuen. sat. 10. Et illud Ouidij in Epistola Paridis:

Ouid. *Est lis cum forma, magna pudicitiæ.*

Quanto rarior, tanto in Virgine fuit illustrior, admirabilis formæ & pudicitiæ concordia. Quid mirum si fuerit in ea pudicitiæ & formæ concordia, in qua partus & virginitatis fuit summo consensio? Quemadmodum præclarum ensem præclara vagina, ita pulchrum animum pulchrum corpus decet. Est enim corpus vagina animi. Vnde illud. *Non permanebit spiritus meus in homine:* vertit Pagninus, *Non erit vt in vagina spiritus meus*, id est, animus, in homine. *Gen. 6.*

Diogenes. Huc illud Diogenis pertinet apud Laertium: Videsne, inquit, decorum adolescentem, indecore loquentem: *Non erubescis, ait, ex eburnea vagina, plumbeum educes gladium?* Si Priami species digna est imperio (vt dicitur) digna est imperio pulchritudo: Dominam ergo mundi pulcherrimam fuisse oportet.

Cur pulchritudo digna imperio sit. Abulensis. Imperio autem dignam esse pulchritudinem, indicat in hunc modum Abulensis. Paradoxo 2. c. 101. Quòd corporalis, inquit, pulchritudo, bona habetis indoles sit apparet, quia attestatur super bonã complexionem, bona autem complexio signum, & causa efficax est boni intellectus. Nam cum organa phantastica disposita sunt, intellectus, quibus ista subseruiunt, bene intelligit, si male disposita sunt intellectus, aut parum, aut perturbate, aut omnino nihil intelligit. Bonus autem intellectus, habentem aliorum Dominum facit, & rectorẽ, iuxta illud vulgatum, verumque prouerbium: *Qui bono sunt intellectu vigentes, aliorum sunt Domini, & rectores.* Ita ergo ex esse pulchrum, esse Dominum sequitur, & rectorem. Et quia talis perfectio pulchritudinis ad esse Dominũ & rectorem præuium erat, valde congruebat Virgini, quia est vna de maximis perfectionibus. Dicendum ergo in Domina virgine pulchritudinem extitisse. Hæc Abulens. Episcopus.

Etsi *fallacem, & inauem pulchritudinem*, scriptura dicat, tamen fœminas multas ex pulchritudine laudat. *Erat formosa valde, & incredibili pulchritudine, omnium oculis gratiosa, & amabilis videbatur.* Iudith. *Erat eleganti aspectu nimis*, Genes. *Rachel decora facie, & venusto aspectu.* Iob: *Non sunt inuentæ mulieres speciosæ, sicut filiæ Iob in vniuersa terra.* Quod in alijs fœminis Scriptura laudat, virgini quæ fœminarum omnium ornamentum, & decus est, cur negemus? Ad hæc, vt ait Caietanus in opusculo de spasmo virginis, Virgo debet credi similis filio per omnia, quantum fas est, Christus autem pulcherrimus fuit, ergo & eius mater, cui canitur: *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te.* De vtraque enim pulchritudine spiritali, & corporea hæc verba intelligẽda sunt: *Quam pulchra es amica mea, quam pulchra es.* Bis pulchram dixit, nimirum & corpore, & animo.

Prou 31. *Esther. 2.* *Scriptura fœminas pulchras laudat.* *Iud 8.* *Gen 29.* *Iob 42.* *Cant. 4.* *Cant. 4.*

Virgo in pallorem suauẽ vultus colorẽ mutauerat Greg. Naz. Pulchritudo membrorum integritatem aptamq; figuram, & coloris suauitatem postulat. In Deipara virgine membra omnia fuisse integra, aptè figurata & colore suaui perfusa, quis neget? Suauem tamẽ colorem, quem suapte natura sanctissimum corpus habebat, perpetuis ieiunijs, perpetuaque contẽplatione obliterarum, & in pallorem cõmutatum putarim. nam vt Greg. Nazianzenus ait, in tractatu aduersus mulieres ambitiosius se ornantes: Pallidus color sanctis fœminis congruit. Dabimus, inquit, & alterum colorem, nempe vt pulchritudini tuæ pallorem asciscas, Christique laboribus intabescas, atq; & precibus, & lacrymis, & diurnis, nocturnisque peruigilijs teipsam maceres, &c. Macerauit virgo pulchritudinem, ideoque fallax illa non fuit. Nec Virginem fefellit, quæ quam paruum bonum esset recte nouerat, nec alias, quia macerata erat, ijsque ornamentis, quæ veluti flabra ignem excitant, carebat. Accedebat ea verborum modestia, ea morum & gestus grauitas, is sanctitatis nitor, qui intuentium concupiscentiã omnino profligaret. Non dubitandũ (ait Richardus Vict. in Comment. Cant. cap. 26.) amoris ignem, & interiorem candorem, exterius in virgine lucere, vt quæ puritatem angelicam habuit, vultum etiam angelicum habuerit, &c. *Richardus Vict.*

Neminem Sanctissimæ virginis, decore offensum, ait D. Thom. Vt dicitur (inquit), gratia sanctificationis, non solũ repressit in virgine motus illicitos, sed etiam in alijs efficaciam habuit, ita vt quamuis esset pulchra corpore, à nullo concupisci potuerit, &c. *D. Thom. 2 dist. 2. q. 1. art. 2. ad 4.*

Ioãnes Maior Luc. 1. in illa verba, *Exurgens Maria*, sic scribit: Illam dotem omnipotens Deiparæ suppeditauit, vt mortalium nemo illam concupisceret, porrò ea visa infrenis libido (vt firmiter teneo) prorsus extinguebatur, &c. Cancellarius item Parisiensis Gerson in sermone de Conceptione virginis: Dico, inquit, quod Physiognomia virginis mouebat aspicientes ad omnem castitatem, & luxurias extinguebat mortificabatque cogitationes. D. Bonauent. 3. Sententiarum, d. 3. qu. 3. Quidã, inquit, Iudæi asserunt, hoc mirum fuisse in virgine, quod cùm esset pulcherrima, tamen à nullo vnquam viro fuerit concupita. Nec vili pendendum est illud infidelium testimonium. Hæc ille. Gabriel quoque qu, 2. eodem vtitur testimonio. *Maior.* *Virginis magna pulchritudo nemini vnquam nocuit. Gerson.* *Gabriel.*

Doctor extaticus Dionysius Cant. 2. illa verba: *Sicut lilium inter spinas*, de Virgine exponit, propterea quòd cæteræ fœminæ pulchræ vt spinæ intuentes pungant: Virgo vt Lilium neminem sua pulchritudine læserit: Quãuis, inquit, fuerint multæ Virgines sanctæ, tamen respectu Virginis quasi spinæ fuisse videntur, in quantum aliquid culpæ habebãt, & quãuis in se fuerint mundæ, non tamen fuit in eis fomes prorsus extinctus. Fuerunt & alijs spinę, qui ex earũ intuitu concupiscentia pungebantur. Porrò Deipara Virgo ab omni culpa fuit prorsus immunis, fuit fomes in ea plene extinctus, & tam intensa castitate erat repleta, quod intuentium corda sic penetrauit sua inæstimabili castitate Virginea, quod à nullo potuit concupisci, imò potius extinxit ad horam illorum libidinem. Hactenus Dionysius. Non solũ Virgo aspectu suo lædebat neminem, verùm tanta eius erat gratia, (ait Ambrosius) vt iis quos viseret integritatis insigne conferret, in lib. de institut. virginis c. 7. Tanta, inquit, erat Virginis gratia, vt non solùm in se virginitatis gratiam reseruaret, sed etiã iis, quos viseret, integritatis insigne coferret. Visitauit Ioannem Baptistam, & in vtero matris exultauit, nec immerito integer corpore (id est virgo) quẽ tribus mensibus oleo quodam suæ præsentiæ, & integritatis vnguento Domini mater exercuit, &c. *Dionysius Carth.* *D. Ambros.*

Quod autem pulchra fuerit, cõmunis est opinio, sic vocatur à Gregorio Nazianzeno, in Tragrædia, quæ dicitur Christus patiens: Inter pudicas, inquit, & pulcherrimas, atq; venerãdas prima. Et iterũ, ô virgo quę formæ nitore præis cæteras. Richardus item Victorinus Cant. 26. Tota, inquit, pulchra meritò dicitur virgo, quia pulchra facie fuit, pulchra mẽte, & corpore. Eodem loco ait vultum habuisse Angelicũ. Albertus Magnus apud Dionysiũ lib. 1. de laudibus Virginis art. 34. Quemadmodũ, inquit, corpus Christi, quod Deus supernaturaliter per seipsũ formauit, est perfectissimum atque pulcherrimum in natura, quod fieri potuit secundùm statum viæ, sic corpus virginis ad hoc immediatè ordinatum, fuit pulcherrimum secundùm statũ viæ, quod natura per se operans *Virgo fuit pulchra Nazianz.* *Albertus Magnus.*

rans facere poteſt. Ideo dicimus quod ſicut Chriſtus fuit *ſpecioſus forma præ filijs hominum*, ſic virgo pulcherrima fuit inter filias hominũ. & quod ipſa habuit ſummum, & perfectiſſimum in pulchritudine, quod potuit eſſe in mortali corpore fœmineo, ſecũdum ſtatum viæ operante natura. Hactenus Albertus. Dionyſius in libr. 1. de laudibus virginis art. 35. *Diony. Carthuſ.* A planta, inquit, pedis vſque ad vertieem capitis nihil penitus fuit in virgine, neque in corpore, neque in anima indecens, reprehenſibile, indecorum, imò totum fuit diuinæ ſapientiæ circino formatum, pulcherrimè circumciſum ab omni ſuperfluitate, pleniſſimè ac ſpecioſiſſimẽ operatum. Nempe, ſicut Chriſti humanitatem, propter eius perſonalem cum Deo vnionem, decuit omni perfectione naturæ, & gratiæ, in termino excellentiæ præfulgere, ita ipſius genitricis perſona poſt Vnigeniti ſui humanitatem, oportebat in omnibus ſic ornari. Quoniam poſt hypoſtaticam cum Deo coniunctionem, nõ eſt alia tam vicina, vt vnio matris Dei, cum Deo filio ſuo. Hæc *D. Brigitta.* Dionyſ. & in ſermone Angelico D. Brigittæ. cap. 13. Quemadmodum Deus, & Angeli de virginis animæ venuſtate gratulabantur in cœlis, ita etiam gratiſſima eius corporis pulchritudo, omnibus eam cernere cupientibus vtilis fuit, & conſolatoria in terris, &c. Henricus de Haſſia, quem citat Dionyſius Car- *Henricus de Haſſia.* thuſianus in libr. 2. de laudibus virginis art. 2. Maria, inquit, plena gratia optimæ compaginis naturalis, ſingulariſſimæ pulchritudinis corporalis, decentiſſimæ habitudinis moralis. Quoniam omnium artifex Deus, ad ipſius formationem in vtero ſupernaturaliter concurrens, filio ſuo dignum habitaculum fabricaturus, eam intrinſecus omnium gratificantium chariſmatum, & dignificantium habituum plenitudine adornauit, vt etiam exteriore eius effigie, gratia diuina tam copioſè, efficaciterq; luceret, quòd eius aſpectus carnalium æſtus extingueret, peccatorum corda compungeret, mundanorum hominũ deſideria ad cœleſtia eleuaret, &c.

Virginis in vultu ſplendor: & odor ex ſacro corpore. Idem Dionyſius, pro ſua in virginem pietate, putat virginis vultum ſplendore quodam fuiſſe illuſtratum. In lib. 1. de Virg. art. 36. Virgo, ait, quò abũdantioribus diuinorum chariſmatum infuſionibus fuit præuenta, eò hæc ipſa exubarantia magis in eius refulſit vultu, ac viſu. Et quò quotidie in omni gratia, ac virtute, & in omni luce cõtemplationis theoricæ, in myſticę Theologiæ ſplendore in puritate interna, & ſanctitate Angelica excellentius profecit, eò interior illa, ac diuina ſynceritas luminoſa; euidentius in eius facie apparebat, atque vt quidã etiam magni Doctores dicunt, viſibiliter radiabat, &c. Adiungit: Cur nõ putetur credibile, quod virginea eius caro dulcẽ ſit ſortita odorem? Non fuit id quidem impoſſibile, at non decebat virginem odorem ſpirare, ne delicias & odores amare videretur. Verùm hæ piæ ſunt meditationes.

Corpus autem humanum odoriferum eſſe poſſe, *Plutarch.* Plutarchus oſtendit, qui Alexandri magni corpus (ſi habenda fides eſt) huiuſmodi fuiſſe ſcribit. In Ariſtoxeni, inquit, Commentarijs legimus, Alexandri Magni membra atque os tam ſuauẽ odorem exhalaſſe, vt & interiores tunicæ mirabili fragrantia cõplerentur. Cuius rei cauſa fortaſſe fuit quædam corporis temperies, innato calore feruentis. Hæc Plu- *Pierius.* tarchus. Pierius itẽ Valerianus lib. 57. de Ægyptijs loquens: Minime, inquit, mirum eſt, in tanta victus parſimonia eorum corpora (quod plerique autores tradunt) vel nullis odoribus delibuta, ſponte auram ſuaueolentem emiſiſſe, odorataſque tranſeuntium vmbras miram inſpiraſſe fragrantium. Quanquam *Theophraſtus.* & Alexandri Macedonis corpus, ſuapte vi aromaticum quid, oboluiſſe Theophraſtus aſſeuerat, ſed forſitan in rege cura, quod in illis negligentia, præſtabat. Hæc ille. Fides penes autores ſit; mihi certè non perſuadent.

Nullo vnquam morbo corpus virginis laboraſſe docet Caiet. in opuſculo de ſpaſmo virginis. Diſſonat, inquit, rationi beatam virginem ægritudinem aliquam paſſam eſſe, quia ſimilis debeat credi filio per omnia, quantum fas eſt. De filio autem teſtatur Chryſoſtomus, quod non fuit conueniens aliquo morbo languere, &c. Idem docet Galatinus libr. 7. cap. 10. idque verum eſt. *Virgo nũquã ægrotauit. Card. Caiet.* *Galatinus.*

Quali forma & ſtatura fuerit, docet Nicephorus his verbis: Mores, formæque, & ſtaturæ eius modus, talis, vt inquit Epiphanius, fuit. Erat in rebus omnibus honeſta, & grauis, pauca admodum, eaque neceſſaria loquens, ad audiendum facilis, & perquam affabilis, honorem ſuum, & venerationem omnibus exhibens. ſtatura mediocri, quamuis ſint, qui eam aliquantulum mediocrem longitudinẽ exceſſiſſe dicant. decenti dicendi libertate aduerſus homines omnes vſa eſt, ſine riſu, ſine perturbatione, & ſine iracundia maximè. Colore fuit triticum referente, capillo flauo, oculis acribus, ſubflauas, & tanquam oleæ cõlore pupillas in eis habens, ſupercilia ei erant inflexa, & decẽter nigra, naſus longior, labia florida, & verborum ſuauitate plena, facies non rotunda, & acuta, ſed aliquanto longior, manus ſimul & digiti longiores. Erat denique faſtus omnis expers, ſimplex, minimeque vultum fingens, nihil molliciei ſecum trahens. ſed humilitatem præcellentem colens. Veſtimentis, quæ ipſa geſtauit, coloris natiui contenta fuit, id quod etiamnum ſanctum capitis eius velamen oſtendit. Et vt paucis dicam, in rebus eius omnibus multa diuinitus inerat gratia. Hactenus Nicephorus. *Niceph l. 2. cap. 22. Virginis forma & ſtatura.*

CAPVT X.

De pulchritudine Virginis interna, ſiue Gratia.

LOnge inferior eſt externa corporis pulchritudo, pulchritudine interna, quæ in animi ſplendore, ſanctitateque ſpectatur. Illa fragile bonum eſt, vt diximus, hæc perpetuum', illa flore fugacior, triduanæ febris igniculo, vt ſtuppa abſumitur, hęc aſtris ſplendidior, in ſempiternum permanet, vnde illud, *pulchra vt Luna*, vt Luna inquam, quæ non corrumpitur. Illa in cute conſiſtit, hæc in ipſis animi, cordiſque penetralibus ſita eſt, illa vana, & fallax, hæc ſolida, ab omnique falſitate aliena; illa corpus comit, hæc Dei imaginẽ expolit, illa hominum oculis blanditur, hæc Angelorũ, Deique oculos oblectat, iuxta illud: *Concupiſcet rex decorem tuum.* O mirandum decorẽ, quem Deus concupiſcit, quo capitur, quo oblectatur, quo carentem animam non reſpicit, ſed deſpicit. Oſtendi ſibi poſtulat faciem, quam reſpiciat, ſed pulchram, *Oſtẽde mihi faciem tuam, ſonet vox tua in auribus meis: Vox enim tua dulcis, & facie tua decora.* Decoram faciem non vitijs deformatam aſpicere vult, decoram, inquam, mẽtis faciem, non corporis. Nam etſi pulchritudine corpus careat, refert parum. *Pulchritudo animi præſtantior corporea pulchritudine.* *Cant. 6.* *Pſal. 44.* *Deus animi pulchritudinem concupiſcit.* *Cant. 2.*

Nigra ſum, ſed formoſa, ait ſponſa, cuius pulchritudinem Rex concupiuit. Nigra pallidáve poteſt eſſe foris, dummodo intus decora ſit. Nam vt ait Bernar. in Cantica: homo videt in facie, Deus autem intuetur cor; propterea, etſi nigra foris, ſed intus formoſa, vt ei placeat cui ſe probauit, &c. Et Ambroſius libro primo de Virginibus: Formæ arbiter petitur *Cant. 1.* *D. Bernard.* *D. Ambroſ.*

Deus, qui etiã in corpore minus pulchro diligit animas pulchriores,&c. Bernardus Canticorum sermone vigesimo quinto: Dicunt sancti, gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ, quòd conscientiæ solus sit arbiter Deus, cui soli placere desiderant, & cui placere sola, vera, & summa gloria est, &c. D. Gregorius Nazianzenus Oratione vigesima octaua: Deformis est verus Philosophus, quantum ad id, quod in aspectũ cadit; at ea parte formosus, & elegans, quæ oculorum aciem fugit. rosæ non absimilis, quæ in bacca nec florida, nec odore grata, florida tamẽ ipsa est, suauissimumque odorẽ efflat, &c.

Pulchritudo interna sanctorum. D. Bernard

Nazianzen. Gregor.

Sapientium vera pulchritudo non est corporũ, quæ cernitur, sed animarum, quæ oculorum aciem fugit. Similis ea est Angelorum pulchritudini, qui cum maximè sint pulchri, pulchritudinem sub aspectum cadentem non habent. Similis item est pulchritudini diuinitas infinitã; quæ non sensu, sed intellectu percipi potest. Pulchritudo autem corporea non Dei, & Angelorum, sed brutarum animantium, & hominum est. Imò Clemens Alexandrinus libro tertio Pædagog. capite secundo, brutas animãtes fœminis anteponit, quòd sua naturali pulchritudine contentæ ornamenta alia minimè quærant. An non absurdum est (ait Clemens) equos quidem & aues, & alia animantia, ex herba, & pratis surgere, ac euolare proprio ornamento lætantia, iubis, & colore naturali, & pennis varijs: mulierem verò perinde, ac si sit bestijs inferior, se esse adeò deformem existimare, vt externa, emptitia, & adumbrata pulchritudine egeat? &c. Nec in animantibus solùm ratione, consilioque carentibus, verùm in arboribus etiam, & floribus, pulchritudo hæc infima reperitur. *Considerate* (inquit Dominus) *lilia agri, quomodo crescunt, non laborant, neque nent. Dico autem vobis, quoniam nec Salomon in omni gloria sua coopertus est sicut vnum ex istis.*

Clemens. Alexand.

De pulchritudine animi.

Matth. 5.

At plerique hanc bestiarum, hanc florum, hanc fœni pulchritudinem externam, à vestibus, auro, bombycibus, fuciisque emendicare nituntur, internã verò facientes flocci, in corpore pulchro, animum turpissimum ferunt. Hos Clemẽs Alexandrinus loco indicato cum Ægyptiorum templis confert, quę ipsa quidem auro, argento, vesteque pretiosa colluebant: at intus felis, vel serpẽtis, vel belluæ alicuius imaginem continebant. Sic ij auro, sericoque sese ornant, in animi verò penetralibus, omnium vitiorum imagines pictas habent, iuxta illùd: *Ingressus vidi, & ecce omnis similitudo reptilium & animalium abominatio, & vniuersa idola domus Israel depicta erant in pariete, in circuitu per totum.* &c. Sed Clementem audiamus: Non animaduertunt, inquit, dum colunt id quod est extrinsecus, quæ intus in profundo sita sunt, esse planè inculta, horrida, sterilia. Cuiusmodi sunt etiam ornamenta Ægyptiorum, apud quos templa, eorũque porticus, vestibula, ac luci, magnifice instructi, eorumque atria multis columnis cincta sunt, parietes autẽ lapidibus externis, & artificiose depictis resplendent, ita vt nihil desit. Aedes autem auro, argẽto, & electro collucent, & ex India, ac Æthiopia, varijs fulgentibus lapillis, adyta verò intextis auro obumbrantur peplis. Sed si penetralia templi ambitus subieris, & ad eius quod est præstantius spectaculum properans, imaginem, quæ templum habitat quæsieris, sacerdos quispiam ex iis, qui in templo sacrificant, graui, & venerãdo vultu aspiciẽs, & Ægyptiorum lingua pæanem concinens, cum veli aliquantum contraxerit, tanquam Deum ostensurus, abundè nobis suppeditat occasionem irridendi numinis. Neque enim intus inuenietur Deus, qui quærebatur, sed felis, vel crocodilus, vel serpens indigena, vel aliqua eiusmodi bellua. Hactenus ille.

Homines intus deformes, foris pulchri & ornati si viles sunt templis Ægyptiorum.

Ezech. 8.

Clemens Alex.

Longe dissimiles Ægyptiorum templis, Sileni erant Alcibiadis. Aiunt enim Silenos imagunculas fuisse fictiles ita fabricatas, vt diduci & explicari possent, quæ clausæ ridiculam, ac mõstrosam tibicinis speciem habebant, apertè subito numen ostendebat. Huic imagini similis est vir probus, quẽ rosæ similem supra iam dixit Nazianzenus. Quamuis enim externa specie pauper, aspectuque vilis videatur; intus tamen pulcherrimus, non felis, aut serpentis imaginem, vt Ægyptiorum templa, sed numen habet. Diuus Bernardus sermone 25. Canticorum: Habitus, inquit, exterior sanctorum, qui in facie est, humilis vtique, & abiectus, & quadam neglectus incuria, cùm tamen identidem, intus reuelata facie gloriam Dei speculantes, in eandem imaginẽ transformentur, de claritate in claritatem, tanquã à Domini spiritu, &c. Idem Bernardus Epistola 113. Filiæ Babylonis induuntur purpura & bysso, conscientia pannosa iacet, fulgent monilibus, moribus sordent. Contra tu Sophia Virgo, foris pannosa, intus speciosa resplendes, sed diuinis aspectibus non humanis. intus est quod dilectat, quia intus est quem delectat. Hæc ille.

Silenis similes viri probi.

D. Bernard.

Diuus Gregorius Iob 42: *Non sunt inuentæ mulieres speciosæ sicut filiæ Iob, in vniuersa terra.* Electorum quippe animæ omne humanum genus, quod in terra secundùm hominem conuersatur, suæ pulchritudinis decore transcendunt, quantoque se exterius affligẽdo despiciunt, tanto se verius intus componunt. Hinc est enim quod Sanctæ Ecclesiæ, quæ electorũ pulchritudine decoratur, dicitur, *Concupiuit Rex speciẽ tuam*, de qua paulò post subditur: *Omnis gloria eius ab intus.* Nam si foris gloriam quæreret, intus speciem, quam Rex concupiscceret, non haberet.

D. Gregor.

Psal. 44.

Cum Sileno confert Alcibiades (in Dialogo Platonis de amore) Socratẽ, quòd intus illustrior esset, quàm foris appareret. Socratem, inquit, affero similem esse Silenis istis, qui sedẽtes inter alias imagines à sculptoribus figurantur, ita vt fistulas tibiasve teneãt, qui si bifariã diuidãtur, reperiũtur intus imaginem habere Deorum, &c. Et infrà. Serio agentis Socratis, atque intus aperti, nescio vtrũ quisquã vestrũm, diuinas, quę intus latent imagines vnquam inspexerit. Ego certe quandoque eas conspexi, atq; mihi visæ sunt vsq; adeò diuinæ, & auręę, & formosæ, & mirabiles, vt nullo modo fas existimem, aliter quàm Socrates præcipit agere, &c. Iis hæc etiam addit: Sermones Socratis persimiles sunt Silenis apertis, si quis enim huius sermones audiat, videtur prima, vt fertur, facie, nimium esse absurdi, asinos enim fabrosque ærarios, & sutores calceorũ, coriariosque semper habet in ore, eademque semper dicere de iisdem videtur, vt omnes fere, qui minus experti, peritiue fuerint, verba illius irrideant. Verùm si intus aspiciat quis eius sermones, primum quidem reperiet sensus profunditatem habere solos aliorum omnium, & insuper diuinissimos esse, ac plurimas virtutũ speciosissimas imagines continere, atque ad plurima se extẽdere, imò omnia præcepta comprehendere, quibus instrui debet is, qui honestè, beneq; victurus est. Hæc ille de suo Socrate. Quorum aliqua in nostrum Paulum, Petrum, reliquosque Apostolos, & alios sanctissimos viros externa specie inopes, interna opulentissimos, maxime quadrant. De Paulo quidem: *Epistolæ*, inquiunt quidã *graues sunt, sed præsentia corporis infirma, & sermo contemptibilis.* At ô Corinthij, etsi præsentia corporis infirma videatur, aperite Paulum, diuinæ intus latent imagines, aureæ pulcherrimæ, multoque iis præstantiores, & pulchriores, quas in pectore Socratis latẽre dixit Alcibiades Sermonem dicunt contemptibilem, verùm si intus aspiciatis (quod de suo Socrate ait Alcibiades) sensus admi-

Plato.

Socratis sermones quales.

2. Cor. 10.

admirabilem profunditatem habere, & insuper diuinissimos Pauli pauperis sermones esse, ac omnium virtutum speciosissimas imagines continere, atque ad plurima se extendere reperietis.

Idem quoque in alijs virtute præclaris viris reperiemus, qui quas oculis cernimus diuitias, cæteraque caduca bona abiecerunt, animique pulchritudinem toto conatu compararunt. Quæ enim pulchritudo bestiarum, quæ arborum, quæ florum, quæ fœni est, ea minime est curanda, quæ Angelorum, quæ animi, quæ Dei, ea totis viribus est comparáda. Meritò (ait Bernard. sermone 25. Canticorum) omnis cura sanctorum spreto ornatu, cultuque superfluo exterioris sui hominis, qui certe corrumpitur, omni se diligentia præbet, & occupat excolẽdo, ac decorando, interiori illi, qui ad imaginẽ Dei est, & renouatur de die in diem, &c. Et meritò quidem omnes sancti in studium huius pulchritudinis spiritalis vehemẽter incumbunt, quia nihil est quod cum illa conferri queat. Quid (inquit Bernardus sermone vigesimo septimo Cantic orum) eorũ, quæ in faciem lucent, si internæ cuiuspiam animæ pulchritudini comparetur, non vile ac fœdum recto appareat æstimatori? Quid, inquam, tale in se ostendit, ea quæ præterit figura huiusmodi, quod æquare speciem animæ possit illius, quæ exuta terreni hominis vetustatem, eius qui de cœlo est, decorem induit ornata optimis moribus pro monilibus, ipso purior, sicut, & excelsior æthere, Sole splendidior? &c.

Pulchritudo animi totis viribus quæ rendá.

Sed iam videamus, in quibusnam rebus excellentissimus hic animi decor positus sit. In eo in primis situs est, vt ab omni corporis contagione animus segregetur. quemadmodum enim carbones, & cœnum, corporis faciem, ita corporeæ cupiditates animum commaculant. Quamobrem Platonicus Plotinus, libro sexto Enneadis primæ, capite quinto, Est (inquit) hæc animę turpitudo, scilicet, non esse puram, atque synceram, quemadmodum & auro accidit turpitudo, si glebis terreis offundatur, quas si quis excusserit, purum subito restat aurum, idque iam pulchrum, cũ ab alienis fuerit segregatum, sua videlicet ad pulchritudinem puritate contentum. Eadem ratione animus ab iis cupiditatibus segregatus, quas nimio corporis commercio in se concepit, à cæterisq; perturbationibus liberatus, deletis iam maculis, quas corporea familiaritas prius inusserat, atque ita solus sibi relictus, procul dubio turpitudinem omnem ab aliena natura prorsus imbibitam expugnarit. Hæc ille.

D. Bernard. Quæ res pulchritudinem animi afficiant.

Plotinus.

At quemadmodum ad corpoream pulchritudinem comparandam, non est satis faciem egregie abluisse, ita ad spiritalem decorem consequendum non est satis corporis cupiditates, & vitia abiecisse. Si enim fieri posset, vt omnibus careret vitijs anima, gratiam tamen non haberet, pulchra nondum esset. Gratia & charitas pulchritudo animæ est, qua si careat, Deo pulchra appellari non potest. Quemadmodum corpus quamuis omnium membrorum aptissima compositione & elegantia, constet, si tamen anima careat, pulchrum non est, ita anima quãuis, fidem, spem, mortalesq; omnes virtutes habeat, si charitas & gratia desint, decora nequit nominari. Sicut animus (ait Augustinus tractatu trigesimo secundo, in Ioannem) facit decus in corpore, ita Deus in animo, decus corporis animus, decus animi Deus, &c. Deus verò in animo non est, nisi in eo charitas & gratia sit. quocirca Paulus: *si habuero*, inquit, *omnem fidem, ita vt montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum*, Et: *Qui manet in charitate, in* Deo *manet, &* Deus *in eo.*

Charitas pulchram reddit animam.

D. Augustin.

1. Cor. 13.

1. Ioan. 4.

D. Augustin. Augustinus tractatu nono in Epistolam Ioannis: Quantum, inquit, in te crescit amor, tantum crescit pulchritudo, quia ipsa charitas est animæ pulchritudo, & cæt. Item, Anima nostra amando Deum pulchra efficitur, qualis amor est, qui reddit pulchram amantem? &c. Gregorius Nazianzenus Oratione decima nona, animæ pulchritudinem in anima, diuinaque imagine, siue tuenda, siue pro viribus repurganda positam esse ait: Et Bernardus in Cant, sermone 25. Certi, inquit, sunt sancti, non esse posse quidquã Deo acceptius imagine sua, si proprio fuerit decori restituta. Plotinus quoque libro sexto, primæ Enneadis capite sexto: Recte dicitur bonũ pulchrumque animæ in eo consistere, vt Deo sit similis, &c.

Greg. Naz.

D. Bernard.

Tunc ergo pulchra est anima nostra, cum Deo similis est, cumque Dei in ea imago diuinis picta coloribus splẽdescit. sunt autem colores diuini virtutes, præcipue autem gratia, & charitas. Pulchros quidem colores, candorem, ac ruborem, natura ipsa in ora diffundit, diuinum gratiæ candorem, charitatisque ruborem, non natura, sed Spiritus Sanctus in animã infundit. *Charitas enim Dei diffusa est in cordibus nostris, per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis.* Dionysius Areopagita lib. de diuinis nominibus, capite quarto ait, Deum immittere vniuersis pulchrificas fontani radij sui traditiones. Etenim rebus omnibus pulchritudinem quandam naturalem impertiuit. Animis autem nostris, quia hæc non est satis, supernaturali quadam, pulchrificaque fontani radij sui traditione, longe præstantiorem gratiæ venustatem attribuit.

Rom. 5.

Dionysius Areopag.

Virgini Sanctissimæ (ad quam totus hic dirigitur sermo) non pulchrifica radij alicuius traditione, sed pulchrifica Solis ipsius effusione, terræ, cœloque admirandum decorem contulit. Quocirca *amicta* dicitur ipso *Sole*. Quemadmodum enim Sol ardenti splendore collucet, ita Virgo ardenti gratiæ luce vndique fulsit. Non erat ipsa Sol, sed amicta sole, nõ à se habebat gratiam, sed à filio, tantam, vt Sole circundata videretur. *Nouum fecit* Dominus (ait Ieremias) *super terram, mulier circundabit virum.* illa Christum Virginei vteri puritate, Christus illam gratiæ fulgoribus circumdedit. Nubem quæ Solem complectitur deaurat ille, suisque radijs vestit, atque incendit: eundem in modum Virginem, quæ splendoris, gratiæque fontem Christum vtero complexa est, gratiæ splendore ille deaurauit, totamq; amiciuit atque inflammauit. Si quis gemmis, auroq; plenum thesaurũ reperit, ita diues efficitur, vt cæteros homines longè, multúmque superet: Deipara Virgo infinitæ gratiæ reperit thesaurũ, imò castissimis visceribus procreauit: quis igitur dubitet eas gratiæ diuitias ex eo deprõpsisse, vt omnibus hominibus, & Angelis, lõgè, multúmque præcelluerit?

Deus cunctis reb. pulchritudinem impertiuit: admirabilem vero Deiparæ Virgini.

Apoc. 13.

Ierem. 31.

Negotiator ille Euangelicus *inuenta vna pretiosa margarita abijt, & vendidit omnia, quæ habuit, & emit eam*, vnam tantùm pretiosam margaritam ille emit, virgo margaritarum plenum thesaurum comparauit. *Multæ filiæ congregauerunt sibi diuitias, Tu* ô Virgo *supergressa es vniuersas, fallax gratia, & vana est pulchritudo*, sed non spiritalis, non quæ animum condecorat, non quę mentem locupletat, qua tu non filias solũ vniuersas, verùm seraphinos etiam vniuersos, longo post te relinquis interuallo.

Prouerb. 31.

Age verò de magnitudine gratiæ, & interna virginis pulchritudine, quid maiores nostri senserint videamus. Cardinalis Petrus Damiani in sermone de Natiuitate: Quid, inquit, grandius virgine, quæ magnitudinem summæ diuinitatis, intra sui ventris conclusit arcanum? Attende Seraphim, & in illius superioris naturæ superuola dignitatem, & videbis quidquid maius est, minus virgine, solúmque opificem opus istud supergredi, &c. Idem eodẽ loco:

Card. Petr. Damian.

Etsi

D. Virginis excellentia. Etsi multa magna facta sunt in creaturis mundi, nihil tamen tam excellens, tam magnificum fecerunt opera digitorum Dei, &c. Excipe semper Christi humanitatem. Laurentius Iustinianus in *Iustinianus.* sermone de Natiuitate Virginis: Nullus, inquit, mortalium, quamuis donorum cœlestium numerositate sit præditus, Virgini valet coæquari: Patriarcharum vtique. Prophetarum, Apostolorum, Martyrũ, omniumque sanctorum merita, Beata Maria transcendit, &c.

D Epiphanius Andreas Cretenſ. D. Epiphanius, in oratione de laudibus Virg. Solo Deo excepto, cunctis superior existis, &c. Et Andreas Cretẽsis, Archiepiscopus Ierosolymitanus, in orat. de assump. Virginis. O Virgo (ait) regina omnis humanæ naturæ, quæ habes non comparabilem cum alijs appellationem; quæ excepto Deo solo, es omnibus altior, &c. D. Greg. lib. 1. Reg. cap. 1. Mons fuit beatissima Virgo Maria, qui omnem electæ creaturæ altitudinem, electionis suæ dignitate transcẽdit, &c. D. Iacobus in Liturgia; Dignum est, vt te verè beatam dicamus Deiparam, honorabiliorem quam Cherubim, & gloriosiorẽ quàm Seraphim; quæ sine corruptione Deum peperisti, &c. Idiota lib. 6. tom. 3. Bibliothecæ sanctæ. Sanctorum omnium priuilegia ô Virgo omnia habes in te congesta; nemo æqualis est tibi, nemo maior te, nisi Deus, &c. Sãctus Ephrem in oratio. de laudibus Virg. Intemerata, prorsusque pura Virgo Deipara; regina omnium, sublimior cœlicolis, purior Solis radijs, & splendoribus, honoratior Cherubim, & multo oculis spiritib. sanctior Seraphim; & nulla comparatione cæteris omnibus superis exercitibus gloriosior, &c. D. Anselmus in lib. de conceptu virginali cap. 8. Decens erat, vt ea puritate qua maior sub Deo nequit intelligi, Virgo illa niteret; cui Deus pater vnicum filium suum, quẽ de corde suo æqualem sibi genitum, tanquam seipsum diligebat, ita dare disponebat; vt naturaliter esset vnus idemque cõmunis Dei patris, & virginis filius, & quam ipse filius substãtialiter facere sibi matrem eligebat, & de qua Spiritus Sanctus volebat, & operaturus erat, vt conciperetur, & nasceretur ille, de quo procedebat, &c.

D. Ephram. *D. Anselm.*

Card Petr. Dam. Ex iis ergo intelliges, excepto Deo, & sub Deo, virginem omnibus sanctis gratia præcellere. Imò Cardinalis Petrus Damiani, ait, Virginis splendorem sanctis spiritibus, vt Solem astris caliginem offundere. Sol (inquit) lucidius incandescens, ita sibi syderum, & Lunæ rapit positionem, vt sint quasi nõ sint, & videri non possint. Similiter & Virgo veri præuia luminis, in illa inaccessibili luce perlucens, sic vtrorumque spirituum hebetat dignitatem, vt in comparatione virginis nec possint, nec debeãt apparere. Hęc ille, in sermone de assumptione virginis. Et Sophronius, siue quisquis est Autor sermonis de assumptione virginis qui tom. 9. D. Hieronymi circũfertur. Sicut in comparatione (inquit) Dei nemo bonus, ita & in comparatione Matris Domini, nulla inuenitur perfecta, quãuis virtutibus eximijs cõprobetur. &c. & Damascenus orat. 1. de dormitione virginis, Dei matris, & seruorum Dei, infinitum est discrimen.

Sophronius. *D. Damascenus.*

An gratia virginis Dei para superet omnem Angelorum & hominũ gratiam in vnũ aceruum redactam. In quæstionem vocari potest, num solius virginis gratia, omnium Angelorũ, Sanctorumque gratiam, in aceruum vnum redactam superet? Abulensis episcopus in Prologo euangeliorum, quæst. 19. in sentẽtiam negãtem iam olim iuit. Fuit (inquit) maximus ille amor Christi erga Ecclesiam, incomparabiliter maior, quàm amor quem habuit ad matrem suam, nam illa fuit quædam pars Ecclesiæ, & redempta est, sicut vnus de Ecclesia, &c. Itẽ, Ecclesia sola est, quæ est melior omni re creata, quæ sit pura creatura, nã nullus sanctus est tãtæ perfectionis, & reputationis apud Deum, sicut Ecclesia vniuersalis. Licet domina nostra possit vocari mater Ecclesiæ peregrinantis, nec ipsa habuit priuilegia quæ habet, nisi propter Ecclesiam, quia ipsa non fuit ad tantam excellentiam assumpta, nisi vt esset Mater Dei. Non fuisset autem Mater Christi, nisi propter nos, quia Christus non assumpsit carnem, nisi vt Ecclesiam redimeret, ideo propter Ecclesiam domina nostra est. Solus autem Christus est maior homo Ecclesia vniuersali, qui est caput eius, & dominus, & sponsus. Hæc Abulensis. *Abulenſis.*

Probari potest hæc opinio, primo quia sanctorum multitudo innumerabilis est, iuxta illud: *Vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat*, &c. Angelorum quoque numerus pene est infinitus: si ergo omniũ gratia in vnum aceruum congregetur, pene erit infinita, nõ igitur à gratia solius virginis superari poterit. Deinde hoc est proprium Christi gratiæ, vt omnes alias gratias, in vnũ collectas cumulũ, vincat. Præterea Patribus, ac maioribus nostris non venit in mentem hæc opinio, non ergo sequenda. Denique Philosophicum principium est; propter quod vnũquodque tale, & illud magis: at Virgo dilecta est, gratiamque assecuta propter Ecclesiam, vt Ecclesia redimeretur, ergo Ecclesia tota magis est amata, maioremque gratiam consecuta. *Apoc. 7.*

Nihilominus non caret verisimilitudine opinio huic aduersa, scilicet, Deiparæ gratiam omnium sanctorum, & Angelorum gratiam in vnum aceruum mente congregatam superare? Probatur, quia virgo vt iam diximus supra ex Cardinale Caietano in lib. de spasmo Virginis, debet credi similis filio per omnia, quantum fas est, at gratia filij omnium Angelorum, & hominum gratias hunc in modũ superat, vt diximus lib. 4. cap. 9. ergo & gratia matris. Nemo verò existimet nos gratiam Virginis, Christi gratiæ exæquare. quamuis enim vtrique hanc super Sanctos, & Angelos, præcellentiam concedamus, virginis tamen gratiam, Christi gratia longè inferiorem esse fatemur. Dionysius de Præconio virginis lib: 1. art. 8. Palàm (inquit) est Christum sine mensura omnis gratiæ plenitudinem sortitum, huic plenitudini, gratiæque infinitæ Maria vehementer appropinquat, &c. Præterea dignitas Matris Dei est admirabilis, ergo non mirum si admirabilem gratiæ (vt ita dicam) aceruum exigat. Æquum enim est vt filius rex matri soli, plus diuitiarum, quàm omnibus simul famulis, elargiatur. Tertio, solius reginæ opes, omnium subditorum opibus in vnũ aceruum congestis præcellere decet, ergo reginæ, id est, Deiparæ Virginis gratiam, omnium subditorum gratia maiorem esse par est. *Dionyſius Carthuſia.*

Quarto, inter corpora cœlum ita est magnum, vt reliqua omnia corpora suo complexu contineat, ergo similẽ in modũ gratia virginis sicut erit magna, vt reliquarum omniũ gradus suo veluti sinu capiat. Quintò in vtero Deipara totius gratiæ fontem gestauit, admirabilem igitur exuberantemque gratiam inde hausit. Sextò, fluuius ingens plus habet aquæ, quam vasa simul omnia, quæ in ciuitate reperiuntur, Christus mare est, Virgo fluuius, reliqui sancti vasa, ergo illa plus habet gratiæ, quã sancti simul omnes. Septimò, reginæ cœlorum, & Matris Dei dignitas, omnes sanctorum omnium, & Angelorum, dignitates (etsi in vno coniungantur) superat, ergo gratia dignitati tantæ respondens, omnes gratias, etsi in vno copulentur, superabit.

Octauò, Gradus potestatis spiritalis, quæ in cunctis diaconis sunt, sacerdotibus abbatibus, episcopis, archiepiscopis, rectoribus, prouincialibus, generalibus, & patriarchis, omnes, in Summo Pontifice existunt: similem ergo in modum verisimile est, gradus

gra-

gratiæ, qui in Angelis & hominibus reperiuntur, omnes in virgine exiſtere. Nono, Virgo ipſa ſola, vnum in cœlo chorum, ipſumque omnium ſupremum efficit, veriſimile ergo eſt tantum gratiæ, & gloriæ continere hunc chorum, quantum reliqui ſimul omnes continent. Sunt enim Angelorũ chori ſpiritales, quidam cœli, Quemadmodũ celſiores cœli omnium inferiorum cœlorum magnitudinẽ continent; ita chori Angelorum ſuperiores, omnium inferiorum gratiam, gloriã, numerumque continere videtur. Virginis ergo ſupremus chorus, cæterorum omnium gratiam, gloriamq; continebit.

Fauent huic ſententiæ verba illa Cant. 6. *Pulchra es amica mea, ſuauis & decora ſicut teruſalem.* quaſi dicat, decora es ſicut tota cæleſtis Ieruſalem, quia totam ex hominibus Angelisque conſtantem, gratiæ decore exæquas & ſuperas.

Iis addo Patrum dicta, quæ huic ſententiæ fauent. D. Epiphanius, in oratione de laudibus virginis, Gratia, ait, Sanctæ Virginis eſt immenſa. D. Anſelmus in lib. de excellentia Virginis, cap. 8. Immenſitatẽ, inquit, gratiæ, & gloriæ, & fælicitatis tuæ conſiderare cupienti, ô Virgo, ſenſus deficit, lingua fatiſcit. Itẽ: tu cælum immenſa miſerationum tuarum, & gratiarum luce perluſtras. D. Bonauentura in ſpeculo Virginis, c. 5. Gratia Mariæ gratia veriſſima, gratia immenſiſſima, gratia multipliciſſima, & gratia vtiliſſima eſt. Item: immenſa fuit gratia, qua Virgo fuit plena, immenſum enim vas non poteſt eſſe plenum, niſi immenſum ſit iſtud, quo eſt plenum: Maria autem vas immenſiſſimum fuit, ex quo illũ qui cœlo maior eſt, continere potuit. Tu immenſiſſima Maria capacior es cœlo, quia quem cœli capere non poterant, tuo gremio contuliſti, tu capacior es mundo, quia quem totus non capit orbis, in tua ſe clauſit viſcera factus homo. Si ergo Maria tam capax fuit ventre, quanto magis mente? Etſi capacitas tam immenſa fuit gratia plena, oportuit vtique quod gratia illa, quæ tantam implere potuit capacitatem, eſſet immenſa. Quis immenſitatem Mariæ poteſt menſurare? Ecce quod dicit Eccleſiaſt. *Altitudinẽ cœli, latitudinem terræ, & profundum abyſsi, quis dimenſus eſt?* Cælũ eſt Maria, terra eſt, abyſſus eſt. Quis huius cœli altitudinem, quis huius terræ latitudinẽ, quis huius abyſſi profunditatem, quis inquam Mariæ immenſitatem dimenſus eſt, niſi ille ſolus, qui ipſam non ſolũ in gratia, & in gloria, ſed etiã in miſericordia, tam altam, tam latam, tam profundam operatus eſt? Hæc D. Bonauentura, D. Damaſc. orat. ſecunda de dormitione Virginis: Virgo vitæ theſaurus, gratiæ abyſſus: Et oratione 1. Dei Matris, & ſeruorum Dei, infinitum eſt diſcrimen.

Bernard. in ſermone de verbis Apoc. Signũ magnum, &c. Maria profundiſſimam diuinæ Sapientiæ, vltrà quã credi valeat, penetrauit abyſſum, vt quãtum ſine perſonali vnione creaturæ conditio patitur, luci illi inacceſſibili videatur immerſa, &c. Sophronius de aſſumptione: Cæteris per partes præſtatur: Mariæ verò ſimul ſe tota infudit plenitudo gratiæ: (ſcilicet per incarnationẽ) Hoc quippe eſt quod Dauid canit: *deſcendit ſicut pluuia in vellus*, &c.

D. Anſelmus iam citatus: Decens erat vt virgo ea puritate niteret, qua maior ſub Deo nequit intelligi. Quod explicans Dionyſius Carthuſ. in lib. 1. de laudibus virginis artic. 14. ſic ſcribit: Sanctitate virginis maior eſſe non poteſt, nõ quin Deus abſoluta ſua potentia ampliorem nedũ Virgini, ſed alijs quoque præſtare poſſit, ſed nec decet, nec vtique fiet. Sanctitate ergo Mariæ maior ſub creata filij eius ſanctitate intelligi, eſſeque nequit. Tum quia neque in præſenti vita eius ſanctitatis magnitudo ad plenum comprehendi valet, etiam quam in terris adepta eſt, incomprehenſibilis enim (vt ait Ambroſius) incomprehenſibiliter operabatur in matre. Tũ quia poſt aſſumptionem hominis à Deo, nihil præſtantius conferri poteſt homini, quàm vt Dei parẽs exiſtat. Tum quia ampliorem alicui impertiri neque decet, neque contingit. Et rurſus, quoniam Mariæ ſanctitas, quodammodo iuxta præoſtenſa, infinita eſt. Hæc Dionyſius.

D. Baſilius Seleuciæ epiſcopus, in oratione de Annunciatione: Virgo vniuerſos martyres ſuo ſplẽdore tantum excedit, quantum Sol reliqua aſtra, &c. idem eodem loco, Quæ dona Virgini offeremus ipſa non indigna? quippe quæ tanta ſit, vt vniuerſa quæ mundi ambitu continentur, cum illius dignitate cõparari non valeant, &c. D. Bernardinus, tom. 1. ſerm. 61. articul. 2. capit. 10. Excepto Chriſto, tanta gratia Virgini à Domino data eſt, quantum vni puræ creaturæ dari poſſibile eſſet, &c.

Quæres, num aliquis ex antiquioribus apertè in hac ſit opinione? reſpondeo, me nullum reperiſſe, præter D. Bernardinum, is enim quod de Virginis gloria concedit, concedet etiam de gratia. Virginis autem gloriam omnium hominum & Angelorum gloriam ſimul ſumptam ſuperare ſcribit tom. 1. ſer. 61. arti. 3. cap. 3. *Poſuit*, inquit, *diadema regni ſuper caput eius, & voluit eam eſſe reginam*: Illud eſt diadema ſpeciei, & corona gloriæ, qua Virgo ſuper Angelos coronatur, vt intra Trinitatis gloriam ipſa ſola amplius ſit euecta, ac plus beatiſſimæ Trinitatis diligat gloriam capiat, ſentiat, & fruatur, quam omnis alia pura creatura ſimul ſumpta, de cuius gloria poſt filium participãt vniuerſi. Hæc D. Bern. Ex recentioribus, hanc ſententiam ſequitur noſter Frãciſcus Soares, in commentarijs 3. partis D. Thomæ, tom. 2. qu. 37. diſp. 18. ſect. 14. Et Henricus Henriquez, in lib. de fine hominis, c. 10. cui etiam ſubſcribo, quòd pietati ſit conſentanea.

Primo argumento reſpondeo: Virginis gratiam, gratiam ſanctorum hominum & Angelorum penè infinitam ſuperare, neque id eſſe à mente antiquorum omnino alienum, qui gratiam virginis immenſam, vt diximus, appellant. Secundo reſpondemus, non ſolum Chriſtum, ſed etiam Virginem eius matrem, omnes Sanctorum & Angelorum gratias in vnum collectas ſuperare: Chriſti tamen gratia, virginis gratiam longè inferiorem eſſe. Tertio reſpondemus, antiquos huic ſententiæ fauere, qui virginis gratiam maximè exaggerant, vt vidimus. Quartò reſpondemus, Virginem non eſſe dilectam à Deo propter Eccleſiam magis dilectam, ita vt ex amore Eccleſiæ magis dilectæ amor in Virginem emanarit, quemadmodum ex amore Dei magis dilecti, amor proximi emanat. Sed cum eſſet plus quàm tota Eccleſia dilecta, decretũ à Deo fuiſſe, vt remedium afferret Eccleſiæ. Eundem in modum Chriſtus non eſt propter Eccleſiam amatus, attamen niſi Eccleſia redemptoris ope indiguiſſet, Verbum humanam naturam non aſſumpſiſſet.

Ad illud Abulenſis, Virgo fuit quædam pars Eccleſiæ, & redempta eſt ſicut vnus de Eccleſia, reſpõdemus, Deiparam partem eſſe Eccleſiæ, ſed qua totam Eccleſiam reliquã admirabili gratia vincat, quemadmodum cœlum pars eſt orbis, ſed quæ reliquas partes ſuo admirabili ambitu complectitur. A Chriſto autem redemptã nemo poteſt inficiari, veruntamen non ſicut vnus de Eccleſia redempta eſt, vt Abulenſis loquitur. Etenim Chriſti paſſio in ea plus habuit efficacitatis, quam in ſanctis omnibus, ideoque ſingulari quodam modo pro illa paſſus eſt Dominus, cui ſingulari modo paſſionis ſuæ merita communicauit. Vnde Dionyſius Carthuſ. Cant. 4. ad illa verba mea, *Vulneraſti cor meũ ſoror*, &c. Quanto, inquit,

D. Epiphanius. *D. Anſelm.* *D. Bonauentura.* *Eccli. 1.* *D. Damaſcenus.* *D. Bernard* *Sophronius.* *Pſal. 71.* *Anſelm.* *Dionyſius Carthuſ.* *D. Baſilius Seleuciæ.* *D. Bernardinus.* *Eſther 1.* *Franciſc. Soares Henricus.* *Chriſti paſſio plus in Virgine habuit efficacitatis, quam in ſanctis omnibus.* *Cant. 4. Dionyſ. Carthuſ.*

Inquit, quis ad maiorẽ beatitudinem eſt electus, tã- A
to amplius videtur Chriſtus pro ipſo paſſus. Cũ ita-
que ad excellentiſſimã gloriam Virgo electa ſit,
nónne pro ipſa ſpecialiſſimè crucifixus eſt filius e-
D. Bernardinus tom. 2. ſer. 51 art. 3. cap. 3. ius? Et D. Bernardinus: Plus, inquit, pro Virgine redi-
menda venit Chriſtus, quàm pro omni alia creatu-
ra, &c. idem habet ſerm. 61. art. 1. c. 4.

CAPVT XI.

De obitu Deiparæ Virginis.

CHriſtus Opt. Max. multis ſanctorum myriadi-
bus comitatus, in cœlũ cõſcendit, Virginẽ ma-
trẽ cum Apoſtolis non ſine cauſa in terris reliquit. B
Primã rationẽ reddit D. Anſelmus in lib. de excel-
lentia Virg. c. 7. videlicet, vt à tota cœleſti curia ipſa
Virgo cur ſi- mul cum filio cœlum non aſcende- rit D. Anſelm. ſola merito cum honore exciperetur. Quomodo, in-
quit, potuiſti pati bone Ieſu, vt te in regnũ tuæ glo-
riæ remeante, Virginem quaſi orbatam in miſerijs
mundi relinqueres, & non eam ſtatim tecum regna-
turam aſſumeres? Fortaſſis Domine, ne tuæ cœleſti
curiæ veniret in dubium, cui potius occurreret, tibi
Domino ſuo, an ipſi Dominæ ſuæ. Nam, vt in partes
ſuo occurſu diuideretur, vt pars tibi, pars illi obſe-
queretur, non diceret eſtimo, præſertim cum tota ſit
tua, totaque per te eadem cœleſtis curia ſit ſua. Præ-
cedere Virginem volebas, quatenus ei locum im-
mortalitatis in regno tuo præparares, ac ſic comita- C
tus tota curia tua, feſtiuius ei occurreres, eamque
ſublimius, ſicut decebat tuam matrẽ, exaltares, &c.

Secunda cauſa fuit, vt Apoſtolos, reliquoſq; Chri-
ſtianos doceret, ac iuuaret; Anſelmus eodem loco:
Erat, inquit, vtilis, & neceſſaria fidei noſtræ, cõuerſa-
tio Virginis poſt aſcenſionem Domini, inter Apo-
ſtolos eius, quia licet illi per reuelationem Spiritus
ſancti edocti fuerant in omnem veritatem, incom-
parabiliter tamen eminentius ac manifeſtius ipſa
per eundem ſpiritum veritatis, illius veritatis pro-
funditatem intelligebat. Et per hoc multa eis per
Virginem reuelabantur, quæ in ſe non ſolùm ſim-
plici ſcientia, ſed ipſo effectu & experimento didi-
cerat de myſteriis Chriſti, &c.

Multa Apo- ſtolis per vir- ginem reuela- bantur. Sol Lunaque non ſimul ſplendorem occultant, D
cum Sol fulgentes abſcondit radios, luna terras illu-
minat. Sol Chriſtus eſt, Virgo Luna. Non ergo erat
æquum, vt Chriſto in cœlum abſcedente, vultusque
ſui ſplendorem obtegente, Virgo quoque abſcede-
ret, lucemque ſuam mortalium oculis eriperet.
Itaque manſit, vt Eccleſiam illuminaret, Luna ful-
gentiſſima.

Habitabat verò in monte Sion, vt ſcribit Damaſ.
D. Damaſ. Virgo in Sion habitauit. orat. 2. de dormitione virginis: In Sion, ait, legale
paſcha Chriſtus peregit, ac verum paſcha tradidit,
in hac à morte ad vitam rediens, diſcipulis conſpe-
ctus eſt, Thomæque ac per eum vniuerſo orbi fidem
fecit, ſe Deum ac Dominũ eſſe, in hac ſpiritus adue-
niens in diſcipulos fuſus eſt. Hæc diſcipulorum fuit
domicilium, in hac Theologus, id eſt, Ioannes, Dei B
genitrici, quam acceperat, quæ neceſſe erat, ſubmi-
niſtrabat. Hæc matris Dei poſt Chriſti reſurrectionẽ
domicilium extitit. Hactenus Damaſcenus. Simili-
Simeon Metaphr. ter Simeõ Metaphraſtes, in oratione de virgine: Vir-
ginem, inquit, vtpote dilecto diſcipulo, & Virgini
commendatam, quæ erat in Sion eius domus, eam
habebat illic degentem, cui tanquam Dei matri ho-
nor ab omnibus exhibebatur.

Andr. Cret. Andreas etiam Cretenſis, Archiepiſcopus Iero-
ſolymitanus in Orat. de dormitione virginis: Toto
tẽpore incolatus, in Sion verſata eſt virgo, & illic
naturæ ſeruiens legibus, vitæ finem accepit, &c.

Auctor antiquus ſermone de aſſumptione, Tom.
nono, D. Hieronymi, coniicit Virginem interdum A
in loco, in quo Chriſtus eſt ſepultus, habitaſſe, & lo-
ca illa quæ Chriſti erant paſſione, aſcenſione, & re-
ſurrectione nobilitata inuiſiſſe. Fortaſſis, inquit, præ
nimio amore in loco, quo ſepultus dicitur Chriſtus,
interdum habitaſſe eam credimus, quatenus pijs pa-
ſceretur internus amor obtutibus. Sic namque locus
medius eſt hinc inde conſtitutus, vt adire poſſet a-
ſcenſionis eius veſtigia, & locum ſepulturæ, ac reſur-
rectionis, & omnia, in quibus paſſus eſt, loca inui- *Virgo lota Chriſti paſ- ſione nobili- tata inuiſere ſolebat. Dionyſ. Carthuſ.*
ſere, &c. Idem meditatur Dionyſius Carthuſ. lib. 4.
de præconio Virginis art. 1. Virgo, inquit, in domo
iuxta montem Sion locata, remanſiſſe perhibetur,
omni quo vixit tẽpore, filij ſui loca, in quibus locu-
tus, operatus, baptizatus, captus, crucifixusque fue-
rat, & vnde reſurrexit, & aſcendit, indeſinenter vi-
ſitauit, &c. Abbas Guerricus ſermo. 2. de aſſumptio-
ne: Ob hoc, inquit, creditur virgo in valle Ioſaphat *Guerricus.*
commorata, ne ſcilicet à ſanctis locis longius rece-
deret: ſed ſæpius ea inuiſens, formam geſtorum, vel
corporaliter in ipſis effigiatam, dulcius amplecteretur. Vt vel ſic ſuum aliquatenus amorem ſolaretur,
&c. D. Hildephonſus ſerm. 5. de aſſumptione: Vir-
go, inquit, ſine dubio loca Dominicæ natiuitatis, *D. Hilde- phonſus.*
paſſionis, ſepulturæ, & reſurrectionis frequenter
circumiens inuiſere cupiebat, in ijſdẽ locis lachry-
mas fundebat, & oſcula imprimebat, deinde ad Apo-
ſtolicum contubernium poſt intuitum dominicorũ C
locorum cum gaudio remeabat. Hæc ille. In reuela-
tionibus D. Brigitæ lib. 6. c. 61. idem habetur.

Cùm autem optatiſſimũ diſceſſus in cœlum ad-
eſſet tempus, ab Angelo facta eſt Virgo, extremi diei
ſumma cum lætitia certior. Quia verò triumphi po-
tius quam mortis dies ille erat, palmæ ramum Vir-
ginei triumphi ſignum à filio munus dicitur acce-
piſſe. Memoriæ hæc prodidit Simeon Metaphraſtes *Sim. Meta.*
oratione citata: Per Angelum, inquit, Virgo ſe mi-
graturam eſſe à filio edocta eſt. Cùm igitur exceſſus
ſui myſterium didiciſſet, eam rem lætitiæ tantæ, quã-
ta verbis explicari non poteſt, materiam indicans,
ſtatim iuſſit plurima lumina domum afferri, idque
factum eſt: tota verò domus mundata eſt, lectus item
& thalamus ornabatur, & conuocabantur quotquot D
erant cognati, & vicini, vt cum ea lætitiæ fierent
participes. Oſtendit autem virgo brauium, quod ſi-
bi ab Angelo datum fuerat, id verò erat ramus pal- *Virgo de im- minente mer- te facta eſt certior ab Angelo, & palmæ ramũ accepit. Nicephorus.*
mæ, vt linguæ aſſuetæ vera loqui de eo dixerunt,
ſignum victoriæ mortis, & vitæ imago immortalis.
Hæc ille. Et Nicephorus libro ſecundo, hiſtor. capite
vigeſimo primo, eadem de re ſic ſcribit: Virgo nun-
cium à filio per Angelum de migratione accipit,
migratione cognita, immenſa repletur lætitia. quid
enim dulcius ei, quàm vt cum filio & rege ſuo eſ-
ſet, contingeret? lumen ad eam infertur, domus
purgatur, genere propinqui (vt par erat) accerſun-
tur, riteque & ordine, quæ ad tranſitionem eam per-
tinent, præparantur. Nunciũ etiam illa quem acce-
perat, iis, qui cum ea erant, exponit, & præterea vi- B
ctoriæ mortis trophæum (erat autem palmæ ramus)
monſtrat, &c.

Duas præterea tunicas, quas habebat, (ait idem *Duas tuni- cas viduis re liquit.*
Nicephorus) vicinis viduis, quæ præter cæteras pro-
penſiore erga eam amore ac pietate erant, donari
præcepit.

Summo tandem cum gaudio in manus filij, qui *Virgo animã efflat.*
cœleſti aderat comitatus curia, beatiſſimã animam
exhalauit. Videbat enim illum (ait idem auctor) An-
gelorum gloria circumcirca tanquam ſatellitio ſti-
patum.

D. Epiphanius hæreſi 78. de morte Deiparæ Vir- *D. Epiph.*
ginis cum dubitatione loquitur: Non definio, in-
quit, hoc, & non dico, quod immortalis manſit, ſed
neque

neque affirmo,an mortua ſit:exceſſit enim ſcriptura mentem humanam,& in ſuſpenſo reliquit,propter vas pretioſum,ac excellentiſſimum,vt ne quis ad ſuſpicionem veniat carnaliũ de ipſa rerum:ſiue igitur mortua eſt,non nouimus,ſiue ſepulta eſt, nõ copulata fuit carni,abſit,&c. Verũtamen mortuam eſſe, cum id Eccleſia ſentiat , ambiguum non eſt. Quemadmodum enim humanæ naturæ,ſic mortis, quæ illam conſequitur,particeps fuit. Filij ſui legi obſequitur(ait Damaſ.)atq; vt veteris Adami filia, veteres pœnas ſubit.Nec mirum, cum ipſius quoq; filius,qui ipſamet vita eſt,eã minime recuſarit,&c.

Virgo obijt.

Mortua eſt , vt Adami filia,ſed multis in morte eſt nobilitata priuilegijs,vt Dei mater.Quemadmodum nubem obſcuram ſol radijs illuminat,ita mortem Virginis,Chriſtus priuilegijs illuminauit.vnde Andreas Cretenſis, Archiepiſcopus Ieroſolymitanus in Oratione de Aſſumptione: Virgo, inquit, miraculo plenum, mundo reliquit ſuum ortum, & deceſſum,&c.

Andr. Cre.

Priuilegia mortis Deiparæ.

Primum priuilegium:Mortis diem Angelo nuntiante , palmamque afferente præuidit,vt ſuprà ex Metaphraſte & Nicephoro oſtendimus.

Chriſtus matrem virginẽ aſtitit, & Angeli omnes.

Secundũ: Morienti aſtitit Chriſtus omnium Angelorum ſtipatus agminibus,Damaſ.Oratio 2. Rex ipſe ad matrẽ ſuam venit, vt diuinis ſuis, & puriſſimis manibus,ſanctam,& labis expertem ipſius animã,ſuſciperet,&c.Nicephorus: Cœlitus filius eius, cum innumerabili Angelorum exercitu deſcẽdit, animam Virginis aſſumpturus,&c.

D Damaſc. Nicephor

Obijt ſine dolore, & ſine ægritudine, amoris incẽdio, vt phœnix.

Tertium:Obijt ſine dolore.Damaſc. eadem oratione:Quemadmodũ antequam vllo partus dolore afficeretur peperit , ita etiam ipſius è vita diſceſſus doloribus caruit,&c.

D. Damaſc.

Num. 33. Deut. 34.

Quartum : Nulla ægritudine confecta obijt . *Sic obijt Aaron in monte Hor* , & Moyſes in monte Nebo: *Mortuus eſt ibi Moyſes ſeruus Domini iubente Domino,non caligauit oculus eius,nec dentes illius moti ſunt.* Idem de Virgine dicendũ.Præ amore obiiſſe vult Albertus Magnus in ſuo Mariali:Beata,inquit,Virgo,præ amore & ſine dolore,mortua eſt.& Dionyſius Carthuſia. li.4.de laudibus Virginis art.3.Ad intuitum,inquit, dilecti filij cum incomparabili aſpirauit ardore,diuinarũ quoque rerum cõtemplationi erat profundiſſimè tunc intenta. ergo præ ſpiritalis ſuauitatis affluentiſſima experiẽtia , ac feruentiſſima dilectione,ſeparabatur ſine pœna à corpore,&c. In Reuelationibus D.Brigittæ l.6.c.62. Paraui, inquit virgo, me ad exitum,circumiẽs omnia loca more meo, in quibus filius meus paſſus fuerat,cumq; quadam die animus meus ſuſpẽſus eſſet in admiratione diuinæ charitatis,tunc anima mea in ipſa contemplatione repleta fuit tanta exultatione , quod vix ſe capere poterat,& in ipſa conſideratione anima mea à corpore fuit ſoluta,&c.

Albertus Magnus. Dionyſ. Carthuſ.

D. Brigitta.

Luc. 2.

D. Iſidor.

Non defuere, qui ex illo Simeonis dicto : *Tuam ipſius animam pertranſibit gladius*, Virgini necem allatã exiſtimarint,vt eſt apud D.Iſidor.de obitu & vita ſanctorum.Virginem,inquit,quidã corporalis necis paſſione aſſerunt ab hac vita migraſſe , pro eo quod iuſtus Simeon prophetauerit dicens: *Et tuam ipſius animam pertranſibit gladius*, quod quidem incertũ eſt,an pro martyrii gladio dixerit , an pro verbo Dei valido & acuto,ſpecialiter tamen nulla docet hiſtoria,Mariam gladij animaduerſione peremptã, quia nec obitus eius vſpiam legitur, dum tamẽ nec reperiatur ſepultura,&c.

Deut. 27.

Quidquid illi voluerint,extra controuerſiam eſt, Deiparam violenta morte nõ eſſe peremptã. Verba autẽ Simeonis ſuo loco interpretabimur. Præcipit Moyſi Deus , *ædificabis ibi altare Domino Deo tuo de lapidibus,quos ferrum non tetigit.* Nec altaris lapides, nec

A Virginis membra ferro tangi Deus voluit? *Malleus,& ſecuris,& omne ferramentum non ſunt audita,in domo Domini,cum ædificaretur* : ſimilem in modum gladius, & omne tormentum,non ſunt audita in domo Dei,id eſt,cum è vita diſcederet. *3. Reg.6.*

Noluit Deus corpus illud admirandum à carnificibus tangi, noluit carnem illam,ex qua carnem ſuſceperat,impiorũ manibus attrectari.Noluit virginẽ alio quam deſiderii & amoris vulnere affectã mori.O vulnus fœliciſsimum:O languorem beatiſſimum,vtinam hoc omnes morbo(ſi fas eſt ſic appellare)cum ſponſa laboremus : *Fulcite*, inquit, *me floribus,ſtipate me malis,quia amore langueo*, hic languor mortem affert optatiſsimam : *Fortis enim eſt , vt mors dilectio* : Mors à corpore , amor à corporeis voluptatibus animum ſeparat. D. Gregorius eodem cap.quod mors agit in ſenſibus corporis , hoc agit dilectio,in cupiditatibus mentis, &c. fortis fuit in Virgine, vt mors dilectio,ſiquidem præ amore (vt Albertus ait)obiit. Abbas Guerricus ſer.2.de aſſumptione,Virgini hunc ſermonẽ attribuit : Vt minus miremini languorem meũ,amore langueo, lãgueo plus impatientia amoris,quã paſſione doloris,plus vulnerata charitate,quam grauata infirmitate. *Filiæ Ieruſalem*,id eſt, Angeli.*nunciate dilecto , quia amore langueo*,ipſe nouit quomodo meo medendũ ſit languori.Hæc ille.

Cant. 2.

Amor mortẽ affert beatiſſimam

Cant. 8.

D. Gregor. Magnus.

Guerricus.

Dic Virgo Sanctiſsimà,quomodo tuo medẽdum ſit languori,nunquid ſatis erunt flores,& mala illa, de quibus ſpõſa:*Fulcite*,inquit,*me floribus, & ſtipate me malis,quia amore langueo?* Ille flos campi (reſpõdebit Virgo)*illud lilium conuallium,illius mali,quæ inter ligna ſyluarum caput attollit*,ſine vllo malo mala,remedium afferre poſſunt.liceat ex corpore euolare, liceat omni bonitate exuberantia mala carpere, liceat dilectũ videre,hoc vnicũ remedium eſt languori,dilecti filij cõſpectus, ô Virgo id ne remedium languori afferre poteſt,quod illũ incendit magis ? ſi languor eſt amor,filij conſpectu non extinguetur,ſed magis ac magis inflammabitur?reſpõdet,hæc,diuini amoris beata febri laboranti,ſalus eſt , magis ac magis inflammari,dilectiq́ue Dei ſui conſpectu ſatiari.

Cant.2.

Quintũ priuilegium, Apoſtoli qui tunc temporis vitã in terris agebant,antequam Virgo è vita excederet,ad illã diuino imperio conuenerunt. Optabat ſponſa,vt diximus,malis,floribuſq; ſtipari: *Fulcite*,ait,*me floribus,ſtipate me malis,quia amore langueo.* Amore laguebat virgo, ſtipauit floribus, fulciuit illã malis,matris amãtiſsimus filius,quinã flores Apoſtolis pulchriores,quæ mala odore præſtãtiora ? his floribus,his malis Virginem Chriſtus recreauit.*Vbicunq; fuerit corpus* (ait Dominus) *illic congregabuntur & aquilæ*,Ieroſolymis erat ſanctiſsimũ Deiparę corpus, ad illud viſendũ ſublimes illæ aquilæ , id eſt, Apoſtoli,quæ toto volabant orbe, antequam terris eriperetur,diuino nutu cõuolarunt.D. Damaſc. Oratione ſecũda de aſſumptione: Apoſtolos, inquit,qui paſsim toto orbe ad hominũ piſcationem diſperſi erant, diuino imperio nubes,retis cuiuſdam inſtar, ad Ieruſalem vrgebat,velut aquilas quaſdam compellens,atque in vnum cogens.*vbi enim fuerit corpus*, ait Veritas,*illic congregabuntur & aquilæ*. Hæc ille.

Apoſtoli ad Virginem conuolarunt. Lucæ 17.

D. Damaſc.

Metaphraſtes in Oratione de virgine; Per nubẽ ſuos Chriſtus cõgregat diſcipulos,vt venerandum virginis corpus mandarẽt ſepulturæ.Niceph.Tonitrus atq; nimbi ſonitu,ex finib. omnibus ſuos Chriſtus diſcipulos cõgregat,&c.Iuuenalis itẽ Archiep. Ieroſol.apud Niceph.l.15.c.14.Imperatori Martiano reſpondit , antiquiſsima & veriſsima omnino traditione receptum eſſe inſtante virginis obitu, Apoſtolos ex ipſis orbis terrarũ finibus,vbi diſperſi erant,ſublimes in aëre Ieroſolymam veniſſe.

Metaphra.

Niceph li. 2. cap. 21.

Iuuenalis Ieroſol.

Dionys. Areopag. Adfuisse etiã Dionysium Areopagitam colligitur ex libro de diuinis nominibus capite tertio: Quandoquidẽ, inquit, & apud ipsos numine afflatos, nostros hierarchas, quando & nos vt nosti, & ipse, & multi Sanctorum nostrorum fratrum, conuenimus ad visionem corporis vitæ principis, vel quod vitã inchoauit, & quod Deum susceperit, aderat autem & frater Domini Iacobus, & Petrus summa & proiectissima Theologorum summitas. Postea visum est, post visionem, vt vniuersi hierarchę laudarẽt, sicut vnusquisque erat sufficiẽs, infinitę virtutis bonitatem thearchicę infirmitatis. Hæc Dionysius: Corpus illud quod vitæ princeps dicitur, & quod Deũ susceperit, corpus Virginis fuisse interpretãtur Nicephorus lib. 2. c. 22. D. Thom. in commentariis Dionysij, & Metaphrastes. Damas. Oratione 2. de assumptione: Aderant, inquit, vna cum Apostolis sanctissimus Timotheus, & Dionysius Areopagita, quemadmodum ipsemet Dionysius de beato Hierotheo, qui & ipse tunc aderat, in ijs libris, quos ad prædictum Timotheum elaborauit, testatur, &c. In hanc sententiam citat Nicephorus libro decimo quinto, cap. decimo quarto, Iuuenalẽ Archiepiscopũ Ierosolymitanum his verbis: Porro cum discipulis ibi tum adfuisse addidit Iuuenalis, Timotheũ, Dionysium Areopagitam, Magnumq́; Hierotheũ, quemadmodum hac de re Dionysius ipse testatus sit. Hęc ille. Verũ hęc Dionysij verba diligentius excutienda sunt, quod faciemus, cùm de ætate Virginis agemus.

Dionys. Areopagita dicitur interfuisse, cũ virgo obiit.

Sextum priuilegium. Sanctissimũ Virginis corpus etsi mors attigit, corruptio tamen omnis lõgissimè fugit. Damascen. Oratione prima: *Non vidit caro tua ô Virgo corruptionem.* & Oratione secũda: Si Virgo lætantium omnium habitatio est, eius profectò, quæ lætitiæ causa extitisset, atque incolumem virginitatẽ in partu seruauisset, incorruptum etiã post mortẽ corpus seruari oportebat, &c. Andreas Cretensis Archiepiscopus Ierosolymitanus in Orat. de assumptione: Mater quæ ipsum viuere pepererat, consecuta est vitæ finem partui non absimilem, & miraculum Deo & fide dignum, sicut non fuit corruptus pariẽtis vterus, ita mortuæ caro nõ interijt. O miraculum, partus effugit corruptionem, & sepulchrum non admisit interitum, &c.

D. Damasc. Corpus virginis non est redactum in cineres.

Andr. Cre.

Si corpora incorrupta seruat balsamum, corpus illud, quod nouem mensium spatio Deum tulit, diuiniore perfusum balsamo conseruatum est. *Euasit Rahab mortem, propterea quod Hebræorum exploratores domo excepit, & tutata est*; euasit Virgo corporis corruptionem, propterea quod Dei filiũ concepit, & vtero gestauit: *Deuorauit Ionam cetus*, sed concoquere nõ valuit, deglutiuit mors Virginis corpus, sed in cinerẽ conuertere non potuit. Nec leones Danielem, nec vermes sanctissimum Deiparæ corpus lædere ausi sunt. Arca Dei ex lignis imputribilibus est fabricata (sic enim vertunt 70. interpretes: *facies arcam testimonij, de lignis imputribilibus*) Virgo arca Dei, ex carne, quę non computruit, est composita. *non dedit Dominus sanctum suum* Christum, nec sanctã suã Christi matrem, *videre corruptionem.* Qualis enim filius, talis mater.

Iosue 6. *Iona 2.* *Dan. 6. & 14.* *Exod. 25.* *Psalm. 15.*

Hac de re auctor antiquus, cuius sermo de assumptione, Aug. Tom. 9. extat, scripsit egregiè: Si Christus, inquit ille, voluit integram matrẽ virginitatis seruare pudore; cur nõ velit incorruptã à putredinis seruare fœtore? Nunquid non pertinet ad benignitatem Domini, matris seruare honorem, qui legem non soluere venerat, sed adimplere? lex enim sicut honorem matris præcipit, ita inhonorationẽ damnat. Potuit eam à putredine & puluere alienã facere, qui ex ea nascẽs, potuit Virginem relinquere. Putredo enim & vermis, humanæ est opprobriũ conditionis. Item: Sacratissimum corpus, de quo Christus carnẽ assumpsit, & diuinam naturam humanæ vniuit, escam vermibus traditum in cõmuni sorde putredinis, & futurum de vermibus puluerem, quia sentire nõ valeo, dicere pertimesco. Addit: Si elegit diuina voluntas, inter flammas, non solùm puerorum corpora seruare illęsa, verùm & ipsa vestimenta seruare inusta, cur abnuat in matre propria, quod elegit in veste aliena? Hæc ille, & alia in hanc sententiam.

Septimum priuilegium. Mors Deiparę multis est illustrata miraculis. Damas. Orat. 2. Hic surdus auditus, claudis pedũ firmitas restituebatur, cæcis visus instaurabatur, peccatoribus cum fide accedentibus syngraphæ lacerabantur. Nicephorus lib. 2. cap. 22. Apostoli, & qui prẽterea ibi aderant viri egregij, lectum corona circumdantes reuerenter Virginẽ osculantur, ad quã deinde quamplurima fiunt miracula, cæci namque oculis Solem cernunt, surdis auditus datur, claudi gressus recipiunt, &, vt semel dicam, omne morbi genus attactu solo profugit. Hæc ille. idem scribit Metaphrastes.

Mors Deiparę miraculis illustrata. *D. Damasc.* *Nicephor.* *Metaphr.*

Octauum: A summo Pontifice Petro, cæterisque Apostolis, & viris illustrissimis corpus Virginis sepulchro conditũ est. Dignũ sanè funus, quod Apostoli curarent, nempe Reginæ exequias orbis principes cum Seraphinorum, Cherubinorum, reliquorumque Angelorum cętu, celebrare par erat. D. Damascenum de celeberrimo funere Orat. 2. dicẽtem audiamus: Puris, inquit, linteis corpus Virginis obuoluitur, ac lecto rursus Regina imponitur, deinde lampades adhibentur, & vnguẽta, atque hymni ad eam prosequendam accõmodati. Angelis nimirũ linguis suis, hymnum sibi cõgruentem canẽtibus; Apostolis autem, ac diuinitus afflatis patribus, cantiones quasdam Deo iucundas, atque à Spiritu sancto inspiratos modulantibus. Ac tum arca Domini è monte Sion abiens, præclarisque Apostolorum humeris gestata, in cœleste templum, per interiectum sepulchrum effertur. Ac primum quidẽ per vrbem mediam ducitur, pulcherrimæ cuiusdã spõsæ in modum, incõparabili quodã spiritus splẽdore decorata. Atque ita ad sanctissimum Gethsemani locum gestatur, Angelis præcurrentibus, & affectãtibus, alisq́; suis eam obuelantibus, vniuersaq́; item Ecclesia. Et quemadmodum Salomon ob requiem arcæ in tẽplo Domini, seniores omnes Hierusalem in Sion coẽgit, vt arcã fœderis deferrent de ciuitate Dauid, id est, de Sion. Et tulerũt sacerdotes arcã, & portabant eam tum Sacerdotes, tum Leuitæ, & Rex & omnis populus gradiebantur ante arcã, boues & oues innumerabiles mactantes, & intulerũt sacerdotes arcã fœderis Domini in locum suum, in oraculũ domus, in Sancta Sanctorum sub alas Cherubim. Ad eundẽ modum ob requiem spiritalis arcæ, ipse nouus Salomon Christus, tum mundo sublimiores, cœlestium mentium ordines, tum primarios noui Testamenti viros, id est, Apostolos vna cũ vniuersa plebe Sanctorũ, qui erant in Ierusalem in vnum cogens: animã quidem in Sancta Sanctorũ, in exemplaria, inquã, ac vera & cęlestia, per Angelos introducit: Corpus autem Apostolorum manibus portatur, Rege regũ inuisibilis suę deitatis splẽdore illud cõtegente, atque vniuerso sanctorũ cętu præcurrente, sacrasque voces emittente, laudisque sacrificiũ in tumulo tanquam in thalamo peragente. Hæc Damasc. Idẽ scribit Metaphrastes: Cum lucernis, ait, & vnguẽtis, intelligentibus quidem desuper laudãtibus virtutibus, Apostolis autẽ & diuinis Patribus Deo digna cantica canentibus, diuina arca, id est, virgo, ex Siõ vecta Apostolicis manibus & hume-

D. Damasc. Corpus Virginis ab Apostolis humatum. *D. Damasc.* *Metaphrastes.*

& humeris,ad Gethſemani ſacrum prædiũ exportatur. Angelis, vt eſt conſentaneum,pręcurrẽtibus, circumcurſantibus,ſequẽtibus,longe ſplẽdidiore, & venerabiliore facta deductione , quàm propter tranſlationem veteris illius arcę teſtamẽti Domini, &c. Eadem narrat Nicephorus lib.2.c.22.

Nicephor.

Nonum, filium quemadmodum in vita,ita etiam in reſurrectione virgo imitata eſt, vt filius ſic mater tertia die in vitam redijt. Hoc docet Iuuenalis Ieroſolymitanus Epiſcopus,apud Nicephorum li. 15.c. 14.Iuuenalis,ait Nicephorus, reſpondit Martiano Imperatori,antiquiſsima & veriſſima traditione receptum eſſe,inſtãte Virginis obitu Apoſtolos ſublimes in aëre Hieroſolymã veniſſe,viſione auſpicatiore hymnos diuinarum poteſtatũ exauditos eſſe, & abſq; ſtrepitu aliquo,mirifico plane modo Verbũ & filium Virginis aduenisſe,atq; in manus ſuas diuinũ illius ſpiritum ſuſcepiſſe.Sacroſanctum autem corpus illius , Angelica ſimul & Apoſtolica hymnodia elatum, in tumulo quodam in regione Gethſemani repoſitũ eſſe,& in tertium vſq: diem eo loco carmina Angelos perpetua, in honorem & laudem Dei genitricis ceciniſſe.& cum eodẽ tertio die,is qui in obitu Virginis matris , choro Apoſtolorũ non adfuerat,aduenisſet;& ſacrum illum cœtum vt tumulũ recluderet,quo & ipſe Verbi matri debitum,ſupremumq; perſolueret honorẽ , precibus ſummopere ſolicitaſſet, atque ſigillo ablato ſepulchrũ apertum eſſet,ſacrum illius corpus prorſus repertũ nõ eſſe , ſed ſepulchrales illius faſcias tantũ ſuo loco intactas,atque inuiolatas,perinde ac ſi eas corpus paulò ante reliquiſſet repertas.Et quidem inenarrabili odoris ſuauitate redolentes , eaq; ſuauitate illos abundè afflatos,ſignaculo rurſus tumulo impoſito abijſsè. Atque illud ſolum pro eo,ac decebat,animo ſecum meditatos,Deũ corpus Virginis ante communem omniũ reſurrectionem immortalitate cohoneſtaſſe,&c. Eadẽ Iuuenalis verba recitat Damaſc.in fine orationis 2.de aſſumptione.Iuuenalem ſequitur Nicephorus li.2.cap.23. & Metaphraſtes. Apoſtolum autem illum,cuius cauſa ſepulchrũ eſt apertum,fuiſſe Thomã,aiunt Damaſ. & Nicephorus. Damaſcen.oratione 2. Sanctiſsimũ corpus celeberrimo tumulo imponitur,hincq; triduo poſt in cælos attollitur,ſiquidẽ terræ penetralibus obrui minime conueniebat,quin potiùs quẽadmodum corpus quod Verbum Deus ex Virgine perſonaliter ſibi copulauerat,tertio die è monumẽto exſurrexit,ſic etiam ipſam è tumulo abripi , ac matrem ad filium migrare par erat,&c.

Tertia die Virgo reſurrexit.
Iuuenalis Epiſcopus Ieroſol.
Nicephor.
D. Damaſc.

In reuelationibus D.Brigittæ li. 6. c. 62. habetur, Virginis corpus quindecim diebus: Apud D. Antoninum 3.p.hiſtoriæ titulo 19.c. 11. legitur quadraginta diebus in ſepulchro iacuiſſe,ſed Iuuenalis & Damaſceni dictis magis aſſentimur.

D. Brigittæ. D. Anton

Sepultam Deiparam Virginem in Gethſemani aiunt Iuuenalis, Damaſc. Nicephorus, Andreas Cretenſis, Metaphraſtes. De illius ſepulchro Brochard. 1.parte,c.7.§.47.ſic ſcribit: In valle Ioſaphat, non quidem in ima profunditate,ſed in pede montis Oliueti,parũ tamen ſupra ipſam vallem , locatũ fuit beatiſsimę Virginis ſepulchrum. Quod quidem ante ſubuerſionẽ Ieruſalem per Romanos ſupra terram eminens erat,nunc autem terra coopertũ eſt, adeò quod Eccleſia ibidẽ in honorem Virginis cõſtructa,cùm ſit ſublimium parietum,nobiliſsimeq; teſtudinata,nũc ſit tota ſubterranea,& repletionibus ruinarum templi,& atriorum omnino ſit cooperta. Vallisque Ioſaphat ibidem adeò repleta fuit, quod extat via publica tranſiens ſuper prædictam Eccleſiã,iam ſub terra abſconditã. Eſt tamen ibidẽ in terræ ſuperficie,poſt vrbis reparationẽ conſtructa Eccleſia,vel ædificium per modũ capellæ,quod cũ ingreſſus fueris,deſcendes per gradus plurimos ſub terra,in Eccleſiam præſcriptã,& ad ſepulchrũ Virginis,& credo,ni fallor,ſunt gradus 60. Eſt autẽ ſepulchrum in medio chori,ante altare marmoreũ & magnificè decoratum,quod & Saraceni deuotiſſimè venerantur oſculantes proſtrati,& ſacræ Virginis ſuffragia alta voce ſuo more implorãtes. Ego fui in ſepulchro ipſo. Hæc Brochardus. Nõ eſt tamẽ veriſimile illud Virginis templum, quod ſub terra latet,eo tempore fuiſſe terra obrutũ , quo Romani Ieroſolymã expugnarunt,nondum enim fuerat fabricatum,quemadmodum nec templum ſepulchri Chriſti Opt. Max. vt facile is intelliget,qui temporũ illorum conditionem nouerit.

Virginis ſepulchrum. Brochard.

De templo,in quo ſepulchrum erat, Imperator Martianus ſic loquitur apud Damaſcenũ oratione 2.de aſſumptione, Ieroſolymis principẽ & eximiã Dei genitricis Mariæ Eccleſiã eſſe audiuimus in eo loco,qui Gethſemani vocatur, vbi corpus ipſius, quod vitam tulit,in loculo conditum eſt, &c. De eodem Nicephorus. Excitauit,inquit, Helena mirificum templũ in Gethſemani prędio,genitrici Dei, atque in ſacrario ipſo viuificum eius ſepulchrũ firmiter incluſit:cum verò decliuis is ſit locus,gradus marmoreos fieri curauit , viatores ex ſancta vrbe orientalem plagam verſus ferentes.

Martianus Imp. D. Damaſc.
Niceph li. 8. cap. 30.

CAPVT XII.

De Aſſumptione intemeratæ Virginis.

NOn *debent* (ait Apoſtolus) *filij parentibus theſaurizare , ſed parentes filijs.* Veriſimũ id quidem,ſed inter inopes hominum filios. At in Chriſto opulentiſsimo Dei filio,& Virgine matre, longè aliter accidit. Nõ mater filio, ſed filius matri theſaurizauit, non filio mater, ſed matri filius hæreditatẽ dedit. Vnde D. Ioannes Damaſcenus oratione ſecunda,de aſſumptione Virginis: Quanquã,inquit,ſemper ita comparatũ eſt, vt hæreditas à parentibus ad filios deuoluatur,nunc tamen,vt eruditi cuiuſdã viri , id eſt,Euripidis in Medea,verbis vtar,ſurſum ſacrorũ fluminũ fontes fluunt. Etenim filius matri, res omnes cõditas in ſeruitutẽ addixit,&c. Verũ hęc minor hæreditatis pars,maior alia in ipſo Dei cõſpectu èſt collocata. Non in terris hæreditas tanta, ſed in cęlo,nõ animo tãtum,ſed corpore etiã adeunda erat. Eam igitur vt adiret tertia die ſepulchralibus abiectis linteaminibus,vacuoque ſepulchro relicto, reſurgens virgo cœlos petiit.

2. Cor. 12.
D. Damaſc.
Virgo reſurrexit.

Virginis vacuum ſepulchrum D.Damaſ.pulchrè interrogat: Vbi nam eſt illud minime adulterinum aurum,quod Apoſtolorũ manus in te condiderũt? vbi inexhauſtę opes; vbi pretioſus ille theſaurus, qui vitã ſuſcepit? vbi gratiæ abyſſus; vbi curationũ pelagus? vbi fons ex quo vita orta eſt? vbi amabiliſsimũ Dei genitricis corpus:pulchrè quoq; reſpõdet ſepulchũ. Quidnam in ſepulchro quęritis eam, quæ ad cęleſtia tabernacula elata eſt? quid cuſtodiæ rationem à me expoſcitis? Nõ eæ meæ vires ſunt,vt diuinis iuſſis obluctẽr, relicta ſindone ſacrum illud corpus,poſtquam mihi ſanctitatem impertiuit,atq; vnguento,& ſuauiſſimo odore me compleuit,diuinumque delubrum effecit,abreptũ hinc abiit, &c. Et merito abiit,ſiquidem vt idem Damaſcenus ait paulò ſuperius : Illud diuinum domicilium,terræ penetralibus obrui,minimè conueniebat. De templo quidem Ieroſolymitano dixit Chriſtus : *Non relinquetur lapis ſuper lapidẽ,qui non deſtruatur,* at in tẽplo

Luc. 21.

Virginei corporis nullus loco ſuo motus eſt lapis, etſi ſoluere mors tẽplum potuit, potentiſſima Dei manus mox in integrũ illud reſtituit. Soluite templum hoc (ait Dominus) & in tribus diebus excitabo illud, ille autem dicebat de templo corporis ſui, Ioan. ſecundo. Idem dicere licet de templo corporis ſanctiſſimæ Virginis, mortiq; ſic inſultare, ſolue mors templum hoc, & in tribus diebus excitabit illud potentiſſima filij dextra.

Vt aurum inde efferãt, in terræ viſcera penetrãt homines, ſic Angeli vt aurum illud puriſſimum, vt thesaurum illum pretioſum, id eſt, Virginis corpus efferrent, in ſepulchrũ Virginis deſcenderũt. Quis enim in animum inducat, vterum illum, qui Deum nouem menſium ſpatio tulit, carnem ex qua diuini Verbi caro aſſumpta, vbera quæ creatorem lactauerunt, brachia quæ geſtarunt, in cinerẽ eſſe redacta? Auguſtus Cæſar, vt Plutarchus in apophthegmatũ libro ſcripſit, Alexandrinis poſt captiuitatẽ, extrema ſe paſſuros expectantibus, vrbi ſe parcere dixit, primũ quidem propter eius & magnitudinẽ, & pulchritudinẽ, deinde propter conditorẽ Alexãdrum, tertio propter Arium amicum. Vrbi Alexandrię parcit Cęſar propter magnitudinẽ, & pulchritudinem, non parceret Chriſtus Dei ciuitati, cuius tum magnitudinem, tum pulchritudinẽ Sol & Luna mirantur? parcit Auguſtus Alexandrię propter Alexandrum & Arium amicũ, non parceret Chriſtus maternæ carni propter ſe? Equidẽ videor mihi Chriſtum audire verba illa dicentem: *Protegam vrbem hanc, & ſaluabo eam, propter me*, &c. Rebelles vrbes æquentur ſolo, corpora reliqua, quæ ſpiritui & Deo quoquo modo rebellarunt, in puluerem abeant; at Virginis caro, quæ ſpiritui Deoque ne leuiſſimè quidem repugnauit, in cineres non redigatur.

Virginis torpus mors non potuit corrũpere.

Plutarch.

4 Reg. 19.

Animum, & ab animo ſeparatum corpus, comites ſequuntur duo: comes corporis eſt putrefactio, comes animi deſiderium reſumendi corporis. Etenim corpora omnia ab animo ſeiuncta, & ſi ducũ, regumque ſint, putrefactio inuadit, animos deſideriũ recipiendæ carnis comitatur. Matris verò Dei hæc fuit prę[illegible]a ſingularis, comes corporis putrefactio, diui[illegible] longè repulſa aufugit, comes animi deſiderium, recepto corpore abſceſſit. Diſſoluit mors nodum, qui corpus, animumque illigabat, at mox fortior nexus ita vinxit, vt nulla iam mors reſcindere illum queat.

Matris Dei admirandum titulum, Virgini corpus attulit, ſi enim corpore caruiſſet, Mater Dei nõ fuiſſet. Quis ergo credat illo corpore Deiparam carere, cui tantum titulum acceptum refert? Cum Regina coronatur, magni pretij veſte ſolet indui, tunc Virgo coronata eſt, cum in cœlũ eſt aſſumpta, corpore igitur incorruptibili, atque immortali, quaſi eximij pretij indumento eſt ornata: *Aſtitit que Regina* (vt eſt in Pſalmo) *à dextris filij, in veſtitu deaurato, circumdata varietate*, id eſt, in corpore, quod immortalitatis, & incorruptibilitatis auro radiat, quodque inſtar deaurati, & pretioſiſſimi eſt indumenti. Athanaſius in homilia de Virgine Deipara: Virgo, inquit, nunc vt Regina aſſiſtens à dextris filij vbique regnãtis, quaſi in veſtitu deaurato incorruptionis, & immortalitatis, circumamicta, & variegata, ſacris & ſolennibus verbis celebratur. Non quidem ſecundũ ſpiritualem ſimplicitatem, aut quaſi ſine corpore, & carne aſſiſtat, ſed quòd induta ſit, quantum ſpectat ad ſanctiſſimam eius carnem, incorruptibilitate, & immortalitate. Variegata rurſus eſt, quantũ attinet ad oſſa ſanctiſſima, quæ eius carnẽ ſuffulciunt, &c. Cardinalis Petrus Damiani, in ſermone de aſſumptione Deiparæ: Tota conglomeratur Angelorũ frequentia, vt videat Reginam ſedẽtem à dextris Domini virtutum in veſtitu deaurato, in corpore ſemper immaculato, circumdata varietate, virtutum multiplicitate diſtinctam, &c.

Pſal. 44.

D. Athana.

Card. Pet. Dam.

Moyſes Exod. 3. Viſionem magnã videre cupiebat: *Vadam*, inquit, *& videbo viſionem hanc magnam.* At calceos exuere, nudiſq; pedibus accedere iuſſus eſt. Sancti item viri omnes viſionẽ magnam videre cupiunt, id eſt, Deum: Dei enim viſio verè viſio eſt magna, qua nulla maior aut excogitari, aut deſiderari poteſt. Verum tamen calceamẽta, hoc eſt, carnis membra, ac pellẽ, iubentur exuere, nudoq; animo, terram illam ſanctam ingredi. Erat idẽ Deiparę vehemens deſiderium, viſionem magnam videre optabat, diſſolui cupiebat, & eſſe cum Chriſto. Nũquid abſque calceamẽtis terrã illam ſanctã ingreſſa eſt? Nunquid nudo animo viſionẽ magnã vidit? minime. Exuit quidem corpus, & nudo animo paucis diebus Deum vidit, ſed paulo poſt idem corpus induit, beatamq; illam regionem in pulcherrimis calceamentis, id eſt, pulcherrimo corpore eſt ingreſſa. vnde illud: *Quam pulchri ſunt greſſus tui in calceamẽtis filia principis.* Sed hos filię & matris, magni principis Chriſti, pulchros greſſus iã iuuat contẽplari.

Exodi 3.

Virgo corpus exuit, mox & induit, vt pretioſam veſtem.

Cant. 7.

Iacebat in ſepulchro ſanctiſsimum corpus, omni ſenſu & vita priuatum, vt cætera hominũ corpora iacere ſolent, corruptio tamen omnis procul aufugerat. Tertia illuceſcente die Angelis ſtipatus, in ſepulchrũ venit Chriſtus, penes quẽ & vitæ & mortis imperium eſt. Mortem longè iuſsit abſcedere, iacẽtique corpori, non vitam ſolùm, ſed immortalitatẽ quoque, ſplendorem admirabilem, ſubtilitatem, agilitatem, pulchritudinemque inauditam contulit. Ingreditur beatiſsima anima carnem, quã deſeruerat, ſurgit repente corpus, quod iacebat, vt Sol alter fulgens, aquilis velocius, ipſa pulchritudine pulchrius. Facies mira venuſtate nitet, crines aurũ fulgore ſuperant, rediuiuæ carnis mẽbra totã videntur pulchritudinẽ exhauſiſſe. Attollitur humo corpus rutilantiſsimũ, à dextris potentiſsimi regis filij ſui regina graditur, cœleſtis curia vniuerſa gradientem magna cũ lætitia ac plauſu comitatur. Contẽpletur animo, qui poteſt (ait Anſelmus in lib. de excellẽtia Virginis, c. 8.) quo gaudio, qua feſtiuitate, quibus cõcentibus iubilabãt omnes beatorum ſpirituum ordines, quando & vnicam Domini ſui matrẽ aduentare, & ipſum Dominum ſuum ei videbãt omni ſua gloria decoratum velle occurrere, &c. D. Bern. ſer. prima, de aſſumptio. Quis cogitare ſufficiat, quã glorioſa mundi regina proceſſerit, & quanto deuotionis affectu tota in eius occurſum cœleſtium legionũ prodierit multitudo, quibus ad thronum gloriæ cãticis ſit deducta, quam placido vultu, quã ſerena facie, quã diuinis amplexibus ſuſcepta à filio, & ſuper omnem exaltata creaturam? Hæc Bernard.

D. Anſelm. Aſcenſio Deiparæ in cœlum.

D. Bernard.

Cardinalis verò Petrus Damiani, in ſermone de aſſumptione Deiparæ, in hac Virginis aſſumptione aliquid glorioſius, quàm in aſcenſione Chriſti inuenit. Chriſtum enim aſcendentem Angeli, animęque ſanctæ tantummodo ſequebantur, at Virginem non Angeli ſolum, & ſanctæ animæ, ſed Chriſtus etiam ipſe, cuius infinita dignitas eſt, comitabatur. Erat ergo virginis comitatus in aſſumptione, longe pręſtãtior ipſo comitatu Chriſti, in aſcenſione. Soli ſplendidiſſimo Chriſto ſtellæ occurrerunt, at Virginem pulchram Lunam, non ſtellæ ſolum, verũ ipſe quoque Sol excepit. Attolle, inquit Cardinalis, oculos ad aſſumptionẽ Virginis, & ſalua filij maieſtate inuenies, occurſum huius pompę non mediocriter digniorem. Soli quippe Angeli redemptori occurrere potuerunt, matri verò filius ipſe, cum tota curia, tã Angelorum, quàm iuſtorum, ſolenniter occurrens, euexit ad beatæ conſiſtorium ſeſsionis. Hæc ille.

Itaque

Itaque ascendebat in cœlestem Ierusalē regina, non Nicaula, sed Maria, nō Saba, sed cœli, ac terræ totius, multo cum comitatu, & diuitijs spiritalibus. 3. Reg. 9. Non sunt allata vltra tam multa aromata, tā multa merita, tam multi virtutum odores, tam multæ gratiæ, & gloriæ opes, quam multas regina hæc in cœlestem attulit ciuitatem, quibus illam mirabiliter, vt ait diuus Anselmus, locupletauit. D. Anselm. Dies illa, ait Anselmus loco indicato, non solùm te Domina ineffabiliter sublimauit, sed cœlum ipsum, nec non cuncta, quæ in eo sunt, noua, & ineffabili gloria decorauit. Virgo cœlum suæ præsentia maxime illustrauit. Noua quidem cęlū gloria decorauit, quia priorem gloriam eius, ex præsentia tua, vltra quā dici possit, aut cogitari, magnificauit. Nam cùm tu Domina illuc ascendis, noua illud & præcellēti B virtutum tuarum dignitate irradias, immensaque miserationum tuarū, & gratiarum luce perlustras. Hæc Anselmus.

Virgo ascendit deliciis affluent. Cant. 7. Ascendebat Virgo opibus affluens, affluens etiā delicijs, iuxta illud: *Quæ est ista, quæ ascendit de deserto delicijs affluens?* delicijs, inquam spiritalibus, diuinis, cœlestibus. Quęnam maiores deliciæ illis excogitari possunt, quæ ex Dei conspectu percipiuntur? ijs affluens Virgo de deserto ascendebat, iam enim in ipso ascensu Deum perspicuè intuebatur, iam Deo fruebatur, iam torrente, siue potius mari voluptatis, ac deliciarum illius immersa erat; hę purissimi animi deliciæ, Dei conspectus, amor ardentissimus, & fruitio. Nec suæ corpori sanctissimo delicię C deerant, quas dotes Theologi appellant, immortalitas, splendor, agilitas, subtilitas. His omnibus, atq; aliis deliciis Deipara affluebat, quia incredibili earum copia exundabat. Merito igitur deliciis affluēs ascendere dicitur.

Additur: *Innixa super dilectum suum.* Quidnam hæc verba indicant? Nunquid Virgo Christo innixa in cœlum iter agebat? Et quidem, si Christo nō fuisset innixa, in cælū conscendere non valuisset. Etenim Deiparam in cœlestē patriā merita eximia euexerūt, at ea merita, nisi Christi meritis innixa fuissent, Ioan. 14. Virginē euehere non potuissent. *Ego* inquit Christus *sum via.* quonam hæc via ducit? Nempe in cęlū. Meritis Christi innixi in cœlum ascendimus. Tolle Christi merita, viam sustulisti, sublata autem D via, in cœlum quoque ascēsus aufertur. Christi merita scala sunt Iacob, è terra in cœlū scala hæc tendit. Sed non satis est scala, ascendes nunquam si scalam intuens, vt Iacob dormias, si manibus gradus non apprehendas, si pedibus non scandas, si laborē ascensus non sustineas. Non sunt satis Christi merita, & passio, in cœlum ascendemus nunquam, si merita nostra Christi meritis non innitantur, si laborem nostrum, si manus, id est, bona opera, si pedes, id est, sancta desideria, scalæ non adhibeamus.

Rom. 8. *Hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi, si tamen compatimur, vt & conglorificemur.* Auis duabus eget alis, si vnam solum habeat, altera careat, volare nō poterit. Aui vna ala ad volatum connitenti similes ij E sunt, qui merita tantum Christi sibi satis esse putāt, ad cœleste regnum consequendum. Dextra hæc est ala, à qua robur animi proficiscitur, at verò nisi veluti sinistra ala accedant bona opera, inanis erit ad volandum in cœlum conatus. D. Augusti. Cum autem merita nostra vocamus, dona Dei ea esse cum Augustino fatemur, lib. 9. confess. cap. 13. Merita nostra sunt munera Dei. Quisquis, inquit Augustinus, tibi Domine enumerat vera merita sua, quid tibi enumerat, nisi munera tua? & Epistol. 105. ad Sixtum: cum Deus coronat merita nostra, nihil aliud coronat, quàm munera sua, &c. Itē: In Psal. 102. vita æterna coronabit nos Deus in misericordia, & miseratione, iuxta illud: *qui coronat te in misericordia, & miserationibus.*

At videtur obstare Apostolus, qui 2. ad Timoth. 4. sic scribit: *Reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die iustus iudex,* &c. Respondemus, coronā illam cœlestem tum à iustitia, tū vel maximè à misericordia fabricari. A misericordia quidem & gratia fabricatur, quia sine misericordia, & gratia, nulla sunt merita nostra; a iustitia vero, quia suppositā gratia gratis data, & Dei promissione, operibus bonis ex iustitia corona redditur. 2. Tim. 4.

Quam reddet, inquit Paulus, *mihi Dominus iustus iudex.* Coronam cœlestem fabricat misericordia & iustitia Dei Theophyl. D. August. Non dixit, dabit, ait Theophylactus, sed reddet veluti debitum quoddam, & creditum. iustus enim cum sit, omnibus laboribus mercedem definiet. debitum itaque est corona, propter iudicis iustitiam. Hęc ille. Et Augustin. in lib. 50. homiliarum, hom. 14. *Reddet mihi Dominus*, ait Paulus, debet ergo Dominus quod reddit, reddet ergo iustus iudex. non enim opere inspecto potest negare mercedem, qui opus inspicit. *Bonum certamen certaui*, opus est: *Cursum consummaui*, opus est, *fidem seruaui*, opus est. *Superest mihi corona iustitiæ*, merces est. sed in mercede tu nihil agis, in opere non solus agis. Corona tibi est ab ipso, opus autem abs te, sed non nisi ipso adiuuante. Et post alia concludit: Cum Deus coronat merita tua, nihil coronat nisi dona sua, &c. Sed eo vnde digressi sumus reuertamur. Ascendebat Virgo Deipara *opibus, deliciisq; affluens, innixa super dilectum suum*, hoc est, super Christi merita.

Ascendebat præterea velut Esther altera, innixa super duas pulcherrimas famulas, quarū pulchrior altera, quam summopere diligebat, Maria, altera Martha appellatur: *Die tertio circumdata est Esther gloria sua, cúmque regio fulgeret habitu, assumpsit duas famulas,* &c. Esther 15. Similem in modum nostra Esther die tertio resurgens, incredibili gloria circumdata est, regioque fulgens habitu, duas assumpsit famulas, quibus innixa ascenderet, Mariam & Martham, de quibus in Euangelio, quod in festo assumptionis recitari solet, fit mētio. Sunt hæ famulæ satis notæ. Maria vita est, quæ in Dei contemplatione versatur. Martha verò vita dicitur; quæ in actione posita est. Duæ famulæ virginis Mariæ, & Martha. Iis autem innixam ascendere Virginem ideo diximus, quia tam vitæ cōtemplatricis, quàm alterius, quę in sanctis actionibus sita est, meritis eximijs, ingloriā sempiternam ascendit: *Emissiones tuæ paradisus malorum punicorum,* &c. Cant. 4. Contemplationes, actionesque omnes, quas Virgo ex se veluti è paradiso, hortoque amœnissimo emittebat, similes erāt malis punicis. Mala enim punica omnia coronam habent, sic Virginis omnes cogitationes, verba, atque opera erāt coronata. Quia opulentissimam gloriæ coronam promerebantur.

Rogabit forsitan aliquis, num Angelis quoq; innixa Virgo ascenderit? Videtur enim id significare picturæ, quæ Angelorū inuectam manibus ob oculos ponunt. Respondendum est, non indiguisse Angelorum vi, vt in cœlum conscenderet. Etenim cu- Virgo vt in cœlū ascenderet, nō indiguit ope Angelorum. iuslibet glorioſi corporis agilitas tanta est, vt paruo E temporis spatio à terra in cœlum vsque empyreum possit euolare. Si cuiuslibet glorioſi corporis agilitas hoc potest, quid de agilitate Virginei corporis dicendū erit? Elias igneo curru, Enoch atque Abacuc Angelorū ope indiguerūt, illi vt in paradisum terrestrem transferrentur, hic vt in Babyloniā Danieli prandium adduceret, quia mortalia habebant corpora. Beati vero, quorū erunt corpora immortalia, & agilitatis summæ dono exornata, his adiumentis opus non habebant.

Vrgebit sic quispiam: Christi festum non dicitur assumptio, sed ascēsio, contrà verò Virginis festū non ascensio, sed assumptio appellatur, aliqua ergo est diuersæ appellationis causa. Non alia quā quod Christus propria vi, Virgo aliena in cœlum ascēderit, er-

rit, ergò Virgo ope Angelorum indiguit. Reſpõdemus, non eſſe illã varię appellationis cauſam. Chriſtus enim etiam dicitur in cęlum aſſumptus: *Aſſumptus eſt in cœlum, & ſedit à dextris Dei*, &: *Vſque in diem qua præcipiens Apoſtolis, per Spiritum ſanctum, quos elegit, aſſumptus eſt.* Potuit ergo feſtum Chriſti aſſumptio quoque appellari, quia quamuis nomen alienum auxilium ſignificare videatur, id tamen non ſemper ſignificat. Aſſumptus enim eſt Chriſtus in cœlum propria vi, aſſumpta quoque Virgo corporis glorioſi agilitate. Attamen Chriſti feſtum Aſcenſio, Virginis aſſumptio nominatur, nõ propterea quòd Chriſtus propria vi aſcenderit, Virgo aliena indiguerit, ſed diſcriminis cauſa. Præterea etiam, vt indicetur Chriſtum, vt Deum incarnatum, illi perſonæ connaturali vi aſcẽdiſſe: Virginẽ autem, vt puram creaturam excellentiſſimam, cui illa vis nõ eſt connaturalis, aſſumptam eſſe. Angeli vero, quos nobis picturæ exhibent, illam non euehunt, ſed comitantur.

Marc. vlt. Act. 1.

Card. Pet. Dam.

Hac de re ſic ſcribit Cardinalis Petrus Damiani, ſerm. de aſſumptione: Aſcendit, inquit, Saluator in cœlum, poteſtatiuæ virtutis imperio, ſicut Dominus, & creator, Angelorum comitatus obſequio, non auxilio fultus. Aſſumpta eſt Maria in cœlũ, ſed gratiæ ſubleuantis indicio, comitantibus, & auxiliantibus Angelis, quam ſubleuabat gratia, non natura. Ideo dies Virginis aſſumptio, Chriſti aſcenſio nominatur. Cùm aliud ſit potẽtia, aliud miſericordia, ſolumque ſoli ſit priuilegium creatori, naturam rerũ propria poteſtate ſupergredi, Hæc ille. Quòd vero ait, auxiliantibus Angelis Virginẽ aſcendiſſe, non eſt verum, ſi velit ſignificare illo auxilio indiguiſſe.

Animæ ex purgãte igne liberatæ in die aſſumptionis Deiparæ.

Comitatas quoque multas è purgante igne ereptas animas, putat Cancellarius Pariſiẽſis Ioannes Gerſon ſuper Magnificat, tract. 4. in fine. Quia enim Regina coronabatur, è carcere dimitti animas, reginamque ſuam ſequi par erat. Non eſt, inquit, incredibile, Chriſtum fuiſſe, cuius currus erat decem millibus multiplex per Angelos, ducens ſecũ multam ex purgatorio captiuitatem, ob honorem nouę coronationis reginæ miſericordiæ, &c.

Huiuſmodi erant greſſus pulcherrimi, filię principis, in calceamẽtis. Aerem, ignemque pertranſijt, ipſo aëre ſalubrior, ipſo igne ardentior. Cęleſtes deinde globos ingreſſa, ad Lunam peruenit, quæ altera viſa Luna pulchriore obſtupuit. Ne timeas Luna, nõ expellet te domo Luna pulchrior, nõ illam decet cœlum infimum, alio multo celſiore fulgebit. Ad Mercurij, Veneris, Martiſq; domos, & Solis deinde fulgentiſſimum domicilium aſcendit, ſeque in illo depictam vidit. Aſtrorum orbem adijt, eorumque tum multitudinem, tum magnitudinem conſiderãs, quam clara ſint animi aſtra cogitabat. Zodiacum ſigniferum orbem inſpexit, obliquamq; Solis viam intuens, per obliquum, & non rectum animũ, iter minimè habere verum Solem mẽte voluebat. Cœlos nulla interpoſita quiete, motu velociſſimo agitari, ab vnoque omnes rapi cernebat, at velociori motu mentẽ ſuam ab amore Dei rapi ſentiebat. In infinitam igitur Dei potentiã, ac pulchritudinem ex ipſis creaturis rapta, Dauidicũ illud inflammato eructauit pectore: *Cœli enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius annuntiat firmamentum*, &c.

Pſal. 18.

Quid plura? in cœlum peruenit empyreum beatorum ſedem, igneo ſplendore vndique fulgentẽ. Primam Angelorum percurrit hierarchiam, in qua Angeli ſunt, Archangeli, & principatus. Secundam pertranſijt, quam poteſtates, dominationes, virtutesque conſtituunt. Supremam quoq; prætergreſſa eſt, in qua throni, Cherubini, Seraphinique Deo propinquiores, cæteriſque celſiores aſsiſtũt. Perge Virgo Deipara, perge, tranſi omnium Angelorum hierarchias, trãſi choros omnes: Matrem Dei inter Angelos conſiſtere non eſt æquũ, ſingularis te decet thronus, ſingularis chorus.

Deus bone, tantæ Reginæ aduentu cœlum mutatur, nouẽ hactenus erant Angelorũ chori, ijs vnus cæteris omnibus celſior additur. Supra Angelorum nouẽ choros Virginis collocatus eſt thronus, eaq; ſola vnũ, eumque ſupremum chorum effecit. Cancellarius Pariſiẽſis ſuper Magnificat, tract. 4. Virgo, ait, ſola conſtituit hierarchiam ſecundam ſub Deo trino, & vno hierarcha primo, & ſummo, apud quẽ hierarcham, humanitas filij ſui ſola ſublimata ſedet à dextris virtutis Dei per vnitatẽ ſuppoſiti, &c. O hierarchiam admirandam, ô chorum ſtupendũ, is ſolus inſtar eſt omniũ, quidquid gratiæ, quidquid gloriæ, in cæteris omnibus eſt diſperſum, id vt iam ſupra diximus c. 10, cum de gratia virginis agebamus, in hoc ſolo coniunctim reperitur.

Virgo ſuper omnes Angelorũ choros thronum habet, & hierarchiam ſecundam ſub Deo conſtituit. *Gerſon.*

Poſitus eſt thronus matri regis, quæ ſedit ad dexteram eius. 3. Reg. 2. Poſitus eſt olim thronus matri Salomonis iuxta Salomonem in terra, poſitus eſt thronus Matri Chriſti Dei iuxta Chriſtum Deum in cęlo, *tantoq; glorioſior Angelis effecta eſt*, (vt cum Paulo loquar) *quanto differẽtius præ illis nomen hæreditauit.* Quis enim Angelorum tale nomen habet, quale Virgo? æternus Pater filio dicit: *Filius meus es tu, ego genui te.* Virgo idem dicit veriſsimè, filius meus es tu, ego genui te. O admirabilẽ dignitatem, quemnam thronũ poſtulat tantæ matris dignitas? non alium quàm omnium ſupremũ. Bernard. homil. 1. ſuper miſſus: Nónne tuo, imò veritatis iudicio, illa, quæ Deum habuit filium, ſuper omnes etiam choros exaltabitur Angelorum?

Hebr. 1.

D. Bernard.

Eo modo par erat virginẽ à filio excipi, quo ipſa filium excepit: at mater filium excepit nobiliſsimo totius terrę loco, vtero ſcilicet ſuo; ergo & filius matrẽ excepit, nobiliſsimo totius cœli loco, ſupremo ſcilicet, ſupra omnes Angelorum choros, throno. Bernard. Nec in terris locus dignior vteri Virginalis templo, in quo filium Dei Maria ſuſcepit, nec in cœlis regali ſolio, in quo Mariam filius ſublimauit, &c. *Intulerunt ſacerdotes arcam fœderis Domini in locum ſuum, in oraculum templi, in ſanctum ſanctorum, ſubter alas Cherubim*, at animatam noui Teſtamenti arcam, Summus Pontifex Chriſtus, intulit in locum ſuũ, in intima cęlorum adyta, nõ ſubter alas Cherubim, ſed ſuper alas omnium Seraphinorũ. *Luna ſub pedibus eius*, Lunam ait Bernardus Eccleſiã ſignificare, quæ à Deo veluti Sole, gratiæ gloriæque accipit lucem, vniuerſa ergo triumphans, militansque Eccleſia, Angelis cõſtans, & hominibus, ſub pedibus Virginis eſt. O thronum altiſsimum, in quo Virgo ſupra ſe ſanctiſsimam tantummodo Trinitatem, infra ſe omnes omniũ Angelorũ, hominumq; hierarchias, omnes choros, omnes cœlos, & elementa, cernit.

Bernard. ſerm. 1.

3. Reg. 8.

Apoc. 12.

Thronus Virginis celſiſsimus.

Fecit tibi magna ô Virgo Mater, qui potens eſt; *funes*, vt eſt in Pſalmo, *ceciderunt tibi in præclaris, etenim hæreditas tua præclara eſt tibi, & nobis.* O præclarã hæreditatem, quę omnes ſuperat hęreditates: O præclaros funes, qui in præclaris Dei bonis ceciderũt. Deiparæ funes totum terrarum cœlorumque orbẽ cõplexi ſunt, totius enim eſt Domina. neque verò id fatis, ipſam ſacroſanctam Trinitatem attingunt, & immenſum fere gloriæ campum dimetiuntur. Funibus olim agri diuidebantur, meritis, Chriſtique gratia, cœleſtis gloria diſtribuitur. Cum igitur tam longi ſint Deiparæ funes meritorum, & gratiæ, ineffabilem gloriam cõplectuntur. Vnde illud D. Ildephõſi ſermone ſecũdo de aſſumptione: Sicut eſt *ſus.* incõparabile, quod geſsit, & ineffabile donũ, quod percepit, ita & inæſtimabile atq; incomprehẽſibile præmium

Pſal. 15.

Ineffabilis gloria Deiparæ.

D. Ildephon.

præmium & gloria, non dico inter cæteras sacras virgines, verum etiam vltra omnes sanctos, quam promeruit, &c. D. Bernardus sermone primo de assumptione: Christi generationem, & Mariæ assumptionem quis enarrabit? *Si oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quod præparauit Deus diligentibus se*, quod præparauit gignenti se, diligenti præ omnibus, quis loquatur? &c. Maria atque Martha hoscefunes texuere, hoc est, vita contemplatrix, vt iam diximus, & vita agens, merita congregarunt, per quæ veluti per gradum in celsissimum thronũ Virgo ascendit.

D. Bern.

Salomonis thronum duæ exornabant manus, hinc atque inde, tenentes sedile, admirabilem thronum Virginis, duæ similiter decorãt manus, hoc est, duę vitę contẽplatrix, & agẽs. Duæ manus (ait Cardinalis Petrus Damian. in sermone primo, de Natiuitate Virginis) actiuam & contemplatiuam vitam significant, quę Virginem propensiori diligentia ambierut, adeò vt nec actio contemplationem minuere, & cõtemplatio non deseeret actionem. Recordare, quia non erat ei locus in diuersorio, quomodo filium suũ proprijs lactauerit vberibus, & omnes vagientis paruuli sustinuerit actiones, & tũc intelliges, quia plurimũ ministrauit. considera quia ipsa est, quę in contemplatiuę dignitatis superuecta dulcedinem, in ipsius Dei substantiam lucidiores infixit obtutus: *Læua eius* (inquit) *sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me.* Hęc ille.

3. Reg. 10. *Duplex vita Deiparæ cõtemplatrix, & agens. Card. Pet. Dam.* Cant. 2.

De actionibus Virginis pręclarè agit D. Bernardinus his verbis: Sicut nulla vnquam fuit similis contemplatrix, sic numquam fuit Virgini similis ministratrix. Alij induunt pauperes de lana ouis, ipsa induit filium suum de purissimis sanguinibus suis. Alij induunt de panno, ipsa de corpore suo. Alij pascunt pauperem pane extrinseco, ipsa pauit humanatum Deum de lacte proprio. Alij suscipiunt pauperem hominem in tugurio, ipsa verò suscepit immensum Deum in corde & corpore suo. Alij propter Deum ministrant infirmo, ipsa Deo in pauperculo corpore ministrauit. Alij soliciti sunt, ne aliquid deficiat inopi. Virgo solicita ministratrix fuit, & manibus suis laborauit, vt subueniret Deo homini indigenti. Alij incarceratos & vulneratos homines visitant, & eis compatiuntur dum viuunt, & mortuos sepeliunt. Virgo Christo pro nobis capto, ligno crucis affixo, vulneribus dilaniato tanto dolore compassa est, vt inexpressibile sit, etiam Angelicę linguæ. Hæc ille. Sic funes aureos, quibus gloria Virginis dimensa est, Martha Mariaque interris texuerunt.

D. Bernar. ser. 51. art. 3. c. 3.

In cœlo agens vita non est, sed contemplatrix. D. August.

In cœlo verò Martha, id est, agens vita non est, sola Maria manet. Vnde Augustinus de Verbis Domini serm. 26. Nunquid cum veneris ad illam patriam inuenies peregrinum quem suscipias hospitio? esurientem cui panem frangas? sitientem cui potum porrigas? ægrum quem visites? litigantem quem concordes? mortuum quẽ sepelias? omnia ista ibi non erunt. Sed quid ibi erit? Quod Maria elegit, ibi pascemur, non pascemus, & sermon. 27. *Quod*, inquit, *elegit Maria, non auferetur ab ea*, à te autem, quod elegisti ô Martha, (vtique hoc subintelligitur) a te quod elegisti, auferetur. Sed bono tuo auferetur, vt quod melius est, detur, &c. Ablata ergo est à Virgine Martha, sed non Maria. In Ægyptum iam nõ fugiet, infanti Christo lac iam non præbebit, adolescenti, cibos minimè parabit, virum per Iudææ oppida nõ sequetur, cruci suffixum non deplorabit, è cruce depositum non sepeliet. Quod ad Martham attinet id præterijt, quod ad Mariam spectat, hoc est, sacrosanctæ Trinitatis contemplatio, amor, fruitio, permanet in sempiternum.

Ex iis non floribus, qui marcescunt, sed stellis, quæ nunquam occidunt, Virginis sempiterna corona cõtexitur. *Signum magnum* (ait dilectus discipulus) *apparuit in cœlo, mulier amicta Sole, & in capite eius corona stellarum duodecim.* Coronat beatos Christus lapidibus pretiosis, iuxta illud: *Posuisti in capite eius coronam de lapide pretioso.* At Virginem coronat stellis. Quemadmodum enim multo fulgẽtior stella est quouis pretioso lapide, ita multo excellentior est cæterorum Sanctorum coronis, corona Virginis. Prima huius inexplicabilis coronæ stella clarissima, visio est infinitæ Trinitatis. Secunda, amor ardentissimus ex visione emanans. Tertia, gaudium eximium. Quarta cognitio admirabilis creaturarum in Verbo. Videt enim omnia, quæ Angeli omnes, simulque homines in Verbo, vident. Quinta, corporis splendor summus. Sexta impassibilitas. Septima, agilitas. Octaua, subtilitas. Nona, supra omnes Angelorum choros exaltatio. Decima Dignitas Reginæ cœlorum. Vndecima, dignitas matris Dei. Duodecima, Virginitatis omni auro splendidior aureola. De iis splendidissimis stellis sigillatim agere infinitum esset. *Egredimini vos filiæ Sion, & videte Reginam vestram in diademate, quo coronauit eam filius.* Mentis oculos in cœlum attollite, præclarissimas stellas sacræ coronæ numerate, splendorem eximium sigillatim contẽplamini.

Apoc. 12.

Corona Deiparæ ex stellis. Psal. 21.

Regina nostra, vt est apud Ecclesiast. *iam in Sion cœlesti firmata est in sempiternũ, in ciuitate sanctificata, vbi nihil nisi sanctitas est, iam requiescit, & in Hierusalem illa supera, potestas eius, & quidem maxima. Iam radicauit in populo honorificato, & in plenitudine sanctorum detentio eius.* Quis enim magis honorificatus, quam Angelorum, beatorumque hominum populus, in quo vitæ hæc arbor altissimas misit radices? *Quasi cedrus exaltata est in libano* cęlesti, *quasi cypressus in monte* celsissimo *Sion, quasi palma exaltata est in Cades*, id est, sanctitate. Quid autem dicat attendite: *Transite*, inquit eodem capite, *ad me omnes, qui concupiscitis me, & à generationibus meis implemini*, hoc est, Venite ad me filij, ad matrem vestrã confugite, fructibus quos genui implemini. Qui autẽ sint virginis sanctissimæ fructus, nemo ignorat, fructus illius est Christus, omnesq; virtutes illæ, quæ à Christo emanarunt. *Ego*, inquit eodem capite, *mater pulchræ dilectionis, & timoris, & agnitionis, & sanctæ spei*, &c.

Eccles. 24.

Eccles. 24.

Eccles. 24.

Transeamus ergo à mundo, & vitiis, ad vocantem Deiparam Virginem, illam concupiscamus, dulcissimis illius fructibus, ad quos nos inuitat, impleamur. Præcipuè vero castitatem colamus, qua maximè oblectatur, carnis sordes detestemur, quibus maximè offenditur. Lege Damascenum oratione 2. de Assumptione, inter alia: Deipara, inquit, Virgo est & Virginum amans, pura est & purorum amans. Quocirca si & corporis & animi castitatem colamus, ipsius gratiam adipiscemur, siquidem lutum omne fugit, ac cœnosas affectiones auersatur, &c. Itẽ: Deiparam animi, & corporis castitate oblectemus, quę post Deum casta est supra omnes. Solent enim naturaliter, similia gaudere similibus. Hęc ille.

Virgo amat Virgines, ac puros.

CAPVT XIII.

De *patrocinio Virginis.*

IN capite eius corona stellarum duodecim. O faustam sydera rum coniunctionem. Sunt in cœlo astrorum coniunctiones, & vt ita dicam constellationes, terris infensæ; hæc verò, quæ in capite Virginis fulget, nihil terroris, nihil nocumenti habet, benignissime misericordiam, patrociniumque in terras influit. Nihil

Sydera corona virginis benigne in terras influunt.

D. Bernard. auſterum in Virgine, (ait Bernard. ſerm. de Verbis Apoc.) nihil terribile, tota ſuauis eſt, omnibus miſericordiæ ſinum aperit, vt de plenitudine eius accipiant vniuerſi, captiuus redemptionem, æger curationem, triſtis conſolationem, peccator veniam, iuſtus gratiam, &c. Vides quam benigne in terras hęc influant ſydera, quæ in benigniſsimo Virginis ſigno coruſcant. *Quemadmodum Sol benigniſsimè influit*, vt Matth. 5. Chriſtus docuit, *ſuper bonos & malos*, ita Virgo amicta D. Bernar. Sole. Bernardus eodem ſerm. Virgo veluti alterum ſolem induit ſibi. Quemadmodum enim ille ſuper bonos & malos indifferenter oritur, ſic ipſa quoque præterita non diſcutit merita, ſed omnibus ſe exorabilem, omnibus clementiſſimam præbet, omnium denique neceſſitates ampliſſimo quodam miſeratur affectu. Hęc Bernardus.

Miſericordia virginis maxima. D. Benau. D. Bonauentura in ſpeculo Virginis cap. 8. Magna (inquit) fuit erga miſeros miſericordia Marię adhuc exulantis in mundo, ſed multo maior erga miſeros eſt Miſericordia eius iam regnantis iu cœlo. Maiorē per beneficia innumerabilia nunc oſtendit hominibus miſericordiam, quia magis nunc videt innumerabilem hominum miſeriam. Vnde pro ſplendore prioris miſericordiæ fuit Maria *pulchra vt Luna*, pro ſplendore vero poſterioris miſericordiæ, eſt *electa vt Sol*. Nam quemadmodum Sol lunam ſuperat magnitudine ſplendoris, ſic priorem Mariæ miſericordiam ſuperat magnitudo poſterioris. Quis eſt, ſuper quem Sol non luceat? Quis eſt, ſuper quem miſericordia Mariæ non reſplendeat? Hęc Bonauentura,

Ruth 3. accommodatque Virgini illud: *Priorem miſericordiam poſteriore ſuperaſti*, &c.

Supra antiquam illam arcam, propitiatorium collocatum erat. Eundem in modum ſuper hanc noui Teſtamenti arcam in cœlum tranſlatam, Dei miſericordia eſt collocata, imò commune mundi pro-

Andr. Cret. pitiatorium ab Andrea Cretenſi in Oratione de Aſſumptione nominatur, quòd mundi adùocata à Deo propitiationem impetret. Ex quo, inquit, tranſlata es à terra, te vniuerſus mundus continet commune propitiatorium, &c. Huius propitiatorij longitudi-

Virgo propitiatoriũ mundi. nem, latitudinem, altitudinem, ac profunditatem, D. Bernard. metitur ſerm. 4. de Aſſumptione. Quis, inquit, miſericordiæ tuæ ô Virgo benedicta, longitudinem, latitudinem, ſublimitatem, & profundum, queat inueſtigare? Nam longitudo eius, vſque in diē nouiſsimum, inuocantibus eam ſubuenit vniuerſis, latitudo eius, replet orbem terrarum, vt tua miſericordia plena ſit omnis terra; ſic & ſublimitas eius, ciuitatis ſupernæ inuenit reſtaurationem, & profundum eius, ſedentibus in tenebris, & in vmbra mortis, obtinuit redemptionem. Hæc Bernardus.

3. Reg. 2. Adonias Bethſabeę aduocationem his verbis poſtulat: *Petitionem vnam precor à te, ne confundas faciem meã, precor vt dicas Salomoni Regi (neque enim negare tibi quidquã poteſt (vt det mihi Abiſag vxorem*, &c. Benignè reſpondit Salomonis mater: *Ego loquar pro te regi*. Similem in modum nos Deiparæ aduocationem poſtulamus, neque enim illi filius negat quidquam, vt Cardinalis Petrus Dam. docet, in ſerm. 1. de Natiuitate Virgi-

Virgo pro nobis orat, & impetrat. nis: *Audi*, inquit, *nos ô Virgo, nam filius tuus, nihil negans, honorat te*, &c. Illa verò benigne factis reſpondet: *Ego loquar pro vobis Regi*. Aliter tamen ac Salomon Chriſtus matri annuit. Eodem cap. dixit Salomoni mater: *Petitionem vnam paruulam ego deprecor à te, ne confundas faciem meam, & dixit Rex: Pete mater, neque enim fas eſt, vt auertam faciem tuam*. Nihilominus petitionem illam paruulam reiecit, Adoniamque quòd regnum affectare videretur occidi iuſſit. Chriſtus verò omnibus matris ſuæ petitionibus annuit, non paruulis illis quidem, ſed tamen cum filij voluntate conſentientibus, nihil enim Virgo poſtulat, quod à filij voluntate diſſentiat. *Quid vis Eſther Regina, ait Aſſuerus Rex, quæ eſt petitio tua? etiam ſi dimidiam partem regni petieris, dabitur tibi*. Vmbra hæc eſt illius liberaliſſimæ volũtatis, qua ſummus Rex Virrginis preces audit. Eſther 5.

De ſua Eſther Mardoc hæus: *Quis*, inquit, *nouit, vtrũ idcirco ad regnum veneris, vt in tali tempore parareris?* id eſt, vt tali tempore populo tuo afferres opem, eumque ex mortis faucibus eriperes? De noſtra verò Eſther ait Eccleſia in Oratione Vigiliæ Aſſumptionis: *Id circo Virginem de præſenti ſeculo tranſtuliſti Domine, vt pro peccatis noſtris apud te fiducialiter intercedat*, quaſi dicat: Nouimus noſtram Eſther ad cœleſte Regnum veniſſe, vt ſuo populo omni tempore aduocata pararetur. Bernard. ſer. 1. de aſſumptione: Aduocatam præmiſit peregrinatio noſtra, quæ tanquam iudicis mater, & mater miſericordię, ſuppliciter, & efficaciter ſalutis noſtrę negotia pertractabit, &c. Bernardo familiaris Arnoldus Carnotenſis in tractatu de laudibus Virg. tom. 6. Bibliothecæ Patrum. Habet, inquit, homo mediatorem cauſæ ſuę filium ante patrem, & ante filium matrem, Chriſtus patri oſtendit latus & vulnera, Maria Chriſto pectus & vbera. Nec poteſt vllo modo eſſe repulſa, vbi concurrunt, & orant omni lingua diſertius hęc clementię monumenta & charitatis inſignia: Hæc ille. Eſther 4. Virgo aduocata noſtra in cœlo. D. Bernar. Arnoldus Carn.

Habemus igitur potentiſsimam aduocatam, quę cęli Regina eſt, & vt Bernar. ait, ipſius iudicis mater, de cuius potentia Cardinalis Petrus Dam. in ſerm. 1. de Nat. Virg. *In cœlo*, ait, *& in terra ô Virgo data eſt tibi poteſtas*. Quomodo illa poteſtas tuę potentię poterit obuiare, quæ de carne tua, carnis ſuſcepit originem, quanto potentior, tanto miſericordior eſſe debebis, &c. Bernard. in ſerm. de Nat. Virgin. Quæramus, inquit, gratiam, & per Mariam quæramus, quia quod quærit, inuenit, & fruſtrari non poteſt, exaudiat vtique matrem filius, exaudietur ipſa pro reuerentia ſua, &c. Card. Pet. Dam Virgo aduocata potent. D. Bernar.

Habemus item aduocatam, eadem qua nos natura, id eſt, humana conſtantem, ad quam accedere nullus impediat metus. Vnde Hugo Victorinus in ſententijs: *Si pertimeſcis*, inquit, *ſupplicaturus ad Deum accedere, reſpice ad Mariam, non illic inuenis quod timeas. Genus tuum vides*, &c. Bernardus item, in ſerm. de Verbis Apocal. Fidelis plane, & potens mediator Dei, & hominum Chriſtus, ſed diuinam in eo reuerentur homines maieſtatem. Non ſola illi cantatur miſericordia, cantatur pariter & iudicium. Iudiciariam habet poteſtatē, Deus noſter ignis conſumens eſt. Quid ni vereatur peccator accedere, ne quemadmodum fluit cera à facie ignis, ſic pereat ipſe à facie Dei? Opus eſt mediatore, ad mediatorem iſtum nec alter nobis vtilior, quàm Maria. Quid ad Mariam accedere trepidet humana fragilitas? nihil auſterum in ea, nihil terribile, tota ſuauis eſt. Hęc Bernard. & in ſermone de Natiuita. Virginis: Forſitan in Chriſto maieſtatem vereare diuinam, aduocatum habere vis ad ipſum? ad Mariam recurre, &c. Hugo Victo. Virgo aduocata eiuſdem naturæ. D. Bernar.

Faciamus homini (ait Deus) *adiutorium ſimile ſibi, fecitq; Euam*, illa verò non iuuit hominem, ſed euertit. Aliud igitur homini adiutorium ſimile illi, fecit Dominus, id eſt, Virginem Deiparam, naturę eiuſdem, quę vniuerſi generis ſui ſingulare adiutoriū in terris fuit, & in cœlo eſt. Nec enim pincernarum Pharaonis prępoſito ſimilis, ex carcere mundi huius in cœleſtem aulam euecta, ſui Ioſephi obliuiſcitur. Nunquid, ait Cardinalis Petrus Dam. ſermone indicato, quia ita deificata, ideò noſtrę humanitatis oblita es? nequaquam Domina. Non conuenit tantę miſericordię, tantam miſeriam obliuiſci. Quia etſi ſubtrahit gloria, reuocat natura. Non enim ita memoraris iuſtitię Dei ſolius, vt miſericordiam non habeas. Geneſ. 2. Geneſ. 40. Card. Pet. Dam. Non obliuiſcitur noſtri Deipara.

habeas. Neque ita es impassibilis, vt sis incompassibilis. Naturam nostram habes, non aliam, & iustũ est, vt de rore tantæ pietatis diffusius infundamur. Hæc ille. Non obliuiscitur nostri Virgo, sed quemadmodum *abyssus abyssum inuocat*, ita Virginis misericordiæ abyssus abyssum misericordiæ Dei in cælo vocat. Diuus Bonauentura in speculo Virg. cap. 5. Profundissimam misericordiam filij sui, pro nobis Virgo interpellat, & quasi abyssus abyssum inuocat. *Vna matris lachryma* (dixit olim Magnus Alexander) *multas delebit epistolas*. Lachrymari videlicet Alexandri mater poterat. At Christi mater lachrymas non potest fundere, non lachrymis, sed precibus, aduersus nos peccatorum scripta mille chirographa, delebit.

Psal. 41. *D. Bonau.*

Omni quidem tempore opem, vt ferat, oranda est excellentissima aduocata, maximè verò, vt animam exhalantibus succurrat. Nocti enim mors similis est. At noctes sunt caliginosæ quædam, tonitruis ac tempestate horridæ, stellarum aliæ, lunæq; splendore illuminantur, placidæ, & serenæ. Obscurissima nox est impij hominis mors, quippe, quæ obscurissima scelerum caligine inuoluitur, & horrẽda Dei damnantis sententia, veluti tonitruo, sæuaque suppliciorum tempestate, personat. Iusti verò mors noctis instar est placidæ, ac serenæ, quam mille bonorum opera astra illustrant, Virginisque sanctissimæ aduocatio, veluti lunæ splendor maximè illuminat. Non potest nox esse obscura, quam luna hæc illuminarit, ideoque Ecclesia de hac hora solicita sic semper orat: Ora pro nobis peccatoribus, nunc & in hora mortis nostrę. In cœlo astrologi inter Leonem Libramque, Virginis signum interponunt. Nos verò inter Leonem de tribu Iuda, id est, Christũ in hora mortis iudicem, & libram illam iudicij terribilem, qua omnes cogitationes nostrę, opera, verbaq; examinantur, non Virginis signum, sed Virginem ipsam iudicis matrem, multis precibus aduocatã interponamus. Vnde Sãctus Ephręm in Oratione ad virginem: Adsis, inquit, mihi semper virgo misericors, in præsenti quidem vita feruens auxiliatrix, ac in supremo vitæ momento animam meam conseruans, & tenebrosus malorum Dæmonum aspectus, ab ea procul abigens. In terribili autẽ die iudicij ab æterna dãnatione me liberans, &c.

Hora mortis, Virgo maximè inuocanda.

S. Ephram.

Virginẽ ergo vt Dei matrem cuncti veneremur, & vt potẽtissimæ aduocatæ, auxiliũ illius frequenter imploremus, nomen autem sanctissimum corde, oreque voluamus. *Nam velocior est nonnunquam* (ait D. Anselm. in lib. de excellentia Virg. cap. 6.) *salus memorato nomine Virginis, quàm inuocato nomine Domini Iesu*. Et id quidẽ nõ ideo fit, quòd ipsa maior, & potẽtior eo sit, neque enim ipse magnus, & potens est per eam, sed illa per ipsum, &c. Quare ergo (rogat idem Anselmus) propitior salus in recordatione eius, quam filij sui sæpe percipitur? Respondet hũc in modum: Filius eius Dominus est, & iudex omniũ, discernens merita singulorum, dum igitur ipse à quouis suo nomine inuocatus non statim exaudit, profectò id iuste facit, inuocato autem nomine matris, etsi merita inuocantis non merentur, vt exaudiatur, merita tamen matris intercedunt, vt exaudiatur. Hoc deniq; vsus humanus quotidie probat, cùm quis proposito dominico nomine efficaciter ab alio aliquid impetrat, quod simpliciter sua prece nequaquam impetrare potest. Hactenus D. Anselmus. In fine operum, Virginis Deiparę opem, idem vir sanctissimus vehementer implorat, nosque implorando implorare, & à filio ad matrem fugere, à matre ad filium refugere docet; his verbis; Fugiat (inquit) reus iusti Dei, ad piam matrem misericordis Dei; refugiatque reus offensæ matris, ad pium filium benignæ matris. Ingerat se reus vtriusque inter vtrumque, iniiciat se inter pium filium, & matrem. *Pie Domine parce seruo matris tuæ; Pia Domina parce seruo filij tui*. Qui me iniicio inter duas tam immensas pietates; non incidam inter duas tam potentes seueritates. Hæc ille.

D. Anselm. Velocior salus nonnunquam inuocato nomine Virginis quã Christi.

Neque vero oranda Virgo solùm, sed si quid boni agimus, id per manus aduocatæ nostræ purissimas, Deo est offerendum; vt docet D. Bern. ser. de natiuitate Virginis; *Quidquid* (inquit) *illud est, quod offerre paras, Mariæ commendare memento; vt eodem alueo ad largitorem gratiæ gratia redeat, quo influxit*. Forte manus tuæ aut sanguine plenæ aut infectæ sunt muneribus, quod non eas ab omni munere excussisti; ideoque modicum istud quod offerre desideras, gratissimis illis, & omni acceptione dignissimis Marię manibus, offerendum tradere cura; si non vis sustinere repulsam, &c.

Si quid boni agimus per virginem Christo offerendum D. Bernar.

Quid plura? Marię nomen, pulcherrima aque imago nostris animis hæreat perpetuo. mentem (quod docet Damasc. in fine orat. 2. de assumptione) memoriamque nostram genitricis Dei promptuarium efficiamus. *ô felicem memoriam, ex qua Virginis imago nunquam discedit*. Sic de regis Iosiæ memoria Ecclesiasticus hæc scribit; *Memoria Iosiæ in compositionem odoris facta, opus pigmentarij; in omni ore quasi mel indulcabitur eius memoria, & vt musica in cõuiuio vini*, &c. quid nos de Deiparæ Reginæ memoria dicere æquum erit? Siquidẽ alia non suppetunt, eadem illi verba accommodemus. Memoria Deiparæ Mariæ in compositionem odoris facta, opus pigmentarij, hoc est; Virginis memoria omnium virtutum odorem suauissimum exhalat, vtque pestilenti tempore odorifera quædam poma manibus præferuntur; sic aduersus vitia omnia, maximè odorifera Virginis memoria præferẽda est. *In omni ore quasi mel indulcabitur eius memoria*; suaue enim est de Virgine cogitare, dulce de Virgine loqui, dulce de virgine Dei matre audire, quamobrẽ sequitur; *Et vt musica in conuiuio vini*; vt musica sic de Virgine habitus delectat sermo. Felices Angeli (ait Cardinalis Petrus Dam. serm. 1. de natiuitate Virg.) qui beatę Virginis habent præsentiam. Nos interim memoriam abundantiæ suauitatis eius eructamus; illi præsentiam, nos memoriam. Si sic dulcis est memoria, quid est præsentia? illum genitum & genitricem contuentur, nos memoria pascimur, interim consolemur nos suauitate memoriæ, donec dulcedine præsentiæ satiemur. Sic ille.

Memoria Deiparæ. *Eccli. 49.* *Card. Pet. Dam.*

CAPVT XIV.

De numero annorum, quos in terris Deipara Virgo egit.

QVot annis vixerit in terris Virgo, non est exploratum. Episcopus Petrus de Natalibus in catalogo SS. vnum tantummodo annum post Christi ascensionem in terris vixisse, putat verisimilius, vnde sequitur quinquagesimo ætatis anno in cælum fuisse assumptam. Siquidem 15. anno admirabilem partum edidit, 33. annorum & aliquot mensium spacio cum filio vixit, postquam in cęlum filius abiit, vnum in terris annũ & aliquot dies egit; hos annos si ad calculum voces, summa erit annorum quinquaginta, vel quadraginta nouem. In visione (inquit Petrus) S. Elisabethę asseritur, quòd Virgo Maria post ascensionem Domini anno integro vixit, & tot diebus vltra annum, quot sunt ab ascensione Christi, vsque ad assumptionem Virginis. Et hoc verius iudicatur, ex eo quod dicit Dionysius

Petrus de Natal.

nyſius omnes Apoſtolos dormitioni Virginis interfuiſſe; quod eſſe non potuiſſet, ſi ipſa vlterius vixiſſet, cùm Iacobus Apoſtolus paſſus fuerit biennio poſt Chriſti paſſionem. Hæc ille. Opinio hæc minimè recepta eſt, ratio qua confirmatur nullius eſt momenti. Non enim Dionyſius affirmat, omnes Apoſtolos interfuiſſe funeri Virginis, vt infra oſtendemus, cum verba Dionyſij explicabimus; quòd ſi affirmaſſet, intelligendum eſſet omnes interfuiſſe, qui ſuperſtites erant.

Nicephorus. Nicephorus lib. 2. c. 3. poſt Chriſti aſcenſionem, vndecim annos Virginis ætati tribuit, & c. 21. vndeſexageſimum annum attigiſſe ſcribit. *Euodius.* Euodius item Apoſtolorum ſucceſſor apud eundem Nicephorũ lib. eodem, c. 3. citato, à natiuitate Chriſti vſque ad Deiparæ migrationem, annos fuiſſe dicit 44. totius autem vitæ eius annos quinquaginta nouem.

D. Anton. D. Antoninus 1. par. hiſtoriæ, tit. 6. c. 3. §. 1. ſexagenariam obijſſe ait; communior (inquit) opinio eſt, quod 12. annis ſuperuixit Virgo poſt aſcenſionem; & ſic ſexagenariam obijſſe, à dolore mortis alienã, ſicut & à corruptione corporis; & tertia die in corpore ſuſcitatam, &c.

Euſebius. In Chronico Euſebij hæc habentur verba: Anno Domini 48. (ſi tamen Euſebij ſunt) Maria Virgo ad filium in cælum aſſumitur; vt quidam fuiſſe ſibi reuelatum ſcribunt, ex quibus efficitur anno 14. poſt Chriſti mortem, atque adeò prope annum ætatis 63. Virginem in cœlum aſcendiſſe. Etenim 15 ætatis anno Chriſtum peperit; cum Chriſto 33. annos, & aliquot menſibus, poſt Chriſti mortem annis 14. vixit, vnde ſumma extat fere 63. annorum.

Carthuſian. D. Brigitta. Annos 63. vulgata opinio illi tribuit, vt ex gloſbulis precatorijs conſtat. Eadem eſt Carthuſiani lib. 4. de laudibus Virginis art. 6. præterea D. Brigittæ lib. 7. c. 26. Ego (ait Virgo) poſtquam filius meus aſcendit ad cælos, vixi in mundo per quindecim annos, &c.

Caniſius. Alij plures annos confeciſſe volunt, de qua opinione ſic ſcribit Caniſius noſter lib. 5. de Virgine c. 1. Etſi (inquit) cõmuni iam hominum opinioni, quę 63. annos duntaxat virgini tribuit, nihil velimus eſſe detractum; tamen probabilior nobis illorum apparet ſententia, qui longioris vitę ſpacium virgini poſt aſſumptum in cælos filium aſſignant. Vt nimirum ad ætatem prouectam, multamque ſenectutem peruenerit; atque ſic annum ſeptuageſimum vel attigerit, vel exceſſerit. Hanc enim ſententiam tuetur *Epiphanius. Michael Glycas. Andr. Cret. Anſelmus.* Epiphanius presbyter Cõſtantinopolitanus, & Michael Glycas, eamque Andreę Cretenſis viri excellentis autoritate confirmant, vt taceam Anſelmũ, qui 82. annos Marię largitur; & Cedrenum in compendio hiſtoriarum, qui annos virgini ſeptuaginta duos ſupputat; eamque poſt Chriſti in cœlos aſcenſum 24. annos in humanis degiſſe ſcribit. Hęc ille. In fine operum Anſelmi de ætate virginis ſic agitur; Cum aſſumpta erat in cælum, fuit 82 annorum; qui ſic computati ſunt; In quintodecimo anno peperit Chriſtum, & cum eo 33. annis vixit; poſt aſcenſionẽ Domini, fuit in domo Ioannis Euangeliſtę 24. annis; qui ſimul computati ſunt 82, &c. Sed mendoſa ſupputatio, eſt non enim 82. ſed 72. anni ſunt colligẽdi, quibus virgo ex ſententia huius auctoris vixerit, vt ſupputanti compertum fiet, totidem annos, id eſt, 72. illi tribuunt Epiphanius & Cedrenus.

Res incerta eſt. Mihi inter has opiniones, illa magis placeret, quę iam percrebuit & recepta eſt, virginem 63. annos tantum modo confeciſſe. At cum ea pugnat Dionyſ. Areopagita c. 3. de diuinis nominibus in quo ſe aſſerit Deiparę funeri, cum Petro, & aliis fratribus interfuiſſe, ſi enim vulgata hęc 63. annorum ſententia vera eſt, virgo quindecim tantum annorum ſpatio poſt Chriſti in cœlos aſcenſionem in terris vixit; Dionyſius verò, vt ait Cęſar Baronius in præclaris annalibus anno Domini quinquageſimo ſecundo, Chriſto nomen dedit, à paſſione autem Chriſti, anno decimo nono. Non potuit igitur iam Chriſtianus Deiparę funeri intereſſe anno a paſſione Domini, decimo quinto.

Sed operæ pretium erit verba Dionyſij explicare, ea autem ſunt huiuſmodi; Cũ conuenimus apud hierarchas noſtros numine afflatos, vt noſti, nos ſimul & ipſe, multique ſacri fratres noſtri, ad viſionem corporis vitæ principis (vel quod vitæ principium dedit) & quod Deum ſuſcepit, aderat autem & frater Domini Iacobus, & Petrus ſummus ac præſtantiſſimus theologorum vertex. Poſtea viſum eſt poſt viſionem, vt vniuerſi hierarchæ laudarent infinitæ virtutis bonitatem thearchicæ infirmitatis: Hæc ſunt Dionyſij verba, quę diuerſis modis explanari poſſunt. *Explicantur verba Dionyſij Areopagitæ.*

Damaſc. Iuuenalis. Metaphr. Prima explanatio vulgatior eſt, pluresque & graues habet patronos, Damaſc. Iuuenalem Archiepiſcopum Ieroſolymitanum, Metaphr. & alios. Videlicet conueniſſe Dionyſium, reliquoſque fratres, ad contuendum corpus Virginis Deiparæ, quod vitæ principium dederat, quodque Deum ſuſceperat. Veruntamen opponi poteſt in primis, quod non meminerit Dionyſius Pauli ſui, Ioannis, & aliorũ, qui funeri virginis interfuerunt, Apoſtolorum, ſed Iacobi tantum minoris, & Petri; vnde colligitur nõ interfuiſſe illi conuentui cæteros Apoſtolos, at interfuere cum virgo obiit. Præterea ſi de virgine loqueretur Dionyſius, dixiſſet; Cum conuenimus ad videndam virginem, vel Deiparam, vel ſimile aliquid, ad virginem enim adhuc viuentem venerant; at ille ait conueniſſe fratres ad videndum corpus. Denique poſtquam corpus viderunt, ait, laudaſſe hierarchas infirmitatem Dei, id eſt, incarnationem, quòd ſi ad funus Virginis veniſſent, laudaſſent vtique Virginem, quæ ſummis laudibus digna erat. Reſpondetur, Iacobi minoris & Petri tantum nominatim meminiſſe Dionyſiũ, cum Paulus, cæterique etiam Apoſtoli adeſſent, quod Petrus totius Eccleſiæ caput, Iacobus verò Ieroſolymorum eſſet antiſtes, qua in vrbe Virgo è vita exceſsit. Cur autem Virginem non nominarit, eam cauſam eſſe, quod ad Timotheum ſcribebat, cui res comperta erat. Ad corpus verò contuendum conueniſſe fratres, eſt ſcriptum; qui poſt obitum virginis ad contuendum illius pulcherrimum, ſanctiſſimumque corpus, ante funus confluxerant; quod paulò ante & viuum viderant, & etiam mortuum. Poſtquam viderunt, Dei incarnationem laudarunt, quæ cum maxima virginis laude coniuncta eſt. Ex hac explanatione ſequitur Dionyſium ante virginis aſſumptionem, Chriſtianam fidem fuiſſe complexum, atque adeò virginẽ ad ſuptuageſimum annum perueniſſe. Eſt hæc explanatio vt dixi, tum aliorum tum Damaſceni, quã Eccleſia in feſto aſſumptionis recipit, ac recitat vt veriſimilem, 19. die Auguſti, ideoque potior inter cæteras. *Virgo ad ſeptuageſimum annum pernenit.*

Hilduinus. Secunda explanatio eſt Hilduini in Areopag. qui de ſepulchro Domini verba Dionyſij interpretatur; cõuenerũt enim Petrus, Iacobus, & multi ex Chriſtianis, ad videndũ corpus ζωαρχικὸν vt græcè dicitur, id eſt, ſepulchrum Chriſti, quod vitę immortalis principium fuit, primus enim ex eo Chriſtus ad vitam redijt immortalem. Et θεοδόχον, id eſt, quod Deũ ſuſcepit, in eo enim Chriſtus Deus ſepultus eſt. Sed obiicit Card. Baronius in annalibus, & rogat, quænam ſubijt ratio, vt non tantum Hierothæus ac Dionyſius, ſed & Apoſtoli antea per orbem diſperſi ad contuendum ſepulchrum dominicum conuenerint,

rint, atque ad illud laudandum omnem vim ſpiritus adhibuerint? numquid non alias ſæpe viderant atq; vberius laudare poterãt? Reſpondetur obiectæ Cardinalis ſapientiſſimi interrogationi, iuxta hanc opinionem non omnes Apoſtolos, toto diſperſos iam orbe, ad videndum ſepulchrum Ieroſolymam conueniſſe, ſi enim cęteri quoque adfuiſſent, quemadmodum Petrum, & Iacobum, ſic illos quoque Dionyſius ex nomine recenſuiſſet. Tantummodo ergo Petrus & Iacobus cum alijs Hierarchis, & ſacris fratribus, ad ſepulchrum Domini venere. Cauſa autem cur ad illud laudandum, quod ſæpe iam viderãt, omnem vim ſpiritus adhibuerint, perſpicua eſt, nempe mentis ardor, & ſpiritus ad res diuinas concitatio. Hæc enim facit, vt etſi diuinũ aliquid ſæpius videamus, ſæpiuſque tractemus, ſemper tamen ad illud nouam quandam ſpiritus vim, & alacritatem, afferamus. Nihil igitur eſt, quod poſſit veriſimilem hanc explanationem labefactare, ex qua efficitur poſſe eſſe veram opinionem receptam, 63. tantummodo annos in orbe terrarum Virginem egiſſe.

Ioan. Scotus. Ioannes Scotus ille, qui Dionyſium latinitate donauit, in præfatione ad Carolum, quæ ante opera Dionyſij extat, locum Dionyſij de Chriſti corpore intellexit; ſic enim ſcribit; Dionyſius cum Hierotheo, multiſque aliis Sanctis in vnum conuenientibus, Chriſtum poſt reſurrectionem corporaliter eſt contemplatus. Aderant ibi (vt ipſe ait) Iacobus frater Domini, & Petrus vertex Apoſtolorum, &c. *D. Thom.* Similem in modum Diuus Thomas in commentarijs Dionyſij; Poteſt, inquit, locus intelligi de corporali *1. Cor. 15.* viſione Chriſti, de qua facit mentionem Apoſtolus. Corpus enim Chriſti eſt corpus Dei, qui eſt vitæ princeps, & illud corpus per vnionem Deum ſuſcepit, vnde & templum dictum eſt Ioannis ſecundo, hoc autem dicebat de templo corporis ſui, &c. Hanc interpretationem refellit apertè tempus, quò Dionyſius longè poſt reſurrectionem Chriſti, vt ſupra dictum eſt, fidei lumine eſt colluſtratus, niſi fortè Ioannes Scotus velit Chriſtum Petro, Iacobo, Dionyſio, & cæteris apparuiſſe, poſtquam Dionyſius fide imbutus eſt.

Non omittam tertiam explanationem, quæ etſi ſine patronis in lucem prodeat, recte verba Dionyſij expendenti, non omnino diſplicebit. Forſitã pater ſanctiſſimus de corpore Chriſti loquitur, quod in auguſtiſsimo Euchariſtiæ ſacramento latet. Etenim hierarchas illos Deo plenos, & Petrũ, ac Iacobum, cęteroſque ſacros fratres celeberrimos aliquo die, feſtoque, ad ſacrum faciendum, Chriſtique corpus in Euchariſtia latens videndum Hieroſolymis, vel aliquo in loco, quem ignoramus, cõueniſſe, poſt Euchariſtiæ verò contuitum, diuinam incarnationem, tamque admirandum ſacramentum debitis laudibus extuliſſe veriſimile videtur. Eſt igitur (ni fallor) verborum Dionyſij hic ſenſus: Conuenimus apud hierarchas, id eſt, ſacrorum pręſides, Dei numine afflatos, nos & ipſe Hierotheus, multique ſacri fratres, ad viſionem corporis ζωαρχικοῦ καὶ θεοδόχου, id eſt, ad viſionem corporis Chriſti in Euchariſtia abſconditi, ſic enim ſolemus loqui, agitur feſtum corporis Chriſti, & Chriſtus ipſe, hoc, inquit, eſt corpus meum. Aderat autem Iacobus & Petrus. Poſtquam verò corpus Chriſti vidimus, placuit Dei laudare potentiſſimam infirmitatem, id eſt, incarnationem, &c. Iugulat hæreticos locus hic antiquiſſimi patris ſic explicatus, aſſerit enim in Euchariſtia vere corpus eſſe Chriſti, ζωαρχικὸν, id eſt, quod vitę principiũ dedit, vel vitę principatum habens, quam in ipſa Euchariſtia donat, iuxta illud Ioannis ſexto; Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinẽ, habet vitam æternam, &c. θεόδοχον, id eſt, quod Deũ ſuſcepit, diuinæque hypoſtaſi eſt vnitum. Hæc etiam explanatio opinionem illam ſexaginta trium annorum tuetur.

CAPVT XV.

Num mater Deiparæ Virginis Anna hanc vnicam filiam, vnicumque virum, an plures filias pluresque viros habuerit?

NOn præteribo tacitus celebrem hanc quæſtionem, de cauſa ſententię ſunt diſcrepantes, etenim Euthymius Ioannis decimo nono, ad illa verba, *ſtabat autem iuxta crucem*, vnigenitam fuiſſe Virginem putat; Vnigenita, inquit, erat Dei mater, ſororem vero Domini ait appellari eodem loco affinẽ. Similiter Theophylactus eodem capite, non concedit Mariam Cleophæ Virginis fuiſſe ſororem, ſed ſororem appellari vult, id eſt, cognatã. Epiphanius præterea hæreſi. 78. ſcribit, Salomem non fuiſſe ſororem Virginis, ſed filiam Ioſeph. *Euthym.* *Theophyl.* *D. Epiphan.*

Ex recentioribus vero Caniſius libro primo de Virgine capite quarto exiſtimat D. Annam vnicum tantum habuiſſe virum Ioachimum, & vnicam tãtum habuiſſe filiam Virginem Deiparam. In eandẽ ſententiam it Soares in commentarijs tertiæ partis D. Tho. tom. 2. quæſt. vigeſima octaua. Lippomanus item in hiſtoria ſanctorum, ante vitam ſanctiſsimæ Virginis, in Epiſtola ad lectorem; Mihi, inquit, placere non poteſt, tantam matronam, id eſt, D. Annã, poſt ſterilitatis diuina gratia ſolutum impedimentum, & poſt digniſsimæ illius plantulę, nempe reginæ Angelorum, & dominæ noſtrę ortum, mortuo Ioachim vnum, atque alterum, vt vulgo dicunt, ſibi maritos ſuperinduxiſſe. Hęc ille. & Iaſenius in cõcordia capite 143. Parum, inquit, conuenit dignitati ſanctiſsimę matronę Annæ, plures ei adſcribere maritos, ab illa ſucceſsiue acceptos, etiam poſt prolem ex priori marito ſuſceptã, &c. Cardinal. Cæſar Baronius in Apparatu ad Annales; Vniuiram, ait, fuiſſe Annam, nec poſt obduratã ſterilitatem, ex voto conceptam, repromiſsione obtentam, ſuſceptãque in ſenectute filiam, alios nouiſſe partus, tam veteres quam recentiores orthodoxi patres ſunt profeſsi. &c. *Prima opinio D. Annam vnicum habuiſſe virum & vnicam filiam.* *Caniſius.* *Soares.* *Lippoman.* *Ianſenius.* *Card. Baronius.*

Confirmatur hęc ſententia; Primò, quia Deiparę Virginis dignitas poſtulabat, vt eſſet ipſe vnigenita, miroque modo poſt ſterilitatem in lucem edita, vt Ioannes Baptiſta, & Iſaac. Secundò quia veritati cõſentaneum minime videtur, ſanctiſsimam fœminam, quæ poſt longam ſterilitatem, diuino munere, Virginem pepererat, tali filia, talique viro Ioachimo non fuiſſe contentam, ſed poſt illius obitum, duobus alijs nupſiſſe, ſapit enim hoc incõtinentiã. Tertiò quia non ſolent parentes plures filias eodem nomine appellare, at ij, qui contrariæ ſunt opinionis, aiunt D. Annam tres habuiſſe filias, quæ omnes Mariæ nomine ſunt nuncupatæ. Quartò, quia D. Anna prouectę erat ætatis, cum Deiparam Virginẽ peperit, ergo non nupſit poſtea bis. Quòd autem prouectæ iam eſſet ætatis, confirmatur, quia viginti annorum ſpatio in matrimonio ſterilis fuit, vt eſt in Romano breuiario, ſi ergo nupſit Ioachimo circiter vigeſimum ætatis annum, quadraginta fere annos agebat, cùm Virginem enixa eſt, numquid ſtatim Ioachimus obijt? nũquid poſt eius obitum ſtatim ſecũdo viro Anna nupſit? Nũquid ille ſecundus vir tam breuis vitę fuit, vt ætatis adhuc eſſet integrę vxor, ad tertias nuptias, tertiamque filiã ſuſcipiẽdã?

Quintò

Quintò, Christus Optimus Maximus, amantissimus fuit in matre virginitatis, ergo & in auia continentię, non igitur passus est D. Annam cum tribus viris matrimonium inire. Sextò, Credendum non est, Virginis matrem D. Annam, aut Anna Phanuelis filia fuisse inferiorem, quę vt est apud Lucam vixit cum viro suo annis 7, & ad annos vsque octoginta quatuor vidua fuit, aut Iudith, quę post obitū viri sui Manassę, secundas nuptias refugit; Ergo dicendum, vniuiram fuisse matrem magnę matris.

D Antonin. Magist. hist. Secunda opinio, D. Anna tres viros, & tres habuit filias. Pet de Natalibus. Ludolphus. Eckius. Gerson. Pet Sutor. Maior.

Vulgata opinio alia est, D. Annam 3. viros, totidemque habuisse filias, ex singulis singulas, sic opinantur D. Anton. 1. parte histor. Magister historię in historia Euangelica cap. 47. Episcopus Petrus à natalibus in catalogo; Ludolphus de vita Christi cap. 5. Eckius in sermone de D. Anna, Gerson in sermone de natiuitate Virginis, & in Iosephina. Petrus Sutor Carthusianus in libello de triplici connubio D. Annæ, Maior Matth. 10. Et alij. Gerson Cancellarius Parisiensis in sermone indicato de natiuitate Virginis hos versus habet, etsi rudes & impolitos, quibus vniuersa sententia continetur.

Anna tribus nupsit, Ioachim, Cleophæ, Salomæ,
Ex quibus ipsa viris, peperit tres Anna Marias;
Quas duxere Ioseph, Alphæus, Zebedæus,
Prima Iesum; Iacobum, Ioseph, cum Simone, Iudam,
Alteram dat; Iacobum dat tertia, dátque Ioannem.

Extant hæc quoque eadem de re carmina, farinæ eiusdem, sed quæ memoriæ opem ferant.

Anna solet dici, tres concepisse Marias;
Quas genuere viri, Ioachim, Cleophas, Salomasque,
Has duxere viri, Ioseph, Alphæus, Zebedæus.
Prima parit Christum; Iacobúmque secunda minorem,
Atque Ioseph iustum, parit & cum Simone, Iudam.
Tertia maiorem Iacobum, volucrémque Ioannem.

Mantuan. Sunt etiam alia Mantuani in fastis:

Anna puerperio fortunatissima sancto.
Tres habuisse viros, & tres habuisse puellas,
Dicitur, &c.

Est igitur Vniuersa opinio, D. Annam primum quidem nupsisse Ioachimo, deinde post Ioachimi obitum Cleophæ, tandē Salomæ. Ex Ioachimo Deiparam Virginem suscepisse, ex Cleopha Mariam, quæ ab Euangelistis Maria Cleophę propter patrē dicitur, ex Salome, Mariam Salomen, quæ Salome in Euangelicis libris appellatur. Virgo Deipara Iosepho est tradita; Maria Cleophæ Alpheo, Maria Salome Zebedæo nupsit. Trium sororum hæc felix proles Virginis filius Christus Optim. Max. Mariæ Cleophæ Iacobus minor, Ioseph iustus, Simon, & Iudas; Mariæ Salomes Iacobus maior, & Ioannes Euangelista. Ex hac sententia efficitur, Ioannem Euangelistam, & Iacobum maiorem, Iacobum item minorem, Ioseph iustum, Simeonem, & Iudam Thaddæum, fuisse Christi consobrinos, quia sororum fuere filij.

Glossa Ordinaria. Confirmatur opinio, primum ex glossa ordinaria, in qua ad Galat. 1. hæc extant verba; *Mortuo Ioachimo, Cleophas frater Ioseph, Annam accepit vxorem, & genuit Mariam; quæ nupsit Alphæo; qui genuit ex ea filios Iacobum, Ioseph, Simonem, Iudam; Mortuo Cleopha, quidam Salome eandem Annam duxit, & genuit Mariam, quæ nupsit Zebedæo; & habuit ex ea filios Iacobum maiorem, & Ioannem Euangelistam.* Hactenus glossa ordinaria. Ad prologum Hieronymi, qui Epistolæ Iacobi præponitur, est alia glossa huiusmodi; Tres fuerunt sorores; Maria, scilicet mater Domini; & Maria mater Iacobi Alphæi, & Ioseph; & Maria mater filiorum Zebedæi. Maria mater Domini fuit filia Ioachim, & Annę; quam Cleophas frater Ioseph accepit vxorem, Ioachim defuncto, & generauit ex ea filiam, quam vocauit Mariam, deditque eam Alphęo; vnde Iacobus minor dicitur Iacobus Alphæi, id est, filius Alphęi. Maria autem vxor Zebedęi, ipsius Annę, & cuiusdam Salome filia fuit, qui post Cleopham habuit Annam; vnde legitur in Euangelio, Maria Iacobi & Salome, &c.

Confirmatur deinde; quia Christus dicitur habuisse fratres, & sorores. *Descendit Capharnaum ipse, & mater eius, & fratres;* ad Galat. *Alium Apostolorum vidi neminem, nisi Iacobum fratrem Domini;* Matth. *Ecce mater eius, & fratres stabant foris, quærentes loqui ei,* &c. Marc. Nónne (aiunt Iudæi) *hic est filius Mariæ, frater Iacobi, & Ioseph, & Iudæ, & Simonis; nónne & sorores eius hic nobiscum sunt?* &c. Fratres hi non erant filij perpetuę Virginis Deiparę; id enim impium est sentire. Ergo filij erant sororum eius, Christique consobrini; quam ob causam fratres nominantur, idemque de sororibus dicēdū.

Ioan 2. Galat 1. Matt 12. Marc 6.

Prętera, Ioannes Euangelista Christo fuit sanguine maxime coniunctus; ergo filius fuit sororis sanctissimę Virginis. Interfuisse autem inter Ioannem, & Christum maximam consanguinitatem, illud suadet; quòd intemeratam Virginem moriens illi commendarit. Etenim decorum non erat, Virginem Deiparam cum viro habitare, cum quo maximam cognationem non haberet, illud quoque probat; quòd ausa fuerit eius mater, potiores in regno sedes filijs petere. Vnde audacia tanta? nempe ex consanguinitate, quia soror erat Virgini Deiparæ.

Medina de hac opinione sic scribit: Huic sententiæ ab omnibus contradicitur, quippe quę nullum habeat fundamentum, neque in scripturis, neque in historiis. Hęc ille. At Petrus Sutor Carthusianus, in libello de triplici connubio D. Annæ, eandem sententiam testimoniis suadet Alberti Magni, qui Ioan. 19. Anna (inquit) tres viros legitur habuisse; Petri de Tarantasia, qui Summus Pontifex fuit & Innocentius quintus est appellatus, Vincentij in speculo historiali, & aliorum. Eam verò probat, quia est communis sententia probatorum doctorū; à qua non licet sine temeritate dissentire. Eckius verò in sermone de D. Anna, aduersam sententiam errorem vocat, Ecclesiæ repugnare ait, ipsique scripturæ & Patribus. Id vtinam quod ait probasset, de illius opinione nemo dubitasset. Adiungit testimonium D. Ignatij, in epistola prima ad Ioannem, cuius hæc sunt verba: est Salome, quam diligis filia Annę Hierosolymis, & quinque mensibus apud Virginem commorata; ergo Maria Salome filia fuit D. Annæ.

Medina 3. p. q. 38. art. 3.

Petr. Sut. Carthus. Albertus Magnus. Petr. de Tarantasia. Vincentius Eckius.

Attamen quidquid dicant Eckius, & Sutor, prior sententia neque errorem vel temeritatem continet; neque aut Ecclesiæ, aut scripturæ, aut Patribus repugnat. Quòd Ecclesię non repugnet probatur; quia Ecclesia, neque in lectionibus diuę Annę, neque alio aliquo loco vllam de tribus viris, tribusque D. Annæ filiabus mentionem fecit. Quod non aduersetur scripturæ apertum est, quidquid enim scriptura asserit, verum esse potest, etiam si dicamus D. Annam nec tres maritos, nec tres filias habuisse; ex Patribus verò nullus horum trium virorum, triumque filiarum meminit. A Glossa ordinaria quam citauimus videtur hæc opinio nata; Ambrosij nomē præfert, at apud Ambrosium nusquam reperitur. Ambrosius enim in alia est opinione; ad Galatas primo apertè asserit, Iacobū, & cæteros, fratres Domini dici, quòd fuerint filij Ioseph, sed nonnullis conclusionibus rem expedire iuuat.

Prima conclusio. D. Anna tres maritos non habuit probatur rationib. iam suprà positis, Præterea quia nullus antiquorum Patrum hanc sententiam memoriæ prodidit. Secunda conclusio; verisimile est D. Annam duas filias habuisse, non ex duobus viris, sed ex vnico Ioachimo genitas, confirmatur hunc in modum: Virgo Deipara D. Annę filia fuit;

D Anna non habuit tres vires.

fuit

fuit item Mariæ Cleophæ, ergo filias duas habuit. De Virgine intemerata nulla quæstio esse potest; De Maria Cleophæ est controuersia, filiam tamen D. Annæ fuisse, tum ex Euangelio, tum ex grauissimis Euangelij interpretibus comprobo. Ioannes cap. 19. *Stabat* (inquit) *iuxta crucem Iesu mater eius, & soror matris eius, Maria Cleophæ; & Maria Magdalenæ*, &c. En Ioannes Mariã Cleophæ aperte Virginis sororem appellat, ergo Virginis fuit soror; & D. Annæ filia. Respondent Euthymius, Theophylactus, & qui primam opinionem sequuntur, sororem eo loco dici cognatam, quemadmodum & Marc. 6. *Nónne, & sorores eius*, id est, Christi cognatæ; *hic nobiscum sunt?* Nõ nego verisimilem esse hanc expositionem; attamen verba scripturę in proprio significato, quo ad eius fieri potest, retinere satius est. Diuus Ioannes sororem appellat; in proprio significato nomen sororis retineri potest; cur non retineatur? præsertim cum grauissimi quique sacrarum literarum interpretes in proprio retineant. Sed ad interpretes veniamus.

Ioan. 19.

D. Anna ex eodem viro Ioachimo duas habuit filias. Marci 6. Euthym. Theophyl.

D. Hieron. Diuus Hieronymus Matthæi decimo secundo; Nos (inquit) fratres Domini, consobrinos Saluatoris Mariæ liberos intelligimus materteræ Domini, in libro itẽ contra Heluidiũ, & in quæstionibus ad Hedibiam, quæstione quarta, idem asserit, scilicet, fratres Domini appellatos filios materteræ; ergo ex sententia diui Hieronymi Maria altera propriè erar soror Virginis, siquidem matertera erat Christi; nam matertera dicitur, quæ soror est matris. Hieronymum sequitur Diuus Thomas tertia patre, quæstione vigesima octaua, articulo tertio, Hesselius, Dionysius Carthusianus, Hugo Cardinalis, Matthæi decimo secundo, Toletus quoque Ioannis secundo. Præterea Beda Lucæ sexto; Maria (inquit) vxor Alphæi soror fuit matris Domini, quam Mariam Cleophæ Ioannes cognominat. Diuus Anselmus, siue Herueus ad Galatas primo; *Mariæ mater Domini, & mater Iacobi minoris, sorores fuerunt, & ideo vocatus est ipse frater Domini*. Diuus Isidorus in libro de vita & morte Sanctorum; Iacobus minor sororis matris Domini filius, vnde & frater Domini vocatur, & libro septimo Etymologiarum, Iacobus minor frater Domini nominatur, quia Maria vxor Alphei soror fuit matris Domini, quam Mariam Cleophę Ioannes cognominat, &c. Glossa interlinealis Actorum primo: Iacobus frater Domini dictus, filius est Marię materterę eius, quę dicitur Maria Cleophę. Theodoretus ad Gal. primo: Iacobus erat Cleophę filius Domini consobrinus, habuit enim matrem, matris Domini sororem. Præterea in Martyrologio Romano, nono die Aprilis, Maria Cleophę Deiparę soror nominatur.

D. Thom. Hesselius. Dionysius. Carthus. Hugo Card. Toletus. Beda.

Anselmus.

D. Isidorus.

Gloss interl.

Theodoret.

At probabis, Virginem non vnam tantummodo, sed duas habuisse sorores hunc in modum: In Euangelijs duę reperiuntur Marię, scilicet *Maria Cleophæ* apud Ioannem, & *Maria Iacobi* apud Matthæũ & Marcum. Ambæ sorores sunt Virginis, ergo duas habuit sorores. Propositio probatur ex Hieronymo, in quæstionibus ad Hedibiam, quæstione quarta: Quatuor, inquit, fuisse Marias in Euangelijs legimus, vnam matrem Domini saluatoris, alteram materteram eius, quę appellata est Maria Cleophę, tertiam Mariam matrem Iacobi, & Ioseph, quartam Mariam Magdalenam. Hęc Hieronymus. Ex quibus liquet Mariam Cleophę, & Mariam Iacobi duas esse fœminas. Assumptio autem, quòd vtraque fuerit soror Deiparæ, confirmatur. Nam de Maria Cleophæ id asserit Hieronymus citatus, Mariam quoque Iacobi sororem fuisse Virginis affirmat Beda, Theodoretus, Glossa interlinealis, Diuus Isidorus, Diuus Anselmus, siue Herueus, quos iam citauimus. Aiunt enim Iacobum ex matre sorore Deiparæ ortum esse. Mater autem Iacobi minoris à filio ducto nomine, est Maria Iacobi.

Ioan. 19. Matt. 27. Marc. 15. & 16.

Respondemus, Mariam Iacobi, & Mariam Cleophæ, vnam & eandem fuisse fœminam, quæ Maria Cleophæ dicitur à Ioane, quod vxor esset Cleophę, & Mariam Iacobi ab alijs Euangelistis, quod mater esset Iacobi minoris. Hæc est sentẽtia D. Thomæ ad Galat. primo & ipsius quoque Hieronymi in libro contra Heluidium: Restat, inquit, conclusio, vt Maria ista, quæ Iacobi minoris scribitur mater: fuerit vxor Alphæi, & soror Mariæ matris Domini, quam Mariam Cleophę Ioannes Eãgelista cognominat, siue à patre, siue à gentilitate familiæ, aut quacunq; alia causa ei nomen imponens, &c.

Maria Cleophæ & Maria Iacobi eadẽ fœmina appellatur. D. Thom. D. Hieron.

Sic repulsus instabis, aliam quoque fuisse D. Annæ filiam, dicens, nimirum Mariam Salomem matrẽ Ioannis Euangelistæ, & Iacobi maioris, atque adeò tres fuisse diuæ Annæ filias, vt vult Bonauentura cap. 78. meditationum: Erant, ait, iuxta crucem cum Domina duæ sorores Dominæ, Maria Iacobi, & Salome, &c. Respõdetur, nullum antiquorum Patrum huiusmodi sororis Deiparæ meminisse, ex Glossa ordinaria, & ijs, qui eam secuti sunt, soror hęc orta est, & Maria hęc nata. In Euangelio enim Salome solùm nominatur, non Maria, soror verò Virginis nusquam dicitur. Id item quod aiũt dictam Salome à patre Saloma falsum est, nomen enim Salome nõ viri est, sed fœminæ: Salomon nomen est virile, Salome fœmineum. Ideoque simpliciter Salome appellatur in Euangelio, non Maria Salome, vt illi volunt. Illa autem Salome, de qua Ignatius loquitur in Epistola ad Ioannem, cuius testimonium citat Eckius, non hęc est, sed alia Salome alterius quoq; Annę filia, neque verò Deiparę soror.

D. Bonau.

Salome non fuit soror Deiparæ.

Eusebius.

Vrges: Eusebius ait lib. 4. historię Eccles. capite 21. Cleopham fuisse auunculum Christi, ergo frater erat Virginis Cleophas, auunculus enim dicitur frater matris: habuit ergo D. Anna, si nõ tres filias, saltem duas, & filium vnum Cleopham siue Cleopã. Respõdemus Cleopham non dici auunculũ Christi, sed patruum, vertit enim interpres pro, patruo, auunculum, vt constat ex Græco Eusebio. Dicitur autem Cleophas patruus Domini, quemadmodum Ioseph dicitur eius pater, hominum existimatione, etenim Cleophas Iosephi frater erat, vt ait Hegesippus apud Eusebium li. 3. cap. 10. Nicephorus lib. 1. c. 33. & lib. 3. c. 9. Euthymius Ioan. 19. D. Epiphanius hæresi 78. & alij. Apud Eusebium locis citatis dicitur Simeon Christi consobrinus, sed impropriè, frater potius patruelis dictus, est, id est, patrui filius, consobrinus enim est filius sororis, consule græcũ textum, ne decipiaris ab interprete.

Cleophas fuit frater Ioseph, & hominum existimatione patruus Christi.

Hegesippus. Nicephorus. Euthymius. Epiphan.

Rationes, quæ pro prima opinione propositæ sunt, hanc quoque probant, scilicet D. Annam vniuirã fuisse. Primæ rationi à Virginis dignitate sũptæ respondemus, non magnopere ad dignitatẽ Virginis attinuisse esse vnigenitam; soluit Deus D. Annæ sterilitatem, largitusque illi est filiam alteram, cuius in Euangelio fit mentio, fortè etiam largitus est plures ex eodem marito Ioachimo, quæ ignotæ nobis sunt, quemadmodum, Annæ matris Samuelis sterilitatẽ depulit, nec Samuelẽ solùm, sed alios etiã plures liberos donauit. Quod si obiicias Annã cum Virginem enixa est, prouectæ fuisse ætatis, ita vt parere iam non posset; id inficiamur. Etenim, vt est in Breuiario Romano, 20. annorũ sterilitatem in matrimonio tolerauit, collocata verò in matrimoniũ est Ioachimo, pro illius tẽporis more circiter annũ vigesimum, quadraginta ergo agebat annos, cum

Virginẽ peperit, alijſque adhuc apta erat filijs ſuſcipiendis. Eliſabeth autem Baptiſtæ mater, & Sara mater Iſaac, ætate erant prouectiores, neque generandis liberis idoneæ.

Veriſimilius eſt D. Annã vnicam habuiſſe filiam, ſcilicet Virginem Deiparam.

Tertia concluſio, veriſimilius eſt Virginem Deiparam vnigenitam fuiſſe, diuuamq; Annã vnicam tantum filiam habuiſſe, probatur ſententia, quia nulla certa hiſtoria memoriæ proditũ eſt, duas vel plures filias habuiſſe, ergo id credendum, quod dignitati Virginis magis videtur conuenire. Habuiſſe autem præter Virginem alteram, ex verbis ſolùm Ioannis 19. colligitur, quæ quamuis de propria ſorore multi interpretentur, tamen alium ſenſum habere poſſunt. Præterea id me magnopere cõmouet, quod inauditum eſt in ſcriptura, parentes duas filias, vel duos filios, eodem penitus nomine appellaſſe, ergo ſi Maria Cleophæ fuiſſet virginis ſoror vterina, ſane nõ Maria, ſed alio nomine vocaretur, vt a Virgine Deipara diſtingueretur. Verba autem Ioannis, quibus ſecũda opinio innititur, quæque ab Hieronymo & reliquis ſacrarum literarum interpretibus de ſorore propria intelliguntur, de affine intelligenda ſunt. Eſtque hic ſenſus, *ſtabat iuxta crucem Ieſu, mater eius, & ſoror matris eius*, id eſt, affinis vel cognata matris eius, Maria Cleophæ, &c. Eodem enim modo, vt ſuprà iam diximus, ſcribitur: *Nonne & ſorores eius*, id eſt, Chriſti cognatę, *hic nobiſcũ ſunt?* & ait Tobias: *Tu ſcis, quia non luxuriæ cauſa accipio ſororem meã*, &c. Hæc eſt interpretatio Euthymij & Theophyl. Quæ fuerit affinitas, ſi roges, reſpõdetur, Cleophã, vt dictum iam eſt, fuiſſe fratrem Ioſeph Deiparæ ſponſi, Maria vxor erat Cleophæ, ideoque affinis, ſiue ſoror Virginis. Hebræorum enim inops lingua cognatas, ſorores vocat. Lege Hieron. in lib. aduerſus Heluidium, fortè etiam præter hanc aliam conſanguinitatem habuit, quæ nos latet.

Marc. 6.

Tobiæ 8. Euthym. Theophyl.

Reſpondetur argumentis vulgatæ opinionis.

Rationes, quibus vulgatæ illi de tribus maritis, tribuſque filiabus opinioni fides fit, ponderis nõ multum habent. Ad primam enim reſpondemus, nos gloſſam hac in re non ſequi. Ad ſecundam dicimus fratres Domini appellari, non filios ſororum Deiparæ, ſed cognatos, quos multos habebat, tam veros ex Virgine matre, quam exiſtimatos ex Ioſepho. Quemadmodum enim Ioſephus pater Chriſti eſſe exiſtimabatur, ita cognati Ioſephi, Chriſti quoque cognati eſſe credebãtur. Vnde Iacobus minor, quia Cleophę (qui alio nomine Alphęus vocabatur, vt ait Beda Lucæ ſexto) fratris Ioſeph filius erat, appellabatur frater, id eſt, conſanguineus Domini. Ita enim homines exiſtimabant, hancque exiſtimationẽ ſecutus Paulus, *fratrem Domini* illum vocat. Vnde

Beda.

Gal. 1.

A Chryſoſtomus ad Galatas primo ait, non appellauit Paulus Iacobum Cleophæ, ſed fratrem Domini, atque nec frater erat Domini, ſed eſſe putabatur, &c. Eandem ob cauſam Iudas, Ioſeph, & Simon, fratres Iacobi, filijque Cleophę, Chriſti fratres dicebantur, vel forte, quia etiam mater illorum, ſi non ſoror, ſaltem alio modo cõſanguinea erat Deiparæ. Nam, vt ait Auguſtinus tract. 10. in Ioannem, omnes conſanguinei Virginis fratres erãt Chriſti. Cognati, inquit, Marię fratres erant Domini, de quolibet gradu cognati, &c. In quęſtionibus Euãgelicis ex Matthęo quęſtione vltima: Non eſt, ait, mirum dici fratres Domini, quoſcunque cognatos ex materno genere, cum etiam ex cognatione Ioſeph, dici potuerint fratres eius ab eis, qui illum patrem Domini eſſe arbitrãbantur, &c. Græci Chryſoſtomus, Epiphanius, Origenes, & alij, volũt fratres Domini dictos, quòd eſſent filij Ioſephi ſponſi Deiparę ex alia vxore, verum de hac ſententia in explanatione Euangelij ſuo loco dicemus.

D. Chryſoſt.

Marci 6.

Conſanguinei Chriſti appellabantur eius fratres. D. Auguſt.

B

Ad tertiam rationem reſpondemus, Ioannis matrem nõ fuiſſe Deiparæ ſororem. Quamuis autẽ nõ eſſet ſoror, potuit alio gradu eſſe conſanguinea. D. quidem Epiphanius hæreſi 78. manifeſte docet Ioannem Virginis non fuiſſe cognatum, alienum enim appellat: Si habuiſſet, inquit, Virgo virum, ſi habuiſſet domũ, ſi habuiſſet filios, in ſua ſeceſſiſſet, & non ad alienum, id eſt, ad Ioannem. Patres ſimiliter nullius Chriſti cum Ioanne conſanguinitatis meminere. Apud Chryſoſtomum homilia quinta, in Matthæum hæc verba leguntur: Vnde inquies fratres Chriſti dicuntur Iacobus, & Ioannes? at lectio eſt mendoſa, nullibi enim in ſcriptura Iacobus & Ioannes fratres Domini dicuntur. Vera lectio margini aſcribitur huiuſmodi: Vnde, inquies, frater Chriſti dicitur Iacobus? minor ſcilicet, à Paulo ad Galat. 1. de quo ibi Chryſoſtomus loquitur. Præterea etſi vera eſſet prior lectio, nõ efficitur ex Chryſoſtomo matrem Ioannis ſororem fuiſſe Virginis, vt legenti compertum fiet.

D. Epiphan.

D. Chryſoſt.

C

D

Cur igitur Virginem illi commẽdauit Chriſtus; Propter Virginitatem, vt eſt Patrum ſententia, & quia diſcipulus dilectus erat, fortè conſanguineus, non tamen conſobrinus. An autẽ cum Ioanne habitarit Virgo, & quomodo in ſua eam dicatur recepiſſe, præterea cur mater Ioanni & Iacobo auſa fuerit primas ſedes poſtulare, ſuo loco explanabimus. Nunc id dicimus, non fuiſſe audaciæ cauſam illam ſummam conſanguinitatem, quamuis alia quæcunque eſſe potuerit.

LIBER

LIBER SEPTIMVS,

DE CONCEPTIONE IOANNIS BAPTISTÆ, EX LVCÆ PRIMO.

QVONIAM quidem multi conati ſunt ordinare narrationem, quæ in nobis completę ſunt, rerum, ſicut tradiderunt nobis, qui ab initio ipſi viderunt, & miniſtri fuerunt ſermonis: viſum eſt & mihi, aſſecuto omnia à principio diligenter, ex ordine tibi ſcribere, optime Theophile, vt cognoſcas eorum verborum, dē quibus eruditus es, veritatem.

Fuit in diebus Herodis Regis Iudææ ſacerdos quidam nomine Zacharias, de vice Abia: & vxor illius de filiabus Aaron, & nomen eius Eliſabeth. Erant autē iuſti ambo ante Deū, incedētes in omnibus mādatis, & iuſtificationibus Domini, ſine querela: & nō erat illis filius, eo quòd eſſet Eliſabeth ſterilis, & ambo proceſsiſſent in diebus ſuis. Factū eſt autē cū ſacerdotio fungeretur in ordine vicis ſuæ ante Deum, ſecundū cōſuetudinē ſacerdotij, ſorte exijt, vt incenſum poneret ingreſſus in templū Domini. Et omnis multitudo populi erat orans foris, hora incenſi. Apparuit autem illi Angelus Domini ſtans à dextris altaris incenſi: & Zacharias turbatus eſt videns, & timor irruit ſuper eū. Ait autē ad illū Angelus: Ne timeas Zacharia, quoniā exaudita eſt deprecatio tua: & vxor tua Eliſabeth pariet tibi filiū, & vocabis nomen eius Ioannem. Et erit gaudiū tibi, & exultatio, & multi in natiuitate eius gaudebunt: erit enim magnus corā Domino: Et vinum & ſiceram non bibet. Et Spiritu ſancto replebitur adhuc ex vtero matris ſuæ, & multos filiorum Iſraël conuertet ad Dominum Deum ipſorum. Et ipſe præcedet ante illum in Spiritu, & virtute Eliæ, vt conuertat corda patrum in filios, & incredulos ad prudentiam iuſtorum, parare Domino plebem perfectam. Et dixit Zacharias ad Angelum: Vnde hoc ſciam? Ego enim ſum ſenex, & vxor mea proceſſit in diebus ſuis. Et reſpondens Angelus dixit ei: Ego ſum Gabriel, qui aſto ante Deum, & miſſus ſum loqui ad te, hæc tibi euangelizare, & ecce eris tacēs, & nō poteris loqui vſque in diē quo hæc fiant, pro eo quòd non credidiſti verbis meis, quæ implebuntur in tempore ſuo. Et erat plebs expectans Zachariam, & mirabātur, quod tardaret ipſe in templo. Egreſſus autem non poterat loqui ad illos, & cognouerūt, quod viſionem vidiſſet in templo. Et ipſe erat innuens illis, & permanſit mutus. Et factum eſt, vt impleti ſunt dies officij eius, abijt in domum ſuam. Poſt hos autem dies concepit Eliſabeth vxor eius, & occultabat ſe menſibus quinque, dicens: Quia ſic fecit mihi Dominus in diebus, quibus reſpexit auferre opprobrium meum inter homines.

CAPVT I.

Exponitur Lucæ Præfatio.

POSTEA quā de Chriſti Genealogia actū eſt, Enangelicarum rerū ſeries poſtulat, vt de præcurſoris conceptu agamus, qui Domini conceptū pręcurrerit. Lucas eſt explicādus, qui ex hoc cōceptu Euangeliū ſuum breui præmiſſa ad Theophilum præfatione feliciter auſpicatur. Prefatiunculæ ſenſus hic eſt: Quoniā multi conati ſunt ea, quæ Apoſtoli voce tradiderant, ſcriptis mandare, viſum etiā mihi eſt, ſiquidē explorata habebam Chriſti acta atq; dicta, Euangelium ad te ſcribere, optime Theophile, vt Chriſtianæ doctrinæ veritatem intelligas.

A *Quoniam multi conati ſunt, &c.*

Aliorum exemplo ad Euāgelium ſcribendum ſe acceſſiſſe docet, vt ſentit Cardinalis Caietanus, & D. Bonauentura; Conari verò dicuntur tam qui rectè, atque vt res poſtulat, aliquid moliuntur, quam qui audacia ducti perperam quidpiam efficere tentant. Euſebius poſteriori modo intellexit verbum, conati ſunt, lib. 3. hiſtor. Eccleſiaſticę c. 18. Lucas, inquit, in ipſo ſui Euangelij principio, cauſam cur illud contexere aggreſſus ſit, proponit, nimirū quod plerique alij eorum ſermonum declarationem, imprudentius, & minus conſideratè inſtituiſſent, quorum veritatem ipſe ſatis explorate cognitam habebat. Hæc ille. Origenes itē ſic ſcribit: Quod, ait Lucas, conati ſunt, latētem habet accuſationē eorum, qui abſque gratia Spiritus ſancti ad ſcribenda Euā-

Euſebius.

Origen.

gelia profiluerunt. Matthæus quippe, & Marcus, & Ioannes, &, Lucas, nõ ſunt conati ſcribere, ſed Spiritu ſancto pleni ſcripſerunt Euangelia, & Ambroſius in Lucam: Conati illi ſunt, qui implere nequierunt, non conatus eſt Matthæus, non Marcus, nõ Ioannes, non Lucas, ſed diuino Spiritu vbertatem dictorum, rerumque omnium miniſtrante, ſine vllo molimine cœpta compleuerũt. Euthymius: Demõſtrat Lucas quoſdam tentaſſe Euangelium ſcribere, ſed à veritate longè aberraſſe.

D. Ambroſ. Quinam dicantur conati ſcribere Euangelium.

Euthym.

Theophyl.

Theophylactus de pſeudoapoſtolis locum interpretatur: Qui fuerunt, inquit, multi illi, qui conati ſunt? Pſeudoapoſtoli, multi enim tunc, conſcripſerunt Euangelia, &c. Beda de hæreticis: Multos, ait, videlicet eos, non tam numeroſitate, quam hæreſeos multifariæ diuerſitate connumerans, qui non Spiritus S. munere donati, ſed vacuo labore conati, magis ordinauerint narrationem; quam hiſtoriæ texuerint veritatem.

Beda.

Exiſtimo generatim loqui Lucam de ſcriptoribus, ſiue probis, ſiue improbis, qui vel bene, vel ſecus de Chriſti rebus ſcribere conati ſũt. Habeo ſententiæ patronum Bonauent. in Commentarijs Lucæ: Manifeſtat, inquit, Lucas intentionem ſuã, quãtum ad motiuum, quod fuit aliorum exemplum, cũ dicit: Multi conati ſunt, inter quos quidam fuere boni, ſicut Matthæus & Marcus, quidam mali, &c. Vt enim ait Hierony. in Proœmio Matthæi, extitere quidam, qui ſine ſpiritu, & gratia Dei, conati ſunt magis ordinare narrationem, quam hiſtoriæ texere veritatem. Lege Hieronymum.

Bonauent.

Quæ in nobis completæ ſunt rerum.

Græcè πεπληροφορημένων πραγμάτων. Pagninus & Brixianus vertunt: *Rerum, quæ inter nos pleniſsimæ ſunt fidei*, Euangelij Syriaci interpres: *Actionum, in quibus nos contenti acquieuimus.* Hentenius: *Rerum, quæ nobis certiſsimæ fide comprobatæ ſunt.* Vnde Theophyl. Res, ait, multis argumẽtis cõprobatas dixit Lucas: res enim Chriſti non ſimpliciter, & nude traditę ſunt, ſed vera, & ſolida fide, & multorum argumentorum certitudine, &c. Et Origenes: *Rerum, quæ in nobis manifeſtiſsimè ſunt oſtenſæ*, certa enim fide, & ratione cognouerat Lucas, neque in aliquo fluctuabat, vtrum ita eſſet, an aliter. Hoc autẽ illis euenit, qui fideliſſimè crediderũt, &c.

Quænã dicantur à D. Luca res completæ in nobis. Theophyl. Origenes.

D. Ambr.

Ambroſius in Lucam transfert: quæ in nobis redundant: *Rerum*, inquit, *quæ in nobis completæ ſunt, vel quæ in nobis redundant*, quod enim redundat, nulli deficit, & de cõpleto nemo dubitat, cũ fidẽ effectus aſtruat, exitus prodat. Itaque Euangelium completũ eſt, & redundat omnibus per vniuerſum orbẽ fidelibus, & mentes omnium rigat, animumque confirmat. Ergo fundatus in petra, & qui omnẽ fidei ſumpſerit plenitudinem, firmamentumque cõſtantiæ, rectè dicit, *quæ in nobis completæ ſunt rerum.* Hęc Ambroſius. Eſt hoc loco verbum Græcum, quo Paulus vtitur, cùm ait: *Vnuſquiſque in ſuo ſenſu abundet*, Græcè ἕκαστος ἐν τῷ ἰδίῳ νοΐ πληροφορείσθω, quem locum Budæus in Cõmentariis ſic exponit: *Vnuſquiſque certus ſit mentis ſuæ*, vnuſquiſq; compertum habeat, quod mente cõcepit, Pagninus vertit: *Vnuſquiſque propriæ menti ſatisfaciat.*

Rom. 14.

Noſter interpres vertit: *Quæ in nobis completæ ſunt rerum*, quorum verborum duplex eſt ſenſus, prior eſt, multi conati ſunt contexere narrationem rerũ, quæ in nobis ſunt completæ, id eſt, perfectè cognitæ, poſterior ac ſimplicior, & veriſimilior: *Rerum, quæ in nobis completæ ſunt*, hoc eſt, rerum, quę in nobis ſunt à Chriſto peractæ, ſiue tranſactę, nã verbũ πληροφορέω, ſignificat, impleo, vt conſtat ex eo loco Pauli, *Miniſterium tuum imple*, Græcè πληροφόρησον.

2. Tim. vlt.

Sicut tradiderunt nobis.

Græcè habetur, *ſicut tradiderunt nobis à principio* αὐτόπται, id eſt, inſpectores, vel oculati teſtes, & miniſtri verbi, hoc eſt, ipſi Apoſtoli, & cæteri Euãgelij promulgatores, qui Verbum incarnatum viderunt, eiq; miniſtrarũt, vel qui inſpectores fuerũt, hoc eſt, qui ea, quæ de Chriſto vulgantur & ſcribuntur, ipſi viderũt, & ſermonis ſiue concionum miniſtri ſunt. Ecce Euãgelij teſtes, nõ incerta ſũt, & ambigua, quæ accepimus, ſed à teſtibus omni fide digniſſimis, atq; iis oculatis tradita. Hoc (ait Chryſoſt. Act. 1.) maximè fidẽ conciliat, ſi quis didicerit ex iis, qui quæ narrãt, oculis ſuis viderũt. Hæc autẽ verba, vel poſſunt referri ad ſuperius verbũ, conati ſũt, hoc modo, multi conati ſunt ſcribere, ſicut tradiderunt Apoſtoli, ſed hęretici ſcriptores ſuas hęreſes admiſcuerũt, vel poſſunt referri ad res cõpletas, hoc pacto, multi conati ſunt ordinare narrationẽ rerum, quę in nobis ſunt completę, cõpletę, inquam, ſicut tradiderunt Apoſtoli. Theophyl. ſic: Res, inquit, multis argumentis comprobatas, ſicut tradiderunt nobis Apoſtoli.

Euangelij oculati teſtes. D. Chryſoſt.

Viſum eſt & mihi.

Cùm D. Lucas videret aliorum ad Euangelium ſcribendum conatus, Spiritu ſancto afflante Euãgelium ſcribere ſtatuit. Viſum, inquit, eſt etiam mihi; Addit D. Bonauentura, ſcilicet, Spiritu ſancto inſtigante, & Beda: Quod viſum ſibi ſcribere Lucas dicit, non quaſi à ſe ſibi viſum, ſed Spiritu Sancto inſtigante, ſibi quoque viſum ſignificat; iuxta quod dicunt Apoſtoli in Actis: *Viſum eſt Spiritui Sancto, & nobis*; cuius nimirum gratia geritur, vt id quod bonum eſt, nobis etiam bonum videatur, &c.

D. Bonau.

Lucas Spiritu Sancto inſtigante ſcripſit. Act. 15.

Aſſecuto omnia

Duo ſunt ſenſus huius loci. Prior, & veriſimilior; *Viſum mihi eſt à principio omnia diligẽter aſſecuto*, id eſt, omnia cognoſcenti, & explorata habenti; Verbum enim παρακολουθέω, quod Lucas vtitur, hoc ſignificat, vt conſtat ex teſtimonijs Græcorum citatis à Budæo, in Commentarijs linguæ Græcæ. Fruſtra ergo Caiet. vertit & exponit; *Mihi omnia aſſectato*; quem ſequitur Ianſenius. Vnde Euthymius; Aſſecutio (inquit) hoc loco pro cognitione ſumenda eſt, viſum eſt & mihi, qui cuncta accuratè cognoui, tibi ſcribere, hęc Euthym. Poſterior ſenſus eſt Syrorũ; *Viſum eſt mihi*, qui Chriſti rebus geſtis proximus fui, qui ea tẽpore ſum proximè conſecutus, tibi ſcribere, ſic enim exponuntur hæc verba in Euangelio Syriaco; *Viſum eſt etiã mihi*, quippe qui fuerim impenſè proximus illis omnibus, ſcilicet Chriſti geſtis. Quod autẽ ait Lucas ſe ex ordine ſcripturũ, ne ita intelligas, vt ad amuſſim ſeruarit geſtorum ordinem, ſed in præcipuis.

Optime Theophile.

Theophylactus ex epitheto colligit, Theophilũ hunc, ad quem Euangelium Lucas ſcribit, virum fuiſſe ſenatorij ordinis, & fortaſſe principem. Nam κρατίστῳ, id eſt, optimi, vel ſtrenui nomen (ait Theophylact.) principibus, & præſidibus tribuebatur, ſicut & Paulus ad præſidẽ Feſtũ dicit *Optime*, vel *ſtrenue Feſte*. In Euangelio Syriaco vertitur; *victorioſiſsime Theophile*; verti etiã poteſt; *præſtantiſsime*. Theophilus verò nomẽ Græcũ, Dei amicũ ſignificat, quamobrẽ addit Theophyl. Omnis homo Dei amans, & Theophili nomine dignus, roboreque ac ſtrenuitate in refrenandis affectionibus præditus, dignus reuera eſt, vt Euangeliũ audiat, &c. Et Beda; Theophilus interpretatur *amans Deum*; quiſquis ergo amat Deum, ſeu à Deo deſiderat amari, ad ſe ſcriptum putet Euangelium, & vt ſibi datum munus, ſibique commendatum pignus conſeruet; ne ſcilicet acceptam verbi pecuniam, vel tinea dilacerationis hæreticæ, vel ſordidæ cupiditatis ærugo deuaſtet, &c.

Epithetum optimi quibus tribuebatur Theophyl.

Act. 26.

Beda. Lucas ſcribit Euangelium, & Acta Apoſtolorũ ad Theophilum id eſt, amatorem Dei.

Saluianus Epiſcopus Maſſilienſis perantiquus, in præfatione libri qui Timothei nomine inſcriptus eſt, putat D. Lucam non ad ſingularem aliquem hominem, ſed ad amorẽ Dei ſcripſiſſe, quo permotus

Saluianus.

tus ad scribendum animum appulit. Optimum (inquit) fore credidit autor, vt beati Euangelistę sequeretur exemplum; qui in vtroque diuini operis exordio Theophili nomen inscribens, cum ad hominem scripsisse videatur, ad amorem Dei scripsit. Hoc scilicet dignissimum esse iudicans, vt ad ipsum affectū Dei, scripta dirigeret, à quo ad scribēdum impulsus est. Hæc ille. Sed non est verisimile Lucā sensu literali ad amorē Dei librū scripsisse. Probabilius locutus fuisset Saluianus, si dixisset ad Theophilum, hoc est, ad amicū Dei, non hūc, vel illū, sed ad quemcūque, Euangelium, Actaque Apostolorum direxisse.

Lyranus. Clemens. Quis fuerit Theophilus.

Lyranus Actor. 1. putat Theophilum Episcopum fuisse Asiæ, in constitutionibus quidem Clementis, lib. 7. c. 47. cuiusdam Episcopi Theophili mentio fit. Sed verisimilius est, Episcopum non fuisse, sed illustrem aliquem Christianum. Oecumenius Act. 1. ait fuisse præfectum; & quidem nomen κράτιστε, quod noster interpres vertit, optime, præfectis tribuebatur. Tertullus orator Felicem præsidem optimum appellat; *Semper* (inquit) *& vbique suscipimus Optime Felix*, & Paulus, *Non insanio Optime Feste*; erat autem Festus præses. Similiter Lysias in epistola: *Claudius Lysias optimo præsidi Felici salutem*, &c. Omnibus ijs locis est nomen Græcū κράτιστος. Forsitan ad illum Theophilum Lucas scribit, cuius mentio fit in fine libri decimi recognitionū Clementis his verbis; Ita vt Theophilus, qui erat cunctis potentibus in ciuitate sublimior, domus suæ ingentem basilicam, Ecclesię nomine consecraret; in qua Petro Apostolo constituta est ab omni populo cathedra, scilicet Antiochię. Antiochenus fuit Lucas, non igitur mirum si ad virum illustrissimum Antiochenum Theophilum, Euangelium, & Acta scripserit.

Act. 24. Act. 26. Act. 23. Clemens.

De quibus eruditus es.

Quid sit catechismus, & catechumenus.

Græcè κατηχήθης, significat autē verbum, κατηχέω, voce erudire, à verbo ἠχέω, id est, sono, vnde echo dicitur, id est, sonus. Hinc catechesis ducitur, & catechismus, id est, instructio; & catechumenus, id est, elementis christianæ religionis imbutus, & initiatus. Erat ergo Theophilus mysteria Christiana edoctus, & vt ita dicam, catechizatus viua voce. Lucas verò etiam scripto illum instruit. Theophylactus sic exponit, quasi diceret Lucas; prius te sine scriptis D institui ô Theophile, nunc scriptum tibi trado Euāgelium. Vnde colligitur Theophilum ex sententia Theophylacti à Luca fuisse viua voce instructum.

Veritatem.

Græcè ἀσφάλειαν, Pagninus, Brixianus, & Hentenius, vertunt, *certitudinem*; Montanus transfert, *firmitudinem*. Hæc autem omnia veritati Euangelicæ egregie conueniunt. Est enim certissima, & firmissima, merito ergo ait Lucas se scribere Euangelium, vt veritatem cognoscamus certissimam, ac firmissimam. Est hæc in Ecclesia veritas, quam merito Hieronymus, in epistola ad Damasum, *fontem illum signatum, & hortum conclusum* appellat; est enim fons signatus, in quem nullius hæreseos venenum cadere, est hortus conclusus, quem nullius falsitatis impetus euertere potest.

Doctrina ecclesiæ certissima est, & firmissima.

Cant. 4.

CAPVT II.

Angelus Gabriel Zachariæ in templo Ioannis conceptum nunciat.

Fuit in diebus Herodis.

POST Præfationem aggreditur Euangelicam historiam D. Lucas, à Ioannis, qui Christi præcursor fuit, conceptu initium ducit, atque in primis quo tempore parentes illius vixerint narrat *in diebus nimirum Herodis Regis Iudææ*. Suprà iam docuimus multos fuisse Herodes; hic primus fuit (filius Antipatri) qui innocentibus necem intulit. Ianseníus ait ab Euangelista propterea regem Iudææ appellatum, vt ab Agrippa Herode distingueretur, quem Iudææ Regem non fuisse putat. At Agrippam Iudææ imperasse iam supra ex Iosepho ostendimus, libr. 19. antiquitatum; *Iam* (inquit) *Agrippa tertium Iudææ totius regni annum exegerat*, &c.

Herodis primi tempore vixit Zacharias.

Sacerdos quidam nomine Zacharias.

Quales fuerint præcursoris parentes docet; in primis ex sacerdotali genere erant. Nam Zacha- B rias sacerdotio fungebatur; Elisabetha item à sacerdotibus genus ducebat. *Erat* (inquit) *de filiabus Aaron.* Filię Aaronis dicebantur filię Sacerdotum, propterea quòd Aaron primus fuit pontifex frater Mosis, cuius posteri erant omnes Sacerdotes; nemini enim, qui ab Aarone non traheret originem, Sacerdotis munus obire fas erat. De filiabus Aaron Elisadeth erat, de filiis eiusdem Aaron Zacharias Sacerdos, *de vice Abia*, tribuque Leuitica. An autem fuerit summus Sacerdos, & quę essent Sacerdotum vices, dicemus tom. 2. in tractatu de templo, & sacerdotibus.

Sacerdotes omnes ex Aarone.

Erant iusti ambo.

Parentum virtutes (ait Chrysologus sermone C 91.) describit Euangelista, vt ex genitorum tantis meritis dignitas germinis cognoscatur. *Erant iusti ambo*, non pater solus, aut sola mater, sed ambo; erant prętera iusti ante Deum, non vt hypocritę solùm ante homines diuinorum mandatorum itinere gradiebantur; neque verò solùm aliqua, sed omnia Dei prącepta diligentissimè obseruabant. *Incedentes* (inquit) *in omnibus mandatis, & iustificationibus Domini, sine querela*. Quia non solùm iusti erant ante Deum, sed ante homines quoque, addit Euangelista; *Sine querela*. Græcè ἄμεμπτοι, id est, irreprehensibiles, sine reprehensione. O felicissimum par coniugum; coniuges erant, id est, sub eodem matrimonij, & sub eodem Dei iugo. Est noua felicitas (ait Chrysologus sermone 89.) est coniugium singulare, quando manet in duobus coniugibus mens vna, vna sanctitas. Constabat mente, quod distabat in sexo; & in moribus erat vnum, quod geminabat aspectus; ac virtus reddebat pares, impares quos dederat natura. & sermon. 91. Vt erat in duobus vna caro, sic erat in duobus vnus spiritus; imitentur coniuges; vt quos coniungit affectio, iungat & virtus. Hæc ille.

Coniuges sub iugo viuant, & coniugij, & Dei.

Iustificationes autem *Domini*; præcepta vocat, Græcè δικαιώματα, dicuntur autem Domini præcepta hoc nomine, vt vult Theophylactus, quia obser- *Theophyl.* uantes iustificabant. Scito (inquit) quòd & mandatum iustificatio nominari potest; vtpote iustum faciens hominem. Et Euthymius; Legalia præcepta *Euthym.* vocauit Euangelista iustificationes, vtpote iustitiæ plenas, & quæ incedentes in ipsis iustificarent, &c. At non poterant iustificare vi sua prącepta legis veteris, sed per Christi merita, à quibus omnis legis illius iustitia emanauit. Lex enim vetus vi sua neminem, vt alio loco diximus, iustificabat. Mihi verisimile est, quod Caietanus sentit, Euangelistam mandata appellasse, moralia legis præcepta; iustificationes verò ceremonialia, non enim sine causa mandatis iustificationes addidit. *Obediuisse* dicitur *Abraham voci Dei, & custodiuisse præcepta, & mandata, & ceremonias eius*, quod noster vertit ceremonias, vertunt 70. δικαιώματα, id est, iustificationes, scilicet, præcepta ceremonialia. *Genes. 26.*

Multis autem nominibus dicuntur diuina præcepta in diuinis literis; mandata appellantur, iustificationes, iudicia, testimonia. Mandata dicuntur *Theodoret.* (ait Theodoretus, in Commentarijs Psalm. 118.& præcepta; tanquam regio more à Deo imperata. Iudicia autem tanquam diuinas sententias ostendentia, & digna præmia eorum qui secundum legem, & eorum qui inique viuunt testimonia verò tanquam testantia, & demonstrantia, quibus supplicijs obnoxij sunt ij, qui ipsa transgrediuntur, &c. dicuntur etiam iustitię, *Psal. 18.* *Iustitiæ Domini rectæ lætificantes corda;* *Greg. Naz.* Græcè δικαιώματα, id est, iustificationes. Gregor. Nazian. in Catena Græcorum, Psal. 18. Lex (inquit) vocatur, vt quæ optimum vitę institutum præscribat, testimonium velut quę testato peccantes arguat, & transgressionis pœnam intentet; iustitię, propterea quòd quod iustum est doceat, & iniusta prohibeat. Pręceptum verò, quia quod agendum est pręcipit, & Domini more imperat, iudicia demum, vt quę diuina decreta demonstrent, doceantque, quibus bonis diuinam legem custodientes perfruantur, & quibus suppliciis eam transgredientes afficiantur. Hęc ille. Sed de his alibi.

Non erat illis filius.

Ad filij generationem, naturæ viribus minimè fuisse idoneos præcursoris parentis; ostendit Euāgelista, duplici de causa, tum quòd mater sterilitate laboraret, tum quòd mater ipsa & pater prouectæ ætatis essent. Præcursor Christi fuit Ioannes, ipso etiam admirabili conceptu. Concepit sterilis prius; post sterilem (quod admirabilius multo est) concepit, peperitque virgo. Quia virgo paritura erat (ait *Theophyl.* Theophylactus in Lucam) præordinauit Deus, vt vetula pareret, non secundum legem naturæ; tametsi *D. Chrysost.* ex viro. Chrysostomus, homil. 49. in Genes. Dicamus, inquit, causam, cur mulieres illæ, scilicet, Sara, Rebecca, & Rachel steriles fuere. Quænam causa fuit? vt cum videris virginem nostrum Dominum parientem, ne sis incredulus; exerce enim hic tuos sensus in vulua sterilium, vt cum didiceris ligatam & emortuam vuluam diuina virtute ad procreationem aperiri; inde copiosis argumentis acceptis, non admireris audiēs quod virgo pepererit, imo admirare, & obstupesce, sed ne sis incredulus in miraculo. Sterilitas igitur iam viam parat virginitati, &c. Beda, Diuinitus (inquit) est procuratum vt prouectæ ætatis, diuque coniugij fructu priuatis parentibus Ioannes nasceretur; quatenus inopinato prolis ortu, & ipsos donum gratius afficeret, & cęteros miraculi stupor, futuri prophetę pararet auditui, &c. Chrysologus sermon. 89. Sterilitas (inquit) ista mystica est; beata sterilitas, quę vnum seruabatur ad partum, & expectabat Ioannem; cui quia prima omnia debebantur, primogeniti dignitas non periret, &c.

Processerant ambo coniuges in diebus suis; ait Euangelista. Non tamen in diebus solùm, sed in virtutibus etiam fecerant progressus; quod obseruat *Theophyl.* Theophylactus his verbis; Prouectę ętatis ambo erant, tam corpore, quàm anima. Etenim iuxta animam progressi erant, ponentes ascensiones in corde suo, &c. At plerique in diebus quidem progressus faciunt; in virtutibus minimè, ætas progreditur; virtus regreditur. Non sic ille de quo *Sap. 4.* dicitur; *Consummatus in breui, explenit tempora multa.* Qui in virtutibus progreditur, etsi adolescens, tem- *De vera mē-* pora implet multa, estque ętate prouectus, si non *tis canicie.* corpore, certe animo; *cani enim sunt sensus hominis,* vt est eodem capite, *& ætas senectutis vita immaculata.* Interlinearis glossa; quasi bene canus est, qui bene *D. Ambr.* sensatus est. Ambrosius epistol. 60. ad Anysium: Senectus illa venerabilis est, quę non canis, sed meritis albescit; ea est enim reuerenda canicies, quæ est canicies animę, in canis cogitationibus & operibus effulgens, &c.

Obseruauit etiam Theophylactus, dictum esse *Theophylact.* ab Euangelista de parentibus Baptistæ, quòd proceſſerant in diebus; vt vitæ honestas mystico sensu indicaretur. Progressi erant (inquit Theophylactus) diem habentes, non noctem; vitam vt in luce honestè agentes. Dies (ait Gregorius Magnus 1. Reg. *D Greg.* 9.) est vita iusti. Nam instar diei, splendore veri Solis, id est, Christi gratia, illustratur. Vita impij nox est, diuinæ gratiæ carens lumine. Moritur impius plenus noctium, at iustus plenus dierum. *Mortuus est* *Genes. 26.* *Abraham plenus dierum.* Iob: *Mortuus est Iob plenus dierum;* *Iob vlt.* quem locum enarrans Diuus Gregorius, sic scribit; In scriptura sacra non facilè plenus dierum ponitur, nisi is cuius per eandem scripturam vita laudatur; vacuus quippe dierum est, qui & quamlibet multum vixerit, ætatis suæ tempora in vanitate consumit. At contra plenus dierum dicitur, cui nequaquam dies sui pereundo transeunt; sed ex quotidiana mercede boni operis, apud iustum iudicem, & postquam transacti fuerint, reseruantur. Hæc ille.

Factum est autem.

Per vices, ac sortes, sacerdotalibus fungebantur muneribus sacerdotes. Erat autem sacerdotale munus, in altari thymiamatis, thymiama offerre. hoc Zacharias obibat eo in loco templi, quod sanctum dicitur, hebraicè hecal; cum subito Angelus à dextris astitit altaris, exterritumque hoc pacto est affatus: *Ne timeas Zacharias*, &c. A dextris altaris ait Am- *D. Ambr.* brosius Angelum apparuisse, qui diuinæ insigne misericordiæ deferebat.

Euthymius item, eo loco apparuisse scribit, quia *Euthym.* prospera nuntiaturus venerat; turbatum autem Zachariam, quia suspicatus est se protinus moriturum, iuxta illud: *Morte moriemur, quia vidimus Do-* *Iudic. 13.* *minum*. Melius Theophylactus, insolita visio- *Theophylact.* ne turbatum docet; *Turbatur* (inquit) *Zacharias,* *Visiones in* *insolitæ enim visiones etiam sanctos turbant.* Et Beda; *Huma-* *solitæ turbāt* *næ fragilitatis est spiritalis creaturæ visione turbari*. Et *hominem.* Ambrosius in Lucam; perturbamur, & a nostro *Beda.* alienamur affectu, quando præstringimur alicuius superioris potestatis occursu. Nec non Origenes homilia 4. in Lucam; Zacharias expauit, noua quippe facies humanis obtutibus se præbens turbat mentem, animumque consternat; vnde Angelus sciens hanc esse humanam naturam, primùm perturbationi medetur dicens; *ne timeas Zacharia.* Hæc Origenes. *Origenes.*

Ne timeas Zacharia.

Turbationem Zachariæ protinus sedauit Angelus. Vnde Theophylactus huiusmodi tradit ad *Theophyl.* visiones discernendas documentum; Hoc (ait) iudicio discernuntur visiones, quę à Deo, & quæ à diabolo. Nam si mens primùm turbetur, & sta- *Quo modo* tim timor soluatur, & iterum quiescat, reuera *visio angeli-* diuina visio est, si autem timor, ac turbatio magis *ca, à diaboli-* ac magis crescant, dęmoniaca visio est. Item vene- *ca discerna-* rabilis Beda: Trementem Zachariam confortat An- *tur.* gelus; quia sicut humanæ fragilitatis est, spiritua- *Beda.* lis creaturæ visione turbari; ita & angelicę benignitatis est, pauentes de aspectu suo mortales, mox blandiendo solari. At contra dæmoniacæ est ferocitatis, quos sui præsentia territos senserit, ampliori semper horrore concutere; quæ nulla melius ratione, quam fide superatur intrepida. Hæc ille. Diuus quoque Thomas tertia par. *D. Thom.* quæstion. 30. articul. 3. ad 3. Vt legitur (inquit) in vita diui Antonij, non difficilis est beatorum spirituum, malorumque discretio; si enim post timorem

rem ſucceſſerit gaudium,à Domino ſciamus veniſ- A habitum à Deo eſſe;ac per illud quidem tempus de-
ſe auxilium;quia ſecuritas animæ, præſentis maie- repente Angelorũ multitudinẽ conſpexiſſe, (qua-
ſtatis indicium eſt. Si autem incuſſa formido per- tenus aſpectus humanus ferre poterãt) fulgentibus
manſerit;hoſtis eſt,qui videtur,&c. veſtibus indutorũ,altare ipſum circundantiũ;deni-
D. Antonius gremit. Quæ hac de re egregie dicit Dñs Antonius ille que ſic capite inclinatorum, vt ſi quis milites præ- *D. Ambroſ.*
Magnus,libet ijs addere: Non eſt (inquit)difficilis, ſente rege ſtantes videat. Id quod facilè mihi ipſe *D. Grego.*
malorum,bonorumque ſpirituum diſcretio,quę ſic perſuadeo. Hęc Chryſoſtomus. *D. Chryſoſt.*
Deo tribuẽte panditur.ſanctorum angelorum amabilis & tranquillus aſpectus eſt:quia non contendunt,nec clamant,neque audiet aliquis vocem eorum; verum tacitè, leuiterque properantes, gaudium,exultationem, fiduciam, pectoribus infundunt. ſiquidem cum illis eſt Dominus, qui eſt fons lætitiæ. Tunc mens noſtra non turbida, ſed lenis, & placida, Angelorum luce radiatur. Horum tanta B benignitas eſt, vt ſi quis pro conditione fragilitatis humanæ, miro fuerit eorum fulgore perterritus; continuo omnem ex corde auferant metum. Ita Gabriel cum Zachariæ loqueretur, & Angeli cum diuinum Virginis partum paſtoribus nuntiarent, & qui dominici corporis agebant excubias, ſecuris videntium mentibus ſe oſtendentes,ne metuerent imperabant; metus enim non tantum ex pauore animi,quantum ex magnarum rerum ſæpe incutitur aſpectu.Poſt hæc, & alia,ſic concludit;Si poſt timorem horrore concepto, ſucceſſerit gaudium,& ad Deum fiducia, atq; ineffabilis charitas, veniſſe ſciamus auxilium; quia ſecuritas animæ, præſentis maieſtatis indicium eſt. Si autem incuſſa C formido permanſerit,hoſtis eſt, qui videtur; quoniam nec refouere nouit; quinimo pauorem duplicat, & vſque ad profundam impietatis foueam, vt ſibi homines proſternantur impellit. Hæc Antonius,& alia.

Aſtitit Zachariæ ſacerdoti, thymiama offerenti Angelus: aſtat quoque legis nouæ ſacerdotibus auguſtiſsimum Deo offerentibus ſacrificium; vt docet Ambroſius hoc loco. Vtinã(inquit) nobis quoque adolentibus altaria, ſacrificium deferentibus, aſſiſtat Angelus; imo præbeat ſe videndum. Non enim dubites aſſiſtere Angelum, quando Chriſtus aſsiſtit,quãdo Chriſtus immolatur,&c.Neque verò vnum tantum modo Angelum, ſed Angelorum aſ- D ſiſtere choros,magnus Gregorius docet lib.4. dialogorum ca.58.Quis(ait) fidelium habere dubium poſsit, in ipſa immolationis hora, ad ſacerdotis vocem,cælos aperiri,in illo Ieſu Chriſti myſterio Angelorum choros adeſſe,ſummis ima ſociari,terrena cæleſtibus iungi?&c. Chryſoſtomus homilia 61.ad populum antioch. Menſa regalis eſt appoſita, Angeli menſæ miniſtrantes, ipſe rex adeſt,&c. Et tom. 5. in homilia de non contemnenda Eccleſia, & myſterijs: Diuinæ(inquit) communionis tempore fratres,non ſoli homines maximè horrendũ illum clamorem vociferantur; ſed & Angeli procumbunt Domino,& Archangeli canunt, & quẽadmodum homines ramos olearum reciſos regi- E bus protendunt,per ſtirpem illam miſericordiæ ipſos admonentes; ita Angeli pro ramis olearum, ipſum corpus Domini protendentes, Dominum pro natura humana precantur,dicentes;Pro iis rogamus, pro quibus corpus hoc hoſtiam obtuliſti, &c.Et lib.6.de ſacerdotio.Per id(inquit)tempus,& Angeli ſacerdoti aſsident,& cæleſtium poteſtatum vniuerſus ordo clamores excitat; & locus altari vicinus in illius honorem, qui immolatur, Angelorũ choris plenus eſt;id quod credere abunde licet, vel ex tanto illo ſacrificio, quod tũc peragitur.Ego verò & commemorantem olim quendam audiui, cum diceret,ſenem quendam virum admirabilem, ac cui reuelationum myſteria multa diuinitus fuiſſent detecta,ſibi narraſſe,ſe tali olim viſione dignũ

Angeli auguſtiſsimam Euchariſtiã circumſtant.

Exaudita eſt oratio tua.

Exiſtimabit forſitan quiſpiam, Zachariam à Deo filium,quo carebat,precibus in templo poſtulaſſe; atque eam orationem ab Angelo dici exauditam.Id verò non videtur veriſimile. Hanc enim ſpem penitus corde abiecerat, quòd ad ſenilẽ ætatem,tam ipſe perueniſſet,quam vxor Elizabetha; quamobrẽ Angelo prolẽ promittenti plenã fidem non adhibuit: *Vnde* (inquiens) *hoc ſciam,ego enim ſum ſenex, & vxor mea proceſsit in diebus ſuis.* Non igitur pro habenda prole,ſed pro populi ſalute,ac Meſsiæ aduentu ſupplicabat. quam ſupplicationẽ ait Angelus exauditam;deinde id qood Zacharias nec petebat,nec mente verſabat,nuntiauit,ſcilicet; *Vxor tua pariet tibi filium*,&c. Vel aliter;pro populi redẽptione ſacerdos fundebat preces; Angelus exauditam orationẽ nuntiat,filiũque promittit,qui redẽptoris ſit præcurſor. Quæ eſt Bedæ ſententia:Suę (inquit) ætatis, & infœcundæ coniugis memor Zacharias, naſci ſibi filios adeò deſperabat,vt nec Angelo hoc promittenti crederet;ſed quod dicit Angelus: *Exaudita eſt oratio tua*; pro populi redemptione ſignificat. quod verò adiungit: *Et vxor tua pariet tibi filium*; eiuſdem redemptionis ordinem pandit,quod videlicet natus Zacharię filius,redemptori præconizando ſit iter facturus. *An Zacharias in templo filium à Deo petierit.* *Beda.*

Quod autem pro populi ſalute præcaretur Zacharias,docet etiam Euthymius, hæc enim verba ſic explanat: *Exaudita eſt oratio tua*, quam pro populi ſalute fudiſti;pro hac enim ſacerdotes quotidie precabantur.Exaudita eſt autem,eo quòd iam Saluator ſit humanitatem ſuſcepturus,& populũ ſuũ à peccatis ſaluum facturus,& Theophylactus;Zacharias non pro filio precatus eſt,ſed pro peccatis populi. & Gloſſa interlinealis: *Exaudita eſt oratio tua*; facta pro populi redemptione,non pro ſobole,quam deſperabat ſe poſſe habere,&c. Hilarius Epiſcopus Arelatenſis homilia ſecũda;Dum Zacharias ſolicitus pro ſalute populi ſupplicat; promiſſus eſt illi talis filius,&c. Quidam(vt Theophylactus ait) hũc locũ interpretati ſunt hoc pacto: *Exaudita eſt oratio tua* Zacharia pro populi ſalute;ſignum autẽ quo id cõfirmo,erit filii Ioannis ortus felicisſimus. Ita Euthymius exponit; Ad demonſtrationem (inquit) & cõfirmationẽ,quod Zachariæ oratio exaudita eſſet,ait Angelus: *Et vxor tua pariet tibi filium*, & hunc vtilẽ ad populi ſalutem,&c. Sed prior interpretatio præferenda eſt. *Euthymius.* *Theophyl.* *Gloſſa inter. lin.* *Hilarius Arelat.* *Theophyl.* *Euthymius.*

Pariet tibi filium.

Filium Angelus promittit Zachariæ, atque eum non vulgarem, ſed ſingularem. Nomen illi imponit,deinde qualis ſit futurus prędicit. *vocabis*(inquit) *nomen eius Ioannem.* ſingularis autem meriti(ait Beda) indicium datur, quoties hominibus à Deo vel imponitur nomen,vel mutatur.Sic Abram quia pater multarum gentium erat futurus,Abrahã eſt vocatus:ſic Iacob,quia Deum vidit,Iſraël appellari meruit;ſic Ioſias Rex ob Eximiæ virtutis culmen,nominatus à Deo eſt, multo antequam natus; hæc Beda.Quid autem Ioannis nomen ſignificet poſtea dicemus. *Beda.*

Multi in natiuitate eius gaudebunt.

Tam parentibus quam multis aliis(ait Angelus) lætitiam allaturum Ioannem;habet enim(vt docet

Ambroſius in Lucam) ſanctorũ editio lętitiam plurimorum; quia commune eſt bonum.

Valerius. Lacrymis infantes recens in lucem editos Thraces proſequebantur, vt Valerius li. 2. ſcribit. Nã vt Olympiodorus ait in commentarijs Eccleſiaſtæ, c. 7. Natalitius dies in turbulẽtum vitæ huius pelagus infantes inducit; vbi draco latibulum ſuum poſuit. Vnde illud Euripidis apud Theodoretũ libro quinto de curatione Græcorum.

Natalis hominis dies dignus luctu. Olympiodorus. Euripides.

Ἐχρῆν γὰρ ἡμᾶς σύλλογον ποιουμένους,
Τὸν ζῶντα θρηνεῖν, εἰς ὃς ἔρχεται κακά.
Oportuit nos funeris luctu graui,
Dolore natum, maxima ad diſcrimina.

Dignus etiam luctu eſt dies natalitius propter peccatum originarium, vt docet Origenes in cap. Leuit. 12. Nemo (inquit) ex omnibus ſanctis inuenitur, diem feſtum vel conuiuium magnum egiſſe in die natalis ſui; nemo inuenitur habuiſſe lætitiam in natali filij, vel filiæ ſuæ, ſoli peccatores ſuper huiuſmodi natiuitate lætantur. Inuenimus enim Pharaonem diem natalis ſui cum feſtiuitate celebrantem, & Herodem. Sancti verò nõ ſolum non agunt feſtiuitatem in die natalis ſui, ſed & execrãtur hũc diem, vt Iob cap. 3. & Hieremias cap. 20. Videtur ne tibi tam grauia imprecari prophetam potuiſſe, niſi ſciret eſſe aliquid in iſta natiuitate, quod huiuſmodi dignum maledictione videretur: videlicet peccatum originarium.

Sancti non agunt feſtũ natalem diẽ.

Sed proſequantur luctu Thraces infantes ſuos recẽs editos, execrentur diem ſuum natalitiũ ſancti viri originarij peccati cauſa. at Ioannes recens natus non luctu, ſed gaudio proſequendus eſt: *In natiuitate eius multi gaudebunt*, ait Angelus; natalis illius dies non execrandus, ſed magna lætitia colẽdus eſt. Etenim Spiritu ſancto repletus, adhuc ex vtero matris ſuæ, originarioq; peccato expiatus, in lucem prodijt.

CAPVT III.

Angelus Ioannem laudat.

Erit enim magnus coram Domino.

QValis ſit futurus filius, patri Angelus prædicit: *Erit magnus coram Domino.* Quàm magnus autem fuerit (ait Beda in Homilia) ipſe qui ſolus virtutem magnitudinis eius & donauit, & nouit, Dominus inſinuat dicẽs: *Non ſurrexit maior inter natos mulierum Ioãne Baptiſta*, &c. Loquitur autem Angelus de magnitudine animi ac virtutum, hæc enim magnũ virum efficit. Vnde Ambroſius in Lucam, non corporis hic, ſed animæ magnitudinem, Angelus declarauit, eſt coram Domino magnitudo animæ, magnitudo virtutis: Magni nomẽ impoſuere Pompeio, Alexãdroque homines, qui fallere, falliq́ue poſſunt. At Ioanni Mag. nomen impoſuit Angelus, qui nec fallitur, nec fallit. Angelico præconio (ait Chryſologus ſerm. 91.) Ioannis profertur gloria, virtus inſonat, &c. Pompeius, & Alexander, magni quidem fuere, ſed coram hominibus, Ioannes Magnus fuit coram Deo. Magnum Pompeium, Magnumq́ue Alexandrum effecerunt magnos, de hominibus reportatæ victoriæ, at Ioannem effecerũt magnũ, & maximum, de mundo, carne, ac dęmone reportati triumphi. Quod indicat Ambroſius eodem loco illis verbis: Ioannes non fines alicuius propagauit imperii, non triumphos aliquos bellici certaminis adoreis præoptauit, ſed quid eſt amplius, in deſerto prædicans. delicias hominum, corporiſq́ue laſciuiam magna animi virtute depreſſit: Hæc Ambroſius.

Beda. *D. Ambroſ.* *D. Ioannes Magnus magnitudine ſanctimoniæ Chryſolog.* *P. Ambroſ.*

Ioannis magnitudinẽ Theodorus Studites apud Metaphraſtem hac ſimilitudine indicat. Quomodo Rex aliquis (inquit) regaliter procedens ex regia habet quidem primùm præcedentes quoſdam, qui ferũt virgas, & quoſdam qui ſceptra geſtãt, deinde conſules, præſides, & ductores ordinum, poſtremũ autem quendam maiori dignitate prędituṁ, poſt quẽ ſtatim rex apparet, nullo interiecto. Sic Rege Chriſto Deo, per carnem ingreſſuro in Orbẽ, præceſſerunt quidem patriarchæ, deinde vniuerſa turba prophetarum, vltimus autem extitit manifeſtus Ioãnes, & ſtatim Chriſtus Dominus. Et qui erat vltimus ordine, maior dignitate extitit pro proportione. Sic ergo prophetis, & Apoſtolis, & aliis omnibus, reuera prior eſt magnus præcurſor, illis quidẽ vt ſequens, his verò vt præcedens. Hæc Theodorus ſed de Ioannis laudibus nos plura dicemus, cum de illius natiuitate verba faciemus.

Theodorus Stud.

Vinum & ſiceram non bibet.

Ioannis à vino abſtinentiam prædicit Angelus: Sicera autem dicitur quidquid inebriare poteſt, à verbo hebræo Sacar, quod ſignificat inebriare. Vnde interpres noſter Num. 6. vbi in hebræa lectione eſt, ſicera vertit: *Omne quod inebriare poteſt.* Abſtinuit autem vino, & ſicera Ioannes, tum quia vitã elegit maximè auſteram, ab omniq́ue voluptate alienam, tum quia hominis Deo conſecrati, & Nazaræi hoc erat, vinum, & ſiceram nõ bibere. Beda, proprium, inquit, erat Nazaræorum in lege, vino & ſicera tempore conſecrationis abſtinere, vnde Ioannes, Sanſon, & Ieremias, cæteriq́ue tales, vt ſemper Nazaræi, id eſt, ſancti, manere poſſint, ſemper iis abſtinere ſatagunt: *Vir, ſiue mulier cum fecerint votum vt ſanctificentur, & ſe voluerint Domino conſecrare, à vino, & omni quod inebriare poteſt* (id eſt, à ſicera vt eſt hebraice) *abſtinebunt.* Quidquid ex vinea eſſe poteſt ab vua paſſa, vſque ad acinum, non comedent, &c. *Nolite inebriari vino* (ait Paulus) *in quo eſt luxuria, ſed repleamini Spiritu ſancto*, iuxta hæc Apoſtoli verba, Ioannes non vino aut ſicera impletus eſt, ſed Spiritu ſancto, vnde meritò adiungit Angelus: *Et Spiritu ſancto replebitur adhuc ex vtero matris ſuæ.* Decet (ait Beda in Lucam) vas cæleſti gratiæ mancipatum, à ſæculi illecebris caſtigari: nec vino, in quo eſt luxuria inebriari eum, qui muſto Spiritus ſancti deſiderat impleri. vnde rectè, cui vini ebrietas tollitur, ſpiritus gratia cumulatur, &c.

Beda. Ioannes à vino & ſicera abſtinuit. Num. 6. Num. 6. Ad Epheſ. 5. Beda.

Et Spiritu ſancto replebitur.

Tunc Spiritu ſancto repletus eſt Ioannes, cum à virgine Deipara, mater eius Eliſabetha eſt ſalutata. Repletus autem Spiritu ſancto eſt in vtero, & originali peccato expurgatus. Nec enim Spiritus S. gratia, cũ peccato originali ſimul poteſt cõſiſtere. Beda in homilia Contra morem humanæ conditionis, non in delictis prævaricationis, ſed in gratia remiſſionis mater Ioannem peperit, neque enim dubitandum eſt, quia Spiritus ſanctus, qui eum repleuit, etiam à peccatis omnibus abſoluit: Hæc ille. De ſanctificatione Ioannis dicemus ſuo loco, cum de Virginis agemus ſalutatione.

Ioannes in vtero matris peccato originario expurgatus. Beda.

Multos filiorum Iſrael conuertet ad Dominum Deum ipſorum.

Magni Ioannis, magnum officium indicat Angelus, Conuertet, inquit, ad Deum Iſraëlitas, &c. Magnum ſanè officium, propter quod magnus coram Domino Ioãnes dici poteſt. Quod Beda in homilia oſtendit his verbis: In eo quòd Ioannẽ multos filiorum Iſrael ad Deum conuerſurũ aſſeuerat, manifeſtè Angelus, quoniam magnus coram Domino eſſet futurus indicat, quem optimo genere conuer-

Beda. Excellentiſſimum munus eſt homines ad Deum conuertere.

conuersandi, vitam peracturum esse declarat. Quæ enim inter homines sublimior, & Deo gratior esse conuersatio potest, quàm eorum, qui se castigant à vitijs, qui virtutum studiis animum subiugant; insuper etiam alios quotidiano exercitio, ad autoris sui gratiam studeant conuertere, & crebra animarum fidelium acquisitione, gaudium semper patriæ cælestis augere? hæc de munere hoc excellētissimo Beda.

At aduerte quid præcesserit: *Spiritu sancto replebitur*, &c. Deinde, *conuertet multos*. Antequam Apostoli ad conuertendos homines prodirent, spiritu cælitus missō repleti sunt. Dauid prius quam diceret: *Docebo iniquos vias tuas*, ter spiritum postulauit; *Cor mundum crea in me Deus, & spiritum rectum innoua in visceribus meis*: Iterum; *Ne proiicias me à facie tua, & Spiritum sanctū tuum ne auferas à me*; & tertio: *Redde mihi lætitiam salutaris tui, & spiritu principali cōfirma me*. Iam sequitur; *Docebo iniquos vias tuas*. Si officium vis assumere Apostolicum, spiritu tibi opus est. Absque spiritu aëreo, id est, halitu, tuba non sonat; sine spiritu diuino, concionatoris tuba nō auditur. Olim cum fides tenera plātabatur, opus erat miraculis cū concione cōiunctis; nunc cum iam fides adoleuit, opus est spiritualibus operibus, cum doctrina copulatis. *Cauendum est* (ait Greg. Nazianzenus oratione prima) *ne admirandæ virtutis mali pictores existamus*, &c. Ille virtutis bonus pictor est, qui virtutis bonum exemplar est, ille malus pictor, qui lingua pingit, vita expungit. Propterea pater sanctissimus eadē oratione (vtar eius verbis) purgari prius vult, deinde purgare, sapientia instrui, atque ita demum alios sapientia instruere; lux fieri, & alios illuminare, ad Deum appropinquare, & ita alios adducere, sanctificari, & postea sanctificare, cum manibus ducere, cum prudentia consilium dare: hæc Nazianzenus: Illud verò, cum manibus ducere, significat, homines non solum verbis ad Deum ducendos, sed operum exemplo; metaphora ab eo sumpta, qui alterum manu in locum aliquem ignotum ducit. Hūc Gregorij locum Elias Cretēsis interpretans sic scribit: Actionis significationem manus habent. Hinc autem illud designatur, fieri non posse, vt qui plebi præest, aliquem ad beatā vitam aliter ducat, quàm cum manibus, hoc est, cum actione, non tamen sermone destituta, & contemplatione non ab actione remota, in quibus perfectio cōsideratur. neque enim sermonem tantam vim ad persuadendum habere constat, quam actionem. hactenus ille.

Act. 2. *Psal. 50.* *Ad hoc munus Spiritus sancto opus est.* *D. Gregor. Nazianz.* *Exemplū docenti necessarium.* *Elias Cret.*

Ipse præcedet ante illum in spiritu & virtute Eliæ.

Similem fore Eliæ Ioannem ait Gabriel, eiusdē virtutis, & spiritus. Ipse (inquit) præcursor Dei erit, cum spiritu, & virtute, Græce, ἐν πνεύματι, id est, potentia, Eliæ. Euthymius virtutem Eliæ, interpretatur efficaciam. Fuit enim Ioannes Elias alter, zelo, animi ardore, ac fortitudine. De Elia dicitur: *Surrexit Elias quasi ignis, & verbum ipsius quasi facula ardebat*, id quod Ioanni egregie congruit, qui lucerna fuit ardens, & lucens. *Elias* dicitur *vir pilosus, zona pellicea accinctus renibus*; Ioannis verò vestitus ex pilis erat cameli, & zona pellicea circa lumbos eius. Elias propheta fuit, Ioannes plus quam propheta. Eliam Iezabel, Ioannem Herodias est infectata. Elias populum ad Deum conuertere conatus est, idem præstitit Ioannes. Elias Regem Achab constanter reprehendit, Ioannes tetrarcham Herodem constanter corripuit. Elias præcursor erit secundi, Ioānes præcursor fuit primi aduentus Christi. quamobrem ab Euthymio Matth. 11. primus Elias, dicitur secundus præcursor, & primus præcursor, id est, Ioannes, secundus Elias appellatur.

Euthymius. *Eccles. 48.* *Ioannes alter Elias.* *4. Reg. 1.* *Marci 1.* *3. Reg 18. & 19.* *3. Reg. 15.* *Euthymius. Matth. 11.*

Ex hoc loco aduersus Arianos probat Beda Christum Deum esse. Dixerat enim Angelus, *multos filiorum Israel conuertet ad Dominum Deum ipsorum*. Sequitur: *Ipse præibit ante illum*, id est, ante Deum Israël, erit præcursor Dei, nimirum Christi veri ac summi Dei.

Vt conuertat corda patrum in filios.

Verba quæ de Elia dicta sunt, Ioanni quoque qui eiusdem fuit spiritus tribuit Angelus. *Præcedet Elias secundum Christi aduentum*, vt Malachias vaticinatur, *& conuertet cor patrum ad filios, & cor filiorum ad patres*. Ioānes præcessit primum, *& conuertet cor patrum in filios, & incredulos ad prudentiam iustorum*.

Malach. 4.

Quid sit autem conuertere cor patrum in filios, explicat Augustin. vigesimo libro de ciuitate Dei, Elias (inquit) cum venerit exponendo legem spiritualiter, quam nunc Iudæi carnaliter sapiunt, conuertet cor patrum ad filios. vt etiam filij sic intelligant legem, quemadmodum patres eam intellexerunt, id est, Prophetæ. Sic enim cor patrum cōuertetur ad filios, cum intelligētia patrum perducetur ad intelligentiam filiorum, & cor filiorum ad patres eorum, dum in id, quod senserunt illi, consentient & isti. & Gregorius 11. lib. Moralium capite decimo: Elia veniente promittitur, quod reducat corda filiorū ad patres eorum, vt doctrina senum, quæ nunc à Iudæorum corde ablata est, tūc redeat, quando hoc intelligere de Domino cœperint filij, quod prædicauerunt patres, &c. Similem in modū Beda. *Corda* (inquit) *patrum in filios conuertere, est spiritualem sanctorum antiquorum scientiam, populis prædicando infundere*, &c. Hieronymus præterea, mittet (ait) Dominus in Elia omnem prophetarum chorum, qui conuertat cor patrum ad filios, Abraham videlicet, & Isaac, & Iacob, & omnium patriarcharū, vt credant posteri eorum in Dominum Saluatorem, in quem & illi crediderunt.

D. Augusti. Quid sit cōuertere corda patrum in filios, &c. *Beda.* *D. Hieron.*

Est ergo sensus primus: præibit ante Deum incarnatum Ioannes, vt conuertat corda patriarcharum in filios, id est, vt fidem, & intellectum, quem patriarcharum corda de Messia habuerunt, inferat filiorum cordibus, vt Messiā, quem patriarchę venturum crediderunt, filijs prædicet, & ostendat, efficiatque vt idē sit in Iudæis patriarcharum filijs circa Messiam cor, quod fuit in patriarchis, & vt conuertat incredulos, scilicet Iudæos, ad prudentiam iustorum patrum, ita vt increduli prudentes fiant circa Messiam, quemadmodum iusti patriarchæ.

Est sensus secundus; vt conuertat corda patriarcharum in filios, hoc est, in amorem filiorum pœnitentiam agentium, Ioanne concionante. Huic sensui fauet latina interpretatio: *Elias inscriptus est in iudicijs temporum lenire iracundiam Dei, conciliare cor patris ad filium, & restituere tribus Iacob*. Græcè idem est verbū quo Lucas vtitur, scilicet ἐπιστρέψαι, id est, conuertere. Interpres vertit, conciliare cor patris ad filium, singularis vsurpatur pro numero multitudinis. Cōciliabit autem Elias corda patrū ad filios, cum Messiæ fidem viuam eorum pectoribus docēdo inseret, idem quoque Ioannes fecit. *Ioannes* enim, vt ait Paulus, *baptizauit baptismo pœnitentiæ populum, dicens, in eum, qui venturus esset post ipsum, vt crederent*, &c.

Eccli. 48. *Act. 19.*

Est tertius sensus Theophylacti huiusmodi, conuertit (ait ille) Ioannes corda patrum ad filios, hoc est, Hebræorum ad Apostolos, patres enim fuerunt Iudęi, illorum filij Apostoli; conuertit autem & incredulos Iudęos ad prudentiam iustorum, hoc est, Apostolorum doctrinam. hæc Theophylactus. Erit ergo sensus, præibit Ioannes ante Dominum, vt cōuertat corda Iudęorū ad filios Apostolos, & incredulos ad prudentiam, & doctrinam iustorū, scilicet eorundem Apostolorū. Euthymius Matth. 11. etiā nomine filiorum intelligit Christum, erat enim secundùm

Theophyl. *Euthymius.*

cundum carnem à Iudæis oriundus: Sicut (inquit) Elias ſecundum aduentum præcurrens, conuertet corda Iudęorum illius temporis ad Apoſtolos (patres ſiquidem Apoſtolorum ſunt Iudęi) ita Ioannes præcurrens Chriſti aduẽtum, corda Iudęorum, qui crediderunt, cõuertit ad Chriſtum, qui eſt filius Iudæorum, nam ſecundum humanitatem Chriſtus à Iudæis deſcendit, &c.

Montanus. Libet etiam veluti additamentum, ſenſum Montani adiũgere, qui Malachiæ locũ in hanc ſententiam interpretatur: *Conuertet cor patrum ad filios, & cor filiorum ad patres eorum*; Hebraicè conuertet cor patrũ ſuper filios, & cor filiorum ſuper patres eorum. Id eſt, omnis ætatis & gradus homines conuertet ad pœnitentiam; patres ſuper filios; & filios ſuper patres conuertet. ita ex Hebræo vertitur; *Exod. 35.* *Venerunt viri ſuper mulieres*, id eſt, fœminis adiunctis. nam hac dicẽdi forma, vt ille vult, omnis ætas, omnis gradus, ordoque hominum ſignificatur; ita vt ſuo officio, & apud maiores, & apud minores, Elias functurus dicatur. Hebraicè præpoſitio על gal ſignificat etiam cum; *Exodi 35.* *viri cum mulieribus præbuerunt*; Hebraicè pro, cũ, eſt præpoſitio, gal, Montanus vertit: *Venerunt viri ſuper mulieribus*, &c. Poſſet igitur verti in hanc ſententiam hic locus: *Conuertet cor patrum cum filiis, & cor filiorum cum patribus eorum.* Hunc ſenſum ſequitur Vatablus Luc. 2. Sic enim illa verba exponit; *vt conuertat corda patrum in filios*; id eſt, vt patres vna cum filiis conuertat. Quidam inter Hebræos doctus, vt idem Vatablus ait Malachiæ 4. ſic expoſuit: *Conuertet cor patrum in filios, & cor filiorum ad patres eorum*, hoc eſt, cõuertet patres & filios in vnam religionem, ſcilicet Chriſti veri Meſſiæ. Lege quę ſcripſimus lib. 2. cap. 19.

Parare Domino plebem perfectam.

Græcè duo verba ſunt infinitiui modi hoc pacto, præibit Ioannes conuertere, id eſt, ad conuertendum, vt vel conuertat corda patrum, &c. Et parare, id eſt, ad parandum, vel, vt præparet Domino Chriſto plebem perfectam. Græcè λαὸν κατεσκευασμένον, id eſt, plebem pręparatam; interpres vertit plebem perfectam, id eſt, plebem Ioannis pręparatione, quantum ad Chriſtum recipiendum ſatis eſſet, perfectam, & inſtructam. vel, plebem bene & perfectè paratam ad Meſſię aduentum. parauit autem Ioannes plebem pœnitentia, baptiſmo, verbo, & exemplo.

Vnde hoc ſciam? Ego enim ſum ſenex, &c.

Vt expoſuimus, ita Angelus Zachariam allocutus eſt. at ille ob ſuam, vxoriſque ætatem iam profectam, non facilè dictis fidem habuit; ſignoque aliquo promiſſum cõfirmari voluit. Vnde (inquit) id eſt, quo ſigno, ſciam verum eſſe quod promittitur ſiquidem meæ, vxoriſque ætati, filij repugnat gene- *1. Cor. 1.* ratio? *Iudæi* (ait Paul.) *ſigna petunt*; videlicet ab Abraham, & alijs maioribus id didicerant. Abrahã enim, *Geneſ. 15. Iud. 6.* Gedeon, Ezechias Rex ſignum petierunt, quemad- *4. Reg. 20.* modũ Zacharias. Verum Zacharias verbis Angeli non credidit perfectè, vt ipſe Angelus aperit, quam ob cauſam loquendi vi priuatus eſt, quod & ſignum fuit promiſſionis implendæ, & ſupplicium hæſitationis. *D. Auguſt.* Auguſt. in lib. 50. homiliarum, Homilia 44. Accepit Zacharias ſupplicium taciturnitatis, merito infidelitatis; quia non credidit, tacuit, ſi enim re- *Pſalm. 115.* ctè dictum eſt: *Credidi, propter quod locutus ſum*; quia Zacharias non credebat, merito non loquebatur.

Qua de re dubitarit Zacharias. Sed nunquid de potentia Dei hęſitauit? nunquid poſſe Deum ex ſene viro, & vxore grandæua, & ſterili, filium procreare ambigebat? minime; vir enim in diuinis verſatus literis, Iſaac ũ ex ſterili Sara, & Abrahamo ſene, ortum nouerat. Qua igitur de re dubitauit? de voluntate Dei, num quod poterat Deus, & Angelus pollicebatur, eſſet Deus effectu-rus: huiuſce verò euentus, ſignum aliquod poſtulabat. peccatum ergo commiſit, vt Credit Cardinalis Caietanus, veniale. Neque ſolum loquendi ſed audiendi etiam facultate priuatus eſt, nutibus enim cum illo loqnebantur, vt ex illis verbis conſtat: *innuebant patri eius, quem vellet vocari eum.* Ambroſ. lib. 2. in Lucam, Incredulitas, Zachariæ affatum eripuerat; & auditum, Theophylactus, Damnatur, vt ſurdus ſit, & vt ſileat. *Caietan. Zacharias mutus, & ſurdus. Luc. 1. D. Ambr. Theophyl.*

Et erat plebs expectans Zachariam.

Præter ſacerdotes, nemo in templi illum locum, in quo altare thymiamatis erat, ingrediebatur. Populus in atriis foris manebat, Zachariãque morantẽ, mirans expectabat. Egreſſus ille è tẽplo, in maiorem cũctos admirationẽ rapuit, quẽ enim paulo ante loquentẽ audierant, iam mutũ plane, nutibuſq; quoquomodo loquentẽ non audiebant, ſed cernebant. Viſionem ergo aliquam illi oblatam in templo, iis ex ſignis, & nutibus agnouerũt. Ambroſ. Zachariam populi typum geſsiſſe ait, Typus, inquit, populi Zacharias fuit. hoc ergo illius ſilentium, ſilentiũ Iudaici ſacerdotij adumbrat. Silent iam Iudæorum ſacerdotes, ſilent ſacrificia, ſilent templi cantus, muta ſunt omnia. Si quis illorum cantus eſt, ille eſt *Pſalmi, ſuſpẽdimus organa noſtra.* Nutibus loquitur Zacharias, nutibus id eſt typis, loquitur Iudæorum ſacerdotium. quę enim de illo ſcripta in diuinis ſcripturis extant, Chriſtum, & Eccleſiam, vt nutus quidam, rectè intelligentibus innuunt, & indicant. *Typus Iudaici ſacerdotij muti. & nutibus loquẽtis Zacharias mutus. Pſalm. 136.*

Vt impleti ſunt dies officij eius, abiit in domum ſuam.

Quo tempore ſacerdotes ſacerdotale obibant munus, intra templi habitabant ſepta. Zacharias ergo exactis ſui muneris diebus, domum abiit mutus; mutusque vocem clamantis in deſerto, id eſt, Ioannem admirabiliter genuit. Vxor autem Eliſabetha quinq; menſium ſpatio cõceptum occultauit. Occultationis cauſam ait Ambroſius fuiſſe pudorem, pudebat enim anum grauiditatis. Magna ſanctis (ait Ambroſius) cura eſt verecundię, vt plerunq; in ipſis pudor voti (id eſt, rei deſideratę) ſit, ſicut hoc loco aduertimus, ſanctam Eliſabetham, quę vtique filios habere cupiebat, occultantẽ ſe menſibus quinque. quæ cauſa occultationis niſi pudor? &c. Et Theophylactus: Eliſabetha quoniã caſta erat erubeſcebat, & propterea occultabat ſe, quia ſenex cõcepiſſet, &c. Occultabat etiã ſe propter prudentiã, verebatur enim, ne ſi cui aperiret, fidẽ ille non haberet. Quia conceptũ occultabat, concepiſſe Eliſabetham cognatam ſuam, Virgo Deipara ignorauit, donec id ab Angelo didicit, ſexto iam menſe. *Ecce* (inquit) *Eliſabeth cognata tua, & ipſa concepit filium in ſenectute ſua; & hic menſis eſt ſextus illi, quæ vocatur ſterilis*, &c. *Mutus vocẽ genuit. D. Ambr. Theophylact. Cur ſe occultarit poſt cõceptum Eliſabetha.*

Quia ſic fecit mihi Dominus, &c.

Particula, quia, non reddit cauſam, hoc loco, ſed ſumitur pro, vtique, vel, nempe, vt legitur in verſione Syriaca: vtique (inquit, ſic, id eſt, tam pręclarè, ac admirabiliter Deus filiũ mihi donauit, in diebus quibus reſpexit auferre opprobrium meum inter homines, id eſt, eo tẽpore; quo viſum illi eſt, reſpicere ad auferendum ſterilitatis meę opprobrium. Vnde colliges ſterilitatem inter Iudęos fuiſſe probroſam. ſed ſterilitas Eliſabethę, ſummo illi fuit decori ac honori; quod filium tantum peperit, qui vnus, inſtar fuit multorum. *Sterilitas apud Iudæos olim erat probroſa.*

CAPVT

CAPVT III.

Morale.

DOcet par hoc ſanctorum coniugum, Zacharias & Eliſabetha, quali virtute non coniuges ſolum, verum reliqui etiam viri ac fœminę ſplendeſcere debeant. Primò; erant iuſti ambo ante Deũ; non ante homines tantum modo, quod obſeruauit Theophylactus: Quidam (inquit iuſti ſunt) at nõ coram Deo, ſed in ſpecie tantum, & corã hominibus: Eliſabeth autem, & Zacharias etiam coram Deo iuſti erant, &c. Cura (inquit Gregorius Nazianzenus in carmine octauo de virtute humana) vt non videaris, ſed vt ſis optimus. Natura hominẽ perfectũ efficit, non externa ſolum mẽbra, ſed interna quoque viſcera efformat; ars externa tantum membra effingit, ad interna non penetrat. Similem in modũ gratia hominem intus, foriſque coram Deo & hominibus perficit; hypocriſis externa tantũ virtutis lineamenta pingit. *A foris* (ait Dominus) *paretis hominibus iuſti; intus autem pleni eſtis hypocriſi, & omni iniquitate.* de anima iuſti dicitur: *Omnis gloria eius ab intus*; at hypocritarũ omnis gloria à foris; *A foris* (inquit Chriſtus) *paretis hominibus iuſti.* picturæ ſimiles ijs erant, iuſtitiæ quandam imaginem extrinſecus depictã præferebãt, intus latebat iniquitas. Iure optimo admonet Nazianzenus in carmine citato, ne depictæ & miniatę naui ſimiles ſimus; quæ externi quidem, & nothi ſplendoris multum, firmitatis, & roboris habeat nihil, nullis clauis compacta, nullis aduerſus tempeſtates præſidijs munita ſit.

Theophylact. Virtus & coram Deo, & coram hominibus.

D. Gregor. Nazianz.

Matth. 23.

Pſal. 44.

Idq; caue (ait Gregorius) *minio ne tincta carina,*
Atque notho ſplendore nitens, falſóque decore,
Ducatur rapidi grauia ad diſcrimina ponti.
Sed bona, ſed clauis firme compacta periti
Artificis manibus, leuiterq; per aquora currens.

Ii qui externam tantum virtutis præferunt laruam, naui extrinſecus inauratæ ac depictę, ſed rimis plenę ſimiles ſunt; quę pelagi fluctus auide ſorbet, tandemq; mergitur. Qui verò & ante Deum, & ante homines iuſti ſunt, ij naui ſimiles ſunt extrinſecus quidem ornatæ, internis verò virtutũ clauis firmiter compactæ; quæ proſperum in cæleſtem Ieruſalem curſum tenet. Non foris ſolum, verum intus etiam auro tecta erat teſtamenti arca; eundem in modum non foris ſolum virtutem ſplendeſcere, ſed multo magis intus in pectore Chriſtiano rutilare oportet: *Homo enim videt ea qua parent, Dominus autem intuetur cor.* Potuit Iacob alieno indutus habitu à patre cæco benedictionem reportare; at nõ poterit hypocrita à Deo cor intuente, etiam ſi alieno virtutis amictu ſe operiat, æternam benedictionẽ conſequi. Demus ergo operã, vt ante Deum iuſti ſimus; Zachariam & Eliſabetham imitemur, Paulũ quoque, cuius illa eſt vox: *Ego omni conſcientia bona conuerſatus ſum ante Deum, vſque in hodiernam diem.* Illa item: *in hoc & ipſe ſtudeo, ſine offendiculo conſcientiã habere ad Deum, & ad homines ſemper.*

1. Reg. 16.

Hypocrita.

Act. 23. Act. 24.

Præcepta Dei vita cæli. Pſalm. 118.

Secundò; Incedebant Zacharias & Eliſabetha in mandatis Dei. Hæc via eſt Chriſtianorum, lex Dei; hac itur ad aſtra. Dauid: *Beati immaculati in via, qui ambulãt in lege Domini.* Beatos dicit eos, qui in lege Domini incedunt, quia hac via in beatitudinem tenditur; quaſi diceret; vt ait D. Auguſtinus, in Commentariis eiuſdem pſalmi. Quò itis homines? peritis, & neſcitis, non illac itur, qua pergitis, quo peruenire deſideratis. Nam beati eſſe cupitis, ſed miſera ſunt, & ad maiorem miſeriam ducunt itinera iſta; quæ A curritis. Tam magnum bonum (id eſt beatitudinem) quærere per mala nolite. Si ad illud peruenire vultis, huc venite, hac ite, &c. *Si vis ad vitam ingredi*, ait Dominus, *ſerua mandata.* & : *In æternum non obliuiſcar iuſtificationes tuas; quia in ipſis viuificaſti me*, id eſt, vitam dediſti mihi.

D. Auguſtin.

Eſt arcta via hæc; ſed Deo fauente fit lata; anguſto cordi anguſta eſt, lato cordi lata. Sic Dauid canit eodem pſalmo: *Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilataſti cor meum*, dilatat autem cor iuſtitiæ amor, & delectatio. Cordis dilatatio (ait Auguſtinus) iuſtitię eſt delectatio: hoc munus eſt Dei, vt in præceptis eius non timore pœnę anguſtemur, ſed dilectione dilatemur, & delectatione iuſtitiæ delectemur, &c. Hęc delectatio cor Dauidis dilatabat; eodem enim pſalmo: *In via* (inquit) *teſtimoniorum tuorum delectatus ſum, ſicut in omnibus diuitijs*: rurſus: *In iuſtificationibus tuis meditabor, non obliuiſcar ſermones tuos.* Hieronymus vertit: *In iuſtitijs tuis delectabor*; Biblia regia, *in ſtatutis tuis deliciabor.* Pſal. 18. Iuſtitiæ Domini rectæ lætificantes corda, Itẽ: *Dei iudicia dicuntur deſiderabilia ſuper aurum, & lapidem pretioſum multum, & dulciora ſuper mel & fauum.*

Via Dei arcta, & lata. Pſalm. 118.

Pſal. 118. Præcepta Dei ſuauiſſima.

Pſal. 18.

Facilem prętęrea & latam viam hanc reddet, eorum nominum memoria, quibus ſuprà iam diximus mandata Dei nominari. Etenim mandata dicuntur, vt ait Theodoretus, tamquam regio more à Deo imperata. Deus eſt, qui imperat, quis non obediat? Admirabile ſanè eſt quod Baptiſta Fulgoſus, lib. 1. dictorum factorumque memorabilium, cap. 1. narrat. Cum ad Arſacinos (hoc genti nomen) publica fide accepta Henricus Campanię Comes profectus eſſet, & ab Antiochia Tyrum verſus iter haberet; horum princeps, vt gentis obedientiam declararet, oſtenſis in ſummitate celſę turris aliquot hominibus vnum nominatim euocauit. Is vero nulla mora facta, à turri ſe demiſit, caſuque detritus vitam amiſit. Et cum alios etiam vocare vellet, comitis obſtupefacti precibus vix eſt retentus. Hęc Fulgoſus. Horrendum vides facinus, hominem ſeſe è turri prącipitantem; vt principis ſui imprudenti mandato obtemperaret, factoque ipſo dicẽtem, princeps imperat, etiam cum vitę diſcrimine parendum eſt. Quid Chriſtianum geſtis ipſis dicere oportet, cui non imprudens aliquis princeps, ſed Deus? Imperat Deus ſapientiſſimus; etiam cum certiſſimo vitę periculo, ſi ita iubeat, obediendum eſt. Sic Abrahamus obediuit iuſſus à Deo filium immolare; quamuis à ratione alienum mandatum videbatur, quia tamen Deus prącipiebat, mox mandatum eſt executus. Nam vt egregiè dixit Auguſtinus, lib. decimo ſexto de Ciuitate Dei, capite 32. diuino intonante prącepto, obediendum eſt, non diſputandum: *A iudicijs tuis non declinaui* (ait Vates) *quia tu legem poſuiſti mihi*, id eſt, prąceptis tuis ſtudioſe obtemperaui, quia tua erant, nimirum ſummi regis, ac Domini amantiſſimi.

Theodoretus.

Dei mandatis magna debetur obedientia.

Fulgoſus.

D. Auguſt.

Pſalm. 118.

Dicuntur prętęrea Dei mandata iuſtificationes, quia ſi ea non obſerues, iuſtus, Deique amicus eſſe non potes; *ſi diligitis me* (ait Dominus) *mandata mea ſeruate.* Et: *Qui dicit ſe noſſe Deum, & mandata eius non cuſtodit, mendax eſt; qui autem ſeruat verbum eius, verè in hoc charitas Dei perfecta eſt*, &c. Nam vt Greg. homil. 30. in Euangelia ait; Probatio dilectionis, exhibitio eſt operis; verè enim diligimus, ſi ad mandata Dei, à noſtris nos voluptatibus coarctamus.

Ioannis 14. 1. Ioan. 3.

D. Gregor. Magnus.

Appellantur item teſtimonia, quia teſtantur Deũ eſſe hominum dominum; domini enim eſt mandata ſeruis præſcribere, teſtantur prętęrea Deum eſſe ſanctiſsimum, ac iuſtiſſimũ, omnia enim illius mandata ſanctiſſima ſunt, ac iuſtiſſima, iuxta illud: *Iudicia Domini recta, iuſtificata in ſemetipſa*, teſtãtur hominẽ eſſe ſeruum, bonũ quidẽ ſi ea ſeruet; nequã verò ſi illis non obtemperet. Teſtantur quoq; ſupplicia illa perfrin-

Pſal. 118.

fringentibus, & prȩmia obſeruantibus propoſita.

Appellantur quoque iudicia, vt ait Theodoretus, quia diuinas ſententias, & iudicia oſtendunt. *Sermo,* ait Chriſtus, *quem locutus ſum, ille iudicabit eum in nouiſsimo die,* id eſt, dignum condemnatione oſtendet. Hæc maximè res facilem mandatorum efficit viam ſupplicij ȩterni, prȩmijque recordatio. Ait Dauid: *Inclinaui cor meum ad faciendas iuſtificationes tuas in ætern ũ, propter retributionem,* id eſt, etiam ſi mihi vita ſuppeteret æterna, nunquam à mandatis diſcederem tuis; tanti enim ponderis eſt propoſita pœna frangentibus, & præmium obſeruãtibus, vt cor meum, veluti onuſtam lancem ad obſeruantiã trahat. Trutinæ ſimile eſt animæ conſilium (ait hoc loco Theodoretus) mens vero, quæ ducis vice fungitur, funiculum tenet; ſi igitur pijs cogitationibus ſe applicuerit, neceſſe eſt ad meliora ſtateram vergere. hoc ſe feciſſe vates ait: *Inclinaui cor meum ad faciẽdas iuſtificationes tuas;* etenim cum perſpexerim lucrum, quod hinc percipi ſolet, libens pro his ſudores ſuſcepi, &c. D. Hieronymus vertit: *Inclinaui cor meum, vt facerem iuſtitias tuas, propter æternam retributionem.* Item: *Seruus tuus cuſtodit ea, in cuſtodiendis illis retributio multa.* Hieronymus transfert: *In cuſtodiendis eis fructus multus.* Quantus autem fructus, & retributio, præcepta ſeruantibus obueniat, docet liber Deut. *Si audieris vocem Domini Dei tui, vt facias, atque cuſtodias omnia mãdata eius, quæ ego præcipio tibi hodie, faciet te* Dominus Deus tuus excelſiorem cunctis gentibus quæ verſantur in terra, *veniẽntque ſuper te vniuerſæ benedictiones iſtæ, & apprehendẽt te. Si tamen præcepta eius audieris, benedictus tu in ciuitate, & benedictus in agro, benedictus fructus ventris tui, & fructus terræ tuæ, fruct ũſque iumentorum tuorum, benedicta horrea tua, & benedictæ reliquiæ tuæ; benedictus eris ingrediens, & egrediens, &c.*

Mandata omnia ſeruanda.

Tertiò; Incedebant Zacharias & Eliſabetha in mandatis omnibus. Nõ enim ſatis eſt aliqua obſeruare; omnia exequi neceſſe eſt. non eſt ſatis dimidiata incedere via, totam conficere oportet, iuxta illud vatis: *Viam mandatorum tuorum cucurri,* totam ille, non partem currebat; vnde illud Domini: *Inueni virum ſecundum cor meum, qui faciet omnes voluntates meas;* non vnam aliquam, ſed omnes. Amicorum enim eſt, amici voluntatibus, quæ iniquæ non ſint, obſequi, quæ autem voluntates ſanctiores eſſe poſſunt, Dei, qui ipſamet ſanctimonia eſt volũtatibus? *Fiat voluntas tua* (quotidie precamur) *ſicut in cœlo & in terra:* in cœlo omnes Dei voluntates fiunt, idem in terra quoque vt fiat, toto conatu eſt elaborandum. *Ad omnia mandata tua dirigebar,* ait vir ille ſecundum cor Dei, *omnem viam iniquam odio habui.* Item: *tunc non cõfundar, cum perſpexero in omnibus mandatis tuis.* Omnia Dei præcepta diligenter ſunt perſpicienda; ne vel vno neglecto confundamur.

Mandata Dei ſpecula ſunt animæ exornanda propoſita.

Feminę, vt ſe comat, atque exornet, ſpeculũ vnũ ſat eſt; animam vero tot ſpecula inſpicere oportet, quot ſunt Dei mandata; etenim præcepta intuens fidei, intellectũ veluti caput exornat; præcepta deinde inſpiciens ſpei, atque charitatis, voluntatẽ veluti faciem decorat; præcepta ſacramentorum cõtemplans, gratia veluti pretioſiſſima veſte, ex illis opulẽtiſsimis theſauris deprõpta, ſe induit, denique præcepta reliqua cõſiderans, ſanctis operibus veluti aureis monilibus ac gẽmis, decorẽ ſibi ſummũ aſciſcit. Quamobrem merito Magnus Greg. hom. 17. in Euangelica, mandata cũ ſpeculis confert: *Specula* (inquit) *ſunt præcepta Dei, in quibus ſe ſanctæ animæ ſemper aſpiciunt, & ſi quæ in eis ſunt fœditatis maculæ, deprehendunt,* &c. Qui ſpeculum non aſpicit, vultus ſui maculas nec videt, nec abluit, domo maculis fœdatus exit, irridetur, pudore ſuffunditur: ita is qui mãdata Dei veluti ſpecula non intuetur, criminũ ſuorum turpitudinem nec cernit, nec expurgat, è vita ſcelerum maculis notatus exit, corã Deo & Angelis erubeſcit, ac cõfunditur. Oportet ergo in omnibus mandatis (vt vates ait) perſpicere, ne cõfundamur. *Beatus qui impleuit deſiderium ſuum ex ipſis, non confundetur cum loquetur inimicis ſuis in porta.* D. Hier. vertit: *Beatus vir, qui impleuit pharetram ſuam ex ipſis,* videlicet filijs, vel ſagittis. Beatior ſane qui pharetram ſuã ex obſeruatis impleuerit mandatis, ijs enim veluti ſagittis acutiſſimis hoſtes repellet, & non confundetur, cũ loquetur inimicis ſuis in porta, hoc eſt, morte, quæ porta eſt, qua hinc egredimur.

Tulit Hanon ſeruos Dauid, raſitq; dimidiam partem barbæ eorum, & præſcidit veſtes eorum medias vſque ad nates, &c. Sequitur; *Erãt viri confuſi turpiter valde.* Erant Dauidis ſerui confuſi turpiter valde, quod dimidiam barbæ partem; dimidiaſque eorũ veſtes rex Ammonitarũ præſciciſſet, Deus bone, quanto maiori ignominia & pudore ſuffundẽtur Chriſtiani, quibus vel dimidiam mandatorũ partem, vel vnum ſaltem aliquod mandatum, Cacodæmon præſciderit? Erunt ſanè confuſi turpiter valde apud inferos, in ſempiternũ, niſi æternam confuſionem, momentanea cõfeſsionis veræ cõfuſione depulerint. *Eſt enim,* vt ait Eccleſiaſticus, *confuſio adducens gloriam, & gratiam;* De hac ſancta confuſione dicitur: *Nẽſciuit iniquus confuſionẽ,* vnde illud: *Frõs meretricis facta eſt tibi; noluiſti erubeſcere.* Auguſt. Pſal. 30. eſt quędam cõfuſio tẽporalis, vtilis perturbatio animi reſpicientis peccata ſua. Hanc confuſionem non formidet Chriſtianus, imo ſi hãc non habuerit, æternam habebit, &c.

Cõfuſio vera confuſionis, confuſionem æternã pellit.

Denique bonũ, vt aiunt, ex integra cauſa eſt, bonus ergo homo non eſt, niſi ex integra totius legis obſeruatione: *Deũ time, & mandata eius obſerua:* hoc eſt enim omnis homo, hoc eſt integer homo, in hoc poſita eſt hominis integritas, & beatitudo, hoc hominem omnibus numeris reddit abſolutum.

Quartò, Incedebant Zacharias & Eliſabetha in omnibus mandatis Dei, ſine querela; hoc eſt ſine hominum vlla reprehẽſione ἀμεμπτος, vt grȩcè habetur, id eſt, irreprehenſibiles. Vt enim (ait Apoſtolus) *prouidebant bona non tantum coram Deo, ſed etiam coram hominibus,* iuſti erant ante Deum, etiã ante homines. *Chriſti bonus odor ſumus,* ait Paul. odor etſi in intimo ſinu ſit, foras prodit, latere neſcit: ita virtus etſi in profundo ſit corde abdita, veluti odor ſuauiſsimus in plateas è ſancto prodit pectore. De Virgine Deipara illud Eccleſia. canit: *In plateis ſicut cinnamomum, & balſamum aromatizans odorem dedi:* cinnamomi enim & balſami inſtar virtus, non domi ſolum, verum in ipſis quoque triuijs & cõpitis odoris ſuauitatem circumquaque diffundit.

Virtus odorẽ foras è pectore emittit.

Induimini (ait idem Paulus) *Dominum Ieſum Chriſtum.* Veſtis omnibus, qui nos intuentur, conſpicua eſt: ſi igitur Chriſtum induamus, Chriſti in nobis virtutes, cunctis erunt manifeſtæ. Fœmina illa Solem non in corde habuiſſe dicitur, ſed extra, *Mulier* (inquit) *amicta Sole:* ſi Solem iuſtitiæ habes intus in corde, foris quoque te amiciat, vt cæteros homines virtutis exemplo ipſe incendas. *deriuentur fontes tui foras,* vt eſt in Prouerbijs: Conſcientia pura Deo obſequere, exemplo externo homines ne offende, ſine querela viue vt Zacharias, & ſine cuiuſquam offendiculo: *In hoc* (ait Paul.) *& ipſe ſtudeo ſine offendiculo conſcientiam habere ad Deum, & ad homines ſemper,* & Petr. *Conuerſationem* (inquit) *veſtram inter gentes habentes bonã; vt in eo quod detrectant de vobis tanquam de malefactoribus, ex bonis operibus vos conſiderantes, glorificent Deum in die viſitationis,* &c. Et infrà: *ſic eſt voluntas Dei, vt benefacientes, obmuteſcere faciatis imprudentium hominum ignorantiã.* Iudith. *Erat Iudith in omnibus famoſiſsima, quoniam timebat Dominum valde, nec erat qui loqueretur de illa verbum malum.*

Exemplum bonum omnibus exhibendum.

lum. Præclaræ famæ Iudith erat, ſine querela, vt Zacharias noſter, & Eliſabetha viuebat, odoremque nominis ſuauem exhalabat. Odoriferum vnguentum eſt præclara virtutis fama; & exemplū. Cant. 1. Vnde illud: *Oleum effuſum nomen tuum*; id eſt, fama nominis tui odorifero vnguento per orbem effuſo eſt ſimilis.

Cauendæ ſunt muſcę, cauenda vitia; vt enim dicitur: Eccleſ. 10. *Muſcæ morientes perdunt ſuauitatem vnguenti.* Si mortuæ muſcæ vnguenti ſuauitatem perdunt, quanto ſcelera magis nominis perdent ſplendorem: Prouerb. 10. *Memoria iuſti cum laudibus; & nomen impiorum putreſcet.* Putridum eſt nomen impiorum, ac fętidum, iuſtorum vero nomen tam dum viuunt, quā poſtquam vita excedūt, exempli ſemper ſuauem odorem efflat. Septuaginta interp. vertunt; *Nomen impij extinguitur*: eſt lucernæ ſimilis nominis ſplēdor. ore extinguitur lucerna; ore hominum extinguitur fama. Si probus fueris, inflammata durabit; ſi criminibus te obſtringas, hominum flatu extinguetur.

CAPVT V.

Morale.

QVinto, Zacharias bonus ſacerdos, boni eſt exemplar ſacerdotis; illius nomen memoriam domini ſignificat à verbo זכר Zachar, quod meminiſſe, & nomine יה Iah, quod Deum ſonat. Bonus enim ſacerdos Deū ſemper ante oculos, ſemper in memoria geſtare debet. Olim ſacerdos ſummus nomen Dei, quod tetragrammaton appellāt, in capite geſtabat, quid noſtris ſacerdotibus faciendum ſit adūbrabat. ille in capite, nos in intellectu, memoriaque Deum feramus: *Ante Deum* (vt ait Euāgeliſta) *fungebatur ſacerdotio Zacharias*; is ſacerdotio fungitur ante Deum, qui Deum ante oculos ſemper habet, non tēporalia lucra. Simon Caſſianus hoc loco: Qui ex ſacerdotio (inquit) humana fulcimenta conquirit, ante Deum ſuo ſacerdotio non fungitur, ſed ante id quod ex illo affectu ſectatur. Væ ei, qui ante homines, & propter lucra ſectanda; non ante Deum ſacerdotio fungitur. Vtilius eſſet ligonibus, quam ſacerdotio captare ſtipendia. Hæc Ille.

De ſacerdotis munere. *Simon Caſſianus.*

Non fungebantur ſacerdotio ante Dominum, hoc eſt, nō ferebant Deū ante oculos, vt illū timerēt ac venerarētur, filij illi Heli, de quibus ſcriptū extat: 1. Reg. 2. *filij Heli, filij Belial neſcientes Dominum, neque officiū ſacerdotū ad populū.* heu quot ſunt noſtris tēporibus ſacerdotes neſcientes Dominum, neque officium ſacerdotum, qui officio ſacerdotū ad terrena potius, quàm ad cœleſtia lucra captāda funguntur, ſimiles filiis Heli: 1. Reg. 2. *Quicunque immolaſſet victimā, veniebat puer ſacerdotis* (vt dicitur eodem capite) *& habebat fuſcinulam tridentem in manu ſua, & mittebat eam in lebetem, vel caldariā, & omne quod leuabat fuſcinula, tollebat ſacerdos ſibi.* Fuſcinulam tridentē habet is ſacerdos, qui terrenarū rerū cupiditate flagrat, eſt enim cupiditas fuſcinulæ tridentis inſtar, tres habēs dentes, cupiditatē argenti, cupiditatē honoris, cupiditatem voluptatum. Hanc qui improbus eſt ſacrorum miniſter, in quamcumque valet ollā immittit, & quicquid trahit, ſibi tollit. Probus vero ſacerdos fuſcinulam tridentē procul abjicit. Nam vt obſeruat Bernardus in ſermone de verbis Petri, *ecce nos reliquimus omnia*: Petro dictum eſt, paſce, non mulge. Petro (inquit) dictum eſt, *paſce oues meas*, idēque tertio repetitum, tertiò dictū, paſce, nec mulge, ſeu tonde vel ſemel additum eſt. Hæc Bernardus.

D. Bernard. Sacerdotes lucra temporalia nequaquam quærant, ſed ſpiritalia.

Non ſunt paſcendæ oues, vt vel tondeantur, vel mulgeantur, ſed tondendæ ſunt, vel mulgendæ, vt paſcantur. Non paſcunt probi paſtores, vt comedant, ſed comedunt vt paſcant. non paſcunt oues Chriſti, vt ſe ipſos illarum fœtu paſcant; ſed paſcūt ſeipſos illarum fœtu, vt eas poſſint Chriſti pabulo paſcere. In hanc ſentētiam exponit verba Chriſti, *Paſce oues meas*, Auguſtin. tract. 123. in Ioan. Si me (inquit) diligis, non te paſcere cogita, ſed oues meas; ſicut meas paſce, non ſicut tuas. gloriam meam in eis quære, non tuam; lucra mea, nō tua, &c. Et Gregorius hom. 17. in Euangelia: Verus quiſque prædicator non ideo prædicare debet, vt in hoc tempore mercedem recipiat, ſed ideo mercedem recipere, vt prædicare ſubſiſtat, &c. Et in Epiſtola 28. ad Marianum Epiſcopum: Inſtanter (inquit) te admoneo, quod ſic rectè conſideres, vt non plus pecuniæ quā animabus ſtudeas; illud à lātere reſpiciendum eſt, ad hoc autem tota mentis intentione laborandū, ac vehementius enitendum, huic rei operam & ſolicitudinē vigilanter impende. Quia redemptor noſter à ſacerdotis officio non quærit aurum, ſed animas, &c. Itaque fas eſt ſacerdoti ſacerdotij ſui fructibus potiri, 1. Corint. 9. *non enim alligandum eſt os boui trituranti*, vt Paulus ſcribit: Et qui altari deſeruiunt, cum altari participant. At non eſt ſacerdotium ad hæc infima bona conferendum: ſed ad Dei præcipuè laudem, animarumque lucrum dirigendum.

D. Auguſt. *D. Gregor.* 1. Corint. 9.

Animum quæſo ad verba Pauli illa adjice: *non alligabis os boni.* Cui nam boui, nunquid ludenti? nūquid laſciuienti? nunquid otio vacanti? *Non alligabis* (inquit) *os boui trituranti*, boui, inquam, in area laboranti. Hoc illud eſt quod idē eximius Apoſtolus Theſſalonicenſibus denuntiauit: 2. Theſſal. 3. *Cum eſſemus apud vos, hoc denunciabamus vobis, quoniam ſi quis non vult operari, nec manducet.* Qui manducant, nec laborant, Magnum Eccleſiæ ſacerdotem Gregorium audiant, hom. 17. in Euangelia: Quid nos (inquit) quod tamen ſine dolore dicere nō poſſumus, quid nos ô paſtores agimus: *De ſacerdotibus, qui fructus carpunt eccleſiæ & laborem Eccleſia non impendunt.* qui & mercedem conſequimur, & tamen operarij nequaquam ſumus? fructus quippe ſanctæ Eccleſię in ſtipendio quotidiano percipimus, ſed tamen pro æterna Eccleſia minime in prædicatione laboramus. Penſemus cuius damnationis ſit, ſine labore hic percipere laboris mercedem. Ecce ex oblatione fidelium viuimus: ſed nunquid pro animabus fidelium laboramus? illa in ſtipendium noſtrum ſumimus, quę pro redimendis peccatis ſuis fideles obtulerunt, nec tamen contra peccata eadē, vel orationis ſtudio, vel prędicationis, vt dignū eſt, inſudamus. Hęc ille, & alia quę breuitatis cauſa prętcindo. Lege Bernardum in illa D. Petri verba: *Ecce nos reliquimus omnia.*

D. Gregor.

Alterius quoque criminis inſimulantur filij Heli, qui ante Deum ſacerdotio non rectè fungebantur. Vt enim ſcribitur: 1. Reg. 2. *Dormiebant cum mulieribus, quæ obſeruabant ad oſtium tabernaculi.* A Chriſtianis ſacerdotibus hoc vitium longiſſimè exulet. Exulabit autem, ſi ante Deum munus excellentiſsimi ſacerdotij obeant, illudque præſtent, quod Ethnicus etiam philoſophus Seneca Epiſtola 10. conſuluit: *Sic* (inquit) *viue cum hominibus, tanquam Deus videat.* Qui enim Dei oculos in ſe ſemper defixos contemplatur, is quomodo impiis filijs Heli ſimilis eſſe, quomodo turpe aliquid perpetrare, animaſque in tartarum venari audebit? *Audite hoc ſacerdotes, attendite domus Iſrael, & domus regis auſcultate, quia vobis iudicium eſt, quoniam laqueus facti eſtis ſpeculationi, & rete expanſum ſuper Thabor, & victimas declinaſtis in profundum.* Audite, inquam, hoc ſacerdotes; vobis iudicium, ſupplicīque grauiſsimum imminet, ſi forſitan caſtitatis, quā prœcellētiſsimo muneri debetis, obliuiſcamini,

De caſtitate ſacerdotum. Oſee 5.

animiſque laqueos expandatis, quos ex laqueis eri-
Hieronym. pere debetis; Hieronymus locum ſic exponit; ſpeculatores, & principes vos conſtitui, vt populũ regeretis errantem; vos autem facti eſtis laqueus, & non tam ſpeculatores, & principes, quã venatores
Theophyl. appellandi, &c. Et Theophylactus in Oſeam; Qui (inquit) conſtitutus eſt vt doctorem agat, ſi vel reprehenſibilem vitam duxerit, vel prauam doctrinã euulgauerit, retè fit iis qui in eum defigunt oculos: retè autem fit, non quale diſcipuli Chriſti piſcatores habuerunt, verbum nempe miraculis contextum, ſed quale venantes ſemper venationem animarum Dæmones inflixerunt, &c.

Denique, vt ad alia tranſeamus: ſacerdotes, quorum munus eſt animas in cœlum attollere, muneri B ſuo aduerſantur, ſi improbi ſint. Nã animas in profundum tartarum præcipitant. Vnde apud Oſeam dicitur, *& victimas declinaſtis in profundum.* Victimæ Deo gratæ animæ ſunt, has, ſimulque ſeipſos cum ipſis in profundum, qui flagitia non cauent, ſacerdotes declinant. In monte Thabor (ait Hieronym. explicans hunc locum) excelſo, atq; pulcherrimo, qui interpretatur veniens lumẽ, inſidias poſuerunt, vt deceptos quoſque pertraherent in profundum, &c. Sic huiuſmodi homines in Thabor pulcherrimo, id eſt, in ipſa ſacerdotij pulchritudine, animis fœditatem afferunt, in ipſa puritate inquinant, puritatem enim ſonat Hebræis Thabor, in ipſo lumine tenebras offundunt, in ipſa celſitudine in pro- C fundum præcipitant. Denique ex paſtoribus lupi fiunt; Conſiderate (ait Gregor. Magnus hom. 17. in Euangelia) quid de gregibus agatur, quando paſtores lupi fiunt.

Quali præterea vita ſacerdos præcellere debeat, illud adumbrat, quod Zacharias ſacerdos ſancta in-
Vita ſacerdotum à vulgari, & populari vita, longe diſtare debet. greſſus eſt, populus verò foris manſit. *Omnis multitudo populi* (inquit Lucas) *erat orans foris hora incenſi.* Soli enim ſacerdotes in ſancta introibant, populus in atria. Videlicet, ſacerdotem ad intimam ſanctitatem, Dei amicitiam, & arcanam ſcientiam oportet penetrare, ad quam populus non accedit, populumque ipſum tam ſcientia, quam virtute, ſuperare. Audiamus Hieronymum in Commentariis Epi- D
D. Hieron. ſtolæ ad Titum, cap. 2. Non ſolùm Epiſcopi, Presbyteri, & Diaconi, debent magnopere prouidere vt cunctum populum, cui præſident, conuerſatione & ſermone præcedãt, verum & inferior gradus, exorciſtę, lectores, ęditui, & omnes omnino, qui domui Dei ſeruiunt. Quia vehementer Eccleſiam Chriſti
Autor imperf. deſtruit, meliores laicos eſſe, quã clericos, &c. Autor verò imperfecti operis, hom. 40. in Matth. Verè (inquit) magna confuſio eſt ſacerdotum, & omniũ clericorum, quãdo laici inueniuntur fideliores eis, aut iuſtiores. quomodo autem non ſit confuſio eſſe illos inferiores laicis, quos etiam æquales eſſe confuſio eſt, &c.

Non confuſionẽ ſolùm, ſed contemptum etiam
Titum 2. ſacerdotibus vulgaris vita ac popularis parit: *Nemo te contemnat* ſcribit Paulus. Exponit autem Hieronymus in hanc ſententiam: *Nemo te contemnat*, quod exiſtimet ſe eſſe te meliorem. *περιφρόνησις*, ait Hieronymus, (id eſt, contemptus) quæ nunc ad Titum ponitur, illum ſenſum habet: Nemo eorũ, qui in Eccleſijs ſunt, te ſegniter agente, ſic viuat, vt ſe ſe putet eſſe meliorem. qualis enim ædificatio erit diſcipuli, ſi ſe intelligat magiſtro eſſe maiorem? &c.

Quam verò debeat à vulgari ac populari vita di-
D. Ambroſ. ſtare vita ſacerdotum, docet præclare D. Ambroſius in Epiſtola 6. ad Irenæum, iuxta illud Pythagoræ mandatum, quo diſcipulos ſuos communem, atque vſitatam populo prohibuit ingredi viam. Vides (inquit) nihil in ſacerdotibus plebeium requiri, nihil A populare, nihil commune cum ſtudio, atque vſu, & moribus inconditæ multitudinis? ſobriam à turbis grauitatem, ſeriam vitam, ſingulare pondus dignitas ſibi vendicat ſacerdotalis. Quomodo enim poteſt obſeruari à populo, qui nihil habet ſecretum à populo, diſpar à multitudine? quid enim in te miretur, ſi ſua in te recognoſcat? ſi nihil in te aſpiciat, quod vltra ſe inueniat, ſi quæ in ſe erubeſcit, in te, quem reuerendum arbitratur, offendat? ſupergrediamur igitur plebeias opiniones, & ſtrata quædam gregalis cõuerſationis, ac detritæ viæ orbitas declinemus, ac vulgaris ſemitę ſolum, ſed quęramus nobis viam inacceſſam ſermonibus inſolentiũ, inuiã operibus imperitorum, quam nullus maculoſus deterat. Et infrà: Sit noſtra via anguſtior, virtus exuberãtior, trames preſſior, fides ſublimior, callis arctior, vigor mentis exundans, ſemitæ rectæ, ſit greſſus ad ſuperiora: Hactenus Ambroſius.

Ad hęc, Zacharias ille in omnibus mandatis Domini incedẽs ſine querela, ſacerdos ille iuſtus ante Deum, quid Domino offerebat? incenſum, vt Lucas docet: *Sorte* (inquit) *exijt, vt incenſum poneret, ingreſſus* *D. Ignatius.* *in templum Domini.* Offerebat etiam panes, & pecora. At noſtri ſacerdotes quid offerunt? Deus bone, quæ hoc lingua, quæ vox poſſit explicare? Non pecora, ſed Chriſtum ipſum Dei filium, patri ſingulis offerunt diebus. Oblatio hæc quales nam flagitat ſacerdotes? plane ſimiles Zachariæ, iuſtos ante Deũ, incedentes in omnibus mandatis Domini. Talem Philadelphienſium fuiſſe Epiſcopũ in Epiſtola ad Philadelphienſes diuus Ignatius ita ſcribit: Conſpecto veſtro Epiſcopo, cognoui, quod non à ſe ipſo, neque per homines, ad dignitatem euectus eſt, vt ſuſciperet miniſterium hoc cõmunis Eccleſiæ, nec per inanem gloriam, ſed in charitate Ieſu Chriſti, & Dei Patris, qui ſuſcitauit eum ex mortuis. Cuius obſtupui modeſtiam; qui tacitus plus poterit, quam alij, qui plurima loquuntur. Se ſe namque compoſuit, ad Chriſti mandata, & iuſtificationes, nõ ſecus atque nerui intenduntur in cithara, ad muſicam harmoniam, eſtque inculpatus nõ minus atque Zacharias ſacerdos, &c. Sanctos ſacerdotes antiquæ oblationes poſtulabant, iuxta illud: *Sancti erunt* *Leuit. 21.* *Deo ſuo, & non polluent nomen eius, incenſum enim Domini & panes Dei ſui offerunt*; & ideo ſancti erunt: ſanctiſſimos verò nouum admirandumque Euchariſtiæ ſacrificium depoſcit. Quo enim (vt ait Chryſoſto- *D. Chryſoſt.* mus hom. 60. ad populum Antiochenum) nõ oportet eſſe puriorem, tali fruentem ſacrificio? quo ſolari radio non ſplendidiorem manum carnem hanc diuidentem? os quod igne ſpiritali repletur, linguam, quæ tremendo nimis ſanguine rubeſcit.

Sextò, obſerua ex illis verbis; *Et omnis multitudo populi erat orans foris hora incenſi*, quanta cum reuerentia ac timore in templo adeſſe debeamus. Sacerdotes (vt diximus, & tom. 2. copioſius explanabimus) ſoli in templum ingrediebantur, thymiamaque Deo adolebant, populus verò, nobiles atque ignobiles, extra templum in ipſis atrijs cõſiſtebant. atque hoc in templo, in quo arca, id eſt, vmbra quædam auguſtiſſimæ Euchariſtiæ aſſeruabatur. O Deus ſum- *De reuerentia, quæ in templis eſt obſeruanda.* me, quid in noſtris non atriis, ſed templis agẽdum? quanta cum attentione rebus diuinis vacandum, quanto cum horrore coram ſtupendo Euchariſtiæ Sacramento vtrunque genu flectendũ, quanta cum veneratione os ad preces aperiendum, quanta cum contritione pectus tundendum, quanto cum fletu crimina confitenda, quanto cum ſilẽtio diuina verba audiẽda, quanta cum animi ſubmiſſione manus in cęlum ſimul cum cogitationibus attollẽdæ ſunt. Seruorum erat antiqui illius populi ſtatus, nõ igitur mirum,

mirum, si à templo ipso submoueretur, & in atrijs iuberetur manere. Noster autem status est filiorũ. Non in atriis veluti serui consistimus; sed in ipsum templum ingredimur.

Genes. 28. *Terribilis sane est locus hic, nihil aliud hic est*, vt Iacob dixit, *nisi domus Dei, & porta cœli*, imò cœlum, in quo non vmbra, id est, arca testamenti asseruatur; sed omnipotens ipse rerum omnium conditor, sub augustissimi sacramenti candido velamine, ac veluti nebula verè habitat, iuxta illud: *Dominus dixit vt habitaret in nebula*, &c. Chrysostomus hom. 36. in priorem epistolam ad Corinth. Ecclesia ait locus est Angelorum, locus Archangelorũ, Regnũ Dei, ipsum cœlum. Quod si non credis, aspicè ad hãc mensam, id est, altare, recordare propter quam causam, & quamobrem hic stet. Cogita quis sit, qui huc procedat: venerare, & obstupescere etiam ante tẽpus. Etenim si quis solum viderit Regis soliũ, animo assurgit, expectans regis exitum, &c.

1. Reg. 8. *D. Chrysost.*

Terribilis sane locus iste est, & summa reuerentia, summoque dignus silentio, quamobrem Chrysostomus eadem homilia eos, qui in templo silentium non seruant, his verbis arguit; An (inquit) domos non habetis ad nugandum; an Dei Ecclesiam despicitis? & eos etiam corrumpitis, qui volunt esse modesti, & quieti? At nobis est suaue, & iucundum alloqui eos, qui sunt nobis noti; nõ hoc vero, sed domi, sed in foro. Ecclesia enim non est locus disputationis, sed doctrinę. Vnde Ambros. libro 3. de Virginibus; Maxima (inquit) est virtus tacendi, præsertim in Ecclesia, &c.

D. Ambros.

Si cœlum est templum, vt Chrysostomus ait, vide quid in cœlo agant Angeli. In ipso templo hæc audis, si sacro attentum te præstas; Maiestatem tuam laudant Angeli, adorant dominationes, tremunt potestates, cœli cœlorumque virtutes, ac beata Seraphim, socia exultatione concelebrant. Id ipsum tu in templo age; lauda, adora, magno cum tremore Deo asta, gloriam Deo cane, iuxta illud: *In templo eius omnes dicent gloriam*: in quem locum benè scripsit Magnus Basilius, hunc in modum; Audiãt hæc Psalmi verba, & confusi suppudescant ij, qui in templo prolixissima intertexunt colloquia. Quid dicit Psalmus? Qui in templo Dei est, non maledicentiam, non vanitatem, ac ne obscœnis rebus disertos sermones pronuntiet; sed in templo eius quisque dicet gloriam. Assistunt verba describẽtes Angeli; adest & Dominus, affectus intrantiũ considerans, &c.

Psalm. 28.

Docent nos ethnici ipsi in templo diuinis tantũmodo rebus vacandum. De Numa Romanorũ Rege hæc scribit Plutarchus, in vita Numę; Quemadmodum Pythagoricos dicunt, non sinere homines per transitum adorare Deos immortales, illosque orare; sed continuo ex ipsa domo mente ad id paratos pergere; ita & Numa decere ciues existimauit, neque audire quidquam rerum diuinarum, neque aspicere per desidiam, atque negligẽtiam. sed vacare à cęteris oportere, mentemque adhibere, perinde vt rei ad pietatem maximæ, ac denique crepitibus, strepitibus, gemitibusq;, & quæcunque huiusmodi necessarios vulgarium artium labores consequuntur, vias vacuas cæremoniis præstare. Quorũ vestigium quoddam in hanc vsque diem seruantes, cum imperator circa auguria, vel sacrificia versetur, clamant HOC AGE; quæ vox quotquot rei interfuerint, & conuertit, & parat. Idem Plutarchus in vita Coriolani, Numa hoc Romanis ad summum Religionis ornamentũ instituisse videtur, vt cum principes, aut sacerdotes rem diuinã faciunt, præco ingenti voce præcedens clamet, HOC AGE; animos sacrificio, scilicet, adhiberi iubens. Hæc Plutarchus.

Plutarchus.

Rebus diuinis attentio adhibẽda, ac silentium.

Præterea vt Marc. Tul. in l. 1. de diuinatione scribit; rebus diuinis, quæ publicè fierent, vt fauerent linguis imperabatur. Vt autem Seneca in li. de vita beata putat, his verbis; FAVETE LINGVIS, silẽtium indicebatur, vt ritè peragi sacrificium posset, nulla voce mala obstrepente. Est etiã verisimile, hac voce populum non vt taceret solum admonitum, sed vt bona etiam verba diceret, ac preces.

M. Tullius. *Seneca.*

Sed quorsum hæc ex Ethnicis petita? vt pudorẽ nobis incutiãt; & vel ab Ethnicis discamus, in templis hoc agere, quod in illis agendum est, fauere linguis tacentibus, seruareque silentium, & cũ sacerdote preces fundere. Nam vt Ambr. scribit lib. 3. de Virginibus; Est ne quicquã indignius, quã oracula diuina circumstrepi, ne audiantur, ne credantur, ne reuelẽtur? circũsonare sacramẽta cõfusis vocibus, vt impediatur oratio pro salute deprõpta omnium? cum gentiles idolis suis reuerentiam tacendo deferunt? Vnde illud exemplũ proditur. Alexandro sacrificante Macedonũ Rege, puerulum barbarum, qui ei lumen accenderet, excepisse ignem brachio; atq; adusto corpore mãsisse immobilẽ, nec dolorẽ prodidisse gemitu, nec tacito pœnã indicasse fletu. Tanta in puero barbaro fuit disciplina reuerẽtię; vt naturã vinceret. Atque ille nõ Deos, qui nulli erãt, sed Regem timebat. Hactenus Ambros. Pueri magnum dolorem regis reuerentia compressit; Dei omnipotentis reuerentia, ac conspectus, linguam tuam tam modico tempore non frenat?

D. Ambros.

Addam & quod idem sanctissimus pater in hãc rem addit; Frequẽs (inquit) sermo est, cum plurima ranarum murmura, religiosę auribus plebis obstreperent, sacerdotem Dei prȩcepisse, vt cõticerent, ac reuerentiã sacræ deferrent orationi, tũc subito circumfusos strepitus quieuisse. Silent igitur paludes, homines nõ silebunt: & irrationale animal per reuerentiam recognoscit, quod per naturam ignorat, hominum tantam esse immodestiam, vt pleriq; deferre nesciant mentiũ religioni, quod deferunt aurium voluptati. Hæc ille. *Te decet Hymnus Deus in Sion*; In Sion, inquam, hoc est, in templo, decet laus, decent lachrymæ, decet pœnitẽtia, decent preces, & reuerentia, decet maximè silentium. Vertit Hieron. *Tibi silentium laus Deus in Sion*, laus Deo est silentium in tẽplo, qui enim in templo silentes cernit Christianos, magnaque cum veneratione sacra & diuinũ verbum audientes, Deum laudat. Itaque silentium laus est, id est, laudis materia. Præterea laus est quædam interna animi, Deum timentis ac venerantis.

Psalm. 64.

Aperite mihi portas iustitiæ (ait Psalmographus) *ingressus in eas confitebor Domino, hæc porta Domini, iusti intrabũt in eam.* Portæ iustitiæ sunt templi ianuæ. In templo enim iustitia & sanctimonia habitat, quamobrem loca antiqui templi sancta, & Sancta sanctorũ appellantur. Intrent igitur portas iustitię iusti, vel si scelerati iustitiæ, gratiæque domum ingrediuntur, iustitiam in ea induant, scelera exuant. Æger es, domum salutis, totiusque ingrederis medicinæ, adhibe medicinam morbo, parata sunt in templo pœnitentiæ, Eucharistięque sacramenta, paratum Dei verbum, eximia sunt hæc animi medicamenta: *Nunquid resina non est in Galaad* (ait Ierem.) *aut medicus non est ibi? quare igitur non est obducta cicatrix filiæ populi mei?* Nunquid resina cœlestium sacramentorum, diuinique verbi non est in templis. Nunquid medici, concionatores, ac confessarij non sunt ibi? Vbiq; abundant, quare ergo æger es? cur animi sanitatem non recuperas?

Psalm. 117. *Ieremiæ 8.*

Si quis veneni aliquid se hausisse suspicatur, protinus Vnicornis cornu vel aliquo alio antidoto illius vim opprimere conatur. Si Peccati mortiferum ebibisti poculum, in templum conuola, ad cornu

Psalm.77. Vnicornis confuge. Etenim vt est in Psalm. *ædificauit Dominus sicut Vnicornium*, scilicet cornu, vel domum, *sanctificium suum*. Sic Chaldæus exponit; *Aedificauit*, inquit, *sicut cornu Naricornis Sanctuarium suum*; Sanctuariũ siue templũ Dei cornu, vel domus est Vnicornis, quia aduersus peccati venenũ remediũ est præsentissimum. Adest in eo pœnitentia, adest Eucharistia, diuini adest verbi pabulum, hæc serpentis tartarei venena extinguunt. ideoque sanctificium à sanctificando templum nominatur.

Denique opulentissimum thesaurum ingressus, ne discede vacuus, sed cœlestibus diuitijs repletus, iuxta illud: *Replebimur in bonis domus tuæ*. Hieron. vertit: *Replebimur in bonis domus tuæ, sanctificatione templi tui.* Felix qui hoc repletur bono, felix qui templi sanctificatione repletus domũ abiit, Ecclesia (ait Chrysost. hom. 1. in Genes.) locus quidam est medicinæ spiritalis, & eos, qui huc veniunt, docet ne domum redeant, nisi congrua remedia acceperint, illaque suis vulneribus adhibuerint, &c. Psalm. 64. D. Chrysost.

CAPVT VI.

De Annuntiatione Angelica, & Christi Optimi Maximi Conceptione, ex Lucæ 1.

IN mense autem sexto, missus est Angelus Gabriel, à Deo, in ciuitatẽ Galilææ: cui nomen Nazareth: ad Virginem desponsatam viro, cui nomen erat Ioseph, de domo Dauid, & nomen Virginis Maria. Et ingressus Angelus ad eam, dixit: Aue gratia plena, Dominus tecũ, benedicta tu in mulieribus. Quæ cũ audisset, turbata est in sermone eius: & cogitabat, qualis esset ista salutatio. Et ait Angelus ei: Ne timeas Maria, inuenisti enim gratiam apud Deum: Ecce concipies in vtero, & paries filium, & vocabis nomẽ eius Iesum. Hic erit Magnus, & filius altissimi vocabitur: & dabit illi Dominus Deus sedem Dauid patris eius: & regnabit in domo Iacob in æternum: & regni eius non erit finis. Dixit autem Maria ad Angelum: Quomodo fiet istud? quoniam virum non cognosco. Et respondens Angelus dixit ei: Spiritus Sanctus superueniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi; ideoque, & quod nascetur ex te sanctũ, vocabitur filius Dei. Et ecce Elisabeth cognata tua, & ipsa concepit filium in senectute sua: & hic mensis sextus est illi, quæ vocatur sterilis. quia non erit impossibile apud Deum omne verbum. Dixit autẽ Maria: Ecce Ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum. Et discessit ab illa Angelus.

Quis sit mẽsis sextus.

POstquam de præcursoris conceptione B dictum est, Euangelica series petit, vt de cõceptione Christi cum Luca dicamus. *In mense*, inquit ille, *sexto missus est Angelus Gabriel à Deo*, &c. non numerat menses à primo anni mense, sed à conceptu Ioannis Baptistæ, de quo egerat. Ita quoque Angelus numerauit, cùm de Elisabethæ grauiditate, virginem certiorem fecit: *Hic* (ait) *mensis sextus est illi, quæ vocatur sterilis*, hoc est, mensis sextus agitur à conceptu Elisabetæ sterilis. Erat autem hic sextus mensis, Martius. Etenim

D. Augustꝰ. vigesima quinta die Martii, Christi conceptionem Ecclesia celebrat. Aug. lib. 4. de Trinit. ca. 5. Octauo Calendas Aprilis, id est, 25. die Martij Christus conceptus creditur, quo die & passus. Idem docet Autor C

Autor quæst. ad Antiochũ Rupertus. D Chrysost. Beda. Haymo. quæstionum ad Antiochum quæst. 17. Rupertus lib. 3. de diuinis officijs c. 19. Chrys. in serm. de Ioanne Baptista Tom. 2. si Chrys. sermo ille est, Beda in Lucam, Haymo, & alij.

Christus mẽse Martio Verno tempore conceptus. Cant. 2. Iud. 6. Isaiæ 45. Ioël. 3. Psalm 103. Verno tempore Christus ad nos venit, post hyemem procellosam *flos ille campi, illud lilium conuallium*, in vtero Virginis natum est, Verno tempore cœlestis *ros in vellus descendit*: Verno tempore *Saluatorem terra germinauit*. Verno tempore *stillarunt montes dulcedinem, colles fluxerunt lac, & mel*. precabatur Deũ Dauid hunc in modum: *Emitte spiritũ tuum, & creabuntur, & renouabis faciem terræ*. Verno tempore emisit Spiritum suum Sanctum Fauoniũ Zephyrũm ve suum Pater, cuius opera Christus conciperetur, homines iterum veluti crearentur, aridæq; terræ facies verno, odoriferoq: flore renouaretur. Hoc tempore è captiuitate Ægyptiaca liberati sunt Israëlitæ, hoc mundus conditus est, vt Ambros. in Hexamero lib. 1. ca. 4. & alij volunt, hoc mundi totius redẽptor è cœlo descendit, hoc mũdo excelsior humanitas est procreata. Anni sacri initio sacrorum, bonorumq; omnium & humanæ salutis fons, & initium, Christus est cõceptus. Hic enim mensis primus est anni sacri. *D. Ambros.*

Nam Hebræi duo habuere anni principia, alterũ anni vulgaris, cuius initium fuit mensis Tisri, Septembri respõdens, alterum anni sacri, cuius initium Nisan, qui nostrum Martium, Aprilemque attingit: *Mensis iste* (ait Dominus) id est, Nisan, *vobis principium mensium*, primus erit in mensibus anni, anni inquam, sacri. Vnde Ioseph Moses, inquit, Nisan mensem primum in suis fastis ordinauit, eundem etiam omnium quę ad rem diuinam pertinuerẽt, exordium fecit. Alioqui quod ad nundinationes rerũ venalium, reliquamque dispensationẽ anni attinet, nihil de pristino ritu innouauit, &c. Quocirca ipse Iosephus eodẽ loco, mẽsem secundũ eum appellat qui sequitur Tisri. Vnde efficitur Tisri esse primũ, anni videlicet vulgaris. & Chrys. illa hom. de Ioan. Bapt. Iudęi (ait) mensem Septembrẽ ipsum nouum annum *Exod. 12. Iosephus l. 1. antiq. c. 3. Mensis Nisan primus anni sacri. Iosephus. Mensis Tisri primus anni vulgaris. D. Chrysost.*

annum nuncupant,cum à Deo initium anni Martium acceperint,&c. Genebrar.initio Chronographiæ,hac de re ſic ſcribit:Hebræi à nouilunio Septembris annum ordiuntur,exiſtimantque eo menſe orbem fuiſſe conditum ,ſecuti ſententiam Rabbi Eleazaris,qui id contra R.Ioſuam defendit. Vnde feſtum tubarum,quod primo die Sept.celebratur,vocãt caput ſeu principium anni.Nec niſi ratione,atque ordine feſtorum,& miniſterij Eccleſiaſtici, Niſan primum menſium dici Exod.12. interpretatur. Quo fit vt in cæteris negotijs,ſiue priuatis, ſiue publicis,itemque in conſignanda temporum ratione, à Tiſri.1.Sept.numerent.& infra: Rabbi Abrahã in 7.ca.Danielis ſcribit,ſuorũ quoſdam annũ incipere à Tiſri,quod is ſit principium orbis cõditi,alios à Niſan,quod eo patres egreſsi ſint ex Ægypto.Nẽpe illis annus duplex,vulgaris & ſacer : vulgaris incipit ab Autumno,menſe Septemb.ſacer ab æquinoctio verno in Martio.Hæc ille.

Ioannes Lucidus in lib.de vero paſſionis die aſſerit,eo anno nouilunium menſis primi Niſan incidiſſe in diẽ 25 Martii, atque adeò in neomenia,ſiue nouilunio Chriſtum conceptum eſſe. Conuenientiſſime(ait)Chriſtus cõceptus eſt in vtero materno, die coniunctionis Lunæ cum Sole, quoniam Chriſtus verus Sol iuſtitiæ,tunc Lunæ ,id eſt,Mariæ, per carnis aſſumptionem coniunctus eſt.D.Aug.ſerm. 18.de Natiuit.ait Chriſtum conceptũ in æquinoctio verno. Chryſ. quoq; in hom.illa citata de Nati. Ioã. Bapt.docet Ioannẽ cõceptum in æquinoctio autũnali 8. Cal.Oct.id eſt,24. die Septembris,in quo eſt inchoatio noctis maior,quam lucis,Chriſtũ vero in æquinoctio verno 8.Calend.Apri.id eſt,25. Martij, qui dies eſt æquinoctialis ad inchoationem lucis.Ioannem præterea natum ſolſtitio æſtiuo,24.die Iunii, & Chriſtum ſolſtitio hyberno 25.die Decemb. poſt duo,inquit,æquinoctia,quæ ſunt duæ cõceptiones; intendenda ſunt duo ſolſtitia.in quibus duæ natiuitates continentur,ſcilicet Chriſti,& Ioannis. Feria ſexta incarnatũ eſſe æternũ verbũ in Virginis vtero ſcribit Rupert.li.3.de diuinis officijs c.19.Dominica,inquit,nocte natus eſt Chriſtus,feria ſexta cõceptus eſt,die quà veterem formauit Adam de limo terræ,nouum ſibi reformare cœpit hominem Deus, de vera carne Virginis Mariæ,eadem die redẽpturus mortis paſsione.Hæc ille.Autor item queſtionũ ad Antiochũ,q.17.quærit,quare 25.die Martij in vtero Virginis clauſus habitare cœpit Chriſtus? Reſpondet,quia eodẽ die in mundi principio creauit Adã, &c. Adam autem primum creauit Deus feria ſexta, eadem feria ſexta poſt quatuor fere annorũ millia, ſecundũ Adam cõcipi voluit.Eiuſdem ſententiæ eſt Clichtoueus in lib.de Annunt.cap.3.Ioannes Lucidus lib.7.cap.2.D. Antoninus 4.p.ſummæ Theologicę tit.15.ca.9.§.4. Viguerius lib. 20. §.9. dicitur, inquit,communiter, quod feria ſexta Chriſtus conceptus eſt, ea die qua creatus fuit Adam. Attamen D.Auguſt.ſer.18.de Nati.arbitratur Chriſtum conceptum die Dominica; Qua die (inquit) conceptus eſt in vtero Virginis,in ipſa reſurrexit ab inferis.reſurrexit autẽ vt compertũ eſt in die Dominica. Veriſimilior eſt prior ſentẽtia. Matutino tempore ſalutatam Virginem credit Magnus Albertus ſuper miſſus,& D,Antoninus loco iam indicato.Clichtoueus id coniicit,tum quod matutino tempore humana mẽs ad diuina percipienda ſit aptior, vnde *manna in caſtra matutino tempore deſcendiſſe* legimus. tũ quod eam diei partem,Virgo dicatur ex more diuinarum rerum cõtemplationi,vſque ad horam tertiã tribuiſſe.At vt ſcribit Petrus Mexia lib. 2.Syluæ c.32.pleriq; arbitrãtur media nocte ab Angelo Virginem ſalutatam.in hanc ſentẽtiam iuit noſter Soa-

Chriſtus cõceptus in æquinoctio verno.

Feria ſexta dicitur cõceptus Chriſtus Rupertus.

Clichtoueus Lucidus. D. Anton. Viguerius.

D. Auguſt.

Quo tẽpore ſalutata fuerit virgo ab Angelo, nocturno ne, an diurno Exod. 16. Albertus Magnus Clichtoueus.

A res 3.p.D.Thomæ in fine explanationum quæſtionis 30.eaque mihi placet. *Soarez.*

Eſt etiam Simonis Caſsiani in Commẽt.Euãgelicis: Nox(inquit)appẽdebatur ex medio,nec adhuc virgo ſua membra in quiete collegerat,vigilantem Angelus inuenit,&c. Virginem igitur ſanctiſsimã mihi videre videor,noctis intempeſtæ ſilentio, genibus flexis orantem,cæleſtemque Regẽ pro mũdi ſalute deprecantem.*Cum vero medium ſilentium tenerent omnia,& nox in ſuo curſu medium iter haberet ; omnipotens Dei verbum à regalibus ſedibus in eius vterum, admirandũ in modum deſcendiſſe*,puto veriſimile. Nocte media conceptus , nocte media in mediis tenebris ortus eſt Sol,qui vt tenebras toto orbe pelleret,oriebatur. *Simon Caſſi.*

B *Miſſus eſt Angelus Gabriel.*

Miſſus eſt ad Virginem legatus, non homo aliquis,ſed Angelus Gabriel;idem qui Ioannis cõceptum Zacharię in templo à dextris altaris incenſi,& conceptum etiam Virginis D. Annæ nuntiauerat,vt docet Pantaleon apud Metaphraſtem iis verbis: Gabriel ſterili quoque clariſsimę Annę,quę in horto ſuo obſecrabat Dominũ,prædixit fore, vt ex ea naſceretur Deipara. Tãtum enim mandati myſterium(vt Ambroſius in Lucã ait) non hominis fuit, ſed Angeli ore promendum. Et vt ſcribit Andreas Epiſcopus Hieroſolymitanus in oratione de Annũtiatione:Decebat miniſtrum altiſsimi,ex altiſsimis ſuper terram deorſum volantem, inauditum illud myſterium ſecum afferre,&c. *Pantaleon. D. Ambroſ. Andreas Ieroſol.*

C Non cuiuſuis vero Angeli,ſed nobiliſsimi legatio hæc fuit,vt Magnus Gregor. docet hom.3.in Euãgelia:Summum(inquit)Angelũ venire dignũ fuerat,qui ſummum omnium nũciabat.Dioniſ, Areopag.in lib.de cœleſti hierarchia c.4. & 8. Gabrielẽ diuiniſsimũ appellat:Damaſc.in orat.2.de aſſumptione , Angelorum vocat anteſignanum. Bern. homil.1.ſuper miſſus:Non arbitrior,ait,hũc Angelũ de minoribus eſſe,qui qualibet ex cauſa,crebra ſoleant ad terras fungi legatione. *D. Gregor. D Dionyſ. Areopag. D. Damaſc. Gabriel ex qua ſit angelorum hierarchia. D. Bernard.*

D D.Thom.3.p.q.30.art.2.ad 4.putat Gabrielẽ ex Archãgelorum fuiſſe ordine,ad quos ſpectat ſumma annũciare,& inter Archangelos ſummum; Satis ait credibile eſt quòd ſit ſummus in ordine Archangelorum.Eadem ſentẽtia eſt Caietani eodem art.& Abulẽſis Matth.18.q.60.D.etiam Ber.li. 5.de cõſideratione,c.4.Putemus,inquit Angelis præeſſe Archãgelos,qui nõ niſi ob maximas & præcipuas cauſas mittũtur,ex quibus magnus ille Archãgelus Gabriel miſſus legitur ad Mariã,ob cauſam vtique qua maior eſſe nõ potuit,&c.Idem ſentit D.Greg. hom. 34. in Euãg.Hi(inquit) qui minima nuntiant Angeli,qui vero ſumma annũtiant Archangeli vocãtur.Hinc eſt enim,quod ad Mariã Virginem non quilibet Angelus, ſed Gabriel Archangelus mittitur,&c.Alij vero,teſte D.Thoma, in ſupremo Seraphinorum choro illũ collocãt. Quod ſi obiicias Seraphinos non mitti.Reſpondebitur,non mitti ex officio,& ſæpius,mitti vero aliquando. Vt enim ait Paulus:*Omnes ſunt adminiſtratorij ſpiritus , in miniſterium miſsi*,Ego D.Thom.Bern.& Greg.ſequor. *D. Thomas. Caietanus. Abulenſis. D. Bernard. D.Gregor. D. Thomas. Hebr.1.*

Appellatur nuntius,Gabriel,quod nomen Hieron. in libr. de nominibus hebræis interpretatur, *conformauit me Deus,aut fortitudinẽ Dei*,à verbo hebræo, גבר Gabar,quod ſignificat cõfirmare,& roborare. Congruit nomẽ tantæ legationi.Vt enim Greg. ait hom.34.in Euãgelia:Per Dei fortitudinẽ nuntiãdus erat,qui virtutum Dominus,& potens in prælio,ad debellandas poteſtates aëreas veniebat. Indicabat ipſo nomine nuntius,fortitudine Dei ad redimendum hominem fuiſſe opus , ſiquidem neque hominum,neque Angelorum fortitudo, ad peccatũ debellandum erat ſatis,vt ſuprà iam oſtendimus. *D. Hieron. Quid ſignificet nomen Gabriel D.Gregor.*

Proclam. Proclus Episcopus Cyzicenus in homilia, quæ extat Tom.6.Consilij Ephesini cap.7. nomen Gabrielis ait significare Deum,& hominem:Idem,inquit,Gabriel sonat, quod *Deus & homo* : quia ergo ille,quem annuntiabat, Deus erat & homo,rei miraculũ nominis notione anticipat,&c.Pagninus interpretatur:*Vir meus Deus*,Geber,enim est vir, id est; affixum,meus,El,Deus.

Pagninus.

Card.Pet. Dam. Gabrielem Virginis fuisse custodem,vult Cardinalis Pet.Dam.in Orat.1.de Natiuit. Virginis. Duo, inquit,Leones throni Salomonis sunt,Gabriel Archangelus,& Ioann. Euang.quorum alter dexteræ Virginis,alter sinistræ custos deputatus est.Gabriel enim mentẽ,Ioannes carnem peruigili solicitudine seruauerunt. Hæc ille,Eadem est sententia Vdalrici apud Dionysiũ Carthusianũ in 2.d.11.q.2. Si,inquit, sit priuilegiata persona,potest habere custodem de ordine Archangelorũ,sicut Gabriel extitit Virginis custos,&c.Abulẽs.Math.18.q.60.existimat.Virginem duos habuisse Angelos custodes, alterũ angelici ordinis nobilissimũ,qui per totam vitã, alterum Gabrielem, ex secundo ordine Archangelũ, qui à conceptione Christi,vsque ad passionem, illã custodierit.qua de re illum lege.

Gabriel custos Virginis.

Vdalricus.

A D E O

D.Gregor. Ex Angelis quidam Deo assistunt,alij ministrant. Vnde Magnus Gregor.17.moral.cap.9. Aliud, inquit,est assistere,aliud ministrare,assistũt illi, qui ad quædã hominibus nunciãda non exeunt,ministrãt vero hi,qui ad officia nuntiorũ veniunt,&c. Assistẽtes sunt Angeli primę hierarchię,vt D.Thomas cẽset.1.p.q.112.art.3.administrantes,cęteri.Assistẽtes à Deo sine medio illuminantur,reliqui ministrãtes ab assistentibus,quæ gerẽda sunt accipiunt, & exequũtur.Est enim in hierarchijs ordo hic,teste Magno Areopagita.lib.de cœlesti hierarchia,ca.8.vt superiores Angeli inferiores illuminent,ac perficiãt, & purgent.Id,inquit ille,diuina,& æterna lege, atque ordine sancitũ est,vt per prima secundis,diuini fulgoris radius influat, &c. Hoc est vt per superiores,& priores Angelos,illuminatio ad inferiores perueniat,& per Angelos ad homines,&c. cap. 7. Istud,ait,Theologi apertius indicant,inferiores, licet cœlestium spirituum ordines, à superioribus diuinorum operum scientiã honestissimè discere. Qui vero celsiores omnibus sunt à Deitate ipsa (vt fas est)seorsum sacratius erudiri. Hæc Areopagita.

D.Thomas.

Angeli assistẽtes,& ministrãtes: illi hos illuminãt purgant,perficiunt.

D.Dionys Areopag.

Illuminare autem dicitur Angelus superior inferiorem,cum occultum aliquid illi patefacit, Perficere dicitur,& purgare, quoniã re occulta iam patefacta,Angeli intellectus perficitur, atq; purgatur, hoc est,à nescietia liberatur.In Angelis enim à nescientia liberatio,purgatio nuncupatur.Id quod diuinus docuit Dionys.eodem lib.c.7.his verbis:Illud addiderim,quod participatio ipsa diuinæ sciẽtiæ,& purgatio,& illuminatio sit,atque perfectio. Purgat, dum quæ ante non videbantur, sublimioris intelligentiæ luce panduntur, perficit item hoc lumine, dum altissimorum sensuum firmam perseuerantemque scientiam tradit.Hæc ille.

D.Dionys. Areopag.

An Gabrielem Angelus alius superior miserit. Cùm hæc ita se habeant,dubium est, num superiores Angeli incarnationis nuntium à Deo acceperint,deinde Gabrieli Virgini deferendum tradiderint?iuxta illud Dionysij dictum: Diuina lege & ordine sancitum est, vt per prima secundis, diuini fulgoris radius influat. Respondeo, cum D. Bern. homil.1.in Euangelium, Missus est; Gabrielem prẽter consuetudinem à Deo nullius Angeli interuentu nuntium accepisse.quoniam inusitata,omnibusque seculis inaudita tanti ponderis legatio, inusitatum legandi modum postulabat. Non ab alio (inquit Bernard.)aliquo forte excellẽtiore se (vt assolet)spiritu,sed ab ipso Deo mitti Gabriel perhibetur,propter hoc ergo positum est: A Deo.Hæc ille.In eandem sententiam it Dionysius Carthusianus in Lucam,ca.1. Docet(ait)euangelium,Angelũ immediate missum a Deo,non vt fieri solet ab Angelo superiori. Idem sentit Clichtoueus in lib. de Annuntiatione,ca.2.Et Chrysost. apud Metaphrastem in oratione de Annuntiatione.

D. Bernard.

D.Bernard. Dionysius Carthus.

Clichtoueus. D. Chrysost.

An inscijs Angelis Gabriel aa Virginem missus sit.

D.Bernardus addit,ita à Deo missum Gabrielem, vt nullus Angelorum prẽter illum,dati nuncij fuerit conscius. Vel ideo(inquit) dictum est ab Euangelista,missum Gabrielem à Deo,ne cui vel beatorũ spirituum,suum Deus antequam Virgini, reuelasse putetur Consilium , excepto duntaxat archangelo Gabriele.Chrysost.quoque loco citato, Deo affingit sermonem ad Gabrielem,& inter alia:Placet,inquit,vt virtutes omnes,quę in cęlo sunt,mysterium hoc lateat,& tibi soli sit manifestum, &c. Crediderim potius omnibus Angelis magna cũ lætitia,tam lætam legationẽ fuisse patefactam , quod existimat Simon Cassianus,in Commentarijs Euangelicis, sic scribens:Mirantur omnes hierarchię cęlestes,quòd ad huiusmodi legationẽ nuntius cęlestis egreditur, suspenduntur eorum altis considerationibus mentes,&c. Lege Cardinalis Petri Damiani sermonem de Annuntiatione.

D. Bernard. D. Chrysost.

Simon Cassianus.

Humana effigie,ex aëre assumpto corpore,visum Virgini Gabrielem vulgata est sentẽtia. Addit Aug. corpus fuisse coruscãs,serm. 14. de Natiuitate, verba huiusmodi Virgini tribuit : Venit quidam magnus Christi paranymphus, nõ patriarcha primus, aut propheta egregius,sed Gabriel ille archãgelus, facie rutilãs, veste coruscans,ingressu mirabili, aspectu terribili,&c. Docent idem verba illa Ecclesiastici responsorij,in Annuntiatione Virginis: Expauescit Virgo de lumine.& Simon Cassianus: Angelus(ait)insolito lumine splendens a tabernaculo Virginis tenebras abstulit,& intus irradiauit , &c. Laurentius quoque Iustinianus,in ser. de Annunt. insolito fulgore vestitus Angelus,in humana effigie descendit ad virginem. Magnus item Albertus super missus: Angelus, inquit, venire debuit in veste clara. Maximus hic splendor eam decebat legationem,ex qua totius orbis splendor est ortus,fœminis fulgentes apparuere Angeli:*Duo viri* ,ait Euangelista,*steterunt iuxta illas, veste fulgenti, cum timerent autem, & declinarent vultus præ splendoris vi*, &c. Si fœminis illis coruscantes visi sunt Angeli , cur non Virgini? Legati pretiosa se induunt veste,cum regem ad quẽ mittuntur sunt allocuturi, ita noster cęlestis legatus, Reginam maximam allocuturus , radianti se amictu exornauit.

D. Augustin.

Humanam gerebat Gabriel effigiem ac coruscantem.

Simon Cassianus.

Iustinianus.

Albertus Magnus.

Luc.24.

Dubium exitit hoc loco,num Virgo, nõ corpus solum fulgens,sed pulcherrimã etiam Angeli substantiam viderit?D.Thomas 3.p.q.30.art. 3. ad primũ,negat:Fuisset,inquit,nobilior apparitio, si ipsũ Angelum Virgo intellectuali visione in sua substãtia vidisset , sed hoc nõ patiebatur status hominis viatoris,quod Angelũ per essentiam videret. Hæc ille.Ex quibus intelliges D.Thomã existimasse Virginẽ nõ solùm nõ vidisse Angeli essentiã , sed neq; videre ex ordinaria lege potuisse. Nam ex priuilegio,quis neget hominẽ non essentiam solũ Angeli, verum etiam Dei,posse cernere?

D.Thom.

An Virgo substantiam Gabrielis viderit.

Hoc tamen priuilegium Virgini cõcessum, verisimiliter cõcedit Magnus Albertus super missus, cap.149. Fuit (inquit) in Virgine,animæ suæ, & spirituum per species proprias cognitio, quam habuit dispositiuè per naturam, completiuè per gratiam. & secundum hanc vidit Angelos, & animas, & dæmones. Autor quoque quæstionum ad Antiochum , quę tribuuntur Athanasio,quæst.12. Sola, ait,San-

Albertus Magnus.

Autor quæstion an Antiochum.

ait, Sancta Deipara Virgo, nudam essentiam Gabrielis archangeli, vt est, contemplata est, &c. Quòd si opponas: Si virgo Angeli intuebatur essentiam, quid assumpto corpore opus fuit? Respondemus, cõsentaneum fuisse rationi, vt Deum incarnandum, Angelus quodãmodo incarnatus, apparenti in corpore nuntiaret. Forsitan admirandæ legationis ministrũ Gabrielem, multi alij comitabantur Angeli absque corporibus, quorum omnium substantias Virgo sanctissima magna cum lætitia vidit.

In ciuitatem Galilææ, cui nomen Nazareth.

In quem locum Angelus sit missus scribit Euangelista, scilicet, in ciuitatẽ Galilææ Nazareth, quod nomen (si per literam tsade צ, scribatur, vt Hieronymus docet scribendum, in lib. de nominibus hebraicis, non per ז Zain, ex sententia ipsius Hieronymi florem significat, vel vt Pagninus ait florentem, à nomine נצר, netser, id est, flos. Hanc vrbem florẽ Galilææ appellat idem Hieronymus, epistol. 17. ad Marcellam: Ibimus, inquit, ad Nazareth, & iuxta interpretationem nominis, florem videbimus Galilææ. Non tamen Galilææ solum, sed totius etiam orbis flos Nazareth est, in qua mundi flos Christus est conceptus, & nutritus, *Vnde Nazaræus est appellatus*, vt Matthæus testatur, qua de re suo dicendum est loco, Andreas Hierosolymitanus Episcopus, cum terrestri paradiso illam confert in serm. de Annuntiatione. Nazareth, inquit, Eden hortum æmulata, ipsius Eden conditorem sinu suo complectitur, &c. Verùm Nazarethæ inuidere potuit terrestris paradisus. Siquidem paradisum Adamus ille primus, & prima Eua: Nazaretham vero Adamus Secundus orbis reparator, secundaque Eua in coluere.

D. Hieron. *Nazareth orbis flos.* *Matth. 2.* *Andr. Hierosolymit.*

Ad Virginem desponsatam viro, &c.

Missus est Angelus à Deo orbem reparante, ad Virginem, quę vrbem Nazareth incolebat: Ioseph o quoque viro ex Dauidis clarissimi regis stirpe oriundo desponsata erat. Præclare sane idem orbi reperando initium datur, quod datum fuerat euertẽdo. A colloquio, quod cum virgine Eua, Angelus tartareus habuit, orbis euersio inchoata est, à colloquio, quod cum Virgine Maria, Angelus cœlestis fecit, reparatio sumpsit exordium. Eua diabolo assensit, vetitum quę fructũ decerpsit: Maria Angelo credidit, optatum que tot seculis fructum protulit. Illa pomum comedit, & mortem cunctis mortalibus attulit; hæc orbis reparatorem concepit, & vitam cunctis mortalibus peperit. Illa orbis ruinæ initium præbuit, hæc humanę salutis prima fundamenta posuit. Accepimus hoc à Patribus, sic enim Bernardus scribit, in ser. 2. de Pentecoste: Missus est coluber tortuosus à diabolo, vt venenum per aures mulieris in ipsius mentem transfunderet, & sic refunderet in totius posteritatis originem: missus etiam est Gabriel à Deo, vt Verbũ patris per aurẽ Virginis in ventrẽ & mentem ipsius eructaret, vt eadẽ via intraret antidotũ, qua venenum intrauerat. Hæc Bernardus. Tertullianus de carne Christi. In Virginem introducendum erat Dei Verbum extructoriũ vitę, vt quod per huiusmodi sexũ abierat in perditionẽ, per eundem sexum redigeretur in salutem.

Initiũ euertendo orbi per faminã, initium quoque reparando per Virginem datum. *D. Bernar.* *Tertull.*

Innocentius Sũmus Pontifex; serm. 2. de Assumptione: *Oportebat, vt sicut per fœminã mors intrauit in orbẽ. ita per fœminam vita rediret in orbem.* Et ideo quod damnauit Eua, saluauit Maria, vt vnde mors oriebatur, inde vita resurgeret, &c.

Innocent.

D. Augustin. serm. 13. de Natiuitate rogat: Quare Deus nascendo per Virginem, nos sic voluit reformare ad vitam? Respondet: Vt quia per mulierem in hunc mundum mors intrauit, salus per Virginem redderetur. Chrysologus, serm. 2. de Annũciatione: Audistis, inquit, agi, vt homo cursibus eisdem, quibus dilapsus fuerat ad mortem, rediret ad vitam; agi cum Maria Angelus de salute, quia cum Eua Angelus egerat de ruina, &c. Beda, homilia de Annuntiatione: quia mors intrauit per fœminam, aptè redit & vita per fœminam. Chrys. in orat. de Annuntiatione. Vbi hostis vulnus inflixit, illic medicus adhibet medicamentum. Vnde mors ingressus principiũ habuit, inde vita sibi aditum patefacit, per mulierẽ mala fluxerunt, per mulierem emanant bona. D. Irenæus, lib. 5. cap. 19. Quemadmodum Eua per Angelicum sermonem seducta est, vt effugeret Deum præuaricata verbum eius, ita & Virgo Maria, per Angelicum sermonem euãgelizata est, vt portaret Deum, obediens eius verbo. Et sicut illa seducta est vt effugeret Deum, sic hæc suasa est obedire Deo. Vt virginis Euæ, virgo Maria fieret aduocata, & quemadmodum astrictum est morti genus humanum per Virginem, scilicet Euam, soluatur per Virginem, scilicet Mariam, æqua lance disposita, virginalis inobedientia, per virginalem obedientiam. Hæc Irenæus.

D. Augustin. *D. Chrysol.* *Beda.* *D. Chrysost.* *D. Irenæus.*

Missus autem est ad Virginem Angelus (ait D. Thomas 3. p. q. 30. art. 2.) vt diuinus seruaretur ordo, secundum quem angelorum interuentu diuina ad homines perueniunt. Docet enim Dionysius Areopagita, in lib. de cœlesti hierarchia. cap. 4. ea quæ ordinis sunt secundi, in diuinum per ea reduci, quæ sunt primi. Video, inquit, quòd diuinum Christi humanitatis mysterium, primo Angelis est patefactũ, deinde per ipsos in cognitionis beneficium descendit. Sic igitur diuinissimus Gabriel Zachariam docuit mysteria, Mariam quoque, quomodo in ipsa foret diuinum ineffabilis diuinę formationis mysterium. Hæc Dionysius. Quamuis autem Virgo dignitate, meritisque præcelleret Angelis, tamen vitæ huius statu, & natura humana infra Angelos erat, ideoque ab Angelo de incarnationis mysterio in decorum non fuit accipere nuntium.

D. Thom. *Dionysius Areopag.*

Obseruat etiam Autor sermonis de Assumptione, qui Hieronymo ascribitur, recte ad Virginem Angelum missum, propter eam, quæ inter Angelos virgineque cognatio intercedit. Bene (inquit ille) Angelus ad Mariam mittitur, quia semper est Angelis cognata virginitas. Profecto in carne præter carnem viuere, non terrena vita est, sed cœlestis; esse Angelum felicitatis est, esse vero virginem virtutis, &c. Chrysologus, ser. 3. de Annũtiatione: Virginitas, inquit, hoc obtinet viribus, quòd habet Angelus ex natura. Angelus & Virgo diuinum agunt officiũ, non humanum. Angelicam gloriam acquirere, maius est quam habere, &c. Præterea D. Greg. Nazian. in orat. in dictum Euangelij, &c. An non plane, inquit, Angelicũ est, eam quæ carnis vinculis alligata sit, non secundum carnẽ viuere, sed natura ipsa excelsiorem esse, &. In præclaro autem illo opere, quod de virginitate carminibus conscripsit, Virginitatem Angelicam esse virtutem sic docet:

Sophronius. *Virginitas Angelica virtus.* *D. Chrysol.* *Greg. Naz.*

Salue Virginitas diuino tradita dono.
Mater inoffensæ vitæ, bona maxima fundens.
Christi pars, & spiritibus sociata supernis
Ignaris thalami. Nam magnus coniugis expers
Est Deus, atque Dei rutilans chorus omnipotentis.

Nazianz.

Vitam verò Virginum his carminibus egregie depingit:

Inuenies vitam thalami consorte carentem;
Totam cœlesti vice muneris esse parenti
Appensam, sacrámque electrum, aurúmque nitore
Vincentem, pennis celerem, miréque serenam,
Prudentémque, leuémque, excelsam vertice claram,
Vndique non terræ fixam, immersámque profundo,
Aetheream sed in vrbe, procúlque à carne manentem,
Dextra amplexantem cœlum, vitámque senectæ

Virginitatis encomium.

Ignaram, lauáque manu decus, atque perennes
Diuitias. Non teſtaceo ſub pondere lentis
Paſsibus in morem domiportæ membra trahentem,
Non carnis, Chriſtíque ſimul mandata ſequentem.
Non velut amphibiis mos eſt, in mollibus vndis
Degentem, atque etiam in terra, noctúque diúque
Ardua, ſed totam mittentem ad ſydera mentem.

Huiuſmodi vita, caſtiſque huiuſmodi ſalutatoribus, caſtiſſima delectatur Virgo. Qui Angelicam recitat ſalutationem, & Angeli verbis vtitur, eiuſdem etiam puritate vtatur. De Ioſepho Virginis ſponſo, ipſiuſque deſponſatione, ſuprà iam dictum eſt lib. 6. cap. 7. & 8. de nomine vero ſanctiſſimo Mariæ, lege lib. 6. cap. 4.

CAPVT VII.

De ſalutatione Angelica.

Ingreſſus Angelus ad eam.

Quietum ſilentium tenebant omnia, & nox in ſuo curſu medium iter habebat, Virgo autem vigilans, rerũ
Sap. 18. diuinarum contemplationi vacabat. Tum ingreſſus ad eam in cubiculum Archangelus, totam domunculam admirabili ſplendore ſubito compleuit, optatiſſimumque Meſſiæ conceptum nunciauit. Etenim ſi Ioannis Baptiſtæ conceptus, ab eodem Archangelo Zachariæ in templo odoriferum thymiama adolenti eſt nunciatus, quis non credat, Chriſti conceptum, tunc temporis Virgini eſſe patefactum, cum ſuauiſſimæ orationis thymiama Deo adolebat?
Simon Caſſ. Docet hoc Simon Caſſianus his verbis: In conclaui erat Virgo, eam vigilantem inuenit Angelus, deditam lectioni, aut orationi vacantem. Nox appendebatur ex medio, nec adhuc tenella Virgo ſua membra in quiete collegerat. Hæc ille. Et Bernardus homil. 3. ſuper miſſus: Puto, inquit, Angelũ ingreſſum in ſecretarium pudici cubiculi, vbi illa fortaſſis clauſo ſuper ſe oſtio orabat patrem in abſcondito. Ambroſius in Lucam: Sola Virgo in penetralibus, quam nemo viuorum videret, ſolus Angelus reperiret, &c. Et lib. 2. de virginibus: *Virgo*, inquit, *tunc ſibi minus ſola videbatur, cum ſola eſſet.* Nam quemadmodum ſola, cui tot libri adeſſent, tot archangeli, tot prophetæ? Hęc Ambroſius: Aderant autem libri Virgini, quia diuinas literas eximiè callebat. Origenes homilia 6. in Lucam: Habebat (ait) legis ſcientiam, & prophetarum vaticinia quotidiana meditatione cognouerat, &c.

Virgo orationi vacabat, cum à Gabriele eſt ſalutata. *D. Bern.* *D. Ambr.* *Origenes.*

Forſitan ea hora illud Iſaiæ vaticinium: *Ecce Virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emmanuel*, animo voluebat, admirandoque Meſſiæ deſiderio exardeſcens cum eodem vate precabatur. *Rorate cœli deſuper, & nubes pluant iuſtum.* O Deus ſumme (aiebat) en aſpicis, quam ſit tellus arida, ac ſterilis, ſentibus, dumiſque horrida, rorem mitte ſa-
Pſalm. 67. lutiferum, *pluuiam* mitte illam *voluntariam, quam ſegregaſti hæreditati tuæ, infirmata eſt, tu vero illam perfice.* Cũ hæc Virgo precaretur, Angelus adfuit, deſcenditq; Dominus, ſicut ros ille Gedeonicus in vellus aureũ; hoc eſt, vterum virgineum.

Angelus clauſo oſtio ingreſſus eſt. *Andr. Ieroſolymitan.* *Bernard.*

Andreas epiſcopus Hieroſolymitanus, in ſermone de Annunciat, ait Angelum aperto oſtio ingreſſum: Ad thalamum, inquit, in quo Virgo erat, cum peruenisſet Angelus aperto clam oſtio, ad eam ingreſſus eſt, & manſueta admodum voce Virginem compellauit. Sed dicendum eſt, angelum clauſo oſtio ingreſſum, vt præter alios Bernardus docet, homil. 3. ſuper miſſus: Angelicis, inquit, ſpiritibus pa-
A rietes non obſiſtunt, cuncta æquè corpora, quantũlibet ſolida, vel ſpiſſa, penetrabilia ſunt eis, ac pernia. Non fuit difficile Angelum per clauſum oſtium penetrare ad abdita Virginis. Hæc ille.

Aue gratia plena.

Græcè à Luca ſcriptum eſt, χαῖρε κεχαριτωμένη, vox χαῖρε, Græcis ſalutandi vox eſt, quemadmodum Latinis, Aue. Dubium vero eſt, an Angelus Virginem ſalutarit voce Hebræa, quę idẽ pene ſignificet, quòd χαῖρε, id eſt, Aue, vel Gaude, an verò vſitata Græcis ſalutatione voluerit Lucas vſitatum hæbræorũ ſalutandi modum exprimere? Reſpondet Ianſenius, Angelũ more hebræorum Virginem ſalutaſſe, hoc modo, ſalom, lac שלום לכ, id eſt, *pax tibi*: Lucam vero vocè χαῖρε, qua Græci in ſalutãdo vtuntur, he-
B bræam ſalutationẽ expreſſiſſe. At dicet aliquis, nouam fuiſſe hanc Virginem ſalutandi rationem, di- *Quid ſit Aue.*
cet quidem, qui ignorarit eodem verbo, χαῖρε, Iudã Chriſtum, & Chriſtum fœminas Matth. 28. ſalutare. Addet hebræam illam ſalutationem, ſalom leca, id eſt, *pax tibi*, aliter eſſe verſam à Luca; capite extre- *Matth. 28.*
mo, hunc in modum εἰρήνη ὑμῖν, id eſt, pax vobis, ergo ſi ea Angelus vſus eſt, vertiſſet etiã hoc loco εἰρήνη σοι, id eſt, *pax tibi*, cum ergo ſic non verterit, alia fuit Angeli ad Virginem, Chriſti ad fœminas, & Iudę ad Chriſtum ſalutatio. Reſpondeo, duobus modis in Euangelio eandem hebræam ſalutationẽ græco ſermone eſſe donatam. Niſi fortè aliquis fuit a-
C lius modus ſalutandi hebræis, qui græcæ voci χαῖρε, id eſt, Gaude, vel Aue, ad amuſſim reſponderit. Nõ fuiſſe autem ſuadet Syriacum Euangelium, qui Lucæ χαῖρε, conuertit in, ſalom leci, id eſt, *pax tibi*.

A prce ergo & gaudio cæpit angelica incarnationis annuntiatio: annuntiabat enim Gabriel virgini gaudium illud magnũ, quod poſtea paſtoribus nunciauit. *Ecce euangelizo vobis gaudium magnum, quod e-* *Luca 2.*
rit omni populo, annunciabat pacem illam, quã Angeli dominicæ natiuitatis nocte ſuauiſſimis illis vocibus decantarunt: In terra pax hominibus.

Potuiſſet interpres transferre χαῖρε, in verbum, *Virgo nomen Euæ conuertit in Aue.*
Gaude, ſed diuino nutu trãſtulit, Aue, quo verbo piè Eccleſia vult indicari, Virginem ſanctiſſimã ipſum
D nomen Euę, ac proinde quas in mundum inuexit calamitates, in æternam felicitatem tranſmutaſſe. Sic enim in vulgato hymno canit: *Sumens illud Aue Gabrielis ore, funda nos in pace, mutans Euæ nomen.* Nam Eua, & Aue, iiſdem literis, ſed tranſmutatis ſcribuntur.

Aqua frigida animæ ſitienti, nuntius bonus de terra longin- *Prou. 25.*
qua, hoc eſt, quemadmodum frigidæ aquæ potus ſitientem recreat, ſic nuntius bonus è longinqua regione veniens audientem oblectat. Verè nuntius bonus fuit Gabriel; è longinqua cœli regione miſſus, verè aquę frigidæ ſimilis, in ſummo ęſtu ſitientibus propinatę, pręſertim Virgini, quę ſicut deſiderat ceruus ad fontes aquarum, ita ad Deum fortem, fontemque viuum deſiderabat.

Gratia plena.

Græcum verbum eſt χαριτόω, id eſt, gratum facio,
E vel gratifico, quo vtitur Paulus: *Gratificauit*, inquit, *nos Deus in dilecto filio ſuo*, græcè ἐχαρίτωσεν, hoc loco verbi huius participium eſt κεχαριτωμένη, hoc eſt, *gratificata*, vt vertit Pagninus, & *gratia plena*, vt trauſtulit noſter interpres; gratificauit enim Deus Virginem per gratiæ plenitudinem. Et noſtra verſio etiam euãgelij Syriaci, maliath tabutha, id eſt, gratia plena *Ephes. 1.*

Plenus autem *gratia* dicitur Chriſtus, dicitur Virgo hoc loco gratia plena: Stephanus quoque *plenus* di- *Ioan. 1.*
citur *gratia*, *& fortitudine*, at diuerſa eſt plenitudo, *Quomodo Virgo dicatur gratia plena.*
atque menſura. Chriſtus vt D. Bonauentura docet, *Act. 6.*
3. ſentent. d. 13. q. 3. plenus fuit plenitudine ſupe- *D. Bonau.*
rabundantię, *quoniam de eius plenitudine nos omnes acce-* *Triplex gratia plenitudo.*
pimus. Virgo plena fuit plenitudine pręrogatiuę:

Stephanus

Stephanus,ac reliqui ſancti,pleni fuere plenitudine ſufficientiæ.Vt enim ait D. Thom.3.p.q.7.art.10.ad 2.eſt quędam gratiæ plenitudo omnibus ſanctis cõmunis, vt ſcilicet gratiam habeant ſufficientem ad merendum vitam æternam. Eodem art.D.Thomas duplicem docet eſſe gratiæ plenitudinem, alteram ex parte gratiæ,alteram ex parte ſubiecti habentis gratiam.Ex parte,inquit, ipſius gratiæ, dicitur eſſe plenitudo gratię,ex eo quod aliquis pertingit ad ſũmum gratiæ,& quantum ad eſſentiam,& quantum ad virtutem,quia ſcilicet habet gratiam,& in maxima excellentia qua poteſt haberi,& in maxima extenſione ad omnes gratiæ effectus . Et talis gratiæ plenitudo eſt propria Chriſto. Ex parte vero ſubiecti eſſe dicitur gratiæ plenitudo,quando quis habet plene gratiam,ſecũdum ſuam conditionem.Et hæc plenitudo non eſt propria Chriſto , ſed communicatur alijs per Chriſtum.Virgo vero dicta eſt plena gratiæ,non ex parte ipſius gratiæ,quia non habuit gratiam in ſumma excellentia , qua poteſt haberi, neç ad omnes effectus gratiæ,ſed dicitur fuiſſe plena gratia,per comparationem ad ipſam, quia habebat gratiam ſufficientem ad ſtatum,ad quem erat electa,vt ſcilicet eſſet Mater Dei.Similiter Stephanus dicitur plenus gratia,quia habebat gratiam ſufficientem ad hoc,quod eſſet idoneus miniſter, & teſtis Dei,ad quod erat electus.Et idem dicendum eſt de alijs.Hæc D.Thomas.

Duplex gratiæ plenitudo.

D.Ambr. D. Ambroſ.in Lucam , gratia plenam virginem interpretatur,quia Chriſtum concepit:Bene,inquit, ſola gratia plena dicitur,quæ ſola gratiam,quã nulla alia meruerat,conſecuta eſt,vt gratia repleretur, autore.Et Chryſologus, ſerm.2. de Annuntiatione Gratia plena;quia in alijs gratia, in tota gratiæ pariter veniet plenitudo.Et ſerm.3.Gratia plena,quia ſingulis gratia ſe eſt largita per partes: Mariæ vero ſimul ſe totam dedit gratiæ plenitudo, *omnes de plenitudine eius accepimus*, vnde & Dauid dicit;*Deſcendet ſicut pluuia in vellus*,&c.Bern.hom.3. ſuper miſſus . Legimus in actis Apoſtolorum, & Stephanũ plenũ gratia,& Apoſtolos fuiſſe repletos Spiritu Sancto, ſed longè diſſimiliter à Maria.Alioqui nec in Stephano habitauit plenitudo diuinitatis corporaliter,quemadmodũ in Maria,nec Apoſtoli cõceperũt de Spiritu Sancto,quomodo Maria.Hæc Bern.Et autor ſermonis de Aſſũptione inter opera Hiero. Bene(ait) plena gratia virgo,quia cęteris per partes pręſtatur: Marię vero ſimul ſe tota infudit plenitudo gratię. Hoc quippe eſt quod Dauid canit,*Deſcendet ſicut pluuia in vellus*.Beda itẽ;bene gratia plena vocatur,quę nimirũ gratiã, quã nulla alia meruerat, aſſequitur; vt ipſũ videlicet gratię cõcipiat & generet autorẽ,&c.

D.Ambr. *D.Chryſol.* *Pſal.71.*

Virgo plena gratia. Fatemur quidem hanc fuiſſe eximiam Virginis gratiam , at Angelum putamus de hac non feciſſe verba;nundum enim virgini collata erat,cum illam ſalutauit.De Gratia ergo quæ gratum Deo hominẽ reddit,intelligenda ſunt Angeli verba,quam virtutum omnium chorus comitatur;Angelus enim gratiſſimam Deo eſſe virginem ſignificare voluit; erat autem gratiſsima per gratiam,cuius hoc munus eſt, hominem gratum Deo efficere . Fuit Virgo altera Luna plena gratiæ lumine, nec tamẽ plenitudinem vnquam amiſit,vt illa ſolet amittere Luna,quam in cœlo cernimus.Fuit mare plenũ , in quod gratiarũ flumina ingreſſa ſunt, iuxta illud: *Omnia flumina intrant in mare*;Vnde D.Bouauent.in ſpeculo, c.3.Omnia(inquit) flumina intrant in mare,dũ omnia chariſmata ſanctorum intrant in Mariam;flumen enim gratiæ Angelorum intrat in Mariã,& flumen gratiæ Patriarcharum & Prophetarum intrat in Mariam, & flumen gratiæ Apoſtolorum , & flumen gratiæ Martyrum,& flumen gratię Confeſſorum, & flumẽ gratię virginũ;Hęc Bonauent.De plenitudine gratię virginis iam ſuprà diximus;lib.6. cap.10.

In Virginem velut mare omnia intrũt flumina gratiarum. Eccli.1. D.Bonauen.

Dominus tecum.

Hebręis ſalutandi modus erat, Dominus tecum; vel vobiſcum.Angelus Gedeoni; *Dominus*(inquit)*tecum virorum fortiſsime* , & Booz meſſores hic ſalutat; *Dominus vobiſcum* , ſcilicet ſit. Dubium eſt,num hęc vox Angeli ſit tantummodo Virginem ſalutantis, an etiam affirmantis Dominum eſſe cum Virgine.Caietanus ſalutantis eſſe putat, ſed affirmantis vocem eſſe, recepta fert opinio. Eſt itaque ſenſus; *Dominus tecum* eſt,vt fautor tuus,vt amator, vt defenſor,eritque paulo poſt vt filius , nondum enim incarnatum erat diuinum Verbum , cum hæc Angelus verba protulit.

An ſint hæc verba,Dominus tecum ſalutantis. Iudicum 6. Ruth 2. Caietanus.

Andr.Cret. *An ſint intelligenda de incarnatione hæc verba, Dominus tecum.* Andreas Cretenſis,in orat.de Annuntiatione, intellexiſſe videtur hæc verba de incarnatione, ſic enim ſcribit:Non fuit contentus Angelus gaudij ſigna prodidiſſe; niſi lætitiæ quoque autorem in vtero Virginis deprædicaſſet, hoc enim quod ait, Dominus tecum,ipſum adeſſe regem clare ſignificat; totum, inquam, eum in Virgine eſſe, in corpus coactum, vt etiam nihil de propria eius gloria ceſſerit. Et D.Thom.In hac(inquit)ſalutatione pręmiſit angelus idoneitatem virginis ad conceptum dicens; Gratia plena;expreſſit conceptum in hoc, quod dixit; Dominus tecum,&c. Sentit ergo D.Thom. his verbis,Dominus tecum, ſignificari Dominum iam fuiſſe conceptum,cum ſunt prolata.Præterea D.Petrus Alexandrinus Epiſcopus,ac martyr, in codice, quem de Deitate edidit citatus in Concilio Epheſino,tom.2.cap.7.Vera(ait)prædicat Euangeliſta, dũ dicit: *Et Verbum caro factum eſt,& habitauit in nobis*: tum videlicet , cum Angelus Sacram virginem huiuſmodi oratione ſalutauit:*Aue gratia plena,Dominus tecum*; hoc eſt,Dei Verbum nunc tecum eſt.Nam illa Gabrielis ſalutatio Deum verum in vtero virgineo natum,& carnem factum inſinuat. Hinc & ſcriptum eſt;*Spiritus ſanctus ſuperueniet in te,& virtus altiſsimi obumbrabit tibi;ideoque quod natum eſt ex te ſanctum, vocabitur filius Dei*,&c.Eadem verba D.Petri citantur in Concilio Chalcedonenſi, actione 1. in cap. cũi titulus eſt; Nicenæ Synodi fides. Auguſt.ſermon.2. de Annunt. Tecum(inquit) Dominus in corde,tecum in ventre, tecũ in vtero,tecum in auxilio.Et Nicephorus: Virgo ab Archangelo Gabriele lætum accipit nuntiũ; *Aue* dicente, *gratia plena*, Dominus *tecum*;& ſimul cum ea voce, Verbum Dei deſcendit, & naturam noſtrã ſubit, & Cardinalis Petrus Damiani,ſer.1. de Natiuitate virginis: *Aue gratia plena*, Dominus *tecum*, ait Archangelus;audis ne in hoc verbo incarnationẽ Dei, redemptionem hominum , renouationem mundi? &c.Et Hieronymus in ep.140.ad Principiam;Sancta (inquit) Maria,quia conceperat eum,in quo omnis plenitudo diuinitatis habitat corporaliter , plena gratia ſalutatur.Hæc ille.Videtur ergo ſentire, virginem concepiſſe,antequã plena gratia ſalutaretur.

D.Auguſt. Nicephorus l.1.c.8. Card.Petr. Damiani. D.Hieron.

Attamen ex ipſo Lucæ euangelio luce meridiana clarius eſt,virginem poſt hæc verba Dominus tecum, concepiſſe.Poſt illa enim,ait Angelus ; *Ecce concipies, & paries filium*:item *Spiritus ſanctus obumbrabit tibi*,&c. Ergo nundum cõceperat,nondum Spiritus ſanctus illi obumbrauerat. Auguſtinum facile eſt explicare. Tecum(inquit)in verſtre , ſubintellige, erit;ſimili modo expliça Cardinalem,D.Thomam,& D.Petrũ Alexand.Andreas Cretẽſis non indiget explicatione,quia exiſtimat,Chriſtum ante Angeli aduentum eſſe incarnatũ.Ad illa enim verba: *Quomodo fiet iſtud?* hunc Angelo ſermonem affingit; Dominũ eſſe tecũ dixi; & tu Virgo quomodo hoc continget ambigis; Dominum ego anteuertiſſe aduentum meum , & tuum ſubijſſe vterum tibi nuntio,& tu de viro mihi diſſeris,

An ſit incarnatum Dei Verbum ante aduentum Angeli. Andr. Cret.

differis,& terreno quodam partu?&c. Vides quam apertè dicat,ante Angeli aduentum conceptũ Christum?Idem colliges ex sequentibus verbis.

Obiicies illud,*Quod enim ex te nascetur sanctum, vocabitur filius Dei*,Græce sic legi: *Quod enim ex te natum,vocabitur filius Dei,γεννώμενον*.Respondeo,sumi præsentis participium,pro futuro, ideo noster interpres vertit:Quod ex te nascetur;nondum enim conceptum, aut natum in vtero erat.Nicephor.vero cum sic ait: *Nicephorus.* Simul cum ea voce Verbum diuinum descendit; vocem appellauit totam Angeli salutationem,similem etiam in modum potes interpretari Petrum Dam.D.Hierony.verbum conceperat,pro conceptura erat,vsurpauit.Si roges: quo nam tempore virgo concepit Christum? Resp.concepisse postquam illa humilitatis plenissima verba protulit; *Ecce ancilla Domini*,vt eo loco ostendemus.

Benedicta tu in mulieribus.

Caietanus hæc etiam verba imprecatoriè dicta existimat,hoc sensu;*Benedicta sis inter mulieres*:Asseueranter dicta alij rectius sentiunt,hoc sensu: *Benedicta tu es inter mulieres.*Et quidem benedicta Virgo fuit præ cunctis fœminis; quia summum à Deo benedictionem reportauit.Dei enim benedictio est,gratiæ,donorumque collatio.Expende gratiam,donaque Virgini collata ; tunc quanta hæc fuerit benedictio intelliges.Congruit sanè Virgini illud: *Eccl.39.* *Benedictio illius*, id est,Dei, *quasi fluuius inundauit*: Nam quemadmodũ Nilus inundans,terram omni ex parte irrigat,aquisque operit,ita Dei benedictio, hoc est gratia, ac dona,omni ex parte Virginem irrigauere, ac operuere.*Benedictiones Patris tui* (ait Iacob filium Ioseph alloquens) *Genes.49.* *confortatæ sunt benedictionibus patrũ eius*:Hæc Iacob,quę nos Virgini rectissimè accommodabimus. Siquidem benedictiones Virginis cõfortatæ sunt,ac præualuerũt benedictionibus patrũ eius.Nec benedictiones Abrahami, nec Isaac,nec Iacob, nec Dauidis,nec viri,aut fęminæ alicuius,cũ virginis benedictione certare possunt;longè omnes superat. Benedicta est in mulieribus, benedicta in viris quoq; .

Iudic.5. Benedicta dicitur Iahel,quòd Sisarã vita priuarit. *Benedicta inter mulieres Iahel vxor Haber Cinæi,& benedicatur in tabernaculo suo.* Iudith quoque benedicta appel- *Iudith 13.* latur,quòd Holophernem occiderit; *Benedicta es tu filia à Domino Deo excelso,præ omnibus mulieribus super terrã*, &c.At fuerunt hæ benedictiones,eius benedictionis qua virginem Deus cumulauit,vmbræ quædam tenues;Virgo enim vera Iahel est,veraq; Iudith, quæ non Sisaram aliquem , aut Holophernem occidit; sed tartarei Draconis caput contriuit.

De Virginis benedictionibus. Celeberrima est in sacris literis benedictio illa, quam fratri Esau præripuit Iacob. *Det tibi Deus de rore cœli & de pinguedine terræ,abundantiam frumenti,& vini;& seruiant tibi populi,& adorent te tribus. Esto Dominus fratrum tuorum,& incuruentur ante te filij matris tuæ, qui maledixerit tibi,sit ille maledictus,& qui benedixerit tibi,benedictionibus repleatur.* Hęc Iacob benedictio. At vestigium est benedictionis filiæ Iacob, id est, Virginis; confortata est benedictio eius;benedictioni patris eius.Dedit enim Virgini Deus de rore cœli,id est,de gratia cęlesti copiam admirabilem;imò dedit ei totam roris cęlestis plenitudinem,id est,Christum,iuxta illud, quod suprà citauimus: Mariæ simul se totam infudit plenitudo gratię,dedit illi Deus rorem illum cęli,quem suspirat Isaias;*Rorate cœli desuper.*Vt enim ait Chryso- *Isaiæ 27.* logus,serm.3.de Annuntiatione:Cęlestis imber virgineum in vellus placido se fudit illapsu, & tota diuinitatis vnda, bibulo senostræ carnis cælauit in vellere;donec per patibulum crucis expressum,terris omnibus,in pluuiam salutis se effunderet,&c.

Quibus ego verbis virgineæ terræ pinguedinem, id est,fertilitatem, prædicem? quæ vnquam tellus pinguior, quæ vnquam virgineo corpore fuit vberior?quęnam vnquam vberiores vel attulit fructus, vel afferre potest?nulla sanè,Illa,illa beata tellus,ille vterus cœlo excelsior,Christum tulit;quo fructu nullus potest melior aut vberior excogitari.Hic nostra est abundantia frumenti, & vini; ipse panis est vitæ, sanguinemque suum instar pretiosissimi vini nobis propinat.Iam verò quod sequitur:*Seruiant tibi populi*,&c.vtri nam præclarius, Virgini ne,an Iacob congruit?Virgini haud dubie; Virgini seruiunt populi; adoratione hyperduliæ, adorant eam tribus; est fratrum suorum domina; incuruantur ante eam filij matris eius,id est, homines eiusdem cũ illa naturæ.Infelices hæretici,qui illi maledicere audent, maledicti sunt;qui vero illi benedicunt Orthodoxi, qui illam laudant,qui præcantur,qui imitantur,benedictionibus replentur.

Addamus, & alteram virgineæ benedictionis tenuem effigiem, Iosephi nimirum benedictionem. *Omnipotens benedicet tibi benedictionibus cœli desuper, benedictionibus abyssi iacentis deorsum, benedictionibus vberum & vuluæ*,benedictionem hanc Ioseph filio Iacob,Deus impertiuit; sed multo excellentius Virgini tribuit, benedixit illi mille *benedictionibus cœli desuper*, id est, cœlestium charismatum ; *benedictionibus* quoque abyssi, id est, aquarum,quibus illius animum irrigauit,gratiæ enim abyssum quandam in illam effudit. Denique *benedictionibus vberum,& vuluæ*. Hanc autem benedictionem,quis fando explicare poterit ? quis benedictionem illam(vt par est)extoller,quã Deus in vuluã,id est,vterum,vberaque Virginis cõtulit, vt Christum vterus gestaret,& vbera lactarẽt? Hęc optatissima illa fuit Abrahæ benedictio : *Benedicentur* *Genes.22.* *in semine tuo omnes gentes terræ*.Hoc Abrahæ semẽ,hũc filium vterus tulit Virginis, huic sanctissima illius vbera lac præbuere.Benedicta ergo à Deo in mulieribus benedictionibus cœli desuper,& abyssi gratiæ, & benedictionibus vberum sanctissimorum,ac vuluæ beatissimæ,Benedicta à Deo,& benedicta ab hominibus quoque,iuxta illud:*Nomen tuum ita Dominus* *Iudith 13.* *magnificauit,vt non recedat laus tua de ore hominum , qui memores fuerint virtutis Domini in æternum*,&c.Et illud eius- *Luca 1.* dem Virginis; *Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.Benedictio patris* (ait Eccles.) *firmat domos filio-* *Eccles.3.* *rum*,summa vero benedictio summi Patris , summæ impertita filiæ,Virginis domum stabiliuit,auxit,ornauit in sempiternum . Domum enim Virginis in cœlo terraque cæteris omnibus nobiliorem , præclarioremque,benedictio summi Patris effecit.

CAPVT VIII.

Turbatur virgo,timore liberatur,filius promittitur;Angelo respondet.

Quæ cum audisset,turbata est in sermone eius.

NONNIHIL turbationis attulit Virgini Angeli fulgentis aspectus,& salutatio.Turbatam ex aspectu Angeli docet Ambros.lib.2.de Virginibus, Virgo(inquit)quasi viri specie mota trepidauit.Et *D.Ambr.* Lucæ 1.Trepidare virginum est , & ad omnes viri ingressus pauere;omnes viri affatus vereri . Et Hie- *D.Hieron.* ronymus,in epistola ad Lætam;Ideo forsitan timore perterrita Virgo est;quia virum,quem non solebat,aspexit.Et in epistol.ad Eustochium ; cum Gabriel viri specie ad Virginem venisset , consternata respondere non potuit, numquam enim à viro fuerat salutata,& quæ hominem formidabat , cum Angelo fabulatur intrepida,Damasc.orat.1.de dor- *D. Damasc.*

mitione

Cur virgo turbata fuerit.

mitione Virginis; Virgo Angeli ore commota est, vt quæ cum viris colloqui minime consueuisset; siquidem Virginitatem sedulo seruare constituerat, &c. Et Ecclesia in responsorio Annuntiat. Expauescit Virgo de lumine, &c. Quemadmodum enim pastores claritas Dei circumfulsit, vt Lucas scribit, cum Angelum viderunt; ita nocte media circumfulsit & Virginem.

Turbatam vero propter salutationem, ex Euangelio colligitur; *Turbata* (inquit Lucas) *est in sermone eius*, ideoque *cogitabat qualis esset illa salutatio*. Sentit hoc

Origenes.

Origenes homil. 6. in Lucam; Soli (inquit) Marię hęc salutatio seruabatur; si enim sciuisset ad alium quępiam, similem factum esse sermonem, (habebat quippe legis scientiam) nunquam quasi peregrina eam salutatio terruisset, &c. Alij addunt, turbatam quòd timuerit cacodæmonis in salutatioue dolum.

Euthym.

Euthymius: Turbata (inquit) est quia timuit, ne fortè dolus esset; & cogitabat, vtrum diuina esset salutatio, an à dæmone. & D. Bernard. homil. 3. super

D. Bernard.

missus: Quod turbata est, verecundię fuit virginalis; & cogitabat, quia sciebat prudens Virgo, quod sępe Angelus Satanę, transfigurat se in Angelum lucis; & quia humilis erat & simplex, & nihil tale ab Angelo sperabat, &c.

Opponet quispiam. Nónne Virgo Angelorum tum visioni, tum colloquio assueta erat, vt supra dictum est? Cur igitur ex aspectu Gabrielis colloquioque turbatur? Respondemus, turbatam ex inusitato aspectu, colloquioque; Non enim solebāt Angeli illo modo, quo tunc visus est Gabriel, illi apparere, nec illo modo loqui. Vnde timuit, ne fortè dæ-

D. Ambr.

mon esset. Ambros. in Lucam, salutationis nouam formam Virgo mirabatur, nusquā enim erat lecta,

Origenes. Iustinian.

vel audita, &c. Et Origenes iā citatus, quasi peregrina eam salutatio terruit. Laurentius Iustinianus in sermone de Annunciat. Turbata, inquit, est non ex Angelico aspectu, quasi insolito, quippe quę iugiter visitabatur ab Angelis, sed ob excellentiam diuini præsagij, quòd propria merita pręcellere videbatur. Consueuit namq; humilitas, sicut semper stare sub se, ita difficile fidem accommodare iis, quæ supra eā

Simon Cass.

esse censentur, &c. Et Simon Cassianus; Nec turbatam Virginem, aut vllo modo pauidam ex Angelica præsentia Scriptura commemorat, velut visionibus Angelicis assuetam, & eorum singulariter fulta custodiis, dumtaxat ex sermone Angelico turbata est, &c. Gręcus Anonymus in Catena D. Thomæ: Cum assueta, ait, foret Virgo iis visionibus; Euāgelista nō visioni, sed relatibus, id est, sermoni turbationē tri-

D. Bonauen. Lyranus.

buit. Idem sentit D. Bonauent. in meditationibus de vita Christi, cap. 4. Præterea Lyranus: Sciendum, inquit, quòd Virgo solita erat videre Angelos, & ideo de apparitione Angeli non fuit turbata, sed de salutatione insolita, quia nihil mirabilius est verè humili, quam sua exaltatio, &c.

Iudic 13.

Sansonis conceptum nunciauit matri Angelus, terribili specie: *Vir* Dei, ait illa, *venit ad me habens vultum angelicum, terribilis nimis.* In quem locum Cardinalis

Caietanus.

Caietanus sic scribit: Non apparuit sub viri amabilis, sed timendi specie Angelus, quia mulieri iueni apparebat: nec decebat eam trahere ad sui amorem, sed reuerentiam, &c. Et Abulensis. Ista, inquit, est conditio bonorum Angelorum, quia, vt communiter, se ostendunt terribiles, non ad terrendum, sed ad reuerentiam ostendendam, vt appareat dignitas honoris eorum. Hæc ille. Etsi terribiles videri soleant Angeli hominibus, Virgini certè non terribilis, sed amabilis potius & hilaris visus est Gabriel. Etenim non matri Sansonis, sed matri apparebat Dei, cuius reuerentiam non ipse captabat, sed eam illi maximam deferebat.

Abulensis.

Itaque longe aliter quam Danieli, apparuit Virgini Gabriel. *Vidi*, inquit Daniel, *& ecce vir vnus vestitus lineis, & renes eius accincti auro obrizo, & corpus eius quasi chrysolithus, & facies eius velut species fulguris, & oculi eius vt lampas ardens, & brachia eius, & quæ deorsum sunt vsque ad pedes, quasi species æris candentis, & vox sermonum eius, vt vox multitudinis.* Angelus quem his coloribus Daniel pingit, vt existimarunt Ioannes Cassianus collatione 8. Theodoretus, & Carthusianus, Pererius quoque noster Dan. 10. Gabriel erat, qui terribili hac forma summum Danieli, eiusque comitibus terrorem incussit. De comitibus sic Daniel: *Terror nimius irruit super eos, & fugerunt in absconditum*: De se vero: *Non remansit* inquit, *in me fortitudo, sed & species mea immutata est in me, & emarcui, nec habui quicquam virium. Et audiui vocem sermonum eius, & audiens iacebam consternatus super faciem meam, & vultus meus hærebat terræ.*

Dan. 10.

Aliter Gabriel virgini aliter Danieli apparuit.

Cassianus.

Theodor

Carthusian.

Pererius.

Deus bone, quam mirum terrorem Gabriel Danieli intulit. Procul à virgine terribilis Angeli forma procul fulgurans facies, oculi ardētes, corpus simile æri cadēti, voxque multitudinis, procul horror huiusmodi, nō est vt Danielis, sic Virginis species immutata, nec emarcuit, nec vires amisit. Turbata est (ait Bernard. homil. 3. super missus) sed non perturbata. Audiens Daniel Gabrielem iacebat cōsternatus, & vultus eius hærebat terræ, audiens Virgo eūdem Gabrielem, erecto corpore, & animo, modestiaque pleno vultu stabat, turbata est in sermone eius nonnihil, neque protinus salutata respōdit, sed cogitabat qualis esset noua ista salutatio. Quòd turbata est (ait Bern. homil. 3.) verecundiæ fuit virginalis, quod non perturbata fortitudinis, quod tacuit, & cogitauit prudentiæ, &c. Et Ambrosius: Erat cogitans cum verecundia, quia pauebat cum prudentia, quia benedictionis nouam formulam mirabatur, quæ nusquam lecta est, nusquā ante comperta, soli Mariæ hæc salutatio debebatur, &c.

D. Bernar.

D. Ambr.

Ne timeas Maria, inuenisti enim gratiam apud Deum.

Turbationem Virginis pellit Angelus. *Ne timeas*, inquit, *Maria*, nomine proprio iam illam compellat. Familiariter, ait Bern. hom. 3. Virginem vocans ex nomine, benignè ne timeat persuadet, nihil hic doli nihil hic fallacię, est nullam circunuentionem, nullas hic suspiceris insidias. Non sum homo, sed spiritus: & Dei Angelus, non Satanę. Sic Bern. hęc verba explanat. Eundem in modum Andreas Episcopus Hierosol. explicat: Nō fraudulētus, inquit, hic modus est, haud fallendi animo ad te venio, non impostor serpens rursus tibi loquitur, non terrenus tibi nūtius adsum. Basilius vero episcopus Seleucię aliter: *Ne timeas*, inquit, *Maria*, timor enim eorum est, qui offenderunt: tu vero gratiam inuenisti apud Deum, & Chrysologus serm. 2. de Annuntiatione. Verum inquit, est, quia qui inuenit gratiam, nescit timere: & sermone quarto: Timet non qui inuenit, sed qui perdit. Inuenit Virgo cōcipiēdo super in germinis gratiam, quæ pariendo non perdidit virginitatem, quid timet, quæ securitatem rerum concipit, parit gaudia seculorum? quid timet, quę susceptt eum, quē timent omnia, quæ timentur? Hæc ille.

D. Bernar.

Liberatur titulo more virgo.

Basilius Seleuc.

D. Chrysologus.

Obserua, inuenire gratiam apud aliquem, idē esse quod alicui placere. *Noë inuenit gratiam coram* Domino, id est, Deo placuit. *Ioseph inuenit gratiam coram* Domino *suo*, id est, gratiosus fuit apud herum suum. *Esther tradita est eunucho, vt seruaretur in numero fœminarum, quæ placuit ei, & inuenit gratiam in conspectu illius.* Ex his verba Angeli facile intelliges: *Ne timeas Maria, inuenisti enim gratiam apud Deum*, hoc est, places summopere Deo. Nemo autem Deo placet, qui gratia iustificante careat: Virgo gratia plena erat. Deoque mirum in modum, plus quam Angeli omnes, placebat.

Genes 9.

Genes. 39.

Esther 2.

De hac Virginis gratia Andreas Ierosolymitanus, inuenisti,

Andreas Iero∫ol. inueniſti, inquit, gratiam ô Virgo apud Deum, quam non accepit Sara, quam non ſenſit Rebecca, quam nec Rachel cognouit, qua non eſt digna habita Anna mater Samuelis, quoniam hæ quidem ex ſterilibus factæ ſunt matres amittentes vna cum virginitate orbitatem, tu autem etiam ſi mater ſis, virginitate tamen frueris illæſa: Inueniſti gratiam, qualem *D. Bernar.* non nactus eſt quiſquam ab æterno ſicut tu, &c. Et Bernardus homilia tertia. Inueniſti quod querebas, inueniſti quod nemo ante te potuit inuenire, inueniſti gratiam apud Deum, Dei & hominum pacem, mortis deſtructionem, vitę reparationem, &c.

Eſther 2. *Adamauit eam Rex plus quàm omnes mulieres; habuítque gratiam, & miſericordiam coram eo ſuper omnes mulieres*, &c. Damaſcenus oratione prima, de dormitione Virginis; Gratiæ abyſſum Virgo inuenit, quæ duplicis virginitatis nauem incolumem ſeruauerat, animamque non minus, quam corpus virginem cuſtodierat; vnde etiam corpori virginitatis conſtabat, &c.

Beneficium incarnationis gratis datum. Non ſine cauſa à gratia ſalutationem inchoat Angelus, & gratiam inculcat; quia incarnationis admirandum beneficium, non hominum meritis, non naturæ, ſed gratiæ tribuendum eſt. O Virgo (ait Chryſologus ſerm. 2. de Annunt.) Gratia te matrem præſtitit; non natura, &c.

D. Damaſc. *D. Chryſol.*

Ecce concipies in vtero & paries filium, &c.

Ita, inquit Angelus, Deo placuiſti, tantamque gratiam apud eum inueniſti; vt Vnici filij ſui te matrem eſſe velit. Tantæ rei nuncius ad te miſſus venio. Virginem illam in memoriam reuoca, de qua *Iſaiæ 7.* Iſaias cap. 7. hæc ſcribit; *Ecce virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emmanuel*; tu, Virgo illa es. *Ecce concipies, & paries filium, & vocabis nomen eius Ieſum.* Ieſus erit, id eſt, Saluator; erit quoque Emmanuel, vt Iſaias prædixit, id eſt, nobiſcum Deus, hic enim erit magnus, & filius altiſſimi Dei vocabitur. Erit, inquam, magnus Deus & Dei filius. Dixit idem Gabriel de Ioanne: *Erit magnus coram Domino*, ſed vt homo, de Chriſto ait: *Erit magnus*; nempe vt Deus, & homo. Dictum (inquit Ambroſius) eſt de Ioanne ab Angelo: Quia erit magnus; ſed ille quaſi homo magnus, Chriſtus quaſi Deus magnus, Magnus Ioannes, ſed coram Domino, magnus Chriſtus, ſed Dominus, &c.

D. Ambr.

Concipies (inquit) *in vtero* vt reliquæ fœminæ; verus *D. Chryſol.* erit conceptus, nō phantaſticus. Chryſologus ſer. 4. In vtero dixit Angelus, vt conceptus eſſet veritas, non figura, vt partus eſſet proprietas, non imago; vt ſicut de Deo vero, Deus verus, natus eſt, ſic de vero conceptu, veritas humani corporis naſceretur. Eſt ergo hæreſis, quæ Chriſtum aëreum corpus aſſumpſiſſe mentitur; nec habuiſſe carnem, ſed hominem ſimulaſſe confingit; Hæc ille.

Rogabis cur non dixerit, *filius altiſsimi erit*; ſed *filius altiſsimi vocabitur*? Reſpondemus, forſitan phraſim Hebræam eſſe; eadem vſus eſt Matth. cap. 1. *Iacob genuit Ioſeph virum Mariæ, de qua natus eſt Ieſus, qui vo-* *Matth. 1.* *catur Chriſtus*: id eſt, qui eſt Chriſtus; & hoc eodem *Lucæ 1.* capite Angelus: *Hic menſis eſt ſextus illi, quæ vocatur ſterilis*; id eſt, quæ eſt ſterilis, retineri quoque poteſt verbum in proprio ſignificato hoc ſenſu, Filius Dei verè vocabitur filius, quem concipies; atque adeò filius Dei erit, vocabitur ab Eccleſia filius tuus; non tamen vocabitur alicuius hominis filius, ſed Dei, erit filius tuus, & filius Dei; Patrem nullum præter Deum habebit.

Dabit illi Dominus ſedem Dauid patris eius, &c.

Prædixerant Prophetę Meſſiam in ſolio Dauidis *Iſaiæ 9.* ſeſſurum: *Multiplicabitur enim imperium, & pacis non erit finis; ſuper ſolium Dauid, & ſuper regnum eius ſedebit; vt confirmet illud, & corroboret in iudicio, & iuſtitia, amodo, & vſque in ſempiternum*, &c. Pſalm. 2. *Ego autem conſtitutus ſum* *Pſalm. 2.* *Rex ab eo, ſuper Sion montem ſanctum eius*. Pſalm. 131. *De* *Pſal. 131.* *fructu ventris tui ponam ſuper ſedem tuam*. Ierem. 23. *Ecce* *Ierem. 23.* *dies veniunt dicit, Dominus, & ſuſcitabo Dauid germen iuſtum; & regnabit Rex, & ſapiens erit, & faciet iudicium & iuſtitiam in terra*, &c. Zacharias 9. *Ecce Rex tuus veniet tibi iuſtus & Saluator.* Hūc promiſſū Regē Meſſiā ait Angelus fore filium Virginis, qui in ſolio Dauidis ſedeat in ſempiternum. *Dabit* (inquit) *illi Deus ſedē Dauid patris eius.* *Zachar. 9.*

Sunt autem verba hæc explicanda de Regno non temporali, ſed ſpiritali, nec enim Chriſtus ſuper ſolium Dauidis temporale vnquam ſedit: nec illud ſolium æternum eſſe potuit. Sedes itaque Dauid, & domus Iacob hoc loco, ſedes, domuſque Eccleſiæ appellatur, in qua ſedet, & imperat, in æternumque imperabit Chriſtus. Sed cur Eccleſiæ ſedes dicitur ſedes Dauid? Reſpondeo, quia thronus Dauidis fuit typus throni Eccleſiæ, dedit ergo Deus Chriſto ſedem Dauid, non typicam, ſed veram ſedem, quam illa adumbrabat. Similem in modum dicitur Eccleſia domus Iacob, quia domus Iacob Eccleſiæ imago fuit; & in domo Iacob olim Eccleſia erat. Eſt hæc Bernardi ſententia homilia quarta ſuper miſſus: *Dabit* (inquit) *ei Dominus ſedem Dauid patris ſui*, non typicam ſed veram, non temporalem, ſed æternam, nō terrenam, ſed cœleſtem, quæ idcirco memoratur fuiſſe Dauid, quia hæc in qua temporaliter ſedit, æternæ illius gerebat imaginem, &c.

Quid ſignificet ſedes Dauid, & domus Iacob. *D. Bernar.*

Rex eſt Chriſtus vt Deus, Rex etiam vt homo. Rex eſſe voluit noſter, non vt tributa exigeret, ſed vt mortem pro nobis oppeteret. O Regem omni amore digniſsimum, qui non ſua, ſed populi ſibi cōmiſſi quærit commoda. Gaudeamus (ait Chryſologus ſer. 4. de Annuntiatione) quia qui ſibi regnauit, regnaturus eſt nobis; gaudeamus, quia venit regnaturus in terra, vt nos cum illo regnare poſſimus in cœlo. Nobis natus eſt, nobis vtique regnum venit donaturus. Hæc ille. Cupis regnare cum rege tuo? Audi Apoſtolum, ſecunda ad Timoth. ſecundo: *Si* *2. Tim. 2.* *ſuſtinebimus, & conregnabimus*, Audi Euangelium: *Regnauit in domo Iacob*; quid ſignificat Iacob; nónne ſupplantatorem; Eſto vitiorum omnium, Diaboli, voluptatumq; ſupplantator, ſi cum hoc Rege regnare vis, qui in domo Iacob, id eſt, ſupplantatoris, regnat in æternum.

Nobis natus Chriſtus, & nobis regnat. *D. Chryſol.*

At quis ex nobis eſt (ait Bernard. homil. citata) qui iuxta interpretationem nominis Iacob, ſupplāntet Diabolum de corde ſuo? luctetur cum vitijs, & concupiſcentijs ſuis, vt nō regnet peccatum in ſuo mortali corpore, ſed regnet in eo Ieſus? &c. Pauci ſunt Iacobi, pauci vitiorum ſupplantatores. Regnare vitia in nobis conantur, in ſuum imperium nos rapiunt, vt Bernardus eodem loco docet ijs verbis: Venit (inquit) auaritia, & vendicat in me ſibi ſedem, iactantia cupit dominari mihi, ſuperbia vult mihi eſſe rex. Luxuria dicit: Ego regnabo; ambitio, detractio, inuidia, & iracundia certant in me ipſo, de me ipſo, cuius ego potiſſimum eſſe videar, &c. Multi illorum ſe iugo ſubjiciunt; at tu ſequere eundem ſanctiſſimum Patrem, qui eadem hom. 4. Ego (inquit) quantum valeo reſiſto, renitor quantum iuuor; Dominum meum Ieſum reclamo, ipſi me defendo, quia ipſius me iuris eſt cognoſco. Ieſum mihi Deū, ipſum mihi Dominum teneo, & dico, Non habeo regem niſi Dominum Ieſum Hæc Bernardus.

Certandum cum vitiis. *D. Bernar.* *Vitiis reſiſtendum.* *D. Bernar.*

Quomodo fiet iſtud, quoniam Virum non cognoſco.

Fidem maximam habuit verbis Angeli Virgo, quo tamen modo conceptio peragenda eſſet, quia ille non oſtenderat, ipſa rogat; *Quomodo fiet iſtud?* id eſt, conceptio hęc? Ego enim virginitatis voto ſum obſtricta, nec virum cognoſco; hoc eſt, virum cognoſcere non poſſum. Ex his Deiparæ verbis

comper-

compertum est vouisse illam, & cum Ioseph obseruasse virginitatem. Nam si non vouisset, virumque posset cognoscere, nulla erat causa interrogandi; Quomodo fiet istud? Ex viro enim suo filium nasciturum existimasset, nulla præterea erat causa respondendi: Virum non cognosco; cum virum haberet, quem, si votum minimè nuncupauerat, cognoscere poterat. Audi (inquit Gregorius Nyssenus in orat. de Christi Natiuitate) puræ Virginis vocem. Angelus partum denunciat, & illa virginitatem amplectitur; Interdicta mihi (inquit) est viri consuetudo; vt virum cognoscam fieri non potest; quo pacto hoc mihi continget? Si nuptiarum causa sumpta erat à Ioseph, quomodo Angelum de partu prædicentem, quasi re noua & insolita obstupefacta, auersata esset; cum prorsus speraret, se quoque aliquando matrem esse futuram? Sed quoniam Deo dicatam, & consecratam carnem, veluti sanctum quoddam donarium, intactam seruari oportebat; propterea etiam si Angelus sis (inquit) ac de cœlo veneris, etiam si supra hominem sit, id quod apparet; attamen vt virum cognoscam fieri non potest. Quomodo mater ero absque viro? Ioseph enim sponsum quidem noui, virum autem non cognosco. Hactenus Nyssenus.

Virgo voto virginitatis se obstrinxit.

D Gregor. Nyssenus.

D. Bernard. homil. 4. Verba hæc Virginis sic interpretatur: *Quomodo fiet istud?* Cum sciat Dominus votum esse ancillæ suæ non cognoscere virum, quo ordine placebit ei vt fiat istud? & Beda; Propositum suæ mentis Virgo exposuit, vitam, scilicet, virginalem ducere se decreuisse. Augustin. in lib. de sancta Virginitate, cap. 4. Profectò (inquit) non diceret Virgo, *quomodo fiet istud?* nisi Deo virginem se ante vouisset. Item: Non quæsisset vtiq; quomodo promissum sibi filium fœmina paritura esset; si concubitura nupsisset. Constat igitur ex ijs verbis Virginem & virginitatem seruasse, & voto virginitatis se obstrinxisse.

Dubium est, an fuerit prima, quæ virginitatem seruarit, & voto confirmarit? Primam fuisse docet Bernard. homil. 3. Super missus: Tu (inquit) virgo, non dicam præceptum virginitatis, sed nec consilium, nec exemplum habebas; nisi quòd vnctio docebat te de omnibus; ac sermo Dei viuus prius tibi factus est magister, quam filius. &c. Si Virgo virginitatis nõ habebat exemplũ, sanè in seruanda virginitate prima fuit. Præterea Beda Luc. 1. Prima (inquit) fœminarum tantæ virtuti se mancipare curauit. & homil. de Annuntiat. Virgini diuino munere collatum est, vt prima inter fœminas, Deo virginitatis munus offerret. Magnus Albertus super missus. cap. 82. Beata Virgo est mater omnium in virginitate; quę prima sine præcepto, consilio, vel exemplo, virginitatis munus Deo obtulit. per quod omnes virgines per imitationem virginitatis genuit, &c. eodem modo loquitur D. Antonius 4. parte summæ Theol. titul. 15. c. 20. parag. 10. Beata (inquit) Maria est mater omnium in virginitate; quia prima sine præcepto, consilio, vel exemplo, virginitatis munus Deo obtulit. Et per virginitatis votum, opprobriũ virginitatis abstulit, & eam in se consecrauit; & sic omnes virgines per imitationem sui genuit, &c. D. Bonauent. lib. 1. Pharetræ c. 5. hæc scribit: Beatus Bartholomeus vt habetur in legenda, scilicet, hæc dixit: Prima virgo inter fœminas hoc constituit in corde suo, vt diceret Deo; Domine offero tibi virginitatem meã, cum hoc à nullo homine, nec verbo didicisset, nec exemplo ad imitationem inuitata fuisset, &c.

D. Bernard.

An Virgo prima fuerit, quæ virginitatem seruarit, & voto confirmarit. Beda.

Albertus Magnus. Virgo mater est virginũ.

D. Anton. Deiparam primã fuisse virginem sine exemplo probatur.

Primam autem votum virginitatis nuncupasse, cum alijs virginis amicis opinatur Rupertus Cant. 3. Dicunt (inquit) & verè dicunt amici, quia votum virginitatis Deo prima vouisti, &c. Viguerius item in institutionibus Theol. cap. 20. parag. 9. sic scribit; Ideo dicitur virgo virginum Deipara; quia fuit prima inter mulieres, quæ vouit virginitatem inspiratione diuina. eam ob rem de eadem dicitur: *Sola sine exemplo placuisti Domino.* fuit enim inuentrix ordinis virginum, & Angelicæ vitæ; ideo rectè nominatur virgo virginum, &, virginum Abbatissa, ac Regina, &c. Abulensis 4. Reg. c. 18. q. 19. De Domina (inquit) nostra dicitur: *Sola sine exemplo placuisti* fœmina *Christo*; id est, non fuit alia, quæ emisisset votum virginitatis propter Deum; antè Dominam nostram. Hæc ille.

Rupertus.

Viguerius.

Abulensis.

Confirmatur sententia: Quoniam in veteri lege omnes generationi studebant; isque felix, & Deo charus iudicabatur, qui liberorum copia abũdabat. Vnde illud: *Non erit apud te sterilis vtriusque sexus*; quod non est præceptum, sed promissio liberorum. & illud: *Vxor tua sicut vitis abundans in lateribus domus tuæ filij tui sicut nouellæ oliuarũ in circuitu mensæ tuæ.* Et: *Hæreditas Domini filij, merces fructus vẽtris.* Appetebant igitur fœminæ omnes coniugia, virginitatem minimè colebant. Id illæ lachrymæ à filia Iephte, quod in virginitate mori cogeretur fusæ, demonstrant. A patre enim immolanda, duorum mensium spatio virginitatem suam deplorasse legitur. Adde illud quod Ecclesia de Virgine canit: *Sola sine exemplo placuisti Domino nostro,* &c. Quia scilicet nullum habuit virginitatis seruandæ exemplum.

Deut. 17.

Psal. 127.

Psal 126.

Iudic. 11.

Hæc tamen sententia refutari hoc pacto potest. Ante Virginẽ virgines extitere, ergo non fuit Deipara in virginitatis obseruatione prima. Nam Elias Virgo fuit, Ambrosio libro 1. de virginibus autore. virgo item fuit Ieremias, virgo Eliseus, virgines fuere Sibyllæ, vt Hierony. scribit libro 1. aduersus Iouinianum: D. item Ignatius in epist. ad Philadelphiẽses, Iosue, Melchisedech, Eliseum, & Ieremiam virginibus adnumerat. Daniel is corpus ait Damasc. lib. 4. de fide cap. 25. virginitate obduratum ita, vt leonum dentes illi infigi nequiuerint, tres verò pueros id per virginitatem adeptos, vt eorum corpora igni confici minimè potuerint. Præterea in Iudæa collegium fuit Essenorum, qui vitam in castitate traducebant; inter quos verisimile est multos virginitatem seruasse illibatam. Ad hæc Ambros. lib. 1. de virginibus, ait fuisse virgines templo deputatas, de quibus suprà diximus. Nuptui quidem tradebantur, sed cur non potuerunt aliquæ Eliam, & cæteros in virginitate colenda imitari? Itaque D. Greg. Nazianzenus in carminibus de virginitate, concedit in veteri lege seruatam à nonnullis virginitatem, & Sotus 4. distinctione 3. quæst. 1. art. 1. ait Deiparam virginem in sua gente virginitatis colendæ exemplum habuisse.

Refutatur opinio D Ambros.

Hieronym.

D. Ignatius.

D. Damasc.

D. Ambros.

Nazian.

Respondemus, intemeratam virginem virginũ reginam esse, virginumque exemplar, & primam fœminam, quam virginitatem perpetuam seruasse atque vouisse constat; quamuis enim fieri potuit, vt in lege veteri aliquot fœminæ fuerint virgines, tamen id ignotum est. Mariam quidem sororem Moysis virginitatem seruasse nonnulli existimarunt, vt ait D. Gregor. Nyssenus in lib. de virginitate cap. 19. Diuus Ambrosius libro 1. de virginibus, virgineum illi pudorem tribuit. Attamen Iosephus libro tertio antiquitatum capit. 2. vxorem fuisse Hur affirmat. & Abulensis in fine commentatiorum capitis 35. Exodi, hæc scribit, Hur qui fuit iude x cum Aaron, & sustinuit manus Moysis, communiter dicitur esse maritus Mariæ sororis Moysis, &c. Incerta ergo est hæc Mariæ sororis Moysis, virginitas. Viros aliquot, Eliam, Ieremiam, Eliseum, & Essenos virginitatem coluisse concedimus, cui etiam sub testamẽto veteri

Respondetur quæstioni.

D Gregor. Nyssenus.

D. Ambros.

Iosephus Abulensis.

honos habitus est, sed voto ab aliquo ex illis illustratam esse non liquet. Primum autem virginitatis votum fecisse Deiparam certissimè nouimus. Quòd si in lege veteri aliquot fœminæ fuere virgines; satis est Dei genitricem primam esse, quæ in lege noua admirandæ virginitatis vexillum extulit, vt reliquarum omnium Virginum exemplar illustrissimum, mater, princeps, atque dux appelletur.

Objicies illa Ecclesiæ verba: *Sola sine exemplo placuisti Domino.* Ex quibus colligitur ante D. Virginem nullum virginitatis exemplum extitisse Respondemus, ante Virginem exemplum præcessisse Eliæ, & reliquorum; incertum est an præcesserit exemplum fœminæ alicuius, incertum etiam an præcesserit exemplum voti. Verba illa alium habent sensum, quem intelliges, si fontem vnde sumpta sunt, adeas. Is est Sedulius antiquus poëta; qui sub Theodosio imperatore floruisse fertur, anno à Christo nato 430. carminum lib. 2. sic ille canit:

Sedulius. Quomodo virgo sola sine exemplo placuisse Christo dicatur.

Salue sancta parens, enixa puerpera regem,
Qui cœlum, terramque tenet per sæcula; cuius
Numen, & æterno complectens omnia gyro
Imperium, sine fine manet: quæ ventre beato
Gaudia matris habes, cum virginitatis honore,
Nec primam similem visa es, nec habere sequentem,
Sola sine exemplo placuisti fœmina Christo.

Carmina si expendas, intelliges hanc verborum, de quibus sermo est, esse sententiam: Nec primam ô Virgo habuisti æqualem tibi, ante te; nec sequentem post te; quocirca sola sine exemplo, id est, sine pari, & æquali, placuisti Christo; nullum enim fuit aliud exemplum, id est, nulla fuit alia fœmina Virgini par, aut similis in gratia, virtutibus, Deiq; mirabilibus donis. Dices; Cur ergo ait Bernard. D. Antoninus, Magnus Albertus, Abulensis, Viguerius, D. Bonauentura, Virginem exemplum seruandæ virginitatis non habuisse? Respondeo, intelligendos de exemplo fœminæ alicuius; Præterea de exemplo virginitatis voto constabilitæ.

Euthymius. Euthymius hoc loco, non rectè de Virgine sanctissima, hæc scripsit: Non credidit sicut Zacharias, &c. Procul à Christiano pectore, & auribus huiusmodi sint verba. Beata enim quæ credidit, vt ait Elisabetha. Fidem eximiam habuit Angeli dictis; concipiendum altissimi filium credidit; sed quonam modo concipiendus esset, quæsiuit. Id quod Patres docent; Ambros. in Lucam; Non de effectu Virgo dubitauit, sed qualitatem ipsius quæsiuit effectus. Legerat: *Ecce Virgo concipiet, & pariet filium*, ideo credidit futurum; sed quomodo fieret non legerat, &c. August. q. 19. in lib. Numerorum: Modum (inquit) quæsiuit Virgo, non de virtute Dei dubitauit. Et in lib. 50. homiliarum homil. 44. Maria inquirendo dixit, non desperando; quomodo fiet istud? Bernard. homil. 4. Super missus: Non dubitat Virgo de facto; sed modum requirit, & ordinem, &c. Theophylactus: Non quasi diffidens Virgo dixit; *Quomodo fiet istud?* Sed vt prudens, & intelligens, vt discat modum, inquirit, &c.

Virgo angelo credidit, & conceptionis modum inquisiuit.
D. Ambros.
Isaiæ 7.
D. August.
D. Bernard.
Theophyl.

Sed objiciet quispiam: Virgo modum nouerat, ergo modum non inquisiuit. Quòd nouerit modum confirmatur; quia verba illa intelligebat: *Ecce Virgo concipiet, & pariet Filium*; quæ modum conceptionis significant, indicantque Virginem absque viri operatione concepturam Messiam, ac parituram, ergo hoc nouerat Virgo. Respondemus, Virginem non plenè nouisse modum conceptionis, quamuis illam sensus verborum Isaiæ non latuerit. Sciebat Virginem concepturam, & Virginem parituram, quomodo autem id faciendum esset, ignorabat. Ideoque respondit, *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?*

Isaiæ 7.

Virges; sciebat ergo virgo ex Isaia, ad Messiæ conceptionem non esse opus viro; sciebat se virginitate salua, filium concepturam, absque viri opera, quorsum igitur rogat: *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* hoc est, quomodo concipere possum, siquidem virginitatis voto obstrictæ virum cognoscere mihi fas non est? Indicant enim hæc verba, Virginem putasse viri operam ad conceptum illum fore necessariam. Paucis dicam. Vel virgo existimauit opus esse virum cognoscere, ad Messiæ conceptionem, & Isaiam non intellexit; vel existimauit non esse opus virum cognoscere, & præter rem respondit: *Quoniam virum non cognosco.*

An virgo verba Isaiæ (ecce Virgo concipiet) intellexerit.

Difficilis sane ad expediendum nodus hic est, neque enim concedendum est, vel Virginem Isaiam non intellexisse, vel præter rem locutam fuisse. Nodi solutio hæc se offert, intelligebat quidem Virgo Isaiam, & sciebat Virginem concepturam, & parituram salua virginitate ex Isaia, tamen sciebat diuina potentia effici posse, vt ex viro concipiat virgo salua virginitate. Ideoque dixit, *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco*: Vel forsitan quamuis sciret ex Isaia, non esse opus viro ad hanc conceptionem, vt aperte ab Angelo hoc audiret, sue integritatis magno amore ducta, ita respondit, quasi diceret: Quomodo fiet hæc conceptio? mihi enim virum cognoscere non licet; & quidem scio id opus non esse. Leo Castro Isaiæ 7. in hanc sententiam verba virginis interpretatur: *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* id est quoniam virgo sum, vt possim illa esse, quæ ab Isaia prædicta est, sed Patres aliter explicant, vt vidimus.

Leo Castro.

CAPVT IX.

Docet Angelus modum conceptionis, annuit Virgo, concipit Christum.

Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi.

MOdum conceptus inquisiuit Virgo; aperit Angelus; quomodo fiet istud iam ostendit: Etsi (inquit) virum non cognoscas, virginitatisque votum nuncupaueris, concipies tamen, non humana sed diuina virtute, ipsaque salua virginitate. Spiritus enim Sanctus in te admirabiliter descendet; & virtus græcè δύναμις, id est, potentia altissimi Dei, obumbrabit tibi. Chrysostomus homil. 49. in Genesim: Ne quæras (ait) ô Virgo naturæ modum & ordinem, quando super naturam sunt, quæ fiunt. Ne spectes coniugij dolores, quando maior quam in nuptijs, natiuitatis modus erit. *Et quomodo fiet istud,* (inquit) *quoniam virum non cognosco?* sane propter hoc erit, quoniam virum non cognoscis. Nam si cognosceres virum, non fuisses habita digna, vt huic ministerio seruires. Itaque quamobrem dubitas, eam ob rem crede, non quia malum nuptiæ, sed quia melior virginitas. Spiritus sanctus veniet super te, & virtus altissimi obumbrabit tibi; sic poteris párere. totum operatione spiritus erit: Ne igitur spectes ad terram, è cælis operatio venit. spiritus gratiæ est, quod fit. Ne quæras naturæ modum, ne iuxta nuptiarum leges intelligas. Hactenus Chrysostom.

D. Chrysost.

Hic locus varijs explicatur modis. Primo modo exponit Aug. in lib. quinquaginta homiliarum, homil. 44. *Virtus* (inquit) *altissimi obumbrabit tibi*; ne timeas æstum libidinis, sub tanto vmbraculo sanitatis, &c. Quasi dicat, potentia Dei, vt vmbraculum, te

D. Aug.

ab ardore concupiſcentiæ defendet, qui in conceptu reperiri ſolet.

D. Gregor. Secundò modo interpretatur Greg. libr. 33. moral. cap. 3. Quia vmbra (ait) non aliter exprimitur, niſi per lumen, & corpus; virtus altiſſimi Virgini obumbrauit, quia in eius vtero lux incorporea corpus ſumpſit, ex qua obumbratione omne in ſe refrigerium mentis accepit, &c. Quaſi dicat; *virtus altiſsimi obumbrabit tibi*, id eſt, ſplendor ille Patris, & lux increata, corpus ex te aſſumet. & quemadmodum lux corpori opaco coniuncta, te obumbrat; ſic æterna illa lux corpori coniuncta, te obumbrabit, mirumq; tibi vmbra ſua refrigerium præſtabit. Idem Gregor. libr. 18. Moral. cap. 12. Vmbra (inquit) à lumine formatur, & corpore; Dominus autem per diuinitatem lumen eſt, qui mediante anima in vtero Virginis, fieri dignatus eſt per humanitatem corpus. Quia ergo lumen incorporeum in Virginis vtero erat corporandum; ei, quæ incorporeum concepit ad corpus, dicitur, virtus altiſſimi obumbrabit tibi; id eſt, corpus in te humanitatis accipies, incorporeum lumen diuinitatis. *Beda.* Beda item in homil. de Annunt. Sol (inquit) id eſt, diuinitas Chriſti, tegmine ſe humanæ naturæ, quaſi vmbraculo quodam obtexit, quo mediante, Virginis eum viſcera ferre ſufficerent. ſicque virtus altiſſimi obumbrauit ei: dum diuina Chriſti potentia, & eam præſentialiter implenit: & vt capi poſſet ab ea, ſubſtantia ſe noſtræ mortalitatis obnubilauit, hæc Beda.

Quomodo virtus altiſſimi dicatur obumbraſſe Virgini.

D. Bernard. Bernard. quoque homil. 4. ſuper miſſus, Quis (inquit) poſſit intellectu capere, qualiter ſplendor ille inacceſſibilis, virginis ſe viſceribus infuderit: & vt virgo inacceſſibilem ad ſe accedere ferre potuiſſet, de portiuncula eiuſdem corporis, cui ſe animate contemperauit, reliquæ maſſæ vmbraculum fecerit?

Tertio modo explanat Bernard. eadem homil. 4. *Obumbrabit tibi*, hoc eſt, ſic obumbrando teget modum, quo de Spiritu ſancto concipies, & occultabit; *Euſebius,* quatenus ſibi tantum notus habeatur, & tibi. Euſebius libr. 10. de demonſtratione cap. 8. ad illa verba Pſalm. 21. *Tu es, qui extraxiſti me de ventre*; In conceptione tu Domine quod in vtero fuit obumbraſti; vt principes ſæculi huius, ipſa de Spiritu ſancto, & ſancta Virgine conceptio lateret. Quod ingens myſterium Gabriel Archangelus indicauit, dicens; *Spiritus ſanctus ſuperueniet in te, & virtus altiſsimi obumbrabit tibi*, &c.

Ianſenius. Quarto modo Ianſenius ait, Deum Patrem in admiranda hac conceptione, locum obtinuiſſe generantis; Spiritum verò ſanctum locum ſeminis virilis, ſecundum vim effectiuam. Tum Spiritum ſanctum loco ſeminis ſuperueniſſe; virtutem autem altiſſimi, id eſt, Patris potentiam obumbraſſe, id eſt, ſanctiſſimam complexam eſſe Virginem, vt maritus ſolet; & per Spiritum ſanctum effeciſſe, quod ſolet per corporale ſemen efficere vir. At hæc interpretatio caſtas obradit aures.

Obumbrare eſt defendere Quinto modo facilè locus ſic explicandus eſt. Concipies virgo, non ex viro, ſed ex Spiritu ſancto, ipſe in te ſuperueniet; & virtus altiſſimi Dei, id eſt, potentia eiuſdem ſpiritus, obumbrabit tibi; hoc eſt, defendet te, virginitatémque tuam, quam tantopere diligis, ita proteget, vt ſine vlla illius iniuria, imò ſummo cum decore concipias. Confirmatur ſenſus hic germanus; ex alijs ſcripturæ locis, in quibus verbum, obumbrare, ſignificat defendere. *Pſal. 9.* *Scapulis ſuis obumbrabit tibi*, id eſt, defendet te, *ſub alis ſuis, vt auis pullos*, Pſalm. *Obumbraſti ſuper caput meum in die belli*; *Pſal. 139.* id eſt, defendiſti caput meum in prælio. Vmbra quoque ſignificat protectionem. Eccleſiaſtæ 7. *Sicut protegit ſapientia, ſic protegit pecunia.* ex He- *Eccle. 7.* braeo ſic verbum verbo redditur; *in vmbra ſapientiæ;*

A *in vmbra argenti.* Iſaias. *In vmbra manus ſuæ protexit me.* *Iſaiæ 49.*

Ideoque & quod naſcetur ex te ſanctum, vocabitur filius Dei.

Conceptus eſt Chriſtus ex vtero Virginis ſanctus, hoc eſt, abſque vlla originarij peccati labe, omniq; plenus ſanctitate; vt Angelus affirmat. Illud *Sanctum*, cum Verbo, *naſcetur*, coniungitur hoc ſenſu; *quod naſcetur ex te ſanctum.* Græce, γεννώμενον, id eſt, naſcens, quod naſcitur, quod paulo poſt in vtero naſcetur. loquitur enim de natiuitate in vtero, quemadmodum Matth. *Quod in ea natum eſt*, id eſt, conceptum, *de Spiritu ſancto eſt.* *Matth. 1*

Natus eſt autem Chriſtus, ſiue conceptus ſanctus, B id eſt, ſine peccato originali, ex vi cõceptionis. Quiſquis enim ex viro concipitur, ex vi conceptionis huiuſmodi peccatum originis contrahit; Chriſtus ex viro non eſt conceptus, ideoque peccatum huiuſmodi ex vi conceptionis incurrere non potuit, vt Auguſtin. docet in Enchiridio cap. 41. Nulla (inquit) voluptate carnalis concupiſcentiæ ſeminatus ſiue conceptus eſt Chriſtus, & ideo nullum peccatum originaliter contrahens, &c. Et libr. 13. de Trinitate cap. 18. Non interfuit concupiſcentia carnis, per quam ſeminantur & concipiuntur cæteri, qui trahunt originale peccatum; ſed ea penitus remotiſſima, credendo, nõ concumbendo, ſancta eſt fœcundata Vir- C ginitas: vt illud quod naſcebatur ex propagine primi hominis, tantummodo generis, non etiam criminis originem duceret, &c. Gregor. item Magnus lib. *D. Gregor.* 18. moralium, cap. 35. ad illa verba; *Non æquabitur ei topazius*; Nos etſi ſancti efficimur, non tamen ſancti naſcimur; quia ipſa naturæ corruptibilis conditione conſtringimur, vt cum propheta dicamus; *Ecce enim in iniquitatibus conceptus ſum, & in peccatis peperit me mater mea.* Ille autem ſolus veraciter ſanctus natus eſt; qui vt ipſam conditionem naturæ corruptibilis vinceret, ex commixtione carnalis copulæ conceptus non eſt. Hæc ille.

Chriſtus ſanctus cõceptus id eſt, ſine peccato originis omnino ſanctiſſimus pleniſſimus. D. Auguſt.

Chriſtus duabus de cauſis abſque peccato originali eſt conceptus quia Deus, & quia abſque viri opera.

Rogabis, ſi vt cæteri homines conceptus fuiſſet Chriſtus, (quod tamen non decuit) numquid peccatum originis incurriſſet? Reſpondemus: Non incurriſſet, quamuis enim conceptionis modus id efflagitaſſet; ſuppoſitum tamen diuinum omnem D peccati maculam, vt cum Ambroſio dicam, cæleſti *D. Ambroſ.* maieſtate depuliſſet. Solus (ait Ambroſ. Luc. 1.) per omnia, ex natis de fœmina, ſanctus Dominus Ieſus, qui terrenæ contagia corruptelæ, immaculati partus nouitate non ſenſerit; & cæleſti maieſtate depulerit, &c.

Rectè quidem infertur, ſanctus erit filius, id eſt, abſque peccato originali, & ſanctitate ſumma præditus, quia ex Spiritu ſancto, totius ſanctitatis fonte concipietur. At dubium eſt, quonam modo Angelus inferat, vocandum filium Dei, ob eandem cauſam, ſcilicet, quod ex Spiritu ſancto concipiatur. *Spiritus* (inquit) *ſanctus ſuperueniet in te; & virtus altiſsimi* E *obumbrabit tibi; ideoque & quod naſcetur ex te ſanctum, vocabitur filius Dei.* Chriſtus enim, vt homo, nec dicitur, nec eſt, filius Spiritus ſancti. Quia licet ex Spiritu ſancto ſit conceptus, vt ex principio agente, non tamen ſecundùm ſpeciei ſimilitudinem, ſicut homo ex patre naſcitur, conceptus eſt, vt D. Thomas docet tertia parte, quæſtione trigeſima ſecunda, art. 3.

Quomodo inferat Angelus, Chriſtum Dei filium vocandum.

Reſpondemus; primum ſenſum verborum Angeli hunc eſſe; Concipies ô Virgo non viri opera, ſed Spiritus ſancti, ideoque Chriſtus, qui ex te omni ſanctitate pleniſſimus naſcetur, filius Dei altiſſimi vocabitur; non autem vocabitur filius viri alicuius. quippe qui non virum patrem habebit;

ſed te matrem in terris, patrem verò Deum in cælis. Si ex viro conciperetur, illius viri filius vocaretur; ſed quia ex viro non concipietur, ſed ex Spiritu ſancto; non viri alicuius, ſed altiſſimi ſolùm Patris, filius vocabitur. Fauet huic expoſitioni Bernard. homil. 4. ſuper miſſus, cùm ait; *Ideoq; & quod naſcetur ex te ſanctum, vocabitur filius Dei.* quod eſt dicere; quoniam non eſt de homine, ſed de Spiritu ſancto, quod concipies, concipies autem filium Dei; ideoque quod naſcetur ex te ſanctum, vocabitur filius Dei, &c.

D. Bernard.

Secundus ſenſus eſſe poteſt; *Spiritus ſanctus ſuperueniet in te; & virtus altiſſimi obumbrabit tibi*, humanámque naturam ex te, cum Verbo diuino coniunget. *ideoq;*, id eſt, propter hanc obumbrationem, & Spiritus ſancti operationem, & vnionem; *quod naſcetur ex te Sanctum, vocabitur filius Dei.* ſi enim hæc vnio hypoſtatica non eſſet, non poſſet dici filius Dei. Nomine obumbrationis, & ſuperuentionis Spiritus ſancti, ſubintellexit Angelus incarnationem, ideoque huiuſmodi cauſam reddidit.

Card. Caiet.

Tertius ſenſus ex Cardinale Caietano ſumitur: *Spiritus ſanctus ſuperueniet in te, & virtus altiſſimi obumbrabit tibi, ideo quod naſcetur ex te ſanctum, vocabitur filius Dei.* Propterea quòd ſolum Dei filium admiranda decebat conceptio, ex Spiritu ſancto. ſi enim homo merus fuiſſet, non Dei filius, vt cæteri concipiuntur homines, fuiſſet conceptus, quia hoc meri hominis natura poſtulat. Cùm ergo à Spiritu ſancto ſit conceptus, quod hominis naturam mirum in modum excedit, ſane efficitur, illum Dei eſſe filium. Talis (inquit Caietanus) & non alia natiuitas congruit filio Dei, talis enim modus adminiculatur ad cognoſcendum filium Mariæ, eſſe filium Dei, &c.

Ecce Eliſabeth cognata tua, &c.

Nuntio de conceptu Meſſiæ, veluti cumulum quendam addit Angelus, nuntium de conceptu Baptiſtæ; Eliſabethæ ſterilitatem, Dei potentia ablatam nuntians, cui *non eſt impoſsibile omne verbum.* Non omne Hebræis ſignificat, nullum; *non eſt impoſsibile apud Deum omne verbum*, id eſt, nullum verbum eſt impoſſibile. *Non dominetur mei omnis iniuſtitia*, id eſt, nulla dominetur; Pſalm. 48. *Cùm interierit, non ſumet omnia*, id eſt, nulla ſumet. Diuus Bernard. ſic interpretatur; *Non eſt impoſsibile apud Deum omne verbum*; id eſt, quicquid ipſe Deus dicere, aut iubere poteſt. Hom. 4. ſuper miſſus; Si hominibus (inquit) tam facilè eſſet facere, quam dicere quod volunt, & ipſis quoque non eſſet impoſſibile omne verbum; nunc autem quoniam vulgaris ſermo eſt; Multum intereſſe inter loqui, & facere; ſed apud homines non apud Deum. ſoli Deo, quia idem eſt facere, quod loqui, idem loqui, quod velle; merito *non erit impoſsibile apud Deum omne verbum.* Hæc ille. Et Euthymius: *Omne verbum*, id eſt, quicquid Deus dicit, vel annuntiat, *non eſt apud Deum impoſsibile*; vel quicquid aliquis dicit.

Pſalm. 118.
Pſalm. 48.
D. Bernard. Deo nihil impoſsibile.
Euthymius.

Aliter, & rectius, verbum, phraſi Hebræa pro, re, ſumitur hoc ſenſu; *Non erit impoſsibilis apud Deum omnis res*; id eſt, nulla res erit Deo impoſſibilis. Ieremias: *Non erit tibi difficile omne verbum.* Geneſ. *Numquid Deo quicquam eſt difficile?* Pſalm. *Omnia quæcumque voluit, fecit.* Quod autem nomẽ Hebræum דבר dabar, id eſt, verbum, rem quoque ſignificet, oſtenditur ex 2. Reg. *Dixit Dauid adoleſcenti ex caſtris Iſrael fugienti; Quod eſt verbum quod factum eſt? indica mihi*; id eſt, quidnam contigit? *Non fuit verbum, quod non oſtenderet ei*; id eſt, non fuit res, quam non oſtenderit Ezechias rex legatis Babylonicis. *Non faciet Deus verbum*, id eſt, rem, niſi reuelauerit ſecretum ſuum ad ſeruos ſuos prophetas, Pſalm. 63. *Intenderunt arcum rem amaram*; Hebraicè legitur, *intenderunt arcum verbum amarum.* Eccleſ. 1. *cuncta res difficiles*; Hebraicè, debarim, id eſt, verba omnia difficilia.

Verbũ ſignificat rem. Ier. 5. 2. Gen 18. Pſal. 113. 2. Reg. 1. Iſaiæ 39.
Eccl. 1.

Cognata autem dicitur Virginis Eliſabetha, quia duarum ſororum fuere filiæ, vt docet Hippolytus Epiſcopus, apud Nicephorum libr. 3. cap. 3. Tres (inquit) fuere ſorores, filiæ Mathan ſacerdotis, & Mariæ coniugis eius. Prima Maria, 2. Soba, 3. Anna appellabatur; primæ filia fuit Salome; ſecundæ Eliſabetha; tertiæ, id eſt, Annæ filia, fuit virgo beata; hæc Hippolytus. Lege quæ diximus lib. 6. cap. 3. quo loco oſtendimus ex lectionibus Eccleſiaſticis D. Annam Gaziri filiam fuiſſe ex tribu Iuda. Non ergo erat ſacerdos illius pater; ſiquidem ex tribu Iuda ſacerdotio fungebatur nemo. hunc locum explicauimus iam lib. 5. cap. 2.

D. Antonius prima p. hiſtoriarum, cap. 6. titul. 4. parag. 10. Eckius in ſermone de ſancta Anna, & alij recentiores, aiunt Annam, & Iſmeriam, fuiſſe ſorores; ex Anna Virginem Deiparam, ex Iſmeria natam Eliſabetham.

D. Chryſoſt. homilia 49. in Geneſim, ait Angelum, Eliſabethæ ſterilitatem & conceptum Virgini nuntiaſſe, vt mentem eius ad credendum prouocaret. Audi (inquit) quomodo Angelus humiliorem ſermonem affert, per ſenſibilia Virginem manu ducens; *Ecce Eliſabeth concepit filium in ſenectute ſua, & hic menſis eſt ſextus illi quæ vocatur ſterilis.* Vides quod ſterilis propter Virginem? quoniam cuius gratia alioqui retuliſſet partum cognatæ, cuius item gratia dixiſſet, quæ vocatur ſterili? plane per omnia manu ducebat eam ad credendum annuntiationi, propterea & tempus diſtulit conceptionis. Non enim ſtatim à principio ei annuntiatum eſt, ſed præterito tempore ſemeſtri, vt vteri ſarcina conceptionem doceat. Et vide quanta Gabriel vtitur ſolertia. Non enim in memoriam ei reducit; vel Saram, vel Rebeccam, vel Rachelem. & hæ fuerunt ſteriles, & magnum miraculum fuit: ſed quia erant antiquæ narrationes, adducit eam ad hoc, quod nuper contigerat; vt mentem eius ad credendum prouocaret, &c. At verò tam eximia erat Deiparæ fides, vt hac prouocatione, & diuinæ potentiæ exemplo non indigeret. Non prouocauit angelus fidem, quaſi id fuerit opus; ſed nuntio dato cumulum addidit; & potentiam Dei prædicauit.

Ecce Ancilla Domini, fiat mihi ſecundum Verbum tuum.

Poſteaquam Virgo conceptionis modum ab Angelo accepit, nihil cunctata, Deo ſe totam admirabili cum humilitate offert. Ecce, inquit, adſum Dei ancilla, fiat mihi ô Angele, quod nuntiaſti. Theophylactus Virginis obedientiam, & verba, ijs verbis interpretatur, quaſi diceret, Tabula ſum pictoria, pingat pictor quod voluerit: Hæc ille. Pinxit autem ſummus pictor arte diuina, mirisque coloribus imaginem pulcherrimam, atque admirabilem. Auguſtinus verò in libr. 1. de peccatorum meritis, & remiſſ. cap. 29. Virginis obedientiæ concept tribuit; Virgo, inquit, Chriſtum ſine virili complexu, non concupiſcentia carnis, ſed obedientia mentis concepit, &c. Summæ igitur humilitatis & obedientiæ verbis prolatis, aſſenſuque præſtito, Spiritus ſanctus in Virginem ſuperuenit; virtus altiſſimi illi obumbrauit; optatiſſimumque Meſſiam tunc concepit; vt docet Auguſt. ſermone 17. de Natiuitate ijs verbis; Ecce ancilla, &c. Nec mora reuertitur nuntius; & nuptialem thorum ingreditur Chriſtus; accipit ſtolam carnis in thalamo Virginis. & Rupertus libro 1. de operibus Spiritus ſancti, cap. 9. Vbi Virgo bene credula alicuius. quippe qui non virum patrem habebit; alicuius.

Theophyl.
D. Auguſt.
D. Auguſt. Poſtquã Virgo verba illa protulit, ecce ancilla, &c. conceptus eſt Dominus. Rupertus.

os ſuum aperuit, vt diceret, *Ecce Ancilla*, &c. mox iuxta dictum Angeli, Spiritus ſanctus ſuperueniens, per apertas fidei ianuas ſeſe infudit in templum ſacri vteri; vt Chriſti matrem faceret, &c. Damaſcenus item, lib. 3. fidei capite ſecundo; Poſt ſanctæ Virginis aſſenſum Spiritus ſanctus in eam ſuperuenit, vim ei ad gignendum ſuppeditans, &c.

D. Damaſc.

Cõceptio puncto temporis peracta.

Fuit hæc admiranda conceptio Spiritus ſancti opera abſque mora vlla puncto peracta temporis. Ea enim eſt tanti ſpiritus potentia. Naturæ lex communis eſt, vt maſculi corpus in vtero materno quadraginta dierũ ſpatio efformetur, qua de re ſic ſcripſit D. Auguſtinus in libro 83. qu. q. 56. Dicitur conceptio humana ſic procedere; vt primis ſex diebus quaſi lactis habeat ſimilitudinem; ſequentibus nouem conuertatur in ſanguinem; deinde 12. diebus ſolidetur; reliquis 18. formetur vſque ad perfecta lineamenta omnium membrorum; & hinc iam vſque ad partum augeatur. Hęc ille. At Chriſti corpus, longe aliter, temporis momento in membra omnia eſt efformatum.

D. Auguſt.

D. Thomas.

Tria reperiuntur, vt obſeruat diuus Thomas 3. p. q. 33. art. 1. in Chriſti cõceptione; primum, Virginei ſanguinis in locum conceptionis attractio; ſecundum, corporis ipſius ex ſanguine in membra efformatio; tertium, efformati iam corporis accretio. Attractio breuiſſimo temporis ſpatio per motum facta eſt; accretio quoque motũ, & tempus flagitat; efformatio verò corporis quamuis etiam tempus, motumque poſtularet temporarium, diuina tamen potentia in inſtanti eſt peracta. Vnde Damaſcenus li. 3. fidei capite ſecundo: Dei, inquit, filius per Spiritum ſanctum, procreationis modo, ſibi ipſi carnem anima rationali animatam condidit; non ita vt paulatim, tacitisque incrementis, figura corporis abſolueretur; ſed vno eodemque momẽto perficeretur, &c.

D. Damaſc.

D. Baſilius. Matth. 1.

Diuus Baſilius in oratione de humana Chriſti generatione; *Quod in ea*, inquit, *natum eſt, de Spiritu ſancto eſt*; ait Euangeliſta. Hinc deprehendi licet, quod non ſecundum communem modum, carnis conſtitutio Domino fuit; conceptum namque illico perfectum fuit; nõ per interualla paulatim formatum, vt verba declarant. non enim dicit, quod in ea cõceptum eſt; ſed *quod in ea natum eſt*. Idem colligit Euthymius: Genitum, ait, dixit Angelus, vel natum; vt diſcamus non paulatim modo ſeminis formatum eſſe; ſed repente quantũ ad formationẽ, perfectè factus eſt, &c.

Euthymius.

Theophyl.

Theophylactus Luc. 1. ad illa verba, *virtus altiſsimi obumbrabit tibi*; Sunt qui dicunt, quod vbi Dominus obumbrauit vterũ Virginis, ſtatim perfectus fuerit infans, &c. Denique D. Thom. 3. part. qu. 33. art. 1. In primo, inquit, inſtanti, quo materia adunata peruenit ad locum generationis, fuit perfectè formatum corpus Chriſti, & aſſumptum; & per hoc dicitur ipſe filius Dei conceptus, quod aliter dici non poſſet.

D. Thom.

Compactum igitur, organisque diſtinctum eſt corpus Chriſti, temporis puncto; præterea rationis participe anima informatum; à Verboque diuino aſſumptum. Neque enim vllo, vel breuiſſimo temporis ſpacio, aut corpus, aut anima, vnionem Verbi præceſſerunt, vt docet Magnus Leo ſerm. 8. de Natiuitate; Partum, inquit, Virginis integrè cogitemus; vt carni, animæque conceptæ, virtutem Verbi, nullo temporis puncto defuiſſe credamus. nec prius formatum, atque animatum templum corporis Chriſti; quod ſibi ſuperueniens vendicaret habitator, &c. Auguſt. ſiue Fulgentius, in libro de fide ad Petrum cap. 8. Firmiſſime, inquit, tene, nec carnem Chriſti, ſine diuinitate conceptam in vtero Virginis, priuſquam ſuſciperetur à Verbo: ſed ipſum Verbum Deum, ſuæ carnis acceptione conceptum, ipſamque carnem, Verbi incarnatione conceptam.

D. Leo.

D. Fulgent. Chriſti humanitas, in ipſo primo cõceptionis inſtanti, dum Verbo diuino erat coniuncta

D. Damaſc.

Hæc ille. Damaſcenus libro ſecũdo fidei, cap. 2. Non Deus præexiſtenti ſeorſim carni vnitus eſt. Simul vt caro extitit, ſimul quoque Verbi caro extitit, ſimul caro animata, rationis & intelligentiæ particeps. quo fit, vt non hominem Deitate affectum eſſe, ſed Deum humanitatem aſſumpſiſſe dicamus, &c. Sophronius Patriarcha Ieroſolymitanus in Epiſtola, quæ extat in concilio 6. Conſtantinopolitano Act. 11, Incarnatur, inquit, Verbum Deus, non præfactæ carni copulatus, præformatóve atque in ſeſe præſubſiſtenti aliquando corpori conlinitus, vel animæ præexiſtenti coniunctus; ſed tunc ijs ad ſubſiſtẽdum venientibus; quando eis ipſum Verbum & Deus copulatus eſt, &c.

Sophronius.

Quia ergo ſanctiſſima illa Chriſti humanitas, in virgineo vtero, à Verbo numquam fuit ſeparata, ſed in primo inſtanti cum illo coniuncta; veriſſime Virgo Deum genuiſſe, ſiue concepiſſe dicitur. Etenim in primo illo conceptionis inſtanti Chriſtus conceptus, Deus erat & homo. Quod ſi non fuiſſet in inſtanti primo Verbum cum humanitate copulatum, ſed poſtea; virgo non Deum ſed hominem tantum concepiſſet. hoc eſt, quod D. Thom. ſuprà citatus ait; per hoc dicitur ipſe filius Dei conceptus, quòd aliter dici non poſſet.

Obſiſtere videtur Auguſtin. libr. octoginta trium quæſt. qu. 56. ſic enim ſcribit: Non abſurde 46. annis dicitur fabricatum templum Ioann. 2. quod Corpus Chriſti ſignificabat; vt quot anni fuerunt in fabricatione templi, tot dies fuerint in corporis dominici perfectione. Hæc ille. Ex Auguſtini ergo ſententia Chriſti corpus 46. dierum ſpacio in vtero Virginis perfectum eſt. Reſpondetur, Auguſtinum ſe explicare lib. 4. de Trinitate ijs verbis; Dixerũt, inquit, Iudæi 46. annis ædificatum eſt templum; & quadragies ſexies ſeni, fiunt ducẽti ſeptuaginta ſex; qui numerus dierum, complet nouem menſes, & ſex dies, qui tanquam decem menſes parientibus fœminis imputantur. Non quia omnes ad ſextum diem poſt nonum menſem perueniunt; ſed quia ipſa perfectio corporis Domini, tot diebus ad partũ perducta comperitur: ſicut à maioribus traditum, ſuſcipiens Eccleſiæ cuſtodit autoritas, &c. Item eodem loco; A die conceptionis, vſque ad diem partus Virginis, ducenti ſeptuaginta ſex reperiuntur dies, qui ſenarium numerum quadragies ſexies habent, quo numero annorum, templum ædificatum eſt, quia eo numero ſenariorum, corpus Domini perfectum eſt. Hæc Auguſtinus. eodemque modo in libr. 83. quæſtionum intelligendus eſt.

D. Auguſt.

Ioannis 2.

Locus Auguſtini explicatur.

Vult ergo, corpus Domini vſque ad partum perfectum eſſe, non 46. diebus ſolùm, ſed multiplicatis per ſenarium numerum. Sic autem multiplicati dies ſunt 276. id eſt, nouem menſes, & ſex dies, qui à vigeſimo quinto Martij die, quo Chriſtus eſt conceptus, vſque ad vigeſimum quintũ diem Decembris, quo eſt ortus, computantur. Verborum itaque Auguſtini ſenſus eſt; Quot anni fuerũt in fabricatione templi, ſcilicet quadraginta ſex, tot dies, ſcilicet, quadraginta ſex multiplicati per ſenariũ, fuerunt in perfectione corporis Domini, vſque ad partum. Non igitur loquitur de perfectione corporis, in ipſa conceptione, de qua nos loquimur, ſed de perfectione vſque ad Virginis partum.

Prærogatiua conceptionis Chriſti.

Admirabiles ſunt huius ſanctiſſimæ conceptionis prærogatiuæ. Prima, Qui conceptus eſt, ipſo quo conceptus eſt inſtanti, Deus fuit, & homo.

Secunda, Temporis puncto, corpus omnibus membris, ac lineamentis abſolutum eſt, & cum ſanctiſſima anima copulatum, eodemque temporis puncto corpus, & anima diuino Verbo, in vna eademque hypoſtaſi ſunt coniuncta, vt dictum eſt.

Tertia, Absque viri opera infans hic cõceptus est, A Spiritu sancto mirabiliter operante. Augustinus lib. 2. de peccatorum meritis, & remissione; Ipsa Christi participatio in inferiora nostra, vt nostra esset in superiora illius, tenuit quandam & in carnis natiuitate medietatem, vt nos quidem nati essemus in carne peccati, ille autem in similitudinem carnis peccati. nos non solùm ex carne, & sanguine, verum etiam ex voluntate viri, & ex voluntate carnis, ille autem tantum ex carne, & sanguine, & non ex voluntate viri, neque ex voluntate carnis, sed ex Deo natus est. Hæc Augustinus. Propterea ait idem Augustinus libro decimo de Genesi ad litteram cap. 20. Christum in patribus fuisse secundum corporalem substantiã, non secundum seminalẽ rationem. Nam quoniam ex Spiritu sancto conceptus est, non ex semine viri, B ideo dicitur non fuisse in patribus secundum seminalẽ rationem. Quia verò ex Virgine corpus accepit, quæ à patribus originem traxit, idcirco dicitur in illis fuisse secundum substantiam corpoream.

D. Augusti.

Quarta, Matris Virginitatem infans in hac conceptione non læsit, sed summopere illustrauit. *Matris integritatem* (ait Ecclesia in oratione) *non minuit, sed sacrauit.*

Quinta, Infans ille quod ad rationis vsum, sapientiámque attinet, vir fuit omniũ sapientissimus, iuxta illud: *Nouum creauit Dominus super terram, fœmina circumdabit virum.* Nouam rem (ait Hieronymus in Commentarijs) creauit Dominus, absque viri semine fœmina circumdabit virum gremio vteri sui, qui iuxta C incrementa quidem ætatis, proficere videbitur sapientia, & ætate, sed perfectus vir in ventre fœmineo, solitis mensibus continebitur, &c. August. lib. 2. de peccatorum meritis, & remiss. cap. 29. In infantibus, inquit, membris anima rationalis miserabili ignorantia prægrauatur, quam ignorantiam nullo modo fuisse crediderim in infante illo, in quo *Verbum caro factum est*, vt habitaret in nobis. Nec illam ipsius animi infirmitatem in Christo paruulo fuerim suspicatus, quam videmus in paruulis, &c. Bernardus homil. 2. Super missus; Vir, inquit, erat Iesus, nec dum etiam natus, sed sapientia, non ætate, animi vigore, non viribus corporis, maturitate sensuum, non corpulentia membrorum. Nec enim minus habuit D sapientiæ, vel potius, non minus fuit sapientia, conceptus, quam natus, paruus, quam magnus, &c.

Ierem. 31.

D. Hieron.

D. August.

D. Bernard.

Sexta, Infans Christus illo primo instanti, gratia fuit, & omni sanctitate plenissimus; Vnxit enim illum Deus totius sanctimoniæ odorifero vnguento, præ consortibus. Vnde D. Gregorius in Epistola ad Quirinum lib. 9. Epistolarum cap. 61. Vnctus, inquit, est Christus, oleo Spiritus sancti, sed præ cõsortibus. quia omnes nos priùs peccatores existimus, & postmodum per vnctionẽ Spiritus sancti sanctificamur, ipse autem ibi ab eodem spiritu vnctus est, vbi conceptus. Nec antè conceptus, & postea vnctus, sed concipi de Spiritu sancto, vngi fuit, &c.

D. Greg.

Septima, Infantis Christi anima, in primo illo in- E stanti lumine gloriæ prædita diuinam videre cœpit essentiam, fuitque Christus comprehensor simul, ac viator. Richardus Victorinus lib. 2. de Emmanuele c. 23. ad illa verba Isaiæ, *Butyrum & mel comedet*; Certè ab ipsa hora conceptionis suæ, Christus repletus est totius dulcedinis, & totius suauitatis plenitudine. De hoc torrente voluptatis, cæteri potantur, sed in patria: Christus hoc ipso potatus est, etiam in peregrinatione sua, &c. *Prouidebam Dominum* (ait Christus) *in conspectu meo semper*, &c.

Richardus

Psal. 15.

Octaua, In primo illo instanti, gratias egit Christus summas Patri, pro acceptis excellentissimis in humanitate beneficijs, seque summo cũ amore pro humano generi cruci suffigendum obtulit.

Illud hoc loco aduerte, hanc conceptionem à tribus sanctissimæ Trinitatis personis esse effectam. Etenim quæcunque extra se Deus producit, tribus personis sunt cõmunia, vt docet Augustinus in Enchiridio cap. 38. Non sunt, inquit, separabilia opera Trinitatis. & primo de Trinitate, capite quarto; Pater, Filius, & Spiritus sanctus, sicut inseparabiles sunt, ita inseparabiliter operantur. & libr. quarto, cap. 21. Trinitas simul operata est, & vocem Patris, & carnem Filij, & columbã Spiritus sancti, &c. Lege Dionysium Areopagitam capite secundo de diuinis nominibus. Corpus igitur Christi ex purissima materia, quam Virgo integerrima subministrauit, Pater, Filius, & Spiritus sanctus momento temporis efformarunt, animam cõdiderunt, atque vtrumque cum diuino filij supposito copularunt. Quod facili explicatur exemplo, hominum trium, qui simul ex ipsis tribus vnum, splendidissima induerent veste, ipso quoque se induente; omnes tres induerẽt, vnus tantummodo indueretur. Similem in modum Pater, ac Spiritus sanctus, splendidissima humanitãtis veste filiũ induerunt, ipse quoque filius sese induit, eáque solus ipse est indutus. solus enim filius, non Pater, non Spiritus sanctus, humanitatem assumpsit.

D. Augustin.

Tres personæ, Sacrosanctæ Triadis conceptionem effecerunt.

Solus tamen filius humanitatem assumpsit.

Diuus Augustinus sermone tertio de tempore, citharæ similitudinem adhibet. Tria, inquit, ars, manus, chordæ, & tamen vnus sonus auditur. ars dictat, manus tangit, chorda resonat. Nec ars, nec manus, sonum reddunt; sed cum chorda pariter operantur. Sic nec Pater, nec Spiritus sanctus, susceperunt carnem; & tamen cum Filio pariter operantur. Sonum sola chorda excutit, carnem solus Christus accepit. Hæc ille. Veruntamen dicitur Christus conceptus ex Spiritu sancto; ascribiturque illi incarnationis opus; eo quòd Spiritui sancto bonitas attribuitur, amor & gratia, appellatúrque ipse spiritus donum Dei. Incarnatio verò summæ bonitatis opus fuit, summi amoris, summæque gratiæ; fuitque donum maximum.

Cur Christus à Spiritu sancto dicatur conceptus.

CAPVT X.

Morale.

CEleberrimus pictor Zeuxis (vt Plinius scribit libro 35. cap. 9.) facturus tabulam Agrigentinis, quam in templo Iunonis dicarẽt; virgines quinque elegisse, sibique ad exemplar proposuisse dicitur; vt quod in quaque esset laudatissimum, id penicillo imitaretur. Id ipsum Christiano, qui pulcherrimam virtutis imaginem, non in Iunonis, sed in Christi cœlesti templo dicandam, pingere conatur, faciendum reor. Non tamen Agrigentinas virgines, sed cœlorum incolas diuos, ante oculos, vt exemplaria proponere debet; quodque in singulis laudatissimum est, id in animum, moréque trãsferre. Quemadmodum verò inter omnes Diuos Virgo Deipara virtutum decore excellit; ita illius imitatio in nobis debet excellere. Vnde illud Ambrosij lib. 2. de Virginibus: Sit vobis tanquam in imagine descripta virginitas, vitáque Beatæ Mariæ; de qua velut speculo refulget species castitatis, & forma virtutis, &c.

Plinius.

D. Ambros.

Virgo speculum, & exẽplar virtutum.

Omnium virtutum pulcherrimas imagines, Virgo veluti speculum fulgentissimum, ponit ob oculos. In hoc verò Euangelio præter cæteras, illæ duæ maximè fulgent, de quibus Bernardus homil. 1. Super missus; Etsi (inquit) virginitate placuit, tamen humilitate concepit. & homil. 2. Vt esset sancta corpore, accepit donum virginitatis, vt esset & mente, accepit & humilitatis: His gemmis ornata virtutum, geminóque mentis & corporis decore præfulgida; specie sua, & pulchritudine, in cœlestibus cognita,

D. Bernard.

cognita; cœli ciuium in se prouocauit aspectus, ita vt & Regis animum in sui concupiscentiam inclinaret, &c. De Virginitate ergo prius, deinde de humilitate dicamus.

D. Ambros. Castitatis patriam si quæramus, cœlum esse indicat Ambrosius, libro primo de Virginibus: In cœlo (inquit) est patria castitatis; hîc aduena est, &c. Si patria castitatis cœlum est; sanè castitatis, & virginitatis patria, Virginis corpus fuit; quippe quod cœlum, id est, Dei sedes, ac thronus fuit. In puriſſimo illo corpore castitas, non vt aduena, aut exul, sed veluti in chariſſima patria, ac sede optatiſſima permansit. In nobis mille sentibus, mille pungitur spinis. Nam *terra nostra*, id est, corpus, *spinas germinat, & tribulos*; spinis verò puncta ac lacerata castitas, sæpe abscedit. Virginis fœlix illa tellus, ne minimam vnquam spinam protulit; quia peccati fomitem nullum habuit, rosis vndique, lilijs, oderatisque floribus, virginitas Deiparæ circumdata; in corpore integerrimo, veluti in florido lectulo, molliter perpetuo quieuit, iuxta illud: *Lectulus noster floridus.* In nobis veluti elementum est extra naturalē locum; quod vi retineas necesse est. Quis enim vel in loco ignis terram, vel in loco terræ ignem, aut aërem, nisi vi retineat? Quis in corpore castitatem, nisi vim sibi adhibeat, conseruet? At in Virgine castitas, quasi elementum naturali in loco, pacatiſſima permansit. Seruabatur in illa virginitas, vt in arca antiqua testamenti; quæ ex lignis incorruptibilibus dicitur fabricata. Nostra verò castitas in arcis seruatur, id est, corporibus, quæ vt putribilia ligna, vermes multos gignūt, id est, appetitiones, ac cogitationes; à quibus corroduntur, nisi celerrime perimantur.

De castitate Deiparæ Virginis.

Gen. 3.

Corpus nostrum, vel terra nostra spinas, & tribulos germinat. Virginis tellus flores effunderat. Cant. 1.

Danda nobis opera est, vt hos vermes nō foueamus sinu, sed penitus extinguamus. Vtinam Spiritus sanctus superueniat in nos, & virtus altissimi obumbret nobis. Sanè quod nascetur ex nobis, Sanctū erit. Hoc est, quę ex corde nascēturappetitiones, quæ nascentur ex sensu, & intellectu, cogitationes, puræ erunt, atque immaculatæ. Spiritus enim sancti vmbra vermes fomitis perimit, æstum libidinis extinguit. Apud Plinium, ait Sestius, Taxum arborem in Arcadia tam præsentis veneni esse, vt si qui sub ea, vel somnum, vel cibum capiant, moriā. tur. Vmbra Taxi homines, vmbra Spiritus sancti libidinis vermes necat, á quibus necantur homines.

Plinius. l. 16. ca. 10.

Docet nos Virgo voti, castitatisque esse tenaces, dum promittenti Angelo filium Iudæorum Regem respondit: *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* id est, cognoscere non possum propter votum. Sunt nodi quidam facilè solubiles, sunt alij arctiſſimi, qui difficillimo negotio possunt expediri; qualis nodus ille fuit, qui herculeus appellatur. Fertur enim Hercules nodi genus ostendisse, in quo nec principium appareret, nec finis. Qualis etiam fuisse dicitur nodus Gordius, quem Alexander, quia dissoluere nequiuit, ense dissecuit. Similem in modum, sunt castitatis quidam nodi, id est, vota, quæ facili negotio quiuis cacodæmon, quæuis leuis occasio dissoluit; sunt alia vota, nodis Herculeis, Gordiisque similia, quæ nullis tartari machinamentis cacodæmon valet explicare. Ense nodū Gordium dissecuit Alexander, constantis tamen viri aut fœminę votum, nec ense, nec igne, nec vllis tormentis, tartareus hostis dissecare potest. Sunt vota herculei nodi, eo quod herculeum animi robur, herculeumque gladium, siue clauam eos habere oportet, qui castitatem Deo vouent.

Vota seruanda.

Armatam oportet Virginem incedere; & aduersus castitatis hostes vndique munitam. Quamobrem diuus Hieronymus in Epistola centesima quadragesima, ad Principiam; Arbitror (inquit) te accinctam Christi gladio militare; vt autem scias semper Virginitatem gladium habere pudicitiæ, per quem truncat opera carnis, & superat voluptates, gentilis quoque error Deas Virgines fingit armatas, &c. Quē locum inter cœlestia Zodaici signa Virgo tenet; eundem inter homines viuens castus homo, castaque teneat fœmina. illa inter Leonem est, & librā; castus homo inter Leonem viuat, id est, fortitudinem, & libram, hoc est, temperantiam. Exigit enim castitas, vt sit perpetua, Leonem à quo custodiatur, & libram in qua cibum, potum, maximè vini, *in quo*, vt Paulus ait, *est luxuria*, vestes, amicitias, colloquia, aspectusque ponderet. *En lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiunt, de fortissimis Israël, vniuscuiusque gladius super femur suum*, &c. Lectulus Salomonis floridus, floridum castitate cor est; vt lectulo Salomonis, ita casto cordi fortis custodia adhibeatur.

Ephes 5. Cant 3.

Admirabilis autem Deiparæ Virginitas multas in diuinis literis habet similitudines, & adumbrationes. In primis, quemadmodum primus Adam de Virgine terra efformatus est, ita secundus Adam de Virgine matre cōceptus, ac natus. Vnde Ambrosius sermo. 37. de quadragesima. Adam, inquit, de terra virgine natus est, & Christus de matre virgine procreatus, illius maternum solum necdum scissum fuerat, istius maternum secretum nunquam concupiscentia violatum. Adam Dei manibus plasmatur e limo, Christus Dei spiritu formatur in vtero, &c. Idē dixit D. Irenæus lib. 3. c. 31. his verbis: Quemadmodum Adam protoplastus de rudi terra, & adhuc virgine (nondum enim pluerat Deus, & homo non erat operatus terrā) habuit substantiā, & plasmatus est manu Dei, ita recapitulans in se Adam ipse, Verbum existens ex Maria, quæ adhuc erat virgo, rectè accipiebat generationem Adæ recapitulationis, &c. Lege Tertullianū in libro de Carne Christi. Athanasius sermone tertio contra Arianos: Verbum vt Aaron vestem talarem, ita carnem è terra assumpsit: Mariamque vice rudis, illaboratæque terræ, matrē sui corporis habuit. Vt iam habens quod offerret ipse Pontifex, seipsum patri in victimam daret. Hæc Athanasius. Theodotus Ancyranus in oratione de Natiuitate Christi tomo sexto Concilij Ephesini, appendicis quintæ, capite secundo, ô terra, inquit, sine semine, & fructum germinans salutarem. O Virgo, quæ ipsum vicisti deliciarum paradisum, ille nāque sine semine omne plantationum genus protulit, ex virgine terra ortis plantationibus. Hæc autem Virgo illa terra melior est. Non enim pomorū protulit arborem, sed Virga Iesse, fructum Saluatorem hominibus afferentem. & illa terra virgo erat, & ista Virgo. Sed illius quidē arborē nasci præcepit Deus. Huius autem virginis, ipse creator, secundū carnem factus est germen. Hæc ille.

Similitudine Virginitatis Deiparæ Virg. D. Ambros.

D. Irenæus.

D. Athanas.

Theodotus Ancyr.

Exod. 3.

Item, quemadmodum *rubus ille*, in quo Deus apparuit olim, *ignem concepit, & virorem conseruauit*, ita Virgo ardentem ignē Christū concepit, & Virginitatis virorem non amisit. A Virgine (ait Nyssenus Gregorius in lib. de vita Mosis) Deitatis lux, assumpta carne, illuxit hominibus, eamque omnimodo incorruptam seruauit, Virginitatis viriditate nullo pacto commutata, &c. Et in Oratione de Christi Natiuitate: Vt frutex incendit ignem, & non crematur: itidē etiam Virgo & lumen parit, & non corrumpitur. *Iud. 9.*

Gregorius Nyssen.

Tertiò. Quemadmodum *Gedeonicum vellus ex carne ouis, absque vulnere carnis detonsum est*, ita caro Christi, ex corpore virginis, absque detrimento virginitatis est sumpta. Bernardus homilia secunda Super missus: Quid illud Gedeonis vellus significat, quod de carne tonsum, sed sine vulnere carnis, in arca ponitur, nisi carnem assumptam de carne Virginis, & absque detrimento Virginitatis? &c. Et Ambrosius

D. Bernard.

D. Ambros.

D. Hieron. Castitatem armatā esse oportet.

sermone decimo tertio: Maria, inquit, rectè velleri comparatur, quæ ita concepit Dominũ, vt eum corpore hauriret, nec discissuram corporis pateretur.

D. Bernard. Bernardus eadem homilia: Virgini distillatibus cœlis, tota se infudit plenitudo diuinitatis, &c. Videlicet quemadmodum velleri Gedeonico se ros cœlestis infudit.

Num. 17. Quartò, Quemadmodum *Aaronica Virga absque humano opere flores emisit*, ita Virgo absque viri opera,

D. Bernard. florem Christum concepit. Bernard. homilia secunda: Quid Virga Aaron florida, nec humectata, nisi Virginem concipientem, quamuis virum non cognoscentem, significat? Huc pertinet

Isaiæ 11. illud: *Egredietur Virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet*: In hoc Isaiæ testimonio (ait idem Bernardus) florem filium, virgam intellige matrem. Quoniam & virga floruit absque germine, & virgo concepit non ex homine; nec virgę virorem floris læsit emissio, nec virginis pudorem, sacri partus editio, &c. Simile est illud eiusdem Bernardi eadem homilia 2. Sicut sine sui corruptione sydus suum emittit radium, sic absque sui læsione, virgo parturit filium; Nec syderi radius suam minuit claritatem, nec virgini filius suam integritatem, &c.

Dan. 2. Quintò, Quemadmodum, *lapis è monte, sine manibus excisus est*, ita Christus ex vtero virginis, absque viri

D. Irenæ. opera natus. Diuus Irenæus: Hoc est, inquit, quod sine manibus significabat, quod non operantibus humanis manibus, in hunc mundum Christi aduentus erat, id est, non operante in eum Ioseph, sed sola Maria cooperante, &c. Diuus Epiphanius, in orat. de

D. Epiphanius. Laudibus virginis: Virgo, inquit, mons nullatenus incisus, habens petram Christum. de qua Daniel: *Abscissus*, ait, *est lapis sine manibus*, id est, absque viro, so-

Iustinus martyr. lidam petram Christum Virgo peperit, &c. Et Iustinus martyr in Dialogo: Cum quasi filium hominis dicit Daniel Christum, qui æternum regnum accipit, an non hoc ipsum obscure significat? Quod enim ait, vt filium hominis apparuisse, hominem factum esse indicat, sed non ex humano semine esse declarat, & quod ait, lapidem hunc sine manibus excisum, obscure idem tradidit. Nam sine manibus excisum eum cum dicit, hoc ait, nõ esse opus hominis, sed consilij rerum parentis Dei, qui eũ profert, &c.

Ezech 44. Cant. 4. Epiphanius. Sexto, Deiparæ virginitatem porta illa clausa, hortus illè conclusus, fonsque signatus adumbrat. Diuus Epiphanius, in orat. de laudibus virginis: *Aue*, inquit, *gratia plena*, porta cœlorum, de qua propheta Ezechiel vociferatus est his verbis: *Ecce porta clausa, & nullus ingredietur per eam, nec egredietur, præterquam* Dominus Deus *solus. Et erit porta clausa Duci, quia dux ipse vocabitur, & in ipsum sperabunt gentes.* De hac porta etiã in Cant. aperrè proloquitur Propheta, *hortus conclusus soror mea sponsa, hortus conclusus, fons signatus.* Hęc Epiphanius. Eodem loco similitudinem aliam adiungit his verbis: Virgo ager est minime cultus, quæ verbum

D. Ambros. veluti granum frumenti suscipiens, etiam manipulum germinauit, &c. Et Ambrosius, in lib. de institutione virginis, cap. 8. Bona porta Maria, quæ clausa erat, & non aperiebatur, transiuit per eam Christus, sed non aperuit, &c. Item: Porta clausa virginitas est; hortus clausus virginitas, & fons signatus, &c.

Cur voluerit Christus ex Virgine concipi, ac nasci, multæ sunt rationes. Prima, quia huiusmodi cõceptus, & natiuitas Deum decebat, quod docet D.

D. Ignatius. Ignatius, in epistola ad Heronem: Insolens (inquit) admirandusque partus ille Domini, ex sola virgine, non quod detestanda sit legitima commixtio; sed quòd eiusmodi partus decebat Deũ. Decebat namque creatorem non consueto, sed peregrino & admirando vti partu, vtpote omniũ opificẽ, &c. Theodotus Ancyræ episcopus loco infra citato: Si id, inquit, quod natum est, matris integritatem illæsam cõseruauit, apud recte ratiocinantes Deus esse vtique cognoscetur, &c. Bern. homil. 2. super missus, Deus Matrem suam singulari in cœlestibus donaturus gloria, singulari in terris præuenire curauit & gratia, qua videlicet ineffabiliter & intacta conciperet, & pareret incorrupta. Porrò Deum huiusmodi decebat natiuitas, qua non nisi de Virgine nascereturi. Talis congruebat & virgini partus, vt non pareret nisi Deum, &c. Diuus Leo serm. 2. de Natiui-

D. Leo. tate. Noua, inquit, natiuitate generatus Christus, quia conceptus à Virgine, natus ex Virgine, sine paternæ carnis concupiscentia, sine maternæ integritatis iniuria. Quia futurum omnium Saluatorẽ talis ortus decebat, qui & in se haberet humanæ substantiæ naturam, & humanæ carnis inquinamenta

D. Chrysost. nesciret, &c. Diuus Chrysostomus, homil. 49. in Genesim: Ingressum nostri omnium Domini digniorem esse oportet, quam nostrum. Regius enim fuit introitus. Oportebat autem & partim cum nostra natiuitate communicare, & partim alienũ esse, & vtraque hæc fuerunt. Nam de vtero prodire, commune habet nobiscum, absque nuptiali autem congressũ nasci, supra nostram est natiuitatem. Naturale est, conceptum fieri in vtero, supra naturam humanam est, absque commixtione esse prægnantem. Et propterea vtraque, vt & excellentiam, & communionem quam habet tecũ discas. Hæc ille.

Ratio secũda. Natus est Christus ex Virgine, quia

D. Chrysologus. Seruatorem decebat matris virginitatem seruare: Vnde illud Chrysologi, serm. 4. de Annuntiatione: Meritò virgini salua sunt omnia, quæ omniũ genuit Saluatorem, &c.

Ratio tertia. Conceptus & natus est Christus ex Virgine, quia decebat incorruptionis largitorem, cum matris incorruptione concipi, ac nasci. Nyssenus Gregorius, in oratione de Christi natiuitate:

Gregorius Nyssenus. Decebat eum, qui propter integritatem, & incorruptibilitatẽ vniuersitatis, in humana vita versatus est, initiũ facere ab ea, quæ natiuitati eius inseruiret, integritate, atque incorruptibilitate. Et Theodotus

Theodotus Ancyr. Ancyræ episcopus, in homilia 2. habita in Synodo Ephesina, Tomo 6. cap. 10. virgo virginitatis integritate retenta, mater effecta est. Nam incorruptionis largitor corruptionem non inducit, nihilq; incorruptionis autor corrumpit, &c.

Ratio quarta, Conceptus est Christus ex Virgine, vt etiam ex vi conceptionis peccato originario careret. Nam vulgaris mos concipiendi peccatum parit originarium, conceptio vero ex sola Virgine absque viri vlla opera, huiusmodi peccatum repellit, qua de re supra diximus, ad illa verba: Quod nascetur ex te sanctum, &c.

Ratio quinta, Matrem suam Christus virginem esse voluit, vt virginitatis, castitatisque exemplum proponeret. Naziãzenus Greg. oratione 20. de laudibus Basilij: Christus, inquit, ex Virgine gignitur,

D. Gregorius Nazianz. Christus & Virgo virginitatis exemplaria. virginitatem velut lata lege sanciens, &c. Ait autem Christum nascentem ex Virgine lege virginitatem sanxisse, non quòd ad virginitatem lege lata homines compulerit, sed quòd exempli quadam quasi vi ad illam adhortatus fuerit.

Itaque Christus virgo fuit, matrem quoque suam virginem esse voluit, vt virginitatis tam filius, quã

D. Ambros. mater essent exemplum singulare. Ambrosius, Epistola 81. ad Syricium: Speciale donum virginitatis Christus elegit, & integritatis munus exhibuit, atq; ipse repræsentauit quod elegit in matre. Damasc. li.

D. Damasc. 4. fidei, cap. 25. Christus virginitatis decus & ornamentum est, vt qui non modo ex patre citra cõgressum genitus sit, sed etiam carnem ex Virgine, sine virili congressu assumpserit, ipseque omnibus numeris

merus absolutam virginitatem in se ipso ostenderit.

Fuit Christus virginitatis dux, ac princeps: virgo autem fuit signifera, vt Ambrosius ait in lib. de Institutione virginis, cap. 5. Maria, inquit, signum sacræ virginitatis extulit, & intemeratæ integritatis pium Christo vexillum leuauit, &c. Hoc virginis vexillum militia sequitur cœlestis exercitus, cœlestis enim virginum exercitus est, eodem Ambrosio teste, lib. 1. de Virginibus: Hæc, inquit, est *cœlestis illa militia, quam laudantium exercitus Angelorum promittebat in terris*, &c.

D Ambr. Virginesmuæ virginis vexillum sequuntur.

D. Ambros. Lucæ 2.

Antequam Virgo candidissimum efferret vexillum, paucę virgines erant, at postquam illud extulit, exercitus congregatus est virginum. Indicat hoc idem pater sanctissimus eodem libro, his verbis, Postea quam Dominus in corpus hoc veniens, contubernium diuinitatis, & corporis, sine vlla concretæ confusionis labe sociauit, tunc toto orbe diffusus, corporibus humanis, vitæ cœlestis vsus inoleuit, &c. Et Theodoretus in fide historiæ religiosæ, in vita Dominæ. Ex quo, inquit, Christus Dominus honorauit virginitatem, vt qui natus sit ex virginitate, prata virginitatis natura germinauit, & hos suaueolentes, & qui non marcescunt flores, offert creatori, &c. Damascenus, orat. prima de Natiuitate Virginis. Tu (inquit) ô Virgo virginitatis feracissima planta, per te enim virginitatis pulchritudo, latissimè sese diffudit, &c. Magnus Albertus super missus, c. 82. Deiparam Virginum matrem appellat: Beata, inquit, Virgo, est mater omniũ in virginitate, quæ virginitatis munus Deo obtulit, per quod omnes virgines per imitationem virginitatis genuit, &c. Hinc illud Viguerij iam citati: Virgo fuit inuentrix ordinis virginum, & angelicæ vitæ, ideo recte nominatur Virgo virginum, & virginum abbatissa, ac regina, &c. Adde Gregorium Nazianzenum, is in carmine de virginitate, sic de virginitate scribit:

Theodoretus

D Damasc.

Albertus Magnus.

Nazianz.

Ante quidem, vmbroso in paucis splendore micabat,
Dum lex, iura daret terris, & in orbe vigeret,
Exiguis spectanda notis.
At postquam Christus, per casta viscera matris
Absque patre, & tedis, vitæ progressus in auras,
Lustrauit muliebre genus, tam denique nostro
Virginitas generi præclaro lumine fulsit.
Connubium tantum exuperans, & viuula vitæ,
Quantum animus carni præstat, conuexáque cœli
Regia tellurem superat, quantóque fugaci,
Illud in æternum durans præstantius æuum est.

Ratio sexta. Redditur ab Anselmo: Voluit ex Virgine Christus concipi, & nasci, absque viri opera, vt hunc quoque nascendi modum suæ ostenderet subiacere potentiæ. Anselmus, libro secundo, cur Deus homo, cap. 8. Quatuor, inquit, modis potest Deus facere hominẽ, videlicet aut de viro & de fœmina, sicut vsus monstrat, aut nec de viro, nec de fœmina, sicut creauit Adam: Aut de viro sine fœmina, sicut fecit Euam, aut de fœmina sine viro, quod nondum fecerat. Vt igitur hunc quoque modum probet suæ subiacere potestati, & ad hoc ipsum opus, dilatum esse nihil conuenientius, quam vt de fœmina sine viro assumat illum hominem, quem quæramus. Vtrum autem de virgine, vel non virgine digniis hoc fiat, non est opus disputare, sed sine omni disputatione asserendum est, quia de virgine, Deum & hominem nasci oportet. Hactenus ille. Ait Anselmus hunc concipiendi & nascendi modum ad hoc opus, id est, incarnationem, dilatum esse. nam ante incarnationem steriles, aliæque fœminæ conceperunt, nulla tamen sine viro concepit virgo. Scilicet, ad maximum incarnationis opus, hic modus differebatur admirabilis.

D. Anselm.

Quod si quispiam roget: Cur verbum diuinum non efformauit sibi ex limo terræ, vel ex alia nobiliori materia corpus, quemadmodum efformauit Adamo? Respondemus, multo fuisse satius ex Adami genere carnem assumere, ob aliquot rationes. Prima est, vt ex illo genere, quod à dæmone superarum fuerat, is nasceretur, qui de dæmone triumpharet: Pertinebat (ait Augustin. libr. 13. de Trinitate. cap. 18.) ad iustitiam & bonitatẽ creatoris, vt per eandem rationalem creaturam superaretur diabolus, quam se superasse gaudebat. & de ipso genere venientem, quod genus origine vitiata per vnum tenebat vniuersum. Poterat enim vtique Deus, hominem aliunde suscipere, in quo esset mediator Dei, & hominũ, non de genere illius Adami, qui peccato suo, genus obligauit humanum, sicut ipsum quẽ primum creauit, non de genere creauit alicuius. Poterat ergo vel sic, vel alio quo vellet modo, creare vnũ alium hominem, de quo vinceretur victor prioris. Sed melius iudicauit, vt de ipso, quod victum fuerat genere, assumeret hominem Deus, per quem generis humani vinceret inimicum, &c. *Quia pueri* (ait Paulus) *communicarunt carni, & sanguini, & ipse similiter participauit iisdem, vt per mortem destrueret eum, qui habebat mortis imperium, id est, diabolum. Nusquam enim Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ apprehendit. vnde debuit per omnia fratribus assimilari*, &c. Ex eodem ergo genere Adami, carnem assumpsit Christus, vt diabolum destrueret.

Cur verbum diuinum non efformauit sibi corpus extra virginis viscera quẽadmodum efformauit Adamo.

D. Augst.

Hebr. 2.

Ratio secũda, Assumpsit ex Adami stirpe carnem Christus, vt ex Adami genere accepta caro, Adami ipsius, cæterorumque omnium Adami filiorum debitum solueret. D. Leo, sermo. 3. de Natiuitate. Offerenda erat pro reconciliandis hostia, quæ esset nostri generis socia, & nostræ contaminationis aliena. D. Thomas 3. p. qu. 4. art. 6. Hoc videtur ad iustitiam pertinere, vt ille satisfaciat, qui peccauit, & ideo de natura per peccatum corrupta, debuit assumi id, per quod satisfactio erat implenda, pro tota natura, &c. D. Leo, serm. 2. de Natiuitate: Non iuste diabolus admitteret originalem deditiij generis seruitutem, nisi de eo, quod subegerat, vinceretur, quod vt fieret, sine virili semine, editus est Christus ex Virgine, &c. Hugo Victorinus, in lib. sententiarũ: Deus homo factus est, vt de suo liberaretur homo, &c.

D Leo.

D. Thom.

D. Leo.

Hugo Vict.

Quæres. Nónne potuisset Christus, iustitiæ diuinæ facere satis, si ex limo terræ corpus assumpsisset? aut si aliam (verbi causa) Angelicam cum Verbo diuino naturam copulasset? potuisset quidem, sed si fecisset, non soluisset debitum iustitiæ homo, ex iisdem natus hominibus, qui peccatorum ingenti debito obstricti erant. Hac de re sic scribit Diuus Anselmus, in libro 2. cur Deus homo, cap. 8. Si nouum, inquit, hominem faciet Deus non ex Adæ genere, non pertinebit ad genus humanum, quod natum est de Adam: quare non debebit satisfacere pro eo, quia nõ erit de illo. Sicut enim rectum est vt pro culpa hominis homo satisfaciat, ita necesse est, vt satisfaciẽs idẽ sit, qui peccator, aut eiusdem generis. Aliter nãque nec Adam, nec genus eius satisfaciet pro se. Ergo sicut de Adam, & Eua, peccatum in omnes homines propagatum est, ita nullos, nisi vel ipsi, vel qui de illis nascitur, pro peccato hominum satisfacere debet. Quoniam ergo illi nequeũt, necesse est, vt de illis sit, qui hoc faciat. Hæc ille. Et Sanctus Basilius Seleuciæ episcopus, in oratione de Annuntiat. In lucem, inquit, editus, non erat homo nudus, sed Dei Verbum ex Virgine incarnatũ, carnẽque eiusdem naturæ cum carne mea indutum, vt simile sanaretur per simile. Etenim si corpus habuisset à corpore meo alienum, si cum mea carne communionem non habuisset, vitam vtique mihi impertitum non esset. Si mẽdicam egenámque naturam meam non assumpsisset, ego Dei regnum adeptus nõ essem, &c.

Christus etsi naturam assumpsisset angelicam potuisset pro hominibus iustitiæ diuinæ facere satis. D. Anselm.

S. Basilius Seleuc.

Hæc

Hæc Basilius. At iam diximus potuisse nos redimere Christum, etsi à nostra natura alienum assumpsisset corpus.

Ratio tertia. Ex Adamo originem ducere voluit Christus, ne aliquis esset homo, qui ab vno illo primo homine originem non haberet. Vnde Anselmus loco indicato. Deus (ait) quãdo humanam naturam, primitus fecit, in solo Adam, nec fœminam facere voluit, nisi de ipso. Vnde apertè monstrauit, se non nisi de Adam voluisse facere, quod de humana natura facturus erat, &c. Hæc de virginitate.

D. Anselm.

CAPVT XI.

Morale.

De humilitate Virginis Deiparæ.

DE humilitate Virginis supra iam diximus, cum de natiuitate ageremus, sed summæ humilitatis verba illa: Ecce ancilla Domini, &c. flagittant, ne hoc loco de illa taceamus. Humiliter (ait Bernardus, homil. 4. super missus) Virgo respondit, vt sedes gratiæ præpararetur, &c. Etenim quemadmodũ aquarum sedes, humilitas est vallium, ita gratiæ sedes, humilitas est hominum, *Emittis fontes in conuallibus, inter medium montium pertransibunt aquæ*: Bonorum omnium fons, diuinum Verbum, in celsissimo monte erat, in quem nemo poterat ascendere (Patris dico sinum) volucres tantummodo, id est, Angeli, illo fruebantur. Sed cum Virgo verba hæc protuli: *Ecce ancilla Domini*, in humillimam vallem, omnibus vernantem virtutum floribus, descendit. Iamque id euenit, quod vates adiunxit: Potabũt omnes bestiæ agri, expectabunt onagri in siti sua. Iam fons ille celsissimus in vallem demisit aquas, non alites solum, verum homines etiam, qui belluino ante more viuebant, illo potiuntur. Omnium elementorum infimum terra est, eius in visceribus, quo omnia eruuntur, aurum Sole influente gignitur. Eundem in modum omniũ fœminarum humillima Virgo fuit, eius in vtero, fulgentissimum, quo redempti sumus aurum (id est, Christus) Spiritu Sancto operante genitum est.

Psal. 103.

Rara virtus honorata humilitas. D. Bernard.

Eximia quidem dignitas, vnica gloria, Dei filium concipere. Solet verò dignitas & gloria arrogantiã párere. Vnde illud Bernardi super missus, hom. 4. Non magnum est esse humilem in abiectione magna prorsus, & rara virtus, humilitas honorata: At nihil hic metuendum, nõ arrogantiam Virgini, sed humilitatis incrementum tanta gloria peperit. Vt enim ait Chrysologus, sermone 142. Deuotus animus insulis beneficiorum crescit ad obsequium, augetur ad gratiam, non ad arrogantiam prosilit, &c. Quæ (inquit idẽ Bernardus) hæc tam sublimis humilitas, quæ cedere non nouit honoribus, insolescere gloria nescit? Mater Dei eligitur, & ancillam se nominat, &c. Et Simeon Cassianus: In profunda (ait) se virgo deiecit, quæ inuitabatur ad alta, & à dominatu, ad ancillatum, animum conuertit, & corpus, &c.

D. Chrysologus.

D. Bernard.

Simeon Cassianus.

Virgini maxima dignitas non attulit elationẽ. 1. Reg. 2.

Tantæ humilitatis typum, in diuinis literis habemus Abigailem, quæ cum à nuntijs accepisset, in vxorem se electã à Dauid: *Adorauit prona in terram, & dixit: Ecce famula tua sit in ancillam, vt lauet pedes seruorum domini mei*, &c. Ita virgo; cum à Dei nuntio Gabriele audisset, in Matrem Dei se electã; Deum vt credibile est magna cum humilitate adorauit. Et ait; *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum.*

Laurentius Iustinianus.

Solo incredibili cum humilitate prostratam, Laurentius Iustinianus putat, in sermone de Annuntiatione. Tunc (inquit) ad Deum, totum est conuersum cor virginis noua irradiatum luce, insolito charitatis desiderio liquefactum; ac repletum deuotionis affectu. Solo igitur, mente, ac corpore prostrata, humillime inquit; *Ecce ancilla Domini*, &c.

A Vt Augustinus dixit, serm. 10. de Verbis Domini; Quanto erit maius ædificium, tanto altius ponitur fundamentum. Fundamentum autem humilitas est. quamobrem addit; Cogitas magnam fabricã construere celsitudinis, de fundamẽto prius cogita humilitatis. Cum ergo in Virgine celsissimum illud ædificium, id est, corpus Christi, quod *templum* nominatur, esset extruendum; altissima prius humilitatis sunt iacta fundamenta. Super hæc autem profundissima fundamenta, ipso cœlo celsius, Spiritus Sanctus templum ædificauit.

D. Augustin. ser. 10. Ioan. 8.

Omnia flumina intrant in mare (ait Ecclesiastes) *& mare non redundat, at flumina pluuialibus aquis redundant facile.* Fluminibus similes ij sunt, qui honorum, aut diuitiarum, aut literarum quadã quasi pluuia, in superbiam redundãt. Mari similis est Deipara Virgo, quæ quamuis gratiarum omnium flumina exceperit, nũquam tamen humilitatis summæ metas excessit. Mirum sane esset prodigium, si in fluuium mare totũ influeret, ipse autem fluuius non exundaret. En tibi gratiarũ omnium fluuium virginem, in illam omnium bonorum Oceanus, nempe Deus ipse ingressus est; at fluuius non intumuit. imò humilitate depressus est, ac submissus magis. Ambrosius, lib. 2. in Lucam, Vide humilitatem; ancillam se dicit, quæ mater eligitur; nec repentino exaltata promisso est.

Eccl. 1.

Longe diuersam à prima Eua, secundam habemus Euam; vt diuerso itinere gradiens, quam prima amisit gratiam, secunda reperiat. Prima superba fuit, secunda humilis. ideoque primam Deus è paradiso expulsam humiliauit; secundã admirandum in modum extulit. *Ego* (ait Dominus) *humiliaui lignum sublime*, id est, arborem, *& exaltaui lignum humile*. Quæ nã sublimior arbor, quàm prima Eua, in terrestri consita, paradiso, orbis totius regina, originali iustitia, magnisque Dei donis exornata? Sublimẽ hanc arborem ob superbiam Deus humiliauit; Virginem verò humilem arborem, pauciſque notam ob humilitatem ita extulit, vt pro fructu Deum ipsum protulerit; iuxta illud Elisabethæ; *Benedictus fructus vẽtris tui.* O quàm sunt harum duarum arborum diuersi fructus! Arbor sublimis Eua mortem, peccatum, morbos, calamitatesque innumeras protulit; arbor humilis, vitæ, gratiæ, bonorũque omnium fructum produxit. Meritò facta est nouissima prima (ait Bernardus, in sermone de Verbis Apocalypsis) quæ prima cum esset, omnium se nouissimam faciebat, &c.

Ezech. 17.

Eua & Virgo dissimiles.

D. Bernard.

Prudentiam quoque nos virgo docet, cuius est de rebus cogitare prudẽter. *Cogitabat* (ait Euangelista) *qualis esset ista salutatio.* Diuus Chrysologus, serm. 140. Cogitat virgo; quia cito respondere est facilitatis humanæ; cogitare vero ponderis est maximi, & iudicij præmaturi, &c. Quæ ponderosa sunt, quarum ima petunt; quæ leuia, fluitant; sic animus grauis, & prudens, rerum fundum cogitando petit; leuis, & inconstans, in superficie rerum veluti fluitat. Per tenebrosam domum pedetentim iter habendum; parietesque sunt palpandi. Tenebrosa domus mundus est hic, in quo versamur; pedetentim igitur, hoc est, cũ consilio, ac maturitate, rebus in arduis incedendũ; negocia cogitatione prius veluti palpanda. Nautæ demissa bolide, maris profunditatem explorant; tu demissa cogitatione negocij pericula expende. Misit Moses, antequam terram promissam ingrederetur, exploratores; mitte tu antequam negocium aggrediaris, veluti fidissimam exploratricem, cogitationẽ. Vadum prius fluminis, id est, negocij periculosi tenta; ne si intentato vado temere pertransire velis, aquis obruaris. Vt Seneca scribit epistola vigesima tertia: Pauci sunt, qui consilio se suaque disponant; cæteri, eorum more, qui fluminibus innatant, non eunt, sed feruntur, &c. Tu verò ex pau-

D. Chrysologus. De prudẽtia Virginis.

Prius cogitatione explorãda negotia, quam illa aggrediamur.

Seneca.

cis

cis illis esto; ne casu, ac temere, sed cõsilio vitã agas.

Obedientiam quoque singularem verba illa indicãt: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuũ.* *Simon Cassianus.* Nihil sibi retinuit virgo (ait Simon Cassianus) totam se posuit in diuino famulatu. *Andr. Ierosolymitan.* Et Andreas Episcopus Ierosolymitanus: Ecce (inquit) ancilla Domini, ad obediendum facilis, ad seruiendum parata, ad suscipiendum prompta, &c. Dixit Deus, *fiat lux, & facta est lux fiat firmamentum, cæteráque, & facta sunt.* Dixit Virgo, fiat mihi secundum verbum tuum, & factum est opus omnium maximum. Dei, fiat, fuit imperantis: Virginis, fiat, fuit obedientis. Imperantis Dei, fiat, secutum est cœlum, operaque reliqua, quæ cœli ambitus complectitur. Obedientis Virginis fiat, secuta est admiranda diuini Verbi incarnatio. Quæsiuit Virgo prudenter, quomodo fiet istud? modi iam cõscia, respondet obediente, fiat.

Gen. 1. Obedientia Virginis Deipara.

Hoc, fiat, hunc Virginis assensum, expetit Aug. serm. 17. de Natiuitate, cum ait: Respondeiam Virgo sacra, assensum tuum Angelus præstolatur: Deus in porta est, Angelum quem moraris expectat, &c. Videor videre Deum, tunc temporis scalæ cœlesti iam innitentem, & descensum in terras parantem, quem in modum Iacob olim illum vidit. Augustin. vrget: O beata (inquit) Maria seculum omne captiuum, tuum deprecatur assensum: te Deo mundus suæ fidei obsidem facit: per te parentum suorum iniurias abstergi deprecatur, &c. Bernard. quoque homil. 4. Super missus. Expectat (inquit) Angelus responsum, expectamus & nos, ô Domina verbum miserationis, quos miserabiliter premit sententia damnationis. In sempiterno Dei Verbo facti sumus omnes, & ecce morimur; in tuo breui responso sumus reficiendi, vt ad vitam reuocemur. Hoc supplicat à te, pia Virgo, flebilis Adam cum misera sobole sua, exul de paradiso: hoc Abraham, hoc Dauid, hoc cæteri flagitant patres sancti: hoc totus mũdus tuis genibus prouolutus expectant. O Domina responde verbum, quod terra, quod inferi, quod expectant & superi. Ipse quoque omnium Rex, & Dominus, quantum concupiuit decorem tuum, tantum desiderat & responsionis assensum. Hæc mellifluo, vt solet, calamo Bernardus & alia in hanc sententiam scribit, homilia illa quarta, & inter alia addit: Respõde ô Virgo verbum, & suscipe Verbum, profer tuũ, & suscipe diuinum. Et August. serm. citato: Responde (inquit) verbum, & suscipe filium: da fidem, & senti virtutem: pande sinus roseos Virgo perpetua. fides tua modo, aut aperit cœlum, aut claudit, &c.

Gen. 28. *D. Augus.* *D Bernardus* *D. Augus.*

Denique assensum optatissimum Angelo prudẽtissima præstitit Virgo: protulitque verbũ, & suscepit Verbũ. Etenim post assensum, in vtero illo beatissimo, Verbũ caro factũ est. Nec mora (inquit Aug. loco citato) reuertitur nuntius, & nuptialem thorum ingreditur Christus: accepit stolam carnis in thalamo Virginis: diuinitati sponsatur homo, &c.

Nuptiæ verbi diuini, & humanæ naturæ. Gabriele igitur internuntio admirandæ illæ nuptiæ, in virginei vteri thalamo celebratæ sunt: quibus humana natura, cum diuino Verbo eadem in persona indissolubili nexu copulata est. Quamobrẽ *D. Augustinus.* Augustinus, in Commentarijs Psalmi decimi octaui, verba illa: *Ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo*: de Christo sponso ex Virginis vtero, tanquam è thalamo procedente interpretatur. Ipse (inquit) procedens de vtero virginali, vbi Deus naturæ humanæ, tanquam sponsus sponsæ, copulatus est. Et *Iustinianus* Laurentius Iustinianus, in lib. de casto connubio, capite nono: Verbum (ait) sponsus, caro sponsa: virginalis vterus thalamus, &c.

Thalamus nuptiarum vterus Virginis. Deus bone, quis possit, vel thalami apparatũ, vel sponsi dignitatem, atque opes, vel sponsæ pulchritudinem, & ornamẽta, dicendo recensere? De thalami apparatu Augustinus, ser. illo decimo septimo, de Natiuitate, sic scribit: Expandat nunc fides, splendentis vteri pulchra tentoria: obumbret virtus: Spiritus sibilet naturali calore depulso, tenuis Virginẽ aura refoueat: & fluente refrigerio, spiramentis cœlestibus ventiletur, aluus virginis sertis verecundiæ coronetur. Flammeus ibi rosæ fulgor anhelet, albens lilium candicet, mollis viola rutilet, purpurei spargantur flores, & vario nitore depictus Christi thalamus exornetur. Hæc ille.

Thalamus hic in primis castimoniæ nitidissimo ebore nitebat: quod Abbas Guerricus merita admiratione prosequitur, serm. 1. de Annuntiatione: Mihi (inquit) mirari libet, illud tam pretiosum, imò impretiabile virginalis castimoniæ ebur. de quo sedem sibi facere delegit, qui sedet super cherubim. Quam nitidum est ebur illud, quod oculis tam diuitis regis placuit, in cuius diebus argentum nullius est pretij: quam frigidum, quam solidum, quam candidum, & rubicundum? &c. Splendebat præterea thalamus, mundissimo puritatis auro: est enim aurea illa vrna, in qua dulcissimum manna, non seruatum solùm, sed & natum est. Denique velut cœlum miro sanctimoniæ fulgore micabat: etenim vt vates cecinit: Solis thalamus cœlum est: *Ipse* (inquit) *tanquam sponsus procedens de thalamo suo.* Christi igitur veri Solis thalamus, id est, Virginis vterus, cœlum erat. Hic thalamus fuit. Laurentius Iustinianus, in libr. de casto connubio, cap. 9. Erat quidem beata Virgo, thalamus puritate nitidus, moribus ornatus, & omni præditus sanctitate. Floribus aspersus, virtutibus decoratus, fragrans castitatis odore, charitate feruẽs, virginitate redolens, pollens humilitate. Hæc ille.

Guerricus. *Psal. 18.*

Sponsa verò humana natura, multo sanè erat inferior sponso, videlicet diuino Verbo, infinitoque interuallo ab illius dignitate disiuncta. Solent homines ad nuptias, vel pulchritudine, vel opibus, vel nobilitate sponsæ, vel iis simul omnibus permoueri: at humana natura (si per se ipsa spectetur) his carebat omnibus. Si de pulchritudine agitur, quæ in gratia diuina sita est, nulla erat: præterea ex peccato fœditatem magnam contraxerat. Si de opibus, vel nobilitate inquiritur: in summa egestate, summaque ignobilitate viuebat. Quid igitur diuinum Verbum ad has nuptias traxit? quid traxerit rogas? traxit amor: Si tam diues, potensque sponsus non amasset, infimam sibi naturam nunquam copulasset. Homines deformes sponsas pulchras reddere nequeunt; ignobilibus nobilitatem dare, aut ægrotis impertiri sanitatem non possunt. At diuinũ verbũ humanæ naturæ summam potuit pulchritudinem, summam nobilitatem, summas opes elargiri. Itaque ex illa inope, ignibili, & originario in patribus peccato fœdata natura: naturam absque peccato assumpsit. Gratiæ, gloriæque opibus, illam mirum in modũ locupletauit: pulchritudine inaudita affecit: ipsis seraphinis multo nobiliorẽ reddidit: talemque effecit, qualẽ spõsam omnipotẽtis regis esse oportebat.

Sponsa humana natura.

Admirabilis verò in iis nuptiis vnio, eaque æterna facta est, de viro atque vxore legitur: *Erunt duo in carne vna*, de hoc sponso, & sponsa, id est, de Verbo diuino, & humana natura dicitur. Sunt duo in persona vna: sunt (inquam) duo, id est, duæ naturæ, diuina, atque humana: in persona vna, diuini Verbi. Natura enim humana, loco propriæ hypostasis, diuinã Verbi hypostasim summo Deo beneficio adepta est. Vnde Magnus Gregorius, homil. trigesima octaua, in euangelia: Tunc (ait) Deus pater, Deo filio suo nuptias fecit, quando hunc in vtero Virginis, humanæ naturæ coniunxit: quando Deum ante secula fieri voluit hominem, in fine sæculorum. Sed quia ex duabus personis fieri solet nuptialis ista coniunctio:

Gen. 2. *Vna persona verbi duas habet naturas, diuinã, atque humanam* *D. Greger.*

ctio, absit hoc ab intellectibus nostris, vt personam Dei, & hominis redemptoris nostri Iesu Christi, ex duabus personis credamus vnitam. Ex duabus quippe atque in duabus hunc naturis existere dicimus: sed ex duabus personis compositum credi, vt nefas vitamus. Hactenus Gregorius Magnus.

In his nuptijs reperiuntur sponsalia, cõmunicatio, & filiorum generatio sancta.

Matrimonium carnale, sponsalia antecedunt, hoc est, de matrimonio incundo, promissio, bonoru vero, & honorũ communicatio: nexus indissolubilis, filiorũque generatio comitatur. Hęc omnia admiradum in modum in nostris his nuptijs reperiemus.

In primis, veluti sponsalia, promissio nuptiarum, id est, incarnationis, patribus antiquis facta præcessit. Deinde postquam temporis venit plenitudo, in thalamo intemerati vteri, nuptiæ sunt celebratæ.

Nuptias communicatio, quæ à Theologis, idiomatum dicitur, comitatur, de qua Damas. lib. 3. fidei cap. 4, Cùm de persona (inquit) verba facimus: siue ab vtraque parte simul, siue ab altera duntaxat, eam appellemus, vtriusque naturæ proprietates ipsi imponimus. Etenim Christus (quæ vox vtrumque cõplectitur) & Deus, & homo dicitur, & creatus, & in-

D. Damas.

creatus, & passibilis, & impassibilis. Ac cùm ab vna parte filius Dei, & Deus nuncupatur, coniunctæ naturæ, id est carnis, proprietates recipit. Nam & Deus passibilis nominatur, & Dominus gloriæ in crucem actus: non qua Deus est, sed qua idem etiam homo est. Eodemque modo cum homo, & filius hominis appellatur, diuinæ essentiæ proprietates, atque ornamenta suscipit. Puer enim æuo omni antiquior dicitur, & homo principij expers: non id quidẽ qua ratione puer, & homo est: sed qua Deus omni æuo prior, ad extremum puer factus est. Atque hic communicationis modus est: vtraque videlicet natura, proprietates suas cum altera communicante, propterea quòd vnam, & eãdem personam constituunt, mutuoque in se immeant. Hactenus Damascenus.

Comitatur præterea diuinas nuptias, humanæ naturæ cum diuino verbo nexus per totam æternitatem permanens. Nam Verbum diuinum humanam naturam, quam assumpsit, nec dimisit, nec vnquam dimittet. Præscindit mors humani matrimonij nodum: at partium naturæ humanæ, & Verbi diuini nexum, præscindere nõ potuit. Quamuis enim corpus ab anima separauit, atque adeò humanitatem Christi triduò sustulerit: tamen Verbum diuinum nec ab animo, nec à corpore seiungere valuit.

Ioan. 1.

Comitaturitem has nuptias filiorum generatio, filiorum, inquam Dei, qui vt Ioannes scribit: *Non ex sanguinibus, nec ex voluntate carnis, nec ex voluntate viri, sed ex Deo nascuntur.*

Itaque harũ nuptiarum thalamus virginis vterus fuit intemeratus. Ipsa quoque virgo sponsæ, id est, humanæ naturæ vice, vt illæ celebrarẽtur, assensum exhibuit. D. Tho. 3. p. q. 30. art. 1. Congruum (inquit) fuit beatæ Virgini annuntiari, quòd esset Christũ conceptura; vt ostenderetur esse quoddã spiritale matrimoniũ, inter filiũ Dei, & humanã naturã. & ideo per annunciationẽ expectabatur cõsensus Virginis, loco totius humanæ naturæ. Hæc ille.

D. Thom.

D. Damascenus.

Merito sanè Virginem Deiparam miraculorum officinam, miraculorum item abyssum appellat Damasc. in orat. 1. de illius natiuitate. Expende quæso. tecum tacitus huius admirabilis thalami, harumque nuptiarum miracula. In nuptijs illis omnium ore decantatis, quæ in oppido Cana actæ sunt, vnum miraculum post Virginis verba est patratum, at in iis multa multoque maiora miracula, post illa eiusdẽ Virginis verba; *Fiat mihi secundum verbum tuum*, facta cernuntur. In illis aqua in vinum conuersa est; in iis *Verbum caro factum est*; quod opus, vt Damascenus ait,

Ioan. 2.

D. Damasc. in oratione prima de Annuntiatione, miraculorum omnium est caput. In illis natura deterior mutata est in meliorem, aqua in vinum, in iis persona dignitate infinita præcellentior, naturam assumpsit, immensa intercapedine inferiorem, Verbum naturam humanam sibi copulauit. In illis fuit conuersio naturę vnius in alteram; in iis nullius fuit naturæ transmutatio. duæ naturæ, diuina, atque humana integræ permanentes, in vna, & eadẽ Verbi persona, coniunctæ sunt. In duabus perfectis naturis (ait Damasc. lib. 3. fidei, cap. 3.) vnam filij Dei, & incarnati personam confitemur. Vnam nempe diuinitatis, & humanitatis ipsius personam dicentes; & duas naturas post vnionem in ipso incolumes seruari confitentes, non tamen vtramque harum seorsim collocantes verum in vna persona, inter se copulatas, &c. Plenum miraculis est hoc miraculum.

Miraculata nuptiarũ Cana, cum miraculi: contertur, harũ nuptiarum D Damascenus.

Miracula incarnationis.

Primum miraculum. Virgo integra virginitate concepit. Secundum. Spiritus Sanctus Virginẽ obũbrat; corpus infantis temporis puncto efformat, animamque mirabilem infundit. Tertium. Corpus & anima eodem temporis puncto, cum Verbis persona copulatur. Quartum. Deus fit homo. Quintum. Infans omni Sapientia pollet. Sextum. Absque peccato originario, omni gratia plenus concipitur. Septimum. Infantis sanctissima anima protinus, vt creata est, Dei essentiam videt. Quænam vnquam maiora miracula orbis vidit? Vidit olim tempore Iosuæ *Solem stantem*, tempore vero Ezechiæ *retrogredientem*: at nunc videt *Deum seipsum*, vt Paulus loquitur, *exinanientem*. Vidit *in igne conseruatam rubi viriditatem*: nunc videt in conceptione conseruatã matris virginitatem. Vidit *Aaronis virgam absque humano cultu florentem*: nunc videt Iesse virgam absque humana opera optatum mundo fructum parturientem. Vidit *virgam Mosis in serpentem commutatam*: hic videt humanã naturã cũ verbi suppositio copulatam. Vidit *mare apertũ*: hic videt Christũ Deũ virginis vtero clausum. Vidit *ventum mare rubrum exsiccantẽ*: hic videt Spiritum Sanctum, in virginis viscera toto Orbe pretiosiorem margaritam, procreantem. Vidit *cœlestem cibum è cœlo decidentem*, hic videt Deum è cęlo in vterum virginis venientem. Optimo ergo iure Ecclesia illud de virgine canit: *Tu quæ genuisti, natura mirante, tuũ sanctũ genitorem*, hæc enim miracula patrata sunt, ipsa natura mirãte, & obstupescente.

Ioſue 10.
Iſaiæ 38.
4 Reg 20.
Philip. 2.
Exod. 3.
Numer. 17.
Exod. 4.
Exod. 14.
Exod. 16.

Præter hęc, illa angeli verba digna sunt, quæ consideratione expendantur, *Ne timeas Maria, inuenisti enim gratiã apud Deũ.* O felicẽ illũ qui gratiã apud Deũ inuenit: quid ille mali timere poterit? Nihil, nisi gratiæ ipsius iacturam. *Dominus illuminatio mea* (ait ille, qui apud Deum gratiam inuenerat) *& salus mea: quem timebo? Dominus protector vitæ meæ, à quo trepidabo? Si consistant aduersum me castra, non timebit cor meum*. & Augustinus eodẽ Psalmo: Protegitur Imperator scutatis, & non timet: protegitur à mortalibus mortalis, & securus est; protegitur mortalis ab immortali, & timebit? &c. Timeat, & tremat Cain is, cui Deus est iratus, & dicat: *Ecce ęjcis me hodie à facie terræ: & à facie tua abscondar. Omnis igitur, qui inuenerit me, occidet me*, &c. Quẽ enim Deus à facie & gratia sua propter peccatum ejicit, quæ mala non inuadent? quem Deus gratia sua donat; quæ bona non consequentur? *Et si ambulauero in medio vmbræ mortis* (ait Dauid) *non timebo mala, quoniam tu mecum es.*

Qui gemit habet felix. Pſal 26. D. Auguſt.

Gen. 4.

Pſal. 22.

Plutarchus

Vt Plutarchus narrat in vita Cæsaris: Cæsarem qui vehebat nauclerus, tempestate territus, retro scaphæ cursum vertere statuebat. At Cæsar: Ne extimesce quicquam (dixit) Cæsare vehis. Equidem multo meliori iure, hac se voce iustus in medijs tẽpestatibus cõfirmare potest: Ne extimesce, gratiã, Christumque vehis. Quid nam timebat Paulus vas illud electionis, quòd Christum vehebat? ipsum audiamus:

diamus: *Quis* (inquit) *me separabit à charitate Christi? tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas? an periculum? an persecutio?* &c. Vnde tibi tanta hæc fortitudo, ô Paule sanctissime, vt nullas timeas procellas? respondebit: Christum veho: *Ne timeas Israel* (ait Dominus) *quia ergo tecum sum*; ne timeas vir iuste, inuenisti enim gratiam apud Deum.

Rom. 8.

Isaiæ 41.

Time si inueneris gratiam apud mundum; mundi enim gratia multa creat pericula. Vt enim scribit Augustinus ad Athanasium Epist. 144. Mundus iste periculosior est blandus quam molestus; & magis cauendus, cum se illicit diligi, quam cum admonet, cogitque contemni. Et diuus Bernard. serm. de ramis palmarum; Licet multos frangat aduersitas; tamen multo plures extollit prosperitas. Et epist. 107. O sæculum nequam, quod solos tuos sic soles beare amicos, vt Dei facias inimicos. Inuenit Aman gratiã apud Regem Assuerum; hæc illi gratia crucẽ peperit. Inuenit gratiam apud Absalonem Achitophel; hæc illi suspendium attulit.

D. Augusti.

D. Bernard.

De Christi Regno suprà iam copiosius egimus l. 2. c. 13. de illo hoc loco Angelus; *Dabit* (inquit) *illi Dominus Deus sedem Dauid patris eius, & regnabit in domo Iacob in æternum, & regni eius non erit finis.* Sedes Christi dicitur sedes Dauid; quoniã quemadmodũ Dauid per multos labores ac pericula ad thronũ regni peruenit, vt leges in libris Regũ; ita Christus per crucẽ velut scalã in suũ soliũ conscendit. Post diros exãtlatos cruciatus, ait Matt. *Data est mihi omnis potestas in cœlo, & in terra*; per merita videlicet passionis *factus est obediens vsque ad mortem* (ait Paulus) *propter quod Deus exaltauit illum.* A Salomone fabricatus admirabilis *Thronus gradus habebat; ex vtraque vero graduum parte Leones stabant*, ita vt per medios Leones ascendere regem oporteret. En tibi Christi Thronũ, per medios Leones hoc est, per medios hostes, pharisæos sacerdotumq; principes, in illum Christus ascendit, à quibus etsi occisus est, tamen ne ascenderet non est impeditus, imo quia est occisus, propterea in *regnũ, cuius* (vt Angelus ait) *non erit finis*, peruenit.

Matth 28.

Philip. 2.

3. Reg. 10.

Omnium quidem regnorum finis est, finis, inquam, tã temporis, quã loci, nullũ enim regnũ æternũ in terris est; nullũ totius orbis fines complectitur. At Christi regnũ omni fine, tam temporis, quã loci caret: *Dominabitur à mari vsque ad mare, & à flumine vsque ad terminos orbis terrarũ*; vsque ad terminos quoque orbis cœlorum, in sempiternum.

Psalm. 71.

Vis videre quales sint huic regi chari famuli; *regnabit* (inquit) *in domo Iacob in æternum*; Iacob supplantatorem significat. Non molles, ac delicatos, vitiisque mancipatos, sed vitiorum supplantatores, ac victores Rex amat noster.

CAPVT XII.

De Visitatione intemeratæ Virginis, ex Cap. 1. Lucæ.

EXurgens autem Maria in diebus illis, abijt in montana cum festinatione in Ciuitatem Iuda: & intrauit in domum Zachariæ, & salutauit Elisabeth. Et factũ est, vt audiuit salutationem Mariæ Elisabeth, exultauit infans in vtero eius, & repleta est Spiritu Sancto Elisabeth: & exclamauit voce magna, & dixit: Benedicta tu inter mulieres: & benedictus fructus ventris tui: & vnde hoc mihi, vt veniat mater Domini mei ad me? Ecce enim vt facta est vox salutationis tuæ in auribus meis, exultauit in gaudio infans in vtero meo. & beata, quæ credidisti, quoniam perficiẽtur ea, quæ dicta sunt tibi à Domino. Et ait Maria, Magnificat anima mea Dominum: & exultauit spiritus meus in Deo Salutari meo: Quia respexit humilitatem Ancillæ suæ. Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes. Quia fecit mihi magna, qui potens est, & Sanctum nomen eius. Et misericordia eius à progenie in progenies timentibus eum. Fecit potentiam in brachio suo: dispersit superbos mente cordis sui. Deposuit potentes de sede: & exaltauit humiles. Esurientes impleuit bonis, & diuites dimisit inanes. Suscepit Israël puerum suũ recordatus misericordiæ suæ. Sicut locutus est ad patres nostros Abraham, & semini eius in secula. Mansit autem Maria cum illa, quasi mensibus tribus: & reuersa est in domum suam.

POsteaquam Virgo Christum concepit, ad cognatam Elisabetham inuisendam cum festinatione se contulit; quam ab Angelo acceperat, post longam sterilitatem filium vtero gestare. Ab Elisabetha laudibus extollitur; nouum Deo canit canticum, & post tres ferè menses domum reuertitur.

Quid nã virginẽ ad inuisendã Elisabethã impulerit, nõ benè Theophyl. docuit, cũ Luc. 1. hæc scripsit: Abijt virgo ad Elisabeth; & gaudens de bono cognatę; & volens vt prudẽtissima, maiore certitudine certior reddi, nũ vera dixisset, qui apparuerat ei; vt ex hoc, nec de suo dubitaret. Prudens enim cũ esset, timebat, ne fortè deciperetur; & non vt incredula, sed vt diligens, rem explorare volebat. Hæc ille. At aberrauit à veritate; Nec enim Deipara virgo propterea cognatam inuisit, quòd certior reddi voluerit, nũ vera dixisset Angelus; fidem enim habuit Angeli dictis perfectissimam. Nec verò timuit, ne fortè deciperetur. Vnde illud Elisabethæ; *Beata, quæ credidisti*, &c. Certissimè sciebat, illum qui apparuerat Angelum esse; post illius verba, se filium Dei concepisse nouerat; qui igitur fieri potest, vt timeret ne deciperetur, aut maiorem certitudinem quæreret? Nos Ambrosium potius audiamus, qui Luc. 1. sic scribit; Non quasi incredula de oraculo, nec quasi incerta de nuntio, nec quasi dubitans de exemplo; sed quasi læta pro voto, religiosa pro officio, festina præ gaudio, ad montana perrexit.

Quid impulerit virginẽ ad inuisendã Elisabethã. Theophylact.

D. Ambros.

Prima huius Visitationis causa fuit, Baptistæ in vtero sanctificatio; diuino enim afflata spiritu ad Elisabetham

Causa visitationis.

ſabetham Virgo profecta eſt, vt Ioannes diuinitus à peccato originali expiaretur,& Spiritu ſancto adhuc ex vtero matris ſuæ repleretur, quod Angelus Patri Zacharię prædixerat. Sumitur hæc cauſa ex Origine homil.7.in Lucam: Ieſus,inquit, qui in vtero virginis erat, Ioannem adhuc in ventre matris poſitum, ſanctificare feſtinabat,&c.

Origenes.

Secunda cauſa. Profecta Virgo eſt ad Eliſabethã, vt de admirando præcurſoris conceptu,illi congratularetur. Beda in homil. de hac Viſitatione: Intrat, inquit, Virgo domum Zachariæ,non quaſi dubia de oracolo, quod acceperat, ſed vt congratulatura de dono,quod conſeruam Eliſabetham accepiſſe didicerat,&c. Simeon Metaphraſt. in Oratione de Ioan. Baptiſta. Feſtinauit virgo, vt gratularetur Eliſabethæ,de bono nuntio nouæ conceptionis, &c. idem habetur in Gloſſa interlineari.

Beda.

Metaphraſt.

Tertia cauſa, ab eodem Beda additur, vt Eliſabethæ miniſtraret: Intrat,ait, Virgo domum Zachariæ, non vt verbum Angeli, mulieris atteſtatione probaret,ſed vt mulieri prouectæ ætatis, Virgo iuuencula miniſterium ſedula impenderet. D. Antoninus 4.p. tit.15.c.27. Virgo,ait,cum Eliſabetha tribus mẽſibus ſtetit,vt in partu tunc futuro ei ſeruiret. Et quis vnquam audiuit talia,vt Regina grauida pergat ad ſeruam ſuam adminiſtrandum ei in partu? &c.

D. Antonin.

Exurgens autem Maria in diebus illis.

Ab Oratione exſurrexiſſe virginẽ ad iter, Dionyſ. Carthuſ. Lyranus, & alij exiſtimant,idq; ſentire piũ eſt: Dicendi tamẽ modus ſignificat proficiſcẽtis geſtum,qui enim aliquo proficiſcitur,à loco,in quo ſedet,exurgit. Vnde legitur: *Triphon exurgens,abiit in Bethſan*,&c. Dubium vero eſt,an Virgo mox poſt diuini Verbi incarnationẽ,ad Eliſabetham profecta ſit, an poſt aliquot dies? Reſpondet Theophyl. Cũ audiſſet Virgo ab Angelo,quod cõcepiſſet Eliſabeth, ſtatim abiit ad illã. Beda homilia ſupra citata: Mox vt Angelus ad cęleſtia rediit, ſurgit virgo,ac montana cõſcendit,& Ambr. vbi virgo audiuit Angelũ,in mõtana perrexit. Origenes: Maria ſtatim vt audiuit Angelum,conſurgens venit in montana. Ex Euãgeliſtę verbis colligi videtur,non protinus,& eadẽ die virginẽ,iter fuiſſe ingreſſam. *Exurgẽs*, inquit, *in diebus illis*, id eſt,in tempore illo,poſt verbi incarnationẽ, quæ verba non indicant eadem die profectam virginem, imò innuunt poſt aliquot dies iter ſuſceptum,vt infra expendemus,cũ de reuerſionis tempore agetur.

Carthuſian. Lyranus.

1. Mach. 12.

Virgo poſt incarnationem verbi, ſtatim ad Eliſabetham profecta eſt. Theophyl. Beda. D. Ambroſ. Origenes.

Abiit in montana cum feſtinatione.

Græcè μετὰ σπουδῆς, σπουδὴ verò ſignificat feſtinationem,ſtudium,diligentiam. In Euangelio Syriaco legitur,betilaith,id eſt,ſedulo,diligenter. Primã huius feſtinationis cauſam reddit Ambr. in Lucã: Feſtinauit virgo,ne extra domũ diu in publico moraretur. Eandẽ reddit Cardinalis Caietanus, Lyranus, & alij, Diſcite(ait Ambr.)virgines,non demorari in plateis, non aliquos in publico miſcere ſermones. Maria in domo ſera,feſtinat in publico. Secundam cauſam,idẽ Ambr. putat,fuiſſe gaudiũ,quo virginis cor in Deum exultabat: Feſtina,inquit,præ gaudio. Adiungit tertiam,Spiritus ſancti gratiam, & impulſum,Quò,ait,iam plena Deo virgo,niſi cum feſtinatione ad ſuperiora contenderet? *Neſcit tarda molimina* (id eſt,conatus ad res aggrediendas) *Spiritus ſancti gratia*. Adde quartã ex Origene iam citato. Quia Chriſtus,qui in vtero erat virginis, vt Ioannem ſanctificaret,& à peccato originali expiaret,feſtinabat.

Cauſa feſtinationis.

D. Ambr.

In Ciuitatem Iuda,& intrauit domum Zachariæ,&c.

Ciuitatẽ hanc Iuda, in qua Zacharias & Eliſabetha habitabant, vult Clichtoueus in libello de Viſitatione Virginis c.2. fuiſſe Ieruſalẽ. In eadẽ ſentẽtia eſt Cardinalis Hugo, & Eckius ſerm. de Viſitatione. Beda quoque Luc. 2. ad illa verba: *Ibant parentes eius*: Mariam,ait,mox Domino concepto, Ieroſolymam mittit Euangeliſta,domũ pontificis,id eſt, Zachariæ, intromittit. Veriſimilius eſt,ciuitatẽ,de qua loquitur Euangeliſta,non fuiſſe Ieruſalem, duabus de cauſis. Prior eſt,quia cum de Ieruſalem Euangeliſtæ agunt, ſemper illam proprio nomine appellãt Ieruſalem, non ciuitatem Iuda. Poſterior,quia Ieruſalẽ ad tribũ Beniamin potius quàm ad tribum Iuda pertinebat. Nã Ioſue 18. perſpicuè Ieruſalem inter vrbes tribus Beniamin numeratur. Lege Abulenſem eodem cap. Ciuitas autem Zachariæ dicitur ciuitas Iuda, id eſt, in ſorte tribus Iudæ ſita. Huic tamen obiectioni reſponderi poteſt, Iuda hoc loco Iudæam ſignificare, hoc ſenſu: Abijt Virgo in ciuitatem Iudææ,ex Galilæa. Ieruſalem vero in prouincia Iudææ erat.

Eckius. Clichtoueus. Hugo Card. An fuerit ciuitas Ieruſalem, quam virgo petiit. Beda.

Ioſue 18.

Veriſimilius Cardin. Baronius in apparatu ſentit, hãc ciuitatẽ, quã Dei parens petiit,fuiſſe Hebron. Erat enim ciuitas Hebron in mõtanis Iudææ ſita,& ad ſacerdotes pertinebat, vt cõſtat ex c.21. Ioſue. Cũ ergo Zacharias ſacerdos eſſet, veroſimile eſt, in ea habitaſſe,nõ tamẽ certũ. Diſtat autẽ Hebrõ ab Ieroſolymis teſte Abulenſi Geneſ.2. qu.22. octo leucis.

Card Baronius.

Abulenſis.

Hac de re diligens terræ ſanctæ explorator Borchardus prima parte c.7.§.68. ſic ſcribit: Ex Hebrõ tribus leucis contra Aquilonẽ,parum tamen declinando ad Occidentẽ,eſt Nehel eſcol. 1. torrens botri, vnde exploratores miſſi à Moyſe tulerũt botrũ. A nehel eſcol ſex leucis contra Ieruſalẽ eſt domus Zachariæ. Explorator alter regionis eiuſdem Antonius Aranda c.37. A ciuitate,inquit,ſancta,milliario vno diſtat ſanctę crucis templũ,ab hoc tẽplo milliaribus 4. diſtat tẽplũ alterum, in eo domus eſt illa,in qua Baptiſta in lucẽ eſt editus, ad arcus iactũ, tertiũ eſt tẽplum in domo Zachariæ extructum. Hæc ille. Adrichomius milliario vno ab oppido Emmaus, Gagneius verò milliaribus 4. ab Ieruſalẽ verſus auſtrum,& Bethlehẽ,domum Zachariæ diſtare docẽt.

Borchard.

Aranda.

Adrichomius.

Gagneus.

Credibile autẽ eſt maximè,virginẽ antequã Eliſabethã inuiſeret,Ieroſolymitanũ tẽplũ adiiſſe,& pro tãto accepto incarnationis beneficio,Deo gratias egiſſe,in qua ſententia eſt Clichtoueus loco indicato.

Et ſalutauit Eliſabeth.

Ingreſſa Zachariæ domũ virgo integerrima, Eliſabethã verbis ſuauiſſimis,ac ſanctiſſimis ſalutauit, quę Euangeliſta ſilentio pręteriit. Vbi primum autẽ Eliſabetha virginis ſalutationem percepit auribus, mox Ioannes,quẽ vtero ferebat, magno exilijt gaudio,& Spiritu ſancto,ſimul cum matre,repletus eſt, Matrem verò propter filium repletam Patres aiunt. Non prius(ait Ambroſ.) mater repleta eſt, quam filius,ſed cum filius eſſet repletus Spiritu ſancto, repleuit & matrem. Origenes: Non dubium eſt, quin quæ tunc repleta eſt Spiritu ſancto, propter filiũ ſit repleta; neque enim mater primùm Spiritum ſanctum meruit. Sed cum Ioannes Sanctum ſpiritum accepiſſet;tũc & illa,poſt ſãctificationẽ filij,repleta eſt Spiritu ſancto,&c. Titus Boſtrenſis Epiſcopus: Eliſabeth propter infantem, quẽ intra viſcera geſtabat, ſpiritu afflata, Prophetica verba detonuit, &c. Eccleſia in Hymno: *Hinc parẽs nati meritis vterque abdita pandit*,id eſt,Zacharias,& Eliſabetha, meritis Ioãnis, occulta aperiunt myſteria Beda: Cũ filius repletus eſſet Spiritu ſancto,repleuit & matrem. Theophylactus: Niſi puer exultaſſet, non prophetaſſet Eliſabeth. Autor imperf. hom.27.in Matth. Ioan. exultatione ſpiritali matrẽ ſuam fecit eſſe prophetam,&c.

D. Ambr.

Origenes.

Titus. Eliſabeth impleta eſt S. ſancto, priùs tamen Ioannes.

Beda. Theophyl.

Prophetauit autem Eliſabetha, vt Beda docet Lucæ primo,de præterito tempore,pręſenti,ac futuro. Notandum(inquit) quanta Eliſabeth animum gratia Maria intrante ditauit;quem ſimul de præterito, pręſenti, atque futuro,per prophetię ſpiritum illuſtrauit,&c. Et D. Gregor. hom.1.in Ezechielem,Aliquando

Eliſabeth prophetauit de præſenti, præterito, & futuro. Beda.

quando(ait)ex preterito,& ex præsenti,atque ex futuro,pariter animus tangitur prophetantis. Ibidem Elisabeth simul de præterito,futuro,& præsenti,per prophetiæ spiritum tacta est,&c.

Vnde hoc mihi,vt veniat mater Domini mei ad me?

Elisabeth vaticinatur de præsenti. D.Gregor. Beda.

De præsenti prophetat:vt Grego.& Beda aiunt: Nam à Spiritu sancto illuminata, Virginem, quam præsentem cernebat,Christum in vtero gestare cognouit. Matrē nominās (ait Gregorius & Beda) quia redemptorē humani generis in vtero portaret; intellexit. Itē Gregorius: Elisabeth Mariam ad se venire conspiciens,quia incarnatum Verbū gestaret in vtero agnouit;eamque Domini sui matrem vocauit,&c. Obseruat vero Theophylact. vocasse virginem Matrem,antequā pareret; quia extra omne abortus periculum erat. Alias(inquit) priusquā pariāt,nō solemus matres vocare,propter metū abortiendi;in Virgine autem nihil tale suspicari oportebat;idcirco priusquā priat mater est, &c. Ab Elisabetha primū Virgo,& cognita,& nominata est mater Dei;qui titulus quātus sit, iā supra indicauimus.

Et Beata quæ credidisti.

De præterito & de futuro prophetat Elisabeth. D.Gregor.

Prophetat Elisabeth de præterito. Dicens enim (ait Gregor.) *beata quæ credidisti*, aperte indicat, quia verba Angeli,quæ dicta ad Mariam fuerant,per spiritū agnouit,&c. Prophetat quoq; de futuro, cū addit: *Perficientur,quæ dicta sunt tibi à Domino*. Subiungens (ait Gregorius) *Perficientur ea,quæ dicta sunt tibi à Domino*;quę Virginē in futuro sequerentur,præuidit,&c.

Ioannes iam per os matris vaticinatur, & virginem salutat. Nicephor. Theophylact.

Hanc Elisabethæ prophetiā Nicephorus ait à Ioanne editam, per os matris mutuo sumptum,libro primo,capite octauo; Ioannes(inquit) ore materno quasi mutuo sumpto,supra naturæ captū vaticinatur;matrem Domini Virginem vocans;simulq; inter mulieres benedictam,&c. Theophylact. quoq;: Ioannes(ait) per os matris prophetauit;&c. Itē; Elisabeth os Ioanni ministrauit,&c. Et Autor librorū de mirabilibus Sacræ scripturæ tom.3. Augustini, li. tertio,capite primo;Ioannes spiritali famine,per os matris,de nascituro ex Virgine Christo prophetauit. Dum enim Moysis spiritus in septuaginta duos cōsiliarios distribuitur,quid mirū,si pueri adhuc in vtero manentis spiritus per matrē loqueretur,&c.

Erat eatenus,incarnationis admirandū mysteriū; omnibus hominibus occultū; solis duabus fœminis notum;nimirū virgini,& Elisabethę. Sola enim virgo,& Elisabetha,Verbum incarnatum iā esse nouerāt, quodq; alij expectabant,illæ iā factum sciebāt.

Meritis laudibus Virginē excipi voluit Spiritus S. in illa visitatione, ideoque Elisabethæ mysterium aperuit;eamque ad prædicandas Deiparę laudes luce sua illustrauit. Etenim Spiritus S. ad virginē laudandam nos impellit: Satanas hæreticos in aduersam detrudit partem, Laudat igitur virginem Elisabeth; Benedictā inprimis appellat, inter omnes mulieres; nulla enim mulier,vt ait Titus Episcopus, tantā vnquā consecuta est gratiā, neque cōsequetur vnquā, quantā mater Domini,&c. Deinde benedictum appellat ventris eius fructum; nēpe in quo benedictæ sunt omnes mundi nationes;vt Deus Abrahamo fuerat pollicitus. Fructum autem appellat(ait Metaphrastes in Oratione de vita, & dormitione Virginis)admirabiliter; vt qui cum viri semine nihil habuisset cōmune. Postea corā tāta virgine se abiicit, eiusq; visitatione indignam profitetur;*Vnde*(inquit) *hoc mihi; vt veniat mater Domini mei ad me*? laudat præterea fidem: *Beata*, ait, *quæ credidisti*; & perficienda omnia,quæ virgini Angelus promiserat, vaticinatur.

Titus.

Metaphrast.

Magnā vocē & affectum Magnæ virginis laudes postulant.

Obserua autem Elisabetham,cum virginem laudare cępit,voce magna exclamasse. Virginis namq; laudes vocem magnam flagitāt,quippe quæ magnæ sint,id quod fœmina etiam illa indicauit, quæ virginem laudauit. *Extollens vocem quædam mulier de turba dixit ei: Beatus venter ,qui te portauit,& vbera quæ suxisti*, &c. Extulit vocem mulier de turba, vt virginē laudaret; extulit quoque vocem Elisabetha: *Exclamauit*(inquit Euangelista) *voce magna,& dixit: Benedicta tu inter mulieres*,&c. Duæ fœminæ virginem laudarunt; sed vtraque magna voce: quoniam magna virgo, magna Dei mater,magnæque illius virtutes, magna voce,magnoque affectu,prædicandæ sunt. *Luc. 11.*

Exultauit in gaudio infans in vtero meo.

Dubium hoc loco exiit: an Ioannis hæc exultatio cum vsu rationis coniuncta fuerit, an solum ita exultauerit; vt agnus rationis expers? verbum enim Græcum, σκιρτάω, quo Euangelista vtitur, etiam ratione carentibus tribuitur. Augustinus in epist. 57. ad Dardanum dubitat, Iansenius negat, negat quoque D. Thom. 3.p.q.27.art.6. Fuisse tamen Ioanni vsum rationis in vtero matris diuino munere concessum, sentit Ambr. in Lucam: Habebat,inquit,intelligendi sensum,qui exultandi habebat affectū. Sentit Theophylactus, qui existimat infantem Ioannem patris Zachariæ canticum intellexisse; & Beda in hom. de Visitatione; Ioannes(ait) Dominum esse,qui in vtero virginis portaretur,intellexit. Euthymius; Ioannes agnito supernaturaliter Domino suo,exultatione illum prædicauit: prophetica gratia donatus. D. Leo serm.10.de natiuitate, præcursor Christi spiritum prophetiæ intra viscera matris accepit. D. Hierony. in epist.7.ad Lætam: Audiebat Ioannes verba Domini per os virginis pertonantis; & de vtero matris,in occursum eius gestiebat erumpere,&c. Chrysologus serm.88. Ioannes ante meruit cœlum scire, quam terram,&c. Simeon Metaphrastes in Oratione de vita, & dormitione Virginis Deiparæ, Ioannes iam ex ventre sciebat seruus Dominum, qui erat in vtero,& cum sensisset eius in mundum aduentum,mirandum in modum lætabatur,hoc enim aperte significabat illa exultatio,&c. Chrysostomus in Encomio Ioannis; Deus Ioāni,qui in ventre erat, reuelauit mysteriū susceptæ carnis æconomiæ,&c. Græcus citatus à D. Thoma in Catena: Reclusus vētre Ioannes,agnouit Dominum, non palpebris inspexit,sed spiritu, &c. Concilium Basilense Sessione quadragesima tertia de visitatione Virginis agit,&, inter alia,ait Saluatorē à suo præcursore tunc fuisse recognitū. D. Antonin. 4. parte Summæ, titulo 15. c.20. paragrapho secundo: Creditur, inquit, Ioannem,qui sex menses habebat in vtero matris,acceleratum obtinuisse vsum liberi arbitrij? iuxta illud Ecclesiæ; *Acceleratur ratio in paruulo nato*. Sic ille. Hæc verba in Ecclesiastico officio nunc non habentur. Clichtoueus in lib. de Visitatione: Acceleratus est in Ioanne vsus rationis, vt cognouerit Dominū suum, in vtero Virginis delitescentē. Eandem sententiam sequitur Cardinalis Caietanus Lucæ secūdo; & tertia parte Diui Thomæ, quæstione 37. articulo tertio. Dionysius Carthusianus, & alij, Eckius in sermone de Baptista, communē illam vocat. In Hymno quoque Ecclesiastico canitur: *Hinc parens nati meritis, vterq; abdita pandit*, merita ergo habebat Ioannes, & ratione vtebatur, Nam sine rationis vsu merita propria esse nequeunt. Verisimilis est hæc sententia.

D August. Iansenius. D. Thom.

An Ioannes in vtero matris præditus fuerit vsu rationis.

D. Ambros. Theophyl. Beda.

Euthym.

D. Leo.

D. Hieron.

D. Chrysol.

Simeon Metaphrastes.

D. Chrysost.

Græcus Concil. Basilianse.

D. Anton.

Clichtoueus.

Card. Caiet.

Carthusian. Eckius.

Quod si roges num hic rationis vsus Ioanni concessus in eo perseuerarit; Ambigit Caiet. Luc. 1. tertia vero parte, q.27. art.3. inficiatur. Attamen si vsus rationis Ioanni datus est, verisimilius videtur in eo *fuisse* perseuerantem: *Sine pœnitentia enim sunt dona Dei*, vt Paulus ait, tantum igitur donum Ioanni datum non abstulit Deus. Præterea quis credat Deum amicissimum sibi infantem, ex homine in pecudem subito commutasse? hominē rationis donum fecerat, in pecudem illius ablatio conuerteret. Sed dices, admirandus

Caietan.

Rom. 11.

mirãdus fuit infans ille,& prodigioſus,qui in matris gremio vſum rationis habuit.Eſto fuerit,talẽ facere Deus potuit,cuius potentia nullis terminis circumſcribitur.Ideò teneris ſub annis,ciuiũ turmas fugit, ideò in ſolitudinem ſe abdidit, ideò non pueri, ſed magni viri viuendi genus, in tenera ætate arripuit.

An alii præter Ioannem gratiam in vtero ſint conſecuti. Gerſon.

Quæret etiam aliquis,an præter Ioannẽ,alij quoque ex diuis in materno vtero diuinam gratiam ſint conſecuti? De Chriſto ſeruatore,& deipara virgine ſermo hic nullus.Spõſum virginis Ioſephũ in vtero gratia exornatum putat Gerſon in ſerm.de Natiuit.Deiparæ.De Iacobo minore nonnulli idem exiſtimarunt,vt D.Antonin.ſcribit 3.par.tit.31.c.8. Iacobus,inquit,Alphæi,vt quidã dicunt,eſt ſanctificatus in vtero matris,&c.Hoc videtur Hegeſippus.ſenſiſſe,cuius hæc verba extant apud D.Hieron.in Catalogo ſcriptorum Eccleſiaſticorum, Iacobus de vtero matris ſanctus fuit,vinum & ſicerã non bibit, &c.Iis addit D.Anton.3.p.ſummę,tit.18.c.5.§.6. D. Nicolaũ,& D.Dominicũ: Legimus,inquit,Ieremiã ſanctificatum.Aliqui hoc etiam credunt de D.Nicolao,qui natus ſtetit rectus,& de B.Dominico, quia iã in cunis,egrediens lectum iacebat in terra.

D.Anton.

Hegeſippus.

Ex veteri verò teſtamento,Iacob in vtero originali peccato liberatus,ab aliquibus creditur. Creditur(ait Comeſtor c.66.hiſtorię in Geneſim)in vtero ſanctificatus fuiſſe Iacob,& in colliſione infantium præfiguratum,quod non eſſet conſenſus Chriſti ad Belial. Hæc ille.Et Dionyſius Carthuſ. dum verba illa,c.28.Geneſ. *Ero cuſtos tuus quocunque perrexeris,* explicat: Magna,inquit, promiſſio,ex qua ſequi videtur,quòd Deus in omnibus præſeruauit Iacob deinceps a culpa mortali,forſitan & ante,maximè,cum credatur ſanctificatus in vtero,& c.25. Auguſtinum in hanc ſententiam ducere vult. In ea eſt Ambroſius lib.4.de fide,c.4.Negent, inquit, Iacob ſanctum fuiſſe priuſquam naſceretur, qui fratrem ſupplantauit,in materni adhuc vteri poſitus arcano, &c. ex opinione Sancti Ephræm, in oratione de transfiguratione Chriſti, Moyſes addi poteſt . Surſum,inquit, diſcipulos ducit in montem,& oſtendit eis ſe non eſſe Eliam,nec Moyſem,ſed Deum Eliæ,& qui ſanctificauit Moyſem in vtero matris, &c. Sanſonem quoque adnumerandum illa verba ſuadent.*Erit Nazaræus Dei,ab infantia ſua.& ex matris vtero.*

Comeſtor.

Carthuſian.

D. Ambroſ.

S.Ephram.

Iudic.13.

Reſpondendum eſt,certum eſſe Ioannem in vtero matris ſanctitatis eximium à Chriſto donum accepiſſe. De cæteris commemoratis incertum, imò probabilius eſt,nõ fuiſſe in vtero ſanctificatos,nulla enim firma ratione huiuſmodi opiniones ſtabiliuntur.Verba autem illa, quæ Sanſonem in vtero ſanctificatum ſuadent;aliud ſignificant, nimirum ex vtero Nazaræorum legibus ſubiectum fuiſſe,non autem diuina gratia ſanctificatum.

Reſpondetur quæſt.

De Ieremia maior eſt dubitandi ratio , nam ait Dominus:*Priuſquam te formarem in vtero,noui te, & antequam exires de vulua, ſanctificaui te,* id eſt, gratia ſanctificante donaui, quid clarius? Nihilominus Abulenſ. in Comment.lib.Iudicum c.13. q.17.ait,de Ieremiæ ſanctificatione eſſe problema neutrum,neque poſſe ſcripturæ auctoritate partem affirmantem probari. Nã illud Ieremię teſtimonium,alium habere poteſt ſenſum huiuſmodi; Antequam exires de vulua, ſanctificani te,hoc eſt,præparaui, & præordinaui te in Prophetam:Verbum enim hebręum,cadas, ſanctificare,& præparare ſignificat,vt: *Ego mandaui ſanctificatis meis,* id eſt,Medis,& Perſis: Inferes ne hinc Medos & Perſas fuiſſe ſanctificatos? minimè,ſed præparatos à Deo,ſiue conſecratos ad bellum. Ierem. *Sanctificate ſuper eam bellum.*Ierem. *Sanctifica eos in die occiſionis.*Sophon. *Præparauit Dominus hoſtiam, ſanctificauit vocatos ſuos,* id eſt,præparauit Iudæos tanquam victimam,vocauit Chaldæos ſanctificatos, per quos victima immolaretur.Itaque Chaldæi interpres in Biblijs Regijs,illa verba; *Antequam exires de vulua, ſanctificaui te,* ſic interpretatur: Antequam venires in mũdum,paraui te, & Pagninus in lexico: Sanctificaui, inquit,te,vel pręparaui te ſecundum Thargum,&c.

An Ieremias fuerit ſanctificatus in vtero. Abulenſis.

Iſaia 13.

Ierem.6. Ierem.12. Sophon.1.

Ieremias in vtero eſt ſanctificatus.

Hanc interpretationem innuit Chryſoſt.in commentariis epiſt.1.ad Rom.ad illa verba Pauli,ſegregatus in Euangelium Dei. Quemadmodum, inquit, in familia aliqua,ad diuerſa quiſque opera ſegregatus eſt,ſic & in Eccleſia,diuerſæ ſunt adminiſtrationum diſtributiones;mihi porrò videtur,hic nõ ſortitionem modo ſignificare,ſed quod iam pridem atque è ſupernis ad hoc ordinatus eſſet. Quod & Ieremias ait,de ſe Deum dixiſſe: *Antequam ex vulua egrederetis, ſanctificaui te, Prophetam in gentes te conſtitui* . Hæc Chryſoſt. Theophylactus eodem modo:Segregatus, inquit,hoc eſt,ſelectus ad Euangelij miniſterium, alias autem,& ſegregatus, pro eo quod eſt prædeſtinatus ad hoc,accipitur. Vt cum ad Ieremiam Deus ait: *Priuſquam exires de matrice, ſanctificaui te.* Quin ipſe Paulus: *Quando,* inquit, *viſum eſt ei, ſegregare me ex vtero matris meæ,* &c. Et Theodoretus Ierem.1. dum verba de quibus quæſtio eſt, *Antequam exires de vulua ſanctificaui te.*Exponit:Verbum,inquit,ſanctificaui, poſuit, pro ſegregaui.Idem Theodoretus in commentariis Pſal.57. ad illa verba: *Aliénati ſunt peccatores à vulua.* A vulua(inquit)& à ventre addidit;quippe, quia Deus ante creationem,ea quæ ipſis euentura erant, prænouerat:eodem enim modo Ieremiæ dixit, *antequam formarem te in vtero noui te; & antequam exires ſanctificaui te,* & non Pharaonem impium, & Ieremiam ſanctũ fecit.Sed quòd Deus tanquam Deus,ea,quę euẽtura erant pręſciuerit,&c.Elias item Cretenſis,in Commentariis orationis primæ Greg.Nazian.Ieremias, ait,antequam effingeretur,Deo notus erat;atque ab eo ante vuluam ſanctificatus ; hoc eſt, ipſi in miniſterium aſſignatus.*Factum eſt* (inquit)*Verbum Domini ad me dicens;priuſquam te formarem,ex vtero noui te, & antequã è vulua egrederetis ſanctificaui te.* Atque eodẽ modo Paulus:*Qui ſegregauit* (inquit)*me de vtero matris meæ,vt annũtiem eum inter gentes*:Hactenus Elias; Adde Hieronym, eadem verba explicantem.Quod(ait) ſanctificatur Ieremias in vtero,iuxta illud Apoſtoli debemus accipere.*Poſtquam autem placuit ei,qui me ſegregauit de vtero matris meæ, & vocauit per gratiam ſuam; vt reuelaret filium ſuum in me.* Ioannes quoque Baptiſta ſanctificatur in vtero; & Sanctum ſpiritum accipit, &c. Non ergo certum eſt Ierem. in vtero accepiſſe à Deo gratiæ munus.Fauet Auguſt.epiſt.57.ad Dardanum.

D. Chryſoſt.

Theophyl.

Gal.1.

Theodorit.

Elias Cretenſis.

Gal.1.

Attamen veriſimilis eſt affirmans ſententia,quæ verbum,ſanctificaui,in propria accipit ſignificatione;propter eorum autoritatem,qui illam ſequũtur. Nam eſſe Ieremiam in vtero ſanctificatum , ſentit D.Greg.Naz.oratione 1.Poſtquã(inquit)vnius Ieremiæ, antequam crearetur cogniti, & ab ipſa vulua ſanctificati, mentionem fecero, &c. Fateor tamen poſſe explicari verba Gregorij vt exponit Elias. D. Hieron.Ierem.23.Ieremias virgo, Propheta,ſanctificatuſque in vtero, ipſo nomine præfigurat Saluatorem,&c.Et lib.1.aduerſus Iouinianum;Ierem.qui in vtero ſanctificatus eſt,& cognitus in vulua matris; ideò hoc priuilegio fruitur , quia virginitatis erat beatitudini deſtinatus,&c. D.Ambr. Luc.1. Viuendi ſubſtantiæ,præcurrere ſanctificandi gratiam,potuimus aduertere, cum dicit Dominus Ierem.1. *Priuſquam te formarem in vtero noui te; & priuſquam exires de vulua ſanctificaui te,*&c.D.Athanaſius ſermone 4.contra Arianos; Permulti fuere viri ſancti, puri omnis criminis; ſiquidem Ieremias ex vtero ſanctificatus fuit;& Ioannes,dum adhuc à grauida matre geſtaretur,exultauit in gaudio, &c.

Ierem.1.

D.Greger. Nazianz.

D.Hieron.

D.Ambr.

D.Athan.

Ber-

D. Bernard. Bernard.epiſt.174. Ieremiæ ſic dictum eſt; *Priuſquam te formarem in vtero, noui te, & antequã exires de vulua, ſanctificaui te.* Quam pulchrè inter figurationem in vtero, & parturitionem ex vtero, diuinum diſtinxit oraculum: vt illam tantum præcognitam, iſtam & ſanctitatis munere præornatam, oſtenderet, ne quis Prophetæ prærogatiuã de ſola præſcientia, ſeu prædeſtinatione putauerit æſtimandam. Eſto tamen, vt hoc de Ieremia concedamus; quid reſpondebitur de Ioanne, quem Angelus prænuntiauit, Spiritu S. repletum iri, adhuc in vtero matris ſuę? Prorſus hoc ad prędeſtinationem, præſcientiam ve referri poſſe nõ arbitror. Hęc Bernard. Non tamen negat poſſe concedi de Ieremia, verbã illa ſecundum prędeſtinationem, & præſcientiam dicta. Rupertus, in Commentariis Ieremię; in typum eius, qui antequam ex vtero Rupertus. virginis, homo conciperetur, apud Deum erat Deus: D. Iſidorus. Ieremias in vtero matris ſanctificatur, &c. D. Iſidorus in lib. de vita, & morte ſanctorum; Ieremias antequam plaſmaretur agnitus; antequam procederet Maxentius. ſanctificatus. Ioannes Maxentius, in Dialogo contra Neſtorianos, lib. 1. Ioannes Baptiſta, & Ieremias, in ipſa formatione ſanctificati ſunt, &c. Imò poſt formationem, id eſt, conceptionem; dum adhuc eſſent Origenes. in vtero. Origenes hom. 1. in Ieremiã; Ieremias præcipuum inter cunctos conſecutus eſt donum, dicẽte Domino: *Prius quam te plaſmarem in vtero noui te, & prius quã exires de vulua ſanctificaui te*, &c. Card. Petrus Dam. Card. Petr. Dam. in ſerm. de Baptiſta, Ieremię admiranda fuit ſanctificatio; quia etſi in peccato conceptus eſt, naſcitur tamen ſine peccato, &c. Eandem opinionẽ ſequitur Lyranus. Lyranus, in Commentariis 1. cap. Ieremiæ: Dionyſ. Carthuſian. Carthuſ. Card. Hugo, D. Thom. 3. p. q. 27. artic. 6. Quo Card. Hug. loco docet, ſanctificatis in vtero, præſtitum credi, vt D. Thom. de cętero mortaliter non peccarent; diuina eos gra- D. Bonau. tia protegente. D. Bonauent. in 3. ſententiarum, d. 3. Durandus. q. 3. Durand. eadem diſt. q. 2. Paludanus, q. 1. & alij. Paludanus.

CAPVT XIII.

De Cantico Deiparæ Virginis.

PRimum veteris teſtamenti canticum, in actionẽ gratiarum decantatum, Maria Moyſis ſoror, ob demerſum mari rubro Pharaonem cecinit. Primum vero noui teſtamenti nouum canticum, multo prę- Exod. 15. ſtantior Maria, Dei Mater, ob maximum incarnationis beneficium edidit. Id verò pſalterij inſtar, decem verſibus, quaſi decem chordis, cõſtat, Veluti in Pſalterio igitur decem chordarum Virgo, ſuauiſſima voce pſallit; iuxta illud vatis: *In pſalterio decem chordarum pſallite illi. Magnificat* (inquit) *anima mea* Dominum, quaſi dicat, Magnificas me ô Eliſabeth; aſt ego Deum magnifico. Laudas me, has laudes omnes in Deũ, à quo cuncta bona accepi, reiicio. Exultauit infans in vtero tuo; ſpiritus quoque meus, non in laudibus meis, ſed in Deo ſeruatore meo, exultat; &c. Ex ore virginis cãticum Eccleſia didicit, quod veſpertinis canit horis; faxit Deus, vt canora voce, abſq; vlla peccati raucedine, à nobis decantetur. Vt enim Origenes ait; peccatum raucedo eſt animæ, homil. 6. in lib. Iudicum; Quis (inquit) putas ita canorę vocis eſt, & ita ſpiritus puræ mentis; qui ſincerè canat, vt cantilena eius diuinum poſſit delectare auditum? ille qui nullum raucum habet peccati ſonum, &c.

Luc. 1.

Canticum Virginis Pſalterio ſimile. Pſal. 32.

Peccatum raucedo eſt animi. Origenes.

Magnificat anima mea Dominum.

Alij tibijs, Pſalterijs, citharis, muſicisque organis, Deum laudent; optima quidem ea laus, & templis Dei digniſſima. At Virgo intemerata, anima, & ſpiritu illum magnificat; hoc illius Pſalterium eſt, hoc muſicum organum. Nam Deus muſica illa valde delectatur, quam animi & cordis voces efficiunt, adiuncta lingua veluti cithara. *Magnificat* (inquit) *anima mea Dominum.* Magnificauit Dominus virginem: Virgo nunc magnificat Dominum; ſed magnum eſt inter vtrãque (vt ita dicam) magnificationẽ diſcrimẽ. Deus virginẽ magnificauit, quia magnã fecit; virgo Deum magnificat, non quia magnum facit, ſed quia magnum eſſe, & potentem, ſanctumque prædicat.

Origenes, homil. 8. in Lucam docet eum magnificare Dominũ; qui animã ſuam, quę Dei imago eſt, magnam virtutibus facit, quemadmodum is regem dicitur magnificare, qui regis imaginẽ egregiè pingit. Cum, inquit, grandem fecero imaginem, id eſt, animã meam, & magnificauero eam, opere, cogitatione, ſermone, tunc imago Dei grandis efficitur, & ipſe Dominus, cuius imago eſt, in noſtra anima magnificatur. Et quomodo creſcit Dominus in noſtra imagine, ſic ſi peccatores fuerimus, minuitur, ac decreſcit. Hæc Origenes. Et Theophylactus Luc. 1. Magnificas, inquit, Deũ, qui dignè iuxta Deũ ambulas, vocatus Chriſtianus, nõ attenuans nomẽ & dignitatẽ Chriſti, faciendo quod non oportet, ſed magnificans operando magna, cœleſtiaque opera, &c.

Is magnificat Dominũ, qui imaginẽ Dei, id eſt, animã magnam facit.

Origenes. Theophyl.

Si is Deum magnificat, qui animã ſuam, quæ Dei imago eſt, virtutibus magnã facit, vide quantũ magnificauerit Virgo Deum, quæ animã ſuam, tam fecit, Dei ſingulari ope magnam, vt cunctis ſeraphinis præcellat. Si is regem magnificat, qui illius imaginẽ pulchre pingit, expende quantum magnificauerit Virgo æternum cœlorum regem, quæ animam ſuã illius imaginem pulcherrimis omnium virtutum coloribus ita depinxit, vt omnium Angelorum pulchritudinem ſuperet. Meritò ergo ait, *Magnificat anima mea Dominum*, magnificat, inquam, corde, magnificat ore, magnificat miraculis, quæ in virgine maxima Deus patrauit, magnificat ſanctiſſima vita, virtutumque decore admirando.

Diſcamus ex optima virtutũ magiſtra Deum magnificare, id eſt, laudare, tum ore, tum etiam vita, atque exemplo. Ad hanc laudem perpetuo nos inuitat Eccleſia mater noſtra, auribus noſtris ſemper inculcans hebræum illud, halleluia, quod idem eſt, ac laudate Deum. Etenim hoc eſt Eccleſiæ, filiorumq; eius omnium munus, Deum laudare, iuxta: *Beati qui habitant in domo tua Domine, in ſæcula ſæculorum laudabunt te, in domo Dei*, id eſt, Eccleſia, *habitamus*, Deum ergo laudibus perpetuo celebremus: ait Vates; *te decet hymnus Deus in Sion*, id eſt, in Eccleſia. Vnde Aug. in Commẽtarijs Pſal. 54. Laus, inquit, Dei à corde & ore Chriſtiani recedere non debet, &c. Et Eccleſiaſticus: *Obaudite*, inquit, *me diuini fructus*, id eſt, Dei filij, *& quaſi roſa plantata ſuper riuos aquarum fructificate*, id eſt, germinate, *quaſi libanus*, id eſt, thus, vel mons, *odorem ſuauitatis habete, florete flores*, id eſt, producite flores quaſi lilium, & date odorem, *& frondete in gratiam*, id eſt, frondes proferte oculis gratas, frondete gratioſe. *Et collaudate canticum. & benedicite Dominum in operibus ſuis, date nomini eius magnificentiam, & confitemini illi, in voce labiorum veſtrorum, & in canticis labiorum, & citharis*, &c. Quaſi roſa odoris ſuauiſſimi, fructificant ij qui Deum laudant, quaſi libanus, ſuauem Deo laudis odorem offerunt, producunt ex ore lilia, floreſque pulcherrimos, frondes amœniſſimas proferunt.

De laude Dei.

Pſal. 83.

Pſal. 64.

Eccleſ. 39.

At meminerimus, totum hominem non dimidiatum tantum modo in diuina encomia conferendũ, Deumque non lingua ſolùm, ſed vita quoque tota, eſſe laudandum, quod Auguſtinus docet Pſalm. 148. his verbis: Cum laudatis, Deum toti laudate, cantet vox, cantet vita, cantent facta, Deum toti laudate, &c. Quemadmodum dulcem muſicam excitatus ſtrepitus, ſic quas ore proferimus laudes, vita pertur-

D. Auguſt.

bat impia. Noli (ait Augustus. Psal. 146. bonæ cantilenæ tuæ obstrepere, moribus malis, &c. Sicut luscinia dulciter canente, molestus est crocitans coruus, ita lingua dulciter Deum laudante, molesti sunt, instar corui, crocitantes atri mores.

Laudandus Deus voce, corde, vita.

O quam dulciter nostra luscinia, id est, virgo integerrima cecinit, nihil in ea musicæ suauissimę obstrepebat, & ore canebat, & vita: imò vita magis, quã ore. Ore enim non semper Deum poterat laudibus extollere, vita semper extollebat. Erat illius vita perpetuum canticũ, & nouum canticum, quia noua vita erat, inaudita, nunquã in orbe conspecta.

Qui bene vixit, Deum perpetuo laudat. D. Augusti.

Hoc habet Dei laus, à vitæ profecta integritate (vt obseruauit idem Sanctissimus Pater Aug. Psal. 146.) cessat nunquam, nunquam silet, cum ea sileat, quæ ex ore emanat. Non solum, inquit Augustin. vox tua sonet laudes Dei, sed & opera tua concordent cum voce tua. Cũ ergo voce cantaueris, silebis aliquãdo, in vita sic cãta, vt nunquã sileas. Lingua tua ad horã

Psal. 148.

laudat, vita tua semper laudet, &c. Et Ps. 148. Tunc, ait, desinis laudare Deum, quando à iustitia, & ab eo, quod illi placet declinas, non cesset quisque benè viuere, & semper laudare Deũ, &c. Cum ergo sanctissima Virgo sanctissimè viuere nunquam cessarit, sanè semper Deum perpetuo suauissimæ vitæ cantico laudauit. Nos aliquando, vel tenuis aliqua peccati raucedo occupat: Virgo, clarissima semper voce, clarissima semper vita, absque vllius raucedinis, id est, peccati vestigio, Dei laudes celebrauit.

Nos frigide Deum laudamus, D. Virgo ardentissimè laudabat, quo ardore laudandum is nouerit, qui ipsius maiestatem animo complectetur omni laude maiorem, vt docet Ecclesiasticus: *Glorificantes*, inquit, *Dominum quantumcunque potueritis, superabit enim adhuc, & admirabilis magnificentia eius.* Benedicentes Dominũ exaltate illũ quantum potestis, maior enim est omni laude. Hæc ille. Ex quibus colliges, quanto cum animi ardore diuinæ laudes prædicãdæ sint. Ex iis quoque, quæ adiungit: *Exaltantes*, ait, *illum replemini virtute*, id est, fortitudine, *ne laboretis, non enim cõprehendetis.* Hoc est, qui Deũ laudatis, robur & vires omnes colligite, totis illum viribus extollite, *ne laboretis*, id est, ne defatigemini, semper laudate, licet enim perpetuo laudetis, laudes illius complecti non poteritis. Vel potius, Deum laudantes, vires intendite omnes, attamẽ etsi omnes intẽdatis, *ne laboretis*, existimãtes, vos posse eius laudes comprehendere, id enim nequit fieri.

Eccles. 43. Deus ardenti laudandus est animo

Eccles. 43.

Exultauit spiritus meus in Deo salutari meo.

Hoc loco spiritus & animæ vocabulo idem significat virgo, nempe ipsam animam, quæ & Deum laudabat & in eo exultabat. Aliquando tamẽ anima inferiorem animæ significat portionem, quæ nobis cum cęteris animantibus communis est, spiritus verò superiorem, quę homines Angelis similes reddit.

D. Thomas.

Spiritus (ait D. Thomas ad Hebræos, cap. 4.) in nobis dicitur illud, per quod communicamus cum substãtiis spiritualibus, anima verò illud, per quod cõmunicamus cum brutis. Et sic spiritus est mens humana, scilicet intellectus & voluntas. Hæc D. Thom. &

Spiritus quid sit, & anima D. Augusti.

Augustus. l. 12. de Genes. ad literam c. 7. Dicitur, inquit, spiritus, ipsa mẽs rationalis, vbi est quiddam tanquã oculus animæ, ad quem pertinet imago, & agnitio

1. Thess. 5.

Dei, &c. Indicat hoc discrimen Paulus his verbis, *vt integer spiritus vester, & anima, & corpus conseruetur*, &c.

Nyssenus.

Quem locum Greg. Nyssen. apud Theophylactum, sic interpretatur: Spiritum dicens Apostolus, rationalem partem indicauit, animam verò dicens, indicauit partem sensitiuam, &c.

Exultauit autem virginis spiritus in Domino, hęc illius lætitiæ semper causa fuit, hæc gaudij materia. Exultauit, inquit, spiritus meus in Deo salutari, Græcè σωτῆρι, id est, seruatori meo, quasi dicat, exultauit in Deo; propter eximium incarnationis opus, per quod seruator meus est, hoc enim opus præ oculis tunc habebat, hoc animo versabat. Delectabatur illa quidẽ in omnibus Dei operibus, iuxta illud: *Delectasti me Domine in factura tua, & in operibus manuũ tuarũ exultabo.* Verumtamẽ nunc, in hoc incarnationis summo nouoque opere, summo, nouoque exultat gaudio.

Causa lætitiæ Deiparæ Deus erat.

Psal 91.

Vidit Abraham diem Christi (vt Christus ipse asserit) *vidit, & gauisus est*, magna fuit Abrahæ lætitia, cum diẽ Christi vidit, non tamen potest Abrahæ lætitia cum lætitia virginis conferri, quæ Christum ipsum suo gestabat vtero. Si infans Ioannes in vtero exultat, quantum erit Virginis gaudium, quæ tantæ exultationis causam in sanctissimis habet visceribus. O beata Maria (ait Rupertus Cant. 1.) inundatio gaudij, vis amoris, torrens voluptatis, totam te operuit, totamque obtinuit, & sensisti quod oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, ob redemptionem Sionis lætantur, canuntq; Israëlitæ, hunc in modum: *In conuertendo Dominus captiuitatem Sion, facti sumus sicut consolati, tunc repletum est gaudio os nostrum, & lingua nostra exultatione, tunc dicent inter gentes, magnificauit Dominus facere cum eis, magnificauit Dominus facere nobiscum facti sumus lætantes*, &c. Propter redemptionem Sionis canunt lętanturque Israëlitæ, ob redemptionem mundi nouum canit Canticum, exultatque Virgo. Cum Dominus captiuitatem mundi conuertere iam inciperet, facta est Virgo sicut consolata, imò incredibilem animo percepit consolationem, tunc repletum est gaudio os eius: & lingua eius exultatione. Tunc dictum est inter gentes, magnificauit Dominus facere cum illa, facta est lætans, & exultauit spiritus eius, in Deo salutari suo.

Ioan. 8.

Rupertus. Magna Virginis lætitia.

Psalm. 125.

Appellat autem Deum seruatorem suum, cõmune beneficium, sibi faciens peculiare, etenim seruator est humani generis Christus. At virgo suum seruatorem vocat, propterea, quod charitate incensus, gratusque animus, commune beneficium ad agendas gratias sibi facit peculiare. Vnde Paulus de Christo loquens, sic scribit: *Qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me.* Quid facis Paule, (ait hoc loco Chrysost.) dum communia, propriè tibi vendicas? quæque pro toto terrarum orbe facta sunt, tibi facis peculiaria? Cum consideraret Apostolus infirmitatem humanę naturæ, & ineffabilem Dei solicitudinem, tum quibus ipsum malis liberasset; quæ bona largitus esset, inflammatus illius desiderio, hũc in modum loquitur, quando quidem, & prophetæ, non raro Deum communem, sibi proprium faciunt, hoc modo loquentes: *Deus, Deus meus, ad te de luce vigilo.* Præterea vero declarat Paulus, hoc quoque par esse, vt quisque nostrũm, non minus agat gratias Christo, quã si ob ipsum solum aduenisset. Neque enim recusaturus erat, vel ob vnum, tantam exhibere dispensationẽ. Hactenus Chrysost. Theophylact. item: Paulus, inquit, secũ cogitans, à quibus nos liberarit Christus, quid donarit, charitate inflammatus, quod publicũ est, proprium facit, æquè ac Prophetæ, Deus, Deus, meus, inquiunt. Pariter ostendens, quòd tantã oporteat quemuis gratiam reddere Christo, quantam exhiberet, si pro ipso solo mortuus esset, &c.

Commune beneficium gratus homo sibi facit peculiare.

Gal. 2. D. Chrysost.

Psalm. 62.

Theophyl.

Non potuit non esse gratissimus erga Deum Virginis animus, excellẽtissimis beneficiis ornatus. Vt enim aquæ in valles; ita in gratum, beneficiorumq; memorẽ animũ beneficia delabuntur, quod præclare docuit Theodoretus Ancyræ Episcopus, in hom. habita in concilio Ephesino, tom. 6. cap. 10. Solet, inquit, vberior gratia illis obuenire, qui grato animo gratiam accipiunt, tantũ enim plerumque donorũ præstatur, quanta eorum est gratitudo, qui eiusmodi donis potiũtur. Quare cum de accepto dono, donatoris benignitatem grata recordatione agnoscis,

Theodoretus.

non

non modo pro acceptis feciſti ſatis, verum ad maiorum quoque beneficiorum elargitionem donatorē aſtrinxiſti. Hæc ille. Vberrimam igitur gratiam gratiſſimo animo Virgo accepit.

D. Bonauent. c. 3. Meditationum, eius inuentum eſſe ait gratiſsimū illud verbum, & à religioſis viris vſurpatiſſimum, Deo gratias. Ne forte, ait Bonauent. in ſalutatione ſua Virgo à Dei laudibus tolleretur, ſi quis eā ſalutabat, illa pro ſalutatione ſua, Deo gratias reſpondebat, &c. Et D. Antoninus 4. parte ſummæ Theol. tit. 6. §. 2. Virgo, ait, cū vocabatur, reſpōdere ſolita erat, Deo gratias, vt illud modicum verbum non eſſet ſine laude Dei, &c.

Deo gratias dicitur Virginis inuentum D. Bonauēt.

Quia reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ.

Dubium eſt, quid hoc loco vocabulo humilitatis, Virgo ſignificare voluerit? Etenim humilitas & virtutē ſignificat, & abiectionē, atque exiguitatem. Origen. hom. 8. in Lucam, virtutem putat ſignificare. Rupert. Cant. 1. Beda, quoque Luc. 1. Bern. hom. 1. ſuper miſſus, S. Ildephonſus. ſer. 1. Aſſūpt. Simon Caſsianus, Cardinalis Hugo, Dionyſius Carthuſ. & alij. Huic interpretationi illud obſiſtit, quòd humilitatis non ſit, humilitatē prædicare. Cū ergo Virgo, vſq; ad miraculū humilis fuerit, non videtur humilitatem ſuam hoc loco commendaſſe.

Origenes. Rupertus. Beda. D. Bernard S. Ildephonſ. Simon Caſsi. Carthuſian. Card. Hug.

Quid hic ſignificet humilitas. Caietanus Euthymius. Ianſenius. Clarius.

Veriſimilius igitur eſt, humilitatē ſignificare abiectionem, & exiguitatem, vt exiſtimant Cardinalis Caiet. Euthym. Ianſenius, Iſidorus Clarius Orat. 7. & alij. Eſt ergo ſenſus: Deū magnificat anima mea, atq; exultat, quia meā humilitatē, id eſt, exiguitatē, & abiectionē reſpexit, quia miſericordię pleniſsimos oculos, in me abiectā ancillā ſuam coniecit. In hūc ſenſum exponit Catena græca, adiūcta Pſalmis Theodoreti, quaſi dicat Virgo; quę ego ſum ad tantū officiū? ipſe reſpexit, non ego expectaui, humilis nāque erā & abiecta, & nūc à terra in cęlos trāſeo, & ad arcanum miniſterium trahor: Hæc in Catena.

Nomine Græco virtus humilitatis, dicitur ταπεινοφροσύνη, Lucas vero vſus eſt nomine ταπείνωσις, quod nomen Ianſenius ait nunquam ſignificare virtutē humilitatis, ſed abiectionem. At Chriſtus ſe vocat ταπεινὸν, τῇ καρδίᾳ, id eſt, *humilem corde*, & humiles dicuntur ταπεινοί. Poteſt ergo nomen ταπείνωσις, virtutem quoq; ſignificare. & credibile eſt Spiritū ſanctum (ſi tamen vocabulum hebręum, quo virgo vſa eſt, virtutem etiam ſignificat humilitatis) per os virginis virtutem ipſam humilitatis ſignificare voluiſſe, quam ipſa non quidem illo verbo tūc ſignificabat, ſed mente. eodemque verbo exercebat. Reſpexit (inquit) humilitatem ancillæ ſuę.

Ianſenius. Matth. 11. 1. Pet. 5. Iacob 4.

Idem illud eſt ſponſæ: *Dum eſſet rex in accubitu ſuo, nardus mea dedit odorem ſuum*, hoc eſt, reſpexit humilitatē ancillæ ſuæ. Vnde apud Rupertū, Cāt. 1. Sic virgo loquitur: De altiſsimis illis reſpexit Dñs humilitatem meam, hoc eſt, quod dico, *dum eſſet Rex in accubitu ſuo, nardus mea dedit odorem ſuum*. Quid enim eſt, vel erat accubitus regis, niſi cor, vel ſinus patris? dum in accubitu eſſet, *nardus mea dedit odorem ſuum*, & hoc odore delectatus, deſcendit in vterū meū. Olim in Eua malo ſuperbię fętore offenſus, & ob hoc ab humano genere auerſus fuerat. nunc autem delectatus nardo humilitatis meæ, ad genus humanū conuerſus eſt, &c. Bernardus quoq; ſer. 42. in Cantica: Bonus, ait humilitatis odor, qui de hac valle plorationis aſcendēs, perfuſis circumquaq; vicinis regionibus, ipſum quoq; regium accubitum, grata ſuauitate reſpergat. Eſt nardus humilis herba, quā & calidę ferunt eſſe naturæ, qui herbarū vites curioſius explorarūt. & ideo per hanc videor mihi nō incōuenienter virtutē humilitatis accipere, quæ ſancti amoris vaporibus flagret. Hæc Bern. Dū igitur eſſet ſummus rex in accubitu, id eſt, cōuiuio illo cęleſti, D. Virginis nardus, id eſt, humilitas amore incenſa dedit odorē ſuū, Deumq; in terras adduxit. Reſpexit Virgo humilitatē ſuam, id eſt, exiguitatem, id enim quod ex ſe habebat cōſiderabat: Deus vero reſpexit eius humilitatem, id eſt, animi ſummā ſubmiſsionem, qua ſe abiectam ancillam reputabat. D. Antoninus 4. parte, tit. 15, cap. 5. §. 1. Beata, inquit, Maria quanto maior fuit, tanto minor ſibi ipſi videbatur, propter immenſam humilitatem, &c.

Cant. 1.

Rupertus.

Nardus dedit odorem ſuum, id eſt, humilitas, Deipara.

D. Bernard.

De humilitate Virginis.

D. Anton.

Equidē merito Gedeonis vellus Virgo dicitur. In vellus pluuia abſque ſtrepitu deſcendit, in Virginem diuinū Verbum ſummo cum ſilentio venit, nō ſe iactat Virgo, quod Deum conceperit, nihil ſibi arrogat, dignitatē Matris Dei abſcondit, humilē ſe fatetur ancillam. In ſuperbos vero deſcendunt diuina beneficia, diuitiæ, honores, cæteraq; huiuſmodi, vt pluuia in ſuperba tecta, magno cum ſonitu, id eſt, cū iactatione & inſolentia. Non inſoleſcit virgo acceptis donis, imò, vt arbor odoriferis pomis onuſta, ramos deprimit, ac ſubmittit, iuxta illud: *Quanto magnus es, humilia te in omnibus, & coram Deo inuenies gratiam.* Quanto maioribus virgo donis cumulabatur, tanto ſe magis ſubmittebat, ideoque coram Deo gratiam maiorem in dies inueniebat.

Eccleſ. 3.

Hoc in ſponſa illa cœleſti Bernardus obſeruat, ſermone citato. Audierat (inquit) *pulchræ ſunt genæ tuæ ſicut turturis, & collum tuum ſicut monilia*, acceperat & repromiſſionem ornatus aurei, & nihilominus tamē cum humilitate reſpondet, & quanto maiorem ſe audit, tanto humiliat ſe in omnibus. Non gloriatur in meritis, nec inter laudes ſuas, humilitatis obliuiſcitur, quā & humiliter cōfitetur, ſub nardi nomine; ac ſi voce Virginis Mariæ dicat, nullius mihi meriti cōſcia ſum ad tantā dignationē, niſi quod reſpexit Deus humilitatem ancillæ ſuæ. Nam quid eſt aliud, nardus mea dedit odorē ſuū. quam placuit mea humilitas: Non mea, inquit, ſapientia, non mea nobilitas, non mea pulchritudo, quæ nulla erāt mihi, ſed quę ſola inerat humilitas, dedit odorē ſuū. Hæc ille.

D. Bernard.

D. vero Hildephonſus, ſer. 2. de Aſſumpt. In nullo, ait, de ſe præſumpſit D. Virgo, in nullo aliquid de ſe altum ſapit, ſed tota in Deo exultat, & tota eius anima Dominum magnificat. Nihil ſibi attribuit meritorū, nihil ſibi ſe applaudit, ſed ſolūmodo ea, quæ Dei ſunt, requirit, & ſapit. idcirco in illo tota exultat. Solam ſibi vendicat humilitatē ancillæ, quę mater ſaluatoris ab Angelo veneratur, &c.

Hanc Virginis eximiam humilitatem Dominus reſpexit, hāc lętiſsimis oculis eſt intuitus, hac mirū in modum, vt docet Abbas Rupertus, delectatus eſt. Humilitas Virginis, ait ille, Deum vnicè delectauit, velut ſuauis odor, qualis de nullo vnquam vſq; ad ipſum ſpirauit, vel ſpirare potuit ſacrificio, &c. *Reſpexit olim Dominus ad Abel & ad munera eius; Ad Cain autē, & ad munera illius non reſpexit.* Eundē in modū reſpexit ad ſanctiſsimā virginem, & ad humilitatē eius, ad Euā autem, & ad ſuperbiā eius non reſpexit. *Mundi ſunt oculi tui* (ait Habacuc.) *ne videas malū, & reſpicere ad iniquitatem non poteris.* Nō reſpicit Dominus ſuperbiā & iniquitatē, quia ſummopere mūdiſsimis eius oculis diſplicet, reſpicit humilitatē ac ſanctimoniam, quia ſūmopere illis placet. Placuit Deo (ait Rupert. Cant. 1.) quod in fęmineo ſexu videlicet in virgine tātam humilitatē inuenit, à quo initiū ſuperbię generi humano ſuperueniēs, totā maſſā corrupit, &c.

Rupertus. Geneſ 4. Abacuc. 1. Rupertus.

Libenter res pulchras reſpicimus, cum igitur humilitas magna animi ſit pulchritudo, libēter humilitatē Deus reſpicit. quod autē pulchritudo animi ſit humilitas, Bernardus docet, ſer. Cant. 45. Decor (inquit) animę eſt humilitas; eodē loco bis pulchrā, ait, appellari cęleſtem ſponſam, illis verbis: *Ecce tu pulchra es amica mea, ecce tu pulchra es*: tum propter

D. Bernard.

Humilitas Virginis coniuncta cum innocentia.

humilitatem, tum propter innocentiam, eam enim demum admirandam putat humilitatem, quæ cum innocẽtia copulatur. In eo (inquit) qui grauiter peccauit, etsi amanda, non tamen admiranda est, humilitas. At siquis innocentiam retinet, & nihilominus humilitatem iungit, nónne is tibi videtur, geminum animę possidere decorem? &c. Hunc geminũ decorem possedit Virgo, coniunxitq; cũ innocẽtia humilitatem, humilitatem, inquam, admirandã. Sancta

D. Bernard. Maria (ait Bernard. eodem serm.) Sanctimoniam nõ amisit, & humilitate non caruit. & ideo concupiuit rex decorem eius, quia humilitatem innocentię sociauit, &c. Et infrà de spõsa hæc scribit: Merito admiranda, cui sanctitas amissa humilitatẽ nõ attulit, sed seruata admisit, meritò pulchra reperitur, cui neutra defuit pulchritudo. Rara auis in terris, aut sanctitatẽ non perdere, aut humilitatẽ, sanctimonia non excludi, & ideo beata quæ vtramque retinuit, &c. Quæ omnia Deiparę Virgini maximè cõgruũt. Illa enim non rara, sed vnica auis est, quę perpetuã, absque vllius peccati labe sanctimoniam, perpetuamque cum sanctimonia, habuit humilitatem.

Ecce enim ex hoc, beatam me dicent omnes Generationes.

Respexit Virginem Dominus, ita admirabilem fecit, vt ab omnibus generationibus beata prædicetur. Quæ enim est generatio, à qua Virgo Deipara, omnium fœminarum beatissima non appelletur?

Prouerb. 30. *Surrexerunt filij* strenuæ illius mulieris, quæ decantatur, *& beatissimam prædicauerunt.* Similẽ in modũ surrexerunt in mundo Dei filij, *non ex sanguinibus, nec ex volũtate carnis, nec ex voluntate viri, sed ex Deo nati,* & per generationes, sæculaque omnia, beatissimam Deiparam prędicant, & quidem meritissimè. Nam si D.

S. Basilius Seleuc. Petrus (ait S. Basilius Seleucię episcopus, in orat. de Annunciat.) ob id beatus appellatus, Matth. 16. regnique cœlorum claues sortitus est, quod Christum Dei filium palam confessus est, quomodo ea super

Virgo beata ab omnibus generationibus prædicanda. omnes beata prædicanda non est, quæ illum párere meruit, quem ille confessus est? &c.

Si beata dicitur, siue benedicta, inter mulieres Iahel, quod

Iudith. 5. *Iudith. 13.* *si fœræ caput clauo transfixerit,* & Iudith, quod *Holophernem obtruncarit*: Virgo quæ tartarei serpentis caput contriuit, quanto meliori iure beatissima à cunctis nationibus decantabitur: princeps populi Ozias Iudith, quæ Deiparæ imago fuit, hisce affatur verbis: *Nomen tuũ Deus ita magnificauit, vt non recedat laus tua de ore hominum, qui memores fuerint virtutis Domini in æternũ,* &c. Magnificauit Dominũ Virgo intemerata: Dominus vero magnificantẽ, ita magnificauit, vt nõ recedat laus eius de ore hominũ in æternũ, illiusq; encomijs celebrãdis omnes se impares fateantur.

Cant. 6. *Viderunt eam filiæ, & beatissimam prædicauerunt,* &c. Hæreticus qui non viderit, qui qualis Virgo sit non cognouerit, qui cæcus fuerit, is in Deiparam omnes laudes non effundet. At filiæ quæ illam vide-

Viri sancti Virginis laudes prædicãt. runt, quæ illius maiestatem, gratiam, à Deo accepta inaudita dona considerarunt: non beatã solum, sed etiam inter cunctos homines, Angelosque beatissimam prędicarunt. Non est quorumlibet (ait Basilius

S. Basilius. Seleuciæ episcopus, loco indicato) promeritas laudes Virgini persoluere, sed eorum, quæ diuinæ gratiæ lumine, insigniter illustrati sunt, &c.

Vidit D. Virginẽ diuina gratia insigniter illustra-

D. Damasc. tam Damascenus, & beatissimam prędicauit, orat. 1. de Assumpt. Si eorum (inquit) qui iustitiã coluerunt memoria laudibus celebrãda est, ecquis tandem iustitiæ fonti, ac sanctitatis thesauro, laudem nõ adhibeat? Beata es Virgo inter omnes generationes, solaque digna quæ beata prædiceris. Ecce enim beatã te dicent omnes generationes, quemadmodũ ipsa dixisti, te filię Ierusalem, id est, Ecclesiæ viderunt, ac reginę, id est, iustorum animæ, beatam te dixerunt, atque in sęcula collaudabunt. Hęc ille: Et alia multa, quę breuitatis causa sileo.

Vidit Virginẽ magnus Epiphanius, & in sermone de laudibus illius composito, inter cætera: Exili (inquit) voce sum, tardaq; lingua, & minime disertus, vt sic verba facere possim de percelebri, sancta, & Deipara Maria, de qua leuiter loqui nõ debet humana lingua. Pertenuem enim habet vocem illius habita ratione, &c. Item: quid dicam, & quid loquar de sancta Virgine? desideriũ me trahit, vt de Deipara verba faciã, & formido me retinet in silentio, vt qui non habeam facultatem dicendi pro dignitate? &c. *D. Epiphan.*

Vidit illam Isychius, orat. 2. Iure (inquit) omnis grati animi lingua salutat Virginẽ, & Deiparam, ac pro viribus Gabrielem Angelorum principem imitatur. itaque hic quidem dicit ei, Aue, ille vero acclamat, Dominus ex te; iste cognominat eam matrem lucis, ille stellam vitæ, alius Dei thronum appellat, alius templum maius cęlo, alius cathedram, non inferiorem cathedra cherubina, alius item hortũ nõ seminatum, fertilem, incultum, turturẽm mũdam, columbam impollutam, nubẽ pluuias incorruptas cõtinentem, fodinam vnde prodijt lapis totam terram tegẽs, à nullo incisus, nauem mercibus refertã, thesaurum locupletantem. Alij arcam arca Noë latiorem, lõgiorem, & illustriorem. Illa erat animalium arca, hæc arca vitæ; illa ipsum Noë, hæc, Noë, factorem portauit. Hæc ille. *Isychius.*

Deficiet me tempus, si omnes velim commemorare, qui Deiparam viderunt, & beatam prædicarũt, plena sunt sanctorum virorum ora, pleni libri celeberrimis prędconijs, inter quę illud Petri Comestoris *Pet. Comest.* silendum non est, quod apud D. Antoninum extat 3. par. titul. 18. cap. 8.

Si fieri posset, quod arenæ puluis, & vndæ,
Vndarum guttæ, rosa, gemmæ, lilia, flammæ,
Aethera cœlicolæ, nix, grando, sexus vterque,
Ventorum pennæ, volucrum, & pecudum genus omnẽ,
Syluarum rami, frondes, auium quoque pennæ,
Gramina, ros, stellæ, pisces, angues, & aristæ,
Et lapides, montes, conualles, terra, dracones,
Linguæ cuncta forent; minimè depromere possunt,
Quæ sit vel quanta, Virgo regina Maria,
Quæ tua sit pietas, nec littera, nec dabit ætas.

Aduerte illud, ex hoc, significare ex hoc tẽpore, est enim græcè, ἀπὸ τοῦ νῦν id est, ex hoc nunc, ex hoc tẽpore, per sæcula omnia, beatã me dicent, hominum cunctæ generationes; Cum Zelpha ancilla filium Liæ vxori Iacob peperisset, exultans Lia: *Hoc* (inquit) *pro beatitudine mea, beatam quippe me dicent mulieres, propterea q; filiũ, Aser,* id est, beatitudinẽ, *nominauit*: Si ex ancilla filius, tantam Lię attulit lętitiam, quis animo cõplecti poterit, quantã Deiparæ, Deus filius exultationẽ attulerit? *Hoc pro beatitudine mea,* (ait Lia) id est, partus hic beatitudinẽ mihi afferet, *nam beatam me dicent mulieres.* Quid par est Deiparam dicere, quę Deum peperit; cũ hęc dicat Lia ob ancillæ partum, *filiumq; Aser,* id est, beatitudinẽ, *appellet?* quasi vero beatitudinẽ illi Zelpha peperisset. Nõ Zelpha, sed Virgo sanctissima beatitudinẽ peperit, nimirũ Christũ Deũ, qui omnium hominũ, angelorumq; beatitudo est. Hoc, id est, hic partus felicissimus, veri Aser; id est, verę beatitudinis, pro beatitudine tua Virgo sanctissima: *Ecce enim beatam me dicent omnes generationes.*

Quia fecit mihi magna qui potens est.

Causam Virgo reddit, cur beata sit appellanda, videlicet, quia magna fecit illi, qui potens est, hoc est, quia incarnationis admirabile mysteriũ in illius vtero perfici voluit, quia Matrem Dei fecit, virginitatis decore conseruato. Hęc magna sunt, inaudita, stupenda, vt alia omittã, magna quoq;, in Virginẽ collata beneficia, de quibus suprà iam diximus.

Non

Non autem dixit, fecit mihi magna Deus, sed alio nomine appellauit potentem, fecit mihi magna potens: Ita enim græcè: fecit mihi magna ὁ δυνατός, id est, potens, vel ille potens. Etenim in Virgine potẽtiam suam maximè Deus exercuit, quam vndique magnam fecit. Si magnam domum, magno sumptu, si magnã ciuitatem magna celeritate exædificatam cernas, fecit hæc, dices, potens homo. Cum Virginẽ vidimus, quid aliud, quàm magnam Dei domum, ingenti impensa, magnam Dei ciuitatẽ summa celeritate extructam, cernimus? quid igitur dicemus? fecit illam, qui potens est. Qui antiquum illud templum auro vndique radians contemplaretur, potẽtis regis opus esse affirmaret. qui nouum templum, id est, Deiparam, spiritali auro, gemmisq; pretiosissimis, omni ex parte fulgentissimũ intuetur, potentissimi Dei admirabile opus esse proclamat.

2. Par. 2. *Deus potentiam suam in Virgine maxime exeruit.*

Quis poterit præualere, vt ædificet Deo dignam domum? ait Salomon. Etenim nemo Deo dignam domũ, id est, matrem, in cuius vtero nouem mensium spatio habitaret, nisi Deus ipse, potuit exædificare. Fecit illi magna qui potens est, ille domus humilitatis profundissima fundamenta jecit, ille altissimos parietes quatuor, id est, virtutes cardinales quatuor, prudentiam, iustitiam, temperantiam, & fortitudinem excitauit; ille rutilanti auro, id est, charitate, totã conuestiuit; ille cæterarũ omnium virtutum sculpturis, mirandum in modum condecorauit, ille matrem se dignissimam fecit, in cuius visceribus sanctissimis (ô rem stupendam) homo fieret.

Aristoteles.

Parentibus, ait Arist. in fine 8. li. Ethnicorũ, filios parem gratiam referre non posse. At filiũ Deũ nõ nouit, is enim parem potuit gratiam matri reddere. Et reddidit quidem non parem solũ, verũ multo etiã ampliorem, quia fecit illi magna qui potẽs est, nẽpe Deus. Accepit ab ea humanitatẽ, sed hanc accepisse, infinitũ propemodum fuit in matrẽ collatum beneficium. Cæterorum filiorũ procreatio, parentum est beneficiũ, collatum in filios; huius autẽ filij generatio, genitrici fuit præstitũ donum, omne superans munus. Magnam fecit matrẽ magnus filius, magnoq; fœnore, quæ ab illo accepit, persoluit.

Et sanctum nomen eius.

Diuinam sanctitatem celebrat Virgo sanctissima, à quo veluti fonte eximiam sanctimoniam hausit. *Sanctum*, inquit, *est nomen eius*. Nomen rem indicat: cum ergo admirabile dicitur Dei nomẽ glorioſum, vel sanctum, ipse Deus admirabilis, & glorioſus, & sanctus esse intelligitur. Magna Dei laus sanctitas, quamobrem Seraphini illi, quos clamantes vidit Isaias, ter sanctum Deũ inclamabãt: *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus exercituum. Quatuor quoque animalia*, quæ vidit Ioannes, *requiem non habebant die ac nocte, dicentia, Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus omnipotens.* O egregiã laudem, ô suauissimũ diuinis auribus cõcentum, non potest non esse iucundissimus ille cãtus, quem & cantores die ac nocte edunt, & rex die ac nocte audit. Similẽ hymnũ, qui græcè Trisagios, id est, ter Sanctus, appellatur, ab Angelis puero in sublime rapto traditum, scribit D. Ioannes Damas. l. 3. fidei, c. 10. his verbis: Narrãt qui Ecclesiasticam historiã scripserunt, cũ plebs Constantinopolitana ob minas quasdã, Proclo Archiepiscopatum obtinẽte, diuinitus intẽtatas, supplex Deo preces adhiberet: puerum quendam è plebe in sublime raptum fuisse, atque Angelis quibusdã magistris, ter sanctũ hunc Hymnũ didicisse, Sãctus Deus, Sanctus fortis, Sãctus immortalis, miserere nobis. Cũque ad se rediisset, atque id, quod didicerat, retulisset; multitudinẽ vniuersam hũc Hymnũ ceciniſſe, atque hoc pacto impendens periculũ cõquieuisse. Hæc Damasc.

Isai. 6. Deus à sanctitate maxime laudatur. Apoc. 4.

D. Damasc.

In lamina illa aurea, quę põtificis frontem exornabat, hæc verba incisa erant: *Sanctum Domino.* Septuaginta vertunt ἁγίασμα κυρίῳ, id est, *Sanctificatio Domini*, potest etiam verti, *Sanctitas Domini*, vel *Domino*, hoc est, Sanctitas Domini est, quem sensum nostra versio habet: *Sanctum Domino*, hoc est, quod sanctum est, Domino tribuendum est, vt sanctitatis fonti, ac pelago. Itaque à sanctitate Deus in ea corona, siue lamina laudatur, quæ omnibus pontificis ornamẽtis supra caput eminebat. Nos quoque cũ Deũ nominamus, duo illi epitheta addere solemus. Deum dicimus Opt. Max. prius vero optimũ. quã maximum, quia quamuis æqualis omnino sit bonitas Dei, magnitudini, tamẽ vbi bonitas separari à magnitudine potest, satius est esse optimũ quã esse maximũ.

Exod. 28.

Eandem ob causam inter Augustissimæ Trinitatis personas, tertia, ab ipsa sanctitate, non itẽ à potẽtia, vel à magnitudine, vel à sapiẽtia, nomẽ accepit. Nec enim dicitur quasi proprio nomine, spiritus potẽs, vel spiritus magnus, vel sapiẽs, sed Spiritus Sanctus. Cur ita? nimirum, quia sanctitas omnia superat, non quidẽ in Deo, in quo attributa omnia sunt æqualia, sed in nobis, nostræq; modo cognitionis. Eidẽ Spiritui Sancto maximũ incarnationis opus tribuitur: dicitur enim Christus cõceptus ex Spiritu Sãcto, propterea quod eo in opere summa sanctitas tũ in filio fulsit, tum in matre. Solent omnes homines in peccato cõcipi, Christus peccati expers conceptus est, solet in conceptu, carnis cõcupiscentia regnare, in cõceptu illo Virginitas sceptrũ tenuit: solẽt infãtes absq; gratia, & sanctitate gigni, Christus exuberanti gratia, sanctitateq; plenus genitus est. Itaque merito Virgo sanctum Dei nomen celebrat.

Fortasse vero Spiritum Sanctum, hoc nomine intellexit, cuius opera se admirabili cum sanctitate concepisse nouerat. Dixerat Gabriel, Spiritus Sanctus superueniet in te, & virtus, id est potentia altissimi, obumbrabit tibi: Sanctitatis & potentiæ fecerat mentionem Angelus: sanctitatem, potentiãq; prædicat Virgo: *Fecit mihi magna qui potens est*, quasi diceret, virtus, id est, potẽtia, altissimi obumbrauit mihi: *Et sanctum nomen eius*, quasi diceret: Spiritus Sanctus in me superuenit.

Et Misericordia eius à progenie in progenies timentibus eum.

Dei Misericordiam prædicat, quæ in mysterio incarnationis maximè enituit, eam vero latissime se diffundere canit. Est enim Dei misericordia, fluuius ingens in omnes gentes, in omnes generationes, in sæcula omnia exundans: *Misericordia*, inquit, *eius*, subaudi, est, *à progenie in progenies*, id est, per omnes progenies, generationes, & ætates, diffunditur, timentesq; eum complectitur. Psal. *Misericordia Domini ab æterno, & vsque in æternum super timentes eum.* Est misericordia Dei Soli similis. Ostende (petit Ecclesiasticus) *nobis Domine lucem miserationum tuarum*, &c. *Quemadmodum Sol* (vt Dominus ait) *oritur super bonos, & malos*, sic Dei misericordia probos, improbosq; illuminat, ac calefacit, *non enim est, qui se abscondat à calore eius*, vt dicitur: Illa impiũ à cęno impietatis attollit, illa piũ in viã pietatis dirigit, illa caduca bona, illa ęterna largitur, illa opes, illa virtutes donat. Sol à progenie, in progenies, id est, per omnes generationes omniaq; tẽpora lucẽ, misericordia dona diffundit.

De misericordia Dei erga omnes. Psalm. 102. Eccles. 36. Matth. 5. Psalm. 8.

Maximum autem, quod diffundit donum, incarnatio est diuini Verbi, ad quam Ambrosius in Apologia Dauid posteriori, cap. 12. ait respexisse Dauidẽ, cum sic precatur: *Miserere mei Deus, secundum magnam misericordiam tuam.* Magna (ait Ambrosius) misericordia facta est, *quia Verbum caro factũ est, & habitauit in nobis.* Psalm. *Ostende nobis Domine misericordiam tuam, & salutare tuum da nobis*, id est, ostende misericordiam in incarnatione Verbi, in Christo Salutari siue seruatore nostro. Petit à Deo vates, vt misericordias suas

D. Ambros. Psalm. 50. Psalm. 84.

mirifi-

Psal. 16. mirificet: *Mirifica*, inquit, *misericordias tuas, qui saluos facis sperantes in te.* Hieronymus vertit, *mirabilem fac misericordiam tuam.* Equidem tunc cũ homo factus est, mirificauit Deus, admirabilemq; fecit misericordiã suã. Succurrebat enim ante incarnationẽ hominis miserię, absq; labore vllo, per incarnationẽ summis cum cruciatibus eidẽ opẽ tulit, id vero mirificę & ad mirabilis est misericordiæ. O Deum (si fas est dici) prodigum sui, præ desiderio hominis (ait Guarricus ser. 1. in Pentecoste) an non prodigum, qui non solum sua, sed & se ipsum impendit, vt hominem recuperaret, non tam sibi quam homini ipsi, &c.

Guarricus.

Fecit potentiam in brachio suo.

Dixerat D. Virgo Deum respexisse humilitatem Ancillæ suę, nunc potentiam Dei canit, quam per filij incarnationem, aduersus superbos tum dæmonas, tum Iudæos exercuit. Præterito tempore vtitur pro futuro, nempe prophetissa erat, cui ante oculos futura obuersabantur. *Fecit*, inquit, *Deus potentiam, per brachium suum*, id est, filium, brachiũ enim Dei filius appellatur, ex sententia Bedę, Theophylacti, & aliorũ. Potest etiã sumi metaphoricè, quo modo dicitur Deus, *fecisse cœlum, & terram in brachio extento*. Appellatur (ait Caiet.) Verbũ incarnatum brachiũ, ratione humanæ naturæ, quę est velut organũ coniunctum Dei, sicut brachium est organũ coniunctum hominis, &c. Nam quemadmodum homo per brachiũ, tanquam per instrumentum, sibi coniunctũ operatur, ita Verbum diuinum operabatur per humanam naturam, sibi copulatam.

Ierem. 32. Card, Caiet.

Dispersit superbos mente cordis sui, id est, dæmonas. Græcè est, διανόια, id est, cogitatione cordis sui. Duplex sensus esse potest hoc loco. Primus probabilior, dispersit dæmonas superbos cogitatione cordis sui, id est inflatos cogitationibus pectoris, ac tumentes, dæmones enim superbis tument cogitationibus, superbiaque elati sunt. Secũdus. Dispersit superbos dæmonas, mente cordis sui, id est, per cogitationem, & mẽtem cordis sui, ipsis cogitationibus, & consiliis suis irretitos dispulit, iuxta illud: *Comprehendit sapientes in astutia eorum.* & illud: *In operibus manuum suarum, comprehensus est peccator.* Item: *In laqueo isto, quem absconderunt, comprehensus est pes eorum.* ipsa enim Christi mors, quam sunt machinati, illos dispersit. Similem in modum Iudæos inflatos corde Deus dispersit, & ipsa cogitatione sua illaqueauit, de qua cogitatione illud extat apud Ioannem: *Ab illo ergo die cogitauerunt vt interficerent eum*, &c. Interfecerunt, sed ipsa interfectio miseros toto dispersit orbe.

Duplex Sensus.

Iob. 5. Psal. 9. Ioan. 11.

Deposuit potentes de sede, & exaltauit humiles.

De iisdem sermo est, dæmones natura potẽtes de sedibus cęlestibus ob superbiã deiecit, humiles verò homines, in easdem sedes per incarnationem euexit. Similiter, Iudęos opibus, sacerdotio, regno, legisque doctrina potentes, de sede, siue throno, id est è potentia, regno, & sacerdotio deturbauit, humiles ethnicos extulit, ex græco verti potest, *deposuit dynastas de thronis.*

Esurientes impleuit bonis, & diuites dimisit inanes.

Hoc est, esurientes homines, ac omnium spiritalium bonorum egentes, bonis omnibus saturauit, dæmones vero, qui in summis diuitijs conditi sunt, inanes dimisit. Esurientes item Ethnicos, qui vero pane, id est, Dei verbo, cognitione, & gratia, carebãt, bonis impleuit, id est, pane è cœlo descendente satiauit; Iudæos, qui doctrina, lege, prophetis, diuites erant, omnibus bonis nudatos, domo eiecit. Possunt etiam hæc latius ad superbos, vt Nabuchodonosorẽ, Amanũ, & humiles, vt Mardochæũ, & Danielẽ, similesq; referri, illos Deus de thronis deposuit, hos exaltauit. Similis locus extat: *Sedes, inquit, ducum superborum destruxit* Deus, *& sedere fecit mites pro eis.* Radices gentium superbarum arefecit Deus, & plantauit humiles ex ipsis gentibus. memoriam superborum perdidit Deus, & reliquit memoriã humiliũ sensu, &c. eundem in modũ Anna: *Dominus* (inquit) *pauperem facit & ditat, humiliat, & subleuat, suscitat de puluere egenum, & de stercore eleuat pauperem, vt sedeat cum principibus, & solium gloriæ teneat.* Item: *Repleti prius pro panibus se locauerunt, & famelici saturati sunt*, &c.

Ecclesi. 10. 1. Reg. 2.

Suscepit Israel puerum suum.

Suscipere in diuinis literis, significat auxilium ferre, & susceptor auxiliatorem, vel defensorem: *dextera tua suscepit me*, id est, auxilium mihi tulit, me defendit: *dicet Domino, susceptor meus es tu*, id est, defensor, & auxiliator: *Tu autem Domine susceptor meus es.* &c. Idẽ hoc significat loco, *suscepit* Deus *Israelem puerum*, id est, seruum suum defendit, opem attulit per incarnationem. Quo loco legimus: *Tu autem* Domine *susceptor meus es*: hebraicè est, מגני magẽ, id est, protector, vel clypeus, ideoque Hieronymus vertit: *Tu autem* Domine *Clypeus circa me.* Equidem per incarnationẽ Clypeius noster fuit Christus. Etenim diuinæ iustitiæ, vt fortissimum scutum sese opposuit, diuinæ iræ ictus recepit, vulneraque à nobis repulit. hunc Clypeum infelices Israelitę abiecerunt, ideoque omnibus hostis vulneribus patent.

Psalm. 17. Psal. 90. Psal. 3. Psal. 3. Christus Clypeus noster.

Recordatus misericordiæ suæ.

Caiet. & Iansenius volũt interpretem vertisse in hunc modum: *Memorari misericordiæ suæ.* At veram lectionem esse, *recordatus misericordiæ suæ*, constat ex emẽdatione vulgatæ editionis, quamuis enim Græcè sit, μνησθῆναι, id est, recordari, vel vt recordaretur misericordiæ, recte tamen vertitur, recordatus. sensus autem est, suscepit per incarnationẽ populum suũ, recordatus, vel vt recordaretur misericordię suæ. Inculcat virgo misericordiã. vt enim ait D. Leo ser. 1. de ieiunio decimi mensis: Causa reparationis nostræ, non est nisi misericordia Dei, &c.

D. Leo.

Sicut locutus est ad patres nostros, Abraham, & semini eius, in sæcula.

Verbum, loquor, cum accusatiuo casu coniungitur & cum datiuo in latina versione, qui verbum græcum λαλέω, similiter Lucas cum accusatiuo coniunxit, & datiuo ἐλάλησε πρὸς τὸς πατέρας ἡμῶν, τῷ Ἀβραὰμ καὶ τῷ σπέρματι αὐτοῦ. Similis est constructio in Cantico Zachariæ, *memorari testamenti sui sancti: Iusiurandum quod iurauit ad Abraham patrem nostrum*, &c. Verbum græcum, quod significat memorari, cum genitiuo iungitur, & accusatiuo, quam constructionem interpres seruauit.

Primus sensus est, suscepit Deus populum suum, recordatus misericordiæ suę (sicut locutus est ad patres nostros, videlicet ad Abraham & semen eius, id est, Isaacum, Iacobum, & prophetas) in sęcula permansurę. Locutus autem dicitur Deus cum Abrahamo, & semine eius, id est, patriarchis & prophetis, de misericordia per Christi incarnationem mũdo exhibenda. Secundus, Suscepit populũ suum, memor misericordię (sicut locutus est ad patres nostros) misericordię inquam, Abrahamo, & semini eius exhibendę in sęcula. Etenim Messię misericordia, ac redẽptio sęcula omnia cõplectitur. Similis verborum ordo ille est, *iustitia illius in filios filiorum, ijs qui seruant testamentum eius*, hoc est, iustitia illius in filios filiorũ, exhibenda ijs qui seruant pactum eius.

Psalm. 102.

Tertius; Auxilium populo tulit Deus recordatus misericordię suę, sicut locutus est, hoc est, sicut promisit patribus nostris Abrahamo, & semini eius duraturo in sęcula. Nam semen spiritale Abrahami in secula permanebit.

Adde & quartũ sensum huiusmodi, suscepit populum, sicut locutus est ad Patres, &c. recordatus in sęcula omnia misericordię suę: Nã propter Christi

in car-

incarnationem nunquã obliuiſcetur mũdi miſereri Deus; nec continebit in ira ſua miſericordias ſuas.

Parit diuerſas has interpretationes vox (in ſæcula) poteſt enim coniungi, vel cum ſemine Abrahæ; vel cum recordatione Dei; vel cum miſericordia; vt eſt explicatũ. Recordari autẽ dicitur Deus metaphorice. Nulla enim in illum obliuio cadit. quomodo autem hoc loco Iſraelis nomen ſit accipiendum, docet his verbis Euthymius; Dubitabit aliquis quomodo auxiliatus ſit Deus Iſraelitico populo: Chriſtianis enim potius auxiliatus eſt, quam Iudęis. Cui reſpondemus, quòd vetus Iſrael, antiquus eſt populus, nouus Iſraël, nouus populus, id eſt, chriſtianus, pro illo inductus, qui ex omni gente conſiſtit. hunc ergo Iſraelẽ intellige. quod ſi etiam veterem intellexeris, ita quoque ſermo conſtabit, propter illum enim potiſſimum incarnatus eſt, deinde, & ab eis matrem elegit, ac cognatus illorum nũcupatus eſt. Hæc Euthymius.

Euthymius.

Manſit autem Maria cum illa quaſi menſibus tribus, &c.

Dubium eſt, an Virgo cum Eliſabetha manſerit, vſque ad Ioannis ortum. Non manſiſſe cẽſet Theophylactus Lucæ 1. Quia (inquit) paritura erat Eliſabet, abſceſſit Virgo, propter multitudinem eorum, qui ad partum conuenturi erant. Indecens autem Virgini in talibus verſari, & manifeſtum hinc eſt, quod menſe ſexto concepti præcurſoris venit Angelus ad Mariam: & manſit cum Eliſabetha tribus circiter menſibus: Ecce ferme nouem menſes. Hæc ille: Eadem eſt ſententia Nicephori lib. 1. cap. 8. Ruperti Cant. 1. Caietani, Ianſenij Luc. 1. & aliorũ. Suadetur hac ratione; Deipara ad Eliſabetham profecta eſt, ſexto menſe à concepto Ioanne, apud illã mãſit, menſibus ferè tribus nõ integris, ergo quo tempore domum rediit, nondum nouem menſes fuerant expleti, qui inter conceptum, & partum ſolent effluere, atque adeò, nondum Eliſabetha peperat Ioannem. Præterea, poſtquam Euangeliſta, Deiparã domum repetiuiſſe narrat, hæc verba adiungit: *Eliſabeth autem impletum eſt tempus pariendi, & peperit filium*, &c. Ergo poſt Deiparæ diſceſſum peperit.

Theophyl. An Virgo diſceſſerit ab Eliſabetha, antequam Ioannẽ ederet in lucem.

Nicephor. Rupertus Caietanus Ianſenius.

In contrariam ſententiam diſcedit D. Ambroſius Lucæ 1. Tamdiu (inquit) manſit Maria, quamdiu Eliſabetha pariẽdi tempus impleret. Beda. Tamdiu manſit Virgo, donec præcurſoris, propter quam maximè venerat, natiuitatem videret. Euthymius, manſit vſque ad partum apud Eliſabeth, & reuerſa eſt domum, deuitans eos, qui ob natum infantem, ad domum Zachariæ concurrere debebant. Subſcribunt Ambroſio, & reliquis, D. Antoninus prima parte hiſtor. tit. 5. ca. 1. Cardinalis Hugo, Gloſſa interlinearis, & ordinaria, ex Beda Lucæ 1. Simon Caſſianus, Petrus Comeſtor, D. Bonauent. Vitæ Chriſti cap. 5. Lyranus, & alij. Cardinalis Petrus Damiani in ſermone de Ioanne Baptiſta hac de re ſic ſcribit: Fortaſſis vſque in diem natiuitatis Ioannis, glorioſa Virgo cum cognata ſua morata eſt, donec puerum natum ſinu beatiſsimo confoueret, & vno pariete remoto, propinquiorẽ redderet, præſentiæ creatoris. Facile autẽ hoc ex Euangelio cõiectare licet. Alii qui librũ iuſtorũ, diligẽtioribus oculis inſpexerũt, ibi ſe vidiſſe teſtantur, quod ipſa Dei genitrix, felicẽ puerũ, primũ de terra leuarit, & cognatæ partum omni profecuta ſit ſeruitute. Hęc ille.

D. Ambr. *Beda.* *Euthymius.* *D. Anton.* *Card. Hug.* *Gloſſ. Ordin.* *Simon Caſſianus.* *Conector.* *D. Bonauent.* *Lyranus.* *Card. Petr. Dam.*

In hanc Secundam opinionem, quam Lyranus communem vocat, ego propendeo. Confirmatur, quia (vt Beda ait) Virgo ad Eliſabetham venit, vt infantem Ioannẽ cerneret, ergo vſque ad illius natiuitatẽ cum matre manſit. Præterea quis credat Virginem tũc diſceſſiſſe, cum iam propinquus erat dies Ioannis natalis, nec tam mirabilis infantis ortum, paucis diebus expectaſſe, vt filii ſui præcurſorem, Spiritu ſancto admirabiliter repletum in vtero, rationisque vſu donatum cerneret, manibusque ſanctiſsimis contrectaret? At vero dices, virginem partui intereſſe minime decuit, ſed leue ratio habet momentum, potuit enim alium in locum interim Virgo ſecedere, ſi fortè non decuit intereſſe. Maius pondus ineſt argumento, quod ex tempore petitum eſt, illi tamen ſic reſpondemus: Deipara Chriſtum concepit 25. Martij die, profecta eſt ad Eliſabetham, non protinus, ſed poſt aliquot dies, videlicet circiter decimam mẽſis Aprilis lucẽ, Lucas hoc videtur innuiſſe, cum ſic ſcribit: *Exurgens autem Maria, in diebus illis, abiit in montana*, &c. Non dixit: Exurgens in die illa, ſed in diebus illis, quaſi diceret, poſt dies aliquot. Profecta igitur ex ciuitate Nazareth, aliquot dierũ ſpatio, ad ciuitatem vſque illã Iuda iter fecit, apud Eliſabetham cæteris diebus manſit, qui ex menſe Aprili ſupererant, toto præterea mẽſe Maio; Iunio extremo, domum reuerſa eſt. Vnde liquet cũ Eliſabetha quaſi tribus menſibus manſiſſe, vt ait Euãgeliſta, id eſt tribus menſibus non integris, & Ioannis natiuitati interfuiſſe, qui 24. die Iunij in lucem eſt editus, præcurſoremque iam natũ, rationeque pollentem gremio excepiſſe ſuo. Tunc ille magis exultauit, cũ propinquiorẽ ſe vidit, & Deiparæ Virginis & Chriſto, quẽ geſtabat vtero. Quod autẽ Euãgeliſta de Virginis diſceſſu priuſquã de ortu Ioannis ſcribit, id per anticipationem factum intellige, per quã id quod poſterius eſt, priori loco deſcribitur.

CAPVT XIV.

Morale.

POſtquam Virgo Deum caſtiſsimis viſceribus, admirabilem in modum concepit, *in montana*, vt ait Euangeliſta, *cum feſtinatione abiit*. Quo enim (ait Ambroſius) iam Deo plena, niſi ad ſuperiora, cũ feſtinatione contenderet? Hoc iter eſt eorum, qui Deo pleni ſunt, ima deſerunt, terrena aſpernantur, ſuprema petunt, cœleſtia ambiunt. Typicum exemplũ (ait Beda in Lucam) Virgo tribuit, quod omnis anima, quę Verbum Dei mente conceperit, virtutũ ſtatim celſa cacumina greſſu conſcendat amoris, &c. Vt Cerui veloci curſu valles deſerunt, montesque fuga petunt, ſic is vir, qui Deum corde concepit, à terrenis curis recedit, ad cœleſtia contendit, illud Dauidicum canens: *Perfecit pedes meos tanquam ceruorum, & ſuper excelſa ſtatuens me*: hoc eſt, vt exponit Auguſtinus in Commentariis eiuſdem Pſalmi, DEVS perfecit amorem meum, ad tranſcendenda ſpinoſa, & vmbroſa implicamenta huius ſæculi: & ſuper cœleſtem habitationẽ, fixit intentionem meam, &c. Similis eſt vir huiuſmodi etiam aquilæ illi, de qua dicitur: *Numquid ad præceptum tuum eleuabitur aquila, & ponet in arduis nidum ſuum?* non enim humi, ſed in ſublimi loco nidum ſibi conſtruit.

Beda.

In montana cum Virgine relictis infimis rebus aſcendendũ. Pſalm. 17. D. Auguſt.

Tu quoque, ſi ſapis, vola, ad montana cõtende, in his enim ſeruaberis, iuxta illud Angeli ad Loth. *In monte ſaluum te fac*, & illud Rahab: *Ad montana conſcendite, ne forte occurrant vobis reuertentes*; videlicet hoſtes, &c. Multi hoſtes in vallibus ſunt, tumentes in terreno mari fluctus, multa pericula: hęc effugies, ſi in montana virgine duce abeas, in quibus mentis reperies ſolidam pacem, ac tranquillitatem. Nam vt D. ait Cyprianus, in Epiſtola ad Donatum; Vna placida, & fida tranquillitas, vna ſolida. & firma, & perpetua ſecuritas eſt, ſi quis ab his inquietantis ſæculi turbinibus

Geneſ. 19. Ioſue 2.

D. Cyprianus

turbinibus extractus, salutaris portus statione fundatus, ad cœlum oculos tollat a terris; & ad Domini munus admissus, ac Deo suo mente iam proximus, quicquid apud cæteros, in rebus humanis sublime ac magnũ videtur, intra suam iacere conscientiam glorietur. Nihil appetere iã, nihil desiderare de sæculo potest, qui sæculo maior est, &c. Ethnicum Philosophum audi, pudeatque à cõsilio Ethnici, tam longe distare christianum hominem. In Epistol. 84. Seneca; Relinque (inquit) diuitias, aut periculum possidentium, aut onus; relinque corporis voluptates, molliunt, & eneruant, relinque ambitum, tumida res est, vana, ventosa, nullum habet terminum; tam solicita est, ne quem ante se videat, quam ne se post alium; laborat inuidia, & quidem duplici. Ad sapientiam te dirige, tranquillissimas res & simul amplissimas pete. Si conscendere hunc verticẽ libet, cui se fortuna submisit, omnia quidem sub te, quę pro excelsissimis habentur, aspicies, &c.

Seneca.

Abijt autẽ Deipara in montana, cum festinatione. Etenim cum festinatione, virtutis iter peragendum est; iuxta illud regij vatis: *Viam mandatorum tuorum cucurri.* Quocirca Chrysost. homil. 28. in Genes. Sicut qui sensibilem (inquit) cursum magna contentione peragit; nullum occurrẽtium videt; etiam si sæpius in illum incidat, sed animo suo ad cursum intento, facile omnia transit, festinans ad destinatũ scopum; eodem modo, qui vt cursum virtutis currat festinat, & a terra in cœlum redire concupiscit, omnia quę videntur deorsum relinquit, & totum se cursui dedit, nec prius subsistit, donec in verticem ascendere potuerit, &c.

Psalm. 118. *D. Chrysost.*

Cum festinatione virtutis iter agendum. Ennius.

Non festinarunt Israëlitæ, ex Ægypto profecti; breui in itinere substitere, & annis 40. vagati sunt. ita & improbi non festinant, sed cunctantur; perque res creatas vagantes in illam terræ, lacte, melleque manantis quietem minimè ingrediuntur. De Fabio cunctatore, dixit olim poëta: *Vnus homo nobis, cunctãdo restituit rem.* at de nostris cunctatoribus merito dicere possumus; Multi homines animi, cunctãdo destituunt rem; rem inquam omnium maximã, gratiam cœlestemque gloriam. Quamobrem Paulus ad

Hebr. 4. properandum exhortatur: *Festinemus* (inquit) *ingredi*

Cant. 2. *in illam requiem*; & cœlestis sponsus: *Surge, propera amica.* &: *Omnes sitientes venite ad aquas, & qui non habetis argentum properate.*

Isaiæ 55. Properabat ad aquas sitiens Psalmographus, & sic canens: *Quemadmodum desiderat ceruus*

Psalm. 41. *ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus, sitiuit anima mea ad Deum fontem viuum, &c.*

Quemadmodum aquam sitiens ceruus, amœnis in pratis non subsistit, donec ad fontem perueniat, sic Deum sitiens homo non cunctatur, donec ad infinitum totius dulcedinis pelagus accedat. Vt canẽ venaticum, celeri cursu odor trahit leporis; ita cor

Cant. 1. humanum odor trahit Dei. *Trahe me potest te* (ait anima illa, quæ odorem Dei perceperat) *curremus in odorem vnguentorum tuorum.* Trahe (inquit) curremus in odorem: Etenim magna est huius odoris ad cursum vis, vt Bernard. indicat serm. 22. Cant. In omnẽ (ait) terram exiuit odor vitæ, quoniam misericordia Domini plena est terra; ergo qui vitalẽ hanc sparsam vbique fragrantiam non sentit, & ob hoc non currit, aut mortuus est, aut putridus, &c.

Percipitur autẽ odor hic, cum orationi, & rerum diuinarum meditationi vacamus; vnde quidam vt

Qui orat. festinat. diximus verba illa: *Exurgens Maria abijt in montana, cum festinatione*; ita interpretantur; Exurgens ab oratione, abiit cum festinatione; sic anima exurgẽs ab oratione rerumque æternarum consideratione, abiit in montana virtutum, cum festinatione; percipit enim Dei cœlestiumque rerũ odorẽ, quo properanter trahitur. Mira sane est similitudo illa, qua

A nasus sponsæ cum turri confertur, hisce verbis: Nasus tuus sicut turris Libani, quæ respicit cõtra Damascũ. Quid naso cum turri? nasi tanta magnitudo non pulchritudinem affert; sed deformitatem. noli in cortice illeræ hærere: frange nucem, nucleum ede. Animæ vim odorandi spiritalem nasus significat, magnus nasus, magna est odorandi, hoc est, res cœlestes, terrenasque explorandi vis. Hac qui pollet, veluti in editissima turri locatus est, ex qua tum cœli delicias & diuitias, tum terræ fœces lutumque intuetur; hęc fugit, ad illas rapitur, & festinat. Vt vero ad centrũ festinat lapis, in centro vero quiescit; ita ad Deum cordis centrum ille properat, & in eo veluti centro conquiescit. De celeri cursu lege Chrysost. hom. 7. ad Hebr. in morali. Cursu (inquit) opus est, eoque vehementi. Qui currit, nullũ videt ex omnibus, etiã si ingrediatur per prata, etiã si per loca arida, & aspera. Non aspicit ad spectatores, sed ad præmiũ, in hoc solũ est, vt currat, vt præmiũ consequatur, &c.

Cant. 7.

B

Præterea cum festinatione, Elisabethã D. Virgo visitans, feruido, celerique animo misericordiæ & charitatis opera perficere docet. Nam vt ait Ambr. in lib. de Abraham cap. 5. Vberiores fructus habet celerata deuotio. quęso expende, quã feruido animo, Abrahamus hospites exceperit: *Apparuerunt ei tres viri, stantes prope eum, quos cum vidisset, cucurrit in occursum eorum*, &c. Chrysost. in Genesim; currit, inquit, & volat Abraham; vidit enim prędam, quã venabatur. Non vocauit famulos, quasi diceret, magna negotiatio est, magnus thesaurus, per memetipsum hanc mercem inferre debeo, &c. Et Ambr. Festinauit Abraham occurrere, quia non satis est rectè facere, nisi etiam matures quod facias. festinanter enim manducare Pascha lex iubet, &c.

D. Ambros. *Genes. 18.* *D. Chrysol.*

C

Alacri animo opera bona præstãda Genes. 18.

Alacri animo excepit hospites (ij Angeli erant) alacri quoque cibos parauit: *Festinauit Abraham in tabernaculum, ad Saram, dixitq; accelera tria sata similæ, commisce, & fac subcinericios panes. ipse vero ad armentum cucurrit, & tulit inde vitulum tenerrimum & optimum, deditq; puero; qui festinauit, & coxit illum*, &c. Vides ne Patriarchę alacritatẽ, ac festinationẽ? Egregie Orig. hom. 4. in genes. Abrahamus, inquit, currit, vxor festinat, puer accelerat, nullus piger est in domo sapiẽtis, &c

Origenes. Sapiens festinat.

D

Sedebat Abraham, cum hospites vidit, in ostio tabernaculi sui in ipso feruore diei, vt dicitur eodem cap. Genes. *sedebat ille in feruere diei*, id est, charitate feruebat, ideoque tãta operabatur alacritate, & festinatione. Ex charitate enim, alacritas ad bona opera præstãda exoritur. In feruore charitatis, Deipara Virgo sedebat, ideoque exurgens, abiit in montana cum festinatione.

Impij verò non in montana virtutum, sed in scelerum voraginẽ, cum festinatione abeunt, ideoque: *Veloces dicuntur pedes eorum, ad effundendum sanguinem*: &: *Pedes impiorum ad malum currunt*: Ierem. quoque impiorum cursus cum cursu equi confertur: *Quare*, inquit Dominus, *auersus est populus iste, auersione contentiosa? apprehenderunt mendacium, & noluerunt reuerti? Attendi, & auscultaui, nemo quod bonum est loquitur, nullus est, qui agat pœnitentiam super peccato suo, dicens, quid feci? omnes cõuersi sunt ad cursum suum. quasi equus, impetu vadens ad prælium*, &c. Quemadmodũ magno impetu, in amarũ mare flumina defluunt, obicesque euertunt, sic celeri cursu impij in tartarũ delabũtur, diuineque legis repagula perfringunt. Contrà verò quemadmodũ iidem fluuij ad irrigãdos arentes agros properant: ita viri probi ad irrigãdos eleemosynis arẽtes pauperes, cęteraque misericordiæ opera præstanda festinant. Quemadmodũ virgo Elisabethã, ita illi pauperes, ægros, in custodiã traditos, calamitatibusque oppressos visitant, opemque pro viribus ferunt.

Psalm. 13. *Prouerb. 1.* *Ierem. 8.* *Impij non in montana sed in voraginẽ barathrũq; properant.*

Vis ne, in sacris litteris fluuiũ videre pauperes irrigantem? Lege Tobiæ librum, hęc leges: *Tobias quotidie* *Tob. 1.*

Ad opera misericordiæ alacritas.

Tob. 2.

Eccle. 11.

Eleemosyna. D. Antonin.

Eccles. 11.

Luc. 18.

Naues mannus sunt pauperum.

D. Chrysost.

Eccles. 24. Gratia Christi fluuius.

Tidie pergebat per omnem cognationem suam, & consolabatur eos, diuidebátque vnicuique prout poterat, de facultatibus suis. Esurientes alebat, nudisq; vestimenta præbebat, & mortuis atque occisis sepulturam solicitus exhibebat, &c. At Deus bone, quanta cum festinatione, hæc sancta opera præstabat: *Nuntiauit ei filius, vnum ex filiis Israel iugulatum iacere in platea, statimq; exiliens de accubitu suo, relinquens prandium ieiunus peruenit ad corpus, tollénsque illud, portauit ad domum suam*, &c. Scilicet, vt sepeliret. Nõ est cunctatus Tobias, sed de accubito suo ad quærendũ cadauer, veluti ad quærendum thesaurum, exilijt.

Thesaurus enim reuera in his misericordię operibus latet, quem postquam è vita excesserimus, cernemus, vnde illud: *Mitte panem tuum super transeuntes aquas; quia post tempora multa inuenies illum*, &c. Hoc est, in agro aquarũ copia irriguo semina sparge eleemosynæ, segetemque metes vberẽ. Hieronymus hoc loco: Ad eleemosynam (ait) cohortatur Ecclesiastes. Quomodo enim, qui super irrigua seminat, fructum semẽtis expectat, ita qui largitur egentibus, nõ granum seminis, sed ipsum panẽ serit, fœnore quodã, multiplicationem ipsius præstolans, & cũ dies iudicij aduenerit, multo amplius quam dederat, recepturus, &c. Hebraice legitur: *Mitte panẽ tuum super faciẽ aquarũ*; id est, super faciẽ terræ aquis irrigatã. Teraciſſima terra est, miseri & calamitosi hominis facies aquis, hoc est, lachrymis, madefacta, in hac semina panem tuum, magno cum fœnore semen reddet.

Aliter quoque verba hæc explicari possunt, hũc in modum: *Mitte panem tuum super transeuntes aquas*, id est, mitte panem tuum in mare: vt in longinquam cœli regionem nauibus deportetur: *Et post tempora multa*, cum efflaueris animam, *inuenies illum*. Sed quænã sunt naues, quibus panis noster deportatur? pauperes sunt. Quemadmodũ nauibus, merces minoris pretij, in longinquas regiones exportantur, vt cum aliis pretiosioribus commutentur, sic pauperũ manibus, panis, pecunia, vestes, & huiusmodi alia in cœlũ deferuntur, vt pro iis parui pretii rebus, infiniti pretij gloria retribuatur. Hoc Christus docet, cũ diuitem quendã sic alloquitur: *Omnia quæcumque habes vende, & da pauperibus, & habebis thesaurũ in cœlo*. Quasi dicat, onera tuis diuitiis naues, id est, pauperes, in cœlum viles opes deferent, & cũ pretiosissimo thesauro commutabunt.

Solent naues mercibus onustæ sæpe facere naufragiũ, at hæ naues, id est, pauperes, in portum semper saluis mercibus inuehũtur. Quod enim pauperi dederis, Deus absque dubio repẽdet. Quamobrem aureum Chrysostomi os, vt opes ex terra in cęlum, hac tutissima nauigatione transferamus, hom. 48. in ca. 24. Geneseos his verbis adhortatur: Omnia faciamus, ne alibi egeni simus futuri. Nã quę vtilitas, in aliena regione multas diuitias relinquere: in patria autẽ necessariis carere? Itaque oro, festinemus, dũ adhuc tempus est, vt illuc transferamus etiã quę in hac aliena habemus. facilis transuectio est, secure illuc trãferimus, & in thesauro indepredabili reponimus, quęcũque per pauperũ manus præmittimus. Hęc ille. At nos in festinatione cũctamur; ad alia festinemus, & quid in mõtanis actũ sit cõsideremus.

Ego quasi trames aquæ immensæ de fluuio: ego quasi fluuij diorix? & sicut aquæ ductus exiui de paradiso. Dixi, rigabo hortum meum plantationum: & inebriabo prati mei fructum. Incarnatę sapientię verba sunt hęc; quæ de paradiso, id est, patris pectore, veluti vberrimus immẽsę aquę ductus, trames, siue diorix (idẽ enim hęc vocabula significant) ad irrigandas plantationes, hoc est, hominum arẽtes animos, in mundum exiuit, in D. Virginem primo influens, gratiæ admirabilem copiam induxit. Ad arborem deinde, quam summopere diligebat, id est, Ioannem festinans, cœlestiũ bonorum optato liquore illum irrigauit, spirituque cõpleuit, de quo eodẽ cap. *Spiritus* (ait) *meus super mel, dulcis*. Iuxta illud Angeli ad Zachariam: *Spiritu Sancto replebitur, adhuc ex vtero matris suæ*. Dulcior melle fuit infanti diuinus Spiritus, hoc mel, hoc butyrũ, quia comedit in ipsa infantia: *sciuit reprobare malum, & eligere bonum*: reprobare mundum, eligere solitudinem. *Luc. 1.*

O terque quaterque beatam domum illã, quam Christus cum matre visitat, tota Spiritus Sancti donis benedictioneque completur: *Habitauit arca Domini in domo Obed Edom, tribus mensibus: & benedixit Obed Edom, & omnem domam eius*. Habes præclarã visitationis huius imaginem, Sanctissima Domini arca Virgo integerrima, quæ Deũ in vtero ferebat absconditum, Elisabethã inuisit; tribusq; apud illã mensibus mansit, & benedixit Dominus totam domũ illam. Vis videre quo benedixerit modo? A minimo cępit infante maximus infans; à Ioanne Christus, Ioannẽ matris vtero concluſũ, primo benedixit: *De rore cœli fuit benedictio illius, non de pinguedine terræ*; Etenim iam cœli rorauerant desuper (quod Isaias postulabat: *Rorate cœli desuper.*) rorem iam miserant cęlestem. Is hodie Ioannis animum irrorauit. *2. Reg. 6.* *Visitatio Christi, & beata virginis, domam bonis omnibus complet.* *Genes. 27.* *Isaiæ 45.*

Terræ pinguedini non fuit in hac benedictione locus; quę pinguem sensum hominis reddit, onerat, oculosq; claudit: *Operuit faciem eius crassitudo*: Faciem crassirudo operit (ait Greg. eodem loco) quia desiderata terrenarũ rerum abundantia oculos mentis premit, &c. *Prodiit* (ait psalmographus) *quasi ex adipe iniquitas eorum*. Adeps (inquit Theod.) felicitatem, & prosperitatem significat: ait ergo vates eos, qui in secundis rebus sunt, solere magna cum licentia delinquere. Hæc ille. Iniquitas ex pinguedine terræ prodit, è rore cœli sanctitas. *Iob 15.* *D. Gregor.* *Psal. 72.* *Theodoret.*

Originarij peccati macula inquinatus erat Ioannes, quãuis enim mons fuerit altissimus, tamen omnes montes (præter Christum, & Deiparam) originarii peccati diluuiũ operuit. At loquente Virgine, repente macula absterſa, sanctitasq; infusa est; Dauid *cithara sonante spiritum malum à Saule expulit*: noster Dauid Christus, virgine matre loquente, peccatũ à Ioanne eiecit: *Posuerunt signa sua, signa, sicut in exitu super summum*; hoc est (vt Theodoretus exponit) trophæa, quę signa, & indicia victorię sunt, erexerunt, supra portas nostras. D. Hieronymus vertit, Posuerunt signa sua in trophęum, manifesta in introitu desuper. Hostes Dei vexilla sua supra portas in introitu posuerunt. portę, per quas in hanc vitam ingredimur, conceptiones sunt, super has, in ipso in hũc mundum introitu, hostis noster peccati originarii vexilla effert. Super summũ etiam Baptistã hostile vexillũ fixit, sed nõ diu id tulit Dux noster Christus, ad arcem festinauit captam, hostẽ expulit, vexillum, id est, peccatũ originis deiecit, arcemque recuperauit. *Originale peccatum Virginis Visitatio à Ioanne depulit* *1. Reg. 16.* *Psal. 73.* *D. Hieron.*

Neque vero peccatum tantum modo expulit, Verum Spiritu etiam Sancto præcursorem suũ repleuit, & (si placet) rationis vsu donauit. Hæc fuit tunc temporis Ioannis benedictio, qua accepta exultauit infans in vtero. Dauid *coram arca Dei totis viribus saltasse* dicitur, multo admirabilius Ioannes, coram prestantiori arca, id est virgine Deũ ferẽte, totis viribus, in angusta illa materni vteri arca, saltauit: *Vt facta est vox salutationis tuæ* (ait Elisabeth) *in auribus meis, exultauit in gaudio infans in vtero meo*. Vox erat Ioannes Verbi, ex vtero sonare cœpit & demõstrare verbũ: quamobrem merito ab Augustino, ser. 22. de Sãctis, feruens nuntius appellatur: Feruens (inquit) nuntius. qui ante gestiuit nuntiare, quam viuere, &c. *2. Reg. 6.* *Exultatio Ioannis in Vtero.* *D. Augustin.*

Quemadmodum philomela, cauea inclusa, alterius philomelæ cãtu concitatur ad cantũ; Sic Ioannes vẽtris materni incluſus cauea, Deiparę virginis, veluti philomelæ suauissima voce excitatus, Verbum

bum diuinum ſonuit,& matri indicauit. Nauigatoria acus,lapide tacta,quem magnetem appellamus, aquilonarem ſtellam indicat; Ioannes vero diuini ſpiritus gratia tactus,verum Solem Chriſtum,cuius radijs incaluerat, demonſtrauit. Quemadmodum mons celſus,prius à ſole illuminatus, quam valles, ſolis ortum nuntiat,ſic Ioannes,prius à Chriſto,quã Iudæi cæteri illuſtratus, ipſius aduentũ nuntiauit.

D. Auguſt. Vnde illud Auguſtini,tractat.2.in Ioannem,Ad hoc erectus eſt mons,id eſt,Ioannes,vt prior radios excipiat,& oculis tuis nuntiet,&c.

Eccleſ.43. *Tripliciter Sol exurens montes, radios igneos exufflans, & refulgens radiis ſuis.* Montes altiſſimos exurit Sol, mẽtes altiſſimas exurit Chriſtus,tripliciter, id eſt, valde. Quis altior mons Ioanne? hunc veluti aurũ, Sol B noſter exuſſit;originarij peccati ſcoriam depulit;& veluti cœleſtem arcum miris virtutum coloribus decorauit. *Vide arcum* (ait eodem cap.ſacer Autor) *& benedic eum,qui fecit illum,valde ſpecioſus eſt,in ſplendore ſuo,*

Ioannes iris non Iunonis ſed Dei nuntius. &c. Vide Ioannem,& benedic Deum; cœleſtis enim arcus eſt,valde ſpecioſus in decore ſuo, non Iunonis,ſed Dei nuntius. Quemadmodum arcus, nubes eſt obſcura,omniq́ue decore carens,quam Sol illuſtrat,colorumq́ue varietate decorat; ita Ioannes in materno vtero veluti nubes erat,gratiæ luce carẽs, eam Sol Chriſtus,in hac viſitatione, pulſis peccati tenebris,gratiæ ſplendore illuminauit,virtutibuſq́; in ipſo vtero exornauit. O inauditam Ioãnis bene-

D. Chryſologus. dictionem,Ioannes(ait Chryſologus,ſerm.91.)ante C peruenit ad cœlum,quam tangeret terram;ante accepit diuinum ſpiritum,quam humanum,ante ſuſcepit diuina munera,quam humana corporis membra;ante cœpit viuere Deo,quam ſibi,&c.

Infans Ioannes non à fletu,ſed ab exultatione cœpit. In alijs infantibus primũ locum fletus occupat, in hoc primum obtinuit lætitia;exultauit in gaudio infans in vtero meo,ait mater. cæteri vagitu,vitę calamitoſę,in quam ingrediuntur,labores annuntiãt, Ioannes gaudio,vitę gaudium, id eſt,Chriſtum prædicat. Nullus ignorat,ait Sanctus Maximus, hom.1.

D. Maximus de Baptiſta,omnẽ paruulum,materno ex vtero prodeundem,inter ipſa lucis exordia mœſtis concrepare vagitibus;ſolus Baptiſta, natiuitatem ſuam,lętitiæ exultatione præuenit, &c. Vides Ioannis ad- D mirandum benedictionem;matris quoque benedictionem vide.

Repleta eſt Spiritu Sancto Eliſabeth, ait Euangeliſta,non filius ſolus repletus eſt,ſed etiam mater. Plena autẽ Spiritu Sancto,de præſenti,futuro,atque præterito,

Benedixit Dominus Eliſabethæ & Zachariæ domum eius ingreſſus. vt ſupra ex D. Greg. diximus,prophetauit. Admirabile incarnationis myſterium, tot abſconditũ ſæculis,ab Spiritu Sancto didicit; prima poſt Virginẽ & Ioannẽ illud agnouit,prima patefecit. Prima Virginem matrẽ Dei appellauit;*Vnde*(inquit)*hoc mihi, vt veniat Mater Domini mei*,nempe Dei,*ad me?* Prima inter fœminas, hominesq́ue omnes,Spiritu Sancto pleno ore,poſt incarnationẽ,Deiparã laudauit; tale enim os Spiritu Sancto plenum,Dei, Virginiſq́ue laudes E expetunt.

Sed dices, nunquid ad Zachariã Ioannis patrem, Dei quoque benedictio peruenit? Peruenisſe credibile eſt;quamuis ea de re ſileat Euangeliſta. Meſsiæ aduentum, tunc vel ex vxore,vel ex reuelatione agnouit,vt par eſt, gratias habuit, amore exarſit, gratia creuit. Denique poſtea in die quo Ioãnes circũciſus eſt,vocẽ recepit,& Spiritu Sãcto repletus,

Origenes. præclarũ vaticiniũ edidit. Ita ſentit Origenes,hom. 10.in Lucã, Manſit,inquit, Maria cum Eliſabeth mẽſibus tribus;vt per ineffabilem quandã virtutẽ, nõ ſolum Ioannem,ſed etiam Zachariã præſens ſaluator inſtrueret. Paulatim quippe & hic,per tres mẽſes,Sancti Spiritus augmenta capiebat, & cũ neſcit, erudiebatur,& de Chriſto prophetauit,&c.

A Illis tribus mẽſibus profectus quoque feciſſe Ioãnem,docet D. Ambr. in Lucam,ad illa verba; *manſit Maria cum illa*,id eſt,Eliſabetha,*menſibus tribus*; non ſola, inquit, familiaritatis eſt cauſa,quod Virgo diu manſit,ſed etiamtanti vatis,id eſt,Ioãnis,profectus; nam ſi primo ingreſſu tantus profectus extitit,vt ad exultationem,Mariæ exultaret infans in vtero, repleretur Spiritu Sancto mater infantis,quantũ putamus,vſu tanti temporis Sanctæ Mariæ addidiſſe præſentiam? Vngebatur itaque Ioannes,& quaſi bonus athleta excedebatur in vtero matris propheta. ampliſsimo enim virtus eius certamini parabatur. Hęc Ambroſ. *D. Ambroſ.*

De Eliſabethæ etiam progreſſu ita ſcribit Orige- *Origenes.* nes,hom.9.in Lucam,noſtrę cõiecturę relinquitur, B quid in tribus menſibus Ioannes profecit, aſsiſtẽte Maria Eliſabethæ. Valde quippe indignũ eſt in pũcto horæ,exultare infantem,repletamq́ue eſſe Spiritu Sancto Eliſabeth,per tres vero menſes nec Ioannem,nec Eliſabeth,ex vicina Matris Domini, & ipſius Saluatoris præſentia,profeciſſe,&c.

Habitauit ergo arca Domini,id eſt,Virgo Deipara, vt initio dicebamus,in Domo Eliſabeth,tribus menſibus,& benedixit Dominus Eliſabethã,& omnem domũ eius. Adducamus arcã hanc domum noſtrã, id eſt,Virginem cum filio,in animũ noſtrũ: vt benedicat etiam nobis Dominus,repleatq́ue nos Spiritu Sãcto. Audi quid fecerit Dauid,vbi reſciuit,dominũ propter arcã Obededom domũ benedixiſſe: C *Nuntiatum eſt regi Dauid,quod benedixiſſet Dominus Obededom, & omnia eius,propter arcã Dei. Abijt ergo Dauid, & abduxit arcam Dei,de domo Obededom,in ciuitatẽ Dauid,cũ gaudio,*&c. Nobis quoque nuntiatur, quod benedixerit Dominus Eliſabethã, propter virginis viſitationẽ. abeamus ergo,& adducamus arcã Dei,cũ gaudio,in animũ noſtrũ,vt peccata ex animo noſtro Deus pellat,gratiãq́ue infundat. Etenim quemadmodũ arca Dei Dagonẽ,ita Virgo cũ filio peccatum euertent. *2. Reg.6.*

Tulerunt Philiſtiim arcam Dei,& intulerunt eã in templũ Dagon', & ſtatuerunt eam iuxta Dagon, cũmque ſurrexiſſent diluculo Azotij altera die, ecce Dagon iacebat pronus in terra, ante arcam Domini,&c. Ingreſſa arca in templũ ſimu- *1. Reg.5.* lachrũ Dagon corruit;ingreſſa virgine cũ filio,quẽ vtero geſtabat,domũ Eliſabethę, peccatũ originale,quo Ioãnes erat infectus,Dagoni ſimile,contritũ eſt. quemadmodũ Sol domũ ingrediẽs tenebras pellit,lucẽq́ue diffundit, ſic Chriſtus in animã intrãs, peccatum ejicit, gratiamq́ue largitur,& gaudium. *Virgo arcã Dei Dagonem deiecit.*

Non iuit ad Virginẽ Eliſabetha, nec Ioannes ad *Iuſtificationis initium à Deo.* Chriſtum,ſed ad Eliſabethã Deipara, ad Ioannẽ iuſtificandum Chriſtus venit,quæ res indicat, iuſtificationis noſtræ initium à Chriſto eſſe. Non nos ad illum prius proficiſcimur,quam ille ad nos veniat, quam ille nos quærat ac vocet. *Quos vocauit* (ait Pau- *Rom.8.* lus)*hos & iuſtificauit*;ille vocat,& vocatos,ſi vocationi paremus,iuſtificat. Aug. Pſal.5. Vt inſtificentur iuſti *Auguſt.* præcedit vocatio,quæ nõ eſt meritorum, ſed gratię Dei. Itẽ eodem loco: Bona volũtas Dei præcedit bonã voluntatẽ noſtrã: vt peccatores vocet in pœnitẽtiam,&c. *Errauiſicut ouis,quæ perijt*(ait Dauid)*quære ſeruum tuum.* Etenim ſi ouem non quęrat paſtor,à lupis laniatur: ſi peccatorem non quærat Deus,à Leone ſęuiſsimo deuoratur. Ouicula Ioannes in vtero matris,originarij peccato infecta errabat; *omnes enim errauimus ab vtero*,quæſiuit illam paſtor,prius quam illa quęreret paſtorẽ,cuius illa ſunt verba: *Sto ad oſtiũ, & pulſo*: prius ipſe pulſat,deinde nos,ſi libet, oſtiũ aperimus,pulſantẽq́ue excipimus,magna cũ lętitia, quã Ioãnis illa in vtero indicat exultatio. *Si quis audierit vocem meã*(ait Chriſtus loco indicato)*& aperuerit mihi ianuam,intrabo ad illũ, & cœnabo cum illo & ipſe mecũ.* Non poteſt non eſſe lætiſsima cũ tanto rege cœna. *Pſalm.118.* *Pſalm.57.* *Apoc.3.*

Lætiſ-

Lætissima est impij iustificatio. Aretas Cæsar.

Lætissima est impij iustificatio; & Christo iustificanti, & homini iustificato. Quamobrem Aretas Cæsareæ episcopus, hunc locum interpretatur his verbis; Violentiam non habet meus aduentus; ostium cordis pulso, & vna cum ijs qui aperiunt, super ipsorũ salute lætor; delicias enim ac cœnam duco, salutẽ hominũ, &c. In vtero matris exultauit iustificatus insans Ioãnes; at iustificatus vir ex cœti, id est, peccati vtero, magno cum gaudio exilit, veluti alter Ionas. *Eduxit populum suum in exultatione; & electos suos in lætitia.* Vnde nam eduxit? Ex Ægyptiaca captiuitate. Similem in modum ex peccati seruitute in exultatione atque lætitia eduxit. Ex Ægypto magna cum exultatione eductum, audi Augustinum, lib. 9. Confessionum, cap. 1. Quam suaue (inquit) mihi subito factum est, carere suauitatibus nugarum; quas amittere metus fuerat, iam dimittere gaudium erat. Ejiciebas enim eas à me; & intrabas pro eis omni voluntate dulcior, &c.

Psalm. 114.

D. Augustin.

Filijs Israel, quos ex Pharaonis imperio eripuerat, dulcissimũ manna in itinere Deus præbuit; iis quos è dæmonis iugo liberat, omni voluptate dulciorem fructum, quo in hac vsque in patriam peregrinatione alantur, exhibet. Illum videlicet de quo ad Virginẽ Elisabetha: *Benedictus* (inquit) *fructus ventris tui.* Benedictus (vt ait Bernard. homil. 3. super missus) in odore; benedictus in sapore; benedictus in specie; id est, in pulchritudine, &c. Huius fructus odor animã trahit, iuxta illud: *Curremus in odorem vnguentorum tuorũ*, trahebatur illo Ioãnes, cum in vtero matris, gaudio exultauit. Sapor nutrit; Bonus fructus (ait Bernard.) qui animarũ esurientiũ, & sitientium iustitiam, & esca, & potus est. Pulchritudo oblectat; si enim fructus ille mortis (ait idem Bernard.) nõ solum suauis fuit ad vescendum, sed etiam delectabilis aspectu; quanto magis, huius vitalis fructus, viuificum decorem debemus inquirere, in quem desiderãt Angeli prospicere? &c.

Fructus ventris Virginis dulcissimus D. Bernard.

Cant. 1.

Genes. 3.

De arbore illa vetita scriptum est: *Vidit Eua, quod bonum esset lignum*, id est, arbor, *ad vescendum; & pulchrum oculis, aspectuq; delectabile.* Aliud habemus lignum, aliã multo præstantiorem arborem, id est, Deiparã Virginem, non vetitam, sed omnibus concessam. bona est ad vescendum arbor, pulchra oculis, aspectuque delectabilis, fructus quoq; ejus bonus ad vescendũ, pulcher oculis, aspectuque est suauissimus. Septuag. Interpretes vertunt: *Lignum pulchrum ad intelligendum*: visa enim est arbor illa Euæ, apta ad scientiam boni maliq́ue afferendam, quã serpens fuerat pollicitus. Habet hoc verè, benedictus, de quo loquimur, fructus; pulcherrimus est ad intelligendũ. qui enim eo vescitur, boni, & mali, virtutum, ac vitiorũ scientiã comparat, Fructus interdictus primorum parentũ oculos male aperuit: *Aperti enim sunt oculi amborum, & viderunt se esse nudos*; benedictus Deiparę fructus, intellectus nostri oculos bene aperit, vt quam nudi, inopesque simus cognoscamus, iustitiæque amissæ indumẽta pretiosa, toto pectore quæramus. Ioãnis & Elisabethæ oculos ille mirabiliter aperuit. Aperti namque sunt oculi amborum, & viderunt, non quidem se esse nudos, sed incarnatum Deum esse nudũ, & in ventre matris exinanitum, vt nos præclara gratiæ veste indueret, & cœlesti gloria compleret.

Genes. 3.

Denique, obserua Deiparam Virginem Christũ, vt Ioannem iustificaret, ac benediceret, in mõtana attulisse, fuit enim Salomonis nostri admirandum ferculum, quod domum Elisabethæ vectus est. Eadẽ quoque ferculum est, quo in animum nostrum idẽ inuehitur Dominus. Illam ergo precibus perpetuo solicitemus: vt in animum nostrum dilectissimum inferat filiũ, eiusque nobis impetret præclarã benedictionem, qua siquis careat, eum perpetuo oportet esse maledictum. Aurora confurgens est: *pulchra vt Luna, electa vt Sol, terribilis vt castrorum acies ordinata.* Luna est, quia in nocte lucet ijs, qui peccatorum tenebris circumfusi lucem expetunt, aurora est ijs, qui è peccatorum tenebris ad pœnitentiæ auroram transierunt, sol est ijs, qui in splendore gratię vitam agunt. Vt vero aduersus tartareos hostes opem omnibus ferat, terribilis est, vt castrorũ acies ordinata. Hanc lunam qui in peccati nocte viuunt deprecentur, hanc auroram ij, quibus gratiæ aurora per pœnitentiam affulsit, orent: hunc solem, qui ardore charitatis flagrant inuocent, hanc castrorum aciem ordinatam omnes implorent.

Orandã Virgo.

Cant. 6.

Obserua item, quo nam in loco benedictionem suam Deus impertiat; in montanis videlicet Iudæ; in ijs enim domus Zachariæ sita erat, vt Lucas docet illis verbis: *Abiit in montana cum festinatione, in ciuitatem Iuda.* Qui ascendere in virtutis montana conantur, commissaque peccata confitentur; ij Dei benedictionem assequuntur. Iuda enim confessionem significat. Vide quam libenter Deus hanc benedictionem tribuat. *Abijt* (inquit) *cum festinatione.* ad supplicia sumenda tardus, ad beneficia præstãda festinus est. Vbi primum in aspera Iudã, id est; confessionis, mõtana ascendis, pœnitentiamque agis; protinus summa cum festinatione accurrit, gratiamque, & benedictionẽ sine mora vlla largitur: *Surgens prodigus ille filius, venit ad patrem suum; cum autem adhuc longe esset, vidit illum pater ipsius, & misericordia motus est: & accurrens cecidit super collum eius, & osculatus est eum*, &c. Vides quãta cum celeritate, ad filium in montana Iuda venientem, pater optimus venerit? *accurrens* (inquit) *cecidit super collum eius, & osculatus est eum.* O felicem illũ, qui à tanti patris ore osculum accipit, pacis, fœderisque initi signum. post osculum vbera præbebit, omnibus sæculi voluptatibus multo dulciora, id quod cœlestis significat sponsa, verbis illis: *Osculetur me osculo oris sui; quia meliora sunt vbera tua vino.* Prius osculũ, pacis signum expetit, deinde, quæ osculum consequuntur vbera requirit, vino, hoc est, omni terrena dulcedine multo suauiora.

Confitenda peccata.

Deus festinus, ad gratiam donandam.

Luc. 15.

Cant. 1.

Quanta vero properatione ad nos veniat Dominus, eádẽ sponsa illis verbis indicat: *Ecce iste venit, saliens in montibus, transiliens colles, similis est dilectus meus capræ, hinnuloq; ceruorum*, expende verba, intelliges festinationẽ. Nos quoque festinare vult, ideoque sequitur: *En dilectus meus loquitur mihi, surge, propera amica mea, columba mea*; quæ verba cum aliis, quę omisimus, visitationi Deiparæ ab Ecclesia tribuuntur. Etenim videre illa die videtur, matris vtero inclusũ Christũ, in montanis Iudææ salientẽ, transilientẽque colles, capręhinnuloque ceruorum similẽ, ad præcursorẽ properantẽ, post vterũ Virginis tanquã post parietẽ stantem: Ioannisque animã illis verbis ad præcurrendũ inuitantem. *Surge, propera amica mea*, &c. Quasi dicat: Egredere ex vtero charissimè, propera, vt mei aduentus testimoniũ feras: iã enim hyems transijt, imber abijt, & recessit, mi Ioãnes; flores apparuerũt in terra nostra; hoc est iam trãsijt hibernũ tempus; vernũ adest; adsum sol iustitiæ, qui meo in mundum aduentu ver lætissimum efficere iam incipio: propera, mi lucifer, vt exorientis Solis lucem mundo prænunties.

Cant. 2.

LIBER OCTAVVS.

DE NATIVITATE IOANNIS BAPTISTÆ: LVCÆ PRIMO.

ELISABETH autem impletum est tempus pariendi,& peperit filiũ;& audierunt vicini,& cognati eius, quia magnificauit Dominus misericordiã suam cum illa,& congratulabantur ei.Et factum est in die octauo,venerunt circũcidere puerum,& vocabant eũ nomine patris sui Zachariam; & respondens mater eius,dixit;nequaquam,sed vocabitur Ioannes:Et dixerunt ad illam,quia nemo est in cognatione tua qui vocetur hoc nomine. Innuebant autẽ patri eius,quẽ vellet vocari eum.& postulans pugillarem scripsit,dicens:Ioannes est nomen eius;& mirati sunt vniuersi. Apertũ est autem illico os eius,& lingua eius,& loquebatur benedicẽs Deum.Et factus est timor super omnes vicinos eorũ,& super omnia montana Iudææ, diuulgabantur omnia verba hęc,& posuerũt omnes,qui audierant,in corde suo,dicẽtes:Quis putas,puer iste erit? Etenim manus Domini erat cũ illo.Et Zacharias pater eius,repletus est Spiritu Sancto:& prophetauit,dicens: Benedictus Dominus Deus Israël,quia visitauit,& fecit redemptionẽ plebis suæ.Et erexit cornu salutis nobis, in domo Dauid pueri sui.Sicut locutus est per os sanctorũ, qui à sæculo sunt,prophetarũ eius.Salutẽ ex inimicis nostris,& de manu omniũ,qui oderunt nos. Ad faciendã misericordiã cum patribus nostris,& memorari testamenti sui sancti. Iusiurandũ quod iurauit,ad Abrahã Patrem nostrum,daturum se nobis.Vt sine timore de manu inimicorum nostrorum liberati,seruiamus illi.In sanctitate,& iustitia coram ipso, omnibus diebus nostris.Et tu puer,propheta altissimi vocaberis: prębis enim ante faciem Domini parare vias eius.Ad dandam scientiam salutis plebi eius,in remissionẽ peccatorũ eorum. Per viscera misericordiæ Dei nostri, in quibus visitauit nos Oriens ex alto. Illuminare his,qui in tenebris,& in vmbra mortis sedent:ad dirigẽdos pedes nostros in viam pacis.Puer autem crescebat,& confortabatur spiritu; & erat in desertis vsque in diem ostensionis suæ ad Israël.

CAPVT I.

Impletum est tempus pariendi,&c.

D. Augustꝰ.

Ioannes natus eo die, quo incipiunt dies decrescere. Christus eo quo incipiũt crescere. Beda.

DEBET Euangelicus ordo,vt post Deiparæ visitationem, de Ioannis natiuitate dicamus;quæ in mẽsem Iuniũ feliciter incidit,nõ sine mysterio,vt Aug. tradit hom.2.de natiuitate Ioannis.Humilietur (inquit) homo,vt exaltetur Deus,secundũ illud, quod de Dño Ioannes dixit: *illũ oportet crescere,me autẽ minui.* Vt humiliaretur homo,hoc die natus est Ioãnes,quo incipiũt decrescere dies;vt exaltetur Deus, eo die natus est Christus,quo incipiũt crescere dies, &c.Et Beda,in hom.de eadẽ natiuitate: Nõ vacat à mysterio,quòd Ioãnis natiuitas,cũ dies decrescere, Domini autẽ,cum dies crescere inchoant,facta memoratur;huius enim secretũ distantiæ reuelat ipse Ioannes,quia illum (inquit)oportet crescere,me autem minui.Creuit quippe Dominus,quia per totum orbem fidelibus, quod Christus,id est, Messias esset innotuit;decreuit Ioannes, quia qui Christus existimabatur,id est, Messias, quod non Christus, sed præco Christi esset,apparuit,&c. Lege de eadem re homiliam de natiuitate Baptistæ,quæ inter Chrysostomi opera extat.

De natiuitate autem & circuncisione Ioannis, Lucas scribit.Atque in primis *impletum* (ait) *Elisabeth tempus pariendi*, quæ verba mysterio minimè vacare putant antiqui.Origenes,homil.9.in Lucam; Multi (inquit) putant superflue dici: *Elisabeth impletum est tẽpus pariendi,& peperit filium*; quæ enim mulier potest pãrere,nisi tempus pariendi ante compleuerit? Sed qui scripturas diligentissimè cõtemplatur,& audit populũ loquentem,attendat lectioni, obseruans tã in veteri,quam in nouo testamento, sicubi scriptũ in ortu peccatoris inueniat; Impletum est tempus pariendi,nunquam omnino reperiet.Sed vbicumq; iustus nascitur,ibi complentur dies.Ortus iusti plenitudinem habet;peccatoris natiuitas, vt ita dicamus,vacuitatem,atq; inanitatem,&c.Et Beda, Verbum impletionis sancta scriptura in bonorũ tantũ ortu,vel habitu,vel actu ponere consueuit; quorũ vitam plenitudinem perfectionis habere significat. Item,Theophylactus:In peccatoribus non dicitur, impletum est tempus pariẽdi;sed hoc dumtaxat inuenies,vbi de iustorũ partu habetur mentio. Nam vt apparet,imperfecti & non impleti peccatorum

Luc. 1.

Origenes.

Peccatorum partus imperfecti, & non impleti.

Beda.

Theophylact.

sunt

ſunt partus; meliuſque illis, ſi nati non fuiſſent. D. Ambroſ. Tamdiu manſit Maria, quamdiu Eliſabeth pariendi tempus impleret; Quod ſi diligenter aduertas, inuenies, hoc nunquam poſitum, niſi in generatione iuſtorum. Plenitudinem vita iuſti habet; inanes ſunt dies impiorum. Hæc illi.

Inanes autem dies impiorũ ſunt, quia bonis operibus, Deique gratia ſunt vacui; pleni dies iuſtorum, quia præclaris actionibus, diuinaque charitate abũdant. Menſes vacuos in vita ſua habuit Iob: *Habui* (inquit) *menſes vacuos*; habentq; viri iuſti, vacuos quidẽ nunc præmio illo æterno quod expectãt; ſed plenos meritis. Nam vt Greg. Magnus eodem loco ait; Sãctus quiſque mẽſes vacuos ſicut mercenarius ducit; quia laborẽ iam ſuſtinet, ſed præmium nec dum tenet. hoc tolerat, illud expectat. At cõtra impij mẽſes habent vacuos, tam meritis nunc, quam premio poſt mortẽ; vanitate vero plenos. Quemadmodum enim vacuum vas aëre eſt plenum, ſic vacua impij vita plena eſt vanitate, quodq; peius eſt ſceleribus.

Iob. 7. *Sancti menſes habent vacuos nunc a temo præmio, ſed plenos meritis.* *D. Greger.*

Congratulabantur ei.

Cognati & vicini, Eliſabethæ quòd filiũ peperiſſet congratulati ſunt. græcè *συνέχαιρον*, id eſt, cõgaudebant. Congratulantur enim, & congaudẽt felicitati alienę viri probi. Qua de re ſic ſcripſit Rupertus in cõmentariis, c. 1. Canticorũ, Habẽt hoc propriũ, omnes qui ſanctum habẽt charitatis ſpiritũ, vt ita congratulẽtur de beneficijs, quæ aliis impenſa perceperũt, quemadmodũ & de illis, quæ à Deo ſibimet collata ſunt. Tũ properãt, mutuos ſibi prębere cõſpectus; tũ dulcia miſcere colloquia, certatimque opportuna, importuna, impẽdere inuicẽ deuotæ charitatis obſequia. Quid eſt hoc, niſi *trahere, & currere, in odorẽ vnguentorũ* Domini? Hæc ille. Sunt beneficia Dei, quædam ſuauiſſimi odoris pretioſa vnguenta; quorũ odore, qui charitate pręditi ſunt, trahuntur, inuidi vero torquẽtur. Suauiſſimũ erat vnguentũ beneficium illud Eliſabethæ collatum, vicinos, & cognatos, odore ad congratulandum traxit.

Rupertus. *Aliena felicitate lætantur probi viri.*

Traxit quoque Deiparam Virginem, *currebat* enim *in odorem vnguentorum* Dei. Vnde illud Euangeliſtæ: *Abiit in montana cum feſtinatione.* vt cæteri cognati, ita ipſa Eliſabethæ congratulata eſt, & prius quidẽ quã cæteri. Prima enim vnguenti illius, id eſt, magni beneficij in Eliſabetham collocati, odorem Angelo nuntiante percepit, cum reliqui omnes ignorarẽt: *Ecce* (inquit Angelus) *Eliſabetha cognata tua, & ipſa concepit filium in ſenectute ſua*, &c. Percepto odore abiit in montana cum feſtinatione; Eliſabethæ congauiſa eſt, natumque infantem gremio admirãdo excepit. Intus Chriſtum ferebat in vtero: foris Ioannem geſtabat in vlnis, Soli, & phoſphoro; coniuncta maris ſtella, lunaq; gratia pleniſsima, fulgebat. Pretioſum erat vnguentum, ait Rupertus, magnum erat beneficium: quod dederat Dominus ſterili conceptum tanti viri, qui in ſpiritu, & virtute Eliæ, deberet prędire ante Dominum, & quo maior non ſurrexit inter natos mulierum, tanti ac talis vnguenti odorẽ perceperat Virgo, talis ac tanti beneficij nuntium ab Angelo acceperat, & de hoc, ſicut de cæteris, quis finis, quę conſummatio, futura eſſet, Spiritu Sancto docente, magna prophetiſſa non ignorabat. Trahebatur ergo poſt Dominum, trahebatur, & currebat in odorem vnguẽtorum taliũ. Hactenus Rupertus.

Rupertus.

Trahuntur odore alienę felicitatis, ad congratulandum, qui charitate præſtant, fugantur, ac torquentur inuidi, vt enim Poëta dixit:

Inuidã alienã felicitas torquet.

Inuidus alterius macreſcit rebus opimis.

Quibus cęteri pingueſcunt bonis, inuidus macreſcit. vtque *vaccæ illæ macilentæ*, quas in ſomnis vidit Pharao, *pingues alias deuorarunt.* ita macilẽti inuidi eorum. quibus inuidẽt, pinguedinẽ deuorare cõnãtur.

Genes. 41.

Nõ nobis (dixit olim Cato Senior) ſed bonis, quę nos circunſtãt, inuidẽt homines. Vnde illud Plutarchi, in lib. de odio, & inuidia; Nemo eſt, qui miſeris inuideat. Et illud, Quemadmodũ Cantharides, lætioribus frumentis, & viridioribus roſis, maximè inhærẽt: ita inuidia eos pręcipuè tangit, qui boni ſunt, quique ad virtutẽ, gloriamq; graſſari videntur, &c.

Cato. *Plutarchus*

Docet autem idem Autor, à magna ſupremaque felicitate, inuidiam extingui, atque ideo extra inuidiam fuiſſe Alexandrum & Cyrum. idque hac ſimilitudine. Quemadmodum Sol, eius vmbram, ſupra cuius caput aſſiterit, ſuis aſpergens radijs, aut prorſus extinguit, aut lõgè minorẽ reddit, ita felicitas, cũ magnã nacta altitudinẽ fuerit, & ſuper inuidię caput ſplendorẽ ſuũ ſparſerit, eã attenuat, & expellit. ideoque Alexãd. inuidũ habuit neminẽ, &c.

Quod magnã facere felicitatem, ait Plutarchus, id fortius magna facit charitas. Vt Sol radiis vmbram, ita charitas ſuo ſplẽdore inuidiam ex animo pellit, omniumque felicitati cõgaudet, & congratulatur. *Charitas* (ait Paulus) *non æmulatur.* Sol Lunam illuminat, Luna Solem eclipſi obſcurat, eundẽ in modum charitatis ſplendore micantes viri, laudibus cũctos illuſtrãt, inuidi verò pręclare geſtorũ fulgori tenebras conãtur offundere. Muſcis ſimiles ſunt, quæ putredine ſanieque oblectãtur, vtque ait Eccleſiaſtes: *Vnguenti*, id eſt, nominis alieni, *ſuauitatem perdunt.* Muſcæ, inquit, morientes perdunt ſuauitatẽ vnguenti, morientes perdunt, quia dum perdunt moriuntur, pluſque ſibi, quã cęteris nocẽt. Orto Iſaac; *Riſum fecit mihi Dominus* (dixit Sara) *quicumque audierit, corridebit mihi.* Si riſum facit alicui Deus, ſi gaudium, ſi opes, ſi virtutes tribuit: charitas lęto corridet vultu, inuidia lachrymantibus inuidet oculis.

Charitas nõ æmulatur, ſed congratulatur. *1. Cor. 13.* *Muſcæ inuidi.* *Eccleſ. 10.* *Geneſ. 21.*

Magnificauit miſericordiam ſuam cum illa.

Magnificum fuit beneficium, Eliſabethę à Deo pręſtitum, ſterili enim in ſenectute partum, nõ filię, ſed filij, & magnifici quidẽ filii donauit. *Erit* (inquit Angelus, *magnus coram Domino.* Sterilis autẽ Eliſabethę partus ille, quo non ſurrexit maior inter natos mulierum, ſterilis Eccleſię partum admirabilẽ adumbrat, quo nõ ſurrexit maior. Multo enim maior fuit eccleſię partus, quam Synagogę, vnde illud: *Lauda ſterilis, quæ non paris, decanta laudem, & hinni quæ non pariebas, quoniam multi filij deſertæ, magis quam eius quæ habet virum.* Et: *Sterilis peperit plurimos, & quæ multos habebat filios, infirmata eſt.* Sterilis Eccleſia peperit; fęcũda Synagoga párere deſiit. *Magnificauit Dominus miſericordiã ſuam cum Eliſabetha* ſterili, multo magis cum Eccleſia.

Partus Eccleſiæ ſterilis, magnus. *Iſaiæ 54.* *1. Reg. 2.*

Vocabant eum nomine patris ſui, Zachariam.

Quia filius in locum ſufficitur patris, ideo meritò nomen illi imponitur patris, vt non natura ſolũ, & virtute, verum nomine etiam, patrem ſuum mũdo referat, iuxta illud: *Mortuus eſt pater eius, & quaſi non eſt mortuus: ſimilem enim reliquit ſibi poſt ſe*, &c. Quod ſi virtute patrem non referat, nomine Patris indignum cenſet Plato in Cratylo: Quoties (ait Socrates) pręter naturam aliqui fiunt in quadã ſpecie monſtri, velut cum ex bono, pioque viro impius generatur, qui progenitus eſt, nõ genitoris nomen ſortiri debet, ſed eius, in quo ipſe eſt generis. Quemadmodum ſupra diximus, ſi equus bouis prolem generet, non equũ eius filium, ſed bouem denominandum. Homini igitur impio ex pio genito, non parentis, ſed generis nomen attribuendũ: Neque igitur θεόφιλον, id eſt, Dei amicũ, neque *μνησίθεον*, id eſt, Dei memorem, vel talem aliquem huiuſmodi, vocare filiũ talẽ decet, ſed cõtraria ſignificãtibus nominibus appellare. ſi modo nomina rectè inſtituta eſſe debẽt. Hæc ille. Nõ decet impiũ filium, at decet pium & ſanctum, appellare *μνησίθεον*, id eſt, Dei memorem, decebat ergo Zachariæ bonum piumque filium Zachariam,

Eccleſ. 30. *Plato.* *Monſtrũ eſt, filius impius ex patre prodeo, ait Plato.*

id est, μνησίθεον, nominare. Zacharias enim hebræis, idē sonat, quod μνησίθεος, græcis, id est, memoriā Dei. Attamen aliud nomen diuino iussu est impositum.

Ioannes est nomen eius.

Cognati nomen patris nato imponebant, vocabant eum, nomine patris sui Zachariam, at reluctātur parentes, & vincunt: *Vocabitur Ioannes*, voce testatur Elisabeth mater: *Ioannes est nomen eius*, stylo prædicat mutus pater: *Postulans pugillarem scripsit dicens Ioannes est nomen eius*. dixit autem nō voce, qua erat priuatus, sed manu, ac stylo, Ioannes est nomen eius, quasi diceret, sine dubio, hoc est eius nomen, iam ab Angelo impositum, iam habet nomen, aliud ne quæratis. Vicit Dei imperium, controuersiamque diremit, Ioannes infans vocatus est.

D. Hieron. Significat autē nomen Ioannes (Hieronymo interprete in lib. de nominibus hebraicis) Dei gratiā; eandem interpretationem sequuntur Beda, Origenes, Rupertus, & alij. Iehouah, & per apocopem, Io, Dei nomen est ineffabile, חנן, chen, verò gratiam significat; inde, Iehochannes, siue Iochānes, vel Iohannes, Dei gratiam sonat. Et meritò quidem nomē hoc infans diuinitus accepit. Primò, quia gratiā Dei, Spiritu sancto ab vtero matris repletus, habuit, & nunquam amisit. Secundò, quia ex gratia Dei, parētibus donatus est. Tertiò, quia omnes prophetas gratia anteiuit. Quartò, quia gratiæ Dei, id est, Euangelij, nuntius fuit. Quintò, quia fuit veluti orizon legis & gratiæ, iuxta illud: *Lex & prophetæ vsque ad Ioannē.*

Beda. Origenes. Rupertus.

Quid significet nomen Iohannes.

Iansenio hæc nominis interpretatio non placet, quod hebræi, nomen casus genitiui non præponāt, sed postponant; non enim dicunt Dei gratiam, sed gratiā Dei. At nos credimus Hieronymo interpretanti, non solū nomen hoc Ioannis, sed alia quoque contra illam hebræorū regulam, quæ in nominum compositione seruari nō videtur, vt ex multis Hieronymi interpretationibus colliges, hebraicę linguę peritissimi.

Vnde deriuatur nomen Iohannes, Pagninus, lib. de interpretatione nominum hæbręorum, nomen Ioannis à verbo חנן Chanan, ducit, & à nomine ineffabili יהוה Iehouah, ita vt hebræum nomē sit Iochanan. significat autem chanan verbum, misertus est, & gratis donauit; nomen vero Ioannes, iuxta hanc interpretationē, significat Deus misertus est, Deus gratis donauit, & si nomē Latinū simile postules, est Adeodatus, siue Deus dedit. Cōgruit infanti nomen, quia magno Dei munere parētibus donatus, nec naturæ viribus, sed Dei ope in lucē est editus, misertusque est Dominus Elisabethę sterilis, & Zachariæ, & ipsum quoq; infantē summa misericordia prosecutus. Verū huic interpretationi objici potest, vocandū fuisse infantē Iochananē, nō Ioānem, nomen enim hebræum est, Iochanan, ergo si latinū facias, dices Iochananes, nō Ioannes; Respōderi potest, non haberi rationē illius vocalis vltimę, a, perinde ac si nomē absq; ea scriberetur Iochanan, vnde Iohānes gemino scribitur, n.

Nomen commendat Iohannem commendat Ioannem nomē: Primo significatione, Secūdo impositione; Tertio miraculo. Significatione, quia Dei magnū donum, siue gratiā, fuisse Ioannem significat; Impositione, quia ab Angelo est impositum, & ab Elisabetha, vt vult Ambrosius reuelatione Spiritus S. edocta; à patre quoque muto exaratū, cum alij aliud nomē imponerent, Miraculo, quoniā cum in tabella, illud Zacharias descripsisset; vocē amissam recuperauit. Meritò autem nomen, quod in cognatione nō erat, Ioanni datur, vt quemadmodum vita, sic etiā nomine extra cognationem esset, & vir nouus, nouo nomine vocaretur. Si nemo erat in cognatione Ioannis, qui vocaretur illius nomine; nemo etiam fuit in cognatione Ioannis, qui vixerit illius modo.

A Hoc loco est illud notandum Origenis, tom. 5. in Ioannem; Elisabeth significare, Dei iusiurandum, אל, El, enim Deum significat, שבע, Saba, iusiurādum. Zachariam autem, memoriam Dei, Ioannem gratiam Dei. Et merito. Nam memoria Dei, qua recordatus est iuramēti sui, gratiam Dei, mundo protulit, iuxta illud Zachariæ in Cantico: *Memorari testamenti sui sancti, iusiurandum quod iurauit ad Abraham patrē nostrum*, &c. Et illud Deiparę: *Suscepit Israel puerū suum, recordatus misericordiæ suæ, sicut locutus est ad patres nostros*, &c. Origenes; Elisabeth, inquit, Dei mei iusiurādū, Zacharias, memoria esse dicitur. Ex memoria igitur de Deo, iuxta iusiurandum Dei, quod iurauit ad patres, ortus est Ioannes, id est, gratia à Deo, præparās

Zacharias significat memoriam Dei Elisabeth iusiurandum Dei.

Origenes.

B Domino populum, &c.

Quod si quæras, an fuerit nomen hoc nouū? Respōdetur, nouum quidem fuisse in cognatione Ioannis; non tamē inter Iudæos. iam enim alij eo nomine fuerant appellati.

Ioannis nomen non fuit nouum. 1 Mach. 2. & 16.

Apertum est illico os eius.

Mutus Zacharias, filij ab Angelo acceptum nomē in pugillaribus exarauit. Sunt autem pugillares, tabellæ, in quibus olim litterę exarabantur; græcè πινακίδια, dicuntur. Vbi primum verò nomen Ioannis, litteris mādauit, protinus linguæ frena abiecit; cumque Ioānis, id est, vocis clamaturæ in deserto nomen scribit, vocem recepit. Quia vox clamātis in deserto est nata (ait Beda) merito est lingua parē- *Beda.*

C tis soluta: neq; enim patrem à laudibus silere decebat, qui Verbi præcone sibi nato gaudebat; &c. Miraculum hoc tribuit D. Maximus nomini, & meritis infantis nati, hom. 2. de illius natiuitate, his verbis; Zacharias pristinū loquendi non recepisset vsum; nisi nomē pueri, quo vocandus esset, clausi oris ei vincula relaxasset. Atque ita factum est, vt os sacerdotale, quod trepidatio colligauerat dubitantis, meritum filij nascētis absolueret. Et hom. 1. Os, quod Angelus clauserat; promissus ab Angelo filius reserauit, &c. Et D. Ambr. hom. 2. de eadē natiuitate: Respicite Ioannē, quāta sit vis eius vocabuli, cuius nūcupatio reddidit muto vocē. Videte Baptistę meritū, vocē patri reddidit; sacerdoti eloquentiā reparauit, &c. Volebat Deus mirabilē reddere Ioannem, mirabilem verò his miraculis, in patre peractis, reddebat. in patre enim peracta miracula, filij gloriā testabantur, vt D. Maximus dixit; Factum (inquit) est, *D. Maxim.* vt os sacerdotale, meritū filij absolueret; & reparata patris lingua, infantis gloriam testaretur.

Vocis nomen Zachariæ scripsit & vocē recepit. D. Maximus.

D. Ambros.

Et factus est timor super omnes vicinos eorum.

Quidnam vicini timebant? Numquid natum infantem imbellem, & exarmatū? minime; sed Deū, qui in infante potentiā ostendebat suā, sancto quodam timore reuerebātur. Super omnia montana Iudææ, diuulgabātur omnia verba hæc, id est, omnes res, omnia hęc facta, nimirū peperisse sterilem, patrem mutū recuperasse vocem; nomen mirabiliter impositum. & de infante nato, admirātes cuncti, quærebāt: Quis putas, puer iste erit? Etenim manus, id est, potētia Dei, erat cum illo; miraculisque celebrē reddebat Christi præcursorē. Omnia (ait Beda) montana, fama nati prophetæ perfundit, omnes, qui audire poterant, ad perquirendum diligentius pueri modum, statumque solicitat; vt ijs videlicet, atque huiusmodi auspicijs, futurus Christi Propheta, commendaretur, iterque (vt ita dixerim) præcursori veritatis, præcurrentia signa præbeant. Hæc Beda. Signa autem in Baptistæ natiuitate præcurrētia hæc sunt: In templo pater voce priuatus est; eā in circumcisione filij recuperauit, sterilis in senectute peperit, nomen, Ioannes, diuinitus impositum emicuit.

Deus præcursoris natiuitatem illustrē reddidit. Beda.

CAPVT

CAPVT II.

De Cantico Zachariæ.

Benedictus Dominus Deus Iſraël.

DIVTVRNO Vinculo ſoluta Zachariæ lingua in diuinas prorupit laudes,& merito quidem, poſt natam vocem,id eſt, Ioannem, pater loquitur vocis. Vnde Auguſtinus in lib. quinquaginta homiliarum,homil.44.Meritò, inquit, obmutuit Zacharias,quouſque vox naſceretur.Et Origenes tom.5. in Ioannem; Amittit vocem Zacharias,ſumens eam naſcente voce;id eſt,Ioanne,&c.Neque verò locutus eſt eo die,quo Ioannes eſt natus, ſed eo quo eſt circumciſus;vt quo die filius circũcidebatur,paterni quoque oris retinacula circumciderentur. Celeber dies circumciſionis videtur fuiſſe,ideo tunc miraculum operatus eſt Deus,vt multis, qui ad circũciſionem conuenerant,eſſet notum.Euthymius nõ in die natiuitatis,ſed in die circumciſionis, Zachariam linguæ functionem recepiſſe,ait,propter verba Angeli,dixerat enim; *Ecce eris tacens, vſque in diem quo hæc fient*; ſiquidem dicens, *hæc*, ſignificauit natiuitatem,& nominis impoſitionem, de quibus Angelus fuerat locutus; Eliſabeth pariet tibi filium, & vocabis nomen eius Ioannem,&c.

D. Auguſt. *Origenes.* *In die circũciſionis vocẽ recepit Zacharias. Euthym.*

Quod Dauid à Deo precibus contendebat; *Domine labia mea aperies, & os meum annunciabit laudem tuam*; in Zacharia impletum cernimus. Aperuit mirandum in modum Dominus illius os, & labia, diuinamque laudem annunciarunt. Senſit ille carendo, quantũ beneficium eſſet, poſſe loqui; ideoque recepto linguæ vſu,gratias Deo egit,animo gratiſſimo. Nã beneficiorum Dei magnitudinẽ,quamdiu præſto ſunt, non perpendimus; ſi auferantur,tunc & magno deſiderio ea requirimus,& quanta ſint agnoſcimus, & ſi reſtituantur,gratiſſimo animo recipimus. Hinc illud D.Baſilij in homil. de martyre Iulitta; Cum res charæ adeſſent,ne ſentiebamus quidem; vbi defluxerunt, flagranti vtimur earum deſiderio.

Pſal.50. *D.Baſilius. Beneficia Dei tunc quam magna ſint intelligimus quamque neceſſaria, cum auferuntur. D. Baſil.*

Ideo(vt eodem loco ait idem Sanctiſſimus pater) beneficiis Dei aliquando ingratos priuari conuenit; vt ex eorum priuatione,quanti ſint faciẽda,cognoſcant. Præſentibus, inquit,quæ ex Deo ſunt bonis perfruentes,cum nullam repẽdamus largitori gratiarum actionẽ,vt ſenſum aliquem percipiamus ex iactura rei,neceſſe eſt vt ea ſpoliemur.Id verò adiecta ſimilitudine hoc pacto cõfirmat; Vt oculi quod iuſto propius admotum eſt,non vident,ſed opus habent moderata quadam interuallari diſtãtia;itidem animas minus gratas,videmus ſenſu attingi præreptæ gratiæ, dum priuatas ſe intelligunt prærogatiua bonorum. Acceptis enim vitæ iſtius cõmodis, erga benignum datorem ingrati,ne vnam quidem agnoſcunt gratiam; vbi quid intercipi vident,id demum quod interceptum eſt deprædicant. Hæc Baſilius.

Recepta igitur loquendi facultate, Zacharias nouum canticum in actionem gratiarum canit. In eo autẽ non agit gratias,quòd vocem recuperarit, propterea quòd vt Sol ſtellis, ita ingens incarnationis beneficiũ,huic beneficio tenebras offudit, tanti beneficij magnitudine raptus, cantico illud celebrat. Neque hoc ſilentio eſt inuoluendum, duo vocaliſſima,ac præſtantiſſima cantica, in domo vocis, id eſt, Ioannis,edita eſſe,alterum Virginis Deiparæ,alterũ Zachariæ.Quid mirum,ſi diuina cantica ſonant,vbi diuini verbi vox naſcitur? Diuinum verbum,verbis celebrat Zacharias, quoniam verba amat diuinum Verbum.poſt linguæ fũctionem recuperatam, verborum primitias,immenſo Verbo offert.

Duo cantica in domo vocis edita.

Si enim primitias,quæ ex terra oriuntur, vt frumenti,vt vini,& olei Deus expetit,quid ni primitias verborum expetat, quæ è corde naſcuntur? quam veroilli gratæ ſint hæ verborum primitiæ, & oblationes,docet Chryſoſt.in ſer.quem habuit presbyter deſignatus,tom.5.his verbis Botrũ,& ariſtã ſuo terra emittit è gremio,alit pluuiarum irrigatio, colit agricolarũ manus; at ſacrum hymnũ parit animi pietas,alit bona conſcientia,Deus in cæleſtia recipit horrea;porro quanto præſtantior eſt animus terra;tanto hæc illa melior eſt oblatio.Qua propter, & prophetarum quiſpiam,videlicet Oſeas, eos qui Deum offenderant, parabantque illum ſibi propitium reddere,adhortatur dicens; *Tollite vobiſcum verba.*Et quale ſacrificium,dixerit aliquis, ſunt verba? maximum quidem,ac ſplendidiſſimum, & quis iſta dicit? Dauid: *Laudabo nomen Dei cum cantico, & magnificabo eum in laude*, mox huius ſacrificij præſtantiam nobis aperiens ſubiecit; *Et placebit Deo ſuper vitulum nouellum,cornua producentem,& vngulas*; Hactenus Chryſoſt. Theodoretus verba hæc pſalmi ſic explicat: Magis gratum erit tibi laudis ſacrificium, quam iunior & pinguis vitulus,& Auguſt. Gratius erit Deo ſacrificium laudis,quam ſacrificium vituli;item: Amplius placebit Deo laus eius exiens ex ore meo,quam magna victima adducta ad aram ipſius,&c. Eodẽ Pſalmo Auguſtinus verba in Dei laudem prolata gemmas vocat;Quas,inquit,gemmas laudis Dei,pauper iſte de theſauro interiore protulit,&c.

D. Chryſoſt. Gratiæ ſunt Deo verba primitiæ verborum. *Oſea 14.* *Pſalm.68.* *Theodoret.* *Laus Deo grata.* *D. Auguſt.*

Theſaurum Zacharias habebat in pectore, Theſaurum,inquam,gratiæ,ac virtutum præclariſſimũ. Ex hoc theſauro verba cantici huius,quaſi gemmas pretioſas exprompſit; Ex horto illo amœno cordis, flores hos collegit,ex quibus canticum,odoriferum veluti ſertum, contexuit.Et puri flores ſunt; & manu,id eſt,conſcientia pura collecti, atque contexti; Nam(vt ait Chryſoſt.loco citato) quemadmodum in coronis,non ſat eſt flores eſſe puros, niſi pura ſit & manus,eas contexens; ſic & in ſacris hymnis oportet non verbatantum eſſe pia,verum etiam animum hymnos concinentem, &c.

Laus è pura conſcientia.

Quia viſitauit.

Benedictus (inquit Zacharias) ſit Deus Iſraëlis, quia per incarnationẽ admirabiliter populum ſuũ viſitauit.Viſitauit,inquã,non per Angelũ, aut legatum aliquem,ſed per ſe ipſum, iuxta illud Iſaiæ ex verſione 70.interpretũ; *Nõ legatus neque Angelus,ſed ipſe Dominus ſaluauit eos,eo quòd diligeret eos.* Amor enim,huius viſitationis charitate pleniſſimæ cauſa fuit. Admiratur Dauid tum hominis vilitatem,tum Dei hanc viſitationem,ſic exclamans; *Quid eſt homo,quod memores eius,aut filius hominis,quia viſitas eum*; viſitas,inquã,per incarnationem.Nam quod ſequitur, de Chriſto exponit Paulus.*Minuiſti eum paulo minus ab Angelis.*

Per incarnationem viſitauit Deus plebẽ ſuam. *Iſaia 63.* *Pſalm 8.* *Hebr.2.*

Suboritur tamẽ dubium,quomodo Paulus Chriſtum paulò minus ab Angelis dicat imminutũ. Nã ſi diuinitatem cõſideres, Angelorum eſt Dominus, ſi verò humanitatem ſpectes,naturã Chriſti humanam Angelis præcellere docet Auguſt.lib.3. Contra Maximum cap.25.Natura,inquit,humana, qualem naturam Chriſtus humanæ mentis aſſumpſit, quæ nullo peccato potuit deprauari.ſolus maior eſt Deus,& confirmatur,quia ita ſpiritalibus donis & gratia humanitas illa redundabat,vt cunctos Angelos longiſsimo poſt ſe interuallo relinqueret.Reſpondemus,Paulum de humana natura intelligendum.hoc ſenſu; *Minuiſti Chriſtum*, quo ad humanam naturam,*paulo minus ab Angelis*, quoniam natura humana, ipſa per ſe conſiderata, ſecundum naturalia,inferior eſt angelica. Ideoque dicitur Chriſtus,

D. Auguſt. *Quomodo dicatur Chriſtus à Paulo paulò minus ab Angelis imminutus.*

paulò minus ab Angelis imminutus, quia naturam humanam paſsibilem, paulo minorem angelica, nõ angelicam aſſumpſit. Quocirca D. Ambr. lib. 2. de fide cap. 4. ait Chriſtum imminutum ab Angelis, propter ſuſceptionem corporis. &. D. Thomas, Chriſtus eſt minoratus ab Angelis in paſſibilitate corporis. Auguſtinus aliter exponit loco indicato in hunc ſenſum: Minuiſti eũ paulo minus ab Angelis, propter paſsionem, & Theophylactus; Triduo, inquit, apud inferos commoratus Chriſtus vt homo, paulo minor factus eſt Angelis. Similiter Chryſ. & Oecumenius, Paululũ, ait, ob id dicitur imminutus, quod tribus diebus fuerit apud inferos, &c.

D. Ambroſ. *D. Thomas.* *D. Auguſt.* *Theophyl.*

Viſitauit itaque Deus plebem ſuam, viſitauit vineam ſuam, quod precabatur vates: *Deus virtutũ conuertere, reſpice de cœlo, & vide, & viſita vineam iſtam, & perfice eam, quam plantauit dextera tua, & ſuper filium hominis quem confirmaſti tibi. Incenſa igni, & ſuffoſſa; ab increpatione vultus tui peribunt. Fiat manus tua, ſuper virum dexteræ tuæ, & ſuper filium hominis, quem confirmaſti tibi, &c.* De vineæ, hoc eſt, plebis viſitatione, ſermo eſt, & de Meſſia. *Viſita vineam*, id eſt, plebem tuam Deus, *& viſita ſuper filiũ hominis* Meſſiam, quem tibi ad hoſtes vincẽdos corroboraſti. *Vinea incenſa eſt, & ſuffoſſa*; at hoſtes, ſi tu eam viſitaueris, *ab increpatione tui vultus peribunt*, fiat ergo poteſtas tua ſuper Meſſiam virum tuæ dexteræ, &c. *Pſal. 79.*

Item: *Viſitaſti*, ait, *terram, & inebriaſti eam, multiplicaſti locupletare eam, flumen Dei repletum eſt aquis.* Hęc ſunt viſitationis huius commoda; Orbem diu ſterilem (ait Theodoretus) fructuoſum Dominus reddidit, diuinis riuulis irrigationem afferens; riuuli autem diuini aquarum referti, quinã alij eſſe poſſunt, quam diuini Apoſtoli? de quibus Dominus inquit, *qui credit in me*, ſicut dicit ſcriptura, *flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ.* Cęterũ Dei flumen eſt Spiritus ſancti gratia, &c. Hęc viſitatio miſericordię fuit, & amoris altera iudicij tempore viſitatio erit iuſtitiæ & horroris. Iuxta illud Iſaiæ: *Viſitabo ſuper orbis mala, & contra impios iniquitatem eorum.* Et: *Viſitabo in virga iniquitates eorum.* *Pſalm. 64.* *Theodoret.* *Iſaiæ 13.* *Pſal. 88.*

Viſitat ægrũ medicus, vt ſaluti illum reſtituat; ſic ſummus medicus ęgrum viſitauit hominem, vt ſaluti æternę illum redderet. Viſitauit (ait Beda Luc. 1.) Dominus plebem ſuam, quaſi longa infirmitate tabeſcentem, &c. Et Auguſt. de verbis Domini ſer. 18. Quia ad medicũ venire non poteramus, ipſe ad nos venire dignatus eſt, &c. Infirmitatem verò noſtram medicus ſapientiſſimus infirmitate & incarnatione ſanauit ſua; vt dixit idem pater Auguſt. eodem loco; Bene inquit, nouit ſanctitas veſtra Dominum eſſe medicum ſalutis noſtræ, & ſalutis æternæ; & ad hoc eum ſuſcepiſſe infirmitatem naturę noſtræ, ne ſempiterna eſſet infirmitas noſtra, &c. *Beda.* *D. Auguſt.* *Deus vt medicus viſitauit plebem ſuam morbo confectam.*

Medicus ægro præſcribit rationem victus, potiones, & huiuſmodi alia, ita Chriſtus. Auguſt. loco indicato; Non contempſit Dominus ſaucium, cõtemptus à ſano. Non deſtitit alia dare præcepta languẽti, qui prima cuſtodire noluit, ne langueret. Bibe, inquit, amarũ calicem tribulationũ, bibe vt viuas. Et ne reſpõderet ei languidus: Non poſſum, prior bibit medicus ſanus, vt bibere nõ dubitaret ægrotus, &c. *D. Auguſt.*

Viſitauit ergo Dominus vt medicus plebem ſuã, ſuſcipiamus medicum, pareamus. Nam vt Auguſt. ait ſerm. 8. de verbis Apoſtoli; Cum ſpe ægrotat, qui medicum ſuſcipit, deſperatè ęgrotat, qui per inſaniã medicum cædit, &c. Sed ô immenſam medici bonitatem, & ſapientiam infinitam, qui per inſaniam ab ægrotis cæſus, ex ſanguine ſuo præſentiſſimum aduerſus omnem ægritudinem antidotum, & præparare ſciuit, & præparauit. Quanta bonitas (ait Aug. eodem loco) & potẽtia medici, qui de ſanguine ſuo, inſano interfectori ſuo, medicamentum fecit, & ſer. 9. ſequenti; Phrenetici perdita mente ſæuiebant, & medici ſanguinem ſæuiendo fundebant, ille autem etiam de ipſo ſanguine ſuo ægrotis medicamenta faciebat, &c. *Ex ſanguine ſuo medicamentum præparauit Dominus.* *D. Auguſt.*

Et fecit redemptionem plebis ſuæ.

Si redemptionẽ Deus fecit plebis ſuæ, ergo captiua erat. Nam vt Auguſt. ait Pſal. 70. ipſa redemptio clamat captiuitatem noſtram: vnde enim redempti, ſi non antea captiui? &c. Itaque dira peccati captiuitate tenebamur. Captiui Adami filij, idem quod pater ſubiuimus captiuitatis iugum, quod nullius creaturæ viribus depellià ceruicibus noſtris potuit. Cum ergo creatura non poſſet, fecit creator redẽptionem plebis ſuæ. Qui creator erat, voluit etiã eſſe redemptor, iuxta illud: *Ipſe redimet Iſrael ex omnibus iniquitatibus eius*; ipſe, inquã, creator, nõ alia pura creatura, ipſe Deus factus homo, non homo venundatus ſub peccato. Iſrael (ait Auguſt. in Comment. huius Pſal.) vendere ſe potuit, & fieri venundatus ſub peccato, redimere ſe ab iniquitatibus non poteſt. Ille potuit redimere, qui ſe nõ potuit vendere, qui nõ commiſit peccatum, ipſe eſt redemptor à peccato, &c. Is qui creationem fecerat, fecit & redemptionem, ſed non pari modo, creationem dicendo fecit, redemptionem patiendo. *D. Auguſt.* *Genus humanum in captiuitate redactum Chriſtus redemit.* *Pſal. 129.* *D. Auguſt.* *Homo vẽdere ſe potuit, redimere nõ potuit.*

Amorem noſtrum, vtrumque beneficium ſuo iure flagitat, ſed plus mouet, & accendit beneficium redemptionis, quam creationis. Quod docet Bern. in ſer. 20. Cã. his verbis: Supra omnia redditte amabilem mihi, Ieſu bone, calix quem bibiſti, opus noſtræ redemptionis, hoc omnino amorem noſtrum facile vẽdicat totum ſibi, hoc, inquam, eſt, quod noſtram deuotionem & blandius allicit, & iuſtius exigit, & arctius ſtringit, & afficit vehementius. Multũ quippe laborauit in eo Saluator, nec in omni mundi fabrica tantum fatigationis autor aſſumpſit. Illa deniquæ dixit, & facta ſunt, mãdauit, & creata ſunt; at vero hoc & in dictis ſuis ſuſtinuit cõtradictores, & in factis obſeruatores, & in tormentis illuſores, & in morte exprobratores. Hæc Bernard. *D. Bernar.* *Redemptionis beneficiũ maximè amorem concitat.*

Fecit, inquit, *redemptionem*, non vi redemit, vt olim Iſraelitas, quos Aegyptijs flagellatis, nullo ſoluto pretio, vi è captiuitate eripuit. Videlicet, corporum fuit illa captiuitas, noſtra animorum erat, prætium iuſtitia exigebat, & quidem pretium infinitũ, non vim. Auguſtinus lib. 13. de Trinit. cap. 13. Non potentia Dei diabolus, ſed iuſtitia ſuperandus fuit. Item: placuit Deo, vt propter eruendum hominem, de diaboli poteſtate, non potentia diabolus, ſed iuſtitia vinceretur; atque ita & homines, imitantes Chriſtum, iuſtitia quęrerent diabolum vincere, non potentia, &c. *Diabolus nõ vi ſed iuſtitia victus.* *D. Auguſt.*

Erexit cornu ſalutis nobis.

Cornua, quæ excelſum in capite locum obtinẽt, robur ſignificant, potentiam, auxilium, ac celſitudinem; quoniam animalium cornutorum robur in cornibus excelſis ſitum eſt, ijſq; pugnãt, ſeq; protegunt atq; defendunt. *Deus protector meus, & cornu ſalutis meæ*, id eſt, defenſor vitæ meæ. *Confregit omne cornu Iſrael*, id eſt, potentiam, & celſitudinem. Sic etiam explicari poteſt illud: *Vinea facta eſt dilecto meo, in cornu filio olei*, id eſt, Iſraelitarum vineam, ſiue regnũ, locauit Deus in terra excelſa, atque munita, & olei ferace: *Omnia cornua peccatorum confringam, & exaltabũtur cornua iuſti*, id eſt, robur peccatorum, & celſitudinem, ac ſuperbiam diſperdam, iuſti potentiam exaltabo. Hoc ergo loco erigere cornu ſalutis, ſiue cornu ſalutiferum, eſt ſalutiferum robur, ac potentiam, aduerſus hoſtes excitare: *Erexit* Deus *cornu ſalutis*, id eſt, regiam Meſsiæ potentiam, fortitudinem, ac celſitudinem ſalutarem, ad ſuperandum ſatanam & peccatũ, extulit. Simile illud eſt: *In die illa pullulabit cornu domui Iſrael*, id eſt, robur, ac potentia. *Pſalm. 17.* *Cornis quid ſignificet.* *Thren. 2.* *Iſaiæ 50* *Pſal. 74.* *Ezech. 29.*

Alio

Alio ſenſu, cornu ſalutis crucem indicat, quæ cornu inſtar fuit, quo Chriſtus hoſtes percuſſit, ac vicit, iuxta illud Abacuc. *Cornua in manibus eius, ibi abſcondita eſt fortitudo eius*, id eſt, crucem Chriſtus manibus geſtabit, veluti cornua, quibus hoſtes ventilet, ac dejiciat; in ipſa *abſcondita eſt fortitudo eius*. Cornua autem hoſtium exitium, & euerſionem ſignificare, probat locus ille: *Fecit ſibi Sedecias filius Chanaana cornua ferrea*, & ait, Hæc dicit Dominus, his ventilabis Syriam, donec deleas eam, &c. Et illud: *In te inimicos noſtros ventilabimus cornu.*

Abacuc 3.

3. Reg. 22.

Pſal. 43.

In domo Dauid pueri ſui.

Quia Chriſtus à Dauide ortus eſt, vnde filius Dauid appellatur; ideo in domo Dauid Chriſti cornu, regiamque aduerſus peccatum, & Satanam, potentiam excitatam ait. Eundem in modum canit vates, *illuc*, id eſt, in Sionem, *producam cornu Dauid*, paraui lucernã Chriſto meo, id eſt, producam & faciã germinare cornu Dauidi, eſt enim datiui caſus τῷ Δαβὶδ, regiã Meſſiæ potẽtiã è domo Dauidis mittã in Sionẽ. Paraui lucernã Chriſto meo, id eſt, Regi meo Dauidi, paraui poteſtatẽ, & Virginem Mariam illi filiam præordinaui, ex qua Meſſias oriatur. Theodoretus in Commentarijs horum verborum ſic ſcribit; Illuc producam cornu Dauid, ſermo Chriſti ortũ ſecundum carnẽ prædicit. Paraui lucernam Chriſto meo, lucernam rurſus diuinus ſermo, tẽplum ex Dauide nominat, cum lucẽ Dei matris tacite demõſtraſſet.

B

Pſal. 131. Chriſtus ex Dauide ortus.

Theodoret.

Sicut locutus eſt per os Sanctorum, qui à ſæculo ſunt, prophetarum eius.

Prophetarum vaticinia impleta canit. Erexit cornu ſalutis Deus, Meſſiæ regiam, ſalutiferamque potentiam, ex domo Dauid in terras miſit. Sicut prædixit per os ſanctorum prophetarum eius, id eſt, ſuorum, qui fuerunt à ſæculo, id eſt, ab antiquis temporibus. De Chriſti autem aduẽtu vaticinatos prophetas, nemo ignorat, ait Petrus; *Chriſto omnes prophetæ teſtimonium perhibent, remiſſionem peccatorum accipere per nomẽ eius, omnes qui credunt in eum*. Et: *Omnes prophetæ, à Samuel, & deinceps, qui locuti ſunt, annunciauerunt dies iſtos*. & Luc. *Chriſtus incipiens à Moyſe, & omnibus prophetis, interpretabatur illis in omnibus ſcripturis, quæ de ipſo erant*, &c. In hunc tiam ſenſum exponitur illud: *Paraui lucernam Chriſto meo*; id eſt, prophetiam, quæ veluti lucerna iter ad Chriſtum oſtenderet, iuxta illud: *Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen ſemitis meis.*

C

Prophetæ de Chriſto vaticinati ſunt.

Act 10.

Act. 3.

Luce 24.

Pſal. 131.

Pſal. 118.

D

Salutem ex inimicis noſtris, & de manu omnium qui oderunt nos.

Quam ſalutem nobis Meſſias attulerit, indicat. Salutem, inquit, & liberationem, ex omnium hoſtiũ captiuitate, ac manu, & poteſtate; qui nos magno proſequuntur odio. Hi autem mali dæmones ſunt. Accuſatiuum, ſalutem, quidam cum verbo locutus eſt, coniungunt, hoc ſenſu; *Erexit cornu ſalutis, ſicut locutus eſt per os prophetarum*, id eſt, promiſit ſalutem hãc, de manu omnium qui oderunt nos. Alij cõmodius coniungunt cum verbo, *Erexit*, dixerat enim Zacharias; *Erexit cornu ſalutis*, quæ ſit ſalus hæc oſtẽdit, quaſi dicat; *Erexit*, inquam, & excitauit ἤγειρε græcè, ſalutẽ ex inimicis noſtris. Ianſenius putat duram eſſe hanc locutionem. Sed erexit ſalutem, dixit Zacharias, ſiue excitauit ſalutem, quia ſalus erat altiſſima, non terrena, qualis eſt quam populo Reges afferunt, cũ hoſtes vincunt, ſed cœleſtis, & ſpiritualis, nunc animorum, poſtea etiam corporum. Præterea ſalutem pro Saluatore vſurpauit, quaſi diceret; *Erexit*, & excitauit Saluatorẽ, qui ipſa eſt mundi ſalus, quippe nos ex omnium hoſtium poteſtate liberabit. Hoc dicẽdi modo vtitur ſcriptura. *Suſcitauit eis Saluatorem*, græcè id verbum eſt, quo vtitur Lucas ἤγειρε σωτῆρα. Poteſt etiam ſubintelligi verbũ miſit, vel præſtitit hoc ſenſu, miſit ſalutem promiſſam, &c.

E

Iudic. 3.

Obſerua non dixiſſe Zachariam, ſicut locutus eſt per ora prophetarum, ſed *per os*; quia vno omnes ore, atque conſenſu de Meſſia locuti ſunt. Obſerua item, verba illa; *De manu omnium qui oderunt nos*, non enim ſatis eſt, de manu hoſtis vnius, vel alterius, vel plurium liberari, ſi vel vnius tantum manus te cõprehenſum teneat. Lethifera peccata hoſtes ſunt: omnia fugienda ſunt, ſi ſalutem vis conſequi. Nam etſi multis laqueis conſtrictam non teneat auceps auem, ſatis illi eſt, ſi vel vno teneat.

Vno ore omnes prophetæ vaticinati ſunt.

Omnia peccata fugienda.

Ad faciendam miſericordiam cum patribus noſtris, & memorari teſtamenti ſui ſancti.

Aduentus Meſſiæ, & redemptionis cauſam, fuiſſe aperit, miſericordiam Dei erga patres; pactum cum illis initum de Meſſia mittendo, & iuſiurandũ Græce ποιῆσαι & μνησθῆναι, id eſt, facere miſericordiã, & recordari teſtamẽti. Quaſi dicat; præſtitit beneficiũ tantum Deus, & ſalutem altiſſimam excitauit, non ex meritis noſtris; ſed vt miſericordiam antiquis patribus præſtaret, & vt teſtamenti, id eſt, fœderis ſancti, de Meſſia mittendo, cum illis percuſſi, memorẽ ſe oſtenderet, & iuſiurandi. Vnde ſequitur.

Iuſiurandum, quod iurauit; nam nomen iuſiurandũ, cum verbo memorari coniungendum eſt, quod & accuſatiuum regit, & genitiuũ; ita etiam Lucas græcè dixit, μνησθῆναι, διαθήκης, & ὅρκου, hoc eſt, *memorari teſtamenti, & iuſiurãdum*. dicere potuiſſet, & iuriſiurãdi. Forte accuſatiuũ *iuſiurandum*, cum verbo, *erexit*, coniunxit Lucas, & interpres; Quemadmodũ coniunximus accuſatiuũ, *ſalutem*, in hanc ſententiam; Erexit nobis Dominus cornu ſalutis; Erexit, ſiue excitauit ſalutẽ, id eſt, Saluatorẽ, qui ipſa ſalus eſt, & erexit, ſiue extulit iuſiurandum, quod iurauit ad Abraham patrem noſtrum. Videbatur enim iacêre Dei illud iuſiurandum, antequam impleretur, cum impleuit, videtur illud erexiſſe Deus, atque extuliſſe. hoc autem iuſiurandum extat; *Per memetipſum iuraui, quia feciſti rem hanc*, &c.

Geneſ. 22.

Obſerua Zachariam incarnationis, & redemptionis maximum beneficium, miſericordiæ diuinæ tribuere, & pacto, ſiue promiſſioni patribus exhibitæ. Eodem modo Virgo Deipara, in cantico ſuo; *Suſcepit*, inquit, *Iſrael puerũ ſuũ recordatus miſericordiæ ſuæ. Sicut locutus eſt ad patres noſtros, Abraham, & ſemini eius*, &c. Et Dauid: *Recordatus eſt miſericordiæ ſuæ, & veritatis ſuæ, domui Iſrael*. Veritatis, inquã, ſuæ, id eſt veracitatis, quia quem pollicitus fuerat redemptorem, in domo Dauid excitauit, Et: *Miſericordia & veritas obuiauerunt ſibi*, id eſt, quo tempore Verbum diuinum incarnatum eſt, miſericordia Dei, & veracitas in præſtandis promiſsis, ad opus illud admirandum concurrerunt. Sequitur in eundem ſenſum, *iuſtitia & pax oſculatæ ſunt*, id eſt, iuſtitia Dei, quam in ſuis promiſsis ſeruat, vel iuſtitia, qua nos iuſtos efficit, & pax, ac tranquillitas hominum, veluti mutuo ſe oſculo exceperunt. *Veritas de terra orta eſt*, id eſt, Dei veracitas, Dei illud pactum initum cum patribus, illud iuſiurandum, de terra, & in terra germinauit, ipſumque Meſſiam protulit. *Et iuſtitia* Dei ad iuſtificandos homines, *de cœlo proſpexit*, vel iuſtitia Dei, quæ in pollicitationibus implendis cernitur, è cœlo, terras benignis intuita eſt oculis, Paulus item: *Dico Chriſtum miniſtrum fuiſſe circumciſionis*, id eſt, doctorem Iudæorum circumciſorum, propter veritatem Dei, ad confirmandas promiſsiones patrum; gentes autem ſuper miſericordia honorare Deum, id eſt, dico Chriſtum ad Iudæos fuiſſe miſſum, vt Dei promiſſa præſtaret, gentes vero aio laudare Deum, quod eis filium ſuum miſericordia impulſus dederit.

Incarnationis beneficiũ miſericordiæ Dei tribuitur, & promiſsioni.

Pſalm. 79.

Pſalm. 84.

Rom. 15.

Daturum ſe nobis, vt ſine timore, &c.

Quid Deus Abrahamo iurauerit, hæc verba indicant; Recordatus eſt Deus iuſiurandum, quod iurauit

rauit ad Abrahã, iurauit autem *daturum se nobis, vt sine timore illi seruiamus, de potestate hostium liberati*, seruiamus, inquam, *in sanctitate, & iustitia, omnibus diebus vitæ nostræ.* Ita intellexit græca Lucæ verba noster interpres, atque ita intelligi possunt. Iansenius, quia quod dicitur datur ũ se nobis, est infinitiuus Græcus τῶ δόναι, vult nouam hic inchoari sententiam, hoc modo; Visitauit plebem, vt daret nobis id quod sequitur, scilicet; *Vt sine timore liberati ab hostibus seruiamus illi*, &c. Sed sequendus est noster interpres. Continentur hoc loco, bona, quæ in orbem Christus attulit. Primum est libertas. Depulit enim ex ceruicibus nostris, dirum peccati, mortis, dęmoniſque iugum, *vt sine timore de manu horum inimicorum liberati, seruiamus illi.* Secundum est seruitus diuina. Iugo nos liberauit gratissimo, imposuit *iugum suaue, & onus leue*, quid enim suauius, quam Deo seruire? Tertium sanctitas, & iustitia. *In sanctitate*, inquit, *& iustitia, coram ipso*; coram ipso, ait, quia seruorum est coram Domino versari, & præsto esse Quartum perseuerantia. *Omnibus*, ait, *diebus nostris.* Hæc omnia Christi seruis necessaria sunt; Primo, vt hostium, id est, dæmonis, ac peccatorum fœdam seruitutem effugiant; nemo enim potest duobus dominis seruire. Deinde, vt Christi seruituti se mancipent; Præterea *in sanctitate, & iustitia, coram illo* versentur. Denique, vt omnibus vitæ diebus, ad mortem vsque in regia hac seruitute perseuerent.

Bona, quæ Christus orbi attulit.

Et tu puer Propheta Altissimi vocaberis, &c.

Hæc est secunda huius cantici pars. Alloquitur Zacharias infantem natum, & quorsum in lucem editus sit prædicit; Tu, inquit, fili, feliciter natus es, vt Propheta sis altissimi Dei. Præibis enim ante faciem Domini Dei Messiæ, & præcursor illius eris, Præibis, inquam parare vias eius, id est, vt iter illi in animos hominum, per pœnitentiam, & baptismum præpares. Vnde illa vox Ioannis: *Parate viam Domini, rectas facite semitas eius, omnis vallis implebitur, & omnis mons, & collis humiliabitur, & erunt praua in directa, & aspera in vias planas.* *Præibis item ad dandam scientiam salutis, plebi eius.* Præibis ad dandam (ait Bernardus in sermone de Baptista) non salutem, sed scientiam salutis. Græcè præibis, τῶ δόναι, dare scientiam, id est, ad dandam, vel vt des scientiam salutarem plebi, de Messiæ aduentu, de pœnitentia, & baptismo. *In remissionem peccatorum*, id est, vt per hanc scientiam salutis, quam hominibus trades, ad remissionem peccatorum se præparent, eamque per contritionem consequantur. Vnde illud: *Venit in omnem regionem Iordanis, prædicans baptismum pœnitentiæ, in remissionem peccatorum.* Vel, *Præibis ante faciem eius, ad tradendam populo scientiam salutis*, hoc est, Saluatoris venientis; *in remissionem peccatorum*, hoc est, ad remittenda & tollenda peccata. Hãc scientiam tunc maximè docuit Ioannes, cùm Christum illis verbis ostendit; *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi.* Aliter, vt des cognitionem salutis per Messiam afferendæ; salutis, inquam, in remissionem peccatorum missæ, quæ in remissione peccatorum, gratiaque munere versatur.

Luca 3.

D. Bernard.

Luca 3. Quæ sit scientia salutis.

Per viscera misericordiæ Dei nostri, in quibus visitauit nos Oriens ex alto.

Primus horum verborum commentarius hic est Theophyl. Euthymij, Iansenij, & aliorum; *præibis ad dandam scientiam salutis, in remissionem peccatorum*, quæ quidem peccatorum remissio, *per viscera misericordiæ Dei*, nobis contingit. Sed satius est, ad superiora hæc referre, vt sit hominis magno Dei amore inflammati, inflammata oratio; *Per viscera misericordiæ Dei nostri*, hæc cuncta quæ dixi, nobis euenerunt, *in quibus* visceribus, id est, per quam infinitam misericordiam, *visitauit nos* ex alto cœlo Sol. Venit in mentem Zachariæ, filio impositum nomen, idque explicauit iis verbis; *Per viscera misericordiæ Dei nostri*, significat enim Iehochanan, vt diximus, Dei gratiam, vel Deus misertus est; Quasi dicat, non nostris meritis tanta Deus retribuit beneficia, gratiæ sunt, non meritorum. Misertus nostri est *per viscera misericordiæ suæ; visitauit nos ex alto oriens*. Oriens, autem non est participium, sed substantiuum nomen, Græcum est ἀνατόλη, quod significat locum, vnde sol oritur. Quanto locus longius distat, tanto pluris fit visitatio: hæc Dei visitatio ex alto cœlo est, maximi igitur facienda.

Non meritis, sed misericordiæ tribuitur visitatio Dei.

Illuminare iis qui in tenebris, & in vmbra mortis sedent.

Illuminare Græcè, ἐπιφάναι, infinitiuus est, apparere, illucescere, *visitauit nos oriens, illucescere*, id est, vt illucescat iis, qui in caliginoso hoc orbe viuunt, sedentque & habitant in tenebris, & in vmbra mortis, *Vmbra mortis* dicitur caligo magna, qualis ea est, quæ mortuorum oculis circumfunditur, vel in sepulchris tenebrosis reperitur. Psalm. 43. *Humiliasti nos in loco afflictionis, & cooperuit nos vmbra mortis.* Vmbram mortis (ait Theodoretus) discrimina, quæ ad mortem ducunt, vocauit.

Vmbra mortis quid sit.

Quo in statu mundus sine Christo fuerit, docet Zacharias. Quod sine sole, id fuit sine Christo. Sol mundi spiritalis Christus est. Sedebant olim antiqui illi patres in tenebris, nondum exorto sole, & in vmbra mortis ipsius Christi. Quid enim erant omnes illæ victimæ, illa sanguinis tam frequens in templo effusio, illi ritus sacri; nisi mortis Christi vmbra, in qua populus ille sedebat, mortem expectans Domini? Cùm hæc Zacharias canebat, in oriente Sol erat; *Visitauit*, inquit, *nos oriens*, iam radios spargere per nubem Virginei ventris inceperat, cum Ioannem illuminauit. At in occidente, id est, in morte, multo clariorem effudit lucem. Sol in occidente lumen aufert; noster sol in occidente maximè splendorem effudit. In vmbra huius occidentis, & mortis, antiqui illi sedebant; ideoque ad occidentem fundebant preces. Sancta enim Sanctorum, versus quæ Deum precabantur, & ritè adorabant, in occidentali templi parte erant.

Iudæi versũ occidentem adorabant: Solis enim occasum, & Christi mortem expectabant.

Ad dirigendos pedes nostros in viam pacis.

Illuminauit nos sol, *ad dirigendos pedes nostros in viam pacis*, id est, vt rectis gressibus, per viam pacis, hoc est, pacificam hostibusque liberam, & solis radiis illuminatam, in cœlum tendamus. Per densissimas tenebras via non apparet, orto sole fit conspicua, recto tunc itinere quo volunt pergunt viatores. Isaiæ 9. *Populus qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam, habitantibus in regione vmbræ mortis, lux orta est* eis. Ambulabat populus in tenebris, non recto gradiebatur itinere, lux orta est, quæ hominum pedes gressusque direxit.

Isaiæ 9.

Puer autem crescebat, & confortabatur spiritu, & erat in desertis, vsque in diem ostensionis suæ ad Israël.

Ioannis vitam paucis Euangelista complectitur, ad id vsque tempus, quo hominibus se ostendit. *Puer*, inquit, *crescebat, & confortabatur*, corroborabaturque spiritu, *& erat in desertis, vsque in diem ostensionis suæ ad Israel*, vnde constat in deserta discessisse Iudææ loca, & in eis vsque ad diem ostensionis suæ, cœlestem vitam traduxisse.

Sot. 4. dist. 30. quæst. 1. artic. 1. ait, fuisse in solitudine Essenorum collegium, qui Anachoretarum more viuerent sanctissimè, horumque institutum secutum Ioannem, sed fallitur. Nam si Ioannis vita cum Essenis fuisset communis, non tantam Iudæis admirationem attulisset, nec caneret Ecclesia, *loca deserta teneris sub annis petiuisse, ne leui saltem maculare vitam*

Sotus.

Ioannes in solitudine vitam egit.

tam famine poſſet. Cùm enim in collegio Eſſenorũ vi-
ueret, facilè erat verbis ocioſis inquinare linguam.
Vixit ergo Ioannes, ab omni hominum conſortio
Chryſoſt. remotus, quod Chryſoſt. docet homil. 38. in Mat-
thæum: Ioannes, ait, nulli hominum, antequam ad
baptizãdum accederet, Deo autem ſoli, ſua ſemper
offerebat colloquia. Neminem vidit vnquam con-
ſeruorum, neque ab aliquo horum viſus fuit, non
lacte nutritus, non lecto ſuſceptus, non tecto, non
foro, non alia re humana vſus erat, &c.

Cuius autem ætatis fuerit, cum eremum petiuit,
ignotum eſt. In pueritia diſceſſiſſe colligimus ex his
verbis Lucę; *Puer creſcebat, & confortabatur ſpiritu, & erat*
in deſertis, & ex verbis hymni Eccleſiaſtici; *Antra de-*
ſerti, teneris ſub annis, ciuium turmas fugiens, petiſti. Hac de B
Nicephorus. re Nicephorus lib. 1. cap. 14. hoc modo ſcribit; Io-
annes alterum cum dimidio annum agebat, & vna
cum matre Eliſabetha, in ſpelunca quadam ad re-
gionem montanam, ſaluus conſeruabatur. Fortaſſe
Herodis ſanguinariam effugiens manum. Atque
inde in ſolis locis libenter verſari ſolitus, angeloque
duce vſus, in remotiores ſyluarum receſſus ſeceſſit.
Cedrenus. Hæc ille. Eadem habet Cedrenus in compend. hiſt.
Et addit, Eliſabetham poſt. 40. dies in eadem ſpelũ-
ca obijſſe, Ioannis verò curam ſuſcepiſſe Angelũ.
Iacobus Epiſc. Iacobus Valentinus Epiſcopus Chriſtopolit. hæc
ſcribit in commentarijs cantici Deiparæ Virginis;
Opinio accelerati vſus rationis in Ioanne, habita eſt
tanquam certa, quaſi apud omnes Doctores, eo quòd C
Ioãnes in tertio anno iam vtebatur libero arbitrio,
quia ingreſſus eſt deſertum ad pœnitentiam agen-
Franciſci de Maironis. dam, &c. Egregius Theologus Franciſcus de Mai-
ronis in ſerm. de Baptiſt. ait, Ioannem quinto ætatis anno in ſolitudinem abijſſe, trigeſimo, iuſſu Do-
mini, ad docendum populum exiiſſe; in deſerto au-
tem 25. annis traduxiſſe vitam.

CAPVT III.

De *prærogatiuis* D. *Ioannis Baptiſtæ.* D

ALexander ille Magnus (vt Plutarchus ait) feli-
cem appellauit Achillem, quod Homerum,
ſuarum laudum præconem habuerit. At nos melio-
ri iure Ioannem non felicem ſolũ, ſed feliciſſimum
nominabimus, quòd non vnum Homerum, ſed
multos Homero præſtantiores præcones ſortitus
fuerit. Felicem te ô Achilles (dixit Alexander, vt ei-
us verba Hieronymus in vita Hilarionis refert) qui
magno fruaris præcone meritorum. Felicem te po-
tius, & feliciſſimum nos dicimus, ô Ioannes, qui ma-
ximis fruaris tuarum virtutum laudatoribus.

Ioannes mul-
tos habuit
laudis ſuæ
præcones.
Iſaiæ 40. Etenim Prophetas in primis habuit Baptiſta, I-
ſaiam, ac Malachiam, præcones. Iſaias cap. 40. *Conſo-*
lamini, inquit, *conſolamini populo meus, dicit* Deus veſter. *Lo-*
quimini ad cor Hieruſalem, & aduocate eam, quoniam comple-
ta eſt malitia eius, dimiſſa eſt iniquitas illius, ſuſcepit de manu
Domini duplicia pro omnibus peccatis ſuis. Vox clamantis in de-
ſerto, parate viam Domini, *rectas facite* in ſolitudine *ſemi-*
tas Dei noſtri, &c. Hoc eſt; Conſolationem accipiat
populus, quod verus conſolator Meſſias veniet. Hie-
ruſalem mœſtitiam verbis ſuauibus lenite; nuntiate
illi, quòd completa eſt malitia eius, id eſt, labor eius
in ſeruanda lege veteri. Sic ſumitur malitia Matthęi
Matth. 6. 6. *Sufficit diei malitia ſua.* Verti etiam poteſt, *completa eſt*
militia eius ſub vexillo legis veteris, iam alia inſtat militia
ſub vexillo crucis. Vel, *completa eſt malitia eius*, id eſt,
peccatum, & *dimiſſa eſt iniquitas illius*, id eſt, dimitte-
tur per Chriſtum, *ſuſcepit* enim, id eſt, ſuſcipiet, *de*
manu Domini *duplicia*, id eſt, magnos Chriſti cruciatus,
A quibus peccata omnia aboleri poſſint. Veniet opta-
tus redemptor, ſed ante eum vox in deſerto cla-
mans; *Parate viam Domini*, id eſt, Ioannes præcurſor
audietur. Malachias verò cap. 3. *Ecce ego, ait* Dominus, *Malach 3.*
mitto Angelum meum, & præparabit viam ante faciem meam,
& ſtatim veniet ad templum ſuum Dominator, id eſt, Meſ-
ſias. Hunc Angelum, ſiue nuntium, Ioannem eſſe ex
Euangeliſtis ſatis conſtat.

Poſt prophetas Angelus Gabriel Ioannis laudes
prædicauit, Lucæ 1. *Erit*, inquit, *magnus coram Do-* *Lucæ 1.*
mino, vinum & ſiceram non bibet, & Spiritu ſancto reple-
bitur, adhuc ex vtero matris ſuæ, & multos filiorum Iſrael con-
uertet ad Dominum Deum *ipſorum, & ipſe præcedet ante illum,*
in ſpiritu & virtute Eliæ, &c.

Poſt Angelum pater Zacharias, Spiritu ſancto af-
flatus, infantem ſic affatur; *Tu puer propheta altiſſimi vo-* *Lucæ 1.*
caberis; præibis enim ante faciem Domini *parare vias eius, ad*
dandam ſcientiam ſalutis plebi eius, in remiſſionem peccatorũ.

Poſt Zachariam, Euangeliſtæ omnes, Ioannis vir-
tutes celebrant; Marcus quidem à Ioanne Euange- *Marc. 1.*
lij initiũ feliciter ducit; Ioannes verò, à diuino Ver- *Ioan. 1.*
bo aquilinos paululum auertens oculos, ad Ioan-
nem protinus illos conuertit; *Fuit*, inquit, *homo miſſus* *Matth 3.*
à Deo, &c. Matthæus item, & Lucas, multa de eo ver- *Matt. 11.*
ba faciunt. *Lucæ 3.*
Luca 7.

Præclari hi quidem laudum præcones; at ſi cum
Chriſto conferantur, quid illi ſunt? Hic libet excla-
mare, & Alexandri verba iterum vſurpare: O feli-
ciſimum Ioannem, qui Deo fruaris tuarum virtu-
tum præcone. Etenim ſatis exploratum eſt, Ioannẽ
non vulgari, ſed maxima laude, à Chriſto eſſe affe-
ctum. Quænam maior laus eſſe poteſt illa, quæ om-
nes laudes complectitur? *Inter natos mulierum non ſur-* *Matt. 11.*
rexit maior, Ioanne Baptiſta. *Luca 7.*

Tantis his præconibus acceſſere Auguſtini, Hie-
ronymi, & infiniti alij, omnibus ſæculis laudatores;
nullum enim ſæculum, nulla de Ioannis gloria ętas,
aut conticuit, aut vnquam cõticeſcet. Nec ergo no-
ſtra taceat ætas, nec noſtra ſileat lingua, ſed pro te-
nui parte, tanti herois encomia celebret.

Non indiget ille noſtro encomio, ſed nos illius
indigemus exemplo; dum enim virtutes celebrabi-
D mus, ad illius nos imitationem incendemus, quæ eſt
Magni Baſilij ſententia, in Gordium Martyrem. Sã- *D. Baſilius.*
cti, inquit, non noſtris indigent laudibus ornari, ſed
nos ipſorum vitæ hiſtoria, & cõmemoratione, imi-
tationis gratia indigemus. Quemadmodum enim ex
igne emicat ſplendor, ex vnguẽto diffunditur odor;
ſic ex Sanctorum commemoratione geſtorum ad
omnes prouenit vtilitas, &c.

Quemadmodum è turri Pharo, noctu accenſę fa- *Sanctorum*
ces, nauigantium curſum regebant; ita è celſa ſan- *exempla, fa-*
ctorum vita, accenſæ virtutes, iter in cęlum agentiũ *ces iter in cę-*
greſſus dirigunt. Vnde illud D. Gregorij Nyſſeni in *lum illumi-*
vita Thaumaturgi; Eiuſmodi ſermonis (videlicet de *nantes.*
virtutibus Sanctorum) munus, commune audientiũ
emolumentum erit, tanquam fax è mari adnauigan-
E tibus; ad ſeſe dirigens eos, qui in caligine per pela-
gus oberrant, &c. Item: Illud perſpicuum eſt, quod
vita eius, (id eſt, Thaumaturgi Gregorij) per virtu- *D. Gregor.*
tem tranſacta; veluti fax quædam, animis noſtris af- *Nyſſenus.*
fulgens, viam ad bonum patefacit, &c. Similem in
modum & Ioannis laus, & vita, inſtar facis nos illu-
minabit; ſiquidem, vt Chriſtus ait, fax fuit, & lucer-
na lucens, atque ardens.

Prima Ioannis prærogatiua. A parentibus ortus
eſt, virtute, & Aaronico, ſacerdotalique ſanguine,
illuſtribus. Vtramque ob rem ab Euangeliſta com-
mendantur; *Fuit*, inquit, *in diebus Herodis regis Iudææ, ſa-*
cerdos quidam nomine Zacharias de vice Abia, & vxor illius de
filiabus Aaron. Hæc de ſacerdotali, Aaronicoque gene-
re. De virtute verò; *Erant iuſti ambo, ante* Deum, *incedentes*

tes in omnibus mandatis, & iustificationibus Domini sine querela. Docet nos Scriptura (ait in hæc verba Ambrosius) non solùm mores in iis, qui prædicabiles sunt, sed etiam parentes oportere laudari. Vt veluti transmissa, immaculatæ puritatis hæreditas, in iis, quos volumus laudare, præcellat. Item: Non solùm à parentibus, sed etiam à maioribus, Ioannis nobilitas propagatur; non sæculari potestate sublimis, sed religionis successione venerabilis. Tales enim maiores habere debuit prænuntius Christi; vt non repente conceptam, sed à maioribus acceptam, & ipso infusam iure naturæ, prædicare fidem dominici videretur aduentus. Hæc Ambros.

D. Ambros.

De nobilitate Ioannis.

Vera nobilitas est virtus.

Itaque Ioannes veram hausit à parentibus nobilitatem, hausta mirum in modum auxit. Verã, inquam, nobilitatem, id est, virtutem. Triplex enim nobilitatis genus est, vt Nazianzenus Gregor. docet oratione 28. quod verò in virtute positum est, id verum, atque solidum. Triplex (inquit ille) genus est. Vnum, quod supernè originem traxit; quod quidẽ si consideremus, omnes peræque nobiles sumus; quippe ad imaginẽ Dei creati. Alterum, quod à sanguine proficiscitur; cuius ratione haud quidem scio, an quisquam nobilis dici possit, cum corruptione cõstet. Tertium à virtute aut vitio agnoscitur, cuius vel vberius, vel exilius participes efficimur, prout, opinor, diuinam imaginem, vel integram seruauerimus, vel corruperimus. Atque hanc demum nobilitatẽ amplectetur, quisquis verè sapiens ac Philosophus fuerit, &c. Et oratione vndecima de Gorgonię nobilitate verba faciens; Nobilitas, inquit, diuinæ imaginis conseruatio, atque archetypi imitatio, quã ratio, & virtus efficiũt, &c. Idem docet alter Greg. Nyss. in oratione de Thaumaturgo; Vna, ait, est generis amplitudo, propinquitas cũ Deo, quæ nõ casu cuiquã contingit, quemadmodum mũdana claritudo generis, quæ etiã ad improbos defertur, sed quæ nõ aliter, ac electione voluntatis acquiri possit, &c.

D. Gregor. Nazianz.

D. Gregor. Nyssen.

Adde tertium Gregor. Magnum, is in commentariis primi libri Regum c. 9. in illa verba; Vir nobilis Samuel: hæc scripsit; Nobilis dicitur, quia superna conuersatione conspicuus est, & de mundanæ vitæ rusticitate nihil habet. Inde enim nobilis, vnde cuius. Sæculariũ quippe hominum, quia nulla est morum compositio, quasi in exterioribus locis nutriti, rustici sunt, &c. Si ergo nobilitas virtus est, quis Ioãne nobilior, qui virtute nemini cedit? O nobilissimũ virũ, qui de mundanæ vitę rusticitate nihil habuit, sed in cęlesti patria mente perpetuo versans, summam ęternamque sibi nobilitatem comparauit.

D. Gregor. Magnus.

Mundana vita rustica est, sancta vita nobilis.

Secũda Ioannis prærogatiua. Ex sterili vtero parentibusque ætate prouectis castissimè est genitus, vt castissimi angeli conceptio, ac natiuitas, omnibus esset admirabilis. Diuinitus est procuratum (ait Beda in homilia de vigilia Baptistæ) vt sterili matre, & vtroque parente prouectioris ætatis Ioannes nasceretur, quatenus etiam ipse ortus eius miraculo patefaceret, virum magnæ virtutis futurum esse, qui nascebatur, vbi desinente omni lasciuia concupiscentiæ carnalis, constaret, quia nulla in cõceptione causa voluptatis, sed sola cogitata sit spiritalis gratia prolis. Hæc Beda, Angelus erat Ioannes nõ natura, sed vita, mentisque ac corporis puritate, castissimam ergo flagitabat generationem, vnde illud Chrysol. ser. 4. de Ioanne Baptista: In Zacharia & Elisabeth stupet sexus, frigescit caro, membra sopiuntur, adolescit quidquid est & humani ordinis, & negotij cõiugalis, vt diuino munere, non partu, ex hominibus Angelus nasceretur, & ser. 3. Natus est Ioannes, ex sancto corpore Zacharię, & senectute ab omnibus vitijs defœcato, & exempto iuuentutis incendijs, &c. Serm. 6. sterilitas fugit, parit castitas, nasci-

Beda. Castissima Ioannis conceptio, ex corporibus à cõcupiscentia defœcatis.

D. Chrysol.

A tur maior homine, par Angelis, legis & gratiæ fibula, &c.

Præcursor fuit Ioannes Christi in ipsa etiam cõceptione, mirabilis Ioannis conceptio, mirabiliorẽ Christi cõceptionem pręcesit. Elisabeth sterilis, & grandęua supra naturę morem concepit Ioannem; integerrima Virgo virginitatis flore seruato, ipsa natura obstupescente concepit Christum. Chrysolog. ser. 87. Dominus vt cordibus cęcatis irradiaret partus virginei sacramentum; annosę sterilitatis ante pręmisit conceptum, &c. August. serm. 36. de sanctis; Ioannes venit, desperata generatione per sterilem, & Christus natura obstupescente, per virginẽ, & serm. 20. (si tamẽ August. est) insperata prole sterilitas muneratur, quia nouo partu erat muneranda, B virginitas, Ambros. serm. 1. de Ioanne; Debuit præcursor Christi, aliquid simile habere natiuitati Saluatoris, siquidem Dominus de Virgine gignitur, Ioannes de sterili procreatur: ille de adolescentula, iste de iam fessa generatur. Sicut Mariam suspicimus, quod Virgo pepererit, ita in Elisabeth miramur, quod anicula procreauerit, &c. Et D. Maximus Quam decuit, vt de matre sterili nasceretur, qui fœcunditatem Virginis reuelabat; quatenus mirabilẽ partum mirabiliter natus ostenderet.

Ioannes Christi præcursor fuit etiam in conceptione. D. Chrysol.

D. August. D. Ambr.

D. Maxim.

Probro ducebatur olim sterilitas, sed hoc matris probrum, tantus filius, multorum instar filiorum, penitus abstulit. Nam vt Chrysologus ait, serm. 89. In filio singulari, tota fœcunditas pensabatur; quãdo in vno nascebatur numerositas congesta virtutum. Fuit Christo etiam hac re similis Ioannes, & C præcursor, quemadmodũ Christus vnigenitus fuit, ac primogenitus matris, ita & Ioannes. Beata sterilitas (ait idem Chrysologus eodem loco) quæ vnum seruabatur ad partum, & expectabat Ioannem, cui quia prima omnia debebantur, primogeniti dignitas non periret, &c. Felix ergo fuit Elisabethæ sterilitas, quæ post longum tempus protulit partum tãtum. Vnde Theodorus Studites in oratione de Ioanne Baptista; Lætare, inquit, sterilis, quod ex deserta matrice produxisti lilium castitatis, rosam spiritalis fragrantiæ, interdiu lucentem facem Christi aduentus, Christi & Ecclesiæ pronubum, pœnitentiæ pręconem, agni indicatorem, &c.

Ioannes vnus, multorum instar filiorum.

Chrysologus.

Theodorus Stud.

Tertia prærogatiua; Ioannis conceptio, ab eodem Gabriele Archangelo nuntiata est, qui Christi conceptionem nuntiauit, neque verò profano, sed sacro loco, in ipso videlicet templo, à dextris altaris thymiamatis, idque magna cum Ioannis adhuc nascituri prædicatione. De hac laude Card. Petrus Dam. sic scribit. Non est silentio transeundum, quam solenni glorificatione, pueri huius in hunc mundum nuntiatur ingressus. Adest Angelus Gabriel, & à superiori cęlorum cardine, Domini fortitudo descendens stat à dextris altaris incensi, nec quilibet Angelus, sed ille sublimior, qui beatæ virgini nuntium attulit singulare, & electus est vt nũtiaret militem, qui regem nuntiare debebat, &c. Nuntiata est ab E Angelo Isaac etiam conceptio, & Samsonis; sed nobilius Ioannis conceptio. Recole Isaac (ait idẽ Car.) ab Angelis nuntiatum, & Samsonem per Angelum prędicatum, vniuersam Nazarçorum sectã circumspice, solum Baptistam tam in hoc, quam in aliis inuenies digniorem, &c.

Card. Petrus Dam.

Quorsum de Isaaco, & Samsone loquimur; non veretur idem Pontifex dicere, Ioannis conceptionẽ maiori cum præmonstratione, quàm Christi conceptionem esse nuntiatam. Salua, ait, reuerentia Redemptoris, (quia non derogamus regi, si regis militem honoramus) digniore præmõstratione Ioãnes nuntiatur, quã Christus. Christus fortasis in thalamo, Ioannes in templo, & non solum in templo, sed etiam

Conceptio Ioannis digniore prænũstratione nuntiatur in templo, quã Christi Domini.

etiam ante Sancta Sanctorum, in insigni die solennitatis eorum. Ioannes ab eodem Archangelo, in loco digniori, tempore sacratiori, apertiori miraculo prædicatur. Considera nuntiantis sublimitatem, dignitatem loci, diei reuerentiam, & tunc intelligere poteris, quàm superexcellenti gloria, Baptistæ genitura prædicitur. Hæc ille. D. item Antonius in summa, titulo 18. cap. 5. §. 6. Nec Christus, inquit, fuit ita solèniter nuntiatus, vt Ioannes. Putant Antonius & Cardinalis, Ioannem nunciatum in die expiationis, qua de re tom. 2. dicemus.

D. Anton.

Cur à dextris altaris nuntiata Ioannis conceptio.

Prætereà *à dextris altaris incensi*, Ioannis conceptionem nuntiauit Angelus; quia Dei Benjamin, id est, filium dexteræ, nuntiabat, quia dextrum, id est, felicissimum nuntium ferebat, quia gratissimum Deo thymiama oriturum prædicebat.

Quarta, In vtero est sanctificatus, & Spiritu sancto repletus: quamobrem à D. Gregor. Iob 2. antequam nasceretur, renatus dicitur. Erat in vtero matris lucerna Dei, sed nec ardens, nec lucens, diuinus aduenit ignis, luce illam gratiæ inflammauit, lucentemq; fecit, & ardentem. Igne enim Spiritus sancti incensa, ardere cœpit, & lucere. Ioannem sic præoccupauit flamma cælestis (ait Bernard. in serm. de Baptista) vt iam Christi sentiret aduentum, qui nec dum sentire poterat seipsum. Nimirum nouus ille ignis, qui recens elapsus è cælo, per os Gabrielis in aurem Virginis intrauerat, & per matris aurem, introiuit adparuulum. Vt ab ea hora, vas electionis suæ, Spiritus sanctus impleret, & lucernam Christo Domino pararet. Fuit ergo iam tunc ardens lucerna, sed sub modio, donec super candelabrum poneretur, &c. Laurentius Iustinianus in sermone de Baptista; In vtero ad æternæ lucis aspectum lucerna hæc diuinæ charitatis percepit incendium, tunc viri luminis est irradiata fulgore, atque gratiæ liquore completa, &c.

D. Gregor.

D. Bernard.

Iustinian. Ioannes lucerna à Christo inflammata luce gratiæ.

Præseruata in vtero Virgo à peccato originali, admirabilem, maximamque sanctificationem adepta est, quia mater Dei; Ioannes verò, quia præcursor, nõ quidem à peccato est præseruatus, sed postquam illud contraxit, à Christo mirabiliter in vtero liberatus. Itaque victus à Deipara est, sed vicit cæteros, quibus tantum à Deo donum collatum non est. Etiam ipsum vicit Ieremiam, vt docet Cardinalis Petrus Damiani; Ieremię, inquit, admiranda est sanctificatio. Ioannem vero longe glorioſior virtus impleuit, qui & sanctificatus est à peccato, & ita dominãte spiritu superfusus, vt & purgatus exeat, & repletus, &c.

Card. Petrus Dam.

Iob 1. Nudi ex vtero egredimur tam corpore, quam animo.

Nudus (ait Iob) *egressus sum de vtero matris meæ.* Nudi omnes egredimur tam corpore, quàm animo, cornus absque veste in lucem hanc venit, animus (quod peius est) absque gratia. At Ioãnis nostri, etsi corpus nudum venerit, non tamen animus: pretioso enim aureoque gratiæ, & virtutũ omnium indumento amictus, in mundum prodijt. Spiritum sanctum prius animo hausit, quam spiritum mundi ore hauriret.

Chrysologus.

Prius (vt ait Chrysologus sermon 19.) peruenit ad cælum, quam tangeret terram, prius cœpit viuere Deo, quam sibi. Præco erat Christi, & gratiæ, & Spiritus sancti; æquum ergo erat, vt præco gratiæ, & gratię nomẽ haberet, & ab vtero gratia, & Spiritu sãcto donaretur. æquũ erat, vt præco remissionis peccatorũ, peccati originarij remissionẽ in vtero cõsequeretur.

Par erat, vt præco Christi & gratiæ cũ gratia nasceretur.

Guarricus

Vnde Guerricus Abbas sermone primo de Ioanne; Dignũ, inquit, erat vt gratiã Dei plenus gratiæ prædicaret, & gratia nõ mediocri emineret, qui gratię tẽp°, à tẽpore legis, veluti medi° limes disterminaret.

Gratiã adeptus est Ioannes per medium veluti aquæ ductũ Deiparam Virginem.

Hausit hanc sanctificationem, ex bonorũ omniũ fonte Christo per medium veluti aquę ductum Deiparam Virginem, vt supra iam vidimus, cum de visitatione egimus, & docet idem Abbas Guarricus eodem ser. *Flumina*, inquit, *de ventre Mariæ fluebant aquæ viuæ, & fons vitæ gratiæ, oriebatur de medio paradisi, ad irriganda ligna paradisi.* Proxima erit fonti cedrus ista nobilis, id est, Ioannes, ideoque vberius irrigata, in tantũ excreuit, vt inter natos mulierũ, nihil illa sublimius posset inueniri, &c.

Hausit ex fonte Ioannes spiritum, eoque repletus est, ita vt nullum mundi liquorem postea capere potuerit. Vas plenũ, quod superfunditur, respuit: Ioãnes Spiritu sancto plenus mundana omnia ab ipsis incunabulis repudiauit. Hilarius Episc. Araletensis hom. 1. de Ioanne, Quid mirum, ait, si in Ioãne culpa aditum non inuenit, cuius animam sibi Deus in ipsis exordijs occupauit? Magnum est Spiritu sancto illustrari, sed multo maius impleri. Et ideo sicut vas plenum balsamo, admixtionẽ liquoris alterius penitus excludit; ita in eum nihil sæcularis maculæ, introire iam poterat, in quo sanctificationis plenitudo regnabat, &c. Plura de sanctificatione Ioannis supra diximus in Morali visitationis Deiparæ.

Ioannes plenus Spiritu mundana minime capiebat Hilarius Arelat.

Quinta, Exultatio in vtero. Solius Ioannis prærogatiua hæc est. Nullũ aliũ Diuorũ in vtero exultasse legimus. A sæculo non est auditum (ait Cardinalis Petrus Damiani) quòd exultauerit quis in vtero matris, cũ Ioannes in gaudio exultasse legatur. Prorsus obstupẽda dignatio, puerũ vix conceptũ, in motum exultationis erumpere, &c. Laurẽtius Iustinianus in sermone de Baptista: Grãde prorsus hoc extitit diuinæ miserationis indiciũ, vt infans ventris cõstrictus ergastulo, suũ agnosceret Dominũ, tenellis lętaretur in mẽbris, Solemq; videret in nubilo, &c.

Card. Petrus Dam.

Iustinianus.

Quid est tibi mare quod fugisti? rogat Psalmographus; *Et tu Iordanis quia conuersus es retrorsum? montes exultastis sicut arietes, & colles sicut agni ouium?* Respondet; *A facie Domini mota est terra, à facie Dei Iacob.* Similem in modũ rogare possumus: Quid est tibi peccatum quod fugisti, & tu Satan quia conuersus es retrorsum? Ioannes exultauit in vtero, & gaudio exilijt? Nobis ipsis respondebimus; A facie Domini motus est infans, à facie Dei Iacob, quem corã se virgineo in thalamo, recubantem sentiebat. Cũ ex matrice (ait Antipater Episc. in orat. de Bapt.) in matrice, Christũ Ioannes aspexisset, præuidens, exiliens, naturæ terminos conatus est transilire. Video enim Dominũ, dicebat apud se, qui imponit naturę terminos, nõ exspecto tẽpus, quo solet fœtus gestari in vtero, &c. Chrys. quoque apud Metaphrastem: Nõ fert Ioannes præsente Dño cõtineri, nõ sustinet naturæ exspectare terminos, sed cõtendit rũpere carcerẽ vẽtris, & studet præsignificare Saluatorẽ. Accessit, inquit, qui soluit vincula, & quid ego sedeo vinctus? Venit Verbũ, vt omnia cõstituat, & ego adhuc maneo detentus? Exibo, præcurrã, & prædicabo omnibus, *Ecce Agnus Dei*, &c.

Psal. 113.

Exultatio Ioannis in vtero.

Antipater Episc.

D. Chrysost.

Franciscus de Maironis serm. de Baptista, quærit, quonã sensu exultationẽ infantis, mater Elisabetha agnoscere potuerit? Respondet, sensu agnouisse, nõ corporali, sed mentali, ac prophetico. Etenim nullus corporeus motus, animi poterat exultationẽ indicare. Respõdendũ est, ex infantis motu in vtero, illius percepisse exultationẽ matrem, forte etiã internum gaudiũ, & rationis vsũ, Spiritu sãcto afflata cognouit.

Franciscus de Mairon.

Qualis vero Ioannis ille motus fuerit, dubiũ est. Doctor Parisiensis Ioannes Raulinus ser. 1. Raulinus de Visitatione Deiparæ, hac de re sic scribit, Ioannes ad resalutandam Virginem, vel Christum, totum se in vtero matris excussit. Dicunt enim aliqui, quod in illa salutatione faciem, quæ secundum Philosophum lib. 9. de animalibus, semper stat versa ad matris dorsum, seu renes, Ioannes vertit ad Christum, in vtero clausum. Hæc ille. Credibile est, faciem ad Christũ conuertisse, illumq; admirabiliter ex vtero adorasse. Ex magni piscis vẽtre Ionas Deũ orauit; ex matris vtero infans Ioannes eundẽ adorauit. Qui

Raulinus.

prius miraculum fecit,fecit & ſecundum;vtrumque admirandum,vtrumque eiuſdem opus dexteræ.

Rebeccæ filij in vtero mouebantur: at moleſtus admodum matri fuit motus ille. Motus verò Ioannis non moleſtus,ſed ſuauiſſimus matri fuit.Nam illi *collidebantur in vtero.* Ioannes in vtero exultabat.Paruulorum colliſio verba illa Rebeccæ extorſit. *Si ſic mihi futurum erat, quid neceſſe fuit concipere?* Ioannis exultatio verbà illa ſummæ exultationis Eliſabethæ expreſſit; *Benedicta tu inter mulieres*,&c. *Alienati ſunt peccatores à vulua, errauerunt ab vtero.* Ioannes verò à vulua cum Deo coniunctus eſt,ab vtero ſcopum bonorum omnium attigit. Ab vtero noſter cherubinus, in propitiatorium,id eſt,Chriſtum,faciem vertit,neque vllo vnquam tempore auertit.

Gen.25. *Luca 1.* *Pſal.57.*

Sexta.Vſus rationis in vtero,& in infantia,vt alij voluit. Volunt enim infans Chriſtus ſimilem ſibi reddere infantē Ioannē.Chriſtus infans rationis vſum in vtero, & infantia ſemper habuit,Ioāni idē beneficium prēſtitit. Quemadmodū Sol ſpeculum illuſtrans,ſui ſplendoris imaginē in ſpeculo imprimit;ita Chriſtus Ioannē viſitans, ſui ſplendoris,id eſt,rationis imaginē,illi impreſſit,& ex infante,non quidē corpore,ſed animo,virum reddidit.

Vſus rationis datus Ioanni in vtero.

Chriſti anima,in primo cōceptionis puncto,mox diuinam perſpicuè vidit eſſentiam,quam ob cauſam Chriſtus infans in vtero Virginis exultauit. Ioannis anima poſt ſextum conceptionis menſem,non quidem diuinam intuitus eſt eſſentiam, ſed intellectu præſentem in domo ſua conſpexit Chriſtum, quāobrem in ventre matris Eliſabethæ gaudio exilijt. Ioannes(ait Dionyſ.Chart.in ſer.3.de Bapt.) in vtero tam miraculose & copiose illuminatus eſt à Spiritu ſancto,quod intellectualiter cognouit, Dei vnigenitū eſſe iam incarnatū, atque in vtero Virginis præſentē: idcirco ex apprehēſione ſiue cognitione tam ineffabilis boni,vehemētiſſimè gauiſus eſt. Ita quòd præ abundātia gaudij mētis,facta eſt redundātia lætitiæ in corpus ipſius,ſic quod Ioānes in ventre matris,etiā corporali quadā motione, & inclinatione,reuerentiā Regi altiſſimo Chriſto exhibuit.Hinc imperita,& contēnenda eſt eorū opinio,qui dicunt, Ioannē in vtero nō veraciter eſſe ganiſum, & vſu rationis dotatum,ſed per motum exultantis ſolū ſe habuiſſe.Hæc Dionyſius. Antipater quoq; Boſtrorū Epiſcopus in orat. de Baptiſta, in vtero matris ait Ioanni reuelatū incarnationis myſteriū; Ei, inquit, qui in vtero erat, reuelauit Deus myſteriū ſuſceptæ carnis œconomicæ, &c. Sed de his ſupra iā diximus.

Dionyſius Chart. *Antipat.*

Septima, Ioannes primus hominum,poſt Virginē Deiparam,regem regum Chriſtū in terris adorauit. Adorauerat illum Virgo,adorauerant Angeli in vtero,poſt Virginem,& Angelos,admirandū regem, Ioannes ex vtero,in vtero exiſtente, mirabiliter adorat,ſeque totum illi in perpetuū famulum offert. Mirabilis fuit trium regum ab Oriente venientiū, in præſepio Bethlehemitico adoratio;mirabilis quoque fuit infantis in vtero veneratio.

Adorauit Ioannes exvtero Chriſtū.

Octaua,Solius Chriſti, Deiparæ, & Ioannis natiuitatem Eccleſia celebrat.Hanc Ioannis prærogatiuam Aug.prædicat ſer.2. de Baptiſta his verbis: Natalem ſancti Ioannis hodie celebramus; quod nulli vnquam Sanctorum legimus fuiſſe conceſſum. Solius enim Domini & beati Ioannis dies natiuitatis in vniuerſo mundo celebratur & colitur,&c. Solius autem Domini & B. Ioannis diem natiuitatis in vniuerſo mundo coli,ait.Aug.quia illius tempore, nō dū in tota Eccleſia Virginis Deiparæ natalitius dies celebrabatur,vt Card. Cæſar Baronius in Martyrologij annotationibus 8.die Septemb. oſtendit. Idem Aug.ſer.4.prærogatiuæ huius cauſam reddit: Quia, inquit, Ioannis ipſa natiuitas Dominum Chriſtum prophetauit,quem conceptum ex vtero ſalutauit.

D.Auguſt. *Natiuitas Ioannis,celebri die no feſti colitur.*

Hanc item Ioānis prærogatiuam Cardinalis Petrus Dam.ita ſcribens extollit;Conſiderandum eſt, quanta dignitate præpolleat,natiuitatis huius celebranda deuotio,quantamque gratiam, in oculis Eccleſiæ potuerit inuenire. Nullius hominis natiuitatem,præter ſolius Dei,eiuſque matris, in autoritatis arcem recepit Eccleſia; Ioannis exceptione ſeruata.Nouit enim,quod melior eſt dies mortis,die natiuitatis,& quod ortus hominū triſtitia comitetur. Inde eſt,quod diē mortis martyrū, nō natiuitatis ſolēnizat Eccleſia;mortē eorum, natalitiorum nomine nominans,quibus factus eſt de morte natalis. Tunc enim inceperunt naſci ad vitam:cum vitā depoſuerunt pro vita. Ioannis verò natiuitatem ſpōſa Chriſti tanto ſecurius, beneuolentiſſima dignatione ſuſcepit;quanto ſingularis eam, veritatis Euangelicę irrefragabilis commendat autoritas.Hactenus ille.

Diem mortis Diuorum nō natiuitatis Eccleſia celebrat.

Cæterorum igitur Diuorum mortem: Ioannis Baptiſtæ tam mortē,quam natiuitatem Eccleſia celebrat.Imo natiuitatem magis quam mortē, propterea quod natiuitas ſine peccato admirabilis,& veluti clariſſimi,Luciferi Chriſtū prænūtiantis ortus fuit. Manè oritur Lucifer, iuxta illud: *Quomodo cecidiſti de cælo Lucifer,qui mane oriebaris?* Mane, id eſt, gratiæ luce illuſtratus,& Spiritu ſancto repletus, ortus eſt Chriſti Lucifer Ioannes. Nos autem omnes noctu, id eſt, in tenebris originarij peccati naſcimur. Nos in occidente,ille ortus eſt magno in Oriente. *Vidimus ſtellam eius* (aiunt Magi) *in Oriente*; ſic Eccleſia ſtellā eius, id eſt, Chriſti, verū Solē prænuntiantē, nō in occidēte peccati, ſed in Oriente gratiæ exortam,& videt,& magna cum lętitia celebrat. Guarricus Abbas ſer.1.de Ioanne. Meritò,inquit, natiuitatem iſtam, quam mirabiliter operatur gratia,& miratur natura, ſolenniter veneratur Eccleſia.Præſertim cū Chriſti natiuitatis,cuius gratia naturam reparauit,per hanc pignora fidelia ſibi videat eſſe præmiſſa.Nō ingratā ſe probat Eccleſia,fideliter agnoſcit,qua deuotione, qua gratiarum actione,ſuſcipere debeat præcurſorē, quem ipſum agnouit Saluatorem,&c.

Iſaiæ.14. *Lucifer Ioannes mane ortus,id eſt,in lute gratiæ.* *Matth.2.*

Nona,Ioannis natiuitati Deipara Virgo interfuit, infantemque natum gremio excepit, & amplexata eſt. Quinā doctores hanc ſequantur ſententiā,ſupra diximus. Vt alio omittā,D.Antoninus 2.part.ſūmę, titul.18.cap.5.§.6. Virgo, inquit, Maria præſens fuit Ioannis natiuitati,& prima eum de terra leuauit, vt communiter dicitur. Hæc ille. Et D.Bonau.cap.5.Vitæ Chriſti; Peperit Eliſabeth filium, quem Domina leuauit à terra, & diligenter aptauit, vt expediens erat. Paruulus autem ipſam, quaſi intelligēs aſpiciebat,& cum eum matri porrigere vellet, ad eā caput vertebat,& in ea ſolum delectabatur,&c. Eodē loco D.Bonauentura ad Circumciſionem vſque D. Virginem in domo Eliſabethæ manſiſſe ſcribit. O felicem infantem,quem cęlorum Regina natum excepit.Si rationis vſu pollebat,quis poſſit fando explicare,quanto in Deiparę gremio, tum Virgini,tum Chriſto maxime coniunctus,lętitię exilierit. Conſidera(ait diuus Bonauentura) magnificentiam Ioannis,nullus vnquam talem gerulam habuit.

D.Anton. Virgo Ioannē natum gremio excepit. *D.Bonauen.*

Decima,Nomē Ioanni mirabiliter ab Angelo eſt impoſitum.Quanto honore dignum(ait D. Cyrillus lib.1.in Ioan.c.7.) quanta pollere autoritate,illū arbitrabamur;qui vel antequam in vtero conciperetur,nomen à Deo conſecutus eſt? &c. Nomen vero gratiā Dei ſignificat,de quo ſupra iam diximus.Etenim conceptū ſe Dei gratia,non naturæ viribus,ſuo indicabat Ioannes nomine.Vnde D.Bonauē.Luc. 1. Non virtute,ait,naturæ cōceptus,fuerat ſed virtute gratiæ,nō debebat vocari Zacharias à patre,ſed Ioānes à dono gratiæ, &c. Munus item ſuū & gratiam

D.Cyrillus. *D.Bonauen. Nomen Ioannis.*

nomine

nomine innuebat: gratiæ enim Dei præcurſor erat, ideoque nomen gratiam Dei ſignificans, cælitus acceptum præferebat. Gratia nominis (ait Guarricus loco citato) quod vocatum eſt ab Angelo, priuſquã Ioannes in vtero conciperetur, ſatis abundeque ſingularem in eo futuram Dei gratiam teſtabatur, &c.

Guarricus Abbas.

Exod. 33. *Noui te ex nomine*, dixit Dñs Moſi: *& inueniſti gratiam coram me.* Ex nomine nouit Deus Moſem; ſed nomẽ filia Pharaonis illi impoſuit. *Vocauit nomen eius Moyſes, dicens: Quia de aqua tuli eum*, &c. At Ioannem ex nomine nouit, quod ipſe, non à frigida aqua, ſed ab ardente gratia indidit. Moſes ab aqua merito nomen habuit, quia Lex Moſis, inſtar aquæ frigebat, gratiam propria vi largiri non valebat. Ioannes à gratia nomen ſortitus eſt, quoniam non Moſis, ſed gratiæ legem prænuntiauit. Quid ſit illud, *noui te ex nomine*, explicarunt 70. interpretes, his verbis: *Scio te præ omnibus*, id quod Ioanni maximè conuenit.

Exod. 2.

Vndecima, Mortiferum crimen nunquam cõmiſit, & in vtero fuit confirmatus in gratia. Nam vt ait D. Thomas 3.p.qu.27.art.6.ad primum, ſanctificatis in vtero creditur præſtitum eſſe, vt de cætero mortaliter non peccarent. Vnde Abbas Guarricus ſerm. primo, Ioannis ſanctitatem appellat pene originalem: quia in vtero ſanctitatem accepit: quam nunquã amiſit. Mane ortus eſt noſter Lucifer, neque vnquã è cælo, id eſt, gratia cecidit, quemadmodum ille de quo dicitur: *Quomodo cecidiſti de cælo Lucifer, qui mane oriebaris?* Ille mane ortus cecidit, noſter mane ortus ſemper ſtetit. Singularis ergo fuit Ioannis innocẽtia, ſingularis noſtræ Lucernæ ſplendor, quem nulla peccati caligo potuit extinguere. O rationalis lucernæ inextinguibilis flãma (exclamat Iuſtinianus) non enim humanis eſt extincta feruoribus, neque temporalibus cruciatibus tepefacta. quin potius eo vehemẽtius ardebat interius, quo exteriori amplius agitabatur impulſu.

D. Thomas. *Guarricus.* *Iuſtinianus.* *Iſaiæ 14.*

An peccata Ioannes venialia commiſerit. Galatinus.

In leuiora peccata, quæ venialia appellamus, an inciderit, ſi quæras: Galatinus lib.7, cap.9. & alij inciderſe negant. Quartus modus (ait Galatinus) eſt, cum quis à peccato veniali præſeruatur, quo quidem modo Ioãnes Baptiſta redẽptus eſt, qui (vt quibuſdã placet) peccati venialis penitus expers fuit, ob id, quod de eo canit Eccleſia: *Ne leui ſaltem, maculare vitam, famine poſſes.* Hæc ille. Et Abulenſis Matth. 14.q.40. Ioãnes ſanctiſſimus fuit in vtero; ideo nunquam peccauit mortaliter. Et etiã creditur communiter, quod nec venialiter peccauerit, ſicut Eccleſia cantat de eo, ſcilicet: *Ne leui ſaltem maculare vitam famine poſſes*, &c. Nõ eſt à ratione alienũ, tam ſingulari viro, tam ſingulare priuilegium eſſe conceſſum, tamen incertum. Id verò mihi perſuadeo, lucernã hanc ardentẽ, ac lucentem, minimũ habuiſſe fumi, id eſt, venialiũ peccatorum, ſi quæ habuit. Sed de Ioannis ſumma innocentia ſanctiſſimum pontificem audiamus.

Abulenſis.

D. Gregor. D. Greg. Iob. 2. Numquid, ait, credimus aliquid fuiſſe, quod in vita Ioãnis mors tergeret? Sed quando ille, vel in cibo peccauit, qui locuſtas ſolũmodo, & mel Sylueſtre edit? Quid Deo, vel de qualitate ſui tegminis deliquit, qui camelorũ pilis corpus operuit? Quid de cõuerſatione ſua offendere potuit, qui de eremo non receſſit? Quid illum loquacitatis reatus? polluit, qui diſi ũctus lõgè ab hominib. fuit, Quãdo illum vel ſilentij culpa attigit, qui venientes ad ſe tã vehementer increpauit, dicẽs: *Genimina viperarũ, quis demonſtrauit vobis fugere à vẽtura ira?* &c. Beda etiam venerabilis in homilia de decollatione Ioan. Etſi, inquit, principali ſententia conſtat, quia in multis offendimus omnes: quis tamen noſtrũm dicere audeat, Ioannem in actu, vel dicto, vel habitu, vel victu peccaſſe? item: Quis in eius præcordijs peccato poterat eſſe locus, quæ & ante natiuitatẽ, Spiritus ſancti

Beda.

A conſecrauit aduentus? Quando ſaltem humanæ cõuerſationis intuitu, valuit à virtutis via, vel ad modicum deflecti; qui totam ab ineunte pueritia vitam ſolitarius peregit? Hæc ille.

Duodecima, Ioannes à pueritia, hominum conſortia fugit, admirabilemque in ſolitudine vitã egit. Sub annis imbecillis ætatis (ait Iuſtinianus) ad deſerti ſecreta, Deo militaturus intrauit; ibique hirſutis camelorũ pilis indutus, locuſtarũ, ac mellis ſylueſtris vſus eſt cibo, atque aquæ contentus hauſtu, ſuper nuda decubabat humo, &c. Cardinalis Petrus Dam. Receſſus montiũ, ſyluarũ anfractus, & valliũ ſubteriacens vaſtitas, puero patriarchæ, domicilia præbuerunt. Sed qui fieri poteſt, dices, vt puerulus B deſerta ſolus loca incoleret, nec vel ferarum incurſus, vel ipſam ſolitudinẽ pertimeſceret? Reſpondeo eiuſdem Cardinalis illis verbis: Non obſtitit ætatis infirmitas, quam maieſtas Domini fœcũdabat, &c.

Iuſtinianus. *Card. Petr. Dam.* *Ioannis de ſeruum.*

Cæteri homines, mundum prius ingrediuntur, & deguſtant: deinde deguſtatum relinquunt. At Ioannes antequam mundum ingrederetur, mundum nec viſum, nec primoribus labris deguſtatum, deſeruit. Mira rerum conuerſio (ait idem Cardinalis) hominẽ vix mundum ingreſſum, mundi fugere gloriam, & ſæculi cupiditates, non ſolùm obliuiſci, ſed & neſcire: perpetuumque cum diuinitate ſtabilire conſortium. Hieronymus item in dialogo aduerſus Luciferianos; Ioãnes poſt materni ventris hoſpitium, eremi deſerta ſectatus, paruulus de ſerpẽtibus luſit; qui C oculis expectãtibus Chriſtum, nihil aliud eſt dignatus aſpicere. Et ad Ruſticum: Viuebat, inquit, Ioannes in eremo, & oculis deſiderantibus Chriſtum, nihil aliud dignabitur aſpicere, &c.

Card. Petr. Dam. *D. Hieron.*

Hæc Ioannis pueritia fuit, hæc teneræ illius ætatis admirabilia initia. Siquidem (vt Hieronymus loco citato ait) præcurſorẽ Domini ſic decebat creſcere. De illius autẽ incremẽto Origenes, hom. 11. in Lucam: *Puer*, inquit, *creſcebat, & confortabatur ſpiritu.* Non in eadem permanebat menſura, qua cœperat, ſed ſemper creſcebat in eo ſpiritus, & per ſingulas horas, & momenta, ſpiritu ſuccreſcente, anima quoque ſua incrementa capiebat. Et non ſolum anima, ſed etiam ſenſus, & mens, argumẽta ſpiritus ſequebantur. Abbas Guarricus. Ioannis rudimenta primæuæ ætatis, grauitatem ſapientiæ vicere ſenilis. Qui enim antequam natus ſanctus fuit, quid mirum ſi in proceſſu conuerſationis pluſquam ſanctus fuit? &c.

Origenes. *Guarricus.*

Decimatertia, Admirabilis fuit vita & pœnitentia Ioannis. Illius vitam Angelicam Chryſoſtomus vocat. Continuum martyrium appellat Cardinalis Petrus Dam. D. Baſilius ieiuniũ perpetuũ. Chryſoſt. hom. 10. in Matthæum: Ioannes, ait, nec tecto indiguit, nec lecto, nõ menſam, vel aliqua huiuſmodi requiſiuit, ſed angelica quadam vita, in carne mortali reſplenduit. Et homil. 38. Neminem vidit vnquam conſeruorum, neque ab aliquo horum viſus fuit; nõ foro, non alia re humana vſus erat. Item: Ioannes ita in terris, quaſi in cælo verſabatur, naturæ namque E omni neceſſitate ſuperata, mirabile quoddam peregit iter. Semper in hymnis, ſemper in orationibus fuit, nulli hominum antequam ad baptizãdum accederet, Deo autem ſoli, ſua ſemper offerebat colloquia. Hæc ille. Autor imperfecti, hom. 27. Ioãnes ſpecie homo, gratia Angelus, quia nihil carnis erat in eo, niſi viſio ſola, &c. Cardinalis Pet. Dam. Teneros artus, & ſacratiori ſpiritu ſuperfuſos, continui quaſſat longitudo martyrij. Baſilius concione prima de ieiunio; Ioannis vita quid aliud erat, quam vnicũ ac perpetuum ieiunium? quamobrem: *Venit Ioannes* (ait Dominus) *neque manducans, neque bibens.*

D. Chryſoſt. Vita Ioãnis angelica, cõtinuum martyrium ieiunium perpetuum. *Autor imperfect. Card. Petr. Dam. D. Baſilius* *Matth. 11.*

Fuit adeò admirabile hoc vitæ genus, vt abſque vllis miraculis Iſraëliticũ populum commouerit.

Eusebius. Lege Eusebium, lib. 9. de demonstratione, c. 5. Dum (inquit ille) mecum tacitus quæro, oborta mihi est dubitatio, quid tandem illud esset in Ioanne, quo capta multitudo illa, admiraretur hominem, & prædicati baptisma pœnitentiæ, fidem haberet? Quidque illud, quo ducti omnes, vndique rebus proprijs relictis, confluerent in desertum? Quid igitur illud erat, quod admirabundos omnes redderet? Num forsitan nouum vitæ genus? Procedebat enim ex deserto, inusitatum indutus habitum, omnē communem hominum consuetudinē declinans, sed ne victu quidem communi vescebatur. Nūquid igitur cū capillo quidem Nazaræum Dei viderent, qui quæ Deū facile deceat, faciē ostentaret, vestimenti inusitatū genus indutum, repentè nescio vnde è latebris solitudinis prodeuntē, & post prædicationē, rursus in solitudinē, & latebras recedentē, sine potu, sine cibo, abhorrentem à multitudine, meritò obstupescebat? &c.

Nouum vitæ genus Iudæos trahebat.

Ioannes Anachoritarum princeps. D. Hieron. Decimaquarta, Ioannes Anachoritarum dicitur princeps ab Hieronymo, in epistola ad Eustochium, de custodia virginitatis: Huius, inquit, vitæ, id est, Anachoritarū, Autor Paulus, Illustrator Antonius, & vt ad superiora conscendā, princeps Ioannes Batista fuit. Et Cardinalis Petrus Dam. Ioannes ætatis supergressus infantiam, soli vacat diuinitati, forma vitæ, monachorum propositum. Anachoritarum principium, totius religionis assertio, &c.

Car. Petrus. Dam.

CAPVT IV.

De aliis Prærogatiuis Baptistæ.

DEcimaquinta prærogatiua. Ioannes propheta fuit, iuxta illud Zachariæ; *Tu puer Propheta Altissimi vocaberis.* Donum vero prophetiæ, in vtero accepisse ait Antipater Bostrorum episcopus, in oratione de Baptista; Donum, inquit, prophetiæ, in vtero accepisti, saliens in ventre ea dicebas, quæ Mosi cum conuenisset Deus significauit. Qua de causa te maiorem prophetis vocauit spōsus Ecclesiæ, quis enim ex prophetis, ex vtero matris narrauit mysteriū. D. Gregor. Iob. 2. Ioannes prophetiæ spiritu intra matris vterum impletus est. D. item Maximus, ser. 1. de Baptista: Ioannes, ait, nasciturum Dominum, prophetalis spiritus illuminatione præuidit, & natum priuilegio gratiæ singularis ostendit.

Antipater.

D Gregor. D. Maxim.

Fuit etiam *plusquam propheta*, vt Christus asseruit Cæteros enim prophetas vicit, quia Messiam, & prædixit, & vidit, & baptizauit: vnde baptistæ nomen est assecutus. Hieronymus ad Algas. qu. 1. Plus, inquit, quàm propheta Ioannes, quod ad priuilegium prophetale etiam Baptistæ accessit præmium, vt Dominum suum baptizaret. Et: *Plusquam propheta*, quod quē alij prędicauerant, ipse digito demonstrat. Theophylactus Luc. 7. Alij prophetæ de Christo tantū prædixerunt: Ioannes etiam vidit, & monstrauit. Alij prophetarunt, postquam egressi sunt ex vteris matrum: Ioannes antequā exiret de vtero agnouit Dominum, & exultauit, &c. D. Maximus homil. 3. Plus, inquit, est quam propheta. Cū cæteri omnes, venturi adhuc Christi fuere præcones: hic autē, probatissimus venit Domini præsentis assertor. Pluſquam propheta est, cuius manibus, quod nulli est præstitū prophetarū, baptizandū se Dei filius inclinauit, &c.

Matth. 11. Ioannes propheta, & plusquam propheta. D. Hieron. Matthæi 1.

Theophyl.

D. Maxim.

Cęteri prophetę videntes appellabātur, quod futura & occulta prędicerēt. Ioannes vidēs dici potest, nō solū, quod futura, & occulta prędiderit, sed etiā, quod optatissimum Messiā, oculis ipsis corporeis viderit. *Beati oculi* (ait Dominus) *qui vident, quæ vos videtis. Dico enim vobis, quod multi prophetæ, & reges, voluerunt videre, quæ vos videtis, & nō viderunt*, &c. Reliqui prophetę

Ioannes videns fuit. Luc. 10.

A voluerunt videre, quæ Ioannes vidit, & non viderunt. O beatos Ioānis oculos. Vltimus ille fuit prophetarum, qui de Christi aduentu vaticinati sunt, vt cęterorum prophetarum vaticinationes, ostenso Christo confirmaret. Ioannes idcirco (ait D. Maximus, homil. 3.) in hoc sæculum superna dispēsatione directus est: vt nō solùm ipse prophetali sublimaretur gloria, sed vt & omnium etiam per eum prophetarum præconia firmarētur, &c. Nouissimus fuit, & primus: nouissimus, qui de Christo prophetauit: primus, qui ostendit. Vt autem esset primus, fuit nouissimus. Speciali gratia (ait idem D. Maximus) ob hoc redemptorem mundi, Ioannes nouissimus prophetauit, vt ostēderet eum primus, &c.

Ioannes nouissimus prophetarum & primus. D. Maxim.

B Nullus post Ioannem propheta fuit, qui Messiam venturum nuntiaret. Vt enim ait Dominus: *Omnes prophetæ, & lex vsque ad Ioannem prophetauerūt.* quo circa Chrysologus, serm. 127. Ioannem vocat silentium prophetarum. Quid enim opus est iam prophetis (ait Hilarius Arelatensis episcopus, homil. 2. de Baptista) cū ille præsens sit, qui propheticis promittebatur oraculis? Quid ergo dicturi fuīt Iudæi? aut Christum veniisse consentiant, aut dent prophetas, qui annuntient Christum esse venturum. Hæc ille. Et quidem si Messiam Deus nondum misisset, saltem prophetam aliquem, qui de illo vaticinaretur, ad Iudæos per tot sæcula misisset, sed quia Messias iam venit, nullum misit.

Matth. 11. Chrysol. Ioannes silentium prophetarum. Hilarius Arel.

Nullum prophetam ad Iudæos Deus misit, quia Messias iam venit.

C Decima sexta. Ioannes illibatam virginitatē, votoque confirmatam, perpetuò cōseruauit; quamobrem à D. Chrysolog. sermon. 127. virginitatis speculum appellatur, pudicitiæ titulus, castitatis exemplum. A Sancto vero Theodoro Studit. in oratione de Baptista, lilium castitatis dicitur; Lætare, inquit, sterilis, quòd ex deserta matrice, produxisti liliū castitatis, rosam spiritalis fragrātiæ, pratum bonorum feracis continentiæ, &c. Similis fuit Ioānes illi lilio, quod inter spinas consitum dicitur. *Sicut lilium* (ait Salomon) *inter spinas.* Lilium virginitatis erat Ioānes, sed vt lilium odorem, viroremque perpetuum conseruaret, spinis vndique se se sepiuerat. Egregium enim aduersus carnis illecebras sepimentum, spinæ sunt, id est, pœnitentiæ durities, atque asperitas.

Chrysologus. Ioannes liliū castitatis inter spinas pœnitentiæ.

Cant. 2.

D Erat præterea Ioannes lilium, siue rosa deserti. In deserto enim, ab hominum consuetudine longè semoto, castitatis rosa feliciſſimè crescit, inter homines, ac præcipuè inter fœminas marcescit. Ioannes Baptista (ait Hieronymus, in epistola ad Rusticū) nec matris affectu, nec patris opibus vincebatur, vt in domo parentum cum periculo viueret castitatis. Viuebat in eremo, & oculis desiderantibus Christum, nihil aliud dignabatur aspicere: vestis aspera, Zona pellicea, cibus locustæ, melque sylvestre: omnia virtuti, & continentiæ præparata. Hęc ille. Si antra deserti petiuit, *ne leui saltem, maculare linguam, famine posset*, antra etiam deserti fugiens petiuit, ne leui saltē fœminæ aspectu maculare vitam aut colloquio posset. Quidam (Hieronymo teste Aggęi 3.) Ioannem Angelum incarnatum fuisse putauerunt: verùm decepti sunt. Non fuit ille natura Angelus, sed fuit Angelus vita & castitatis eximię puritate. Nam in carne prętер carnem viuere Angelica est vita.

Castitas inter homines, & fœminas marcescit in solitudine viresc it. D. Hieron.

E Quod autem Ioannes voto virginitatē confirmarit, verisimilitudinem habet. Cùm enim prestantior sit virginitas voto illustrata; credibile est; diuini Baptistę virginitati, tantum ornamentū non defuisse.

Voto confirmauit virginitatem Ioānes.

Decima septima. Ioannes doctor fuit. *Præibis* (ait Zacharias) *ante faciem Domini, parare vias eius, ad dandā scientiā salutis plebi eius*, &c. Qui scientiam dat salutis, doctor eius salutis. Sed in quanam Academia, scientiam, quam docuit, noster didicit doctor? à quonam cancellario, ad doctoris gradum euectus est? Solitudo

Ioānes doctor sententiæ salutis.

illius

illius fuit Academia, magister Spiritus Sanctus, idēque cancellarius. Vnde Bern. in serm. de Baptista; Ioannes, inquit, in spiritu, tanquā Angelus eruditur, nimirum tanto propinquior Deo, quanto vox verbo vicina, cui nullavoce illa media, quod foris sonet oporteat intimari. Neque enim Ioannē prædicatio, sed inspiratio docuit, &c. Et Chrys. hom. 12. in Ioannē; Ioannes cū se omnibus sensibilibus exuisset, alijs magistris nō indiguit, sed cœlitus eruditus est, &c.

D. Bernard.

Ioannes cœlitus eruditus. D. Chrysost.

Vos estis lux mundi, dixit Apostolis Dominus. De Ioanne verò; *ille erat lucerna lucens, & ardens*. Ardens, inquam, charitatis feruore, lucens doctrinę splendore. Doctorum enim propriū est, doctrinæ luce mortales illuminare, intus vero, diuini amoris ardoribus flagrare. Adens erat Ioannes (ait Bernard.) triplici ardore. In seipso, vehementi austeritate conuersationis, erga Christum, intimo quodam, & pleno feruore deuotionis, erga peccantes proximos, constantia liberæ increpationis, &c. Præterea, lucens erat, triplici splendore, vt ait idem sanctissimus pater exemplo, digito, verbo. O felicem doctorem, qui hunc doctorem imitabitur, qui corde ardens, exemplo, verboque, fuerit lucens.

D. Bernard. Ardebat Ioannes, & lucebat.

Decima octaua. Ioannes testis Christi fuit locupletissimus, ac certissimus, iuxta illud: *Non erat ille lux, sed vt testimonium perhiberet de lumine*. Huiusmodi autē testi, tria necessaria sunt. Scientia rei, de qua testimonium dicit, vitæ sanctimonia ab omni abhorrens mendacio, apud homines autoritatis pōdus. Hæc tria in Ioāne mirum in modum effulsere. In primis scientia enituit accepta diuinitus, propheta enim fuit & plusquam propheta, quia prophetas omnes, scientia de Messia vicit. Deinde vitæ sanctimonia tanta splēduit, vt inter natos mulierū, nullus maior surrexit. Autoritatis verò pondus tantum habuit, vt Messias existimaretur. Vnde D. Cyrillus lib. 1. in Ioannem, cap. 7. Quomodo, inquit, autoritati Ioannis credendum non erat; qui tanto cumulo virtutis præfulsit, vt lux ipsa, id est, Messias, à nōnullis esse crederetur?

Ioan. 1.

Testi tria necessaria, in Ioanne effulsere.

D. Cyrillus.

Testes habebat Christus aduentus sui, legem, ac prophetas; verùm voluit præterea habere plusquam prophetam, à quo digito iam præsens ostenderetur. Lex, & prophetæ, de venturo testimonium ferebant, at Ioannes, & de venturo, & de præsenti testimonium dixit. Quòd venturum prædixerit, constat ex Pauli verbis, *Ioannes baptizauit baptismo pœnitentiæ populum, dicens, in eum qui venturus esset post ipsum, vt crederent*, &c. quòd præsentem ostēderit exploratum est, illius enim celeberrimum est testimonium illud: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi.*

Act. 19.

Secundus Christi aduentus manifestus erit. testibus ergo, qui illum præsentem indicent, non erit opus. Quemadmodum enim solis aduentus, testibus non indiget, quia à cunctis hominibus, oculis conspicitur, ita secundus Christi aduentus, testibus non indigebit, quia coram vniuerso orbe comparebit. At primus aduentus, quia occultus fuit, & hominibus ignotus, testibus opus habuit. Adhibuit ergo Deus testes, primum legem, & prophetas, deinde etiam Ioannem, adhibuit præterea miracula eximia, atque doctrinam. Si noctu quempiam agnoscere velis, lucernam inflāmes opus est, noctu natus est Christus, noctu in orbem venit Messias, id est, ignotus, & humilis. Multas igitur incendere faces oportuit, quæ illius faciem indicarēt, inter has, vna fuit Ioannes lucerna, ardens, & lucens. Venit Christus (ait August. tract. 35. in Ioannem) contemnendus, & honorandus, venit negandus, & confitendus. Talis ergo venit, vt oporteret ei lucernam testimoniū perhibere. Nunquid opus erat, vt Ioannes, tanquā lucerna, perhiberet testimonium diei, si dies ipse ab infirmitate nostra posset videri? Hæc ille. Quemadmodum olim corā testamenti arca, aureum candelabrum lucebat, tēplumq; illuminabat, ita corā Christo aureus Ioānes fulgebat, Iudæamque suo splendore illustrabat.

Secundus aduentus Christi non indigebit testibus, qui præsentē indicent.

Christus occultauit seipsum ideo lucerna fuit opus, id est, testimonio Baptistæ.

Decima nona. Ioannes Christi præcursor fuit, cucurrit enim ante Christum, viamq; illi ad domum preparauit. Hoc præcursoris fuit officiū, Christo plebem præparare, aduentantemq; Dominū prędicere. Tota doctrina (ait D. Thomas. 3. par. quæst. 38. art. 3.) & operatio Ioannis, præparatoria erat ad Christum; sicut ministri, & inferioris artificis est, præparare materiā ad formam, quā inducit principalis artifex, &c. Merito sanè præcursor dicitur Ioannes, fuit enim expeditissimus Christi nuntius; & ad ferenda Domini mādata, omnibus huius vitæ abiectis oneribus paratissimus. Quamobrem Rupertus, in Ioannē, c. 1. Singulariter (inquit) mius est Ioannes; cui i nunquam subsistere, nunquā diuertere, nullum vacauit cum sæculo sermonē habere. non domum, non agrū possidere, nō affines agnoscere; sed vrgente sermone Domini nudus, & expeditus currere habebat, ante faciē Christi. Hæc ille. Angelicus fuit præcursor. Quemadmodum enim Angeli à Deo missi è cœlo, expeditissimi ad nos veniunt, in via minimè subsistunt, honores, diuitias, & reliqua caduca bona pro nihilo ducentes prætereunt, nihilque ex mundo cōtagionis referunt; ita Ioannes. Propone tibi ob oculos illius effigiem illam, quam Matthæus depingit; expeditissimi præcursoris imaginem cernes. *Ioannes (inquit) habebat vestimentum de pilis Camelorum, & Zonam pelliceam circa lymbos suos; esca autem eius erat locustæ, & mel syluestre*, &c. Quid hic non maximè est expeditum?

Ioannis operatio præparatoria ad Christum. D. Thomas.

Ioannes nuntius expeditissimus, nullo onere caducarum rerū impeditus. Rupertus.

Ioannes præcursor angelicus.

Matth. 3.

Vigesima. Ioānes tantæ fuit apud homines autoritatis, vt Messię dignitate dignus Iudęis visus fuerit. quod docet Lucas his verbis: *Existimante autē populo, & cogitantibus omnibus in cordibus suis, de Ioāne, ne fortè ipse esset Christus*, &c. Tanta in Ioanne excellentia erat (ait Augustin. serm. 2. de Baptista) tanta gratia, vt ipse putatus sit Christus. Abbas Guerricus, Ioannis tam magnifice sanctitas effloruit supra modum aliorum, vt crederetur sanctus sanctorum.

Ioānes Messiæ dignitate dignus, iudæis visus. Luc. 3.

D. August.

Guerricus.

At opinio hæc, & autoritas qua maxima apud homines valuit; Christi mysterio inseruiuit, mirū enim in modū testimonium, quod de Christo ferebatur, extollebat. Quod (ait Augustin. ser. 2.) est maius testimonium veritatis; quam se humiliando eum agnoscere, cui æmulando potuit inuidere? &c. Nónne maximam Christo gloriam, verba illa Ioannis, attulere? *Venit fortior me post me, cuius non sum dignus, procumbens soluere corrigiam calceamentorum eius*. Nam quanto Ioannis autoritas, nominisque splendor maior erat, tanto Christo glorioſius testimonium reddebat; dū se illo multo inferiorem prædicabat. Vnde Augustinus, in præfatione secunda Psalmi 29. Quandoquidem (inquit) nihil maius extitit, in genere humano, quam Ioannes Baptista, nec in natis mulierum exsurrexit; si quæris excellentiam hominis, Ioannes Baptista est. Cuius autem Ioannes, se dicit non esse dignum corrigiam calceamenti soluere; quid erat ille, nisi amplius, quam cæteri homines? Argumētatur hunc in modum sanctissimus pater, Ioannes omnes homines sanctitate superauit; ait ille, Christū sibi anteponit; ergo Christus omnes homines superabat, & Deus erat. Item, sermon. 4. de Baptista, Ioannes tam magnus agnoscit Dominum in paruo magnum; agnoscit homo eum, qui venerat homo Deus. Si enim *in natis mulierum*, id est, in hominibus; *nemo exurrexit maior Ioāne Baptista*; quisquis Ioāne plus est; non tantum homo, sed & Deus est.

Matth. 3. Ioannis autoritas testimonium de Christo extollebat.

D. August. Nihil maius extitit in genere humano, quā Ioannes, excipe Christum, ac Deiparam Virginem.

Quid maior Ioanne, non tantū homo, sed & Deus est.

Vigesima prima. Ioannem Deus baptizare iussit; vnde Baptista est appellatus. *Qui misit me baptizare*, id est, Deus; *ille mihi dixit*, &c. Confluentibus autē ad baptismū hominibus Christū annūtiabat: hinc illud:

Deus iussit baptizare Ioannem. Ioan. 1. Ibid.

Ioan 1. *Vt manifeſtetur in Iſraël* (ſcilicet Chriſtus) *propterea veni ego in aqua baptizans.* Et illud: *Ioannes baptizauit baptiſmo* Act. 19. *pœnitentiæ populum, dicēs in eum qui venturus eſſet poſt ipſum, vt crederent.* Præterea, ad baptiſmum Chriſti, baptiſ-
Ioan. 1. mo illo viam muniebat: *Ego* (inquit) *baptizo vos in aqua; qui autem poſt me venturus eſt, ipſe vos baptizabit in Spiritu Sancto.* Damaſcenus, libro 4. fidei, capite decimo: Ioannis (inquit) baptiſma rudimentarium fuit, eos-

Ioannis baptiſmus rudimētarius & præludium. *D. Damaſc.* *D. Iuſtinus.* *D. Cyrillus.* que qui baptizabantur ad pœnitentiā ducens; vt poſtea Chriſti fidem amplecterentur. Itaque Ioannes homines per aquam ad ſpiritum ante præparabat. D. Iuſtinus, qu. 37. Ioannis baptiſmus præludiū erat quoddam euangelij gratiæ. D. Cyrillus libr. 2. in Ioannem, c. 57. Quemadmodum lex Moſis futurarū rerum, & ſpiritalis cultus, præparatio quædam fuit, occultam veritatem parturiens; ſic baptiſmus Ioannis, ad baptiſmum Chriſti collatus, præparationis vim obtinebat. eodem loco eundem baptiſmum introductorium appellat.

Chriſtū Ioannes baptizauit, & Apoſtolos. *Marc. 1.* Admirabilis verò hominum concurſus ad baptiſmum Ioannis fiebat, vt docet Marcus: *Egrediebatur* (inquit) *ad Ioannem omnis Iudæa regio, & Ieroſolymita vniuerſi, & baptizabantur ab eo.* Mirum hoc; ſed multo admirabilius eſt, Chriſtum Opt. Max. inter reliquos ad baptiſmum conueniſſe, & ab ipſo Ioanne fuiſſe batizatum. O admirabilem Ioannis dignitatē, ô Chriſti ſtupendam humilitatem. Tibi ô Ioannes (ait Car-

Card. Petrus Dam. dinalis Petrus Damian.) datum eſt, quod omnibus eſt negatum; baptizare eum, qui baptizat in Spiritu ſancto & igne: virginēque, Virginis filiū, virgineis manibus, irrorare. Totus obſtupeo baptizanti, hominemque Dei magiſtrū reuereor; dignantē admiror, veneror dignationem, &c. Apoſtolos quoque à Ioāne baptizatos, veriſimile eſt; ſi enim magiſter eſt baptizatus; cur non, & diſcipuli? hoc ſentit Tertul. in

Tertullian. lib. de baptiſmo cap. 12. Ipſe (inquit) Dominus nullius pœnitentiæ debitor tinctus eſt; numquid peccatoribus, id eſt, diſcipulis, non fuit neceſſe? Et Chry-

Chryſoſt. ſoſtomus, homil. 1. in Acta Apoſtolorum; Diſcipuli (inquit) à Ioanne baptizati ſunt; id ne cui mirum videatur. Si enim meretrices & publicani ad illum baptiſmum venerunt; multo magis venerunt ij, qui poſtea erant baptizandi ſpiritu, &c.

Vigeſima ſecunda. Ioannes pœnitentiæ præco fuit. voce, vita, baptiſmo. Voce, quia illius vox illa

Matth. 3. eſt, *Pœnitentiā agite, appropinquauit enim regnum cœlorum.* *Ioannis voce, vita, & baptiſmo pœnitentiæ præco fuit.* Vita, quia tota illius vita pœnitētiæ perpetuū quoddā præconiū fuit. Totus *vox* quædam erat, *clamātis in deſerto, pœnitentiam agite*: hoc clamabat ſolitudo inculta, veſtis aſpera, cibus tenuiſſimus. Baptiſmo, quia illius bapttſmus, baptiſmus erat pœnitentiæ: *Venit in*

Lucæ 1. *omnem regionem Iordanis, prædicans baptiſmum pœnitentiæ,* *Baptiſmus Ioannis erat pœnitētium.* *in remiſſionē peccatorum.* quos enim baptizabat, ad pœnitentiā permouebat, eratque baptiſmus ille pœnitentium; nō vero erūt, qui pœnitentiam reſpuebāt.

Vt autem ſuauem pœnitētiam cognoſceremus, pœnitētiæ tātus præco, melle ſylueſtri in deſerto paſcitur. Melle enim ſylueſtri, id eſt, magna ſpiritus dulcedine, qui pœnitentiæ ſe mācipant, reficiuntur. Sylueſtre tamen dicitur mel, quia omnis huius vitæ dulcedo ſylueſtris eſt, ſi cum cœleſti conferatur.

Ioannes primus regnum cœlorum explicatè nuntiauit. Vigeſima tertia. Primus Ioannes regnum cœlorum explicatè nuntiauit. In teſtamento veteri, ſub vmbris regnum cœlorum latebat; lucerna ardens Ioannes vmbras depulit, verbique ſui ſplendore illud patefecit. *Pœnitentiam*, inquit, *agite, appropinquauit enim regnum cœlorum*; Oſtendit itaque Ioannes, & regem, & regnum; Chriſtum, inquam; & cœlum, cuius ille Dominus, & rex eſt ſempiternus. O nunciū omni cum lætitia excipiendum. Quemadmodum longa nauigatione iactati, terræque conſpectu diu priuati, magno gaudio vocem excipiunt, quæ appa-

A rere iam terram nuntiat, ita Iudæi, tot ſæculorum fluctibus agitati, & regni cœlorum aſpectu tam longo tempore carentes, magna cū exultatione, diuinæ vocis, id eſt, Ioannis, nuntiū, appropinquare regnū cœlorū affirmantis, audire debuerūt. Ioannes (ait Euthymius Matthæi 3.) regnum cœlorum annuntiabat, de quo Iudæi, tunc primum audiebāt. D. Hier. *Euthymius. D. Hieron.* eodem capite; Primus Baptiſta regnum cœlorum prædicat, vt præcurſor Domini, hoc priuilegio honoretur. Cardinalis Petrus Damian. Verbum pœnitentiæ dulce & glorioſum, verbum regni cœlo-

Car. Petrus Dam. rū lætum, & adorandum, illi ſoli primario conueniens, id eſt, Ioanni, qui primus, noui teſtamenti poſuit fundamenta, &c. Chryſ. hom. 10. in Matthæum;

B Nihil vſitatū Ioannes annuntiabat, ac ſolitū. Nulla *D. Chryſoſt.* prœlia, nulla certamina, nullas de terreno hoſte victorias, non peſtes, ac fames, non expugnationes Babylonicas, ac Perſicas, non vrbis captiuitatem, neq; eorum quicquam, quæ prius audire cōſueuerant, ſed cœlum annuntiabat, & illud, quod promittitur regnum, atque gehennæ ſupplicium, &c.

Vigeſima quarta. Ioannes veluti Orizon quidam fuit, legis veteris, & nouæ. Fuit enim, vt aſſerit Diuus Thomas 3. p. qu. 38. art. 1. terminus legis, & initium *D. Thomas Nazianz.* euangelij. Quocirca D. Greg. Nazianz. orat. 21. Ioānem mediatorem vocat noui & veteris teſtamenti. D. Auguſtinus contra duas epiſtolas Pelag. libr. 3. c.

C 4. Ioannes tanquam præteritæ diſpenſationis limes, *D. Auguſt.* qui mediatorem non aliqua vmbra futuri, vel allegorica ſignificatione, vel vlla prophetica prænuntiatione venturum eſſe ſignificans, ſed digito demonſtrans, ait, *Ecce Agnus Dei.* D. Cyrillus Ieroſolymitanus catech. 3. Initium euangelij erat Ioannes *D. Cyrillus.* baptizans. Diuus Paulinus de Sancto Felice; *D Paulinus.* euangelij ſacra ianua, metaque legis. Diuus Chryſologus, ſermon. 91. Ioannes legis, & gratiæ fibula. Tertullianus, lib. 4. contra Marcionem, cap. 33. Agnoſ- *D. Chryſologus. Tertull.* camus Ioannem, conſtitutum inter vetera & noua, ad quem deſineret Iudaiſmus, & à quo inciperet Chriſtianiſmus, &c.

At dices, lex vetus, ad Chriſti vſque mortem, Iudæos obſtrinxit; quomodo igitur Ioannes legis terminus, & euangelij initium dici poteſt? Reſpondemus, nequaquam legis terminum dici, & Euangelij *Ioannes legis terminus, & initium euangelij quomodo appelletur.* initium, quòd legem veterem abrogarit; Sed quòd legis extremus propheta fuerit, inter noua & vetera, vt Tertullianus ait, conſtitutus. & vt ait Nazianzenus, inter nouū, & vetus teſtamentum medius. Quia ergo extremus propheta legis veteris fuit, legis veteris meta appellatur, quia Chriſtum oſtendit, illi plebem preparauit, regnumque cœlorum annuntiauit; Euangelij initium vocatur. Quemadmodum Lucifer noctis finis, & diei initium eſt; ita Ioannes legis vetetis finis, & nouæ principium fuit.

Vigeſima quinta. Martyr fuit. Quia enim adulterum Herodem arguebat, vitam & perdidit, & inuenit. Perdidit temporariam, inuenit æternam. Tranſfertur (ait Chryſologus, ſermon. 173) illa morte vita

E Martyris, non aufertur; morte magis claruit, qui ob hoc mortuus eſt, vt viueret in æternum. Ecce tu Herodes iaces in morte, Ioannes viuit occiſus, &c. Adulterij autem illam repreheſionem, legitimam fuiſſe martyrij cauſam D. Thom. docet. 2. 2. q. 124. ar. 5. Ad fidei, inquit, veritatem, non ſolùm pertinet ipſa credulitas cordis, ſed etiam exterior proteſtatio, quæ *D. Thom.* quidem fit, non ſolùm per verba, quibus aliquis cōfitetur fidem, ſed etiam per facta, quibus aliquis fidē ſe habere oſtendit. Et ideo omnium virtutū opera, ſecundum quod referuntur in Deum, ſunt quædam proteſtationes fidei, per quā nobis innoteſcit, quod Deus huiuſmodi opera à nobis requirit, & nos pro eis remunerat, & ſecundum hoc, poſſunt eſſe cauſa

mar-

martyrij. Vnde & beati Ioannis Baptiſtæ martyrium in Eccleſia celebratur, qui non pro negãda fide, ſed pro reprehenſione adulterij, mortem ſuſtinuit. Hæc D. Thomas. Et D. Auguſt. ad finem Pſalmi 140. Nõ occiditur Ioannes à Iudæis, qui perhibebat liberum teſtimonium Chriſto, quem occiderunt Iudæi, & occiditur ab Herode, quia dicebat ei: *Non tibi licet habere vxorem fratris tui*, pro lege quidem veritatis, pro æqualitate, pro iuſtitia. ideo ſanctus, & ideo martyr, &c. Item eodem loco; Multi mortui ſunt, & martyres ſunt, multi & prophetæ talia paſſi ſunt, non tamen ideo moriebantur, quia prænuntiabant Chriſtũ, ſed quia peccata hominum dicebant in eos, & eorũ iniquitatibus liberius reſiſtebant, & habentur inter martyres. Iuſtè enim ſi non pro nominis Chriſti confeſſione, tamen pro veritate occiſi ſunt, &c.

Ioannes Martyr.

D. Auguſt.

Ioſeph quia adulterium fugit, in carcerem miſſus eſt; Ioannes quia adulterium reprehendit, eſt iugulatus. Ardentem, lucentémque lucernam libido extinxit, vocem in deſerto clamantem ſilere fecit. O ſcelus tartareum! Quid extinxit, dixi, & ſilere fecit? Non eſt extincta lucerna, imò nunc multo maiorem cœlo & terræ ſplendorem præbet, non ſilet vox, imò nunc etiam toto orbe clamat, vt Ambroſ. ait. ſermon. 9. Non tantum, inquit, illo tẽpore clamauit Ioannes, ſed & hodie clamat, ac licet dormierit, vox tamen eius viuit. Dicit enim, & nobis hodie: *Parate viam Domini*, &c. Rupertus Ioan. 1. Non carcer Herodis adulteri, Ioannis caput continere potuit, quin per omnem mundum quadrigis emicans Euãgelicis, cum firmamento cœli, enarret gloriã Dei, id eſt, cũ Apoſtolis altiſſimũ ferret teſtimoniũ Verbo Dei, ſicut vſque hodie perſonare non deſinit in Euangelio. Hæc ille, Iugulauit Ioannẽ Herodis libido; at purpureus ille cruor, aureo, gẽmatoque torq; ſacrum collum cinxit. Vnde illud Chryſologi; ſermo. 173. Ioãnes martyrij torquẽ meruit ex cruore.

Vox Ioannis etiam nunc clamat.

D. Ambroſ.

D. Chryſologus.

Vigeſima ſexta. Tres habet aureolas Ioannes in cœlo: Virginitatis, Martyrij, & Doctoratus, ſiquidem virgo fuit, martyr, & doctor. Tria habet ſerta; primum ex candidiſſimis lilijs, ſecundum ex rubẽtibus roſis, tertium ex purpureis violis, quæ nunquã marceſcunt, contextum. Etenim lilia virginitatem ſignificant. Vnde illud Ambroſij, de inſtitutione virginis, cap. 15. Chriſti lilia ſunt ſpecialiter, ſacræ virgines; quarum eſt ſplendida & immaculata virginitas. Martyrium rubentes indicant roſæ, ſpinis plenæ, id eſt, tormentis: Cœleſtem doctoratum, purpureæ violæ. Certent (ait Auguſt. ſer. 36. de ſanctis) ſinguli, ampliſſimas accipere dignitatum coronas, vel de virginitate candidas, vel de paſſione purpureas. In cœleſtibus caſtris, pax, & acies, habent flores ſuos: quibus milites Chriſti coronantur, &c. Multi Chriſti milites pacis tantum, alij aciei flores nacti ſunt. noſter Ioannes omnes, tam pacis, quam certaminis coronas eſt promeritus.

D. Ambroſ.

Ioannes virgo, martyr, & doctor. D. Auguſt.

Ioannis pacis & prælij coronas accepit.

Vigeſima ſeptima. Ioannes *Magnus fuit coram* Domino; quòd Angelus patri prædixit. Multi magni ſunt coram ſeruis; Ioannes *Magnus fuit coram* Domino. multi magni ſunt in oculis ſuis, parui in oculis Dei. Ioãnes paruus fuit in oculis ſuis, magnus in oculis Dei. *Etenim manus* Domini (vt Lucas ait) *erat cũ illo*. Hæc manus fecit magnum; huius manus magnum opus, magnus Ioannes eſt. Iacob filium habuit dilectiſſimũ, qui Benjamin, id eſt, filius dexteræ dicitur, Deus filium habuit clariſſimum Ioannem, qui filius dexteræ Dei manus, merito dici poteſt. Etenim manus Domini dextera erat cum illo.

Ioannes magnus coram Domino, & Benjamin, id eſt, filius dexteræ manus Dei.

Siniſtra manu operatur Deus illa. quæ ad naturã pertinent: dextera vero illa, quæ gratiæ ſunt. Cum igitur Ioannes opus maximæ fuerit gratiæ, merito filius dexteræ nuncupatur. Vnde Ambroſ. ſerm. 63. Ioannem (ait) concipit non natura, ſed gratia. Et Guarricus Abbas: Ioannis natiuitatem gratia operatur, natura miratur. Non mirantur Ioannem ſolùm Iudææ montana, ſed ipſa etiam natura miratur, dicens: *Quis putas puer iſte erit? etenim manus gratiæ eſt cum illo*. Quamobrem merito Ioannes, id eſt, Dei gratia nominatur. Quia per excellẽtiã fuit gratia in Ioãne (ait D. Antoninus, tom. 3. ſummæ, tit. 18. cap. 6. §. 6.) ideo fuit illi impoſitũ nomen importans gratiã. Hęc dextera Dei, magnum illum fecit coram Domino.

D. Ambroſ. Guarricus. Ioannis natiuitatẽ gratia operatur, natura miratur.

Eſt quędam corã hominibus magnitudo fallax, altera coram Domino vera. Coram hominibus magnum efficiunt, quæ extra nos ſunt bona, de quibus Seneca, epiſtola 41. Domum, inquit, pulchram habet, multum ſerit, multum fœnerat, nihil horũ in ipſo eſt, ſed citra ipſum, &c. A rege ſceptrum, coronam, purpuram, ſatellites, aurum, argentum, cæteraque bona externa, quæ illum attollunt, tolle, ex magno efficies paruum, ex maximo minimum. Ideo mors pauperes æquare regibus dicitur: quia cum bona hæc ſucata detrahit, cuncta corpora in eundem puluerem redigit. Hæc, quæ apparent bona, magnum hominem reddunt, in ſpeciem tantum, & vt ita dicam apparenter, quemadmodum tiaræ ingentes capiti impoſitæ. Magnus eſt homo, altiſſimo tectus galero, vel tiara, ſed apparenter, non verè. Magnus eſt homo altiſſimo tectus honore, vel opibus, ſi virtute careat, magnus eſt, ſed in ſpeciem, coram hominum oculis, non coram Domino.

Seneca. Coram hominibus magni quinam ſint

Magnitudo coram Domino, non fucatis bonis, & externis, ſed iis quæ inhærent animo, conſtat. Nam vt recte ait Origenes, homil. 12. in Leuiticum: Peccatum hominem facit paruum, & exiguum, virtus eminentem præſtat, & magnũ. Item; Anima quanto in virtutibus creſcit: tanto prolixiorem reddit magnitudinem ſui. Et Bernardus, ſerm. 27. in Cantica: Quantitas, cuiuſque animę, eſtimetur de menſura charitatis, quam habet, vt, verbi gratia, quę multum habet charitatis, magna ſit: quę parum parua: quę verò nihil, nihil: dicente Apoſtolo: *ſi charitatem non habuero nihil ſum*, &c.

Bona externa, magnum efficiunt, coram hominibus, interna, magnum coram Deo. Origenes. D. Bernard. 1. Cor. 13.

Conuerte in Ioannem oculos, externorũ bonorum nihil poſſidet: ideoque apparentem, & fucatam magnitudinẽ, non habet, Non opulentam domum, ſed ſolitudinem colit, non aureas veſtes, ſed camelorum pilos induit, non exquiſitis epulis, ſed locuſtis, & melle ſylueſtri paſcitur, non odorifero vino, ſed aqua ſitim pellit, non famulorum turba, ſed angelorum, ſtipatus incedit. Si externis tantum oculis illum metiaris, paruus tibi, vel etiam minimus videbitur; at omnis gloria eius ab intus, vbi vera eſt, & gloria, & magnitudo. Fide ſplendet, ſpe attollitur, charitate flagrat, virginitate nitet, admirabili abſtinentia lucet, paupertate diteſcit, ſolitudine grandeſcit, omniumque virtutũ incremẽto cœleſtis quidã gigas efficitur, cui illud cõgruat, *Exultauit præcurſor* Ioannes, *vt gigas ad currendã viam*. Haud dubium, quin tantũ gigante, diabolus, ea in ſolitudine, admiratus ſit, tantamque virtutis molem horruerit, inſidias, & certamen pararit. Sed quotieſcunque cum eo certauit, victus abſceſſit. Magnus itaque Ioannes corã Domino, ſed quã magnus fuerit iam videamus.

Pſalm. 18. Ioannes Gigas ſpiritu. Pſalm. 118.

Vigeſima octaua. Inter natos mulierum nõ ſurrexit maior Ioanne baptiſta. Quantus fuerit Ioannes, hæc Chriſti verba demonſtrant: quę diuus Hieronymus, Matthæi 11. Chryſoſt. Euthym. Theophyl. D. Auguſt. lib. 50. homiliarum, in homil. 44. & tract. 13. in Ioannem, D. Ambroſ. Luc. 7. vniuerſim exponunt, in hunc ſenſum: Nõ ſurrexit maior homo, Ioanne Baptiſta. D. Hilarius Canone 11. & D. Augu. in lib. quæſtionum veteris ac noui teſtamenti. qu. 26. de prophetis interpretantur; Ioanne (ait Hilarius)

D. Hieron. D. Chryſoſt. Euthymius. Theophyl. D. Auguſt. D. Ambr. D. Hilarius.

rius) exnatis mulierum, nullus maior propheta surrexit.& Aug.Dominus dicit; *Nemo maior inter natos mulierum propheta, Ioanne.* Hunc verò germanum esse Verborum sensum, constat ex Luc.7. eo enim capite sic Christus loquitur: *Dico vobis, maior inter natos mulierũ propheta Ioanne Baptista, nemo est.* Idẽ Matthęus subintellexit. Vel forsitan Spiritus sanctus Matthæo indicauit, Christum omnibus hominibus vniuersim, Ioannẽ præponere voluisse; cũ prophetis sanctissimis illũ prætulit; ideo generatim sentẽtiam scripsit.

Ioanne maior non surrexit inter natos mulierũ quomodo intelligendum sit,

Quod igitur ex illa colligitur, hoc est; Nullum ex prophetis, aut patriarchis, cæterisque viris sanctis, qui ante Ioannẽ vixerunt, Ioanne fuisse maiorẽ. Nõ tamen colligitur, non fuisse parẽ aliquẽ, vt Hieron. obseruauit. Non cæteris, inquit, prophetis, & patriarchis, cunctisque hominibus Ioannẽ prætulit, sed cæteris coæquauit. Et Aug. q.26. indicata: Non dixit Christus, omnibus maior est Ioãnes; sed nemo propheta illo maior est. Hoc est, æqualẽ habet, maiorem nõ habet; Elias ergo par illi est, &c. Et lib.2. cõtra aduersariũ legis, & prophetarum, cap. 7. Potuerũt esse prophetæ aliqui, Ioannis æquales; aliqui minores, nullus maior, propter sententiã Domini. Hilarius Arelatensis Episcopus, hom. 1. Dicẽs Christus *inter natos mulierũ non surrexit maior Ioanne*; non eum summis priorem, sed primis pronuntiauit æqualẽ. Cõparauit itaque eum perfectis, non prætulit. Beda Luc. 7. Non cæteris prophetis, & patriarchis cunctisque hominibus, Ioannem prætulit, sed Ioanni cæteros exæquauit, &c. Idẽ Hilarius, Ioannẽ putat nulli esse secundũ, Meritò, inquit, inter conseruos nulli secundus esse creditur, cui solus Dominus antefertur. Quę cum ita sint, cui nullũ præposuit in præconio Christus, vide si ei vllum sit prælaturus in præmio, &c.

D. Hieron. *D Augusti.* *Hilarius Arelat.* *Beda.*

Veruntamen Autor imperfecti Matth. 11. arbitratur, nullum sanctum parẽ alterũ habere; sed aut esse maiorem, aut minorem. Vnde efficitur, Ioannem nullũ habere æqualem, atque adeò cæteris, vel minorem esse, vel maiorẽ, Minor non est, vt verba Christi probant, ergo maior. Scriptura (ait is autor) non dicit Ioannem maiorem esse cæteris sanctis, sed cæteros sanctos non esse maiores Ioanne: coæquauit eum cæteris, non præposuit. Sed cum tãta sit iustitiæ altitudo: puto quod omnes sancti, quantũ ad subtilitatem diuini iudicij: inuicẽ sibi, aut inferiores sunt, aut priores. Ex quo intelligimus, quoniã qui maiorem se non habet, omnibus maior est. Hæc ille.

Nullus sanctus alterum habet omni no gloria parem. *Autor im. perf.*

Quod autem homines omnes dispares sint meritis, & non æquales, opinatur etiã Abulensis Matthæi 11.q.35.& Doctor Theologus Franciscus Maironius, in sermone de Baptista; Ioannes, inquit, plus gratiæ, quam alij recepit, dicente Domino: *Inter natos mulierum non surrexit maior Ioanne Baptista*, scilicet in gratia. Et per consequens nec æqualis, quia secundum Dionysium, duo non erunt in patria æquales, &c. Hæc opinio si vera est, vt esse videtur, efficitur Ioannem Virgine excepta, Sãctorum omnium esse maximũ. Vt enim ait Ecclesia, in noto hymno: *Non fuit vasti spatiũ per orbis sanctior quisquam genitus Ioanne.* Hoc enim ex verbis Christi colligit. Nemo est Ioanne sanctior, vt Ecclesia affirmat; nemo æqualis, vt hæc opinio tradit, ergo omnes illo sunt inferiores sanctitate.

Abulensis. Franciscus de Mair.

Maximum autem Sanctorũ esse Ioannẽ sentire videntur Ambros. ser. 94. Præcellit, inquit, cunctis Ioannes, eminet vniuersis, antecellit prophetas; supergreditur patriachias. Et quisquis ex muliere (scilicet nõ Virgine) est, inferior est Ioanne. Aug. ser. 4. de Baptista: Quisquis Ioanne plus est; nõ tantum homo, sed & Deus est. Chrys. hom. 38. in Matthæu. verba Christi; *Non surrexit maior*, his verbis exponit; Non peperit mulier Ioanne maiorem. S. Theodotus Studites; Et Prophetis, & Apostolis, & alijs omnibus reuera, prior est magnus præcursor. Illis quidẽ vt sequens, his vero vt præcedens: Cardinalis Petrus Dã. Eleuentur omnes, & meritorũ prærogatiuis, ante cõsistorium maiestatis exultent, non erit tamen qui ad Baptistæ Ioannis priuilegium audeat aspirare. Vnus est, & sec ũdũ non habet, qui choris intertextus Angelicis, sublimioris coronę titulus, vniuersitatis humanæ trãscendit ascensum. Deniq; inter natos mulierũ non surrexit maior Ioanne Baptista. Hæc ille. Item in fine homiliæ; Considera mansiones regni, & vniuersum ordinem humanæ generationis obambula, solumque Ioannem tam nouis quã veteribus videbis esse præpositum, vel æquatũ. Guerricus Abbas ser. 2. de Baptista; Ioãnes, quos post se traxerit exemplo, iuuabit merito, commendabitq; suffragio, cum inter natos mulierum, nullus sit acceptior Regi summo Iesu Christo. Euthymius; Christus Ioannẽ maiorem prophetis prædicauit, ac vniuersaliter omnibus maiorem hominibus, &c. D. Maximus hõ. 3. de Baptista; Hic est qui iudicio cęlestis sententiæ cunctis mortalibus antefertur, dicente Domino; *Inter natos mulierum non surrexit maior Ioanne Baptista.*

D. Ambros. *D. Augusti.* *D. Chrysostomus* *S Theodorus Stud.* *Card Petr. Dam.* *Guerricus.* *Euthymius.* *D Maximus.*

Hanc sententiam communem doctorum vocat doctissimus vir Eckius homil. 6. de Ioanne Baptista. Locum suum habet, ait ille, communis doctorũ sententia, Ioannem Baptistam inter omnes sanctos, post Christum, & Mariam, esse sanctissimum. Sic Gerson testatur Dominum matrem suam super omnes Angelorum choros collocasse, huicque proximum fecisse Ioannem Baptistã, quem in locũ Luciferi subrogarit. Et quãuis ex ipso verborũ nudo textu, iuxta sententiam Hieronymi, & Augustini, aliud non colligatur, nisi Ioanne alios sanctos superiores nõ extitisse, tamen ex alijs circumstantijs conjici potest, eum sanctissimum ex omnibus fuisse. Hæc ille.

Eckius.

Luciferi verò sedem Ioanni tributam, conjicit, etiam Franciscus Maironius; Collocatus, inquit, fuit in throno Luciferi Baptista. Cãcellarius verò Parisiensis Gerson tract. 4. in Canticũ Deiparę Virginis, sic scripsit, Videtur Ioãnes Baptista primus post Mariã positus in ordine seraphinorum, loco Luciferi, &c. In locũ igitur Luciferi, *qui cecidit, cum mane oriebatur*, vt Isaias ait, suffectus est, ex sententia Gersonis clarissimus alter Lucifer Ioannes, qui mane ortus, nunquã cecidit. post Solem, & Lunam, Lucifer est tertius, id est, post Christum, & Deiparam, Ioannes.

Franciscus Mair. *Gerson.* *Isaiæ 14.* *Ioannes in Throno Luciferi sedere dicitur.*

CAPVT V.

Ioseph de Virgine dimittenda cogitat, sed ab ea cogitatione per Angelum depellitur. Matth. 1.

CHristi autem generatio sic erat. Cùm esset desponsata mater eius Maria Ioseph, antequam conuenirent, inuenta est in vtero habens, de Spiritu Sancto. Ioseph autem vir eius, cùm esset iustus, & nollet eam traducere: voluit occultè dimittere eam. Hæc autem eo cogitante: Ecce Angelus Domini apparuit in somnis

ei

ei dicens: Ioseph fili Dauid noli timere accipere Mariam, coniugem tuam: quod enim in ea natum est, de Spiritu Sancto est. Pariet autem filium, & vocabis nomen eius Iesum. Ipse enim saluum faciet populum suum, à peccatis eorum. Hoc autem totũ factũ est, vt adimpleretur, quod dictum est à Domino, per Prophetã dicentem: Ecce Virgo in vtero habebit, & pariet filium, & vocabunt nomen eius Emmanuel: quod est interpretatum, Nobiscum Deus. Exurgens autem Ioseph à somno: fecit sicut præcepit ei Angelus Domini, & accepit Coniugem suam. Et non cognoscebat eam, donec peperit filium suum primogenitum: & vocauit nomen eius Iesum.

An Virgo cũ concepit Christum in domo Ioseph habitarit.

POst Ioannẽ natum, exactis apud Elisabetham tribus fere mensibus, domum suam Virgo intemerata redijt. Post reditum verò tumescentis vteri indicio, sanctissimum fœtum prodidit. Quamobrem turbatus Ioseph, de repudianda vxore cœpit cogitare. id nunc diuinus Matthæus narrat

Sed dubitatur: Num quo tempore Virgo Dei filium concepit, & ab Elisabetha domum reuersa est, Iosepho iam fuerit vxor tradita, & in eadem domo cum illo habitarit? Simon Cassianus in Commentarijs Euãgelij, l. 2. c. 16. & 18. Abulensis Matth. 1. Caiet. in Commentarijs 3. partis D. Tho. q. 29, art. 2. & Car. Baronius tom. 1. Annaliũ in apparatu putant, non, dum cum Iosepho, tunc temporis habitasse. Ea vero opinio confirmatur ex illis verbis Matth. *Cum nollet eam traducere*: Ioseph nolebat traducere Virginẽ domum suam, quia grauidam cernebat, ergo nondum cum illa habitabat. Item ex illis: *Antequam conuenirent*, hoc est, in eadem domo habitarent. Præterea à Matthæo dicitur *desponsata*: ergo non erat vxor tradita. Adde verba Angeli: *Noli* (inquit) *Ioseph timere accipere Mariam coniugem tuam*, &c. Ergo non dum illã acceperat. Adiunge Caietani argumentum; Lucas c. 1. affirmat Deiparã post tres illos menses, quibus apud Elisabetham mansit, *reuersam esse in domum suam*; ergo in domo sua erat, non in domo sponsi Ioseph.

Simon Cassianus. Abulensis. Card. Caietanus. Card. Baronius Matth. 1.

In domo eadem cum Ioseph habitabat Virgo cũ Christum concepit.

Credendum est, Virginem quo tempore æternũ Verbum est incarnatum, in eadem domo, cum Iosepho habitasse. Probatur hæc sententia, firmo argumento. Propterea enim Iosepho nupsit Deipara, vt omnem infamiæ notam sub illo matrimonij integumento euitaret, fuit ergo opus, vt cum Iosepho cõceptus tempore habitaret, eique iam vxor tradita esset, ne vel leuissima aliqua infamiæ labe aspergi posset. In Nazareth (ait Nicephorus lib. 1. cap. 8. cũ Iosepho domicilio habens, Virgo ab Angelo nuntiũ accipit. Et Autor imperfecti ad illa verba; Antequam conuenirent; Ideo desponsata Virgo erat, & domi habita: vt desponsatio ipsa fidelis esset: & fornicationis opprobrium à matre repelleret, &c. D. Bonauẽ. c. 6. Meditat. Cùm simul habitarẽt Virgo, & Ioseph, perpendens Ioseph ipsam esse grauidam crescente vtero, &c. D. Tho. 3. p. q. 29. art. 2. Ad tertium, inquit, dicendum, quòd Virgo sicut Chrys. dicit, sic fuit desponsata Ioseph, quod etiã esset domi habita. Nam sicut in ea, quæ in domo viri concipit, intelligitur conceptio maritalis, sic in ea quæ extra domum cõcipit, est suspecta coniunctio. Et ita non esset sufficiẽter prouisum famæ B. Virginis, per hoc quòd fuit desponsata, nisi etiam fuisset domi habita. Hæc ille.

Nicephorus Autor imperf. D. Bonauen. D. Thom.

D. Thom.

Arbitratur tamen D. Thom. prius Virginem cõcepisse, quam nuptiæ essent celebratæ. Quamuis, inquit, esset domi habita, propter primam desponsationis fidem: nõdum tamen interuenerat solemnis celebratio nuptiarum. In eadem sententia videtur esse diuus Bernar. hom. 2. super missus; Mos, inquit, Iudæorum erat, vt à die desponsationis suę, vsque ad tempus nuptiarum, sponsis sponsæ traderẽtur custodiendæ; quatenus earum ipsi eò sibi pudicitiam curiosius seruarent, quò sibi ipsi fideliores existerẽt.

D. Bernard.

Ioseph Mariæ conuersationem, tempore custodiæ, studiosius comprobando, factus est pudicitiæ fidelissimus testis. Hæc ille. Similiter Chrysostom. Matthæi 1. ad illa verba; *Antequam conuenirent*: Non dixit, inquit, Euangelista, priusquam in sponsi domum adduceretur; intus enim iam erat. Hũc quippe morem plerumque tenebat antiquitas: vt sponsæ in spõsorum domibus haberẽtur. Euthymius quoque: Non dixit Matthæus, priusquã ipsa veniret ad domũ Ioseph; iam enim in ea erat. Multis siquidẽ moris erat, vt apud se haberent sponsas, propter securitatem.

An Deipara Virgo, ante celebratas nuptias, conceperit. D. Chrysostomus. Euthymius.

At verò existimo rationi magis consentaneum, nuptias iam fuisse celebratas; nec solùm fuisse virginem sponsam, sed etiam vxorem Ioseph, eo tẽpore, quo diuinum Verbum in illius vtero, humanã naturam assumpsit. Aliter enim non satis fuisset illius honori & famæ consultũ, si nondum vxor ex sponso concepisse existimaretur.

Obstat huic opinioni Angeli legatio. Angelus enim Gabriel ad Virginem missus est nocturno tempore, cum sola absque comite erat. ergo nõdum domum Iosephi incolebat. Nam si in domo Ioseph habitasset, Angelũ ille audisset, & quid actũ esset nõ ignorasset. Respondemus virginem & Iosephũ, quãuis eandem domũ incolerẽt, habuisse tamen diuersos lectos, ideoque potuisse Angelũ, inscio Iosepho, noctu, vel absente, alio tempore, Deiparæ apparere.

Verba Euangelistæ, quibus aduersa opinio confirmatur, nostram sententiam minime labefactant, vt ex eorum explanatione, suis locis mox subijcienda, fiet exploratum. Argumentũ verò Caietani, futile est; Reuersa enim dicitur à Luca Dei parens in domum suam, in qua cum cõiuge suo Iosepho iam habitabat. sponsi enim domus, domus Virginis erat.

Cum esset desponsata.

Cur Virgo dicatur desponsata. Luca 2.

Desponsata dicitur Virgo, non quod solùm spõsa esset (vt nunc spõsæ nomine vtimur) sed quod ratum matrimoniũ cum Iosepho iniisset non cõsummandum. id quod ostenditur ex illis verbis: *Vt profiteretur cum Maria desponsata sibi vxore prægnante*. Ecce & desponsata dicitur, & vxor, & prægnans: ergo ita erat desponsata, vt absque infamia vlla posset concipere. Vnde rectè Cardinalis Caiet. in Comment. Matthæi cap. 1. Non sponsalibus, inquit, de futuro, sed per verba de præsenti, despõsata erat Virgo Ioseph, ita quod iam erat legitima coniux: imò, sic conuersabatur cum Ioseph, quod licite absque vlla nota, potuissent, si voluissent, consummasse matrimoniũ, Quod patet ex eo, quòd aliter non fuisset cõsultum famæ B. Virginis. Hæc ille. Præterea hoc eodem loco appellatur Ioseph vir eius: *Ioseph autem vir eius, cum esset iustus, & nollet eam traducere*, &c. Ergo Virgo non solum sponsa erat; sed etiam vxor domi habita.

Caietanus.

Miror Rupertum Canticorum cap. 1. existimasse, Virginem ideo è domo Elisabethæ discessisse, ideoq; in Bethlehẽ peperisse, ne à vicinis ante debitũ coniugio tempus concepisse ac peperisse deprehenderetur. Quasi verò in Nazareth vrbe non potuerit deprehendi: & Deus honoris materni curã non habuerit. Sed ipsum audiamus; Quid putamus, inquit, dictu-

dicturos fuisse vicinos,& cognatos, qui multi ad Elisabethã conuenerunt,si inter eos inueniretur in vtero habens?& infra:Bene prouisum est, quod exiit edictum à Cæsare Augusto, quatenus per hanc occasionem Virgo ab omni vicinorum quæstione liberaretur,quomodo tam breui tempore exacto; ex quo in coniugium accepta fuerat, peperisset? item, Poterat vicinis & notis fieri occasio loquẽdi, quod tam cito peperit,vix habẽs menses sex, ex quo monente Angelo Ioseph coniugem suã accepit. Hæc ille.Opinio rejicienda est. Lege quæ supra diximus, cum de matrimonio Deiparæ egimus,lib.6.cap.7.

Antequam conuenirent.

Non de cohabitatione, sed de coniugali cõgressu hæc verba cũ plerisq; interpretibus sunt intelligenda.Sic intellectis Heluidius Deiparæ perpetuã Virginitatẽ labefactare conatur, sed stuppeus est impij aries:Neque enim vim vllam habet hæc consecutio:*Antequam conuenirẽt*, concepit Virgo ex Spiritu Sãcto,ergo postea cõuenerunt, quemadmodum neque illa:antequam morbum agnosceret medicus,animã efflauit ægrotus, ergo postea morbum medicus agnouit,& illa,duo coniuges,antequam conuenirent, obierunt, ergo postea conuenerunt, & aliæ. Quod dicitur:*Antequam conuenirent*,(ait Hieron.)non sequitur, vt postea conuenerint,sed scriptura quod factũ non sit,ostendit. Hac de re copiosius infra dicemus, cum verba illa similia explicabimus: *Non cognoscebat eam, donec peperit filium suum primogenitum.*

Inuenta est in vtero habens de Spiritu Sancto,

Ioseph cœlestis mysterij ignaro,ex vteri tumore, Virgo intemerata grauida apparuit.Verba autẽ illa: *Ex Spiritu Sancto*,non indicant Ioseph mysterium cognouisse,Sic enim sunt interpretãda. Inuẽta est virgo in vtero habens, habebat autem in vtero filium Dei,conceptum ex Spiritu Sancto,inuenit igitur Ioseph grauiditatem,quæ ex Spiritu Sancto erat,at vnde esset,ignorabat.

Ioseph vir eius cùm esset iustus, & nollet eam traducere, voluit occulte dimittere eam.

Origenes. Cur Ioseph Virginem dimittere voluerit. Prima opinio.

Cognita Virginis grauiditate, de illa dimittenda cogitabat Ioseph. Cur autem vellet dimittere, non eadem redditur à patribus ratio.Origenes enim homil.1.in diuersos, & alij, cogitationẽ hanc venerationi tribuunt.Ideo(ait Origenes)Ioseph virginem dimittere volebat,quoniam virtutem mysterij,& sacramentum quoddam magnificum, in eadẽ agnoscebat, cui approximare se indignum existimabat. Ergo humilians se ante tantam & tam ineffabilem rem,quærebat se longe facere. Sicut & Petrus aiebat:*Recede à me Domine,quoniam ego peccator sum*, vel sicut Centurio dicebat: *Non sum dignus vt intres sub tectum meũ*:vel sicut Elisabeth dicẽs,*vnde hoc mihi?* sic & Ioseph,iustè humilians,se se in omnibus, cauebat,& timebat,sibimetipsi, tantæ sanctitatis cõiunctionem adhibere. Idcirco occultè volebat eam dimittere, dimittam eam dicens,maior est enim eius dignitas, superexcellit eius sanctitas, nec meæ congruit indignitati.Hactenus ille.

D. Basilius. In eandem sententiam it D. Basilius in oratione de humana Christi generatione: Vtrumque,ait, Ioseph reperit,& conceptionem,& causam ex spiritu Sancto.Quamobrem hoc ignorans ab initio, talis nominari vxoris maritus metuens, voluit eam occulte dimittere.Verens patefacere quæ circa ipsam acta fuerant,&c.Et in illa verba Angeli:Noli timere accipere Mariam coniugem tuam, addit idem sapientissimus pater:Ostendit,quòd Virginem Ioseph non sit abominatus,nec molestè tulerit,sed quòd eã metuerit, vt Spiritu Sancto plenam.Item Theophylactus: Innotuit Iosepho, quòd Deipara ex Spiritu Sancto concepit,vnde clam voluit eam dimittere,& non audebat habere vxorem, quæ tantam habebat gratiam.D.Bernardus homilia secunda, super missus, hanc sententiam patrum appellat. Accipe, inquit,in hoc non meam,sed patrum sententiã. Propter hoc Ioseph voluit dimittere Virginem, propter quod Petrus Dominum à se repellebat,dicens: *Exi à me Domine,quia homo peccator sum*. propter quod Centurio à domo sua eum prohibebat, cum diceret:*Domine non sum dignus, vt intres sub tectum meum*. Ita ergo Ioseph,indignum,& peccatorem se reputans, dicebat intra se,à tali & tanta non debere sibi vltra familiare præstari contubernium:cuius supra se mirabilem expauescebat dignitatem. *D. Bernard.* *Lucæ 5.*

Viguerius in Theologicis institutionibus cap. 20. parag.9. hanc sequitur opinionem,atque addit,sanctitatis splendorem effulgentem ex integerrimæ Virginis vultu,post Christi conceptionem,in admirationem Ioseph rapuisse.Similem in modũ, vir doctissimus Gerson tom. 4, in epistola quam de institutione festi D.Iosephi scripsit,opinatur, Deiparentem antequam ad Elisabetham inuisendam abiret,stupendum incarnationis mysteriũ charissimo sponso aperuisse,obstupuisse vero (vt par erat) Ioseph & de coniuge dimittenda, quod illius conuictu esset indignus, cogitasse. *Virgines.* *Gerson.*

Libentissime huic sententiæ subscriberẽ, si cum Euãgelistæ verbis rectè cohæreret.at ex illis, si recta expendantur trutina,apparet,Iosephũ ante Angeli apparitionem, planè ignorasse D.Virginem diuinitus ex Spiritu Sancto concepisse.Ea enim ab Angelo causa redditur, cur dimittenda non sit.*Noli timere* (ait Angelus)*accipere Mariam coniugem tuam,quod enim in ea natum, est,de Spiritu Sancto est*.Quasi dicat,times accipere,quòd tumescentem vterum, ab homine genitum fœtũ gerere,suspiceris,ne metue, vteri integerrimi conceptus, non ex homine, vt suspicaris, sed ex Spiritu Sancto est.Vel vt Chrysostom. exponit; Non solùm illicito non est violata complexu, verùm etiam supra naturam fœcundata est, *D.Chrysost.*

Refutatur prima opinio. Causam hanc,quam Angelus reddit, cur sit Virgo retinenda,patres prædicti reddunt, cur illam Ioseph dimittere voluerit, non ergo cũ Angeli verbis rectè consentiunt.Sanè si propterea relinquere vxorem Ioseph volebat, quod diuinitus cõcepissent,non dixisset Angelus,*Noli timere accipere coniugem*, concepit enim ex Spiritu Sancto. Respondere enim posset Ioseph, ideò illam ego dimittere volo, quia ex Spiritu Sancto concepit; non enim cum ea habitare audeo, quæ tantæ & sanctitatis,& dignitatis est.Deinde Euangelista affirmat,Iosephum,quia vir iustus erat,noluisse Virginem traducere,id est, infamiæ nota afficere,sed voluisse tantum modo dimittere;ergo suspicatur concepti illũ non laude esse, sed ignominia dignũ.Præterea hæc opinio,dum humilitatẽ Iosepho tribuit, prudentiã tollit. Si enim Ioseph, ex Spiritu Sancto Virginem concepisse nosset,imprudentiæ fuisset maximæ illam dimittere.Quo enim velo mysteriũ tantũ tunc tegeretur?

Respondetur quæstioni. D.Chrysost. 2.opinio. Dicendum ergo est,Iosephum conceptus ex Spiritu Sancto ignarum fuisse,& ex vteri tumore mali aliquid de Virgine existimasse. Est hæc sententia Chrys.hom.4.in Matthæũ,ad illa verba: *Noli timere accipere Mariam coniugem tuam*.Dicendo,inquit, *Noli timere*,procul dubio demonstrat Angelus, timentem Iosephum,ne scilicet offendat Dominum si adulteræ copuletur.Per quod ostenditur,quia nisi hic interfuisset metus,nec Ioseph de virginis dimissione cogitasset.Hæc Chrysost.Similiter Euthymius: Timebat Ioseph retinere Dei matrem,ne Deũ offenderet,retenta contra legem adultera. Nicephorus lib.1.cap.8.Interim Virgini venter tumescere,& Ioseph de ea,quod minus deceret,suspicari; mysterium *Euthymius.* *Nicephorus.* *D. Augus.*

Theophyl.

rium ignora... ...guſtin. ſerm. 16. de Verbis Domini; Attende quemadmodum vir iuſtus Ioſeph, tãto flagitio, quòd de vxore ſua ... ſuſpicatus, tanta benignitate pepercit, antequã ſciret ... de illa cõceperat, quia grauidã ſenſerat, & ſe ad illam non acceſſiſſe nouerat, reſtabat itaque certa adulterij ſuſpitio. Mariti dolor non vindictam quæſiuit, voluit prodeſſe peccãti, non punire peccantem, &c. Et Epiſt. 54. ad Macedonium; Ioſeph cum Virginẽ nihil aliud quã adulterã credidiſſet; puniri tamen eam noluit, nec approbator flagitij fuit. Ambro. de inſtitutione Virginis, cap. 5. Quid præiudicat Mariæ, ſi cœleſtis conſilij myſteriũ Ioſeph non intellexit: & putauit virginẽ nõ eſſe, quã prægnantem videret? Hoc autem opinatus eſt, quod traduceret eam quaſi ream, antequã ab Angelo moneretur. Poſtea autẽ quaſi fidelis, nec dubius, virginitatis eius ſeruauit oraculum, &c.

D. Ambroſ.

D. Hiero. putat Ioſephum non perſuaſiſſe ſibi, à Virgine commiſſum eſſe adulterium, ſed admiratum, rem ſilentio ſuppreſſiſſe. Hoc, inquit, teſtimonium Mariæ eſt, quod Ioſeph ſciens illius caſtitatem, & admirans quod euenerat, celat ſilentio, cuius myſterium neſciebat. Autor item imperfecti; Quoniam, inquit, auditio verborum Mariæ, & conſideratio vitæ eius, mala ſuſpicari de ea non ſinebat Ioſeph: cõſideratio autem conceptionis eius, non permittebat eum ad plenum bona æſtimare de ea, & ſic animus eius inter vtraſque partes fluctuabat: & tenere eam timebat, & tradere eam non audebat. Propter hoc neceſſaria fuit ei reuelatio diuina. Hæc ille.

D. Hieron. *Autor imperf.*

Obiectio.

At oppono noſtræ opinioni, huiuſmodi non leue argumentum. Ioſeph nouerat D. Virginem diuinitus concepiſſe; ergo noluit eam propter adulterij exiſtimationem dimittere. Priori propoſitioni fides fit hoc pacto: Ioſeph ſponſam comitatus eſt, cum domum Eliſabethæ petiuit. Eliſabethæ igitur laudes, quibus Virginem affecit, virginis quoque canticum audiuit, manifeſteque Virginem Meſſiæ matrem diuinitus factam eſſe cognouit.

An Ioſeph Virginẽ fuerit comitatus, cum inuiſit Eliſabetham?

Cardinalis Caietanus 3. part. quæſt. 29. art. 2. Viguerius in inſtitut. cap. 20. parag. 9. D. Bonauentura in meditationibus cap. 5. noſter Soares tom. 2. quæſt. 35. diſput. 13. & alij, arbitrantur Ioſeph ſimul cum Deipara Virgine Eliſabethæ domum iuiſſe. Sed ſi iuit, myſterium ſane cognouit, quod tamen nõ cognouiſſe ex Matthæo colligimus. Reſpondendum ergo obiectioni, Ioſephum intemeratam Virginem non fuiſſe comitatum.

Caietanus. Vigerius. D. Bonauen. Soares.

Vrget adhuc ſcrupulus huiuſmodi: Virgo ad Eliſabetham inuiſendam, propè tempus paſchale profecta eſt. Paſcha enim 14. die menſis Niſan agebatur, qui Aprili noſtro, Martioque reſpondet, virgo autem 25. die Martij concepit, & paulo poſt ad Eliſabetham profecta eſt. ergo veriſimile eſt, Ioſephum illius fuiſſe comitem. Siquidem omnes viri paſchali tempore Ieroſolymitanum templum adibant. Reſp. Petijſſe quidem Ioſephum Hieruſalem paſchali tẽpore, ſed ſine Deipara Virgine.

Exponitur Matthæus.

His propoſitis, facile Matthæi verba intelligũtur. Ioſeph, inquit, cùm eſſet vir iuſtus, id eſt, omnibus virtutibus ornatus, dicitur namque iuſtus à iuſtitia, quæ omnes virtutes complectitur. & nollet eam traducere per ora hominum, & infamia afficere, voluit occulte dimittere. Non enim ſignificat hoc loco verbum traducere, domum transferre, vt Abulẽſis contendit: Nam verbum græcum, παραδειγματίσαι ſignificat in exemplum proponere; ſcilicet ignominiæ, ideoque D. Auguſt. Epiſtola 54. & ſerm. 16. de verbis Domini, legit: Cùm nollet eam diuulgare. Similem in modum ſumitur ad Col. 2. Chriſtus expolians poteſtates & principatus, id eſt, dæmones, traduxit confidẽter palam, triumphans illos in ſemetipſo. Et: *Traducent eos ex aduerſo iniquitates eorum*, græcum verbum hoc loco eſt ἐλέγξει, id eſt, arguent. Et: *Tu Domine eorum, qui te neſciunt, audaciam traducis*, græce ἐξελέγχεις, id eſt, redarguis.

D. Auguſt. Quid ſit traducere. Coloſſ. 2.

cap 4. Sap. 12.

Præmiſit Euangeliſta Ioſeph fuiſſe iuſtum, quoniam propterea voluit vxorem dimittere, quod eſſet iuſtus, nolebat enim cum ea, quam crimen commiſiſſe arbitrabatur, habitare vir optimus, & ab omni crimine abhorrens. Iuſtitiæ præterea, ſiue virtutis fuit ſingularis, vxoris tumentem vterum cernere, idque patienter ferre, vindictam non ſumere, conuitijs non afficere, non domo cum contumelia expellere, non traducere; ſed ſolùm velle dimittere, atque hoc occultè.

Sed quonam modo occultè dimittere volebat? Reſpondet Simon de Caſſia, meditatum fuiſſe fugã. Similiter Abulenſis voluiſſe ex regione illa in aliam diſcedere, Virgineque derelinquere, & Rupertus in Matthæum: Quomodo, inquit, Ioſeph occulte dimittere Virginem voluit, niſi proficiſceretur in regionem aliquam, ſicut fecit Dauid: & ſicut propter aduerſos caſus fecerunt plerique alii? &c. Verùm nõ fuit hac fuga opus, ſatis fuit libellum dare repudij. Veriſimilius ergo eſt, Ioſephum libello repudij dato, Virginem dimittere decreuiſſe, quam ſententiam Ianſenius ſequitur.

Quomodo Ioſeph voluerit occulte Virginem dimittere.

Simon Caſſ. Abulenſis. Rupertus.

Ait Abulenſis repudij libellum non potuiſſe dari ante matrimonium conſummatum. ideoque non potuiſſe hac ratione repudiari Virginem. Sed fallitur, vt intelliget qui Deuteronom. legerit, in quo de libello his verbis agitur: *Si acceperit homo vxorem, & habuerit eam, & non inuenerit gratiam ante oculos eius propter aliquam fœditatem, ſcribet libellum repudij, & dabit in manu illius, & dimittet eam de domo ſua.* De matrimonii cõſummatione nullum hic eſt verbum. Præterea, ſi permiſſum erat Iudæis, libellum repudij dare vxoribus, poſt conſummatum matrimonium, & ablatam virginitatem: Cur non etiam ante, cum ſine tanto detrimento dimitterentur?

Deut. 24.

Libellus repudij dari poterat etiã ante matrimonium conſummatum.

Petes num potuerit Ioſeph Virginem accuſare vt adulteram? Reſp. Non potuiſſe, quòd careret teſtibus; Quomodo enim probare poſſet iudicibus fætũ, quem vtero Virgo gerebat, à ſe viro illius non eſſe genitum? Adultera autem fœmina lapidibus cædebatur, vt conſtat ex hac lege: *Si mœchatus quis fuerit cũ vxore alterius, & adulterium perpetrauerit, cum coniuge proximi ſui, morte moriantur, & mœchus & adultera*, Et: *Vterque morietur, adulter, & adultera*, &c. *Hæc mulier modo deprehenſa eſt in adulterio, in lege autem Moſes mandauit nobis huiuſmodi lapidare.* idcirco: *Suſanna ad mortem ducebatur*, quod adulterium perpetraſſe putaretur.

An potuerit Ioſeph Virginem accuſare.

Leuit. 20 Deut. 22. Ioan. 8. Deut. 13. Dan. 13.

At cur Virgo Ioſephum cœleſtis conceptus certiorem non fecit? Reſpondeo, quia ſe, honorem q; ſuum, Deo magnæ curæ futurum ſciebat. Si enim de Suſanna, cum ab impijs hominibus, adulterij accuſaretur, dicitur; *Erat cor eius fiduciam habens in Domino*; quid de Dei parente dicendum eſt? Equidẽ erat cor eius, fiduciam ſummam habens in Deo, qua velut anchora, ſic ſtabiliebatur, vt ne tenuis quidẽ trepidationis, vel perturbationis fluctus, illud permoueret. Potuit Ioſeph ipſe, vultus Virginei ſerenitatem, modeſtiamque illis diebus, admirari, quæ recti mentem conſciam ſatis indicabat. Adultera fœmina virum timet, fugit, eo viſo exalbeſcit, ventris tumorem tegit, ac premit. Virgo contra nec virũ timuit, nec fugit, nec eo viſo vnquam exalbuit, nec ventris tumorem aut preſſit, aut occultauit. Dei prouidẽtiæ ſe totam commiſit. Neque verò decepta eſt, adfuit cordi confidenti Deus.

Cur Virgo Ioſepho Myſterium incarnationis non aperuit.

CAPVT

CAPVT VI.

Angelus Ioſepho apparet.

Hæc eo cogitante, ecce Angelus Domini apparuit in ſomnis Ioſeph.

Pſal 9. MErito dicitur *Deus adiutor in oportunitatibus, in tribulatione*, opportunum enim fert ſuis auxiliũ. Opportune innocenti Suſannæ per Danielem ſuccurrit, opportunè ſuccurrit ſanctiſſimæ Virgini, per Angelum, qui ex Spiritu Sancto illam concepiſſe, Ioſepho ſecundum quietem nuntiauit, & ab omni criminis ſuſpicione liberauit. Apparuit Ioſepho Angelus (ait Aug. Epiſtola 54.) qui doceret eſſe numinis, quod ille putauerat criminis. Quam vides, ô Ioſeph (ait Chryſologus ſer. 145.) virtus eſt iſta; non crime, hic nõ humanus lapſus eſt, ſed eſt diuinus illapſus. hic præmium eſt, non reatus; hic hominis furtũ nõ eſt, theſaurus eſt Dei, hic nõ eſt mortis cauſa, ſed vitæ. Quæ vitã parturit, non meretur occidi, &c.

Angelus Virginem omni criminis ſuſpicione liberat.

Quærit Chryſoſtomus hoc loco, cur Angelus quemadmodum Ioſepho, ita etiã Virgini, Chriſti conceptionẽ poſt eam peractã, nõ aperuerit? In cauſa vero reddenda, vt cum D. Thoma loquar, ſanctiſſimus pater exceſſit; Ne (inquit Chryſ.) ſtupentis ac verecundantis animum triſtitia conſumeret, valde enim fieri potuit, vt tãti ignara ſecreti, aliquid de ſe crudele decerneret, & quantum honeſtatis amans, tantũ famæ turpis intolerans, vel ad laqueũ ſubito, vel ad gladium conuolarent, &c. Chryſoſtomum ſequitur Euthymius. Nos vero de Virgine tanta, longe aliter ſentimus. Non decebat quidẽ ignara matre Chriſtũ concipi: Virginis conſenſum poſtulari, antequã diuinitus conciperet, oportebat. atque ideo Gabriel nõ poſt, ſed ante incarnationẽ, ad eã miſſus eſt. Veruntamen, ſi illa inſcia, admirandũ myſteriũ eius in vtero Deus fuiſſet operatus, ea prædita erat prudẽtia, iisque Spiritus Sancti donis illuſtrata; vt facile intelligere poſſet, vnde emanaſſet cõceptio. Neque vero vel ad gladiũ, vel ad laqueũ, ſed ad orationẽ, diuini myſterij patefactionẽ petitura cõfugiſſet.

Chryſoſtom. exceſſit.

Dubitabis, quonã modo Angelus in ſomnis apparuerit, & cum Ioſepho locutus fuerit? Reſp. nec apparuiſſe in perſona propria, aëreo corpore indutum, nec voce, quæ auditu corporis percipi poſſet, cum Ioſepho locutum. hæc enim apparitio vigilantiũ eſt. Viſus ergo eſt, & locutus Angelus cũ Ioſepho dormiente, per ſpecies phantaſiæ impreſſas, quę Angelũ, & præſentẽ, & loquentẽ repræſentabant; Huiuſmodi autẽ viſio dormientiũ eſt, & dormienti Ioſepho conueniebat. certiſſimè vero cognouit, tum Dei illam eſſe reuelationem; tum quid ſignificaret. Etenim cum Deus, vt alicuius rei cognitionem tribuat, ſomnium immittit: id ita agit, vt in certiſſimã homo reuelationis, reique cognitionem, adducatur.

Noli timere accipere Mariam coniugem tuam.

Videntur hæc verba fauere illis, qui aiunt Ioſephum indignum ſe Virginis coniugio exiſtmaſſe, ac propterea dimittere voluiſſe. In hunc enim ſenſum exponi poſſunt: Noli timere Virginis dignitatem, habita cum illa. Verùm cauſa, quæ ab Angelo redditur, ſenſum hunc explodit. *Noli*, ait, *timere accipere Mariam coniugem tuam, quod enim in ea natum eſt, de ſpiritu Sancto eſt.* Si ille timebat, ob dignitatem tantæ matris, cum ea habitare, quorſum redditur ab Angelo hæc cauſa, cur dimittere nõ debeat: Eſt ergo ſenſus germanus: Ne timeas accipere coniugem, quod ſit adultera; quia grauidam cernis: Etenim grauiditas nõ ab homine, ſed ab Spiritus Sancti opera eſt. Ad quid timebat Ioſeph, ſi Virginem accipe- reſponſ. timebat adulterium, vel vt Chr- tomus reſpondet, timebat ne offenderet ea copularetur habitatione, quam ad- am ſuſpicabatur. *Chryſoſt.*

Ex iiſdem Angeli verbis colliget forte aliquis, nõdum Virginem hoc tempore in domo Ioſeph habitaſſe, ait enim, *Noli timere accipere Mariam coniugem tuam*, ergo nondum acceperat. Reſpondendum eſt, verbum, accipere, hoc loco idẽ eſſe quod retinere, hoc ſenſu; Noli timere Ioſeph accipere in perpetuã cõiugem, id eſt, retinere, & habere domi, Virginẽ, quã animo iam dimiſiſti. Chryſoſt. homil. 4. in Matthæũ, Quid eſt, ait, accipere? domi profecto retinere: iam enim illam mente dimiſerat. Eodem modo exponit Theophylactus: Ne timeas accipere, id eſt, domi & intus tenere; mente enim iam eam amandauerat. Et Ambroſ. lib. 2. in Lucam; Nemo, inquit, quam non accepit, dimittit, & ideo quam volebat dimittere fatebatur acceptam. *Theophyl.* *D. Ambroſ.*

Quod enim in ea natum eſt, de Spiritu Sancto eſt.

Duplicem hæc verba indicant Chriſti natiuitatẽ, alteram in vtero, alterã ex vtero Virginis. Ipſe cõceptionis puncto Chriſtus natus eſt in vtero, quia & corpus habuit omnibus conſtãs organis, & animam perfectiſſimã, vt ſupra diximus. Ex vtero vero natus eſt, cũ in lucem feliciſſimè eſt editus. Græce habetur τὸ γὰρ ἐξ αὐτῆ γεννηθὲν, id eſt, quod in ea genitũ eſt. Baſilius lege in oratione de humana Chriſti generatione. *Duplex Chriſti natiuitas.*

Pariet filium, &c.

Non dixit Angelus (ait Chryſoſtomus) pariet tibi filium, quemadmodum dixit Zachariæ: *Vxor tua pariet tibi filium.* Non enim illi, ſed vniuerſo prorſus orbi peperit Virgo Chriſtum, iuxta illud Iſaiæ: *Paruulus natus eſt nobis, & filius datus eſt nobis*, nobis inquit omnibus: Omnium namque Chriſtus eſt. Præterea non dixit Ioſepho Angelus, pariet tibi, quemadmodum dixit Zachariæ, quoniam Chriſtus Ioſephi filius nõ erat: Ioannes autem filius erat Zachariæ. *D. Chryſoſt. Luca 1.* *Cur non dixerit Ioſepho angelus pariet tibi filium.*

Et vocabis nomen eius Ieſum. Ipſe enim ſaluum faciet populum ſuum, à peccatis eorum.

De nomine Ieſu dicemus in tractatu de circumciſione. hoc loco illud obſeruandum, Angeli verba Chriſti diuinitatem oſtendere: *Ipſe*, inquit, *ſaluum faciet populum ſuum, à peccatis eorum*, ſaluum autem à peccatis facere, Dei eſt, Vnde: *Saluabo*, Ait Deus, *eos in Domino Deo ſuo, & non ſaluabo eos in arcu, & gladio, & in bello, & in equis, & in equitibus*, Iob: *Quis poteſt facere mundum de immundo conceptum ſemine, niſi tu, qui ſolus es?* id eſt, quis hominem immundum peccato originario, aliiſque multis inquinatum abluere poteſt, niſi tu ſolus ô Deus? *Ego ſum* ait Deus, *qui deleo iniquitates tuas, propter me* aiunt Phariſæi, *Quis poteſt dimittere peccata niſi ſolus Deus?* Theophyl. *Saluabit*, inquit, *populum à peccatis.* Vnde manifeſtũ eſt, Deum eſſe qui naſcetur. Solius enim Dei eſt condonare peccata. *Oſee 1.* *Iob. 14.* *Iſaiæ 43.* *Luc. 5.* *Theophyl.*

Oſtendunt præterea verba Angeli, cuiuſmodi ſalus fuerit à Meſſia populo ſuo afferẽda. Saluabit (ait Anſelmus) non ab hoſtibus corporalibus, ſicut Ioſue, & Dauid, ſed à peccatis, quod non eſt hominum, ſed Dei ſolius. & Chryſoſt. in Matthæum. Nõ à bello viſibili, neque à gladio barbarorum, ſed quod his longe maius eſt, à peccato ſuo populum nuntiat Angelus liberandum. quod præſtare, nulli fuit hominum aliquando poſſibile, &c. *Chriſti diuinitas ab Angelo oſtenditur.* *D. Anſelm.* *D. Chryſoſt.*

Significat etiam, angelus, Chriſti diuinitatem (vt vult D. Cyrillus Alexand.) cum ſeruandum populũ, populũ illius appellat: *Ipſe*, ait, *ſaluũ faciet populũ ſuum.* In libro de recta fide ad reginas ita ſcribit, Duo ponit Angelus, quæ Deo congruunt. Nati enim ex Maria, proprium dixit populum, eos qui per ipſum ſaluati ſunt. Quin etiã, quòd à peccatis illos liberaturus ſit. Dei autem omnia ſunt; & ipſius ſolius eſt, *D. Cyrillus.*

eos

eos qui peccauerunt, à peccato posse liberare. Hæc
D. Chrysost. Cyrillus. Chrysost. item in Matthæum; Considera, inquit, quemadmodum angelus, nobis ipsam Christi patefecerit dignitatem, primò populum eius appellans, quem per ipsum à peccatis dicit esse saluādum, nihil enim hoc aliud est, quam ostendere, Dei filiū esse, qui nascitur, nec se de aliquo homine rege hunc proferre sermonem. Neque enim potest peccata dimittere, nisi solummodo diuina natura, &c.

Hoc autem totum factum est, vt adimpleretur quod dictum est à Domino per prophetam.

Descripsit Euangelista Matthæus Christi Genealogiam, vsque ad Ioseph, ne verò quis arbitraretur, à Iosepho esse genitum, ex Spiritu Sancto conceptum docuit. *Christi*, inquit, *generatio & conceptio sic erat*, B id est, non erat ex Iosepho, sed ex Spiritu Sancto. Id primo Angeli, qui Iosepho apparuit, testimonio ostendit; deinde hoc loco, Isaiæ celebri testimonio comprobat. *Hoc*, inquit, *totum*, id est, Christi generatio ex Spiritu Sancto, *& cætera facta sunt, vt impleretur, quod dictum est à Domino per prophetam.* Non dixit Euangelista, quod dictum est per prophetam, sed *quod dictum est à Domino per prophetam*, vnde intelliges, Deum per
2. Petr. 1. prophetas esse locutum, iuxta illud: *Hoc primum intelligentes, quod omnis prophetia scripturæ, propria interpretatione non fit. Non enim voluntate humana allata est aliquando prophetia, sed Spiritu S. inspirati, locuti sunt sancti* Dei homines.

Dubium est, an particula, vt, causam dicat? Non enim propterea Christus ex virgine cōceptus videtur, quod id futurū Isaias fuerit vaticinatus, imo cō-
tra, propterea Isaias id futurum est vaticinatus, quia C Christus ex virgine erat concipiēdus. Titelmannus nō causam finalē, sed consecutionē significare putat. Abulensis similiter ait, vt, nō sumi causaliter, sed comitatiuè hoc sensu, quādo hoc factū est, (scilicet, quod Christus natus est ex Virgine, & vocatus Iesus *(impletum est, quod dictum est per Prophetā.* Sed suauior erit explanatio, si dicamus, vt, causam hoc loco significare, nā multæ fuere, cōceptionis Christi ex virgine causæ, hominū videlicet redemptio, Dei singularis misericordia, iustitia, amor, facta patribus promissio. Quemadmodū autem facta patribus promissio, ita etiam scripturarum, in quibus promissio cōtinetur, impletio causa fuit. Conceptus ergo est Christus, ex virgine, *vt impleretur quod dictum est à Domino per pro-* D *phetam*, id est, vt Deus factum per prophetā promissum seruaret, verbique sui veritatem ostenderet.

Ecce Virgo in vtero habebit, & pariet filium.

Isaiæ 7. Præclarissimum est hoc Isaiæ testimonium, eius tamen splendori cæci hebræi, prauè interpretando, tenebras offundunt. Nonnulli de vxore Achaz, locū interpretantur, hanc concegisse aiunt, & filium Ezechiam peperisse, quod signum fuerit ab Isaia prædictum. Attamē oculis capti hominis interpretatio est hęc. Nam Achaz 16. annis tantummodo regnum administrauit 4. Reg. 16. filius autem eius Ezechias,
4. Reg. 18. post patrem 25. annos natus, regnare cępit; ergo quo tēpore hæc prædixit Isaias, natus iam erat Ezechias.
4. Reg. 16. Prædixit enim hęc Isaias, vt constat, Achaz iam reg- E nante; cum autem regnare cœpit Achaz, Ezechias nouem annos natus erat. Non ergo potuit Ezechiā nascturum vaticinari Isaias, ann. 4. Achaz, quo anno hoc de virgine celeberrimū vaticinium est editum. Vt Lyranus, Rabbi Salomon, & alij scribunt.

Eiusdem farinæ, imo furfuris, est Rabbi Salomonis expositio. Non ille quidē de vxore Achaz, & filio Ezechia; sed de vxore Isaiæ Prophetæ, vaticiniū exponendū cēset, quæ cōceperit, filiūq; Isaiæ, nomine Emmanuelem genuerit. Quasi verò vxor Isaiæ prophetissa fuerit, & Virgo. Nunquid quemadmodum regis vxor, regina dicitur, ita prophetę vxor prophetissa appellatur? Vbi nam legit Rabbi Salomon, vel

A vxores prophetarū prophetissas vocari, vel vxorē Isaiæ fuisse prophetissam, & virginem? Probat suā sententiam ex cap. 8. Isaię, in quo propheta sic scribit; *Accessi ad prophetissam, & concepit, & peperit filium, &c.* Isaiæ 8.

Hæc cæteraq; huiusmodi explanationes, ex ipsa vaticinatione refutantur. Etenim Isaiæ 7. Deus regi Achaz admirandum signum pollicetur. Adiecit Dominus loqui ad Achaz dicens; *Pete tibi signum à Domino* Isaiæ 7. *Deo tuo, in profundum inferi, siue in excelsum supra*, & dixit Achaz; Non peram, & non tentabo Dominū. Deus admirandum signum, siue ex cœli fastigio, siue ex inferni profundo, mortui suscitationem, vel aliud simile, regi offerebat, quis ergo dicat, Isaiam pro admirando, & inaudito miraculo, quod totius naturæ vires exuperaret, filij sui vulgarem, quotidianam, ac B naturalem conceptionem, ridiculumque vxoris sue partum obtulisse? Quod si obtulisset, non dixisset; *Ecce Virgo concipiet & pariet*, sed ecce vxor mea concipiet, & pariet, vt sciret rex, qua de conceptione & signo loqueretur. Deinde quorsum addidisset, *Butyrum & mel comedet*; Quid enim miraculi, quid noui erat, infantem Isaiæ filiū butyrū & mel comedere?

Præterea de infante, quem prædixit capite septimo nascturum, vaticinatur capite nono Isaias, hūc in modum; *paruulus natus est nobis, & filius datus est nobis,* Isaiæ 9. *& factus est principatus super humerum eius, & vocabitur nomen eius, admirabilis, consiliarius, Deus, fortis, pater futuri sæculi, princeps pacis, multiplicabitur eius imperium, & pacis nō erit finis, super solium Dauid, & super regnum eius sedebit, vt confirmet illud, & corroborer in iudicio, & iustitia, amodo, & vsque in sempiternum. Zelus* Domini exercituum faciet hoc. &c. Quis à mentis statu adeò erit deturbatus, vt hæc filio Isaiæ, aut filio Achaz cōgruere dicat? Nunquid (vt omittam reliqua) filius Isaiæ, aut Achaz, fuit admirabilis, Deus, fortis, pater futuri sęculi? Nunquid imperium habuit, idque in sempiternum? Denique terra Iuda dicitur terra nascituri infantis, cui ille imperet, *Erit extensio alarum eius*, id est, exercitus *implēs* Isaiæ 8. *latitudinem terræ tuæ, ô Emmanuel.* Atqui nō Isaiæ filius, sed verus Emmanuel Christus, Iudææ imperauit; imperatque in sempiternum.

Confirmationi Rabbi Salomonis respondemus: capite octauo nō loqui Isaiā de filio à se genito, sed de christo, illa enim verba obscura sunt, prophetica, & ænigmatica, sublimique sensu intelligenda. Capitis initio iubetur nomina infantis nascituri, in libro describere: *Sume (inquit Dominus) tibi librum gran-* *Exponuntur verba* *dē, & scribe in eo stylo hominis: Velociter spolia detrahe; cito præ-* *Isaiæ 8.* *dare.* Deinde nomina iubetur infanti imponere. Addit; *Dixit Dominus ad me; Voca nomen eius*, id est, infantis nati ex prophetissa, *Accelera spolia detrahere; Festina prædari.* Hæc nomina nō filio Isaiæ, aut Achaz, sed Christo conueniunt. Nec enim filius Isaiæ aut filius Achaz spolia detraxit Samariæ, aut depredatus est Syros, sed christus, & ante incarnationem, qui ab ęterno Deus est, Samariam & Syros, & post incarnationem diabolum depopulatus est. Id quod significat vates, cum subiicit.

Quoniam antequam sciat puer vocare patrem suum, & matrem suam, auferetur fortitudo Damasci, id est, Syriæ, cuius caput erat ciuitas Damascus, & spolia Samariæ, coram rege Assyriorum. *Antequam*; inquit, *sciat puer vocare patrem suum, & matrem suam*, id est, antequam patrem habeat hominum existimatione Iosephum, antequam matrem veram, habeat Virginem, antequam humanitatem habeat, secundum quam sciat vocare patrem & matrem, auferetur fortitudo Damasci, Samariæ item spolia, ipso operante, ac puniente per regem Assyriorū. Nam vt traditur 4. Reg. 4. Reg. 16. 16. Theglath Phalasar rex Assyriorum, vocatus ab Achaz Damascum cepit; Samariæ autē spolia ablata postea sunt à Salmanasar, Assyriorum item rege,

qui Samariam in poteſtatem ſuam redegit anno 6. Ezechiæ, 4. Reg. 18.

Quam etiam ob rem verba hæc in filium Iſaiæ quadrare nequeunt. Si enim anno 4. Achaz conceptus eſt, anno 6. Ezechiæ, ſexdecim annorum ætatē iam ſuperabat, regnauit enim Achaz ſexdecim annis. Falſo ergo de illo dicitur, *Antequam ſciat puer vocare patrem, & matrem*, auferentur ſpolia Samariæ, ſiquidem cum illa ſexto Ezechiæ anno ablata ſunt, ille iam egerat annos ſexdecim, niſi forte aliquem Iſaiæ filium mutum fingere velis. De euerſione Damaſci & Samariæ lege Iſaiam cap. 17.

Verba ergo 8. cap. Iſaiæ, quibus Rabbi Salomon ſuam probat interpretationem; *Acceſsi ad prophetiſſam*, &c. de Virgine illa ſunt interpretanda, de qua ſupra dixerat idem Iſaias c. 7. *Ecce virgo concipiet*, & de infante, de quo idem Iſaias c. 9. vaticinatur; *Vocabitur admirabilis, Deus, fortis*, &c. Acceſsit autem Iſaias, id eſt, appropinquauit (quod ſignificat verbum hebræum קרב carab) ad Virginem Deiparam prophetiſſam, quæ prophetico dono prophetas omnes ſuperauit, acceſsit, inquam, prophetico ductus ſpiritu, ad myſterium celſiſsimū, namque ex Spiritu S. concepiſſe, ac Chriſtum peperiſſe, ex eodem Spiritu intellexit.

Iſai. 7. *Iſai. 9.*

D. Cyrillus. Procopius. D. Epiphan. Euſebius. Nicetas.

De Virgine Deipara vaticiniū exponit D. Cyrill. & Procopius in Iſaiam D. Epiphan. hęreſi 78. Euſebius l. 7. de demonſtratione c. 2. Nicetas in commentariis orationis 42. Nazianzeni, & alij. Euſebius illa verba, *Acceſsi ad prophetiſſam*, de Spiritu S. interpretatur hoc modo; Acceſſi ego Spiritus Sanctus ad Virginē, iuxta illud Luc. 1. *Spiritus Sanctus ſuperueniet in te.* Nomina vero *ſpolia detrahe, cito prædare*; Chriſto maximè congruunt, qui temporis breui ſpatio limbo ſpolia, id eſt, ſanctos patres detraxit, miſſiſque per orbem concionatoribus diabolum cito eſt depręda tus.

Iſai. 7.

Exponuntur verba Iſaiæ: Ecce Virgo concipiet, &c.

Itaque intelligendum eſt vaticinium celeberrimum, non de vxore Achaz, aut de vxore Iſaiæ, ſed de intemerata Virgine Dei parente. Obtulit Deus regi Iudę Achaz ſignum vel è cœlo, vel ab inferis. Cū verò impius ille petere ſignum à Deo vero nollet; Deus ad aliud multo mirabilius ſignum, prophetæ mentem tranſtulit, domuiąue Dauidis ſtupendum, virginei partus ſignum, ſe daturum eſſe prædixit: Dabit (ait Iſaias) *Dominus ipſe vobis ſignum: Ecce Virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emmanuel, butyrum & mel comedet, vt ſciat reprobare malum, & eligere bonum.* Id eſt, non vult rex Achaz, qui Dauidis ſceptrū tenet, ſignum à Deo petere quod offert, veniet; veniet aliquando felix illud tempus, in quo Deus ſtupendum domui Dauidis ſignum prębebit, ſignū autem huiuſmodi erit.

Ecce Virgo integerrima ex Dauidis ſtirpe, ſalua virginitate, & cōcipiet, & pariet filium, qui Emmanuel vocabitur, id eſt nobiſcum Deus; erit enim non homo tantum modo, ſed Deus & homo. Tunc (ô rem ſtupendam) *butyrum & mel* Deus infans *comedet*, id eſt, infantilibus veſcetur cibis, erit enim infans. *Vt ſciat reprobare malum, & eligere bonum*, id eſt, vt adoleſcat, & cibo nutritus ad ætatem perueniat, in qua per experientiam & mala reprobare, & bona eligere noſcat. Etenim Chriſtus infuſa ſcientia, ac beata ſcientia, à primo conceptionis puncto, in ipſo matris vtero, diuina verò ſapientia ab æterno, dona omnia, malaq; cognouit: experimentalē vero cognitionem, poſtquam natus eſt, experientia comparauit.

Aliter; butyrum & mel ſignificare poſſunt pinguiſſima illa, ac dulciſsima dona, quibus infantis humanitas à Deo eſt ornata; hoc ſenſu, *butyrum & mel comedet* infans admirabilis, hoc eſt, eximia dona gratiæ, gloriæ, & ſapientiæ à Deo accipiet, vt ſciat per gratiam, & infuſam ſapientiam, ac beatam, reprobare mala omnia, & eligere bona. Nihil enim vnquam mali amplectetur, nihil boni reprobabit. Itē aliter, *butyrum & mel comedet*, id eſt, in tenera ætate cibis infantilibus paſcetur (vt, particula, non cauſam ſed conſecutionem indicat) vt ſciat quemadmodū reliqui infantes, mala, id eſt, amara, corporis miniſteria reſpuere, bona, id eſt, dulcia eligere, hebraicè eſt; *Ad ſciendum reprobare malum*, &c. Deſcribitur infantia Meſsiæ, quamuis Deus ſit; erit etiam infans, cæteris infantibus ſimilis, ſecundum carnis naturalem appetitionem, quæ illi appetunt dulcia, appetet, amara, quæ vitant, vitabit.

Obiectiones.

Obiicitur, Virginis partum non fuiſſe ſignū liberationis Achaz; Reſpōdemus, nec nos id affirmare. Pollicebatur quidē Deus Regi Achaz ſignum liberationis, ſi petere vellet. Cū nollet, à præſentibus ad futura, à typo ad veritatē, prophetæ intellectū traduxit, ſignumq; multo pręſtantioris totius humani generis liberationis, optatiſsimæque redemptionis, promiſit. Pręterea nomē, ſignū, ſumi poteſt nō pro ſigno liberationis, ſed pro miraculo, vt ſępe ſumitur in diuinis litteris, hoc ſenſu, dabit Dominus vobis ſignum, id eſt, ingens miraculum, Virginei partus.

Vrgebis, apud Iſaiam pro Virgine eſſe nomē hebræum alma, אלמה quod adoleſcentulam ſignificat. Reſpondemus, nomen hebræū, à verbo hebręo, אלם alam deriuari, quod eſt abſcondere, & ſignificare adoleſcentulam viro abſconditam, id eſt, à viro nō cognitam. Hoc probatur ex locis, in quibus nomen legitur; dicitur, *Rebecca alma*, & Maria ſoror Moſis, quæ tunc temporis Virgines erant, & Viro abſconditæ, hac de re ſic ſcribit D. Hieron. in hunc Iſaiæ locum; *Alma*, inquit, apud hebræos verbū ambiguum eſt, dicitur enim & adoleſcentula, & abſcōdita. Vnde, & in tit. Pſal. 9, vbi in hebræo poſitū eſt, *almuth*, cæteri interpretes tranſtulerunt; Pro adoleſcentia, quod Sept. interpretati ſunt; Pro abſconditis. Et in Geneſi legimus, vbi Rebecca dicitur, *alma*, Aquilam, non adoleſcentulam, nec puellam, ſed abſconditam tranſtuliſſe. Ergo, *alma*, non ſolum puella vel virgo, ſed cum ἐπιτάσει, (id eſt, amplificatione & intenſione) Virgo abſcondita dicitur, & ſecreta, quę nunquam virorum patuerit aſpectibus, ſed magna parentum diligentia cuſtodita ſit. Lingua quoq; punica, quæ de hebræorum fontibus manare dicitur, proprie virgo, *alma*, appellatur, & quātum cum mea pugno memoria, nunquam me arbitror, *alma* in muliere nupta legiſſe, ſed in ea, quæ Virgo eſt. Vt nō ſolum virgo ſit, ſed & virgo iunioris ętatis, & in annis adoleſcentiæ. Hæc Hieron. Septuaginta pręterea interpretes grauiſſimi ſic verterūt Iſa. 7. ἰδοὺ παρθένος ἐν γάστρι λήψεται, id eſt, *Ecce Virgo in vtero habebit.*

Geneſ. 24. Exod. 2. D. Hieron.

Quid ſignificet Vocabulum hebraū alma.

Extat vocabulum, *alma*, Prouer. 30. quo loco adoleſcentiam ſignificat, niſi fortè interpretes legerunt aliter Hebraicè. *Tria ſunt*, ait Sapiens, *difficilia mihi, quartum penitus ignoro, viam Aquilæ in cœlo, viam colubri ſuper terram, viam nauis in medio mari, & viam viri in alma*, id eſt, in adoleſcentia. Aliquibus alia lectio placet magis, nempe viam viri in adoleſcentula, ſed in Biblijs iuſſu Pontificis Max. correctis prior extat lectio, atq; ideo amplectēda. Ea etiam eſt Græcorum, ἐν νεότητι, id eſt, in adoleſcentia. Alteram vero lectionem de adoleſcentula, iam ſupra expoſuimus.

Quod autem *alma* Virginem ſignificet, hac quoq; ratione probatur, Iſaias ſignum admirādum domui Dauid pollicetur, conceptus, & partus adoleſcentulę virginitate carentis, admirandum ſignum nō eſt; ergo nomen *alma*, pro Virgine ſumitur, quę virginitate conſeruata, & concipiat, & fœtum in lucem edat, quod ſignum fuit admirabile.

Et vocabunt nomen eius Emmanuel.

Hucuſq; verba eſſe Angelicū Ioſepho loquētis credit D. Iren. l. 4. c. 40. D. Chryſoſ. Theophyl. & Euthym.

thym. hoc loco, idem innuit D. Aug. ser. 40. de Natali. Verisimilius D. Tho. & alij, quos sequimur, arbitrantur verba esse Euangelistæ ab eo loco: *Hoc autem totum factum est*, &c. Euangelista enim, non Angelus, admirabilem Christi, de qua egerat generationem, Virginisque inauditum partum Isaiæ testimonio confirmat. Nomen autem, *Emmanuel*, à præpositione hebręa, עִם im, id est, cū, & pronomine, נוּ nu, id est, nobis, & nomine אֵל el, id est, Deus, deriuatur, quasi dicas, cum nobis Deus, vel nobiscum Deus. Nam per admirabilem diuæ Virginis partum nobiscum Deus fuit incarnatus. Quod Ioannes c. 1. his verbis significauit, *Verbum caro factum est, & habitauit in nobis*, id nomen *Emmanuel*, id est, nobiscum Deus significat. Vide vetus testamentum, nouo quam consonet.

Sint ne hæc verba Angeli, an Euangelistæ. *D Chrysost. Theophyl. Euthym. D. August. D. Thomas.*

Obiiciet aliquis, Christum non esse appellatum Emmanuelem, sed Iesum, non ergo posse vaticinio illi cōuenire. Respons. Christum multa habere nomina; Vocatur enim Iesus, vocatur *Emmanuel*, vocatur *admirabilis, consiliarius*, Deus, *fortis, pater futuri sæculi, princeps pacis*, vocatur *Accelera spolia detrahere; Festina prædari*. Hebraicè, מהר שלל חש בז, Maher salal, chas baz vocatur: *Dominus iustus noster*. Attamen nomen, Iesus, nomen est proprium, in circumcisione pro Iudaicæ gentis more impositum, cætera illius admirabiles naturas diuinam atque humanam, vno in supposito copulatas, illius potentiam, sapientiam, admirabilesque actiones designant.

Quomodo Christus Emmanuel appelletur. *Isaiæ 7.* *Isaiæ 9.* *Isaiæ 8.* *Ierem. 23.*

Nomina Ieremiæ, *Dominus*. Hebraicè, יהוה Iehouah, *iustus noster*, diuinam naturam aperte ostendunt. Nomen *Emmanuel*, id est, nobiscum Deus, duas in vna hypostasi naturas coniunctas indicat. Fuit enim nobiscum Deus, cum humanam naturam cum diuina, eadē in persona Verbi, ineffabili nexu copulauit. Nomina *accelera spolia detrahere, Festina prædari*, de Diabolo, morteque reportata spolia, prædāque significāt. Reliqua, *Admirabilis, consiliarius*, Deus *fortis*, &c. Miracula, consilia, diuinitatem, fortitudinem, pacē, principatumque patefaciunt.

Nomina Christo multa, cur imposita.

Non prodit autē Scriptura nomina hæc vt Christi propria, quibus vulgo nominetur, sed vt nomina quibus dignitas illius, maiestasq; hominibus demōstretur. Eundem in modum de Ecclesia dicitur: *Non vocaberis vltra derelicta, sed vocaberis voluntas mea in ea*; nō vt hoc nomine, veluti proprio, Ecclesia appelletur. sed vt Dei erga illā volūtas, id est, benevolētia ostēdatur. Similem in modum Isaiæ primo appellatur *ciuitas iusti, vrbs fidelis*. Vnde Chrysost. hoc loco: Mos, inquit, Scripturæ est, euentus rerum ponere nominum loco. Quid enim est aliud, vocabitur nomen eius Emmanuel, nisi videbūt oculi mortalium Deū, inter homines versantem? Et August. serm. 4. de natiuitate; Saluator noster ab effectu rerum hoc nomē accepit, vt vocaretur nobiscum Deus. Et ipse tunc Deus cum omnibus nobis esse dignatus est, quando suscepit hanc carnem, vt per hominem, qui visibilis erat, conuersari videretur in terris.

Isaiæ 62. *D. Chrysost.* *D. August.*

Et non cognoscebat eam donec peperit.

A Gabriele Archangelo, Ioseph D. Virginem ex Spiritu sancto, summo cum virginitatis splendore, concepisse intellexit, angeli verbis fidem habuit, paruit; vxorē, quam dimittere decreuerat, retinuit, vtque in perpetuo conuictu permanerēt, accepit. His addit Euangelista verba quædam, quibus veluti laqueo, Heluidius se irretiuit, intemeratæque Virginis æternam Virginitatem, temerario, impióque ausu, temerare conatus est. Nam (vt hoc loco Rupertus ait) Deus taliter suam Scripturam condidit, per quam illaqueentur peccatores, & hæretici, iuxta illud: *Fiat mensa eorum* (id est, Scriptura sacra, Verbi diuini cibum continens) *coram ipsis in laqueum, & in scandalum*. Dulcissimæ sunt verbi Dei epulæ ac salutares,

Psal. 68.

A sed Hæretici, & Iudęi, ex iis depravato stomacho receptis, venenum sibi sugunt, erroribusque suis, fulcimenta quærunt. O superbum hominum stomachum, qui Sacrosanctę Matri Ecclesiæ, magnique Petri solio, caput substernere recusant, salutares illi verbi Dei escas corrumpunt, æternamque sibi mortem ex vitali alimento comparant.

Hæretici & Iudei ex diuinis literis male intellectis venenū hæresęon sugunt.

Parauit Rebecca cibos, sicut velle nouerat patrem, &c. Coquendos hædos ad matrem Rebeccam Iacob attulit: cibos non Iacob, sed mater parauit. Quomodo verò parauit? *Vt velle nouerat Isaac.* Similem in modum probus Christianus, mensę, id est, Scripturæ sacræ cibos, ad matrem suam, ad Rebeccam suam (pinguedinem hebræum nomen sonat) ad Ecclesiam diuino Sapientię dono B impinguatam coquendos & extenuandos affert. *Mons enim Dei*, id est, Ecclesia, *mons est pinguis, mons coagulatus, mons pinguis*. Vt quid hæretici, vt quid Iudęi, suspicamini montes alios coagulatos? Vt quid vestras Synagogas, cum Satanę domicilia sint, Dei montes esse opinamini? vt quid ab illis perfidè paratas verbi diuini escas accipitis? vt quid ad pinguem Dei montem, ad veram omnium matrem Rebeccam, Romanam Ecclesiam, cibos coquendos non affertis? Illa verbi diuini dulces epulas ita parat, ficut verum Isaacum Christum velle nouit, illa Scripturas ex diuina voluntate, scientiaque interpretatur, illa rescisso velo in Sancta sanctorum, id est, intimos sacrę paginę sensus penetrat.

Genes 27. *Ecclesiæ sensus in diuinis litteris sequendus.* *Psal. 67.*

Parauit Esau patri cibos, & benedictionē amisit; parauit Iacob cibos matris opera ac sensu, & præclaram sibi benedictionem comparauit. Parant sibi hæretici, atque Iudæi superbo sensu, ex Scripturis impiè intellectis prauos hæreticosque sensus; & æternā sibi maledictionē pariunt; parant Rebeccæ, id est, Ecclesię, obedientes filij, matris suę sensu, Catholicos sensus, & æternā benedictionē consequuntur. Quemadmodū agnus aliena vbera spernit, matris vbera expetit: ita Christus agnus, id est, Christianus, hæreticorū vbera veneno exundantia fugit, matris Ecclesiæ Romanæ vbera diuino lacte plena sugit. Quemadmodum idem agnus matris vocem multis in millibus agnoscit, & sequitur, ita Christus agnus Ecclesiæ matris suæ vocem ac doctrinā inter multa D hæreticorū millia perspectā habet, & seruat. Ambros. lib. 6. Hexam. c. 4. Agnus, inquit, lactis materni notos sibi fontes requirit. Quamuis cibi desiderio teneatur & potus, trāscurrit tamē aliena vberā grauida, licet humore lactis exundent. Solā matrē requirit, solius sibi materni vberis pauperes succos significat abūdare. Itē: Agnus, ait, multis licet versetur in millib. ouiū, recognoscit vocē parētis, festinat ad matrē. Hæc Ambr. Sed ad Heluidiū reuertamur.

D. Ambros.

Heluidius itaque sacras epulas in venenum sibi conuertens, ex verbis his; *Non cognoscebat eam, donec peperit filium suum primogenitum*, alios filios habuisse Virginem impie colligebat. Ex Germana autem E & Catholica loci explanatione deliraſſe cognoscetur. Autor imperfecti verbum, cognoscere, ad mentis retulit cognitionem: Verè, inquit, non cognouit Ioseph Virginem ante, cuius fuerat dignitatis, quæ vnigeniti Dei facta fuerat mater. Sed postquam peperit, tunc cognouit eam, quia speciosior & dignior facta fuerat, quam totus mundus. Nam quem totus mūdus capere nō poterat, nec merebatur accipere, quasi in angustū vteri sui cubiculum sola suscepit. Vidit Virginē permanere post partum, vidit mysterium stellæ; vidit Magos adorātes, audiuit sermones eorum, &c. D. etiā Epiphanius hæresi 78. sic scribit: Non cognouit Ioseph Virginem; Vnde enim cognouisset, quod tantam gratiam acceptura esset mulier, aut vnde cognouisset quod tali gloria glorificāda esset Virgo? Mulierem quidem nouerat ipsam

Autor imp. *D. Epiphan.* *Triplex sensus.*

formatione,& fœminam natura,& ex matre Anna, & ex patre Ioachim;non nouerat autem, quod tali gloria honorãdus esset aliquis in terra,maximè mulier;non igitur cognouit ipsam,donec vidit miraculum.Non cognouit ipsius miraculum, donec vidit genitum ex ipsa.Quãdo verò peperit,cognouit Dei honorem,quod ipsa esset,quæ audisset; *Aue gratia plena, Dominus tecum*,&c.

D.Thomas. Nonnulli, vt refert D.Thom.3.p.q.28.art.3.idem verbum (*cognoscebat*) cognitionem oculorum significare existimarunt, hoc sensu; *Non cognoscebat* oculis Ioseph Virginis vultum,donec peperit.Nam quandiu in vtero Deum gestauit,tantũ è vultu splendorem emittebat,vt Ioseph ipsam perspicuè intueri *Exod.34.& 2.Cor.3.* nequiret;quem in modum *Israelitæ fulgidam Moysis faciem intueri non valebant*,vt memorię proditum est.

Rectius D.Hieronymus in libr.quem aduersus Heluidium scripsit,Chrysost.& alij, verbum (cognoscere) vt alijs Scripturæ locis,ita hoc,pro cõgressu maritali sumi arbitrantur,hoc sensu: *Non cognoscebat eam* congressu coniugali, donec peperit.Sed hic tẽdit laqueũ Heluidius:infert impie;ergo postquam peperit,cognouit. Millies impiam consecutionem inficiamur,Euãgelistæ scopum diligenter animaduertere oportet,vt quo sensu nũc dixerit; *Non cognoscebat eam donec peperit*;& suprà; *Antequam conuenirent inuenta est in vtero habens de Spiritu sancto*,intelligamus.

Descripserat Mat.Christi Genealogiam,& ad Ioseph vsque per antiquos illos patres deduxerat,quia verò Iosephus Christi parens naturalis minimè erat,à Iosepho non esse genitum ostendere voluit,& de hoc tantum modo fuit solicitus. Ostendit autem *Heluidius exsibilatur.* quod volebat ijs verbis, q̃ explicauimus hoc pacto. Post Genealogiam descriptã,subiecit protinus hæc verba;Christi autẽ generatio sic erat, quasi diceret, nõ erat Christi generatio ab homine;nõ à Iosepho, quẽ virũ dixi matris eius in Genealogia.Probo;quia *antequã cõuenirẽt*,id est,ante cõiugalẽ cõgressum, *inuẽta est* Virgo,*habens in vtero* Christum *de Spiritu sancto*.Ex Spiritu sancto ergo,non ex Iosepho conceptus est Christus.Præterea;Ioseph non cognoscebat Virginem,donec peperit Christũ:ergo Christus non erat filius Iosephi.De tempore autem, quod diuinam illam natiuitatẽ est cõsecutũ, nullam fecit Matth. mentionem,quid factũ sit iudicio legentis reliquit.

D.Hieron. Quis enim credat Iosephum post Dei partũ Virginem cõtingere fuisse ausum?Hieronymus aduersus Heluidium;Nunquid Iosephus,qui miracula tãta cognouerat,Dei templum,Spiritus S.sedem, Do-*D.Chrysost.* mini sui matrem,audebat attingere? Et Chrysostomus:Quod consequens erat ac manifestum, tuo intellectui Euangelista reliquit, quoniam nec postea quidem eam,quæ tali modo mater affecta est,ille iustus ausus fuerit attingere.

Nónne virgo Ioseph iam tradita Gabrieli respõdit; *Quomodo fiet istud,quoniam virum non cognosco?* hoc est, cognoscere non possum propter Virginitatis votum.Si antequam Dei filium conciperet, virum cognoscere non poterat, quis in animum inducat, E post illum cęlestem,stupẽdumque partum,cognoscere potuisse?Nunquid illius Virginitatem in partu Deus mirabilem in modum conseruatam voluit,vt à Iosepho postea læderetur?

Numquid maiorẽ Christus sepulchri sui, in quo tribus diebus iacuit mortuus,quam materni corporis,in quo nouem mensibus habitauit viuus,rationẽ habuit? Sepulchrúmne habere voluit,in quo nullus fuerit humatus, matrem habere voluit, in cu-*De pura post partũ virgo.* ius vtero alij quoque filij generarentur ? Nunquid quod multis viris,fœminisque,præclarum virginitatis donũ largitus est;id matri suæ negauit,sacrũq; illud templum,illa Sancta sanctorum à Iosepho violari passus est ? Quis hoc nisi plane impius vir,& à A mentis statu deturbatus,sibi poterit persuadere?

D.Ambros. An vero(ait Ambrosius de Institutione Virginis capite sexto) Christus eam sibi matrem eligeret,quę aulam posset incestare cælestem;quasi eam,cui impossibile esset,virginalis pudoris seruare custodiã? Cuius exemplo cæteræ ad integritatis studiũ prouocãtur,ipsa ab huiusmodi,quod per se cæteris propositum foret, munere deuiaret ? Et quæ esset,cui maius quam matri, Dominus meritum reponeret, præmium reseruaret?Nulli enim vberiora quã virginitati deputauit munera:Fieri nõ poterat,vt quæ Deum portauerat, portandum hominem arbitraretur.Nec Ioseph vir iustus in hanc prorupisset amẽtiam,vt matri Domini miscereturHęc Ambrosius.

B Epiphanius hæresi 78. Post tantam & talem, ac tã *D. Epiphan.* ingentem dispensationem,copulatum fuisse Ioseph senem Virgini castæ,& honoratæ,& vasi quod cepit incomprehensibilem,& susceptt tale mysteriũ signi cælestis;& vitæ hominum;quæ fuerit impietas hoc asseuerare?Item; Dominus Leoni assimilatur: profectò etiam Genitricẽ ipsius leænam dixerim. Vnde enim gignetur omnino leo,si non leęna mater vocabitur?*Leænæ enim nõ contingit secundus partus*, ergo nõ amplius partũ nouit Maria,nõ amplius coniunctionẽ corporum Sãcta Virgo.Hæc Epiphanius.

Quod autem ait,leænæ non contingere secundũ partum,nonnulli opinati sint:Vulgo tribuit opinionem Plinius lib.8.cap.16. Semel,inquit, edi à leæna *Plinius.* partum lacerato vnguium acie vtero, in enixu,vul-C gum credidisse video. Pierius tribuit Ægyptiis,He-*Pierius. Herodotus.* rodoto,& aliis plerisque.Cũ,inquit, persuasum haberẽt Ægyptij leænas semel tantum in vita párere, id quod cũ Herodoto,pleriq; alij prodidere; mulierem itidem, quæ vnius tãtum filij mater fuisset,per leænam sculptã significare cõsueuerunt. Leæna,ait Herodotus,vnũ parit semel in vita; nã vna cũ fœtu vterum emittit, cuius rei causa hæc est, quod Catulus Leoninus vbi moueri in vtero incipit,cũ habeat vngues acutissimos vterum lacerat,ita vt ad postremum dũ partus adest, nihil vteri relinquatur incolume.Basilius,homil.9.in hexameron; Vix leonis, *D.Basilius.* leæna mater euadit;edi namque partum vnguibus lacerato vtero,vulgo ferunt.Attamen nõ semel párere leænã tradit Plinius,& Aristoteles,l.6.de histo-D *Aristoteles.* ria animaliũ,c.31.Parit(loquitur de leæna) nõ omni tempore,singulis tamen annis, vere parit,& magna ex parte geminos sed cũplurimos,sex catulos,nonnunquã etiã vnũ.Quod de leæna fertur,vuluam cũ partu emittere,delira fabula est;facta ex ea causa, q̃ rarũ genus hoc animalis est.Leones Syriæ quinquies in vita pariunt;primum quinque,post,vno subinde pauciores;deinde steriles degunt.Hęc Aristotel.

Denique,particula illa, *Donec*, vt aduersus Heluidium scribit Hieronymus, tempus ante partum, de *D.Hieron.* quo scandalum moueri poterat, excluſit Euangeli-sta;&(vt ait Chrysost.)à suspicione absoluit.Neque *D. Chrysost.* verò infertur, ergo post partum cognouit.Hunc enim in modum, ait Dominus, iuxta versionem 70 Interpretum; *Ego sum donec senescatis*; nunquid infer- *Isaiæ 46.* tur;ergo non est Deus post illorum senectutum? Et: *Vobiscum sum vsque ad consummationem sæculi*; nunquid *Matth.28.* post consummationem sæculi, nobiscum non erit? Paul. *Oportet Christum regnare,donec ponat inimicos sub pe-* *1.Cor.15.* *dibus.* Et Dauid: *Sede à dextris meis,donec ponam inimicos* *psal.109.* *tuos scabellum pedum tuorum.* Nunquid postquam inimicos sub pedibus Christi Deus posuerit , Christus non regnabit?Nunquid ad dexteram patris non sedebit?Si dixero,maritus vxorem non cognouit, donec mortua est; recténe inferet impius Heluidius; ergo post mortem illam cognouit? Denique,si fortè Iosephus, vbi primum Virgo peperit, è vita exceſſiſſet,

ceſſiſſet, nõnne verè diceret Matthæus, Ioſeph *nõ cognoſcebat eam, donec peperit?* nec tamen vllo modo ſequeretur, ergo cognouit poſtquam peperit, cum iam eſſet mortuus. quod ergo mors in Ioſepho effeciſſet, id virginis admirabilem dignitatem, Ioſephique votum effeciſſe affirmamus. Vt mors, ita ſtupenda Virginis dignitas, & Ioſephi votum, acceſſum prohibuit conitugalem. A

Filium ſuum primogenitum.

Sibilat adhuc venenatus ſerpens, virginiſq; execrandus hoſtis, & ex Satanæ ſchola, tartareas infert conſecutiones. Primogenitus, inquit, Chriſtus vocatur, ergo alios poſt genitos ex virgine fratres habuit. Sed Hieronymi, Damaſceniq; auxilio, peſtilentem ſibilum facilè prememus. Reſpondemus ergo primogenitũ dici filium, qui primò eſt genitus, ſiue poſt illum aliqui alij geniti ſint, ſiue nullus. Nã vox primogenitus (ait Damaſcenus, l. 4. c. 15.) primo quidem aliquem genitum eſſe declarat, non tamen neceſſario alios quoq; poſtea genitos eſſe indicat. Cõfirmatur hæc vocis expoſitio; quia cum Deus, *omnem ſibi primogenitum offerendum præcepit*, ſi is ſolus eſt primogenitus, qui alios habet fratres, non eſſet is offerendus Deo, qui eſſet vnigenitus; quod à veritate abhorret. Præterea Chriſtus dicitur Patris primogenitus; *Cùm iterum*, inquit, *introducit primogenitum in orbem terræ*. Atqui Deus pater vnicum tantum filium naturalem habet, ergo vnicus tantum filius, etſi ſolus genitus ſit, primogenitus appellari poteſt. B C

Damaſc.

Exod. 13.

Hebr. 1.

Primogenitus eſt (ait D. Hieron. contra Heluidiũ) non tantum poſt quem alij, ſed ante quem nullus. Chriſtus igitur primogenitus Virginis dicitur ab Euãgeliſta, non quòd fratres alios habuerit: ſed quod primus, idemq; vnicus filius virginis fuerit. D. Epiphanius, hæreſi 78. Qui verè primogenitus eſt patris ſuperni, ante omnem creaturã, non ex eo, quod alij poſt ipſum ex patre geniti ſunt, primogenitus dicitur. Non enim eſt ipſi frater ſecundus, propterea quod eſt vnigenitus. Sic etiam in aduentu in carne, filius, & primogenitus eſt Mariæ, at vnigenitus Mariæ eſt, non habens ſecundum fratrem ab ipſa.

D. Hieron.

D. Epiphan. primogenitus dicitur primus filius, etiamſi alii non ſequantur.

D. Anſelmus tribus modis nomen primogeniti exponit; Peperit, inquit, Virgo filium ſuum, id eſt, ex ſua ſubſtantia, primogenitum, id eſt, genitum à Patre ante omnia. Vel, dictus eſt primogenitus ſecundum vſum locutionis, non reſpiciendo ad ſecundũ; quia omne quod primò naſcitur, primogenitũ vocatur. Vel primogenitus reſpectu omnium fideliũ. Hæc Anſelmus; In hũc ſenſum vltimum piè interpretatur Viguerius inſtitutionum Theologicarum, cap. 20. §. 9. verba illa: *Peperit filium ſuum primogenitum*. Primogenitum, ait, non reſpectu ſequentium carnalium, cum nullum alium habuerit; ſed reſpectu adoptiuorum. Licet enim vnicum virgo in ſanctiſſimo vtero genuerit, in eo tamen ſpiritaliter facta eſt mater magnæ multitudinis filiorum, quorum Chriſtus eſt primogenitus. Hactenus ille. D E

D. Anſelm.

Viguerius.

D. Epiphan. Apud D. Epiphanium, hæreſi 78. primum Anſelmi ſenſum reperies; Peperit filium ſuum Virgo; Primogenitum verò æterni Patris genuit Virgo (ait Epiphanius) filium ſuum primogenitum, non autem ſuum primogenitum, velut ipſa alium paritura eſſet. Item: in eo quod dixit Euangeliſta, filium ſuum, ſignificauit ex Virgine ſecũdum carnẽ genitum eſſe; in cognomine verò primogeniti, non amplius vocem ſuum, appoſuit, ſed primogenitũ ſolum, &c. Tertiũ quoque ſenſum his verbis idem pater ſignificat; Primogenitum, inquit, quoniam primogenitus eſt, priuſquam eſſent creaturæ. Et *primogenitus inter multos fratres*, iuxta Apoſtolum, non iuxta eum qui eſt à Maria, velut alij filij ſint ex ipſa, ſed inter eos *qui digni facti ſunt accipere per ipſum adoptionem in filios, &c.*

CAPVT VII.

Morale.

Coniugium Deipara, & Ioſephi, velũ ante arcam teſtamenti appenſum.

ANte illam veteris teſtamenti *arcam*, fulgenti auro intus foriſque cõtectam, vt Exodi extremo capite memoriæ proditur, *velum ex hyacintho, purpura, cocco, byſſoq;, pulchra varietate contextum, appendebatur*. In hoc verò Matthæi Euangelio, ante nobiliorem aliã arcam, id eſt, Deiparam Virginem, ſpiritali auro intus, foriſque radiantem, pulchrius aliud velũ, admirabiliori varietate confectum, oppanditur. *Cum eſſet* (ait Euangeliſta) *deſponſata Maria Ioſeph*. Quid hoc eſt? quid Virgini cum ſponſo? quid Deiparæ cum matrimonio? Velum eſt matrimonium ante arcam, id eſt, intemeratam Virginem appenſum, quo virginitatis illius fulgor, & incarnationis abditiſsimum myſterium contegitur, honorque defenditur.

O quã mira varietate velum hoc, ex cæleſti hyacintho, regia purpura, candidaque byſſo contextum eſt. Cæleſte plane coniugium fuit, vt hyacinthus, quod cælorum Domino deſeruiuit, regium vt purpura, quod totius orbis reginam Ioſepho inſeparabili nexu obſtrinxit, candidiſsimum vt byſſus, in quo perpetuus fuit virginitatis candor. Antiquum illud velum arcam, propitiatorium, cherubinoſque velabat, hoc Deiparam Virginem, incarnatum in eius vtero Deum, magnumque illum cherubinum Ioſephum contegebat. Matrimonij velamen apparebat; nam coniuges eſſe Virginem & Ioſephum omnes nouerant. *Propitiatorium*, id eſt, Dei incarnati propitiatio, *latebat*; Verbi enim in vtero virginis incarnatio, hominibus ignota erat. Deiparæ, Ioſephiq; virginitas occultabatur; quis enim Ioſephum corporis integritatem ſeruare crederet? quis Deiparam grauidã cernens, illibatæ virginitatis decus illi tribueret.

Quam rectè tunc illa potuit verba vſurpare: *Nigra ſum, ſed formoſa filiæ Ieruſalẽ, ſicut tabernacula Cedar, ſicut pelles Salomonis. Nolite me cõſiderare quod fuſca ſim, quia decolorauit me Sol, &c. Nigra ſum* (vt Abbas Rupert. interpretatur) id eſt grauida inuenta ſum, *ſed formoſa*, id eſt, ſalua virginitate ex Spiritu ſancto concepi. *Nigra ſum*, ſecundum opinionem malè videntium, *formoſa* ſecundum fidem rectè credentium. *Nigra ſum*, quia virginitatem amiſiſſe ignorantibus videor, *ſed formoſa ſum*, quia magno cum virginitatis ſplendore, cõceptum Dei filium gero. Nigram putat ſponſus meus Ioſeph, ideoque dimittere vult, & veluti alteram Agar, cum filio domo ejicere, formoſam me, nõ à me, ſed ab Angelo eſſe cognoſcet, ac retinebit. *Nolite me conſiderare quod fuſca ſim, quia decolorauit me Sol.* Nolite in matrimonium oculos conjicere; nolite nigroris aliquid ex eo me contraxiſſe exiſtimare. Id quod appareat in me eſſe nigroris, maximæ eſt pulchritudinis, *quia decolorauit me Sol*. Propter Solem matrimonij iura inij, candidũ virginitatis, colorem, vt Solem ſaluo honore poſſem concipere, ſub matrimonij velo Deus occultauit. Verumtamẽ Solem ventre incluſum habeo, incarnatus Deus in vtero meo eſt, non poteſt non magnam mihi afferre pulchritudinem Dei conceptus. *Nolite me conſiderare* (interpretatur Rupert.) *quod fuſca ſim*, id eſt, nõ virgo, nã quod tumentem vterum habeo, non fecit vir, quia virum non cognoſco. Sed ità *decolorauit me Sol*; verus Sol, & ſole Deus longe pulchrior, ſemetipſo me impleuit, hoccine eſt decolorari? Non apud vos ô filiæ Ieruſalem, quæ habetis oculum ſimplicẽ, ſed apud ſuperborum cogitationes, &c.

Cant. 1.

Rupertus.

Virgo vtero geſtans Chriſtum, nigra, ſed formoſa.

Rupertus.

Apud filias Babylonis, apud Heluidium, ſimileſq;

hæreticos, Babylonis, id est, confusionis ac superbiæ filios, decolorata virgo videbitur. At apud filias Ierusalem, non est decolorata, non est nigra, sed formosa, vt Rupertus ait. Et formosa quidem plusquã pelles Salomonis, plusquam palatia, plusquam tecta, plusquam ipsa à Salomone exædificata, Sancta sanctorum. Non potest pulchritudo pellium Salomonis, aut palatij, aut templi, cum Virginis pulchritudine conferri, nõ possunt Salomonis opes, argentum, aurum, gemmæ, cultusque pretiosissimus, cum Deiparę opibus, vlla ex parte comparari. Formosa Virgo plusquam pelles Salomonis, plusquam Salomon ipse. Neque enim Salomon in omni gloria sua amictus est, sicut Virgo *amicta Sole, Lunámque pedibus calcans.* Quid magnũ est, pulchriorem esse, ac opulẽtiorẽ Salomonis pellibus, virginem Dei parentem?

Virgo pellibus Salomonis, multo formosior.

D. Bernar.

Alias Salomonis pelles quærit Bernardus, serm. 27. Canticorum, cum quibus sponsam conferat, nihil enim in his dignum reperit, quod cũ sancta anima conferatur. Quomodo, inquit, sicut pelles Salomonis formosa? quasi Salomon in omni gloria sua quiequam habuerit condignum decore sponsæ, & gloria ornatus eius? Quid tale in se ostendit ea, quæ præterit, figura huius mundi, quod æquare speciem animæ possit illius, quæ exuta terreni hominis vetustatem, eius, qui de cælo est, decorem induit, ornata optimis moribus, pro monilibus, ipso purior sicut & excelsior æthere, Sole splendior? Si nihil in hoc orbe inuenit Bernardus, quod sanctæ animæ pulchritudinẽ possit æquare, quas Salomonis pelles nos inueniemus, quę pulcherrimæ Virginis decorẽ possint repræsentare? Ad alias ergo ascendit pelles sapientioris Salomonis Bernardus, videlicet ad cælos; cæli enim pelles nostri Salomonis, id est, Christi sunt, iuxta illud: *Extendens cælum sicut pellem.* Pulcherrima pellis (ait Bernardus) cælũ est, quæ in modum magni cuiusdam tentorij, vniuersam operiens faciem terræ, Solis, Lunæ, atque stellarum varietate tã spectabili, humanos oblectat aspectus. Quid hac pelle formosius? quid ornatius cælo?

Quæ dicantur pelles Salomonis. Psal. 103. D. Bernar.

At neque cæli corporei ornatum, cum decore sponsę conferendum ait; ad alios spiritales transit cęlos, nempe Angelos, hos verò pelles putat esse Sapientissimi Salomonis, id est, Christi, quibus sponsa assimilatur: Hoc, inquit, cęlum, scilicet angelicum ac spiritale, extentum est, sicut pellis, non spatijs tamen locorum, sed affectibus animorum, hoc miris varijsque artificis distinctum operibus. Habet autem grandis ista pellis, quamplurimas in se æquè Salomonis pelles, quoniam vnusquisque beatus, & sanctus, qui ibi est, pellis est vtique Salomonis. Benigni siquidem sunt atq; extenti in charitate, pertingẽtes vsque ad nos. Quamobrem sicut cælum cæli singulariter dicitur, vniuersa illa multitudo collecta beatorũ, sic & cæli cælorũ, propter singulos, qui vtiq; cęli sunt, nominãtur, ad singulos spectat, quod dicitur in Ps. 103. *Extendens cælũ sicut pellẽ.* Hæc Bernardus.

Inuenimus ergo, ex sanctissimi patris sententia, pelles Salomonis, quibus Deipara Virgo possit assimilari. Formosa itaque D. Virgo, sicut pelles Salomonis, formosa sicut Angeli, sicut Seraphini. Seraphini purissimi sunt, Virgo Seraphinis purior, cuius puritatem conceptus partusq; admirabilis non minuit, sed sacrauit. Quemadmodũ pelles Salomonis, id est, Angelos, nulla carnis contagio inquinat, sic integerrimam Dei Matrem, nulla carnis labes infecit; Virgo fuit ante partum, in ipso quoq; partu Virgo, post partum quoq; in perpetuum virgo, hic eius titulus æternus. Nec passus est nomen Iesu, è Cruce sibi Christus auferri, nec patietur à Matre Virginis

D. Epiphan.

titulum tolli. Quis vnquam (ait Epiphanius, hæresi 78.) aut quo seculo, ausus est proferre nomen Sanctę Mariæ, &, interrogatus, non statim intulit Virginis vocem? ex ipsis enim nominibus epithetis etiã virtutis signa elucent. Dignitates enim appellationum acceperunt iusti, vnicuique decenter, & prout integrum fuit. Et Abrahamo quidem impositum est epithetum, amicus Dei, & non dissoluetur; Iacob verò, vt Israël vocetur, & non alterabitur, & Apostolis Boanerges, id est, filij tonitrui, & non relinquetur, & Sanctæ Mariæ vox Virgo, & non mutabitur, impolluta enim permansit Sancta. Hæc Epiphanius.

Deiparæ perpetuus titulus Virgo non mutabitur.

Non mutabitur Sanctissimæ Virginis titulus, virginitate formosa semper & erit & dicetur à filiis Ierusalẽ. Faciẽsant verò filij Babylonis, faciẽsat Heluidius, faciẽsant hæretici nouatores, qui omnia perturbare, omnia mutare, omnia conuellere conãtur. Super Petram fundata est Romana Ecclesia, & si flumina inundent, & si ventorum turbines irruant, & si portis tartareis effusi exercitus oppugnent, stabit semper fide antiqua, atque immutabili. Opiniones quidem mutationem recipere possunt, fides mutationem non recipit. *Sermo meus* (ait Paulus) *qui fuit apud vos, non est, in illo, est, & non.* Christi fides non recipit, est, & non, non ait modo, modo negat, sed constans eademque semper perseuerat. Non modo hoc, modo illud asserit, id enim, vt in Pauli Commentariis ait Chrysostomus, non fidei est, sed animi aberrantis, qualis animus nouatorum est, quibus illud psalmi maximè conuenit; Dixi, *semper hi errant corde.* Errant, inquam, corde primum, deinde ore, atque vita: & à regia fidei via antiquorum patrum, Diuorumque vestigiis consignata aberrant, quibus insistere oportet eos, qui in cælestem patriã peruenire desiderant.

Fides non recipit mutationem, opinio recipit.

2. Cor. 1.

D. Epiphan. Via fidei regia incedendum.

Audi sanctissimum patrem Epiphanium hæresi 59. Est via regia sancta Dei Ecclesia, & iter veritatis. Agite itaque serui Dei, vos filij sanctæ Dei Ecclesiæ, qui certam regulam nouistis, & via veritatis incedite, ne retrahamini vocibus, & vniuscuiusque confictæ professionis verbis. Erroneæ enim sunt horum viæ, & accliuis collis, adulteratæ ipsorum intelligẽtiæ, magna iactant, & parua ignorant, libertatem promittunt, cum ipsi sint serui peccati. Hęc Epiphanius. Et D. Cyrillus initio libri primi dialogi cum Hermia; Nullus prorsus accipiatur sermo eorum, qui linguæ vitio nobis obstrepunt, dum alienis nos adoriuntur dogmatibus, & relicta via regia in alterã deflectuntur, prout sibi solis videtur, quem mentis morbum curatu difficillimum cẽsuerim, &c. D. itẽ Augustl. libr. 3. cõtra Iulianum Pelagianum, c. 3. Mira sunt quæ dicitis, noua sunt, falsa sunt, mira stupemus, noua cauemus, falsa cõuincimus, &c. Quę igitur noua sunt, & à via discedunt regia, cauenda sunt.

D. Cyrillus.

D. Augustl.

Noua cauenda.

Diuus olim Ephræm (vt scribit in catalogo Gennadius) ex studijs, vel sermonibus Paulini cuiusdam, noua illum inuestigare, & immensum intellectum habere præsensserat. Huic astanti obiturus dixisse fertur; Vide Pauline, ne te submittas cogitationibus tuis, sed cũ te ad purum comprehendisse putaueris Dominum, crede nec intellexisse. Vtinam sanctissimi magistri monitis obediisset discipulus, nec noua excogitasset, seque suis cogitationibus non submisisset. Verum principatus nominisq; cupiditate ductus, ab Ecclesia defecit, multaque noua, fideiq; repugnantia, à via exorbitans regia, scripsit.

D. Ephræm. Gennadius.

Exemplum.

Via regia gradiemur (aiũt typici Israelitę) *donec transeamus terminos vestros.* Verorum Israelitarum eadem vox est; Via regia fidei gradiemur, donec vitę huius terminos transeamus, patriamque teneamus nostram. Etenim in patria fidei obscurę succedit Dei conspectus clarissimus. Hebraicè legitur; *Via regis gradiemur*, est enim fides via Regis Christi, quã ille omnibus in cęlum proficiscẽtibus aperuit, ac muniuit; hac itur ad superos. Hęreseon verò diuerticula, obliquos-

Num. 21.

obliquoſque ac cœnoſos angiportus: Arij, Sabellij, Lutheri, Caluini, cęterorumque hæreſiarcharum opera, Satanas parauit, hac itur ad infernas flammas, tormentaque ſempiterna.

Antiqua, immutabilis, regiaque Chriſti fides, Dei parenti ſempiternum virginis titulum tribuit, impia ergo obmuteſcant Heluidianorum ora, ſibilāteſq; ſerpentium linguæ ſileant: *Ecce Virgo concipiet,* clamat Iſaias, *& pariet filium, & vocabitur nomen eius Emmanuel,* hoc eſt, nobiſcū Deus. Hebraicè legitur, ſi verbum verbo reddas: *Ecce Virgo grauida, & pariens.* Quamuis grauidam videas, virgo eſt, quamuis parientem cernas, Virgo eſt. Non potuit natura grauiditatem vnquam, & partum, cum virginitate coniungere, ſed potuit Emmanuel, id eſt nobiſcū Deus, at multo magis cū Deipara Deus. Cum Deipara inquam, Deus, illius animū miris ſplendoribus illuſtrans, & corpus integrum abſque vlla virginitatis iniuria conſeruans. Non aufert virginitatem Emmanuel, ſed affert. Sol in Virgine, Virgini non attulit caliginem, ſed ſplendorem intulit.

In ſplendoribus Sanctorum (ait Pater ſempiternus) *ex vtero ante luciferum genui te.* quæ verba quamuis de æterna Chriſti generatione à patribus explicantur, à Tertulliano tamen, lib. 5. contra Marcionem, Auguſtino eodem pſalmo, & Beda, de humana quoq; intelliguntur. Qui nam ſunt ſanctorum ſplēdores? Nónne virginitatis radij, quibus ſancti viri mirū in modum rutilant? In ijs ergo virginitatis ſplendoribus, non in corruptionis caligine, ante aſtrum luciferum, id eſt, ante auroram, abſque viri operatione, ex vtero virginis genitus eſt Dominus.

Egredietur virga de radice Ieſſe (ait Iſai.) *& flos de radice eius aſcendet,* de Ieſſe ſtirpe, qui pater fuit Dauidis, virga, virgoque ſanctiſſima, egreſſa eſt. Virga, vt Cardinalis Petrus Dam. in ſermone de Annunciatione ait, abſque vllo nodo. Virga Ieſſe (inquit ille) omnē ignorat nodoſitatem. Etenim, omni peccati nodo caruit, omnique pudoris offenſione. Vt flos oritur ex virga; ita Chriſtus natus eſt ex Virgine. Flos ortus virgā non corrumpit, ſed ornat; Chriſtus natus, Virginem non violauit, ſed miro decore illuſtrauit. Vnicus flos, non plures flores, ex virga hac aſcēderunt; vnicum enim tantummodo filiū vnigenitum, ac primogenitum, Virgo habuit. Quemadmodum vnicus tantum, magni & cādoris, & odoris flos, ex ſcapo albi lilij oritur, ita vnicus tantū flos, candidiſsimus, & ſuauiſsimus, ex Virgine prodijt.

Ignorabat Ioſephus, hoc admirabilis virginitatis arcanū. Florem Virginis vtero conceptū cernebat, vnde verò ortus eſſet, minimè nouerat, ideoq; violatam putabat. O virga Ieſſe, vnde ortus ſit flos hic, ediſſere, cæleſte myſterium ſponſo aperi, quid in te ſuperueniens Spiritus ſanctus operatus ſit, expone, quæ fecit tibi magna, qui potens eſt, indica. Operæ pretium erit indicaſſe, ſponſum animi anxietate, te ignominiæ ſuſpicione liberabis. Silet Virgo, diuinū tegit arcanum, Dei admirabile donum nemini pādit; neque properat (vt ait Rupertus Canticor.) cuiquam ſuæ admirationem facere felicitatis.

Quemadmodum tellus aurum ſuum, gemmaſq; hominū oculis non exponit, ſed occultat, ſic Virgo fulgentiſsimum illud aurum, noſtręque pretiū libertatis, pyropū illum ardētiſsimum, quē vtero gerebat, nō ſuperbe oſtentabat, ſed humiliter abſcōdebat: *Agar concepiſſe ſe videns Iſmaelem, deſpexit dominam ſuam.* At Virgo, concepiſſe ſe videns, non Iſmaelem, ſed Dei filiū, honore tanto non intumuit, ſponſum non deſpexit, de ſummo Dei dono ſe non iactauit, ſed maximam ſuam gloriam ſilentio contexit.

Diſcamus ex Virgine, inanem fugere gloriam, & ſi quid habemus boni, quod laude dignū videatur, id minimè oſtentare: ſed, quantum in nobis erit, abdere, hominumq; oculis ſubducere. Etenim hominū oculi eos, qui inanis glorię cupidi ſunt, faſcināt; Vnde Chryſ. hom. 2. in Ioannem: Homines (inquit) nihil nobis vtilitatis afferre poſſunt, ſed tantum inſpicere, quę facimus, ac inſpiciendo lædere, laborēque noſtrum inanem reddere: *Videns Moſis mater eum elegantem, abſcondit.* ſic tu, ſi elegantē, pulchrumq; habes filiū, id eſt, ſi quid quod laudem mereatur à Deo accepiſti, abſconde, ne hominū oculis faſcinetur, ac perinanem gloriam corrumpatur. Origenes hom. 2. in Exodum; Refert, ait, ſcriptura, quod de tribu Leui quędam genuit maſculum, & vides infantem eſſe elegantē, occultauit eum mēſibus tribus. Vide ſi nō propterea nobis præcipitur, ne bonos actus in publico geramus, ne iuſtitiam noſtram coram hominibus faciamus, ſed vt clauſo oſtio, oremus patrē in occulto, & *quod facit dextera noſtra, neſciat ſiniſtra*; niſi enim in occulto fuerit, diripietur ab Ægyptijs, inuadetur, in flumen iactabitur, fluctibus ſubmergetur. Ergo ſi faciam eleemoſynā, quia opus Dei eſt, maſculum genero; ſed ſi ita faciā, vt hominibus innoteſcat, & ab hominibus laudē quæram, & nō occultauero, rapta eſt ab Ægyptijs, & in flumen demerſa. Hæc Origenes.

Græco vocabulo, *Ophthalmodulia,* vtitur Paulus, quod huic rei, de qua ſermo eſt, maximè inſeruit, ſignificat autem Græcum vocabulum, oculorum ſeruitutē. *μὴ ἐν ὀφθαλμοδουλίαις,* ait Paulus, hoc eſt, *non ad oculum ſeruientes,* & ſi verbum verbo reddere velis, non in oculorum ſeruitutibus. Quod ille ſeruis, hoc cunctis hominibus dici poteſt. *Non in Ophthalmodulia,* id eſt, *non in oculorum ſeruitute* vitam traducatis, ne ſitis quaſo, ὀφθαλμοδοῦλοι, hoc eſt, vt nomine etiam latino compoſito dicam, ſerui oculi, ne hominū oculis, qui omnia faſcinant, ſeruiatis, quo vitio laborāt plerique. Quorſum pretioſæ bombycinęque veſtes, gemmis, auroque diſtinctæ? quorſum magnifici prandiorum apparatus? quorſum equorum argēto, auroque radiantes phaleræ? quorſum famulorū ingens caterua? quorſum ędium ſuperbæ ſubſtructiones? quorſum aurea periſtromata, multorumque nummorum aulæa: nónne, vt hominum oculis ſeruiatur?

Audiamus Chryſoſt. hom. 2. in Ioannē. Intolerabilis, ait, quædam ebrietas eſt inanis gloria, quicquid facit, aliorū tantum gratia facit. Pulchra veſte corū cauſa induitur, faciemque ornat non ſibi, ſed aliis, caterua ſequentium ſtipatur, quo omnes ipſum admirētur, &c. Et hom. 12. in epiſtolā ad Corinth. Hoc ſuſque deque facit omnia, hoc vniuerſum orbē terræ conturbat, quod ad homines aſpicientes omnia agimus. & in bonis nihil eſſe ducimus, quod habeamus Deum admiratorem, ſed à conſeruis requirimus famam, & bonam exiſtimationem, &c.

Hæc verò oculorum ſeruitus, quam ſit grauis, in Commentarijs epiſtolæ ad Romanos, homil. 17. his verbis oſtendit; Elegerim potius innumerorū barbarorū ſeruitutem, quā ſemel vnius inanis gloriæ. Neque enim captiuis illi ſuis talia præcipiunt, qualia ſubditis ſuis iſta iubēdo mandat: *Omnium* (inquit) *ſernus eſto; animam contemnito, virtutem negligito, libertatem rideto,* &c. Item: Vanæ gloriæ cupidus, ſimilis eſt illis, qui tempeſtates ferunt; ſemper tremens, ſemper timens, innumerosque dominos obſeruans. Qui verò extra illam eſt tyrānidem, rectè comparatur ijs, qui in portu conſtituti, integra iam libertate potiuntur. Alius verò non item, ſed quam multis eſt cognitus, tam multos habet dominos, omnibus ſeruire coactus, &c.

Fugiamus ergo *ophthalmoduliam*, oculorumque humanorum ſeruitutem, in oculos Dei, oculos noſtros

Iſaiæ 7.

Deipara Virginitas.

Pſalm. 109.

Tertullian. D. Auguſt. Beda.

Iſaiæ 11.

Virgo myſterium incarnationis occultauit.

Geneſ. 16.

D. Chryſoſt.

Exod. 3.

Bona operā ne vanam incurramus gloriam, quantū fieri poteſt occultanda Origenes.

Ad Coloſſ. 3.

Hominum oculis ſeruit qui inanem captat gloriam.

D. Chryſoſt.

Quam grauis ſit oculorum ſeruitus, & inanis gloria.

D. Chryſoſt.

ſtros conjiciamus,& in illius conſpectu,theatroque perpetuo verſemur:Duo ſunt theatra: alterum ampliſſimum,vbi Rex regum,hoc eſt, Deus nobiliſſimis Angelis ſtipatus,ad ſpectandum ſedet, alterum anguſtiſſimum, vbi Æthiopes pauci,rerum ignari ſtant,id eſt,homines.Hinc illud Pauli: *ſpectaculũ facti ſumus,mundo,Angelis,& hominibus.* Magna igitur inſania eſt:ampliſſimum Dei Angelorumq; theatrũ repudiare,in paucorum vero Æthiopũ theatro verſari, illorumque oculis magno labore inſeruire;qui hoc facit,eum Chryſoſt.hom.17.in epiſt.ad Romanos, his verbis increpat:Seruus ad oculos heri ſui reſpicit, mercenarius operatur ad operis ſui dominum præmia daturum,diſcipulus ad præceptorẽ;tu verò omnino cõtrarium facis.Deum qui remunerat,dominumq; relinquens,ad conſeruos reſpicis,etiamſi ſcias,quod Deus recte factorum tuorũ,etiam in futurum,recordetur,homo tamẽ,ad præſens tantum. Et cum habeas in cælo theatrum conſtitutũ,in terra tamen ſpectatores tibi colligis? Athleta quidem vbi certat,ibi & probari cupit,tu cum in ſuperioribus certes,in inferioribus coronari quæris: & quid nã poterit hac amẽtia peius fieri? Hæc Chryſoſt.

1.Cor.4. *Dei oculis,ac theatro ſeruiendum.*

D.Chryſoſt.

Diuinum donum,gloriamque ſuam maximam, Deipara ſilentio texit,Deus verò detexit; *Ecce enim,* ait illa,*ex hoc beatam me dicẽt omnes generationes.* Cur ita? quia quam ſilentio Virgo gloriam ſuppreſſit,illam Deus omnibus generationibus manifeſtam fecit.Si noſtra,ex animi ſubmiſſione tegamus, Deus illa in theatro orbis totius oſtentabit,qui vt Paulus ſcribit: *Illuminabit abſcondita tenebrarum, & manifeſtabit conſilia cordium,& tunc laus erit vnicuique à Deo.* Hæc expetenda laus, hæc toto pectore quærenda, quæ non inanis eſt,aërea,in lubrica hominũ lingua collocata,temporisq; permanens momẽto,ſed ſolida, à Deo profecta,conſtãs,atque ſempiterna. *Mortui eſtis* (ait idem Apoſtolus) *& vita veſtra abſcõdita eſt,cum Chriſto in Deo, cum autem apparuerit Chriſtus vita veſtra, apparebitis & vos,cum ipſo in gloria.* Theophylactus,in Commẽtariis huius loci;Ne hic honores,gloriaſque concupiſcatis,nã illic gloria veſtra eſt. Deliteſcit margarita tãtiſper,dum in conchyli fuerit,ſimulac vero illud perfractum fuerit,tum in gloria relucet. Hunc ad modum,& vos quãdiu in corruptibili iſto corpore fueritis,tanquã latẽtes viuere debetis ab omni gloriæ cupiditate alieni,quãdo enim diſſolutum fuerit hoc corruptibile, tunc gloriæ noſtræ ſuus erit locus.Hæc Theophylactus.

1.Cor.4. *Laus à Deo quærenda.*

Coloſſ.3.

Theophyl.

Fracto conchyli apparet margarita Fracto corpore vera gloria.

Tacebat Virgo,ſed Deo maxime confidebat, honorisque ſui curam in Deum iactabat, iuxta illud: *Omnem ſolicitudinem veſtram proijcientes in eum; quoniam ipſi cura eſt de vobis.* Et illud: *Iacta ſuper Dominum curam tuam,& ipſe te enutriet,& non dabit in æternũ fluctuationem iuſto.* Iuſto non dat Deus fluctuationem æternam; Virgini verò ne momẽti quidem fluctuationem dedit.Fluctuabat ſpõſus,Virgo in anchora diuinę cõfidentiæ immota ſtabat,& veluti mons Sion firmæ ſpei fundamento innixa erat, vt enim dicitur: *Qui confidunt in Domino,ſicut mons Sion.*

1.Petr.5. *Virginis in Deo maxima fiducia.*

Pſalm.54.

Pſalm.124.

Iacta ſuper Dominum curã tuam, & eius prouidentiæ confide.

O felicem illũ,qui ſuper Dominum curam ſuam iactat,hebraicè,onus,pondusque ſuum. Si quid nos onerat,ſi quid angit,deo quidquid,id eſt,magna cõfidentia,animique demiſſione committamus,vtque negotia noſtra,labores,& dolores,tranquillum in portũ adducat,precemur.Hæc enim res, & animo tranquillitatẽ,& negotiis felicẽ exitũ afferet.Vnde Theodoretus,Pſalm.54. verba pſalmi ſic exponit: Gubernatorẽ(inquit)habeas Deũ,& aurigã, & res tuæ,ab illa prouidentia pendeãt. Nã hoc modo inconcuſſus manebis,& immutabilis,Et D.Chryſoſt. hom.69.in cap.21.Matthęi.Si quis(inquit)ſua deſpicit,& noſtrorũ curam aſſumit, quieti eius ſolemus A prouidere,quanto magis Deus, qui etiam ſi ad eum nõ conuertamur,non parua tamen cura & prouidentia erga nos vtitur. Noli ergo de rebus tuis curare,ſed omnia tua Deo commenda.Noli tu,maioribus prętermiſſis,de illis curare, ne Deus de illis minus prouideat.Vt igitur magna cura tuas res cõplectatur,ipſi ſoli vniuerſa cõmitte. Nam ſi tu ſpiritalibus omiſſis,ea tractabis, minorẽ Deus de ipſis curam habebit,Vt ergo res tuæ feliciter gubernentur,& tu ſolicitudinis expers ſis,ſequere ſpiritualia, contemne ſæcularia.Hactenus D. Chryſoſtomus.

Theophyl.

Theodoret.

D.Chryſoſt.

D.Cathari. na Senenſis.

D. quoque Catharina Senenſis,in extremo ſpiritu,ſpiritalibus filijs,documẽtum hoc memorabile reliquiſſe fertur:Oportet Chriſtianum magnam fiducią habere de prouidentia Dei,ſcientem omnia quæ ſibi vel aliis eueniunt, ex diuina prouidentia prouenire,non ex odio ipſius,ſed dilectione eximia ad creaturam.His cõſentiunt quæ D. Auguſtinus 1. tomo,in fine libri primi ſoliloquiorum ſcribit;Cõſtanter,ait, Deo crede; eique te totum committe, quantum potes.Noli eſſe velle quaſi proprius,& in tua poteſtate, ſed eius clementiſſimi & vtiliſſimi Domini,te ſeruum eſſe profitere.Ita enim te ad ſe ſubleuare non deſinet,nihilq; tibi euenire permittet,niſi quod tibi profit,etiam ſi neſcias. Hæc ille. Accedit illud Ambroſij,Pſalmo 118.in litera.3.Quare non præſumat fauorẽ Domini,tam pretioſo emptus ſanguine,&c.*Sicut oculi igitur ſeruorum in manibus dominorum ſuorum* (vt dicitur)*ſicut oculi ancillæ in manibus Dominæ ſuæ,ita oculi noſtri ad Dominum Deum noſtrum* tendant,& ex Domino Deo noſtro,eiuſque prouidentia,ſemper pendeant.

D. Auguſt.

D. Ambroſ.

Pſalm. 122.

Denique cõfidenti Virgini adfuit Deus. Angelũ ad Ioſephũ miſit,quod illa ſilentio inuoluebat,Angelus ſecundũ quietem Ioſepho aperuit, Ille depulſo ſomno,optatiſſimum Meſsiã, in ſponſæ ſuæ vtero conceptũ cogitãs,obſtupuit.Gaudio exiliens ad Virginẽ accurrit,Deũ quem ventre geſtabat, in faciẽ procũbẽs adorauit,cordis ſui fluctus, quid cogitaſſet,quid de illa decreuiſſet,narrauit.Deinceps vero,vt Dominam colere,vt ſeruatoris genitricem venerari,vt populi reparatricem amare,cœpit. Non *dedit in æternum Deus fluctuationem iuſto Ioſepho.*

Hic lætiſſimus fuit tantæ moleſtiæ exitus,hac rei plena gaudio cataſtrophe.Vt enim ait Sara, *poſt tempeſtatem Deus tranquillum facit,& poſt lachrymationem,& fletum,exultationem infundit.* Potuit Ioſephus verba illa tunc lætus canere: *In tribulatione dilataſti mihi,* id eſt,cũ in maximas anguſtias redactus eſſem,tu Domine in latum & ſpatioſum campum me eduxiſti,cum ſpõſam magno cum dolore in crimen incidiſſe putarẽ, tu Deo plenã eſſe,magno cum gaudio nuntiaſti,cũ de repudianda mœſtus cogitarem, tu deſideratiſſimum Meſſiam eius in vtero adeſſe oſtendiſti. Vere in tribulatione dilataſti mihi.

Tob.3.

Lætus laborũ exitus

Pſalm.4.

Deus in tribulatione dilatat,*Saluaſti de neceſſitatibus,* id eſt,anguſtijs,*animã meam;nec concluſiſti me,in manibus inimici,ſtatuiſti in loco ſpatioſo pedes meos.* Ex anguſta fornace tres pueros,ex anguſto ventre ceti Ionam,ex anguſto carcere Ioſephum, ex imminente morte Suſannam in ſpatioſum, amplumque eduxit campũ: *Multæ tribulationes ſunt iuſtorũ,* vt eſt in Pſal. *& de omnibus liberabit eos Dominus;cuſtodit Dominus omnia oſſa eorum,vnum ex his non conteretur.*

Pſalm.30.

Dan.3.

Ioan.2.

Geneſ.41.

Dan.13.

Pſalm.33.

Quod ſi non protinus viam ad fugiendum laborem latam aperiat, patienter expecta, iuxta illud: *Si moram fecerit,expecta eum,ille enim nouit qua tempore auxilium ſit iuxta clementiæ ſuæ pondera ac menſuras, oportunum.* Hieronymus in Commentarijs Abac.cap.1.Homo tantum præſentia reſpicit, Deus futura & æterna cognoſcit.Et quomodo ſi ægrotãs,& æſtuans febribus,aquam frigidam poſtulet,& dicat ad medicum,

Abacuc.2.

D.Hieron.

vim

vim patior, vror, exanimor, vsque quo medice clamabo, & non exaudies? & respondeat ei sapientissimus, & clementissimus medicus, scio quo tempore dare debeo, quod postulas, nõ misereor modo, quia misericordia ista crudelitas est, & voluntas tua cõtra te petit. Ita Deus, sciens clementię suę pondera, atque mensuras, interdum non exaudit clamantẽ, vt eum probet, & magis prouocet eũ ad rogandũ, & quasi igne excoctum, puriorem & iustiorem faciat. Hæc ille. Nouit fœmina, quanto tempore in clibano, panis debeat coqui, vt ad edẽdum sit aptus; nouit aurifex, quam longo spatio aurum in igne debeat expurgari, ita Deus nouit, quamdiu iustus labore & ærumna debeat affligi.

Deus moratur, quia nouit, quo tempore auxiliũ sit opportunũ

A Quamuis autẽ dolore statim non liberet, tamen consolatione mulcet. In quẽ sensum Chrys. hom. 1. in epist. 2. ad Corinth. cap. primo, verba illa Dauidis exponit: *In tribulatione*, id est, ipsa manẽte tribulatione, *dilatasti mihi*, id est, multã cordis latitudinem, ac dolorũ relaxationẽ indulsisti. Nõ dixit Dauid Deo, (ait Chrysostomus) non passus es me incidere in afflictionem; aut effeciſti, vt celeriter trãsiret afflictio, sed ea manente, dilatasti me: quod idem accidit in tribus pueris, nec enim obstitit, quominus injicerẽtur in fornacẽ, nec cũ essent iniecti flammã extinxit; sed ardẽte camino latũ spatiũ præbuit. Hęc ille.

D. Chrysost.

Psalm. 4.

Dan. 3.

Ad tractatum de Christi Natiuitate iam pergamus.

CAPVT VIII.

De *Christi Natiuitate*, *Luc.* 2.

FACTVM est autem in diebus illis: exijt edictum à Cæsare Augusto, vt describeretur vniuersus orbis. Hæc descriptio prima, facta est à præside Syriæ Cyrino. Et ibant omnes, vt profiterentur, singuli in suam ciuitatem. Ascendit autem & Ioseph, à Galilæa, de ciuitate Nazareth: in Iudæam in ciuitatem Dauid, quæ vocatur Bethlehem, eo quòd esset de domo & familia Dauid, vt profiteretur cũ Maria desponsata sibi vxore prægnante. Factum est autẽ cùm essent ibi, impleti sunt dies vt páreret, & peperit filiũ suum primogenitũ, & pannis eum inuoluit, & reclinauit eum in præsepio. Quia non erat eis locus in diuersorio.

TERRÆ cęlique moderator, angusto in vtero, vt B hactenus vidimus, latebat. Interim verò, Augustus Cæsar, vniuersum terrarum orbem, Iudæos quoque, edicto describi iussit. Paruit Iosephus imperio. In vrbem Bethlehem descriptionis gratia simul cum sanctissima Deipara profectus est, quo in loco Sol fulgentissimus, à thalamo suo, ad illuminandũ orbem, sereno ortu prodiuit. De hoc ortu, de descriptione, de anno, de die, de hora, de patẽ, deque admirando partu; nunc cum D. Luca dicendum. D. enim Lucas ex Euangelistis Domini præsepe sibi vendicauit. Quamobrẽ D. Ambrosius Lucæ 2. Lucas, ait, satis se diuitem fore credidit, si præsepe Domini sibi ex omnibus vendicasset, &c.

De Descriptione Augusti Cæsaris.
Hæc Descriptio Prima.

Cæsar Augustus vniuersum orbẽ describi iussit, vt D. Lucas docet illis verbis: *Exijt edictum à Cæsare Augusto, vt describeretur vniuersus orbis.* Vniuersus autem orbis non parebat Augusto, sed maxima orbis iam reperti pars, quę maxima pars vniuersus orbis hic appellatur. Caiet. ait Augustũ in edicto, hoc loquẽdi modo vsum esse, descriptionemque orbis totius imperasse, quamuis totius imperator non esset. Græcè dicitur, πᾶσα οἰκουμένη, id est, vniuersa habitata, scilicet terra, quod idem est, ac vniuersus orbis. Orbis enim monarchiam Augustus obtinebat.

Caietanus.

Cur appelletur descriptio hæc prima.

Dubium est, cur appelletur hæc descriptio prima D ab Euangelista: *Hæc*, ait, *descriptio prima, facta est à præside Syriæ Cyrino.* Magister historiæ cap. 4. Euangelicę historię, primam dici putat, quia Syrię præses primus describere cœpit. *Hæc* (inquit) *descriptio prima facta est à præside Syriæ*, quia primus præses Syrię cępit describere. Nam quia Syria in medio est Zonę habitabilis, inde cœpit describere. Est & secunda interpretatio. Appellatur descriptio prima, non simpliciter, sed sub præside Syriæ, id est, facta à Cyrino prędside, nam ab aliis factæ fuerant alię. Verisimilius est, primam vocari, quod ea prima fuerit totius orbis generalis descriptio, vel quod prima fuerit, qua Iudæi à Romano imperatore descripti sunt. Hæc est (ait Orosius lib. 6. cap. vltimo) prima illa clarissimaque professio, quę cæsarem omnium principem, Romanosque dominos rerum, sigillatim cunctorum hominũ edita descriptione, significauit. In qua se & ipse, qui cunctos homines fecit, inueniri voluit, quod nunquam penitus ab orbe condito, ne Babylonico quidem, vel Macedonico regno cõcessum fuit, &c. Beda in Lucam; significat Euãgelista, hanc descriptionem vel primam esse earum, quæ totum orbẽ concluserint, quia pleręque iam partes terrarum, sæpe leguntur fuisse descriptæ. Vel certè primo tunc cępisse, quando Cyrinus in Syriam missus est.

Orosius.

Beda.

Inuestigandum prętereà est, quidnam fuerit hæc descriptio. Id vt intelligas, obserua, descriptionẽ, & professionem idem hoc loco esse; nam verbũ Græcum, ἀπογράφομαι, quo vtitur D. Lucas, interpres vertit in verbũ latinũ describor, eo loco; Vt describeretur vniuersus orbis, idem verbum Græcum altero latino reddit; Profiteor; Cũ legitur: *Vt profiteretur cum Maria desponsata sibi vxore*: nam vtrobique est idem verbum græcum. Erat ergo hęc descriptio professio, qua orbis Augusti Cęsaris imperium profitebatur, nominaque summo Monarchæ dabat.

Gagneius Luc. 2. putat edictũ ab Augusto exiisse, vt describeretur vniuersus orbis, non vt tributum exigeret, sed vt nosset quot subditos Rom. Imp. haberet.

An fuerit solutum tributum in hac descriptione.

Iosephus li. 18. Antiquitatum cap. 1. scribit, in descriptione hac, Iudæorum facultates sub cẽsum venisse. Quirinus, inquit, in Iudæam venit, vt percenseret facultates eius regionis ciuium.

Arbitror in hac professione solutum tributum, quod Euthymius & alii sentiunt. Soluebant autem Iudæi cum numerabantur sicli dimidiũ, id est, duos argenteos regales, vt constat Exod. *Quando tuleris summam filiorum Israel iuxta numerum, dabunt singuli pretiũ pro animabus suis Domino, & non erit plaga in eis, cum fuerint recensiti.*

Iosephus.

Euthymius.

Quod tributum fuerit solutum.

censiti. Hoc autem dabit omnis, qui transit ad nomen, dimidium sicli, iuxta mensuram templi, &c. id est, drachmas duas. Hoc idem tributum indixit victis Iudæis Vespasianus, Iosepho teste lib. 7. de bello cap. 27. Tributum, inquit, vbicunque degerent, Iudæis indixit, binasq; drachmas singulis annis deferre in capitolium iussit; ita vt ante hac templo pendebant. Has duas drachmas soluisse quo tempore Dominus concionabatur, exploratum est: *Cum venissent*, ait, *Capharnaum, accesserunt, qui didrachma accipiebant ad Petrum, & dicunt: Magister vester non soluit didrachma?* Respondit ei, *etiam*; id est, soluit, iussitque Dominus pro se & Petro staterem in ore piscis repertum solui. Stater autem siclus est, quatuor continens drachmas, dimidium sicli, siue stateris, duæ sunt drachmæ, drachma verò denarius est, vel regalis argenteus. Verisimile est, idem hoc tributum, in hac prima professione fuisse solutum, quamuis Beda homil. 1. in hoc Euangelium, & Haymo, denarium solutum velint.

Ioseph. *Matth. 17.*

Nec à verisimilitudine abest, Iosephi sententia, quę etiã est in Chronico Eusebij & in Martyrologio Bedæ, Iudæorum bona æstimata fuisse; censumque facultatum habitum. Ita opinatur Suidas, verbo ἀπόγραφη. Augustus, inquit, Monarchiã obtinens viginti viros vita moribusq; optimos eligẽs, in omne imperium misit, per quos descriptiones fecit, & hominũ, & facultatũ, & iustã aliquã partẽ pręcipiens ex ijs in publicũ inferri. Et Cassiodorus, siue Theodoricus Rex, li. 3. Variarũ, in Epistola ad cõsularem virum illustrẽ; Augusti, ait, temporibus, orbis Romanus agris diuisus, censuq; descriptus est, vt possessio sua nulli haberetur incerta, quãpro tributorũ susceperat quãtitate soluẽda, &c. Quod si opes cẽsebãtur, non idẽ fuit omnibus tributum impositũ.

An fuerint bona æstimata. *Eusebius.* *Beda.* *Suidas.* *Cassiodor.*

Illud hic obiter aduerte, Iosephũ li. 18. antiq. c. 1. deceptũ esse, cum scripsit, hanc orbis descriptionẽ post obitũ Herodis, exiliumq; Archelai Herodis filij celebratã. Incidit enim, vt ex Luca liquet, in annũ, quo Christus est ortus, qui 24. fuit Augusti Cæsaris, Herode regnante, vt infra dicemus.

Ioseph.

Describebãtur in professione nomina, nõ virorum solùm, sed etiam fęminarum, id quod colliges ex illis Lucæ verbis; *Ascendit Ioseph, vt profiteretur cum Maria desponsata sibi vxore prægnante.* Alioquin nõ fuisset opus Virginem Bethlehem petere.

An autem Christus Dominus postquam natus est, fuerit descriptus, ambiguum est. Fuisse descriptus videtur, liberi enim describebantur, cũ tributũ per capita soluebatur. Fauet lex illa. ff. de cẽsibus. Ætatem in cẽsendo significare necesse est; quia quibusdam ętas tribuit, ne tributo onerentur, veluti in Syria à 14. masculi, à 12. fœminę vsq; ad 65. annum, tributo capitis obligantur, &c. Et Dionysius Halicar. li. 4. Tullius Rex Rom. iussit censeri bona omnium ciuiũ, cum iureiurando bonæ fidei, adscriptis ætatis annis, & parentũ nominibus, atque adeò liberorum etiam atque coniugum, &c. Et lib. 5. Largius dictator cẽsum egit ascriptis nominibus, ætatibusq; & ipsorum, qui censebantur, & liberorum. Hæc est Orosij sententia lib. 6. cap. vltimo. Christus (inquit) Romano sensui statim est ascriptus, vt natus est, &c. Et infra: Nec dubium est, quin omniũ cognitioni, fidęi, inspectioniq; pateat: quod Dominus vrbem Romã nutu suo auctam, defensamq; in hunc rerum apicẽ prouexerit. Cuius potissime voluit esse cum venit, dicendus vtique ciuis Romanus, cẽsus professione Romani. Hæc Orosius. Beda Luc. 2. Nõ prætereundum est, tãta tamq; benigna christi humilitas intuenda. Qui non solum incarnari pro nobis, sed & eo tempore dignatus sit incarnari, quo mox natus cẽsu Cęsaris adscriberetur, atque ob nostri liberationem ipse seruitio subderetur, &c.

An Christus Dominus fuerit descriptus. *Dionysius Halic.* *Orosius.* *Beda.*

Ibant omnes vt profiterentur singuli in ciuitatem suam.

Præterea quæritur, quibus in locis descriptio fieret? Respondet Euangelista his verbis: *Ibant omnes, vt profiterentur singuli in ciuitatem suam*; Græcè, ἰδίαν, id est, propriã ciuitatem. Caietanus & Iansenius verisimilius suã ciuitatem appellari putant eam, ex qua quisq; erat oriundus; etsi in ea non esset natus. Quia verò Ioseph, & Virgo, ex familia Dauid originẽ trahebant, idcirco in Bethlehem ciuitatem Dauid, vt describerentur; sunt profecti, à qua ciuitate familia Dauidis ducebat genus. Nam Dauid in Bethlehẽ natus est, quamobrem ciuitas Dauid vocatur.

Caietanus. *Iansenius.* *Bethlehem ciuitas erat Deiparæ, & Ioseph, eo quod ex familia essent Dauid.*

Nicephorus l. 1. c. 10. Et Metaphrastes in Oratione de ortu Virginis, in patria descriptos Iudæos cẽsent; Edictum (ait Nicephorus) coẽgit quemque patriam suam petere, ibique censeri. Simeon Metaphrastes addit, Deiparæ & Iosephi patriam fuisse Bethlehem, ideoque in ea fuisse descriptos. Edictũ, inquit, vnumquemque in suam cõpellebat patriã. Ioseph, & Maria, etsi ciues essent Bethlehemitæ, ea terra dimissa habitabãt in Nazareth, vt multis accidit, qui dimissis ijs, quæ ipsos tulerunt, malũt in aliena habitare ciuitate. Hęc ille. Euthymius ciuitatem suam interpretatur, tribus suæ Metropolim. Iudæa verò pars est Syrię, ideoque præsidis Syriæ Cyrini hoc loco fit mentio.

Nicephorus. *Metaphrastes.* *Euthymius.*

CAPVT IX.

De *Anno mundi quo Christus natus est.*

QVEMADMODVM homo, sic mũdus suas habet ętates. Nonnulli, in quibus est Clichtoueus in commentarijs Damasceni libr. 2. fidei cap. 1. & Ioannes Lucidus Mathematicus, aiunt 7. esse mũdi ætates. Prima ætas infantia fuit, ab Adamo vsque ad diluuium. Secunda pueritia, à diluuio vsque ad Abrahamum, cui circumcisionis prœceptum datum est. Tertia, adolescẽtia, ab Abrahamo vsque ad legẽ Mosis. Quarta iuuẽtus, à lege data, vsque ad Dauidẽ vel Salomonis templum. Quinta virilis, à Dauide, vel Salomonis templo, vsque ad captiuitatẽ Babylonicam. Sexta matura ætas, à captiuitate vsque ad Christum. Septima perfecta ętas, à Christo vsque ad Iudiciũ. Octaua æternitas erit. Sequitur hanc sentẽtiam, aliqua adhibita mutatione, Naclantus in medulla Scripturæ. Fauet Dam. lib. 2. fidei, c. 1. Septem, inquit, huius mundi sæcula dicuntur, hoc est, à cæli terræque creatione vsque ad communem omnium consummationẽ, & resurrectionem. Octauũ verò sęculum, futurum æuum est.

Mundi ætates quot. *Damasc.*

Arias verò Montanus, in prefatione libri de sæculis, sex sæcula numerat, à condito orbe ad Christum vsque. Primũ, ab Adamo vsque ad diluuiũ tẽditur. Secũdum, à diluuio vsque ad Abrahamũ, iuxta diuisas victimas dormientem. Tertium, ab Abrahamo vsque ad Iacob; cui sacrosanctũ incarnationis mysterium, sub imagine scalę ad cęlũ pertingentis, ostensum diuinitus fuit. Quartum, à Iacob vsque ad legem in Sinalatam. Quintum, à lege vsq; ad regnũ Dauidis. Sextum, à Dauide vsq; ad Christum. Sęcula hebraicè עולמים Golomim appellantur.

Arias Mon. *Gen. 15.*

Sequendus D. Augustinus, qui extremo li. de ciuitate Dei cap. extremo, & li. 12. contra Faustum cap. 8. & li. 1. de Genesi contra Manichęos c. 23. sex numerat ætates, iuxta numerum sex dierum, quibus mundus est conditus. Prima fuit, ab Adamo, vsque ad diluuium. Secunda, à diluuio, vsq; ad Abrahamũ. Tertia ab Abrahamo, vsque ad Dauidem. Quarta, à Dauide, vsque ad transmigrationẽ Babylonis. Quinta, à trãsmigratio-

D. August.

migratione, siue captiuitate Babylonis, vsq; ad Chri-
D. Chrysost. D. Isidorus Beda. stum. Sexta, à Christo vsq; ad Iudicium. Post has sex ætates, vt loco notato ait Aug. Sabbatum erit, id est, requies sanctis sempiterna. Eadē est sentētia Chrysostomi, tom. 1. in homilia de Iephte, D. Isidori 5. li. Etymologiarū, ca. 38. & Bedę in lib. de ratione temporum, c. 64. & in libello de sex ætatibus, & aliorū.

Duabus primis ætatibus plures annos tribuit septuaginta interpretū versio, quā vulgata. Aliter enim vulgatus, aliter 70. interpretes annos supputāt, quibus antiqui patres filios genuerūt, ex quo numero, ætatum anni colliguntur. Vulgati hebræis codicibus consentiens supputatio, & sequenda, huiusmodi est.

Primæ ætatis anni.

Adam genuit Seth, cum annorum esset.	130.
Gen. 5. Seth genuit Enos, annos natus.	105.
Enos genuit Cainan, annos habens.	90.
Cainam genuit Malaleel, postquam vixit annos	70.
Malaleel genuit Iared.	65.
Iared genuit Henoch.	162.
Henoch genuit Mathusalem.	65.
Mathusalem genuit Lamech.	187.
Lamech genuit Noë.	182.
Gen. 7. Noe cum diluuium cœpit annorum erat.	600.
Summa 1656.	

Secundæ ætatis anni.

Diluuium vno anno.	1.
Sem filius Noë, genuit Arphaxad, anno post diluuiū Secundo.	
Arphaxad genuit Sale cum esset annorum.	35.
Sale genuit Heber annorum.	30.
Gen. 11. Heber genuit Phaleg annorum.	30.
Phaleg genuit Reu annorum.	30.
Reu genuit Sarug annorum.	32.
Sarug genuit Nachor annorum.	30.
Nachor genuit Thare annorum.	29.
Thare genuit Abraham annorum.	70.
Summa 293.	

Attamen huic secundæ ætati deest generatio Cainā, quæ extat apud 70. interpretes, & apud D. Lucā ca. 3. vt in Genealogia Christi dictum est. Addendi ergo anni 30, cuius ætatis ex numero 70. interpretum colligitur fuisse Cainam, cum genuit filium.
Addenda ex D. Luca, & 70 generatio Cainan. Nam versio septuaginta habet, Cainā genuisse Sale anno ætatis suę 130. Quia verò illa annis generationum plusquam interpres noster, & hebræus textus, centum annos adiicit, hi cētum detrahendi sunt, 30 tantum retinendi.

Est ergo ætatis secundæ, additis his 30. annis Cainan, Summa 323. si tamē opinemur Thare genuisse Abrahamū anno ætatis suæ 70. Sed falsam esse huiusmodi opinionem, hunc in modū probatur. Abrahamus ex Haram exijt, post vita functum patrem
Act. 7. Thare, vt Stephanus affirmat: *Inde*, inquit, *id est, ex*
Gen. 11. *Haran, postquam mortuus est pater eius, transtulit illum* Deus *in terram istam*, &c. At Thare vt fit compertū ex Gen. ducentesimo quinto ætatis anno vita excessit. Ergo si Abrahamus à Thare septuaginta annis nato genitus est, cum pater obiit, annorū erat centū triginta
Quoto ætatis anno Thare genuerit Abraham. Gen. 12. quinque. Id quod à veritate alienū esse ostenditur, quia dicitur Abrahamus cū ex Haran post mortem patris discessit 75. annorū fuisse, hęc enim sunt verba Mosis: 75. *annorum erat Abraham, cum egrederetur de*
A *Haran.* Hieronymus in quæstionibus hebraicis, existimare videtur, Abrahamum à Chaldæis in ignem iniectum, quod ignē noluerit colere, Dei vero præsidio liberatū, tum adiūgit, Scripturam annos illius ex eo reputare ac numerare tēpore, quo Chaldæorum idolis spretis Dominum cōfessus est, quasi tāto regenitus sit beneficio. cū ergo ex Haran egressus est, agebat quidem ætatis annū 135. vt probatū est; verùm à liberatione annus erat septuagesimus quintus, cuius scriptura mentionē fecit. Abulensis Gen. 12. duos Abrahami exitus ab Haran excogitauit. Alterū cum reditu viuente patre, quo tempore 75 annos natus erat, de hoc putat agere Mosem. Alterū post patris obitum, sine reditu; cum iam egerat annum
B 136, de hoc ait Stephanum verba facere. Act. 7.

At probabilius respondemus, cum D. Augustino D. August. Theodoret. Caietanus. Naclantus. in quæstionibus in Genesim, libr. 1. quæst. 25. Theodoreto, Caietano, & Naclanto; Thare non genuisse Abrahamū septuagesimo ętatis anno, sed anno 130. Vnde efficitur filium Abrahamū, cum post patris obitum, qui 205. annos vixerat, ex Haran discessit, annos ætatis habuisse 75. vt Moses scribit. Oppones Gen. 12. huic sententiæ Mosis verba, ex quibus altera sententia desumpta est: *Vixit Thare 70. annis, & genuit Abrā,* Gen. 11. *Nachor, & Aran.* Fatemur Thare septuagesimo anno generare cœpisse, non tamen tres illos filios eodem anno, sed diuersis generasse dicimus, Abrahamum quidē multis post annis, alterū è duobus reliquis ip-
C so anno septuagesimo, vel circiter. Neque enim Abrahamus primogenitus fuit Thare, vt August. docet.

Ex hac opinione sequitur; numeratis iam annis, addendos annos Thare sexaginta.

Estq; summa secundæ ætatis iuxta hanc sententiam annorum 383.

Tertiæ ætatis anni ab Abrahamo vsque ad Dauidem.

Abraham genuit Isaac annorum.	100.
D Isaac genuit Iacob annorum.	60.
Iacob cum filiis ingressus est Ægyptum annorum.	130.
Habitatio Israëlitarum in Ægypto, vt ostēdimus in Genealogia Christi, fuit annorum.	215.
Ab exitu Israel de Ægypto, vsque ad Dauidem numerantur anni.	436.

Horum 436. annorum summa sic subducitur: Ab exitu Israel vsque ad mensem secundū anni quarti regni Salomonis, in quo cœpit extrui templum, numerantur anni 480. Ex iis omitte 44. annos, qui in- 3. Reg. 6. terfluxerunt ab initio Regni Dauidis vsque ad 4. annum regni Salomonis (nam Dauid 40. annis regnauit) existet summa 436.

E Totius ætatis summa 941.

Quartæ ætatis anni à Dauide vsque ad transmigrationem Babylonis.

Dauid regnauit annis.	40.
Salomon filius Dauidis annis.	40.
Roboam filius Salomonis.	17.
Abiam filius Roboam.	3.
Asa filius Abiam	41.
Iosaphat filius Asæ.	25.
Ioram filius Iosaphat.	8.
Ochozias filius Ioram.	1.
Athalia mater Ochoziæ.	7.

	Ioas filius Ochozię.	40.
	Amasias filius Ioas.	29.
	Azarias vel Ozias filius Amasię.	52.
Infra in collectione ætatum, alter est numerus. 485. in hac quarta ætate. Sed detrahendi sunt anni 11 tam de numero ætatis quartæ, quam de summa, quæ ingreditur.	Ioatham filius Azarię.	16.
	Achaz filius Ioatham.	16.
	Ezechias filius Achaz.	29.
	Manasses filius Ezechiæ.	55.
	Amon filius Manasses.	2.
	Iosias filius Amon.	31.
	Ioachaz filius Iosiæ.	tribus mensibus.
	Ioachim filius Iosiæ annis.	11.
	Ioachim filius Ioacim.	tribus mensibus.
	Sedecias patruus Ioachin annis.	11.

Vndecimo anno Sedeciæ captiuitas Babylonica.

Summa 474. & menses sex.

Quintæ ætatis anni à captiuitate Babylonica vsque ad Christum.

Babylonicæ captiuitatis anni, vt in Genealogia Christi ostendimus 52.

Soluta captiuitas est 1. anno Cyri Regis Persarũ. A primo autem anno Cyri vsque ad vigesimũ annũ Artaxerxis, vt numerat apud D. Hieronymũ Dan. 9. Iulius Africanus, anni 115.

A 20. anno Artaxerxis, vsq; ad Christi Opt. Max. passionẽ, Danielis hebdomades 70. In dimidio hebdomadis Septuagesimæ Cruci suffixus est. Adime 33. annos, & menses aliquot, quibus vixit, reperies hebdomada sexagesima quinta esse ortũ; 70. autem hebdomades, annos continẽt 490. hebdomades 65. annos efficiunt 455. Ortus autem Christus est anno penultimo 65. hebdomadis; restant ergo anni 453. quos si adiũgas superioribus 52. & 115. efficies à captiuitate Babylonica vsque ad Christum, summã annorum 620.

Aliter per olympiadas supputari hi anni possunt, hoc modo, Cyrus cępit regnare olympiade 55. vt est in Chronico Eusebij; Christus verò natus est olympiade 194. vt habes loco Eusebij indicato, inter has vero numerantur olympiades 139. quę ex annis cõflantur 556. A Cyro igitur vsque ad Christum anni interfluxerunt 556. quibus si addas annos 52. à captiuitate Babylonica, vsque ad Cyrum, annorũ summa existit 608.

Africanus apud Hieronymum Dan. 9. hoc pacto numerat, per annos monarchiarum. Permãsit Regnum Persarum, vsque ad initium Macedonũ annis 230. & ipsi Macedones regnarunt annis 300. atque exinde vsque ad annum 15. Tyberij Cæsaris, quãdo passus est Christus, numerantur anni 60. qui simul faciunt annos 590. Hęc ille: fallitur tamen in anno, quo Christũ obiisse ait, vt alibi ostendemus. Adime ex hac summa annos 33. cũ dimidiato, quibus Christus vixit; restant ab initio imperij Persarũ, post captiuitatem Babylonicã, vsque ad Christũ, anni 556. His adiunge annos 52. à captiuitate Babylonica, vsque ad initium imperij Persarum, efficietur summa annorum 608. à captiuitate vsque ad Christum, ex numeratione Africani. Sed in anno quo Christus in Crucem sublatus est labitur, vt diximus.

Si verò omnium ætatum annos ad calculum reuoces, annos efficies ab orbe condito vsq; ad orbis reparatorem Christũ, 4085. per ætates ita collectos.

Prima ætas.	1656.
Secunda.	383.
Tertia.	941.
Quarta.	485. mens. 6.
Quinta.	620.

4085.

De supputatione 70. Interpretum.

Quoniam suprà diximus interpretes Septuaginta aliter primæ, ac secũdæ ętatis annos numerare, quã interpretem vulgatum, ne lectorem hæc lateat discrepantia, quænã illorum sit supputatio libet indicare; ea verò est huiusmodi.

Primæ ætatis Anni secundùm 70. Interpretes.

Adam genuit Seth, cum esset annorum.	230.
Secundum vulgatum interpretem, & hebraicos codices.	130.
Seth genuit Enos annorum.	205.
Secundum vulg.	105.
Enos genuit Cainam annorum.	190.
Secundum vulg.	90.
Cainam genuit Malaleel annorum.	170. *Genes. 5.*
Secundum vulg.	70.
Malaleel genuit Iared annorum.	165.
Secundum vulg.	65.
Iared genuit Enoch annorum.	167.
Secundum vulg.	162.
Enoch genuit Mathusalem annorum.	165.
Secundum vulg.	65.
Mathusalem genuit Lamech annorum.	167.
Secundum vulg.	187.
Lamech genuit Noe annorum.	188.
Secundum vulg.	182.
Noe cum cœpit diluuium erat annorum.	600.
Secundum vulg.	600.

Summa 2242. Secundum vulg. 1656.

Secundæ ætatis anni secundùm 70. Interpretes.

Diluuium anno.	1.
Eodem modo vulgatus & Hebræi.	
Sem genuit Arphaxad, post diluuium anno secũdo.	
Eodem modo vulgatus.	
Arphaxad genuit Cainan cum esset annorum.	135.
Cainan genuit Sale annorum.	130.
Pro his duabus generationibus habet vnam vulgatus. Arphaxad genuit Sale annorum.	35.
Sale genuit Heber annorum.	130.
Secundum vulgat.	30.
Heber genuit Phaleg annorum.	134.
Secundum vulg.	34.
Phaleg genuit Reu annorum.	130.
Secundum vulg.	30.
Reu genuit Sarug annorum.	132.
Secundum vulg.	32.
Sarug genuit Nachor annorum.	130.
Secundum vulg.	30.
Nachor genuit Thare annorum.	179.
Secundum vulg.	29.
Thare genuit Abraham annorum 70. vel vt suprà diximus 130. Eodem modo vulgatus.	
Sũma 1173. Vel si addãtur 60. ãni ętatis Thare.	1233.
Secundum vulg. 293. vel 353. excepta generatione Cainan.	

Summa ætatum iuxta 70.

Prima ętas.	2242.
Secunda.	1173.
Tertia.	941.
Quarta.	485.
Quinta.	620.

5461.

Hinc

Hinc ſupputatio illa emanauit, quæ ab orbe condito vſque ad Chriſtum pluſquam quinque annorũ millia continet. Euſebius in Chronico annos numerat 5199. Paulus Oroſius lib. 1. cap. 1. ab Adamo vſq; ad Abrahamum numerat 3184. ab Abrahamo vſque ad Chriſtum 2015. D. Iſidorus lib. 5. Originum ab orbe condito vſque ad Chriſtum, 5220. Nicephorus in Chronologia, cap. 9. 5500. Alter Nicephor. libr. 1. hiſt. cap. 10. & cap. vlt. 5505. Rex Alphonſus 6984. D. Cyprianus de exhortatione Martyrum: Sex millia, inquit, annorum, iam penè complentur, ex quo hominem diabolus impugnat; floruit autem anno à Chriſti ortu, 230. & D. Hieronym. in epiſt. ad Titum; Sex millia nec dum noſtri orbis complentur anni. Auguſt. libr. 12. de ciuit. Dei cap. 10. Ex ſacris litteris, ab inſtitutione hominis, nondum cõpleta annorum ſex millia computamus. D. Epiphan. lib. 2. aduerſus hæreſes tom. 2. in Catalogo dogmatum Manichæi, anno Chriſti 30. ait, mundi ętatem fuiſſe annorum, 5509. Alter Epiphan. in Synodo Nicæna. 2. act. 6. affirmat Chriſtum ad homines veniſſe anno mũdi 5001. Deniq; vt alios omittã, Romanũ Martyrologiũ hãc retinuit ſupputandi rationẽ, Natum enim Chriſtũ affirmat, anno à creatione mũdi 5199.

Euſebius. Oroſius. *Anni ab orbe cõdito ex verſione ſeptuaginta interpretum.* *D. Iſidorus.* *Nicephorus.* *Alter Nicephorus.* *Rex Alphonſus.* *D. Cyprian.* *D. Hieron.* *D. Epiphan.* *Alter Epiphanius.*

Ortum Chriſtum anno Auguſti 41. docet Tertullianus in lib. quẽ aduerſus Iudæos ſcripſit, & D. Hier. Iſaiæ 2. D. Irenæus lib. 3. cap. 25. circa 41. eiuſdẽ Auguſti annum natum ait. Sequenda ſententia, quæ in Martyrol. Romano extat, natum anno Auguſti 42. ea eſt Euſebij in Chronico, & in hiſtor. Eccleſiaſtica, lib. 1. cap. 5. Epiphanij, hæreſi 51. Oroſij lib. 7. cap. 2. Bedæ in lib. de ratione temporum, & aliorum.

Tertullian. D Hieron. Irenæus.

Agebatur autem tunc (vt ait Euſebius lib. 1. hiſt. c. 5.) octauus & vigeſimus annus ab Ægypto ſubiugata, & Antonii Cleopatræq; morte, in quã Ptolemęorum in Ægypto dominatus, poſtremò deſijt. Clemẽs Alexan. lib. 1. Stromatum, ab hoc anno ſubiugatæ Ægypti cœpit numerare; ideoque aſſeruit Chriſtũ in lucem editum, Auguſti anno 28. Natus, inquit, eſt Dominus noſter 28. anno, cum primum iuſſerunt cenſum, deſcriptionẽve fieri tempore Auguſti, &c.

Euſebius Anni Auguſti, & Herodis Regis. D. Epiphan. Oroſius Clemens. Alexand.

Illud reſtat addendum, quoto Herodis anno ſplẽdidiſſimus Sol Chriſtus mundo illuxerit, diſcrepantes ea in re, vt in reliquis annorũ ſupputationibus, ſunt ſententiæ, Beda in lib. de ſex ætatibus, natũ ait anno Herodis 31. Euſebius in Chron. anno 32. Aliter ſentiunt Epiph. hær. 51. Seuer. Sulp. hiſtoriæ libro ſecundo, Onuphrius in Chronico Eccle. Ego Euſebium libenter in Chronologia dubia ſequor. Romanis imperauit Auguſtus, vt Euſebius ait 56. annos, vixit 76. Herodes Iudæis 37. annis, eodem autore dominatus eſt. De annis Auguſti ſic ſcribit Eutropius li. 7. Auguſtus bellis toto orbe confectis, Romã redijt 12. anno poſtquam Conſul fuerat. Ex eo Remp. per 44. annos ſolus obtinuit, Ante enim 12. annis cũ Antonio, & Lepido tenuerat. Ita ab initio principatus eius, vſque ad finem 56 anni fuere. Hæc ille.

Beda. Euſebius. D. Epiphan. Seuerus. Sulpit. Onuphrius. *Eutropius.*

CAPVT X.

In quod anni tempus Domini natalis dies inciderit? An in ſolſtitium hybernum?

NAtus dicitur Dominus hyemali ſolſtitio, ea eſt opinio Ioannis Lucidi Mathematici lib. 7. cap. 2. Abulenſis Matthæi 2. q. 5. D. Auguſtini ſerm. 18. de natalitijs Chriſti; conceptus, inquit, eſt Chriſtus æquinoctio verno, & natus eſt ſolſtitio hyberno. Eandem ſententiam pluribus Eccleſię Magiſtris tribuit Beda, hac de re in libro de natura rerum, cap. 29. ita

Ioannes Lucidus Abulenſis. Auguſt.

ſcribens: De æquinoctijs, quod octauo Kalendarum Aprilium, id eſt, 25. Martij, & octauo Kalendarum Octobrium, id eſt, 24. Septembris; & de ſolſtitijs, quod octauo Kalendarum Iuliarum, id eſt, 24. die Iunij, & octauo Kalendarum Ianuariarum die, id eſt, 25. Decembris, notanda ſint; multorum late, & ſapientium ſæculi, & Chriſtianorum ſententia claret. Poſtquam verò Plinij & Hippocratis teſtimonia adiunxit, ſubjicit. Hæc quidem Gentiles. Quibus non diſſimilia de tempore, etiam per plures Eccleſiæ tradiderema-giſtri, dicentes octauo Kalendas Aprilis, id eſt, 25 die Martij, in æquinoctio verno Dominum conceptum & paſſum: Eundem in ſolſtitio brumali, octauo Kalendas Ianuarias, id eſt, 25 Decembris, natum. Item, beatum præcurſorem Ioannem, octauo Kalendas octobris, id eſt, 24. Septembris, in æquinoctio autumnali conceptum, & in æſtiuo ſolſtitio octauo Kalendas Iulias, id eſt, 24. Iunij, natum. Addita inſuper expoſitione, quod autorem lucis æternæ, cum cremento lucis temporariæ concipi ſimul & naſci deceret; pœnitentiæ verò præconẽ, quem oportebat minui, cum inchoata minoratione lucis, generari pariter & concipi. Hæc Beda.

Beda.

Poſt hæc, ſuam ſubjicit diſcrepantem ſententiam tam æquinoctia, quam ſolſtitia, alijs diebus eſſe collocanda. Verùm, inquit, quia ſicut in ratione paſchali didicimus, æquinoctium vernale, duodecimo Kalendarum Aprilium die, id eſt, die 21. Martij, cunctorum Orientaliũ ſententijs, & maximè Ægyptiorũ, quos calculandi eſſe peritiſſimos cõſtat, ſpecialiter adnotatum, cæteros quoque tres temporum articulos putamus aliquando plus, quam vulgaria ſcripta continent, eſſe notandos.

Sententia Beatæ.

Æquinoctium autem vernum, non poſſe conſtitui in die 25. Martij, ex eodem Beda probatur: Quoniam inde efficeretur Paſcha celebrandum ſemper poſt 25. diem Martij, ſiquidem poſt æquinoctium celebrari ſemper debet, id verò eſt falſum. Nam regula tenet Eccleſiaſticæ obſeruationis, à Niceno confirmata concilio, vt Paſchæ dies ab vndecimo Kalendas Aprilis, id eſt, à 22 Martij, vſque in ſeptimum Kalendas Maias, id eſt, vſque ad 25 diem Aprilis inquirantur, ergo poteſt Paſcha celebrari ante 25 diem Martij, ſcilicet 22. 23. & 24. Quod autem Paſcha ſemper poſt æquinoctiũ agi debeat; cõfirmatur: quoniã Catholicæ inſtitutionis regula præcipit, vt ante vernalis æquinoctij trãgreſsũ Paſcha nõ celebretur.

Tẽpore verò Chriſti nõ fuiſſe æquinoctiũ 25 die Martij, ſic oſtenditur: Chriſtus mortem ſubijt 25. die Martij, Paſcha egit pridie quam pateretur 24. die: at æquinoctiũ iam tranſactum erat; ergo nõ incidit in 25. diem Martij æquinoctiũ Chriſti ætate. Tranſactũ autem fuiſſe æquinoctium fit perſpicuum, quia Iudęi paſcha non niſi poſt æquinoctiũ agebant, vt ex Anatolio, Philone, & Ioſepho oſtendit idem Beda.

Tandem concludit, æquinoctium vernum duodecimo Kalendarum Aprilium, id eſt, 21. diei Martij (cui aſcripſit Gre. 13. Põtifex Max. noſtra ætate) eſſe aſcribendum; æquinoctium quoque hyemale, & ſolſtitia, ſimili ratione, aliquot diebus, ante octauum Kalendarum ſequentium eſſe notanda. Sequitur ergo ex ſententia Bedæ hoc loco, Chriſtum non eſſe natum in ſolſtitio hyberno.

Eius tamen ſententia nõ eſt omnino certa. Potuit enim æquinoctium vernum tempore Chriſti in 25 diem Martij, & ſolſtitium hybernum in 25. diem Decembris incidere; poſtea vero in 21 Martij æquinoctium, & in 23. Decembris ſolſtitium regredi, intercalatione neglecta. Nam ſuo tempore Plinius, libr. 18. hiſtorię cap. 5. in 8. ferè Kalend. Ianuarii. incidere docet brumale ſolſtitium. Omnes, inquit, eę differentię fiunt in octauis partibus ſignorum, bruma

Plinius.

Hipocrates apud Bedam Capricorni, ab octauo Kalend. Ianuarij ferè, &c. Hippocrates quoque ad Antigonum Regẽ scribẽs; exordium, ait, incipiamus à solstitio, id est, octauo Kalendas Ianuarias, ex qua die humor corporibus crescit, &c. Quod autem objicit, Christum crucifixum 25. die Martij, ideoque non posse æquinoctium illi diei ascribi tempore Christi, siquidẽ post æquinoctium, pascha cum Iudæis celebrauit. Facilè refutabitur, si neges, Christum ea die fuisse in crucem actum, qua de re suo dicendum est loco.

Quidquid sit, hoc habemus ex Beda & reliquis, Christum vel in hyberno solstitio, vel propè solstitium ortum esse. Hoc tempore in infimum cæli pũctum Sol deuenit; iustitiæ verò Sol Christus in infimum orbis locum, id est, præsepe, descẽdit. Hoc tempore reuerti incipit ad nos Sol, accipiuntq; dies nostri incrementa lucis, at per Christi natiuitatem, Sol iustitiæ ad nos conuersus est, lux verò gratię magnis est aucta incrementis. Animaduerterunt hoc patres: Aug. ser. citato: Et in conceptu, ait, & natiuitate Christi, dies accepit incrementũ, & nascente vera luce lucis & diei augmentatur officium. Et ser. 6. (si Augustinus est) in hac die, qua Saluator nascitur, splendor lucis augetur, tenebrarum caligo minuitur; in hac die lux cælestis credentibus redditur, & in æterna nocte, diabolica figmenta damnantur: In hac die lux crescit ex lumine, virtutum virtus attollitur, &c.

D. Augustinus.

In natiuitate Christi dies crescit.

D. Greg. Nyssenus. Adde etiam D. Gregoriũ Nyssenũ, in orat. de Natiuitate; In hac die (ait ille) minui tenebrę incipiũt, noctisque modi, augescente radio, ad defectum rediguntur. Mysterium natura exponit perspicatioribus, ac docet, quid sibi velit, quod in aduẽtu Domini dies crescit, nox decurtatur. Ego talia quædã dicentem, mihi videor audire creaturam: Vides noctem ad summam longitudinem progressam esse, atq; vlterius currere, atq; proferri desistere, & in contrariũ resolui. Animaduerte quod improba peccati nox, quoad eius fieri poterat aucta, atque extremã nequitiæ magnitudinem assecuta, hodie vlterius progredi, ac sibi quasi possidendo vsucapere prohibita est, atque dehinc ad defectionem redigitur. Vides lucis radium diutius durare, & solem esse solito sublimiorem, animaduerte veræ lucis aduentum, quæ radijs Euangelicis orbem illuminat. Hactenus ille.

D. Ambros. D. Ambro. serm. 2. de Natiuitate. Ecce in natiuitate Christi dies crescit, & in natiuitate Ioannis decrescit; Christo oriente lux proficit, Ioanne nascẽte minuitur. Ipsa enim quodammodo tempora, famulantia partibus suis; cum detrimentum faciunt; seruus gignitur; cum autem Dominus nascitur, cõsequitur augmẽtum. Profectum planè facit dies, cũ mundi Saluator oritur; defectũ patitur cũ vltimus propheta generatur. Scriptum est enim: *Lex & Prophetæ vsque ad Ioannem*, atq; ideo necesse erat, vt obscuraretur legis obseruatio, vbi euocatio, vbi Euangelij gratia refulgebat, & cessaret prophetia veteris Testamẽti, cum noui Testamenti gratia succedebat. Ergo in natiuitate Domini proficit dies; nec mirũ si proficit dies, quã splendidissima lux veritatis illuminat.

D. Augustin. D. Augustinus, Psalm. 132. Natus est Ioannes sicut tradit Ecclesia 8. Kalend. Iulias, cum iam incipiunt minui dies; Dominus natus est 8. Kalẽd. Ianuarias, quando iam dies incipiunt crescere. Audi ipsum Ioannem confitentem; *Illum oportet crescere, me autem minui.* Et passiones ipsorum hoc indicant, Dominus in cruce exaltatus est, Ioannes cæso capite diminutus, &c. Beda, in homilia de natiuitate Ioannis Baptistæ; Non vacat à mysterio, quod Ioannis natiuitas, cum dies decrescere, Domini autem, cum dies crescere

Beda. inchoant, facta memoratur; creuit quippe Dominus, quia per totum orbem, quod Christus esset innotuit; decreuit Ioannes, quia qui Christus existimabatur, quod non Christus, sed præco Christi esset apparuit. Iure etiam nascente Domino, abbreuiata dies ad crementum luminis redit. Quia ille nimirum apparuit, qui lucem suæ cognitionis, quam prius sola Iudæa, & hoc ex parte habebat, cunctis gentibus aperiret, & suæ calorem dilectionis in totum mundi latitudinem diffunderet, &c.

CAPVT XI.

Quo die ortus sit Christus.

D. Epiphan. DIuus Epiphanius, hęresi 51. natum scribit quinto Ianuarij die; Nato, inquit, Domino circa Ianuarium mensem, hoc est, ante octauum Iduum Ianuarij, quæ est quinta Ianuarij mensis, secundum Romanos, secundum Ægyptios Tybi vndecima, &c.

Cassianus. Ægyptij verò, vt est apud Cassianum collatione 10. capit. 2. in die Epiphaniæ natalitia Domini celebrabant. Intra Ægypti, inquit, regionem mos iste antiqua traditione seruatur, vt peracto Epiphaniorum die, quem prouinciæ illius sacerdotes, vel dominici baptismi, vel secundum carnem natiuitatis, esse definiunt, & idcirco vtriusque sacramenti solemnitatem, non bifariè, vt in occiduis prouincijs, sed sub

Clemens. vna diei huius festiuitate concelebrant, &c. Clemens in constitutionibus Apostolicis, lib. 5. capite 13. Dies

Clemens Alex. natalis celebretur 25 mensis noni. Alter Clemens Alexand. lib. 1. stromatum longè à fine libri; Sunt, inquit, qui curiosius natali Domini non solũ annũ,

Christus natus die 25. Decembris. die Dominica, nocturno tempore. sed etiam diem addunt, quem dicunt 28. annũ Augusti, in 25. pachon, &c. Est autem pachon Ægyptijs, mensis Maius. Item eodem libro loquens de Basilidis sectatoribus; Dicunt ex iis aliqui Christum natũ esse 24. vel 25. pharmuthi, dicitur autem pharmuthi, ab Ægyptiis, mensis Aprilis.

Dicendũ est natum Dominum 25. die Decẽbris. Ecclesia enim hac die Christum feliciſſimo partu editum agnoscit, ac celebrat. Quem cœlestis partus diem agnoscit etiã Nicephorus, lib. 1. capite 12. & lib.

Nicephorus Orosius. 2. cap. 3. Orosius, lib. 7. cap. 2. & alij. Augustinus 4. de

D. Augustin. Trinitate, c. 5. Natus, inquit, traditur Christus octauo calend. Ianuarias: Et Psal. 132. Ioannes natus est, sicut tradit Ecclesia, 8. calend. Iulias: Dominus natus 8. calend. Ianuarias, id est, 25 Decembris.

Die vero Dominica ortum cum multis arbitramur. Rupertus lib. 3 de diuinis officiis, capite 16. Nocte, inquit, Dominica natus est Christus, consonante mirabilium suorum ordine. Vt quo die dixit; *Fiat lux, & facta est lux*, eiusdem diei nocte oriretur in tenebris lumen rectis corde: & *visitaret nos, Oriens ex alto, illuminare iis qui in tenebris, & in vmbra mortis sedent*. Hæc ille. In eadem sentẽtia est diuus Anton. prima parte historiæ, titul. 5. ca. 1. D. Bonauent. de vita Christi, magister historiæ, Episcopus Petrus de natalibus, Lucidus, & alij. Die dominica ortum Dominum habetur capit. 8. ad finem sexti Consilij, sed illa capita, siue Canones, Surius Synodo falso adscribi docet, tom. 3. cõciliorum. Itaque sexta feria, 25. Martij die conceptus, vt supra iam ostendimus, die Dominica 25 Decembris, ex Sacrosancto vtero mirabiliter egressus est Christus.

Tertullian. Nocte autem egressum docet Tertullianus lib. 5. contra Marcionem, capite 9. Nos, inquit, edimus euangelia, nocturna natiuitate declarantia Dominum. Et Augustinus, Psalm. 109. Noctu, ait, natus est Dominus ex vtero Virginis. Vterque, Tertullianus & Augustinus, in hanc sententiam illud expo-

D. Augustin. Psal. 109. nit; *Ante luciferum genui te*, id est, ante auroram, nocturno tempore. Liquet ex Ecclesiastico more.

Solet

Solet enim Ecclesia natalis Christi noctem festo sacro propterea celebrare, quòd nocte Sol ille splẽdidissimus mortalibus illuxerit. Ex Euangelio idem colligitur. Etenim Angeli nocturno tempore pastoribus, Messiæ nuntiauere natiuitatem, scilicet quia nocturno tempore post noctem mediam natus est. Quamobrem Ecclesia post noctem mediam sacra facit, sequentemque diem, ad quem nox pertinet, festum agit. Præterea verba Sapient. accommodatè ad hoc mysterium transfert; *Cùm quietum silentiũ contineret omnia, & nox in suo cursu medium iter haberet, omnipotens sermo tuus de cœlis à regalibus sedibus venit.* Sap. 18.

CAPVT XII.

De pace, quæ Christi natali tempore, in orbe florebat; item, an Iani portæ tunc fuerint clausæ?

FLorente pace Christum natum, ipsa totius orbis, sub vnius Monarchæ imperio, descriptio indicat. Ea de re sic scribit D. Hierony. Isaiæ cap. 2. Veteres reuoluamus historias, & inueniemus vsque ad 28. annum Cæsaris Augusti, cuius 41. anno Christus natus est in Iudæa, in toto terrarum orbe fuisse discordiam, & singulas nationes contra vicinas gentes arsisse studio præliandi, ita vt cæderent, & cæderentur. Orto autem Domino Saluatore, quando sub præside Syriæ Cyrino prima est in orbe terrarum facta descriptio, & euangelicæ doctrinæ pax Romani imperii præparata, tunc omnia bella cessauerũt. Et nequaquam per oppida, & vicos exercebantur ad præliа, sed ad agrorum cultus, militibus tantum, legionibusque Romanis, contra barbaras nationes, bellandi stndio delegatio. Quando impletus est Angelorũ ille concentus: *Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Et: *In diebus eius orta est iustitia, & multitudo pacis.* Hactenus Hieronymus. D. Hieron. Luc. 2. Psalm. 71.

Orosius quoque lib. 6. cap. vltimo; Anno, inquit, ab vrbe condita 752. Augustus ab Oriente in Occidẽtem, à Septentrione in Meridiẽ, ac per totum Oceani circulum, cunctis gentibus vna pace compositis; Iani portas tertiò ipse tũc clausit, quas ex eo per 12. fere annos, quietissimo semper obseratas ocio, ipsa etiam rubigo signauit. Nec prius vnquam, nisi extrema senectute Augusti, pulsatæ; Athenien sium seditione, & Dacorum commotione patuerunt. Igitur eo tempore, id est eo anno, quo firmissimam, verissimamque pacem, ordinatione Dei, Cæsar composuit, natus est Christus. Cuius aduentui pax ista famulata est. Hæc Orosius. Oros.

Christi autem aduentui, & Apostolorum prædicationi, famulatam Romani imperii pacem, Theodoretus docet in Commentariis Psal. 45. his verbis: Tempestate Saluatoris, eum Romanorum imperiũ, singula regna expugnasset, omnium aures euãgelij præconibus accommodauit. Nullo timore enim, veluti in vno regno percurrerũt, salutaremq; doctrinã hominibus attulerunt. Hæc Theodoretus. Et Procopius, in Cõmentariis Isaiæ 12. Deus, inquit, cũ Apostolis viæ libertatem aperire statuisset, rerum summa ad Romanos delata, magni dæmonũ habẽtis imperii significationẽ dedit. Vnicamque Reipub. formã, & Monarchiã, vt & Ecclesiã vnã, vnamque fidem fore, demonstrauit. Hier. Michææ, ca. 4. Postquam ad imperiũ Christi, singulare imperiũ Roma sortita est; Apostolorum itineri peruius factus est orbis. Et apertæ sunt eis portæ vrbium, & ad prædicationem vnius Dei, singulare imperium constitutum est, &c. Theodoret. Pax Romani imperij Apostolorum prædicationi est famulata. Procopius. D. Hieron.

An Iani fores Christo nascẽte clausæ fuerint, dubium est. Fuit Romæ Iani templũ, quod belli ianua dicebatur, clausum pacẽ, bellũ vero reseratum indicabat. Hoc memoriæ prodit Plutarchus, in vita Numæ: Est, inquit, Romæ Iani templum duabus portis, quod belli ianuã vocant. Legitimum enim est ipsum aperiri, cum bellũ sit, in pace autẽ claudi, quod certè difficile aut etiam raro factum, cum aliquo bello semper imperium suspensum teneatur. Hæc ille. *Iani templi quoties clausum.* Plutarchus.

Ante Augusti tempora, bis tantũ clausum, refert Suetonius, in vita Augusti his verbis; Ianum semel atque iterum, à condita vrbe, ante memoriam suam clausum, Augustus clausit. Fuit autem clausum ante Augustum, semel tempore Numæ. Numa enim Rege (ait Plutarchus) neque vllum diem apertum visum est, sed tres & quadraginta annos continuos, clausum mansit. Atqui nondum Romanum imperium, tam longè, lateque patebat, ideoque non mira Pax Numæ. Iterum clausum est (vt idem Autor testatur) M. Atilio, & T. Manlio consulibus, haud magno temporis spatio. vno anno fuisse clausũ, scribit Orosius, lib. 4. c. 12. fuit hic annus vrbis conditæ, vt ait Onuphrius, 519. quo post primum bellum Punicum, Iani templum secundo est obseratum, Suetonius. Plutarchus. Orosius. Onuphrius.

At Augustus, vt testatur Suetonius, ter idem templum clausit. Primò post victoriam Actiacam, quam apud Actium Epiri promontorium de Antonio reportauit: Anno (ait Orosius, lib. 6. capit. 20.) ab vrbe condita. 725. Cæsar victor ab Oriente rediens, octauo idus Ianuarij, quo die nos Epiphaniam Domini celebramus, vrbem triplici triumpho ingressus est, actum primum ipse Iani portas, sopitis omnibus, finitisque bellis ciuilibus, clausit. Hoc die primũ Augustus consalutatus est, atque ex eodem die summa rerum penes vnum cœpit esse, & mansit: quod Græci monarchiam vocant. Hæc ille. Secundo Ianum clausit Augustus, post victoriam Cantabricam. Anno enim ab vrbe condita (scribit Orosius cap. 21.) 726. Cæsar. parum in Hispania perducentos annos actum intelligens, si Cantabros, atque Astures, duas fortissimas gentes Hispaniæ, suis vti legibus sineret, aperuit Ianiportas, & in Hispaniã ipse cũ exercitu profectus est. Cantabricæ autem victoræ, hunc honorem detulit, vt tunc quoque belli portas claustro cohiberi iuberet. Ita tunc secundò per Cæsarẽ, & quarto post vrbem conditam clausus est Ianus. Hæc idem Orosius. Tertio Ianum clausit, post alia bella, anno ab vrbe condita eodem autore, 752. cunctis gentibus vna pace compositis. Oros.

Hisdictis ad quæstionem reuertamur. Cui Orosius respondet, Eo anno, quo Christus est ortus, Iani fores fuisse clausas. Nam clausas ait anno ab vrbe condita 752. is autem est natalis annus Christi, vt est exploratum ex Martyrologio Romano. vt alios omittam autores. Idem docet lib. 1. c. 1. his verbis: Natiuitas Christi fuit anno Imperij Cæsaris 42. cũ facta pace cum Parthis, Iani portæ clausæ sunt, & bella toto orbe cessauerunt. Et lib. 7. in fine cap. 2. Annus, inquit, natiuitatis Christi, quantis, quam nouis quãque inusitatis bonis abundauerit, satis etiam, me nõ proferẽte, compertum haberi arbitror. Toto terrarũ orbe, vna pax omnium, non cessatione sed abolitione bellorum, clausæ Iani Gemini portæ, extirpatis bellorum radicibus, non repressis. Census ille primus & maximus fuit, cùm in hoc vnum Cæsaris nomen vniuersa magnarum gentium creatura iurauit, simulque per communionem census, vnius societatis effecta est. Hæc Orosius. Oros.

Verum Cardin. Baronius, in Annalibus Dionem historicum secutus; aliud sentit. Quod spectat, in quit, ad Iani fores, ab Augusto ter clausas, quàm longè id ante Christi natalem diem acciderit, ex Dione, Card. Baronius.

qui res Romanorum per ſingulos annos deſcripſit, facile intelligemus. Primo enim poſt Actiacum bellum, Auguſto quintum, & ſexto Apuleio conſulibus, idem imperator Iani portas clauſit. quibus iterũ reſeratis bello Cantabrico, rurſum eo feliciter confecto, ſunt occluſæ, eodem Auguſto nonũ, & M. Silano conſulibus. Sed ijſdem Cantabris ſæpius rebellantibus, ac Germaniæ populis tumultuãtibus, apertis denuo, Ælio Tuberone, & Fabio Max. conſulibus, ab eodem iuſſę ſunt claudi. Verùm ne id fieret, Daci Iſtrum trãgreſſi, fuerunt impedimento. Hęc ex Dione. Cuius autoritate conſtat, primò ante annos 27. ac iterũ ante annos 23. quam Dominus naſceretur, Iani fores occluſas eſſe. Demum ante annos decẽ de iiſdẽ claudendis fuiſſe decretũ. Hęc Baronius,

At ego non tantam fidem, iis qui circumferuntur faſtis, aut Græco Dioni tribuo, vt propterea à ſententia grauis & antiqui ſcriptoris Oroſij diſcedã, qui diui Auguſtini hortatu præclarum illud opus, fideliter, ac diligenter ſcripſit. Cõcedamus non eſſe clauſum Iani templum, illo tempore propter Da cos. At claudi potuit victis Dacis, ita vt natali anno Domini fuerit obſeratum. Suetonius enim ter clauſum ab Auguſto ſcribit, cui repugnat Cardinalis, cum bis tãtum ab Auguſto clauſum velit, quod ſi ter, cum Suetonio, velit, cum Chriſtus natus eſt tertio clauſum dicimus. Præterea, ratio fidem facit dictis Oroſij. Veriſimile enim eſt, tunc Auguſtum Cæſarem, orbem vniuerſum deſcribi iuſſiſſe, cũ vniuerſus pace fruebatur; Iniq́ue portæ erant clauſæ. Veriſimile quoq; eſt, Chriſtũ, penes quem belli pacisq́ue imperium eſt, ſiquidem tempore magnæ pacis naſci voluit, voluiſſe quoque magnæ pacis celeberrimum ſignum, id eſt, Iani occluſionẽ, tantæ paci non deeſſe. Denique hoc videtur ſignificare D. Lucę exordium illud: *Exĳt edictum à Cæſare Auguſto, vt deſcriberetur vniuerſus orbis*; Videlicet, quia vniuerſus illi parebat. Quod ſi vniuerſus parebat, nulla regio cum Romano imperio bellum gerebat.

A

B

C

D

CAPVT XIII.

De Signis Natiuitatis Chriſti.

ADmirabilem Chriſti Natiuitatem nonnulla ſigna præueniſſe referuntur, quæ quam vera ſint; operæ pretiũ erit conſiderare. D. Thomas. 3. p. q. 36. art. 3. Credibile, inquit, eſt, in alijs partibus mũdi aliqua indicia Natiuitatis Chriſti apparuiſſe, ſicut Romæ fluxit oleum, & in Hiſpania apparuerunt tres ſoles, paulatim in vnum coëuntes. Abulenſis in prologo D. Hieronymi in Geneſ. cap, 7. Illa nocte natalis Chriſti fons olei manauit in Ciuitate Romana trans Tyberim, & floruerunt vineæ Engaddi illa nocte in terra Iudææ.

D. Thom.

Abulenſis.

Innocentius.

Signa Natiuitatis Chriſti, quæ diuerſi commemorant autores.

Innocentius ſermon. 2. de natali Domini; Fertur Auguſtum in cœlo vidiſſe Virginẽ geſtantem filium ad oſtenſionem Sibyllæ; Et ex tunc prohibuit, ne quis eum Dominum appellaret: quia natus erat Rex Regum, & Dominus dominantium, Fons olei per totum diem de taberna largiſſimus emanauit, ſignãs, quod ille naſceretur in terris, qui vnctus erat oleo præ conſortibus ſuis. Templum pacis funditus corruit. Romani ſiquidẽ, pro pace, quæ orbi ſub Auguſto imminebat, templum pacis conſtruxerunt, de quo conſulentes quamdiu deberet durare, reſponſum eſt: Donec Virgo pariat, qui dixerunt; Ergo erit æternum, quia nunquam Virgo pariet, ſed in hora Dominicæ natiuitatis funditus corruit.

D. Anton.

D. Anton. prima parte hiſtorię, tit. 4. c. 6. §. 10. Natus eſt Chriſtus eo tempore, quo erat pax in toto orbe, quod nunquam contigerat, à tẽporis mortis Numæ Pompilij, ſecundi Regis Romanorum, vſque tunc. Sed ſemper fuerunt Romani in prælijs, niſi per vnum annum. Quod Romani induſtriæ Octauiani tribuentes, voluerunt eum vt Deum venerari. Sed imperator non aſſenſit. Cumq́ue populus ſuper hoc ei importunus eſſet, vt dicit Innocentius, Sibyllam prophetiſſam aduocauit, ſcire volens per oracula eius, an alius maior eo eſſet naſciturus. Cum ergo in die natalis Chriſti, conſiliũ ſuper hanc rẽ cõuocaſſet, & Sibylla in Camera imperatoris oraculis inſiſteret: in die media, circulus aureus apparuit circa Solẽ, & in medio Virgo pulcherrima, puerũ geſtans in gremio. Quod Sibylla Cæſari oſtendit, eiq; dixit; Hic puer maior te eſt, ideo ipſum adora. Auditaq; eſt vox dicẽs: *Hæc eſt ara cœli*. Vnde & illa Eccleſia, vbi tũc erat palatium Octauiani, ſcilicet in capitolio, & nũc eſt Eccleſia & conuentus ordinis minorũ, qui dicitur hodie Sancta Maria ara cœli. Hæc ille; Addit, quod ex Innocentio diximus de templo pacis.

D. Bonauentura in libro de quinque feſtiuitatibus pueri Ieſu. Multis, ait, ſignis, & prodigijs, ſecundum Doctorum ſententiam, & doctrinã, eſt Chriſti Natiuitas comprobata. Nam in Ciuitate Romana muri templi pacis funditus corruerunt, Sodomitę in toto orbe morte ſubitanea interierunt, vineæ Engaddi illa nocte floruerunt, & fructum balſami protulerũt, fons aquæ mutatus eſt in fontem olei, & fluxit vſque in Tiberim, & manauit tota nocte illa. Tres ſoles apparuerunt in Oriente, & paulatim in vnum corpus ſolare ſunt redacti, in die media circulus aureus apparuit circa ſolẽ, & in medio circuli virgo pulcherrima puerum geſtans in gremio, &c.

D. Bonauent.

In ſermone de natiuitate, qui habetur in fine operum D. Bernardi, & apud Surium tom. 6, autor non vulgaris; Fons, inquit, olei de terra erumpit, templum Romæ, quod vocabatur æternum, corruit, omnibus impenſis & vrbis, & orbis, mirabiliter conſummatum. Dum enim Romani in victorioſæ antiquitatis memoriam, templum ſingulari ſchemate facere decreuiſſent, ab omni illa dæmoniorum multitudine quæſierũt, vſque quo durare poſſet tam excellentis operis operoſa conſtructio? Reſpõſum eſt, dõnec virgo páreret. Illi ad impoſſibilitatem oraculum retorquentes, templum æternum, ſolennem illam machinam vocauerunt. Nocte autem natiuitatis ita cecidit, & confractum eſt illud murale & columnarum opus, vt vix appareant veſtigia ruinarũ.

Epiſcopus Petrus de Natalibus in catalogo: Natiuitas Domini primò declarata eſt per cœlũ in parte orientali. Nam ipſa die natiuitatis, vt habetur in chronicis, tres ſoles in oriente in cœlo apparuerunt, qui paulatim in vnum corpus ſolare redacti ſunt. Per quod innuitur, quod trini & vnius Dei notitia mundo oriebatur. Item, in parte occidentali, nam vt ponit Oroſius, cum Romani Octauianum pro Deo adorare vellent, ille triduanas inducias petijt. Sibyllam aduocauit, & conſuluit. Cui die natalis Domini in Camera Cæſaris oranti, media die circulus aureus apparuit circa ſolem, & in medio Virgo puerum geſtãs, & literis aureis inſcriptũ. *Hæc eſt ara filij Dei viuentis*. Tunc Sibylla viſionem Auguſto oſtendit, & puerum illum Dei natum dixit, quem Auguſto maiorẽ eſſe aſſeruit, quem imperator adorans, eidem ſacrificauit, in quo loco nunc ædificata eſt Eccleſia, quæ dicitur Sancta Maria ara cœli.

Petrus de Nat.

Secundo oſtenſa eſt per elementum ignis, qui ea nocte per totum orbem cunctos Sodomitico vitio laborantes extinxit, vt dicit Hieronymus in Gloſſa ſuper illud Iſaiæ 9. *Lux orta eſt eis*. Tertio per elementum aëris, nam vt dicit Chryſoſtomus ea nocte

ste Magis super montem Victorialem orantibus, stella in aëre de nouo producta apparuit. Quartò, per elementum aquæ. Vt enim testatur Innocetius, fons aquę, qui de taberna meritoria, vbi nunc est Ecclesia Sanctæ Mariæ trans Tyberim, Romæ consurgebat, in liquorem olei versus, tota die natiuitatis, vsque ad Tyberim profluxit. Quintò per elemẽtum terræ, scribit namque Damascenus super illud verbum Psalmi; *Nox sicut dies illuminabitur*, quòd istud nocte natiuitatis impletum est, quæ nox, in hora natiuitatis eiusdem, videlicet media nocte, in claritatẽ diei conuersa est. Et quia ipsa lux, ad patres, qui erant in limbo, descendere nõ poterat, terra se in pluribus locis aperuit, & per eius rimas lux ad patres vsque descendit, & tunc impleta est prophetia: *Populus, qui habitabat in tenebris, vidit lucem magnam.* *Isaiæ 7.*

Sextò, per creaturã compositam, vt sunt lapides, & metalla. Nam vt ait Innocentius, templum pacis tempore Romuli extructum, nocte natiuitatis cum idolis corruit. Legitur etiã quod Hieremias propheta, in Ægypto signum regibus Ægypti dedit, quod illorum idola corruerent, cum virgo filium pareret. Vnde sacerdotes idolorum, imaginem virginis filiũ gestantis, in sacro loco templi, statuerunt, quæ prophetia in nocte natiuitatis impleta est. Septimò ostẽsa natiuitas per creaturam, quæ habet esse, & viuere, vt sunt plantæ. In hac enim nocte, vt scribit frater Bartholomæus, vineæ Engaddi, quę proferũt balsamum, præter consuetum tempus frondes, flores, & fructum protulerunt. Hæc ille.

Vt summatim dicam 9. numerantur natiuitatis Christi præsagia. Primum templi pacis subita ruina. Secundum tres soles in vnum coëuntes. Tertium fons olei. Quartum vineæ Engaddi florentes. Quintum virgo infantem gremio gestans, quam Augusto Sibylla ostenderit. Sextum omnium Sodomitarum toto orbe repentina inflammatio, atque interitus. *Octo signa natiuitatis.* Septimum stella Magis ostẽsa. Octauũ splendor media nocte exortus, & in limbũ vsque dehiscente terra immissus. Nonum Simulachrorum in Ægypto casus. Quid veritatis habeant singula, inuestigemus.

In primis primum signum veritatis parum videtur habere, vt vidit Card. Cæsar Baronius, in suis eruditissimis annalibus. Nullum enim templum pacis, Romæ ante Christum natum apud classicos scriptores reperitur extructum. Post Christum, Vespasianus Iudæis domitis, templum pacis, Romæ exędificauit, vt autor est Iosephus libr. 7. de bello capit. 24. Post triumphum, inquit, & Romani imperij firmissimum statum, Vespasianus paci templum ædificari decreuit. Itaque mira celeritate, & quæ hominum cogitationem superaret, effectum est. Magna enim diuitiarum largitate vsus, insuper perfectis id picturæ, ac figmentorum operibus, exornauit. Omnia namque in illud fanum collecta ac deposita sunt, quorum visendorum studio per totum orbem, qui ante nos fuerunt, vagabantur. hic reposuit etiam, quæ Iudæorum fuerant instrumenta, &c. Quòd si quis velit aliquod pacis templum, Romæ antè Christum fuisse, cuius scriptores non meminerint, & hoc corruisse, non ego cum illo magnopere pugnabo. Sed cum nulla mirabilis huius ruinæ apud Hieronymum, Eusebium, Orosium, & alios antiquos autores mentio fiat, non omnino assentiar. *Primum signum an sit verum.* *Iosephus.*

Secundum signum verum est. Sed nec ea nocte, nec eo anno, si Eusebij chronico credimus, cõtigit, quo Christus est natus. Nam Eusebius, in Chronico, anno Iulij Cæsaris extremo, ante Christi Natiuitatẽ, circiter quadragesimum secundum scribit, Romæ tres soles exortos, paulatim in eundem orbem coiuisse. Orosius verò libro sexto, capite 18. Cùm Augustus Cæsar, paulò post Iulium Cæsarem interfectum, ex Apollonia rediens, Romam ingrederetur, multò etiam ante Christi Natiuitatem, ait, hora circiter diei tertia, repente liquido ac puro cœlo, circulum in speciem cœlestis arcus, orbẽ solis ambijsse. Quasi vnum eum Augustum, ac potentissimum, solumque clarissimum, in orbe monstraret, cuius tempore venturus esset, qui ipsum solem, mundumque totum fecisset, & regeret. Idem scribit Dion. lib. 45. Seneca lib. 1. natur. quæst. cap. 2. Suetonius in vita Augusti cap. 95. Plinius libr. 2. cap. 28. Cernũtur, ait, circa solis orbem versicolores circuli, qualiter Augusto Cæsare in prima iuuenta vrbem intrante, ad nomen ingens capessendum. Dion. lib. 45. multa addit prodigia, è cœlo decidentia fulmina: quorum nonnulla Iouis templum, percussere ab oriente, in occidentẽ, discurrentem lampadem nouã stellam multis diebus conspectam, solem triplici præcinctum circulo, quorum vnus ignita spicarum corona circundatus erat. Hæc autem omnia ante Christi Natiuitatem sub initium imperij Augusti contigere. *Secundum signum.* *Eusebius.* *Orosius.* *Dion Seneca. Sueton. Plinius.*

Tertium quoque signum verum est, sed Eusebius in chronico, non eo anno illud signauit, in quem Christi natalis dies incidit, id est, anno 42 Augusti, sed multò ante, id est anno Augusti tertio. Neque vero Eusebius, neque Orosius aiunt, fontem aquæ in oleum conuersum esse, quod scripsere D. Bonauẽ. & Petrus de natalibus. Eusebij quidem verba hæc sunt; E taberna meritoria, trans Tyberim, oleum è terra erupit: fluxitque toto die sine intermissione, significans Christi gratiã ex gẽtibus. Orosij vero hęc, In diebus Augusti, fons olei largissimus, de taberna meritoria per totum diẽ fluxit, quo signo quid euidentius, quã in diebus Cæsaris Augusti, futura Christi natiuitas declarata est? Christus enim vnctus interpretatur. Hæc ille. Nam quamuis hoc signũ Domini natiuitatem per aliquot annos præcesserit, illam tamen futuram præmonstrabat, vt volunt Eusebius & Orosius. *Tertium signum.* *Eusebius. Orosius.*

Quartum Signum, de vineis Engaddi, quod referunt Abulẽsis, D. Bonauen. & Petrus de natalibus, incertum est vnde sit sumptum, quemadmodum & sextum de Sodomitarũ incendio, & interitu, cuius meminit D. Bonauen. & Petrus de natalibus. Nam illam Hieronymi glossam, quã Petrus de natalibus refert, ego quæsitã non reperi. Octauum signum, splẽdoris nocte illa fulgẽtis, & ad inferos vsque delapsi: nonum quoque simulachrorum in Ægypto euersorum, iuxta Ieremiæ prophetiam, non multum habent certitudinis. De hoc signo nono D. Dorotheus martyr in synopsi sic scribit: Ieremias signum dedit sacerdotibus Ægyptiacis, quod oporteat simulachra eorum concuti, & decidere, per seruatorem puerum ex Virgine nasciturũ, & in præsepio iaciturum. propterea etiam nunc Virginem in lecto, & infantẽ in præsepio collocant, & adorant. Et cũ causam olim Ptolemæus Rex percõtaretur, responderunt, mysterium esse, ipsis à maioribus traditum, quod illi à sancto propheta acceperint. Hæc Dorotheus. An autem simulachra Ægypti in natiuitate ceciderint, incertũ est, tunc cecidisse cum virgo cũ infante Christo Ægyptum est ingressa verisimilius, vt infra dicemus. *Quartum signũ, sextum, septimum, octauum, & nonum.* *D. Doroth.*

De septimo, id est, stella à Magis conspecta. suo loco dicemus. Restat quintum Virginis infantem gestantis, quam Sibylla Augusto indicasse dicitur. huius quoque antiqui patres non meminere. Obstatque illi, quod Sibylla nulla, Augusti extiterit tẽporibus. Si verum fuit signum (quod me latet) dicta est sibylla, fœmina aliqua sibyllæ similis, quæ Augusti ætate extiterit. Card. Baronius in Apparatu exponit, sibyllã pro sibyllinis libris vsurpari, quos Augustus legit. Cur Ara cœli templum Deiparæ Virginis, Romæ vocatum sit, aliam reddit rationem idem *Signum 6.*

Nicephorus Cardinalis: Etenim Augustus, vt scribit Nicephorus lib. 1. cap. 17. ad Oraculū Pythij Apollinis venit, hecatombe sacrificio oblato, quæsiuit, quisnam post eum Romanum administraturus esset imperium? At cum nullum ederetur responsum, alterum adiecit sacrificium, denuoque rogauit, quid ita oraculum conticuisset: tunc ad hunc modum respondit.

Me puer hebræus, Diuos Deus ipse gubernans,
Cedere sede iubet, tristemque redire sub orcum.
Aris ergo dehinc tacitus abscedito nostris.

Tali responso accepto, Cæsar Romā est reuersus, atq; ibi in capitolio, arā maximā extruxit, cum huiusmodi inscriptione: Ara primogeniti Dei. Hæc ex Nicephoro. Quæ eadem Suidas scribit in Augusto.

Putatur (ait Card. Baronius) hic ille esse locus in capitolio, è regione rupis Tarpeiæ, vbi nobilissimū templum antiquitus, vt creditur, à Constantino in memoriam Dei Genitricis erectum est: atque prædicta ex causa: Ara cœli, titulo, nuncupatum. Vel, quòd aiunt: Dei genitricem, infantem in vlnis habētem, monente sibylla, sublimem in aëre, ab eodem Augusto illic esse conspectam. Quod tamē ita velim intelligant, qui ei rei maiorem fidem adhibendam putant, quam iis quæ ex græcis autoribus recensuimus, non quòd sibylla aliqua, Augusti temporibus, quæ eum hæc docuerit, superstes fuerit, sed sic accipiendum, vt ea ipsa Augustus à sibylla, hoc est, à sibyllinis carminibus, acceperit, &c.

CAPVT XIV.

De Itinere Deiparæ, & loco in quo Christum peperit.

Nazareth quot leucis distet à Bethlehem.

AVgusti Edicto vt obediret virgo intemerata, à ciuitate Nazareth iam propinqua partui felicissimo, in ciuitate Bethlehem, simul cum Iosepho, profecta est. confecit vero iter plusquam leucarum triginta. Vt enim scribit Aranda, in prologo libri de terra sancta, Nazareth ab Ierusalem 30. leucis distat. Borchardus ait, distare 17. At Bethlehem ab Ierusalem distat leucis fere duabus. Iter pedibus forsitan fecit, Etenim onus illud quod ferebat, leue erat; infans ille, matrem non onerabat, sed roborabat. Sola (ait Bernard. in sermon. de verbis Apocalypsis: Signum magnum apparuit in cœlo) sola virgo, sine corruptione concepit, sine grauamine tulit, sine dolore filiū parturiuit. & Fulgentius in ser. de laudibus Deiparæ: Nulla fieri grauedo potuit cōcipiēti, Nulla tristitia parturienti, cum esset grauida, salubri leuitate plaudebat, lumen enim, quod intra se habebat, pondus habere non poterat. Ioannes Maior: Parum, inquit, aut nihil oneris. Virgo inter ambulandum in fœtu (vt puto) sentiebat, agilitatis dote grauidatis pondus fuit ademptum diminutúmve.

D. Bernard. *Fulgentius. Virgo sine grauamine Christum vtero tulit.* *Maior.*

Ludolphus. Ludolphus præterea, in vita Christi, ex eo colligit, Virginem grauidam corporis grauitatem non sensisse, quòd partui vicina tantum iter peregerit: Ex hoc, inquit, loco colligitur, quod beata Virgo, licet grauida esset, & iam vicina partui, non tamen ex hoc grauabatur in corpore. quia vt dicit August. serm. 11. de natiuit. Cū esset grauida, salubri leuitate plaudebat, &c. Sermo ille. 11: August. à Louanien sibus, Fulgentio, vel Seueriano, tribuitur. Denique facile potuit Virgo iter hoc conficere, etsi grauida, quoniam, vt ait Bernardus loco citato: illud molestissimum tedium, quo omnes grauidæ laborare noscuntur, sola non sensit, quæ sola sine voluptate concepit

Virgo an pedibus iter fecerit, Pedibus confeciſſe iter ſentit autor ſerm. de Natiuit. qui Chryſoſtomo aſcribitur tom. 2. Ioſeph (ait ille) & mater Domini non habebant ſeruum, nō ancillā, de Nazareth ſoli veniunt. Nō habebāt iumentum, &c. Lyranus, & Carthuſian. putant aſino vectā, & Ioannes Maior: Aſino, inquit, vt memoriæ proditum eſt, Virgo vehebatur. Hinc commemorāt aſellum illum, nobiliſſimum pondus portaſſe, &c.

Lyranus. Carthuſian.

Siue pedibus ſiue iumento peracta via, in Bethlehem, deſcriptionis tempore, Deipara cum Ioſepho peruenit, admirando vt partu ciuitatem in omnē æternitatem nobilitaret. Diſtabat Bethlehē verſus Auſtrum, ab Hieruſalem (autore Hieronymo de locis hebraicis) milliaribus ſex, quocirca credibile eſt, Virginem Ieroſolymitanum prius templū, orationis gratia, adijſſe: Bethlehem deinde petiuiſſe. Appellatur autem hæc ciuitas Dauid, quod illius patria fuerit. Duplex enim inuenitur ciuitas Dauid. Altera in monte Sion ſita, pars Ieruſalem, de qua legitur, *Cepit Dauid in arcem Sion.* Habitauit autem Dauid in arce, & vocauit eam ciuitatem Dauid, & ædificauit per gyrum à Mello, & intrinſecus, &c. Altera Bethlehem, in qua eſt natus, Eximium ſanè virum. Bethlehem protulit, Dauidem Regem clariſſimum. meritoque à tanto alumno nomen inuenit, & ciuitas Dauid dicta eſt, ſed vmbra fuit hic Dauid Dauidis noſtri. Si Bethlehem illuſtrauit vmbra, quanto magis Sol illuſtrauit ſplendidiſſimus, in ea exortus?

Duplex ciuitas Dauid. 2. Reg. 5.

Vere ciuitas Dauidis noſtri, id eſt, Chriſti, dici poteſt Bethlehem, Vere mundi Oriens poteſt appellari. Siquidem vt in Oriente Sol, ita in Bethlehē Sole rutilantior Chriſtus exortus eſt. Exiguę ciuitati, maxima Roma potuit inuidere. Si fortiſſimorū illa fuit patria virorum; Bethlehem patria eſt Chriſti, cū quo ſi omnes, quos Roma peperit, conferantur, nullius momenti exiſtimabuntur. Sedebat in celſo Romani imperij culmine Auguſtus, iacebat in humili ſtabulo Chriſtus, at celſior in ſtabulo Chriſtus, quam in culmine imperij Auguſtus. Immo nihil eſt, ſi cum nato infante comparetur, ſenex Auguſtus. Merito Prudentius, tanti Regis patriam, etſi non admodum magnum, magnis vrbibus illo carmine anteponit:

Celſior in ſtabulo Chriſtus quam Auguſtus in throno.

O ſola, magnarum Vrbium
Maior Bethlehem, cui contingit,
Ducem ſalutis, cœlitus
Incorporatum gignere.

Prudentius. Bethlehem vrbium maxima, orbis metropolis, Chriſti patria. Nazianz.

Et Gregorius Nazianzenus orat. 19. Orbis metropolim vocat, Bethlehē, ait, nulla res prohibuit, quominus ſimul & parua ciuitas eſſet, & totius terrę metropolis, Vtpote Chriſti orbis conditoris, ac victoris parentem. Hieron. epiſt. 19. Ecce in hoc paruo terræ foramine, cœlorū conditor natus eſt, hic inuolutus pannis, hic viſus a paſtoribus, hic adoratus à Magis. Sanctior locus eſt, rupe Tarpeia, quæ de cœlo ſæpius fulminata, oſtēdit, quòd Deo diſpliceat, &c. Cōſonāt iis, prophetæ Michææ verba illa, quæ Math. refert: *Et tu Bethlehē terra Iuda, nequaquā minima es, in principibus Iuda, ex te enim exiet dux, qui regat populū meū Iſrael.*

D. Hieron. *Mich. 5. Matth. 2.*

De hac mundi metropoli ſic ſcribit Borchardus 1. part. cap. 7. §. 56. Ab Ieruſalē, duabus leucis cōtra Auſtrū, ſita eſt Bethlehem, in mōte, non tamen excelſo. Mons quidē arctus eſt, extendēs ſe in lōgitudine, ab oriente in occidentē, ab occidente patet ingreſſus. In fine orientali, ſub rupe quadā exiſtente tunc temporis, iuxta parietē vrbis (& videtur, ſecundū illarū regionum morē, fuiſſe locus pro ſtabulo, habēs præſepe exciſum in rupe, vt moris eſt illic diſponere præſepia) ortus eſt de Virgine Chriſtus. Iuxta rupem prædictam alia eſt capacior, quatuor tantum pedibus diſtans, ſub qua excauatū præſepe fuerat, in quo Dominum virgo reclinauit. Videtur tamen mihi, vtramq; rupem vnam fuiſſe, ſed oſtio facto diuiſa eſt, per quod in chorū, ex capella, in qua eſt natiuitatis locus, aſcenditur; Hæc Borchardus.

Bethlehem in monte ſita. *Borchardus.*

Beda

Beda. Beda in lib. de locis sanctis, c. 8. Bethlehē in dorso fita est angusto, ex omni parte vallibus circumdato, ab occidente in orientem, mille passibus longa, humili, sine turribus muro. in cuius orientali angulo, quasi quoddam naturale semiantrum est, cuius exterior, natiuitatis dominicæ fuisse dicitur locus: interior Domini præsepe nominatur, &c.

In spelunca natus est Christus.

In hoc antro beatissimo, sub hac beatissima rupe, Christum peperit Virgo; ideoque Patres, in spelūca peperisse aiūt. *D.* Iustinus Martyr in dialogo: Quoniā, inquit, Iosephus nō habebat in vico illo, vbi diuersaretur, in spelunca quada, quæ vico propinqua erat, diuersatus est. Ibi cum esset Maria Christū peperit, &c. *D.* Epiphanius hæresi 51. *D.* Lucas dicit, puerum iacuisse in præsepio, & in spelunca, eo quòd nō esset locus in diuersorio. *D.* Hier. Epist. 17. Quo sermone, qua voce spelunca tibi possumus Saluatoris exponere? & illud præsepe, in quo infantulus vagijt, silentio magis, quam infimo sermone honorandum est. Spelunca quoque Origenes lib. 1. contra Celsum vocat. Et Nyssenus in orat. de Christi Natiuitate.

D. Iustinus. *D. Epiphan.* *D. Hieron.* *Origenes Gregor. Nyssenus.*

Diuersorium appellatur spelunca.

Dubium est; An D. Lucas, hanc speluncam, diuersorium appellet, cum ait; Et reclinauit eum in præsepio: quia non erat eis locus in diuersorio. An verò diuersorium appellet, domum aliam, in qua quia locus defuit, in speluncam se Virgo abdidit? Respondetur, explanationem priorem esse probabiliorem; Reclinauit eum in præsepio, quia non erat eis locus aptior, in quo infantem collocaret; In diuersorio, id est, in spelunca illa. Dicitur autem spelunca diuersoriū, quia ad illā diuerterat Virgo cum Ioseph, vel quia ad eam alij quoque diuertere solebant. Fuit hęc spelunca, & rupes, extra ciuitatē; ipsi muro adiacēs, ab hominum turba atq; oculis semota, vt abditissimum mysterium abdito in loco ederetur.

De præsepio, Borchardus Magister. D. Chrysost.

De præsepio quoq; dubitatur: Num in rupe fuerit excisum, vt Borchardus ait? nam magister historiæ arbitratur, præsepe à Iosepho fuisse constructū, quæ sententia est etiam Lyrani. Luteum fuisse existimat Chrysostomus (si tamen Chrysostomus ille est) in oratione de Natiuitate Christi. Nos, inquit, quasi pro honore, tulimus luteum, & posuimus argenteum, sed mihi pretiosius est quod ablatum est, &c. Respondetur, præsepe fuisse lignеum, quod Roma nunc possidet, vt ait Baronius lib. 1. annalium, eoque multo felicius illustratur, quā olim Romuli tugurio. *Dionys. Halic.* de quo Dionysius Halic. lib. 1. hæc scribit, Remus & Romulus vitā degebant pastoritiam, humiles compingentes casulas, ex lignis & arundine, quarum vnam vt sacram seruant, quibus id mandatū, est nihil addentes ornatus gratia. Quod si in rupe excisum præsepe fuit, vt ait Borchardus, addita illi ligna sunt.

CAPVT XV.

De admirando Virginis partu.

Gen. 3. Bernardus. *Nyssen.*

ILluxit tandem mundo, splendidissima nox, vigesimę quintę diei mēsis Decembris, illuxit, inquā, quia clarissimum orbi solem edidit. Latebat sub rupe, in spelunca inops, opulentissimaque Virgo, & nocte intempesta, altissimæ vacabat rerum diuinarū contemplationi. Tunc non prænuncijs partus doloribus, sed prænuntio gaudio excitata, summum mūdi imperatorem peperit. Peperit, inquam, sine dolore. Excepta enim est à lege illa Euæ imposita, *In dolore paries filios tuos*. Sola (ait Bernard. in serm. de verbis Apoc.) inter mulieres virgo fuit à communi maledicto, & dolore parturientium aliena. Nyssenus initio orationis, de Christi resurrectione: Vbi voluptas partum non anteceſſit, neque dolor subsecutus est. Damascen. libr. 4. fidei cap. 15. Virginem dolor non est secutus in partu. Verum quos in partu dolores effugit, passionis tempore sustinuit. Augustinus sermon. 14. de natiuitate: Nec in conceptione inuenta sum sine pudore, nec in parturitione inuenta sum cū dolore, sanctus Hildephonsus sermon. 2. de purificatione: Virgo peperit sine dolore & gemitu, & permansit fœcūda prole. Idem docet Rupertus lib. 13. in Ioannem & alij. Etenim perspicuum est, in eo partu dolorem non potuisse habere locum, in quo locum virginitas habuit, & incorruptio.

Damascen. Virgo sine dolore peperit. D. Augustin. S. Hildephonsus.

Præterea peperit absque obstetrice. Hieronymus aduersus Heluidium: Nulla ibi obstetrix, nulla muliercularum sedulitas interceſſit. Ipsa pānis inuoluit infantē, ipsa & mater, & obstetrix fuit, &c. Imo ipsa Dei omnipotētia fuit obstetrix, ipsa enim ex vētre clauso, admirandum in modum Christum extraxit. Vnde illius hæc vox ad patrem est; *Tu es qui extraxisti me de ventre.* In hanc sententiam Augustinus hæc verba exponit; An, inquit, inde significare voluit partum Virginis, seruata integritate, vt quod mirabiliter factum est, cum Deus fecisse dicitur, nemini incredibile videatur, & Cassiodorus: Ex vtero matris se dicit Christum extractum à Deo, vt ostenderet, natiuitatem illam, dominica virtute perfectam, ne incredibilis videretur Virginis partus.

Rupertes. Psalm. 21. Virgo peperit sine obstetrice Dei omnipotentia Christum ex vtero extraxit. D. Augustin. Cassiodorus.

Tertiò, peperit virgo, clauso sacro vtero, virginitate illæsa. Decebat enim (vt ait Diuus Ignatius in Epistola ad Heronem) creatorem non consueto, sed peregrino, & admirando vti partu, vtpote omnium opificem. Opifex omnium erat, virginitatem matris, quam in conceptione seruauerat, in partu quoque voluit conseruare. Non cogitetur (ait D. Leo sermone 1. de natiuitate) parientis conditio, sed nascētis arbitrium. Quia sic homo natus est, vt volebat, & poterat, &c. Cætera omnia Dei voluntas produxit & potentia, hunc etiam admirandum partum, eadem voluntas effecit, & potentia omnipotens. Natus est (ait D. Leo) vt volebat, & poterat.

D. Ignatius. D. Leo. Peperit Virgo virginitatis flore permanente.

Solent homines & cum concipiuntur, & cum nascuntur, vestigia in parentibus corruptionis relinquere; at Christus ingrediens, & egrediens, ne tenuissimum quidem, læsionis vestigium, in matre impressit; Erat enim non homo solum, sed etiam, Deus, vnde Chrysolog. sermo. 142. Qui ingreditur, inquit, & egreditur, & introitus sui, & exitus, nulla vestigia relinquit: diuinus habitator est, nō humanus. Et qui conceptu suo Virginem seruat, & ortu suo relinquit Virginem, nō terrenus homo est, sed cœlestis.

D. Chrysolog.

Qemadmodum ianuis clausis, Dominus ad discipulos ingressus est, ita ex matris vtero, ianuis clausis est egressus. Augustin. tract. 121. in Ioannem; Moli corporis, vbi diuinitas erat, ostia clausa non obstiterunt. ille quippe non eis apertis intrare potuit, quo nascente virginitas matris inuiolata permansit. D. Greg. homil. 26. in Euāgelia. Quid mirū, si Christus clausis ianuis, post resurrectionem suam, in æternū iam victurus, intrauit, qui moriturus veniens, non aperto vtero Virginis exiuit.

D. Augustin. D. Gregor.

Præterea, vt ex sepulchro, ita ex vētre clauso, prodijt. S. Hildephonsus in serm. de purificatione: Sicut saxeum sepulchri ostium, & peruium, & penetrabile fuit, nec potuit cohibere viuū, quē prius claudebat sub sigillo mortuum: ita & claustrum matricis, & genitale Virginis, cum esset clausum, & signatum sigillo pudoris, cum impleti essent dies pariendi, nō potuit obstare partui, integritas corporis. Nec tamen eguit reserari. Deo totum erat peruium in Virgine, quicquid erat clausum, &c.

D. Hildephonsus.

Similis fuit hęc natiuitas ex matre æternæ illi, qua nascitur ex patre, in vtraque enim incorruptibilitas reperitur. In patre (ait Augustin. sermon. 18. *D. Augustin.*

de tempore) impassibilitas, in matre incorruptibilitas, in patre perpetua diuinitas, in matre æterna virginitas, ex patre inuisibiliter, ex matre visibiliter, & incõparabiliter ex patre, atque incõparabiliter ex matre. Quia incorruptibiliter in illa natiuitate patrẽ Deũ habet sine homine matre; In ista matrẽ habet Virginem, sed hominem non habet patrem, &c.

D. Ambros. D. Ambros. Luc. 2. ad illa verba: Omne masculinum adaperiens vuluã, obstare videbitur. Christus, inquit, qui vuluam sanctificauit alienam, hic est qui aperuit matris suæ vuluam. Exponitur à D. Thoma 3. par. quæst. 28. art. 2. de tali reseratione vteri, quæ clausura virginitatis nõ violarit, Illa, inquit, apertio, non significat reserationem cõmunem, clauistri pudoris virginei, sed solum exitum prolis, de vtero matris. Adde Chrysostomũ in oratione de purificatione; Nulla ait primogenita comperta sunt vnquã, quę aperirent vuluã, quem autem virgo peperit, is solus vterũ aperuit. Origenes quoque hom. 14 in Lucam ad illa verba: Omne masculinum adaperiens vuluã, &c. Omnium, inquit, mulierum non partus infantis, sed viri congressus, vuluam reserat, matris vero Domini, eo tempore vulua reserata est, quo & partus editus, &c. Et Theophylactus: Christus aperuit vuluam Virginis, cum alijs fœminis vir aperiat. Peius loquitur Tertullianus in lib. de carne Christi capit. 23. Virgo, inquit, quantum à viro, non virgo quantũ à partu. Quis proprie vuluam aperuit, quã qui clausam patefecit? cæterum, omnibus nuptiæ patefaciũt. Itaque magis patefacta est, quia magis erat clausa. item; Cum Apostolus non ex Virgini, sed ex muliere, editum filium Dei pronuntiauit, agnouit, adapertæ vuluæ nuptialem passionem. Hæc Tertullianus.

D. Thom. Quomodo dicatur vulua integra aperta. *D. Chrys.* *Origenes* *Theophyl.* *Tertull.*

Virgo clauso peperit vtero. D. August. Certissimum est, Virginea claustra, in partu Virginis, reserata minimè fuisse, & Virginẽ sine dolore peperisse. Non peperisset autem sine dolore, si fuissent reserata. Augustin. in Enchiridio ad Laurentiũ cap. 34. Si vel per nascentem Christũ, corrumperetur Virginis integritas; non iam ille de virgine nasceretur: eumque falso (quod absit) de Virgine Maria natum, tota confiteretur Ecclesia. Quæ imitans eius matrem, quotidie parit membra eius, & virgo est. D. Hildephonsus in serm. de purificatione: Omnis Ecclesia Christi, tam Romana, quam & Græca, sic sua & diuina fidenter canit autoritate, quod peperit virgo sine dolore, quod permansit inuiolata; quoniam eam in omnibus illæsam seruauit Spiritus Sanctus. Item: Clauso vtero ad nos venit, sicut ianuis clausis ingressus est ad discipulos. fides nostra vtrumq; certissimũ tenet, quod & peruia fuerit virginis integritas, nascente Domino; & tamen vterus non fuerit reseratus. & eodem loco in eandem sententiam, hæc D. Ambrosij verba ex hymno refert,

Fit porta Christi peruia,
Referta plena gratia.
Transitq; Rex, & permanet
Clausa vt fuit, per secula.

Beda. Beda Luc. secundo, ad illa verba: Adaperiens vuluam; Non quòd Dominus, inquit, sacri ventris hospitium egressus deuirginasse credẽdus sit, iuxta Hereticos, qui dicunt beatam Mariam virginem vsque ad partum, non virginem esse post partum. Sed iuxta fidem Catholicam, clauso Virginis vtero, quasi spõsus suo processisse de thalamo. Amphilochius in oratione de purificatione: Ad Virginis naturã, quod attinet: portæ virgineæ nequaquam fuerunt reclusæ. Ad nati verò Domini, virtutẽ, quod spectat: nihil est illi occlusum, nihil quod illum impediat, nihil quod interturbet, sed omnia illi sunt aperta, & obuia, &c. Nyssenus in orat. de natiuitate: Virgo lumen parit, & pariendo non corrumpitur. Bernardus in vigilia natiuitatis; O partum solum sine dolore; non

Amphiloc. *D. Gregor. Nyss.* *D. Bernard.*

A reserans, sed consecrans, virginalis vteri templum.

D. Hieron. D. Hierony. libro secundo, contra Pelagianos: Solus Christus, clausas portas vuluæ virginalis aperuit; quæ tamen clausæ iugiter permanserunt. hæc est porta Orientalis clausa, per quam solus pontifex ingreditur, & egreditur. Et nihilominus semper clausa est. *Euthymius.* Euthymius Lucæ secundo: Solus Christus nondum apertam vuluam, supernaturaliter aperuit; & clausam, naturaliter seruauit. Supernaturaliter, ait, Christum aperuisse vuluam Virginis, quia per eam supernaturaliter exijt. clausam vero seruasse naturaliter; quia vt natura clausam fecit, ita clausam reliquit. *Nyssenus.* Diuus Gregorius Nyssenus, in oratione de Purificatione. Solus Christus, nuptijs nõ prius apertam vuluam virginalem aperuit; signacula virginitatis illæsa conseruans, etiam post processum admirabilẽ. Itẽ: Christus virginis vuluã, diuino aperuit miraculo, videlicet quia ex illa clausa egressus est. Ex iis intelliges, quomodo explicari possit hæc propositio; Christus aperuit vuluã matris. Quia scilicet, ex ea egressus est, vt filius vnigenitus; clausam tamen relinquens mirabiliter.

B

D. Zeno, Virgo peperit absque illuuie secundinarum. Quartò. Peperit Virgo absque illuuie secundinarum. Hoc verba sonant D. Zenonis Episcopi Veronensis, serm. 3. de natiuitate: Non mater, inquit, Domini tanti partus pondere exhausta, totis pallens iacuit resoluta visceribus; non filius matris, aut suis est vllis sordibus delibutus. Neque enim reuera, aliquid circa se habere posset immundum; qui humani generis peccata, sordes, & maculas venerat mundaturus. Denique purgationes, quæ sunt tarditate periculosæ, nullo puerum maternorum viscerum prosecutæ sunt damno, &c. Illa etiã D. Hildephonsi, ser-

C

S. Hildephs. mon. 2. de Purificatione: Virgo tanto magis libera fuit à corruptione passionis, à dolore carnis, à sordibus ignominiæ; quanto gratia plena, & incorrupta, quasi Spiritu sancto Domino dedicata, & virtute diuina adumbrata.

Patres in Trullo. Præterea Patres in Trullo congregati canone 79. sic statunt; Absque vllis secundinis, ex virgine partum esse cõfitentes, vt qui sine semine cõstitutus sit; idque toti gregi annuntiantes, eos qui propter ignorantiam, aliquid faciunt, quod nõ decet correctioni

D

subjicimus. Quare quoniam aliqui post Sanctæ Christi Dei nostri natiuitatis diem, similam coquere ostenduntur, & eam sibi inuicem impertiri; honoris scilicet prætextu, secundinarum impollutæ virginis matris; statuimus, vt deinceps nihil tale fiat à fidelibus. Neque enim hoc honor est virginis, quæ supra mentem, & sermonẽ, quod comprehendi non potest Verbum peperit; ex carne, ex communibus, & iis, quæ in nobis fiunt, inenarrabilẽ eius partum, definire, metiri, ac describere. Hæc ille. Non ergo ex iis, Virginis partus est metiendus, quæ fœminis parientibus videmus accidere. Magnum inter hũc, reliquosque partus discrimẽ est. Hac de re plura addemus, cum de purificatione verba faciemus. De perpetua verò Deiparæ Virginitate iam suprà diximus, in morali de Annuntiatione.

E

Quòd si quis roget, quomodo Christus clauso exierit vtero? Is Christum Deum esse cõsideret omnipotentem, cui id fuit facere facillimum. Quemadmodum etiam facillimum fuit, in materiam aliam conuertere secundinas, ne sole puriorem partum quoquomodo contaminarent.

Quintò. Collocauit Virgo Christum in præsepio, quia non erat locus alius, eam ad rem accommodatior, illo in diuersorio. Hæc prima fuere Magni Regis incunabula, inter animãtia rationis expertia, quę diuus Chrysologus, serm. 159. prophetica appellat. Magi, ait, Regem Christum appositũ ante duo prophetica illa iumenta, duorum videlicet populorum

typum

typum gestantia, agnoscunt. *Agnouit enim bos possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui*: Recepta hæc est opinio, & picturis expressa. In medio duorum animalium (ait Ecclesia) iacebat in præsepio, & fulgebat in cœlo. Item: O magnum mysterium, vt animalia viderent Dominum natum, iacentem in præsepio.

Isaiæ 1. In Resp. 5. Circumcisionis. *In Resp. 4. Natiuitas.*

Sed vnde nam illa, illo in loco animalia? D. Bonauentura & D. Vincētius aiunt, Ioſephum in Bethlehem, bouem, asinumque duxisse. Lyranus adiunxit, asino vectam Deiparam Virginem; bouem ductum vt venderetur. Historiæ Magister; Fortè, inquit, ibi Ioseph præsepium fecerat boui, & asino, quos secū adduxerat; in quo repositus est Iesus. Ad quod quidam referunt illud Isaiæ: *Cognouit bos possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui.* Et illud Abacuc: *In medio duorum animalium cognosceris.* Etiam in picturis quæ sunt quasi libri laicorū, repræsentatur nobis. Hæc ille. Chrys. in hom. de Natiuitate, putat Ioseph & Virginē iumēto caruisse; Ioseph, inquit, & Mater Domini nō habebant seruum, non ancillam, de Nazareth soli veniunt; non habebant iumentum, &c. Quod si verum est, potuerunt iumēta illa aliena esse. Vnde Carthusianus Luc. cap. 2. Ioseph, inquit, bouem & asinum secum fertur duxisse, vehens Virginem super asinum; & bouem pro necessarijs in itinere vendere volens. Quamuis aliqui putent animalia illa, aut saltem bouem, aliunde fuisse adducta. Ioseph ū duxisse bouem, vt venderet, non admodum verisimile est. Alienus ergo bos erat, & forsitan etiam asinus.

D. Bonauent. D. Vincētius. Lyranus. Magister histor. *Isaiæ 1. Abac. 3. Bos & Asinus in præsepio. Chrysostomus.* *Carthus.*

Franciscus Soares, in commentarijs 3. part. quæst. 35. disputat. 13. sect. 3. arbitratur, infantem Christū cum primum ex vtero prodijt, angelorum manibus fuisse exceptum, & in brachijs Deiparæ collocatum. Ego verò crediderim, pro incredibili humilitate sua, Christū in nudā se abiecisse humum, atque hūc primū fuisse locū, quem ante virginis brachia tenuit. Videlicet, tantæ humilitatis pōdus petiuit humū, cognata est humo humilitas, vnde nomē habet.

Soares. Christus natus in nudā se abiecit humum.

Simon de Cassia, libr. 1. cap. 4. parientem Virginē nube, ne ab vllo cerneretur obtectā ait: Cæterū, non fuit nube opus illi, quæ absque dolore, gemitu, puerperijque sordibus, temporis breui spacio peperit.

Simon Cassianus.

Idem autor eodem lib. 1. cap. 6. putat pannos, quibus Dominus est inuolutus, nō fuisse à Virgine præparatos. Vilibus, inquit, tegumentis inuoluitur, quę vt piè creditur, nec præparata erant præuisione parentum, sed aut erant illi panniculi ex velamētis virgineis, aut fortè mutuatis. Hæc ille. Verisimilius est præparatos à Deipara pannos. Qua de re Dionysius Carthusianus in Lucam sic scribit. Cōmuniter, ait, asseritur, quod pānis, id est, vilibus atque veteribus panniculis, virgo Christū inuoluit. Veruntamen in reuelationibus beatissimæ Brigittæ virgo inducitur, loqui ad Brigittam, quòd sciuit se pariturā in Bethlehem, vt impleretur scriptura, idcirco de mūdissimis & decentissimis lineis panniculis sibi prouidit, quibus filiū suū reuerenter inuoluit. Hæc Carthu.

Carthus. Pānis quibus obuolutus est Dominus quales.

D. Bonauent. in lib. de vita Christi, c. 7. scribit infantem à matre vberum lacte ablutum, capitisque velo obuolutum. Credendum tamen est, vt diximus, in Bethlehem se parituram prænouisse Deiparam, obuoluendoque infanti pannos, & paupertate fulgētes, & mūdos, ne velo capitis opus esset, præparasse, Græcè scriptū est, ὑπαργάνωσεν, id est, fascijs inuoluit. Ablutū etiā infantē, non lacte, sed aqua, miraculo suppeditata, ex Beda colligimus, qui in lib. de locis sanctis, c. 8. in lauacrum Dominici corporis è muro aquā effluxisse, iis verbis refert, Hæc spelūca tota interius specioso marmore tecta, supra ipsum locū, vbi Dominus natus specialiter traditur, Sāctæ Marię grandē gestat Ecclesiam. Petra iuxta murū cauata, primū Dominici corporis lauacrū de muro nūssum

D. Bonauen. *Beda.*

fuscipiēs, hactenus seruat. Quæ si qua forte occasione vel industria fuerit exhausta, nihilominus continuo, sicut antea fuerat, plena redundat. Hæc Beda.

D. Vincentius, ser. de natiuitate, Christi nascentis corpus splenduisse tradit. Quando Christus natus est, inquit, corpus eius resplenduit vt Sol quādo oritur, & nox facta est sicut meridies, & ita claruit. De isto lumine propheta Isaias ait: *Populus qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam*, &c. Incertum tamen hoc miraculum est, Isaias enim de luce loquitur spiritali.

D. Vincētius. An ex corpore Christi, splēdor effulserit, in natiuitate. *Isaiæ 9.*

De Virginis lacte ambigi potest, num per miraculum in vbera sanctissima venerit, an à natura ipsa sit euocatum? Quòd enim per miraculū plena lacte fuerint Virginis vbera, illa probant Respōsorij verba, quòd in festo Circumcisionis recitatur; Regem Angelorum Virgo lactabat, vbere de cœlo pleno. Si de cœlo plena sunt vbera, ergo nō à natura, sed à miraculo. Quod sentit diuus Vincentius serm. de natiuitate. Ait enim Virginem lacte carētem, pro lacte Deum deprecatam: Tunc, inquit, subitò vbera Virginis fuerunt plena lacte, de cœlo sibi immisso. Et diuus Athanasius, in sermone de descriptione virginis & Ioseph. Vbera virginis, ait, naturæ consuetæ radicem non habuisse, longeque à naturali consuetudine ac lege fuisse aliena, lac vero peregrino & nouo modo fluxisse.

An vbera Deiparæ Virginis per miraculum lac habuerint. *D. Vincent.* *D. Athanas.*

Attamen naturale fuisse lac virginis probatur. Quia naturale est fœminis parientibus lac habere, gignitur enim naturaliter ex sanguine ad vbera cōfluente, & per caloris coctionem, ad candorem deducto, vt fœtus alimentum sit. Respondeant obstetrices (ait Tertul. in lib. de carne Christi, c. 20.) medici, physici, de vberū natura. An aliter manare soleāt, sine vuluæ genitali passione? Pēdētibus exinde venis sentinā illā interni sanguinis in mammillā, & ipsa translatione decoquentibus in materiam lactis lætiorem. Inde adeò fit, vt vberum tēpore, mēses sanguinum vacent, &c. Vbera autē Deiparæ Virginis, de cœlo propterea plena dicuntur, quòd cōceptus, qui causa lactis fuit, è cœlo fuit. Quam etiam ob causam vera sunt, quæ ab Athanasio dicuntur. Vbera enim illa sanctissima naturæ consuetæ radicem non habuerūt, longeque à naturali consuetudine ac lege fuere aliena, lac nouo & peregrino fluxit modo, quoniam conceptio noua & peregrina fuit.

Tertullian.

CAPVT XVI.

Morale.

NAtus est Christus Optim. Max. eo tēpore, quo vniuersum orbē Cæsar Augustus describebat. Et merito quidem. Is enim nascebatur Rex, qui vere Augustus, imò & Augustissimus, vniuersum orbē ad cœlestem descriptionem professionēque vocabat. Vt scias (ait Ambrosius Luc. 2.) cēsum nō Augusti esse, sed Christi, totus orbis iubetur profiteri. Quis poterat totius orbis professionem exigere, nisi qui totius orbis habeat imperiū? Nō enim Augusti, sed *Domini est terra, & plenitudo eius.* Gregor. item Magnus, homilia octaua, in Euangelia; Quid est, quod nascituro Domino mundus describitur, nisi hoc, quòd apertè monstratur, quòd ille apparebat in carne, qui electos suos adscriberet in ęternitate. Euthymius. Præfigurabat vniuersi orbis subiectio, & descriptio totius mundi ad Christum subiectionem, & descriptionem. Procopius, Isaiæ capite 12. Rerum summa ad Romanos delata vnicam Reipublic. formam, & Monarchiam, vt & Ecclesiam vnam, vnamq; fidem fore demonstrauit, &c.

D. Ambros. Rex Augustissimus Christus orbem vniuersum de, tribi iussit. *D. Gregor.* *Euthymius.* *Procopius.*

Quem-

Quemadmodum exijt edictum ab Augusto, ita exijt edictum à Christo, vt describeretur vniuersus orbis. Huius autē descriptionis censores primi Apostoli creati sunt, qui tributum ab hominibus, nō pecuniam, sed baptismum, fidemque cum operibus, & charitate copulatam, exegerunt. His censoribus, id est, Apostolis (ait Beda in Lucam) non ablatione pecuniæ subiectos, sed fidei oblatione signare, præcepit Dominus. *Euntes in mundum vniuersum* (ait Dominus) *prædicate euangelium omni creaturæ*, id est, omnem creaturam, vniuersum orbem, ad cœlestem descriptionem vocate. Exigendum tributum addit; Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit, &c. hoc est; Qui veluti tributum, baptismum, fidemq; viuam diuino amore inflammatam soluerit, saluus erit. Hoc Christi descriptio, hoc professio à Christiano petit, fidem, charitatem, opera, mandatorum omnium obseruationem.

Beda.

Marc. vlt.

Augustus sibi parentes populos, vt pecuniam soluerent, describebat; Christus sibi obtemperātes homines, non vt pecuniam ab eis accipiat, sed vt æternam illis vitam cōferat, describit. Ideoque liber, in quo prædestinati describuntur, liber vitæ appellatur. O quam magnum est inter Augusti, cæterorumque Regum libros, & Christi librum discrimen. Nec Augusti, nec cæterorum Regum libri, vitæ libri dicuntur, & merito quidem, quia vitam largiri obtemperantibus populis nequeunt. At Christi liber, liber vitæ ab omnibus Theologis nominatur, neque vero cuiuslibet, sed vitæ sempiternæ. Christus enim iis, qui diuinis parent mandatis, vitam largitur, eamque æternam. Regij famuli in libro culinæ describūtur: Christi famuli in libro vitæ, Vere Augustus est Christus. Si enim Augustus ab augendo dicitur, quis Regum sic famulos suos auget, & extollit, vt Christus? Vnde Beda: Vocabulum, inquit, Augusti Christus perfectissimè complet, vtpote suos & augescere desiderans, & augere sufficiens.

Christus suos in libro vitæ describit.

Beda.

Obserua quæso sub qua nam Monarchia, ac professione, Christus nasci voluerit, nimirum sub Romana. Vt in ipso statim ortu Romanæ Ecclesiæ fidem ac professionē extolleret; Christianosque omnes Romano Pontifici obedientiam profiteri debere, demonstraret. Christus, vt Orosius ait libro 6. capite vltimo, Romano censui statim adscriptus est, vt natus est; Christianus verò Romanæ Ecclesiæ statim adscribitur, vt renascitur. Christus (ait Orosius) dicendus erat Romanus ciuis, census professione Romani; Christianus est Romanus ciuis, fidei, & obediētiæ professione Romanæ. Christus sub Imperio Romano nascitur; Christianus sub Pontificatu Summi Pōtificis Romano renascitur. Christus Romano Imperatori obediēs, in Bethlehē oritur: Christianus Romano Pontifici obtēperans, in Ecclesia vitā ducit.

Orosius.

Christus sub Romano ortus imperio, Romano Pontifici debitā præsignificauit obedientiam.

O infelicem hæreticum, infelicē schismaticū, qui Domini tunicam inconsutilem discindit, qui aduersus summū totius Ecclesiæ pastorem, ex oue in rabidum conuersus lupum, dētes exacuit, qui veri pastoris pascua fugiens, vineas veluti vulpes demolitur. Heu quā acerbas pœnas miser dabit, nūc scelerum, postea vero tormentorū absorptus gurgite, ac diluuio. Siquis enim in arca Noë, (ait Hier. epist. 57.) id est, in Ecclesia Romana non fuerit, peribit regnāte diluuio. Quicunque (ait idem Sanctissimus vir) extra hanc domum agnum comederit, profanus est.

D. Hieron.

Exijt edictum à Christo Augustissimo cœlorum, terrarumque Rege, vt describatur vniuersus orbis, Romanoque Pōtifici obedientiam profiteatur. Hæc autem descriptio prima, facta est sub Præside mundi Petro. Pasce oues meas (ait Rex magnus Petro) non has, vel illas, sed totius orbis oues pasce, tuæ curæ omnes commissæ sunt, tuæ obediētiæ subiectæ. Qui

Pontifex Romanus, totius orbis est Pastor.

A te pastorem non agnouerit, is ouis mea non erit, qui in tuo albo descriptus non fuerit, in meo nō describetur, qui tibi obedientiam non profitebitur, eum ego e grege meo non profitebor. Audiamus quęso Magnum illum Bernardū cum Summo Pontifice Eugenio loquentem, libro 2. de consideratione. Non modo ouium sed & pastorum, tu vnus omnium es pastor. Vnde id probē quæris? Ex verbo Domini. Cui enim non dico episcoporum, sed etiam Apostolorum, sic absolute, & indiscrete, totę commisę sunt oues? *Si me amas Petre, pasce oues meas.* Quas illius vel illius populos ciuitatis, aut regionis, aut certi regni? *Oues meas* inquit. Cui non planum, non designasse aliquas, sed assignasse omnes? Nihil excipitur, vbi distinguitur nihil. Hæc Bernardus.

Ioan. 21.

D. Bernard.

B

Ibant omnes (ait Euangelista) vt profiterētur, singuli in ciuitatem suam. Romana Ecclesia ciuitas nostra est. In hanc ascendere oportet, vt Christo, christiąque in terris Vicario obedientiam profiteamur. Hæc est illa Bethlehem, in qua, qui ex familia veri Dauidis Christi sunt, describuntur. Bethlehem, inquam, id est, domus panis, domus immaculatæ doctrinæ, qua cor hominis confirmatur.

Ecclesia est Bethlehē, id est, domus panis, scilicet doctrinæ vitæ.

Romana Ecclesia est Bethlehē, hæreticorum Synagoga est Bethauen, id est, domus iniquitatis. De qua dicitur: *Ne ascenderitis in Bethauen*, fugite hæreticos, fugite iniquitatis domos, fugite errorum officinas. Sequitur apud Oseam id, quod in hæreticos mirifice quadrat. *Sicut vacca lasciuiens declinauit Israël.* Vaccis enim lasciuientibus similes hæretici, à vera fide, veroque Romano Pontifice declinauerunt. Sept. interpretes vertunt: *Sicut vacca œstro percussa, insaniuit Israël.* Quemadmodū œstro percussi boues vagantur, nec vocem audiunt bubulci, sic hæresi veluti œstro quodam agitati homines per errores mille sese agūt præcipites, nec voce reuocantur pastorū. Fugiamus ergo Bethauen, cum Deipara Virgine, & Ioseph, omnes qui ex domo, & familia Dauidis, id est, Christi sumus, Bethlehē nostrā, id est, veri panis, ac doctrinæ domum, Romanā sedē petamus. De qua D. Prosper initio libri de ingratis sic olim præclarè cecinit:

Synagoga hæreticorum Bethauen, id est, domus iniquitatis. Osee. 4.

C

D

Sedes Roma Petri, quæ pastoralis honoris
Facta caput mundo, quicquid non possidet armis,
Relligione tenet.

De Petro autem hæc Arator, apud Bedam Act. 12. ad illa verba: *Venerunt ad portam ferream, quæ vltro aperta est eis.*

Ferrea quid mirum, si cedunt ostia Petro,
Quem Deus æthereæ custodem deputat aulæ,
Ecclesiaq́, suæ faciens retinere cacumen,
Infernum superare iubet?

Ferrea cedunt Petro ostia, cedant & ferrea hominum corda. Ni cedant, perpetuis Tartari flagellis cædentur.

Secundò. Natus est Christus eo tempore, quo magna toto orbe pax florebat. *quoniam* (vt Apostolus ait) *ipse est pax nostra.* Et vt ait Isaias: *Ipse est princeps pacis, ipse est verus Melchisedec, Rex salem.* Nomen Melchisedec, Paulus docet significare *regem iustitiæ*, מלכ melec, Rex dicitur, צדק sedec, iustitia. Est ergo Christus *Rex iustitiæ.* Est & *Rex Salem*, id est, eodem Paulo interprete, *Rex pacis.* Est Salomon noster, hoc est pacificus Rex, cuius regno vates iustitiam pacemque precatur. *Suscipiant*, inquit, *montes pacem populo, & colles iustitiam*, hoc est, celsis in montibus pacis, in collibus iustitiæ pulcherrimi Christo regnante oriantur flores. Suscepere montes, suscepere colles, eo nascente pace. Æquum enim erat, vt pace nascente, silerent bella.

Ephes. 2.

Isaiæ 9.

Christus pacem florētem curauit.

Hebr. 7.

Psal. 71.

Aquila aliunde aduolante (ait Basilius Isaiæ 2.) ac desuper cōspecta, futili garrulitati loquacium auium silentium indicitur. Eundem in modum Christo nobilissima

S. Basilius.

bilissima veluti Aquila, ex Virginis vtero, in terras prodeunte, & in orbe apparente, futilibus crudeliũ bellorum perturbationibus, silentium est impositũ. Siluere auiculæ desuper aduenientę cœlesti Aquila. Siluere Reges, siluere duces, siluere arma, è cœlo veniente, & in terris nascente Deo.

Halcionides dies magna tranquillitatis.

Per dies illos, quibus Halcion in littoribus nidificat, ouisque incubat, & excludit pullos, mira pelagi tranquillitas, vndarum mira pax esse dicitur. Qua de re sic scripsit Ambros. Hexame. lib. 5. c. 13. Vbi vndosum fuerit mare, positis ouis halcionis, subito miteſcit, & omnes cadunt ventorum procellę, flatusque aurarum quiescunt, ac placidum ventis stat mare, donec oua foueat halcion sua. Septem autem dies fotus sunt, quibus decursis, educit pullos, fętusq; absoluit. Illico alios quoque 7. dies adiungit, quibus enutriat partus suos, donec incipiant adolescere. Tantam autem gratiam auis minuscula diuinitus indultam habet, vt hos quatuordecim dies, nautici præsumptæ serenitatis obseruent; quos & halcionidas vocant, quibus nullos motus procellosæ tempestatis horrescãt. Hactenus Ambros. Si halcione pullos excludente pacatur mare, quid mirum, si virgine pariente pacatur orbis?

Ros sereno cadit tempore.

Vt Aristoteles docet lib. 1. Meteor. c. 10. ros fit, nõ nisi serena nocte, & à vẽtis silente. Nam neque cum sudum, serenumque non fuerit, attolletur quidquã, neque spirante vento, consistere poterit. Quemadmodum ros aëreus serena cadit nocte, ita ros cœlestis Christus, sereno, trãquilloque ortus est tempore.

Hebr. 7.

Vt tranquillo tempore, ita in tranquillo oritur corde. *Melchisedec est, Rex Salem*, hoc est, *Rex iustitiæ est, & pacis*. Rex iustitiæ iustum solium, id est, cor, Rex pacis

In tranquillo corde oritur Christus.

pacatum postulat. Neque ira incensum, neque odio inflammatum, neque ambitione cõcitatum, neq; auaritia turbidũ, neque animi alijs perturbationibus agitatum. *In pace enim*, vt canitur, *factus est locus eius.*

Psal. 75.

Vmbra fuit pax Regni Salomonici, pacis Christianę.

3. Reg. 4.

Habitabat Iuda, & Israel, absque timore vllo, vnusquisque sub vite sua, & sub ficu sua. Qui cupiditatibus atq; odijs flagrant, ij non sine timore viuunt, qui vero pacem sectantur Christianam, ij absque vllo vllius hominis

Iani fores aperiunt, qui iurgijs occasionem præbent.

terrore, sub ficu sua, hoc est bonis contenti suis, à litibus rixisque procul, tranquillam vitam traducunt. Iani hoc est, belli, & iurgiorum portas claudunt, aperiũt nunquã. Is belli portas claudit, qui rixarũ occasiones fugit, is aperit, qui discordiæ causam præbet.

Gen. 13.

Vide quomodo belli portas Abrahamus clauserit. *Facta est rixa inter pastores gregum Abraham & Lot, dixit ergo Abraham ad Lot; Ne quæso sit iurgium inter me, & te, & inter pastores meos, & pastores tuos, fratres enim sumus. Ecce vniuersa terra coram te est, recede à me obsecro. Si ad sinistram ieris, ego dexteram tenebo, si tu dexteram elegeris, ego ad sinistram pergam.* Hunc in modum pacis amantissimus Abrahamus, iurgiorum obserauit fores, cum ipse patruus esse Lot, optionem tamẽ illi dedit, vt quã mallet regionẽ eligeret, hácque ratione rixarũ inter pastores occasionem extirpauit, Vt pacem cum eo, qui

Cedere aliquando res amicitiã conglutinat.

à te dissidet, in eas, aliqua in re illi cedere operę pretium erit, quemadmodum cessit Abrahamus Loto.

Nisi lapidem rescindas, calcemque adhibeas, cum lapide altero in ædificii structura, minimè cohærebit. Eodem pacto, nisi commoditatis tuæ, nonihil reseces, charitatémque ingeras, cumaduersario amicitia minimè coniungeris. Reseca commoditatis tuę nonnihil, de summo iure aliquid remitte, charitatem veluti calcẽ adhibe, in gratiã cum inimico redibus.

Die dominica lux facta & verus Sol natus. Gen. 1.

Tertio. Natus est Christus Dominica die, qua die dixit Deus: *Fiat lux, & facta est lux.* Ea die qua lux primum in orbe fulsit, *vera lux, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*, id est, Christus, mundo

Rupertus.

illuxit. Rupertus lib. 3. de diuinis officijs c. 16. Nocte Dominica natus est Christus, cõsonante mirabilium suorum ordine, vt quo die dixit: *Fiat lux, & facta est lux*, eiusdem diei nocte oriretur in tenebris lumẽ rectis corde, &c. In tenebris oritur lux, nocte Sol fulget, nube & caligine circumseptus. Non enim manifestus, sed occultus primus fuit Christi aduentus. *Inclinauit cœlos, & descendit, & caligo sub pedibus eius.* Caligine quadam Deus pedes obtexit, quia non omnibus in natiuitate conspicuus, sed ignotus in terras venit. Lege Cyrillum Hierosol. catechesi 12.

Psal. 18.

Natus est vel in hyberno solstitio, vel circa hybernum solstitium, cùm lucis incrementum dies accipiunt, quia gratiæ lucẽ Christi auxit, attulitque, aduentus, lege quæ supra ex patribus hac de re dicta sunt. Natiuitatis tempus, lucis, hoc est, gratiæ, & virtutum, postulat incrementa. Quemadmodum enim post solstitium hybernum, quia ad nos accedit Sol, dies augetur, sic post Christi natiuitatẽ, quia iustitiæ Sol ad nos accedit, animi splendorẽ augeri oportet.

Lucis, i. gratia incrementa innuit tẽpus natiuitatis.

Quartò. Natus est Christus sexta mũdi ætate. Sexta die hominem cõdidit, sexta ætate ad redimendum captiuum hominem venit. Vt de his sex ætatibus dicere omittã, quatuor aliæ ætates celebrantur, quarũ prima aurea. secunda argentea, tertia ærea, quarta ferrea appellatur. Eas verò in mũdo, etsi ordine alio, reperiemus. Nam argentea fuit Innocentiæ ętas, argento simili pretioso, ac cãdido. At proh dolor, paucorum fuit dierum, vel forsitan horarum. Argenteæ ferrea succesſit, hac ferrei vixere homines qui horrendi diluuij aquis absorpti periere. Post ferreã ęnea secuta est, qua scriptã legem Deus Israëlitico tulit populo. Extrema ætas est aurea, quæ cæteras eo vincit, quod Christi admirabilẽ natiuitatem vidit. Meritò sane aureæ ætatis nomen Christi ætas sibi vendicat, cęteras enim omnes fulgentissimi auri copia superauit. Nónne aurũ pretiosissimũ gratia est? ætas gratiæ, nónne ætas aurea meritò nuncupabitur? Fuit ætas hæc pretiosissimi auri fodina, ex qua in cæteras ætates, ferream, atque æneã, aurum inuectum est, ad omnesque homines, quicunque in orbe post Adami casum, auri aliquid habuere, promanauit. Adeo vero est locuples, vt toti huic mundo, multisque alijs qui à Deo condi possunt, locupletandis sit satis.

Aurea ætas Christi.

Aurum metallũ solare dicitur, vt ait Pierius initio lib. 21. Metallũ quoque solare est aurũ nostrum, hoc est gratia, quod à Christi, veluti Solis influxu, meritisque pendeat, efficiatur. Absque sole aurum nõ gignitur, absque Christo gratia non producitur. Solis ortum aurum postulat, Christi ortum gratia postulabat. Ortus igitur est ætate aurea Sol aureus, aurumq; in hominum animis copiosè influxu suo protulit.

Aurũ metallum solare,

Neque primo, neq; secũdo, neq; tertio, sed quarto die, Deus Solem condidit. similẽ in modũ, nec prima ætate innocẽtię, nec secunda ferrea, nec tertia ęnea, sed quarta aurea Christum in orbẽ misit. Nec primo mũdi millenario, nec secundo, nec tertio, sed quarto ferè, Solẽ nostrũ mundo voluit exoriri. Vt enim supra ostẽdimus, circa quartũ mũdi millenariũ Christus clarissimi ortus sui radijs orbẽ illustrauit. Sicut autẽ Sol è cœlo suo, quæ infra, supraque sunt, illuminat, ita Christus, ex sua aurea ætate, omnia tẽpora totámq; ęternitatẽ, meritorũ suorũ radijs incẽdit. Eius namq; merita gratiã, æternámque gloriam, omnium sæculorum, ac temporum, hominibus peperierunt.

Sol 4. ætie, Christus alter Sol, 4. mil. de millenario ortus.

Quintò. Natus est Christus in ciuitate Dauidis Bethlehem. Hęc est tanti Regis patria felicissima, ad quam sanctissimi Bernardi præclara illa extat apostrophe, sermon. 1. in vigilia Natiuitatis: O Bethlehem (inquit), parua, sed iam magnificata à Domino. Magnificauit te, qui factus est in te paruus ex magno. Quæ tibi ciuitas (si audiat) nõ inuideat pretiosissimum illud stabulum, & illius præsepij gloriam?

D. Bernard.

In

In vniuersa siquidē terra,iam celebre est nomē tuū, & beatam te dicunt omnes generationes. Vbiq; glorioſa dicuntur de te ciuitas Dei, vbiq; psallitur; Quia homo natus est in ea,& ipse fundauit eam altissimus. Hæc ille,Significat autem בת Beth, domum, לחם lehem,panem,compositum nomen,Bethlehem,domum panis. Accommodatissimū quidem natiuitati locū,panis elegit,qui è cœlo descendit,domū panis. Domus panis dicitur Bethlehē (ait Hier. Michææ 5.) propter panē viuum,qui de cœlo descendit. Et Magnus Greg. hom. 8. Bene in Bethlehem nascitur Christus.ipse enim est qui ait: *Ego sum panis viuus, qui de cœlo descendi.* Item : Locus,in quo Dominus nascitur,domus panis antea vocatus est. Quia futurum erat,vt ille per materiam carnis appareret:qui electorum mentes interna satietate reficeret.

Christus natus est in domo panis.

D. Hieron.

D. Greg.

Alio quoque nomine ciuitas hæc Ephrata nominatur. Quod nomen frugiferam ſonat & vberem,vt Hier. docet Michęæ 5. Potest,inquit,Ephrata ſonare, χαρπόφορον, vberem, atque frugiferā. Cuius nam telluris fœcunditas cum Bethlehem vbertate conferri potest? Cęteræ regiones frumentum ferunt, oleum, vinum,fructuumque copiam aliorum. At Bethlehē panem cœli protulit,Bethlehem vniuersi terrarum orbis horreum fuit,Bethlehem à cunctis mundi regionibus acerbissimam famem depulit. *Omnes prouinciæ*, vt legitur, *veniebant in Ægyptum, vt emerent escas, & malum inopiæ temperarent.* Eundem in modū omnes regiones,ciuitates,oppida,nationes,ad horrea Bethlehem cōfluunt,panem,quem Bethlehē tulit, omnes expetunt, nullo alio famē restingui posse affirmāt.

D. Hieron.

Bethlehem appellatur ephrata, id est, frugifera

Gen. 41.

Quanta sit vbertas Bethlehem.

Tanta in Ægypto fuisse dicitur *copia tritici* eodem Geneseos capite, *vt arenæ maris coæquaretur, & copia mensuram excederet.* Tanta similiter in Bethlehem fuit cœlestis panis vbertas, vt arenā maris vincat, & copia mensurā exuperet. Etenim Christi panis viui merita,& arenā superāt maris,& omniū transiliunt mēsurā. Septē tantum annorum Ægypti fuit fertilitas, at Bethlehem nō septem annorum, sed omniū sæculorū est vbertas, Ægypti panem Ioseph hvēdebat; Bethlehē panem absque pecunia largitur Christus.

CAPVT XVII.

Morale.

Christus natus mundi gloriolam deget spernere. D. Bernard. Psal. 49.

SExto. Natus est Christus in Bethlehem, non in opulēto, amploq; palatio, sed abiecto in stabulo. Aureus verò lectulus, quo tantus Rex est exceptus, præsepe fuit, bombycinæ, gemmisque distinctæ vestes, quibus est coopertus, parui pretij panni. Sic mūdi conculcat gloriam, sic eam imitatores suos docet conculcare. Nónne (ait Bernardus sermon. 3. de Natiuitate) ipse est qui dicit: *Meus est orbis terra, & plenitudo eius?* Quid ergo, stabulum elegit? planè vt reprobet gloriam mundi, damnet sęculi vanitatem, &c. Mundus fallax magister, inanem gloriam, honorem, opes, voluptatesque complectendas docet, Christus hæc omnia repudianda, paupertatem, humilatatem, pœnitentiā expetendam suadet. Vtri habēda fides? vter sequendus? Insanus planè erit, qui mundo magis, quam Christo crediderit. Aut Christus fallitur, (ait Bern. loco indicato) aut mūdus errat, (etenim diuersa ac repugnantia docent) sed diuinā falli impossibile est sapientiā, errat ergo mundus, errāt omnes mūdi sectatores, iuxta illud: *Dixi, sęper hi erāt corde.*

Psal. 19. Dan. 2.

Christus natus statuam euertit.

Statuam illam, quam ex auro, argento, ære, ferroque conflatā, vidit olim in quiete Rex Nabuchodonosor, absque manibus à monte abscissus lapis percussit, atq; euertit. En tibi absq; manibus, id est, hominum opera, celsissimo ex monte, videlicet Virgine Deipara, abscissum lapidem angularē Christum, qui vt Paulus ait: *Fecit vtraque vnum.* Vbi primum è monte abscissus est, vbi primum è Virginis prodiit vtero, mox in superbā statuam, è varijs constantem metallis, id est, in superbum mundum, statuæ similem è variis compositum vitiis, impetum fecit: exemplique viribus, aurum, argentum, opes, potentiā, honores, gloriam, voluptatemque æquauit solo.

Nocte intempesta (vt traditur) *omnia Ægypti primogenita percussit Deus, atque occidit,* vnde illud: *Cum quietū silētium contineret omnia, & nox in suo cursu medium iter haberet, omnipotens sermo tuus, exiliens de cœlo. à regalibus sedibus, durus debellator, in mediam exterminij terram prosiliuit, gladius acutus, insimulatum imperium tuum portans, & stans repleuit omnia morte, & vsque ad cœlum attingebat, stans in terra,* &c. Similem in modum incarnatum Dei Verbū, quod vsque in cœlum attingebat stans in terra, Ægypti, hoc est mundi, primogenita, nocte concubia nascendo cæcidit. Nónne mūdi primogenita diuitiæ sunt, voluptates, honores, inanis gloria? hæc primogenita percussit Christus. Diuitias admirabili paupertate, honores inaudita humilitate, voluptates ipsius stabuli, præsepijque asperitate contriuit.

Exod. 12. Sap. 18.

Christus natus mundi primogenita occidit.

Venite (ait Dominus) *descendamus, & confundamus linguā eorū.* Descendit olim Deus, & linguā hominū cōfudit, nouasque linguas in orbē inuexit. Descendit quoque, cum natus est Christus, descendit, inquam, in mundum, in stabulum, in præsepe, descensuq; suo, atq; humilitate, hominū mutauit linguam, nouumque in orbem induxit loquendi morem. Iam paupertas diuitiarū nomē sibi vendicat, diuitiæ inopia appellātur, ignominiæ, ludibria, & opprobria, quæ Christi causa tolerātur, honores dicūtur, crux gloria, mors vita, carcer libertas, nominatur. Quis sic hominū mutauit linguā? Christus ad præsepe, crucemq; descendēs. Quanā in schola noua hęc addiscitur sciētia? In præsepio. Vt enim ait Aug. ser. 18, na. Omnis huius natiuitatis schola, humilitatis est officina.

Gen. 11. Christus natus linguas mundi confudit.

Natiuitat Christi humilitatis officina.

Quemadmodum ex ventre ceti egressus, Niniuitas ad pœnitentiam prædicatione, ac clamore suo, traxit Ionas, *vestiti enim sunt saccis, à maiore, vsque ad minorem,* vt legitur, ita ex vtero sanctissimæ Virginis egressus Christus, clamore suo ad pœnitentiam, ad paupertatē, ad humilitatē, nos trahit. Sed, quis nā est Christi clamor? Iam clamat exēplo (respondet Ber. ser. 1.) quod postmodum prædicaturus est verbo. Et ser. 3. Nondū loquitur lingua, & quæcunque de eo sunt clamāt, prædicāt, euāgelizant, ipsa quoq; infantilia membra non silent. In omnibus mūdi iudiciū arguitur, subuertitur, confutatur. Hæc ille. Clamat stabulum, clamat præsepe, clamāt pāni, clamat paupertas, clamat humilitas opes spernite, inanē mundi gloriā contemnite, superbiam insolentiamque fugite. Quid enim magis indignum (ait idē pater sanctissimus ser. 1.) quid detestādum amplius, quid grauius puniendum, quā vt videns Deum cœli paruulū factū, vltra apponat homo magnificare se super terrā? Intolerabilis impudētiæ est, vt vbi sese exinaniuit maiestas, vermiculus infletur & intumescat, &c.

Ion 3.

S. Bernard.

E ventre ceti Ionas egressus ad pœnitentiam Niniuitas traxit: trahat nos Christus ex vtero egressus Virginis. D. Bernard.

Niniuitarum Rex promulgatam aduersus Niniuem à Iona sententiam cum audisset; *Surrexit de solio suo, & abiecit vestimentum suum à se, & indutus est sacco, & sedit in cinere. & clamauit, & dixit in Niniue, ex ore Regis, & principum eius, dicens: Homines, & iumenta, & boues, & pecora, non gustent quicquam, nec pascantur, & aquam non bibant, & operiantur saccis homines, & iumenta, & clamant ad Dominum in fortitudine, & conuertatur vir à via sua mala, & ab iniquitate, quæ est in manibus eorum.* Vides quid Rex fecerit Niniuitarum? Rex similiter noster Dei filius, cum aduersus humanum genus latam à patre sententiam nosset, *exinaniuit semetipsum,* vt Paulus ait, surrexit è solio suo, vestimentū regium abiecit, nostræ

Iona 3.

mor-

mortalitatis indutus est sacco, in stabulo ac præsepio iacuit, pro nobis fleuit, vt diuinã à nobis depelleret indignationem.

D. Bernard. Audiamus hac de re Bernard. ser. 3. de natali. Ludebã, inquit, ego foris in platea, & in secreto regalis cubiculi super me ferebatur iudiciũ mortis. Audiuit hoc vnigenitus: exiit posito diademate, sacco vestitus, aspersus cinere caput, flens quod morte dãnatus esset seruulus. Quid facturus sum? adhúcne ludã, & deludã lachrymas eius? Hæc ille. Nos verò ludũ iã deseramus, nugas, ineptias, mũdiq́ue tricas. Regem suum Niniuitæ sunt imitati, illius præceptis paruerunt: Regẽ nostrum Christũ nos quoq; imitemur, eiusq́; monitis obtemperemus. Vt enim Niniuitarum rex pœnitentiã Niniuitis indixit, exẽploq́ue ipsos incitauit, sic Christus pœnitentiam nobis indicit, & ad paupertatẽ, humilitatemq́ue in præsepio iacens hortatur, diuinoq́; exemplo inflammat.

Psal. 17. Septimò; Dauid Deum cælos inclinasse cecinit: *Inclinauit*, inquit, *cælos, & descendit*. At nunc nõ cælos, sed ipsum Deum Virgo in præsepiũ inclinauit. *Reclinauit eum in præsepio*, ait Euangelista. O admirabilẽ inauditamq́; inclinationẽ. O inclinatã maiestatem. O sublatã ad Deum vsq; humilitatẽ. Eum qui sedet super Cherubim, qui ponit nubem ascẽsum suum, qui ambulat super pẽnas vẽtorum, amor in præsepio reclinauit. *ferculi sui reclinatorium aureũ*, feciſſe dicitur Salomon. O verè aureum reclinatoriũ præsepe Domini. si enim charitatẽ adumbrat aurũ, totũ aureũ est, hoc est, charitate plenissimum præsepij reclinatorium. *Reclinauit eum in præsepio*, Virgo, & reclinauit eum in præsepio, hominum, quos dilexit, amor. Iacebãt miserãdum in modum peccato prostrati homines, vt iacẽtes erigeret, diuina se maiestas inclinauit. D. Leo serm. tertio de natiuitate: Eximanitio, inquit, illa, qua se inuisibilis visibilem præbuit, inclinatio fuit miserationis, non defectio potestatis, & August. lib. 1. De Symbolo, ca. 3. Exaltauit se homo, & cecidit: humiliauit se Deus, & erexit. Humilitas Christi quid est? Manum Deus homini iacenti porrexit. Nos cecidimus; ille descendit, nos iacebamus, ille se inclinauit. Prendamus & surgamus, ne in pœnam cadamus. Hæc August.

Cant. 3.

Virgo Christum in præsepio reclinauit, & amor hominum.

Inclinauit se Christus vt lapsos erigeret.

D. Leo.

D. August.

Vt idem August. ait serm. 206. de tempore, nemo potest iacentẽ erigere, si se noluerit inclinare. Potuit tamẽ diuinum Verbum, etsi se nõ inclinasset, iacentẽ hominem erigere, sed modum hunc multo aptiorẽ, vt se proderet, inuenit amor. Mortalium enim amorem Dei inclinatio maximè cõciliat, rapit, & accendit. Quocirca Magn. Greg. li. 29. Moralium capite primo; Deo (inquit) tãto magis homo debitor fuit, quãto pro illo Deus etiã indigna suscepit, & Bern. serm. 1. de Epiphania: quanto minorem se fecit in humanitate, tanto maiorem exhibuit in bonitate; & quanto pro me vilior, tanto mihi charior est. Sponsus vt spõsæ placeat, aureis ornamẽtis, vestibusq́; sericis se exornat, & si quid habet pulchritudinis ostentat. At Ecclesię sponsus longè aliter sponsę suæ amorem sibi captandum vidit, nõ auro, sed paupertate, non bombycina veste, sed humilitate. vnde August. hom. 36. Amemus, ait, sponsum, quanto magis deformis nobis cõmendatur, tanto charior, tanto dulcior factus est sponsę.

D. Gregor.

D. Bernard.

D. August.

Erat ęternum verbum in celsissimo sinu patris, quò humi repens homo ascẽdere nõ valebat. Quia non valebat homo ascendere, incarnatum verbum vsq; ad brutarum animantium præsepium descendit. Iumento similis homo effrenatas animi appetitiones, ratione veluti carẽs, sequebatur, vt igitur rationis restituat vsum, in præsepium iumẽtorum, carnis fœno tectum, Magnum Verbum sese abiicit, & hominũ fit pabulũ. Nónne verbum à Ioãne capite

λόγος, i. Ratio in præsepio est, vt hominibus belluarũ ritu viuentibus, rationis vsũ restituat.

A primo λόγος dicitur? nónne λόγος rationẽ etiã significat. Ratio ergo Verbum est, sed præcellẽtissima ratio, vt iã diximus. Qui ergo Verbi carnẽ edit, rationẽ præcellentissimã edit, quæ rationis humanæ vsum maximè parit. Ita Hesychius cẽsuit, ac scripsit orat. 2. his verbis; Libens reconditur Christus in præsepio, vt qui sunt pecuini accurrãt, & reperiant λόγον, id est, sermonẽ & rationem, in præsepio constitutã, vt ex eo recipiant dignitatem rationalem.

Hesychius.

Factus est Deus homo, dixit August. ser. 9. de natiuitate, vt homo fieret Deus, magnũ hoc. At rectè etiã affirmare sic possumus: Factus est Deus homo, vt homo fieret homo. Vt *homo*, inquam, qui (vt cũ vate dicam) *cum in honore esset, non intellexit, & comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis*, à bellũinis deficeret affectibus, rationemq́ue rectã, & fide illuminatã, tanquam ducem sequens, fieret homo, homini Deo similis. Itaque factus est Deus homo, vt homo fieret Deus & homo. sine Deo enim homine neque per participationem Deus, neque per perfectum rationis fide collustratę vsum, homo poterat esse, factus iumentis similis homo.

D. August.

Psal. 48.

Addit loco indicato Aug. Vt panem Angelorum manducaret homo, Dñs Angelorum factus est homo. O rem stupendã, panis Angelorum in præsepio iacet. Nunquid panis Angelorum factus est fœnum? id fatetur Bern. ser. 3. de circumcisione: Dñs, inquit, panis est viuus, de quo viuere debuit homo. Sed quia homo iumẽtum factus est, & panis factus est fœnũ, vt vel sic viuat de eo, &c. & serm. 1. de Epiphania. Quid ita pietate plenum, quã quòd Dei Verbum propter nos factum est fœnum, &c. Nã *omnis caro* dicitur *fœnũ*. Verbum factum est fœnum, sed nõ quod hodie est, & cras in clibanũ mittitur, sed quod permanet in sempiternum. Factum est fœnum, quod mundorum, ruminantiumq́; animalium sit cibus, quod comedens *bos cognoscat possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui*, id est, Iudæus & Ethnicus Christũ regem suum. Bern. ser. 3. de circumcis. Nolite fieri sicut equus & mulus, sed sicut pium iumentũ, quod ait: *Vt iumentũ factus sum apud te, & ego semper tecũ*. Talia enim iumenta cognoscunt possessorem suum, & præsepe Domini sui, in quo positum est eis piissimũ fœnum, ipse qui panis est angelorum.

Isaiæ 40. Panis angelorum factus est fœnũ mũdorũ iumentorum.

Psal. 72.

Quemadmodum panis ille Angelorũ, qui Israëlitico populo è cęlo est missus, nõ intra regũ palatia, non in sericas vel linteas saltem vestes, sed in ipsam terram decidit; ita noster Angelorum panis non in ampla deauratáque tecta, nõ in bombycina preciosáque indumenta, sed in stabulum præsepiumq́; descendit. Cum de pane illo Angelorũ Moses loqueretur; *Apparuit*, inquit, *in solitudine minutum*. O eximiam nostri panis vmbram. Apparuit in Bethlehem minutum; id est, puer paruulus, humili progenitus matre, in stabulo natus, in præsepio collocatus, pannis inuolutus. *Manhu?* rogabant Israëlitæ, id est, quid est hoc? conspecto minuto illo Angelorum pane. Rogemus & nos; quid est hoc? Quis est minutus hic panis? quis est infans hic, in præsepio inter expertia rationis animantia iacens, inops, inglorius?

Christus similis mãnæ, in natiuitate Exod 16.

Respondet Isaias: *Paruulus natus est nobis, & filius datus est nobis. Et factus est principatus super humerũ eius, & vocabitur nomẽ eius, Admirabilis, Cõsiliarius, Deus, Fortis, Pater futuri sæculi, Princeps pacis*, &c. Paruulus est, & filius, paruulus ex matre ortus, sed filius Dei ex æterno patre ab æterno natus; Paruulus est nobis natus, non sibi, vt Bernardus ait ser. 3. super missus, & nõ Angelis, qui cum magnum haberent, paruulum non requirebant. Licet paruulus sit (ait idem pater mellifluus sermo. 4. in vigilia natiuitatis) sed plenus; *Plenus gratia & veritate*, & in quo haitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter. *Admirabilis* est in natiuitate,

Isai. 9.

D. Bernard.

eodem interprete ser. 10. inter sermones qui parui dicuntur: *Consiliarius* in prædicatione: *Deus* in operatione: *Fortis* passione : *Pater futuri sæculi* in resurrectione: *Princeps pacis* in perpetua beatitudine.

Admirabilis item est, in cõuersione nostræ voluntatis, quæ mutatio est potentis dexteræ excelsi. *Consiliarius* in reuelatione suæ voluntatis, quando reuelat quid sequendum sit iam conuersis. Vnde Paulus conuersus dicebat: *Domine quid me vis facere? Deus*, in remissione peccatorũ, cuius est peccata dimittere. *Fortis*, cum nos in tribulatione protegit, cum aëreas potestates arcet à nobis, ac repellit. *Pater futuri sæculi*, in regeneratione corporum nostrorum. *Princeps pacis*, in æternę pacis perfectione.

Vides quãtus sit hic, qui minutus videtur, & parvus panis: sed iis videtur qui illũ non edunt, qui illius saporẽ non percipiunt. De Israëlitis legitur: *Ignorabant quid esset*, scilicet minutum illud. Ignorãt etiam nunc, heu infelices, quid sit minutũ hoc, quid sit humile hoc; quam sit celsa Christi humilitas, quam sit opulenta Christi paupertas. Messiã diuitẽ, regioque in terra solio præpotentẽ expectant, quid sit minutũ hoc nõ vidẽt. At Moses sub typo loquẽs: *Iste*, inquit, *est panis, quem* Dominus *dedit vobis ad vescendũ*: hic quẽ in præsepio iacentẽ cernitis, hic, inquã, est panis viuus, qui è cœlo descendit, quem dedit vobis è cælo Dñs ad vescendum, ex hoc pane vita pendet vestra. Si vescamini, vita suppetet, ni vescamini, vita peribit. *Manducauerunt* (ait Dñs) *patres vestri manna, & mortui sunt, qui manducat hunc panem, viuet in æternum.*

Octauo. Habet Deus verbũ maximũ, cuius magnitudinẽ nec terra capere potest, nec amplissimum cęlum. Etsi mare totum in atramẽtum, cęlũ verò in candidissimã vertatur papyrũ, Verbum hoc complecti nequeunt. At quemadmodum lõgiora verba, scribæ velociter scribẽtes abbreuiant, ita Deus maximũ Verbũ in humana natura, cãdidissima veluti in papyro scripsit, & abbreuiauit. In natura humana scriptũ Verbũ, ait Rupert. Ioan. 1. Inscripta, inquit, est hominis naturæ, perfecta Verbi natura, &c. Ber. verò abbreuiatum docet ser. 1. de natiuit. Verbum, ait, fecit pater abbreuiatum. Vultis nosse quam lõgum, quam breue fecit? *Cælum* (inquit hoc Verbum) *& terram ego impleo.* Nunc caro factum, in angusto locatum præsepio est, &c.

Abbreuiatũ est Verbũ, sed Verbũ abbreuiatũ nõ abbreuiatã, sed copiosã flagitat orationẽ, longumq; postulat laudũ suarũ sermonẽ, vitã verò abbreuiatã, id est, à fastu abhorrentẽ, & in breuẽ quandã humilitatis notã contractã. Vt discipulos Christus abbreuiaret, paruulũ in medio eorũ statuit, at nũc vt nos abbreuiet, seipsũ paruulũ in medio locat. Ecce paruulus in medio statuitur, id est, Christus (ait Ber. ser. 3. super missus) studeamus effici sicut paruulus iste; discamus ab ipso, *quia mitis est, & humilis corde.*

Exemplo vrgemur, & exemplo Dei, olim falsorũ Deorũ exempla ad scelera homines vocabant, nũc veri Dei exemplũ ad omnes virtutes vocat. Aug. li. 2. de ciuit. Dei, c. 25. Quis, inquit, non videat, quantũ moliantur maligni spiritus, exemplo suo, veluti diuinã autoritatem prębere sceleribus? &c. Maligni spiritus, veluti diuinam conabantur autoritatẽ sceleribus prębere? Christus verè diuinã autoritatẽ in prębere virtutibus prębet. Paupertati, dũ in magna rerum egestate oritur, humilitati, dum in prębere iacet, castitati, dum ex virgine intemerata nascitur, humanarum rerum despectui, dum omnia despicit. Diuini exẽpli habẽt virtutes autoritatẽ. Quem non vrgeat exẽplum Dei? cultores falsorum Deorum, (ait Aug. l. 2. de ciu. c. 7.) mox vt eos libido perpulerit, magis intuentur quid fecerit Iuppiter, quã quid docuerit Plato, vel cẽsuerit Cato, &c. Cultores igitur veri Dei, cũ eius vitia perpulerint, magis intueãtur, quid fecerit verus Deus Christus, quã quid doceat mundus, vel concupiscat caro.

Apud Terentium in Eunucho (ait idẽ pater Aug. eodem loco) flagitiosus adolescens spectat tabulam quandã pictã in pariete, & ab autoritate Iouis adhibet patrociniũ turpitudini suæ; cũ in ea se iactat imitari Deum. *At quem Deum*, inquit, *qui tẽpla cæli summo sonitu concutit. Ego homuncio id nõ facerẽ? Ego vero illud feci, ac lubens*, &c. Tabulam spectans pictã, ab autoritate improbi, falsiq; Dei turpitudini suæ patrociniũ Ethnicus adhibet. Deũ in præsepio recubantẽ spectãs, ab autoritate sanctissimi, verissimiq; Dei virtuti suę patrocinium Christianus adhibeat. Si castitatẽ, si paupertatẽ, si patientiã, si humilitatẽ, si reliquas virtutes coles; in his lętare, quod imiteris Deum, qui verè tẽpla cęli sonitu summo concutit. Quod ille fecit, tu homuncio cur nõ facies? facito, & lubens facito.

Nono. *Impleti* (ait Euangelista) *sunt dies vt virgo pareret.* Hæc dierum impletio orbẽ omnibus impleuit bonis. Vt vacuum natura impleat, mira facit; leuia deorsum magno impetu trahit, põdere grauata sursum rapit, ita etiã vt vacuũ Deus impleret, mirada fecit. Gratia penitus vacua erat humana natura, hoc autẽ vacuũ, Deus solus poterat cõplere, vt igitur cõpleretur, nõ cælũ, nõ Angelus, nõ Cherubinus aliquis, aut Seraphinus, sed Deus ipse ex altissimo solio ad præsepe vsque descendit: *Exinaniuit semetipsum*, ait Paul. videlicet, vt vacuum hoc compleret. Et: *Propter vos egenus factus est, cum esset dives, vt illius inopia vos diuites essetis.* Ambros. lib. 4. hexameron cap. 8. Minuitur, inquit, luna, vt elementa repleat, exinaniuit eam Deus, vt repleat; qui etiam se exinaniuit; vt omnes repleret, &c. Itaque impleti sunt dies, vt pareret virgo eum, qui orbem gratia, charitate, cælestibusque diuitijs impleret.

Impleuit Christus vacuum, descẽdens. *Ad Phil. 2.* *2. Cor 8.* *D. Ambr.*

Quemadmodũ Nilus fluuius, Ægyptum inundãs vbertate cõplet; ita diuinæ misericordiæ flumẽ, orbẽ, his diebus impletis, veluti inundans, cælestibus donis impleuit. Ægyptus (ait Plin. li. 5. c. 9.) in duodecim cubitis crescentis Nili famẽ sentit, in XIII. etiãnum esurit, XIV. cubita hilaritatẽ afferũt, XV. securitatẽ, XVI. delicias. Hæc ille. Vt Nilus ad XVI. cubitos excrescẽs, delicias terræ affert, sic diuinæ misericordiæ fluuius, extra ripas ad Verbi vsq; incarnationẽ effluẽs, delicias orbi attulit. Ante verbi incarnationẽ, diuina misericordia (vt nostro loquamur more) ad 12. vel ad 13. vsq; velut Nilus excrescebat cubitos, famẽ tamẽ orbis sentiebat. At in Verbi incarnatione, ad XVI. vsq; excrescẽs, famẽ expulit, terramque virtutum feracissimã reddidit. Venit igitur plenitudo tẽporis, venit & plenitudo cęlestiũ bonorum. Nõ datur vacuum in rerum natura, nec detur gratiæ vacuum in pectore Christiano.

Nilus fluuius exũdãs fertilem Ægyptum reddit. *Plinius.*

Misericordia Dei per incarnationem infiat Nilus exundauit.

Decimo, *Non erat eis locus in diuersorio*; ait Euangelista. Quomodo enim diuersoriũ capere posset Deũ? Locum (ait Chrysippus Hierosolymitanus in orat. de Virgine Deipara) non habebat Christus. Quis enim locus capere posset eum, qui locum excedit? Et Simõ Cassianus in Euãgelia: In angustũ venerat, qui latitudinẽ cęlorũ & terrarum fecit. Nõ est Christo locus in diuersorio, nõ capit Deũ regio nostra, nec est ei in mundo locus aptus ad manendũ, &c. Verũ quidẽ hoc est, si diuinitatẽ spectes. Deus enim locũ nõ habet, nõ est illi locus orbis vniuersus, ne dum angustum diuersorium. At magnus Deus, & immẽsus, factus est parnus infans, & vt ait D. Leo ser. 2. de natiuitate; Incõprehensibilis voluit comprehendi. Diuinitas, rerũ hãc vniuersitatẽ, & quicquid super cælos vacui spatij est, cõplebat; humanitas verò angusto cõtinebatur diuersorio, vt latũ nobis pararet locum in cælo. Quod Beda docet Luc. 2. Christus, inquit,

Chrysippus.

Simon Cass.

Deum non capit orbis vniuersus.

D. Leo.

Beda.

Verbũ abbreuiatum Rupertus. *D. Bernard.*

Humilitatis exemplũ verbum abbreuiatum.

D. Bernar.

Maligni spiritus veluti diuinã autoritatem sceleribus cõantur prębere.

Christus diuinam autoritatem virtutibus prębuit. *D. August.*

D. August.

Ioan. 6.

Exod. 16.

Exod. 16.

inquit, in diuersorio loco eget, vt nobis in domo patris sui, multas mansiones prepararet, &c.

Recubuit Christus in nouissimo loco. Lucæ 14.

Præterea, iam clamabat exemplo, quod docuit postea verbo: *Recumbe in nouissimo loco.* Nouissimus mundi locus stabulum est, præsepe est. In nouissimo Christus recũbit loco, ne primas sedes ipse ambias insolẽter, descendit celsissimus in stabulum, ne superbè cupiat homo abiectissimus ascẽdere in thronum. *Ego sum ostium*, ait Dominus. Vide quã sit ostiũ humile. Ingredi vis, caue ne te extollas, non enim ostium humile capiet elatũ. Aug. in Ioan. tract. 45. Humilis est ianua Christus, qui intrat per hanc ianuam, oportet humiliet se, vt sano capite possit intrare, &c. *Ego sum via* (ait idem Dominus) via est humilis, humiliter per eam, neque superbis equis, neque elatis iter faciendum est curribus. Sic præcipit Deus: *Equos eorum*, scilicet hostium, *subneruabis, & currus igne combures.* Quo loco sic scribit Origenes; Debemus gladio spiritali, omnẽ vitiorum equitatum subneruare; currus quoq; debemus incendere, hoc est, omnem elationis spiritũ à nobis resecare, &c. Is elatũ currum incendit, qui fastu, elationeque minimè fertur; is equos hostium subneruat, hoc est, neruis, roboreque priuat, qui superbiam domat.

Ioan. 10. *D. Augusti.* *Humilitas* *Iosue 11.*

Ad hæc. Non est Christo locus in diuersorio, vt paupertatem doceat. Diuites amplissima in terris loca conãtur occupare, Deus diuersorio & stabulo contentus est: *Væ* (ait diuitibus) *qui coniungitis domũ ad domũ, & agrum agro copulatis, vsque ad terminũ loci. Nũquid habitabitis vos soli in medio terra?* Terrena bona cõiungunt diuites, Euangelici verò pauperes dispergunt. Non enim in medio terræ, sed in medio cœli habitare cupiũt. Christi paupertatem intuentur, domos, agros, aurum, argentumque repudiant, in angusto hoc mundi diuersorio locum habere nolunt, vt in amplissimo cælorũ regno habeant amplissimum.

Isai. 5. *Paupertatẽ Christus ex præsepij cathedra docet.*

Si manus æris parui pretij nũmis haberes plenas, magnũ verò auri põdus quis offerret, nonne æreos dispergeres nummos, vt aureũ acciperes pondus? Aurũ, imò gemmas pretiosissimas, Euangelicis pauperibus offert Deus, vt aurũ gemmasque accipiãt; quid mirum si dispergunt terrã? Si rapere vis quidpiã, manus vacuas afferas oportet, plenis enim manibus nihil rapitur. Rapiendum est non aurum, sed cælum, iuxta illud Christi: *Violenti rapiũt illud*; ideoque mẽte generosa terrenas abiiciunt opes, expeditasq; manus ad rapiendũ parant pauperes. Chrysost. hoc consiliũ est hom. 53. in Ioan. Quid significat, inquit, *vim patitur regnum cælorum?* vi opus est multa, angusta est via, robusta anima opus est, & generosa. Raptores præoccupare adnituntur. Disperge, quæ habes in manibus, quousque enim præsentia seruas, illa rapere non poteris, &c. Augustinus quoque ser. 233. de tempore; Dimitte, ait, terrena, & accipies cælestia.

D. Chrysost. Pauperes Euangelici opes dispergunt, Deum lucrantur. *D. Augusti.*

Etiam Prosper Aquitanicus lib. 2. de vita contemplatiua ca. 16. Qui vult, inquit, Deum possidere, renuntiet mũdo, vt sit illi Deus beata possessio, &c. O felicem euangelicũ pauperem, cui illud cõtigit, quod Leuitis olim dixit Dominus: *Nihil possidebitis, nec habebitis partem inter eos. Ego enim pars & hæreditas tua, in medio filiorum Israel.* Nihil possident pauperes spiritu, nec habent inter homines partem, verũ eo ditiores sunt, quo pauperiores. Etenim Deus pars eorũ, & hæreditas est opulentissima. Deus (ait D. Prosper loco citato) cum dicit: *Filijs Leui non dabitis partem inter fratres suos, ego Dominus portio eorum*; satis ostendit, quod ij, qui terrenę hęreditatis contempserint portionẽ, Deum spiritaliter mereãtur possidere. Cuius ditati muneribus, omnia quæ præclara habentur, in hoc mundo fastidiunt; & ipsum possidere, vel ab ipso possideri, eo solo perfrui, atque illi adhærere inseparabiliter cõcupiscunt, &c. Vides quam diuites sint pauperes spiritu, illorum diuitiæ & thesauri opulentissimi Deus ipse est. Quid vltra quærit (ait Prosper) cui omnia suus conditor fit; aut quid ei sufficit, cui ipse non sufficit? item: Quid potest eo esse felicius, cui efficitur suus conditor census, & hæreditas eius dignatur esse ipsa diuinitas, &c.

D. Prosper. *Num. 18.*

CAPVT XVIII.

Morale.

RELIQVVM est, vt de admirando Deiparæ Virginis partu rursus aliqua verba faciamus. *Mulier cum parit* (dixit Dominus) *tristitiam habet, quia venit hora eius.* Verum Virgo cum peperit, non tristitiam, sed lætitiam habuit; quia venerat hora eius, hora, inquam, non doloris, sed gaudij incredibilis. Vnde S. Zeno Episcop. Veronensis serm. 3. de Natiuit. Parturit, inquit, Virgo non dolore, sed gaudio, &c. Obstetrice illa non eguit, pro obstetrice, vt ait D. Greg. Nyss. in orat. de natiuitate, lętitia fuit. In Eua, ait ille, dolores partũ præcesserunt; hic verò lætitia partui obstetricatur, &c. Vt Sol antequã oriatur lætissimã efficit auroram; sic Christus antequã oriretur, lætissimã reddidit matrem, quæ cũ aurora cõparatur.

Ioan. 16. *S. Zeno. Virginis obstetrix lætitia fuit* *D. Gregor. Nyssenus.*

Ex vtero ante Luciferum genui te: verti ex Hebræo potest, si verbum Latinũ verbo Hebræo reddas. *Ex vtero, ab aurora*, vel *ex vtero auroræ, tibi ros natiuitatis tuæ.* Aurora illa lætissima, roseo, aureoque colore illustrissima, ex qua Christus est natus, Deipara Virgo est. Ex vtero aurorę, hoc est, virginis, tibi ô Christe, suppeditata est materia generationis tuę, videlicet, sanguis purissimus, veluti ros aurorę nitidissimus. Quẽadmodum verò terrenus vapor, vi cælesti in sublime fertur, fitque ros, sic purissimus virginis sanguis, à Spiritu sancto in sublimitatem elatus admirabilẽ, admirabilis generationis ros & materia factus est.

Psalm. 109. Virgo aurora.

Prænuncio igitur magni partus, magno gaudio, absq; vllo doloris sensu, beata illa nocte, quę 25. Decembris mensis diem præcedit, orbis totius gaudiũ Dei filium virgo peperit, & (ô rem stupendam) incolumi Virginitate, saluaque peperit. Vt ex patre in corruptibiliter, ita ex matre ortus est, Dei & virginis filius. Vnde D. Ambr. ser. 10. siue 16. Ideo, inquit, secunda natiuitas, per immaculatã Mariã, quia prior per diuinitatẽ cõstiterat illibata. Vt cui prior natiui tas glorioſa extitit, eius secũda cõtumelioſa non fieret. Hoc est, vt quemadmodũ virgo diuinitus ediderat, ita eum & Virgo Maria generaret. Hæc Ambr. S. Hilarius Arelatensis hom. 2. Ecce nullius seminis incremẽto, de intacta ac rudi terra, fæcundum germen ascendit, & de radice mortali, vitæ arbor efloruit, & salutifera propago, nullo plantante processit. Item; Medicũ ô virgo, sine dolore paris, Saluatorẽ corrupti sæculi, sine vlla pudoris corruptione progeneras. Neque enim decebat, vt qui ad hoc venerat, vt violata in integrũ restitueret, aliquid de materna integritate violaret. itẽ: Ecce ianuis clausis processit in mundũ Christus, materni pudoris signaculo minime resignato. Bern. serm. 3. vigilię natiuit. Sola virgo est, in qua virginitas & fęcũditas obiiauerunt sibi. Ibi semel factũ est, quod factum non fuerat, nec fiet in æternum, quia nec primam similem visa est, nec habere sequentem.

D. Ambros. *S. Hilarius Arel.* *D. Bernard.*

Solis ortum Virginẽ Chrysippus appellat; Aue, inquiẽs, solis ortus, qui nullũ ferre potest occasum. Sol oriens, Orientem non inficit atrore, sed decorat splendore, ita Christus oriens, Oriẽtem suum, id est, Virginem, ex qua est ortus, nõ infecit corruptione, sed illustrauit admirabili in partu virginitatis conseruatione. D. Greg. Nyss. in orat. de nat. cũ rogasset,

Chrysippus. *De virginitate Deiparæ.* *D. Gregor. Nyssenus.*

quomodo venit Dominus? Respondet: Non naui-
gio, aut curru aliquo, sed incorrupta virginitate, in
vitam humanam traiecit. Nimirum virginitas, siue
virgo, *nauis fuit de longe*, id est, è cœlo, *portans panem vi-*
Proverb. 31. *tæ*, vt sterilem mundũ, in Bethlehem, id est, domum
panis, conuerteret.

Æterno verbo huiusmodi natiuitas fuit cõsentanea. Quemadmodũ enim verbũ nostrũ & sine corruptione mẽtis concipitur, & sine corruptione editur, ita par fuit, vt diuinũ Verbũ & sine vlla maternæ integritatis iniuria cõciperetur, & in lucẽ ederetur. Hoc docet D. Tho. 3. p. q. 28. Vt ostenderetur,
D. Thomas. inquit, quod illud esset corpus Verbi Dei, cõueniẽs fuit, vt de incorrupto virginis vtero nasceretur, &c.
Theodotus Ancyr. Theod. Ancyr. tom. 6. Concilij Ephesini, in Appẽdice 5. & orat. de Christi natiu. Neq; nostrũ, ait, verbũ cum paritur, corrumpit mentẽ, neque Deus verbũ substantiale partũ eligens, perimit Virginitatẽ, &c.

Natiuitas quidem ex vtero, hominẽ esse Christũ probauit: virginitas vero illæsa, Deum esse testata
D. August. Theodotus Ancyr. est. Vt enim ait Aug. ser. 19. de tẽpore; Deum sic nasci oportuit, quãdo esse dignatus est homo, & Theodotus Ancyræ Episcop. in altera oratione habita in Cõcilio Ephesino tõ. 6. Exponat (inquit) mihi Photinus, qui fieri queat, vt natura humana ex vtero Virgineo nata, virginale claustrũ incorruptũ conseruauerit. Nullius .n. vnquã hominis mater virgo permãsit. Cernis quomodo, quod natũ est, duplicẽ de ipso nato sensum nobis offerat. Nã si more nostro natus est, homo vtique, & aliud nihil est. Quod si id, quod natum est, matris integritatẽ illæsam cõseruauit, apud rectè ratiocinantes Deus esse vtique
D. Thom. Dei incarnati natiuitatẽ matris decebat in partu virginitas. cognoscetur. Hæc ille. Et D. Tho. loco indicato; Vt corpus, inquit, Christi verũ ostẽderetur, nascitur ex
Sophronius. fœmina, sed vt ostẽderetur eius Deitas, nascitur ex virgine. Talis .n. partus decet Deũ, &c. Sophronius orat. de natiuitate; Christus in manifestissimũ omnipotẽtis diuinitatis suæ indiciũ, & argumentum, Virginẽ ex qua prodijt, incorruptã cõseruauit, &c.

Ex igne lux, sed admixto fumo oritur, eundem in modũ, ex fœminis viri, etsi illustrissimi, admixto corruptionis fumo, quo matres cõmaculant, oriuntur. Ex Sole lux absque vllo fumo, splendidissima emanat; ita ex virgine, lux vera, absque vllo fumo, quo matris inficeret virginitatem, clarissima emanauit. Arboribus pulcher flos decidit, vt vtilis fructus oriatur, sic in fœminis decidit virginitas, vt optatus filius nascatur. Longè aliter Virgo, & benedictum ventris fructũ protulit, & pulcherrimũ virginitatis
D. Bernard. florem nõ amisit. Ber. se. 1. de circumcisione. Nascitur Christus ex muliere, sed cui fœcunditatis fructus sic accedat, vt non decidat flos Virginitatis, &c.

Peperit itaq; virgo salua (vt par erat) Virginitate filium suum primogenitum; primogenitum, inquã,
D. August. inter multos fratres, id est, homines. Nã vt D. Aug. scribit tract. 2. in Ioannem: *Non timuit ille habere
* Vnicum filiũ Deus misit in mundum, vt non esset vnicus, sed fratres haberet adoptatos.* cohæredes, quia hæreditas eius non fit angusta, si multi eam possederint, &c. Hęc Augustinus. Hominum hęreditas quamuis ampla, si inter multos diuiditur, fit angusta; Christi hæreditas amplissima, etsi hominibus communicetur, non minuitur.

Vnigenitus Christus fratres habere voluit adoptatos. Dejotarus quidam (vt narrat Cœlius lib. 11. c. 17.) cum plures suscepisset liberos, omnes vno excepto iugulauit, vt qui superfuturus erat, potentior fieret, & maiestatis angustioris. Vnde à quodam nõ male vitis appellatur. Quemadmodum enim vitis palmites, vno relicto abscinduntur, vt vnus ille succum totũ ebibat, ita Dejotari filij vno superstite obtruncati sunt, vt vnus totum hæreditatis succum exugeret. Sic etiam nobiles primogeniti, totum fere hęreditatis succum trahunt, ad cæteros fratres parum permanat. At Virginis primogenitus, amplissimam
Cœlius. Dejotarus quidam filios occidit, vt totam hæreditatem vnus adiret.

A quam possidet hæreditatem, fratribus libentissimè impertitur. *Ille vitis vera est*, vt legitur, *nos palmites*, *Ioan. 15.* quibus omnem succum omnem gratiã, omnemq; gloriam suppeditat. Dejotarus cæteros filios obtrũcauit, vt vnus ditior fieret; Deus Pater vnicũ clarissimum filium nec i acerbissimæ tradidit, vt multi fratres fierent opulenti. Omnes enim fratrũ diuitię, ex primogeniti huius vita, morteque in fratres cæteros emanarunt. Quemadmodũ autem ille Spiritu sancto operante, ex virgine natus est, ita etiam fratres eiusdem Spiritus sancti opera, ex aqua renascuntur. Nam vt ait D. Leo ser. 5. de natiuitate; Ori-
D. Leo. Baptismæ. ginem, quam sumpsit ex Virgine, posuit in fonte
B baptismatis. Dedit aquæ, quod dedit matri. Virtus enim Altissimi, & obumbratio Spiritus sancti, quæ fecit vt Maria pareret Saluatorem, eadem fecit vt regeneret vnda credentem. Hæc D. Leo.

Distat primogenitus hic frater à cæteris, infinito interuallo. Etenim adoptati fratres homines tantũmodo sunt, Christus verò non tantum homo, sed etiam Deus est. Nam duas habet naturas perfecti ssimas, diuinã, & humanam, vna in persona siue suppositio copulatas. Rectè etiam Innocẽtius III. sum-
Innocentius. mus pontifex serm. 2. de natiuit. Tres, ait, habere in vna persona substantias. Vt quemadmodum in admirabili Trinitate tres sunt personę, in vna substãtia, siue natura; ita in Christo tres sint substantiæ, in
In Christo est trinitas substantiarũ in vna perso. na verbi. C vna persona. Sicut in Trinitate (ait Innocent.) sunt tres personæ, in vnitate substantiæ; ita fecit, vt tres sint in Christo substantiæ, in vnitate personæ, vt sicut Trinitas personarum non distinguit substantiã; ita Trinitas substantiarum non distinguat personã, &c. Hæ autem sunt tres in Christo substantiæ, substantia carnis, substantia animæ, substantia siue natura diuina: vnica verò tantummodo persona.

Idem docet D. Bern. serm. 3. vigiliæ natiuitatis, his
D. Bernard. verbis: Attende quia sicut in illa singulari diuinitate, Trinitas est in personis, vnitas in substantia; sic in ista speciali cõmixtione, Trinitas est in substãtiis, in persona vnitas; & sicut ibi personæ non scindunt vnitatem, vnitas non minuit Trinitatẽ, ita & hic, persona non confundit substantias, nec substantiæ ipsæ
D personæ dissipant vnitatẽ. Summa illa Trinitas hanc nobis exhibuit Trinitatem: opus mirabile, opus singulare inter omnia, & super omnia opera sua. Verbũ enim, & anima, & caro, in vnam conue nire personã; & hæc tria vnum, & hoc vnum tria; non cõfusione substantiæ, sed vnitate personę. Hæc Bernard.
D. Bernard. In mysterio incarnationis 3. mixturæ. Idem eodem loco, tres in hoc mysterio admirabiles mixturas reperiri affirmat. Coniuncta, inquit, sunt ad inuicẽ Deus & homo, mater, & virgo, fides & cor humanũ. Admirabiles istæ mixturæ, & omni miraculo mirabilius, quomodo tam diuersa, tamque diuisa ab inuicem, inuicem potuerunt cõiungi, &c.
Tertullian. Cyprianus. Homo autẽ Deo mixtus dicitur Christus à Tertulliano, in Apologetico cap. 21. & Cyprianus in lib. de
E Idolorum vanitate; Hic, inquit, id est, filius Dei, est virtus Dei, hic ratio, hic sapiẽtia eius, & gloria, hic in virginẽ illabitur, carnẽ Spiritu S. cooperante induitur, Deus cum homine miscetur, &c. D. quoque Leo
D. Leo. serm. 3. de nat. Non sic creatura, ait, est in societatem creatoris assumpta, vt ille habitator, illa habitaculũ esset, sed ita vt naturæ alteri, altera misceretur, eadẽ phrasi vtitur S. Zeno Veron. episcopus serm. 3. nat.
D. Zeno. Quo modo autem hæc mixtura sit facta, docet August. epist. 3. ad Volusianum hoc modo: sicut in
D. August. vnitate personę, anima vnitur corpori, vt homo sit; ita in vnitate personæ Deus vnitur homini, vt Christus sit. In illa ergo persona mixtura est animę, & corporis, in hac persona mixtura est Dei, & hominis. Si tamen recedat auditor à consuetudine corporũ, qua solent duo liquores ita commisceri, vt neuter

seruet

seruet integritatem suam. Quãquam & in ipsis corporibus, aëri lux incorrupta misceatur. Ergo persona hominis, mixtura est animæ, & corporis; persona autẽ Christi, mixtura est Dei, & hominis. Cũ enim Verbum Dei permixtũ est animę habẽti corpus, simul & animam susceperit & corpus. Hęc Aug. & addit; Si tamẽ non indignè, ad ista mixtionis vel mixturæ nomen admittitur, propter consuetudinẽ corporalium rerum, longè aliter se habentiũ, aliterque notatum, &c. Abstinendum hoc loquendi modo censuerim, coram indoctis.

Quomodo homo dicatur mixtus Deo D. August.

Postquã virgo primogenitũ filiũ peperit, è terra sublatũ, throno Cherubinis celsiore, hoc est, sacris excepit vlnis. Quisnã thronus virginis Deiparę vlnis celsior, aut sanctior esse poterat? Christus (ait chrysippus Ierosol. orat. 2. de Virgine Deipara) sedet in vlnis maternis. Iste porrò thronus verè regius, thron' iste glorioſus, thronus sãctus, thronus solus dignus, qui Sanctum sanctorũ gestaret in terra, &c.

Chrysippus.

Christũ Virgo in præsepio collocauit.

Verũ cherubicũ illum thronũ reliquit Dñs, & abiectissimo in loco, id est, præsepio collocari voluit. Reclinauit igitur eũ virgo in præsepio. Quemadmodũ elegantẽ puerũ Mosem, *mater fcirpea fiscella inclusum in ripa locauit fluminis*, sic Christũ pulcherrimũ infantẽ, virgo in humili præsepio reclinatũ, in ripa, id est, initio, laborũ iã locat. Solẽ ex signo virginis egredientẽ, libra, deinde scorpius, posteà sagittarius excipit. Solem nostrum è virginis vtero prodeuntẽ, diuinę iustitię libra excipit, cui vt faciat satis exoritur, sequẽtur scorpij postea, nec non crudeles sagittarij: *In ripa fluminis expositum Mosem, Pharaonis filia recepit, & aluit*, tu ô anima, si Pharaonis filia es, obliuiscere populũ tuum, & domũ patris tui; in præsepio positum infantem corde excipe, infantilibusq; cibis butyro & melle, hoc est, deuotionis pinguedine & amoris dulcedine nutri. Scriptum est enim apud Isaiam: *butyrum & mel comedet.*

Exod. 2.

Isaiam 7.

Angustiã præsepium templo angustius & cælum in terra.

O præsepe ipso Salomonico templo augustus, & sanctius. Etsi fulgeat auro Ierosolymitanum templum, cherubinis, propitiatorio, arca Dei, candelabris, mẽsis, vasisq; aureis splendeat: atriis amplissimis, sacrificijs, sacerdotumq, ministerio exornetur; Bethlehemitico tamen præsepio inferius est. Non habet Christum aurea domus templi, habet humile præsepium. Præsepium & stabulum in cęlum est conuersum. D. Epiphanius in orat. de Virgine Deipara, Stabulum (inquit) visum est esse cælũ in terra. Neque vero in hoc cælo Angeli defuerunt; idẽ D. Epiphanius eadem orat. Virgo, ait, in spelunca citra laborem prægnans, cæli & terræ Dñm depositi in præsepio, tunc etiã ordines Angelorum circumstabant Virginem, cum clamore dicentes, *gloria in altissimis Deo*, &c. Et Chrysippus: In præsepio choreę circumsteterunt Angelorum. Regum omniũ palatiis, ipsique tẽplo, pauperrimum illud stabulum Angeli anteponebant; eò in admirationẽ summam rapti confluebant, recensque natum regem adorabant.

D. Epiphan.

D. Epiphan.

Angeli in stabulo præsepij. Chrysippus.

Magni pretij vestes Reges quærunt, torques, coronas, sceptra, amplas domos, picta, deauratáq; palatia, eburneos lectos, pretiosa aulæa, quibus domos conuestiant, aurum, argẽtum, opes maximas. Summus Rex hęc omnia abjicit. Videlicet, Reges cęteri foris habẽt opes, noster Rex intus. Nulla re externa ad ornatum indiget, in se omnia ornamenta continet, quibus omnium rapit oculos hominum, & Angelorum. Vnde D. Cyprianus de natiuitate: Ornamenta (inquit) quę deerant, etiam si adessent, nõ haberent oculos inspectores. Quia præsentia paruuli, sic eorum qui aderãt, Ioseph, & si quis fortè alius ibi erat, oculos occupauerat, sic illuminauerat animos, sic corda illexerat, vt in hoc sũmo bono, omniũ bonorũ vnita collectio videretur. Nec opus esset euagari, & mẽdicare per partes, quod simul in se vno, fidelibus omnipotẽs infantia præsentabat. Hęc ille.

Non erant opus ornamenta alia loco, in quo Christus erat. Ipse solus ornamẽta omnia cõtinebat.

D. Cyprian.

O beatã spelunca, in qua omnibus morbis salutaris illa aqua scaturiit, quã Rex sanctissimus Dauid sitiebat, cum: *O si quis* (inquit) *mihi daret potum aquæ de cisterna, quæ est in Bethlehem, iuxta portam.* Nam quod hic tranſigebatur (ait Sophronius Episcopus Ierosolymitanus in hom. de natiuit.) figura de Christo erat. qui est aqua viua omnibus vitam infundẽs. Cisterna sanctissimam Virginem designabat, quę Deũ paritura erat. Hæc ille. Vt c isterna e cælo aquã habet, sic Virgo è cælo habuit conceptũ. Aquã Bethlehem sitiebat Dauid, quia Christum in Bethlehem nasciturum desiderabat.

2. Reg. 23.

Sophronius.

Attamen allatam aquã minime bibit, sed effudit, qua in re Iudæorũ perfidiam adumbrabat. Etenim Iudæi aquam quoq; Bethlehem, id est, Messiã desiderabant, postquam verò aquam desideratam Deus præbuit, bibere noluerũt, sed effuderunt: *Tanquam aqua effusus sum*, ait Christus. Sophronius loco citato: Vates (inquit) Iudæorum in Christum perfidiã facto adumbrabat, ob id aquã haurire noluit, quia Iudæos Christi prædicationi, in suum ipsorum interitum, nequaquã credituros præuidebat, &c. Nos verò è cælo missam salutarem aquam ne effũdamus, sed siti ardentissima ebibamus.

Psalm. 21.

Sophronius.

Dauid aquã ex cisterna Bethlehẽ tres fortissimi viri Philistinorum castra irrumpentes hauserunt: nobis verò ex spelunca Bethlehem, aquã tres fortissimę virtutes, cordis cõtritio, oris cõfessio, operis satisfactio hauriẽt. Irrumpent hostium castra, peccata omnia fortiter iugulabunt, ad fontem sub rupe scaturientem accedent, aquã haustam, quæ sola æternam sitim explere potest, ad nos afferent.

Dauid è cisterna Bethlehem aquã desiderabat, id est, Christum: allatã Iudæi bibere noluerunt.

Hæc vox erat Dauidis: *O si quis mihi daret potũ aquæ de cisterna, quæ est in Bethlehem.* Eadem, & antiquorum erat vox patrum, de quibus Christus, Luc. 10. *Dico vobis, quod multi Prophetæ & Reges voluerunt videre, quæ vos videtis, & non viderunt, & audire quæ auditis, & nõ audierũt.* Eadem hæc sit vox nostra, natalitiis Christi diebus: O si quis nobis daret potum, ex aqua Bethlehẽ, potum qui salutem affert animo, qui vitam affert, qui caducarum rerum sitim pellit, qui fons sit in corde aquæ salientis in vitam æternam.

Desiderabãt antiqui patres Christũ.

Certemus desiderio cum antiquis illis patribus. Promissum fontẽ illi auide desiderarũt, nos exhibitũ auidius cõcupiscamus, illorũ desideria nostris animis addant stimulos, illorum lõga suspiria nostrorum inflãment pectorum teporem. Bern. certè eorum suspiria valde stimulabãt, ita enim vir sanctissimus se. 2. in Cãtica scribit: Ardorẽ desiderij patrum suspirãtiũ Christi in carne præsentiã, frequẽtissimè cogitãs, cõpungor, & cõfundor in memetipso, & nunc vix cõtineo lachrymas, ita pudet tẽporis torporisq; miserabiliũ tẽporum horum. Cui nãque nostrũm tãtum ingerat gaudium gratię huius exhibitio, quãtum veteribus sãctis accenderat desideriũ promissio? Hæc ille. Illi (vt Greg. scribit) veluti naues fuerunt poma portantes; portarunt enim nobis benedictũ fructũ virginei ventris, cuius odore recreabãtur. Nos eiusdẽ sapore iã fruimur. Greg. Iob 9. ad illa verba: *Dies mei pertrãsierũt quasi naues poma portãtes*: Qui poma deferẽtes maria trãsmeãt, ipsi quidẽ fructuũ odore perfruũtur; sed eorundem fructuum aliis cibos ferunt. Quid igitur antiqui patres, nisi naues poma portãtes extiterũt? qui diuinę incarnationis mysteriũ prophetãtes, ipsi quidẽ spei odore potiti sunt, sed nobis fructũ de eiusdẽ spei perfectione detulerunt. Quod enim illi expectando odorati sunt, hoc nos cernẽdo & percipiẽdo satiamur, &c.

D. Bernar.

D. Gregor. Antiqui patres naues poma portãtes.

O nunquã satis laudatã spelunca, in quam ros ille sereno cælo decidit, quẽ ardenti animo Isaias pete-

Isaiæ 45. Ros è cælo Christus. Gen. 27. bat. *Rorate* (inquit) *cæli desuper.* Hũc eundẽ rorẽ Isaac filioſuo imprecabatur, cũ ſic precabatur. *Det tibi* Deꝰ *de rore cæli.* Videlicet ros cæli erat medicina terræ.

Eccleſ. 43. Sic ſcribit Eccleſiaſticus: *Frigidus, vẽtus Aquilo flauit, & gelauit cryſtallus ab aqua ſuper omnẽ congregationẽ aquarũ requieſcet, & ſicut lorica induet ſe aquis, & deuorabit montes, & exuret deſertum, & extinguet viride ſicut igne*, &c. De glacie, ſiuegelu loquitur, quod gelido Aquilone flãte gignitur. Super omnes aquas requieſcit, quia nimio frigore cõglaciant, induit ſe aquis ſicut lorica, quoniam ex aquis in duritiẽ cõuerſis gelu producitur, deuorat mõtes, exurit deſertũ, & extinguit viride ſicut igne; propterea quod mõtiũ, & deſerti, herbarũq; virorẽ abſumit. Effigiẽ habes originarij peccati, quod velut frigidiſſimũ gelu, ex frigidiſſimo ſerpẽtis flatu genitũ eſt. Super omnes aquas, i. populos requieuit, *aquæ* enim *populi ſunt.* Deuorauit mõtes, exuſit deſertũ, omnemque gratiæ virorem extinxit.

Peccatũ originarium vt gelu gratiæ virorem extinxit.

Apoc. 17.

Sed remediũ Deus tanto malo attulit, id ſacri autoris verba continent, quæ ſequuntur. *Medicina*, inquit, *omnium in feſtinatione nebulæ, & ros obuians ab ardore venienti humilem efficiet eum*, &c. Hoc eſt, aduerſus mala, quæ parit gelu, medicina eſt feſtinãs nebula, & ros ab ardore ſuperueniente excitatus, humilem reddit eum, id eſt, cryſtallum, geluque diſsipat. Similem in modum aduerſus mala, quæ peccati gelu in orbem intulit, medicina fuit, feſtinans gratiæ nebula, cæleſtisq; ros, qui in præſepe è cælo deſcendit, vniuerſamque gratiam orbi attulit.

Ibid. At aduerte quę fuerit cauſa roris. *Ros*, inquit, *obuiãs ab ardore veniẽti*, ardor rorẽ excitauit, amor Chriſtũ in præſepiũ fecit deſcẽdere. Opus fuit hoc ardoris, & quidẽ maximi. Ibidẽ Eccleſiaſticus ardẽtiſsimo ſoli tribuit fornacẽ: *Sol* (inquit) *fornacẽ cuſtodiẽs in operibus ardoris.* Similiter Deus Sol ſplẽdidiſsimus, fornacẽ habet amoris, ad opera ardoris. Sunt opificum opera, quæ fornace minimè egẽt, vt veſtes, vt calcei, vt libri, & huiuſmodi alia; ſunt, quę ſine fornace effici neque ũt, vt torques, annuli, catenæ, ferrea inſtrumẽta, & ſimilia. Dei opera ex fornace ſunt, etenim ex amoris ardore emanant. Ex amoris fornace orbis creatio, ex eadem gubernatio, præcipue verò diuini Verbi exijt incarnatio. Quamobrẽ Spiritui S. qui amor eſt tribuitur; hinc illud Chriſti ad Nicodemũ: *Sic* Deus *dilexit mundũ, vt filiũ ſuum vnigenitum daret.*

Eccli. 43.

Opera Dei, opera ſunt amoris, ex fornace prodeunt.

Ioan. 3.

Cant. 3. Dilexit, diligi vult. *Ferculum ſuum Salomon charitate conſtrauit*, præſepe ſuũ Chriſtus amore exornauit. Si Regum ornamenta, ſi gẽmas, ſi pretioſa aulęa, ſi argentum, ſi ebur, ſi aurũ, præſepiũ non habet; certè amoris pluſquã aurea, vel gemmata ornamẽta habet, & incitamẽta. Ecquis infantẽ, & infantẽ Deum non amet, in præſepio, paleisque recumbẽtem. Infantia (ait Chryſologus ſer. 158.) quam barbariem non vincit? quã feritatem non mitigat? quã duritiã non reſoluit? quid non amoris expoſtulat, quid nõ affectionis extorquet? Sic ergo naſci voluit, qui voluit amari. Hæc ille. O amabile præſepiũ, in quo ardentiſsimus hominũ amator recubat. O opulentiſſimum præſepiũ, in quo orbis totius pretium latet. O fulgentiſsimũ præſepium, in quo Sol ſplendidiſſimus mũdo eſt ortus. O cæleſte præſepium, in quo cæli Dominus in paleis iacet. O felices paleas, roſis omnibus, liliis, cæterisq; floribus, pulchriores, quæ vos, quæ genuit tellus? quæ ſeges beata protulit, diuini ignis non tenuem materiam? Non palearũ momentaneum, ſed perpetuum menti incendiũ ſuppeditatis, quod nulla aquarum flumina extinguant. Vos ego complectar, gelidaque in mente locabo. Subjiciet flammas qui iacet igni potens.

D. Chryſolog.

Innocentius. Tres Chriſti natiuitates. Ad extremũ tres natiuitates eſſe docet Innocentius ſerm. 3. his verbis: Sicut tres in Chriſto ſubſtantias fides Catholica confitetur, diuinitatem, carnẽ, ſpiritum; ita tres in ipſo natiuitates Scriptura ſacra teſtatur, diuinã ex patre, carnalẽ ex matre, ſpiritualẽ in mente. Ex Patre naſcitur ſemper, de matre natus eſt ſemel, in mente naſcitur ſępe. Hęc ille. Propterea autem natus eſt Chriſtus ſemel ex matre, vt ſępè naſcatur in mẽte. Danda ergo quã diligentiſſime opera eſt, vt tantę natiuitati animum affectu, effectu, atque profectu prępareмus. Nam (vt ait idem Innocentius) Chriſtus concipitur per affectum, naſcitur per effectum, nutritur per profectum.

Chriſtus cõcipitur ſpiritaliter per affectũ, naſcitur per effectũ, nutritur per profectum.

Præceſſerunt Chriſti natiuitatem ex matre, antiquorũ patrum deſideria, de quibus Greg. Magnus Iob. 9. Electi, inquit, ęſtuãte deſiderio, incarnationis Chriſti myſteriũ videre cupierunt, &c. Præcedant eandẽ, in noſtra mente æſtuantia quoque ſuſpiria, qualia illa ſunt, quę diebus octo ante natalitiũ diẽ, Eccleſia exclamans alto effundit pectore. Aquam Bethlehem cum Dauide, rorem cæli cũ Iſaia, ſalutare Dei cum Iacob, ſapientiam quæ ex ore altiſsimi prodijt, ducẽ domus Iſraël, radicem Ieſſe, clauẽ Dauid, ſplendorẽ lucis æternę, iuſtitię Sõlem, Regẽ gentiũ ac deſideratũ, Emmanuelẽ legiſlatorẽ noſtrũ, gentiũ expectationẽ, & ſeruatorẽ, cũ Eccleſia ardẽti affectu ſuſpiremus. Hic affectus, hęc deſideria, animũ tanto hoſpiti parãt. Nã vt ait D. Thom. p. part. q. 12. art. 6. Deſideriũ quodã modo facit deſiderantẽ aptum, & paratũ ad ſuſceptionẽ deſiderati, & D. Bern. ſer. 31. in Cãtica, Oportet, inquit, vt facti deſiderij ardor pręueniat faciẽ eius ad animam, qui omnẽ cõſumat rubiginẽ vitiorũ, & ſic prępareт locũ Dño, iuxta illud: *Ignis ante ipſũ præcedet*, &c. Danieli apparuit Angelus, & Meſſiæ aduentũ, tẽpuſque indicauit, quia vehementer illud exoptabat. *Veni* (ait angelus) *vt indicarẽ tibi, quia vir deſideriorum es.* Viris deſideriorũ Chriſti indicatur aduentus, eorũque in pectore, deſideriorum flammis exardeſcente naſcitur.

Eccleſia in Antiphonis Aduentus.

D. Thomas. Affectus deſiderium.

D. Bernard.

Pſal. 69.

Dan 9.

Affectui adiungẽdus eſt effectus. Affectus enim ſi verus eſt, & efficax; quæ deſiderat, pertrahit ad effectũ. Addendus pręterea profectus, vt retro aſpiciamus nũquã, vlterius progrediamur ſemper. Magni illius Antonij eremi cultoris (vt in vita eius ſcribit D. Athanaſius) verba ſunt hęc. Hoc ſit primũ cũctis in cõmune mandatũ, nullũ in arrepti propoſiti vigore laſſeſcere, ſed quaſi incipientẽ augere ſemper debere, quod cœperit. Pręſertim cũ humanę vitę ſpatia, ęternitati cõparata, breuiſsima ſint, & parua. Item; Precor vt ad finem propoſiti omni labore tẽdamus. Nemo poſt tergum reſpiciens Lot imitetur vxorem; pręſertim cũ Dñs dixerit, nullum ponentẽ manũ ſuper aratrũ, & reſpicientem retrorſum, dignũ eſſe regno cęlorũ. Reſpicere autẽ retrorſum, nihil aliud eſt, quã in eo pęnitere, quod cęperis, & mũdanis rurſus deſiderijs obligari. Hæc D. Antonius.

D. Antoñ.

Frumenti ſemen primum terrę mãdatur, deinde abſcõditum in terra ad effectum, hoc eſt, ad herbã progreditur, neq; vero quieſcit, donec proficiendo ad perfectã perueniat ſpicã. Similem in modum, vt ſemen in animo ſeritur virtutis deſideriũ, enitendũ eſt, vt ad effectum veluti ad herbã ducatur, & ad virtutis perfectionem veluti ad perfectã ſpicã perducatur. Greg. Mag. l 2. in Ezechielem ho. 15. Cum bona deſideria cõcipimus, ſemen in terram mittimus; cũ vero operari recta incipimus, herba ſumus, cũ autem ad profectum boni operis creſcimus, ad ſpicã peruenimus. Cumque in eiuſdem operationis perfectione ſolidamur, iã plenũ frumentũ in ſpica proferimus. Hęc ille. Et multa alia in hãc ſententiã. Eodem loco, portę orientalis tẽpli gradus, virtutũ gradus adumbrare docet, his verbis: Quid gradus ſunt huius portæ, niſi merita virtutũ. Nemo enim repẽte fit ſummus. Sed in bona cõuerſatione à minimis quiſque inchoat, vt ad magna perueniat.

De profectu.

D. Gregor.

CAPVT

CAPVT XIX.

De vocatione Pastorum ad præsepe Christi, Lucæ 2.

ET Pastores erant in regione eadem, vigilãtes, & custodientes vigilias noctis, super gregem suum. Et ecce Angelus Domini stetit iuxta illos, & claritas Dei circumfulsit illos, & timuerunt timore magno. Et dixit illis Angelus: Nolite timere; ecce enim euangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo: quia natus est vobis hodie Saluator, qui est Christus Dominus, in ciuitate Dauid. Et hoc vobis signum, inuenietis infantem, pannis inuolutum & positum in præsepio. Et subitò facta est cum Angelo multitudo militiæ cælestis, laudantium Deum, & dicentium: Gloria in altissimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Et factum est, vt discesserunt ab eis Angeli in cælum, pastores loquebantur ad inuicem: transeamus vsque Bethlehem, & videamus hoc verbum, quod factum est, quod Dominus ostendit nobis. Et venerunt festinantes, & inuenerunt Mariam, & Ioseph, & infantem positum in præsepio. Videntes autem cognouerunt de verbo, quod dictum erat illis, de puero hoc. Et omnes, qui audierant mirati sunt, & de his, quæ dicta erant à pastoribus ad ipsos. Maria autem conseruabat omnia verba hæc, conferens in corde suo. Et reuersi sunt pastores glorificantes, & laudantes Deum, in omnibus, quæ audierant, & viderant, sicut dictum est ad illos.

Locus in quo pecora pascebant pastores.

EADEM nocte, qua natus est pastor bonus, pastoribus bonis natiuitatem suam ab Angelo voluit nuntiari, *Erant* autem *pastores* (vt Lucas docet) *in regione eadem.* Nam prope Bethlehem circa locum, qui dicitur turris Gueder, siue Ader, id est, gregis, pecora pauisse dicuntur à Beda, & aliis. Turris gregis (ait Beda in Lucam) mille circiter passibus à ciuitate Bethlehem, ad orientem distat, vaticinio sui nominis, pastores hos multo ante demonstrans, ad quam angelicæ potestates, pastoribus apparẽdo venerunt. Hieronymus in libro de locis hebraicis; Mille circiter passibus procul turris Gueder, quæ interpretatur, turris gregis, quodam vaticinio pastores dominicæ natiuitatis conscios antè signans. Et in Epitaphio Paulæ; Non procul, inquit, inde, id est, à Bethlehem, descendit Paula ad turrim Ader, id est, gregis, iuxta quam Iacob pauit greges suos, & pastores nocte vigilantes audire meruerunt; *Gloria in excelsis Deo.* De eadem turri Adrichomius in tribu Iuda sic scribit: Turris gregis campus est vberrimus pascuis, & grãdibus oliuis refertus. Distat passibus ferè mille à Bethlehẽ, vbi Iacob patriarcha fixit tabernaculũ, & pauit greges suos. Atque hoc ipso loco pastores Angelos viderunt, & canentes audierunt, &c.

Beda.

D. Hieron. De turri gregis.

Adrichomius.

Genes. 35.

Borchardus.

Pauisse autem Iacob iuxta hãc turrim greges, colligitur ex illis verbis; *Iacob fixit tabernaculum trans turrim gregis*, &c. Habitauit ergo Iacob propè turrem gregis, eoque loco greges pauit. Vnde Borchardus in descriptione terræ sanctæ. 1. p. c. 7. § 56. contra Orientem (ait) Bethlehem est turris Ader, vbi creditur Iacob post Rachelis mortem aliquo tempore mansisse. Hic pastores hora felicissimi ortus Saluatoris, audierunt vocem Angeli; *Euangelizo vobis gaudiũ magnum, & gloria in excelsis Deo.* Quod quidem non nisi diuina sapientia, & dispositione actum est, vt illo in loco natus Dei filius annuntiaretur pastoribus, in quo sanctus ille pastor Iacob commoratus fuerat, à quo descenderat stella ex Iacob, id est, Virgo, quæ suum & nostrum peperit Redemptorem. Hæc ille.

Hebræi, vt Hieronymus docet, in quæstionibus hebraicis in Genesim, turrim gregis, iuxta quam Iacob habitauit, templi locum fuisse, sed falso arbitrati sunt. Hũc locum (ait Hieronymus) Hebræi esse volunt, vbi postea templum ædificatum est, & turrim עדר Ader, turrim gregis significari, hoc est, cõgregationis, & cœtus. Illoque tempore Iacob trans locum, vbi postea templum ædificatum est, habuisse tentoria. Sed si sequamur ordinem viæ, pastorum iuxta Bethlehem locus est, vbi vel angelorum grex in ortu Dñi cecinit, vel Iacob pecora sua pauit, loco nomẽ imponẽs. Vel quod verius est, quodã vaticinio futurũ iã tũc mysteriũ mõstrabatur. Hęc Hierõ.

D. Hieron.

Cur turris gregis dicta sit, rationes ille reddit. Existimarim turrim gregis appellatam, quod eo loco turris aliqua fuerit extructa, iuxta quam pastores pecora solerent pascere. Quæ sententia est Abulens. Gen. 35. Locus, inquit, qui dicitur turris gregis, est apud Bethlehem. Erat enim ibi aliqua turris, apud quam pastores manebant, & ibi nato Christo apparuit Angelus pastoribus, &c. Apud Michæam prophetam mẽtio quoque fit turris gregis. Et *tu* (inquit) *turris gregis nebulosa filiæ Sion, vsque ad te Veniet, & veniet potestas prima, regnum filiæ Ierusalem.* Nebulosa hebraicè dicitur עפל Ophel, quod etiam nomen dicitur esse proprium turris, vel arcis 2. Paralip. 27. & 33. Sec. Esd. pro templo sumitur, vbi latinè habetur; *A turre magna, & eminente, vsque ad murum templi*, hebraicè dicitur, Ophel, pro templo. Beda eodẽ capite, de Ophel sic scribit; Ophel turris erat non longè à templo, enormis altitudinis, vnde & Ophel, hoc est, tenebrarum, seu nubili nomen accepit, quòd vsque ad nubes erigeret caput. Iosephus Ophlæ meminit lib. 2. Belli, cap. 18. & libr. 6. cap. 6. & lib. 7. cap. 13. sed turrim non appellat.

Abulensis.

Locus Michææ de turri gregis exponitur. Mich. 4.

2. Esdræ 3.

Beda.

Iosephus.

De turri autem gregis, iuxta quam pastores pernigilabant, sermonem haberi apud Michæam putarunt Adrichomius loco citato, Card. Baro. in Annalibus. Beda Luc. 2. & Haymo. Sacri tamen interpretes in Comment. Michææ, de hac turri locum minimè exponunt, de templo Ierosolymitano, in quod Christus venit regum maximus, Hieronymus, & Liranus interpretantur. Sensus verò est huiusmodi:

Adrichomius Card Baron. Beda Haymo.

Et tu turris gregis, hoc est templum, quo grex, id est, populus Domini confluit, vel turris gregis, in qua victimæ mactantur. *Nebulosa*, quod ad nubes vsque altitudine pertingas; vel, quod fumi ex sacrificijs prodeũtis nebulas exhales; vel, quod typis ac figuris veluti nebulis cincta es. *Turris*, inquam, *nebulosa filiæ Sion* (sic enim legendum docent correcta biblia) id est, templum Ierosolymorum. *Vsque ad te veniet*, & veniet, inquam, primum, & antiquum illud Dauidis imperium, non in vmbra, sed in veritate. Christus in te ingredietur Regum summus. Vmbra enim imperij Christi, antiquum erat Dauidis imperium. Vnde illud Angeli ad Virginem; *Dabit illi Dominus Deus sedem Dauid patris eius*, &c. Respicit vaticinium tẽpus illud, quo Christus asello vectus singulari triumpho templum Ierosolymitanum introiuit, acclamante turba, vt est apud Marcum: *Osanna benedictus qui venit in nomine Domini, benedictum quod venit regnum patris nostri Dauid, &c.* Hoc regnũ dicitur à Michæa potestas prima, quę venit vsq; ad turrim gregis, id est, templum.

Marc. 11.

Chaldęus turrim gregis, Christum interpretatur. Quod dixit propheta; *Et tu turris gregis nebulosa*, interpretatur ille: *Tu autem Christe Israëlis, qui absconditus es.* Quasi dicat, *Tu Christe turris gregis*, id est, Israëlis; *Nebulosa*, id est, absconditа; deinde adiungit. *Tibi veniet regnum*, &c. Vt ex hac interpretatione colligitur, Christus est turris nebulosa, id est, ad nubes, imò ad cælum vsque pertingens. *Venite* (aiunt Genes. 11. Babylonicæ turris architecti) *faciamus nobis ciuitatem, & turrim, cuius culmen pertingat ad cælum.* At frustra. Turris, quæ e terra ad cælum vsque pertingebat, Christus erat; iuxta illud: *Vsque ad cælum attingebat stans in terra, &c.* Etenim Deus erat, homoque verus. Sed turris erat nebulosa alio sensu Chaldæi, hoc est, nebulis circũsepta & absconditа; *Posuit enim tenebras latibulum suum*, Psal. 17. Ignota Iudæis erat turris & altitudo, & fortitudo. Turris erat gregis; quoniam quemadmodum milites excelsa, munitaque turris, ita gregem suum, id est, Christianos suos, Christus protegit, ac tuetur. Grex enim Christi, Christiani. Ad hanc turrim, id est, Christum, vt Chaldæus interpretatur, potestas venit prima, regnumque à prophetis prædictum, de quo supra iam diximus.

Christus turris nebulosa, id est, absconditа.

Sap. 18.

Vt D. Hieronymus scribit Isaiæ cap. 32. duas turres Hebræi in Ierusalem fuisse arbitrati sunt; quarũ vna, Ophel, id est, tenebræ, siue nubilum dicebatur, quòd vsque ad nubes erigeret caput, altera Bachan, id est, probamentum, & firmitas, siue vt Symmachus vertit inquisitio, eo quod in contemplando culmine eius oculi fallerentur. His similis Christus, turris est, Bachan, quod probametum sit fidei, in cuius culmine contemplando, Iudæorum falluntur oculi. Est turris Ophel, quia celsissimus est, & Deus absconditus. Quemadmodum atris nebulis tecta turris, minimè conspicitur; ita Christus natus in Bethlehem; minimè conspiciebatur. Mittit ergo Deus ad pastores nuntios Angelos, vt latentem in præsepio turrim discussa ostendãt nebula.

Duæ turres Ierusalem.

Erant autem *pastores*, vt ait Euangelista Lucas, *vigilantes, & custodientes vigilias noctis super gregem suum.* Vigilantes græcè ἀγραυλοῦντες, id est, in agro pernoctantes. Theophylactus, ἀγραυλοῦντες, interpretatur, in agro canentes; Et Euthymius; Verbo, inquit, ἀγραυλεῖν, quidam interpretantur ἐν ἀγρῷ αὐλεῖν, id est, in agro tibia canere, siue fistula vti. Custodientes vigilias noctis, græcè φύλακας. id est, custodias noctis. Diuiditur enim nox in quatuor custodias, siue vigilias, quas pastores, ne quid grex detrimenti caperet, obseruabant. Nox erat illa eadem, in quam felicissimus Virginis partus incidit. O felices, felicis noctis vigilias, quibus Angelos, Angelorumque Dominum contigit cernere. Si Dominum natum cupis cernere, vigilias custodi super gregem tuum, hoc est, super cogitationes, verba, operaque tua.

Pastores vigilantes.

Quod si quæras quot fuerint pastores, qui ad præsepe venerint? Respõdeo ex Beda colligi, fuisse tres, quemadmodum & Magos, sic enim scribit in libro de locis Sanctis, c. 8. Ad Orientẽ in turre gregis mille passus à Bethlehẽ ciuitate, segregata est Ecclesia, trium pastorum, diuinæ natiuitatis consciorum, monumenta continens. Hæc ille, & Haymo; Distat, ait, turris gregis vno milliario à Bethlehem, in qua etiã hodie, trium pastorum corpora requiescunt.

Quot fuerint pastores Beda.

Haymo.

Ecce Angelus Domini stetit iuxta illos, & claritas Dei circumfulsit eos.

Hunc Angelum fuisse Gabrielem putat Haymo. Concipiendum Christum Virgini, iam conceptum Ioseph o nuntiauit, iam natum nuntiat pastoribus, humili hominum generi, simplici, atque innocenti. Iuxta illud Christi: *Abscondisti hæc à sapientibus, & prudẽtibus, & reuelasti ea paruulis*: Pastoribus (ait Theophylactus) apparet Angelus, propter simplicitatem, & innocentiam morum, & quod iustorum vitam imitari videantur. Etenim prisci patriarchæ pastores erant, &c. Videlicet, humiliter natus Dominus humilibus non superbis indicatur. Ambrosius serm. 9. Pastores primi ante omnes homines, Saluatoris ortum, intimantibus Angelis cognouerunt. Angeli enim non regibus, non iudicibus, sed hominibus rusticanis, sæculi redemptionem prius annuntiarunt. Nec mirum, si Christi gratiam ante scire meruit innocẽtia, quam potestas: & prius cognoscere veritatem simplex rusticatio, quam superba dominatio, &c.

Haymo.

Quis Angelus pastoribus apparuerit?

Matt. 11.

Theophyl.

D. Ambr.

Noluit Dominus natiuitatis suæ manifestationẽ morari; eadem, qua natus est nocte, nuntium ad pastores misit, nuntium, inquam, non terrenum, sed cælestem, non è terrena aliqua curia, sed à cęlesti, nempe Angelum. Non enim terreni alicuius Regis sed cælestis natiuitatem nuntiabat. Stetit ille iuxta pastores; *Et claritas* (ait Euangelista) *Dei circumfulsit illos*, Etenim nox erat, vt illam illuminaret, claritatẽ Angelus emisit. Similem in modum cum nocturno tempore Petro apparuit, legitur; *Angelus Domini astitit, & lumen refulsit in habitaculo.* Græce claritas dicitur δόξα, id est, gloria Domini, videlicet, claritas quædã diuina, atque cælestis. Dicitur etiam gloria, vel claritas Domini, quia indicabat hic splendor, diuinum nati Christi splendorem, quo nox illuminata est mundi. Vnde Beda, homil. 1. Cum, inquit, vera lux mundi nascebatur in mundo, dignum profecto fuit, vt præco natiuitatis illius, id est, Angelus, etiã corporales hominum visus nouitate cælestis perfunderet lucis. Item: Cum Christus mundum gloria nouæ natiuitatis illustrare dignatus est decebat omnimodis, vt ipsam etiam, in qua natus est regionem, claritas lucis nouæ compleret, &c. Et Bernardus ser. 4. Nox vt dies illuminata est, cum intempestæ noctis hora, pastores circumfulsit lux noua de cælo.

Act. 12.

Claritas Dei quid sit.

Beda.

D. Bern.

D. Ambrosius, ser. 16. Natiuitatis die solem putat nouo quodam fulsisse splendore, & ad ortum festinasse. Oriente, inquit, Saluatore, non solum humani generis salus, sed etiam solis ipsius claritas innouatur. Sicut ait Apostolus ad Ephes. 1. *Vti per ipsum restauraret omnia, siue quæ in cælis, siue quæ in terra sunt.* Si enim Sol obscuratur cum Christus patitur, necesse est illã splendidius solito lucere cum nascitur. Et si Iudæis mortem operantibus offundit tenebras, cur non Mariæ parturienti vitam exhibeat claritatem? Aut quare non credamus quod nascente Christo Sol ad obsequium lucidior aduenerit, cum Magos ad indicium clarior stella præcesserit. Et si stella per diem, alieni temporis officium ministrauit, cur non credamus, quod Sol quoque nocturnis horis aliquantulum aduentu maturiore decerpserit? Ex eo denique

D. Ambr.

Ephes.

factum

factum puto, vt nox decresceret, dum Sol festinus, ob dominicę natiuitatis obsequium, ante lucē mūdo protulit, quàm nox cursum sui temporis cōsummaret. Quin potius ipsam noctem fuisse non dico, nec aliquid obscuritatis habuisse, in qua pastores vigilant, exultant Angeli, astra deseruiunt. Si Sol ad Iesu Naue orationem defixus stetit in die, cur non ad Christi natiuitatem festinus promoueret in noctem? Hæc ille.

Nolite timere: ecce enim euangelizo vobis gaudium magnum, &c.

Subita lux in medijs splendescens tenebris, Angeliq́ue conspectus pastoribus timorem incussit. Timorem Angelus pellit, gaudioq́ue plenum nuntium profert. N*olite*, inquit, *timere*, nulla timoris est ratio, magna gaudij. *Euangelizo enim vobis gaudium*, non quodlibet, sed *magnum*, nuntium affero lætissimum; lætissimum, inquam, omni populo, id est, Ecclesiæ populo Christi, nam Iudæorum omni populo lætissimum non fuit hoc nuntium, propter eorum perfidiam. *Beda.* Vnde Beda, Gaudium, inquit, quod erit omni populo; non omni populo Iudæorum; neque omni populo gentium, sed omni populo credentium. *Haymo. Theophyl.* Haymo: Omni populo, subaudi, credenti. Theophylactus: Gaudiū futurū omni populo, qui proprie populus Dei, nō enim omnes Iudæi populus Dei, &c.

Nuntium autem hoc est; *Quia natus est vobis hodie Saluator, qui est Christus Dominus, in ciuitate Dauid*, Primò nuntiat Angelus, quis sit natus, tanti causa gaudij; *Saluator*, inquit, *natus est, qui est Christus*; id est, Messias; *Dominus*, id est, Deus. Nemo enim nisi Deus absolutè dicitur Dominus. Quid autem lætius, quam Saluatoris, quam optatissimi Messiæ, quam Domini natiuitas? Apertè pastores docet Angelus natum infantē esse Christum, id est, Messiam, populi Saluatorem. Deinde natiuitatis tempus indicat, N*atus* (inquit) *est hodie*; nō dixit hac nocte, sed hoc die, naturalis enim dies noctem etiā complectitur. Prætereà natiuitatis Christi noctē, diem vocat; quia post ortum solis dies *Beda.* est, ipse verò ortum Solem, id est, Christum nuntiabat. Vnde Beda: Quia habitantibus nobis in regione vmbræ mortis, lux orta est vitæ; aptè nuntius ortus eiusdem dicit; Natus est vobis hodie Saluator. Vt hoc quoque verbo admoniti, semper recordemur; quia nox præcessit antiquæ cæcitatis, dies autem appropinquauit æternæ salutis. Et ipsi *abijciamus opera tenebrarum, & vt filij lucis ambulemus*. Sic ille.

Præter hæc locum natiuitatis ostendit; *In ciuitate* (ait) D*auid*, id est, Bethlehem patria Dauidis, quæ propinqua erat. Sed quia non erat satis ciuitatem ostendere, peculiarem etiā locum indicat, videlicet præsepium, his verbis; *Hoc vobis signum, inuenietis infantem pannis inuolutum, & positum in præsepio*. Hinc non sine *Caietanus. Præsepium notum pastoribus.* probabilitate colligit Cardinalis Caietanus, Præsepe illud fuisse notum pastoribus; vnicum, ac commune, & patens omnibus, & per antonomasiam præsepe appellatum. Alioqui si peculiare aliquod, & ignotum præsepe esset, alio signo indicari præsepe ipsum oporteret. Dixissetq́ue Angelus: Inuenietis infātē in hoc vel illo loco, positū in præsepio. Videtur ergo spelūca illa, vel diuersoriū, in quo Christus natus est, nomē habuisse præsepij, propter præsepium ibi collocatum, omnibusq́; commune.

Dici quoque potest, speluncam illam præsepij nomen non habuisse; sed hoc signum nuntiati infantis datum, quod in præsepio pānis inuolutus reperiretur; speluncam vero ab Angelo, vel Angelis, ostensam pastoribus. Appellauerat Angelus natum infantem Saluatorem, Messiam, Dominum, quamobrem possent in animū inducere pastores, in ampla aliqua domo, satellitibus stipatum, nobilibusq́ue viris cinctum, in aureo iacēre lecto; atque adeò non facilem sibi ad illum patere aditum. Ne igitur hoc existiment, natum Messiam, ait Angelus pannis esse inuolutum, & positum in præsepio, in quod facilis sit omnibus aditus.

Messiæ signū non opes sed paupertas, in primo aduentu.

Præterea Iudæi Messiam expectabant regio cultu regiaq́ue potentia, & opulentia insignem. Hoc errore Angelus homines liberat; signum Messiæ, non opes, nō sceptrum, non cultum regium, sed pannos & præsepe esse affirmat. Quasi dicat, quicumque Messiam quæritis, hoc vobis signum inueniendum propositum sit: *Inuenietis infantem pannis inuolutum, & positum in præsepio*. Non enim hic maiestatis est aduētus, sed humilitatis; Saluator est, ad seruandum venit, vt seruet, humilitate est opus, non maiestate Aduenier extremo tempore adiudicandum. Ille aduētus maiestatis erit non humilitatis.

Et subitò facta est cum Angelo multitudo militiæ cælestis, &c.

Gabrielis Archangeli, de Messia nato nuntium orbi datum, Angelorum multitudo festiuo hymnō Dei laudes concelebrans excepit, ac confirmauit. Tantæ enim natiuitatis multos oportebat esse, è cælo testes, ac celebratores. Dicitur autem Angelorum multitudo militia, vel exercitus cælestis, hebraicè צבא tseba, propterea quod instar militum, & innumerabiles sunt, & ordine per choros, veluti cohortes dispositi, & Deo imperatori obsequentissime pa- *Angelorum militia cælestis* rent, & aduersus dæmones certant. Hinc Deus dici- *D. Greg.* tur Dominus Deus Sabaoth, hoc est, exercituū. Angelicos spiritus (ait D. Gregor. Iob. 25.) rectè Dei milites dicimus, quia decertare eos contra potestates aëreas non ignoramus, quæ tamen certamina non labore, sed imperio peragunt, &c.

Angelorum dux Christus ostenditur Ioanni, se- *Apoc. 19.* quitur exercitus; *Ecce*, inquit, *equus albus & qui sedebat super eū vocabatur fidelis, & verax, & exercitus qui sunt in cælo sequebantur eum in equis albis*. Non sunt pedites hi milites, sed equis vehuntur omnes, qua pictura Angelorum significatur velocitas, ac dignitas. Equorū verò candor, eximiam adumbrat puritatem, nullo enim vnquam peccato sunt contaminati.

Genes. 32. *Iacob fuere obuiam Angeli, quos cum vidisset, dixit: Castra Dei sunt hæc.* Castra Dei sunt Angeli, qui Ecclesiā defendunt. Angelus hominis custos in circuitu illius *Psal. 33.* veluti castrametatur, vnde illud: *Immittet Angelus Domini in circuitu timentium eum, & eripiet eos* D. Hieronymus sic vertit: *Circundat Angelus Domini in gyro timentes eum, & eruet eos*. Verti etiam potest, *Castrametabitur Angelus in circuitu timentiū eum*; Verbum enim Hebræum, Chana, castrametari significat; vnde nomē Machanaim, id est, castra, quod Iacob loco imposuit, in quo *Genes. 32.* Angelos vidit: *Fuerunt ei obuiam Angeli Dei, quos cum vidisset, ait; Castra Dei sunt hæc, & appellauit nomen loci illius, Machanaim*, est, castra.

Gloria in altissimis Deo, &c.

Si cum natus est orbis, Deum laudarunt Angeli; par erat, vt cū natus est ex virgine Deus homo, tāto maiori laude eum afficerent: quanto est mirabilius, atque excellentibus opus, Dei hominis natiuitas, quam mundi creatio: *Quis demisit lapidem angularem eius*, id est, terræ; *cum me laudarent astra matutina, & iubilarent omnes filij Dei?* Iubilabant omnes filij Dei, id est, Angeli, cùm natus est orbis; quidni iubilarent, cùm natus est conditor orbis, quidni iubilarent, cùm Deus lapidem argularem, ac fundamentalem Christum demittebat in fundamentum Ecclesię? Iubilabant quidem, & Deum magno cum iubilo laudabant, nosq́ue ad eiusdem Domini laudes sua laude concitabant. Nobis datus, nobis natus est, *D. Gregor.* non Angelis; si Angeli iubilant, quibus non est natus, quid nos facere oportet, quibus est datus? Gregorius Magnus Iob capit. 38. Angeli, inquit, vt nos

Iob 38.

ad

ad laudem conditoris accenderent, orta per carnem luce clamarunt; *Gloria in excelsis Deo*, &c.

Non esse autem natum Angelis Christum dicimus; quia vt illos redimeret non est ortus. Quod docet D. Greg. loco indicato; Angeli, inquit, electi, incarnationis mysterio redempti nõ sunt. Eodẽ loco, *Astra matutina Angelos, vespertina homines.* astra matutina Angelos, matutino mundi tempore conditos, astra verò vespertina homines, nouissimis diebus redemptos, ait significare. Tam verò matutina, quam vespertina astra, Deum propter maximam illius largitatem laudibus extollere. Astra, inquit, matutina etiã cũ vespertinis, Redemptoris potentiã laudant, dum electi Angeli, etiam cum redemptis in mundi fine hominibus, largitatem gratiæ supernæ glorificant, &c. In media sacrosanctæ illius noctis B caligine, astra matutina clarissima, id est, Angeli, effulserunt; Deumque ob admirandum diuinæ natiuitatis beneficium nouo hymno celebrarũt. Vespertina quoq; astra, id est, sacerdotes, à matutinis astris, id est, Angelis doxologiã addiscentes, dũ sacris operantur mysterijs, eandẽ diuinã extollunt maiestatẽ.

De doxologia, id est, cantico gloria in excelsis. Quod verò ad doxologiam attinet, aduertendum est in codicibus græcis, qui nunc extãt, legi: ὲν ἀνθρώποις εὐδοκία, hoc est, *in hominibus bona voluntas.* Hoc modo legunt Græci, Euthymius, Theophylactus, Clemens in constitutionibus, lib. 7. cap. 47. Eusebius, li. 4. de demonstratione Euangelica, cap. 10. D. Epiphanius, hęresi 30. D. Gregorius Nazianzenus oratione 42. de paschate. Eodem modo legunt Syri. Continet C autem Græcorum lectio membra tria, hoc modo; *Gloria in altissimis Deo, & in terra pax, in hominibus bona voluntas:* Gloriam Deo optant Angeli, pacem terræ, hominibus bonam voluntatem, id est, beneplacitum, beneuolentiamque Dei. Nam εὐδοκία, beneplacitum significat, & bonam voluntatem.

Lectio græcorum. Euthymius. Theophyl. Clemens. Eusebius. D. Epiphan. Nazianzen.

Luc. 10. Quo loco legitur; *Etiam pater, quoniam sic placuit ante te*, græce dicitur ὅτως ἐγένετο εὐδοκία, id est, *ita factum est beneplacitum ante te.* Ecclesiasticus: *Quod beneplacitum est illi*, id est, Deo; *fides, & mansuetudo*, græcè pro beneplacito, est, εὐδοκία, cap. etiam 2. 34. & 35. & Psalmo *Ecclesi. 1.* 140. *Oratio mea in beneplacitis eorum*; græce, ἐυδοκίαις, Psa. *Psal. 140.* 68. *tempus beneplaciti Deus*, græce ἐυδοκίας. Theodore- *Psal. 68* tus in Commentarijs Psal. 5. εὐδοκίαν (ait) sacræ lit- *Theodoret. Psal. 5.* D teræ vocant bonam Dei volũtatem; eiusmodi est illud: *Benedixisti Domine terram tuam*, græcè, εὐδόκησας, id est, bonas res voluisti, dilexisti. Psal. 5. hoc dicitur; *Scuto bonæ voluntatis tuæ*, græcè, εὐδοκίας, *coronasti nos*, hoc est, tua bona voluntas, tuusque maximus amor, & *Quid sit εὐδοκία & bona voluntas. Theophyl.* dilectio in nos, est nobis scutum. Hęc Theodoretus. Ad Philippenses 1. Quidam propter bonam voluntatem Christum prædicãt, græcè, εὐδοκίαν, Theophylactus ad Rom. 10. in illa Pauli verba *volũtas* (græcè, εὐδοκία) *quidem cordis mei, & obsecratio ad Deum fit pro illis*, id est, Iudæis in salutem, εὐδοκίαν, interpretatur vehemens desiderium, eodem modo Chrysost.

Chrysost. Euthymius. Euthymius græcus Angelorum hymnum ita explanat: Laus in cęlis Deo, in terra pax, in hominibus beneplacitum patris, quod olim erat, hoc autem est, E vt incarnaretur filius, ac saluaretur homo. Nunc enim completum est, quod olim patri benep lacuit, *Theophyl.* siue quod definiuit, ac voluit. Theophylactus sic; Gloria Deo, dicunt Angeli, super terram autẽ nunc pax facta est, & cum prius natura humana inimica fuerit Deo, nunc ita conciliata est, vt & Deo adiuncta sit, & incarnato vnita. Aliter quoque intelligitur pax ipse filius Dei. Et hominibus bona volũtas Dei, id est, Deo requies in illis hominibus. Et cui prius nõ beneplacitum erat in hominibus, nunc pro beneficijs, & refocillationibus, hominum habet opera, in quibus & quietem habet, &c.

Noster interpres legit, εὐδοκίας, casu secundo, *D. Iren.* quæ est lectio diui Irenæi libro tertio, cap. 11. Hieronymi, Augustini, & Latinorum, eadem extat in bi- *D. Hieron. D. August. Lectio latinorum.* blijs correctis, atque adeò sequenda. Triplicem verò sensum probabilem continet. Primus vulgatus, *Triplex sensus.* bonam voluntatem tribuit hominibus hoc pacto; *In terra pax hominibus*, qui bonam habent volũtatem, ita August. interpretatur libr. 14. de ciuitate Dei cap. 8. & Hierõ. Epistola 29. ad Theodoram; In cælo, inquit, vbi non est peccatum, gloria est, & perpetua *D. August. D. Hieron.* laus, & indefessa præconia; in terra autem vbi seditio, bella, atque discordiæ, pax imprecanda est: & pax non in omnibus, sed in ijs, qui bonæ voluntatis sunt, &c. Item Beda Lucę 2. Angeli cum pacem ho- *Beda.* minibus poscunt, exponũt, & quibus, videlicet, bonę voluntatis, hoc est, eis qui suscipiunt natum Christũ. Non Herodi, cæterisque antichristis, &c. Ita exponit etiam Lyranus, & cæteri interpretes latini.

Secundus sensus bonam voluntatem ad Deũ refert hoc modo: *In terra pax hominibus*, bonæ voluntatis diuinæ, vel beneplaciti diuini, id est, quos Deus amat, & gratos iam habet. In hanc sententiam interpretatur Euthymius illud: *Scuto bonæ voluntatis tuæ co-* *Euthymius, Psal. 5.* *ronasti nos*: græcè, εὐδοκίας. Scutum bonæ voluntatis, appellari putat scutum gratum & placitum, ita homines bonæ voluntatis, intelligi possunt, homines Deo grati, ac placiti, in quibus Deus sibi complacuit per Christi incarnationem. Nam vbi habetur: *Hic est* *Matth. 17.* *filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui*, pro, bene complacui, græcè dicitur, εὐδόκησα. Matth. quoq; decimo secundo, & Luc. 13.

C Tertius sensus Bonam voluntatem cum pace copulat: *In terra pax hominibus*, pax, inquam, bonæ volũtatis, id est, profecta, nõ ex meritis hominum, sed ex beneplacito, & bona voluntate Dei. Nonnulli sic exponunt, hominibus pax bonæ voluntatis, id est, pax, quę est bona volũtas Dei erga eos, quem in modũ dicitur vrbs Romę, id est, vrbs quæ est Roma, &: *Scuto bonæ volũtatis tuæ coronasti nos*; id est, scuto, quod *Psalm. 5.* est bona volũtas tua, in modũ coronæ cinxisti nos.

Secuti sunt Angeli morem salutandi hebræorum, pacem enim imprecabantur in salutando hebręi; Pax tibi; Pax vobis; Pax huic domui. Gloriam tribuunt Deo, pacem hominibus imprecantur. Significat autem pax omnimodam salutem; & prosperitatem, pax tibi, id est, salus tibi sit, bene habeas, prospere tibi omnia eueniant. Vnde illud Dauidis: *Est ne pax pue-* *2. Reg. 18.* *ro Absaloni?* hoc ëst, habet ne bene? saluus ne est, & incolumis? neque enim de pace loquitur, quæ bello repugnat, cum bellum, Absalon gereret, & quo loco legimus latinè; *Deus respondebit prospera Pharaoni*, He- *Gen 41.* braice habetur, *Deus respondebit pacem Pharaoni.*

Sed cur Angeli gloriã in altissimis cælis Deo canunt, non etiam in terra? Respondemus, Angelos gloriam canere Deo, tam in cęlo, quã in terra. Non enim verba illa significant; gloria Deo sit in altissimis cælis tantum; sed gloria sit Deo in altissimis habitanti. Hæc autẽ gloria vbique, tam in cælo, quã in terra vniuersa, propter admirandum incarnationis natiuitatisque diuinæ mysterium, Deo tribuatur. Quod si quis velit Angelos gloriam in cælo tantum Deo canere, dicat propterea id factum, quòd Deus, quamuis vbique sit, in cælo tamen habitare dicatur.

Transeamus vsque Bethlehem, & videamus hoc verbum, quod factum est.

Angelorum ille exercitus è præsepio ad Pastores (vt est verisimile) venit, à Pastoribus in cælũ discessit. Est enim cęlum Angelorũ domicilium. Pastores verò, post illorum discessum gaudio magno affecti, inuicẽ se ad petendum præsepe hortabantur. *Transeamus*, aiebant, *vsque Bethlehem, & videamus hoc verbũ, quod factum est.* Beda in Lucã, de Verbo diuino hęc verba sic exponit; Verbum, quod semper erat, videamus quomodo pro nobis factum est; quod enim videre

Beda.

non

non poteramus, dum erat Verbum, videamus factũ, quia caro est, &c. Haymo quoque; Verbum, inquit, filium Dei accipiamus; factum autem dicitur, hoc est, incarnatum, quoniam qui videri non poterat in diuinitatis magnificentia, humanatus, est, quo videri posset. Ambrosius item: Vide quã signãter scriptura, singulorum libret momenta verborum; Festinãt, inquit, pastores, Verbum videre. Etenim cum caro Domini videtur, Verbum videtur, quod est filius.

Haymo.

D. Ambros.

Verumtamen hoc loco Græcè non est nomen, λόγος, quo Verbum diuinũ appellatur, sed ῥῆμα. Præterea Verbum diuinum non potest absolutè dici factum; *Videamus*, aiunt, *hoc verbum, quod factum est*. Sumitur ergo sensu literali verbum hoc loco, pro re gesta, siue nuntiata; quem in modum ait Angelus; *Non erit impossibile apud* Deum *omne verbum*, vt supra iam exposuimus, & ait Dauid; *Quod est verbum, quod factum est, indica mihi*; hoc est, narra mihi, quid acciderit, rem gestam aperi. Ita hoc loco: Petamus Bethlehem, & videamus rem hanc miram, quæ facta est, quamque Dominus nobis per Angelum ostendit. Aliter; *Videamus hoc verbum, quod factum est* nobis ab Angelo, hoc est, videamus hoc, quod Angelus nobis nuntiauit. Ita in sacris Scripturis legimus; *Verbum* Domini *quod factum est*, id est, quod dictum est ad Oseam, quod factũ est ad Ioël, quod factum est ad Michęam, & Ezech. 7. & aliis locis; *Factus est sermo* Domini *ad me*: hoc est, dixit Dominus mihi.

Quod sit Verbum factũ.

Lucæ 1.

2. Reg. 1.

Et venerunt festinantes, &c.

Videndi Messiam desiderium pedibus addebat alas. Itaque relictis gregibus, festinantes venerũt pastores ad præsepe, quod milliari vno à pascuis distabat. *Et inuenerunt Mariam, & Ioseph, & infantem positum in præsepio.* O felicem inuentionem! Felix dicitur qui margaritas reperit pretiosas, felix, qui aurum, & qui thesaurum inuenit. Quanto feliciores hi pastores, qui pretiosissimas inuenerunt gemmas, *Mariam, & Ioseph*; thesaurum verò omnibus refertum opibus, *infantem positum in præsepio*. Hieron. in ep. 27. Pastores, dũ seruant oues, inuenerunt agnum Dei, puro & mundissimo vellere, quod in ariditate totius terrę cælesti rore complutum est, &c. *Videntes ergo cognouerunt de verbo, quod dictum erat illis de puero hoc*, hoc est, oculis ipsis intuiti id sunt, quod ab Angelo audierant de Messia, nempe natum esse in ciuitate Dauid Bethlehem, & in præsepio collocatum, panniscque inuolutum. Hoc externis cognouere oculis: at internis alia mirabilia, nempe illum Messiam esse, Regem summũ, Dei filium in tanta natum paupertate.

D. Hieron.

Verbum græcum, διεγνώρισαν, significat, & cognouerunt, & notum fecerunt, priorem significationẽ secutus est interpres. Pagninus vertit notificauerunt. Nota autem fecisse pastores quod viderãt, docet Euangelista, cum addit; *Et omnes, qui audierũt, mirati sunt, & de his, quæ dicta erant à pastoribus ad ipsos.* Postquã enim ex præsepio reuersi sunt, multis natum esse Messiam, à se conspectum, ab Angelo nuntiatum, Angelorumque doxologia celebratum vulgarunt. Vnde simile vero est, post pastores multos alios ad præsepe venisse. Cum enim ex Euangelista perspectum sit, pastores quod viderant, multis nuntiasse, quis credat illos segnes adeò fuisse & incuriosos, vt omnibus expositum præsepe ad videndum Messiã non adierint? Sed non tanta in alijs fides, quanta pastoribus fuit. Forte alij cùm in tanta inopia natũ viderent, Messiam esse non crediderunt.

Pastores quod viderant, alijs aperuerunt.

Præter pastores, alij in præsepiũ venerunt, quibus illi natũ Messiam nuntiarunt.

D. Ambros.

Obseruat hoc loco Ambros. Pastores dignos fuisse magna fide, quod simplices essent, & audita fucare nescirent. Non vilis, inquit, persona pastorum, certè quo vilior ad prudentiam, eo pretiosior ad fidem. Non gymnasia choris referta sapientium, sed plebem Dominus simplicem requisiuit; quæ phalerare audita, & fucare nesciret. Simplicitas enim quęritur, non ambitio desideratur.

Pastorũ testimonium fidele.

Maria autem conseruabat omnia verba hæc, conferens in corde suo.

Sanctissima illa testamenti noui arca, Virgo prudentissima, hæc omnia Testamenti noui verba imo pectore custodiebat. *Maria*, inquit, *conseruabat omnia verba hæc*, hoc est, omnes has res, de quibus hactenus scripsit, vel omnia verba pastorum, in corde suo. Possunt enim verba significare, vel verba pastorum: narrarunt enim Virgini quidquid illis acciderat, vel potius more hebræo, res ab Euangelista descriptas, quas Virgo omnes in memoriæ thesauro reponebat, ex quo postea deprõptas D. Lucæ tradidit. Forsitan his verbis vult D. Lucas insinuare, vnde hęc, quæ modò litteris mandat, acceperit. Quasi dicat, à Virgine hæc accepi, quæ scribo. Illa enim omnia conseruabat, *conferens in corde suo.*

Participium autem; *conferens*, significat comparationem, hoc sensu, conseruabat verba hæc, id est, res has, quas videbat, & audiebat, *conferens*, id est, comparans in corde suo, cum ijs quæ de Christo iam nouerat. Conferebat enim ea quæ cernebat summæ humilitatis cum ijs, quę nouerat summę maiestatis, stabulum cum cælo, pãnos cum illis prophetę verbis: *Amictus lumine sicut vestimento*, præsepe cum throno Dei, animalia cum seraphinis; Et (vt Haymo ait) ea quæ in se impleta sciebat, cum oraculis prophetarũ cõparabat. Et Beda; Quia Virgo sanctas Scripturas legerat, & sciebat prophetas; conferebat ea, quæ secũ sunt acta de Domino, cum ijs, quæ nouerat à prophetis scripta de Domino; cõparabat quæ legerat, cũ ijs, quæ audiebat, & videbat, &c. Et Ambros. Virgo, inquit, argumenta fidei conferebat in corde.

Psal. 103. Haymo.

Beda.

D. Ambros.

Et reuersi sunt pastores, glorificantes & laudantes Deũ, &c.

Nõ longo tempore potuerunt pastores in diuersorio illo, cum Christo commorari, reuocabat enim illos gregis cura. Postquam ergo Christum venerati sunt, muneraque forsitã aliqua illi obtulere, & cum Virgine, ac Ioseph, de infante nato sunt collocuti, ad pascua repedarunt. *Glorificantes* (ait Euangelista) *& laudantes Deũ in omnibus*, quæ audierãt ab angelis, à virgine Deipara, & à Ioseph. *Et quæ viderant, sicut dictũ est ad illos*, videlicet ab Angelo. Id enim viderãt, quod ab Angelo dictum fuerat, nimirum infantem Messiam pannis inuolutũ, & positum in præsepio; iuxta illud. *Sicut audiuimus sic vidimus in ciuitate Dei nostri*. Reuersi sunt ex præsepio Angeli glorificantes & laudantes Deũ, in omnibus, quę viderant; gloriam in altissimis Deo decãtantes. Imitati sunt illos pastores, reuertũtur ex eodẽ præsepio, Deũ propter ea, quæ audierãt, & viderant, summis laudibus concelebrantes. Qui præsepium inuisit, non potest non Deum gloria, ac prędicatione efferre; illius summam misericordiam laudare, amorẽ infinitum, ac benignitatẽ extollere. Hæc enim in præsepio illo maximè splendescunt.

Psal. 47.

CAPVT XX.

Morale.

VT Ambros. ait serm. 13. Natus est Dominus ita secretò, vt ortum eius sęculum penitus ignoraret; quod Dauid testatus est, dicens; *Descendet sicut pluuia in vellus.* Quid enim tam silenter & sine strepitu fit, quam cum imber in vellus lanæ infunditur? Hęc ille. Et quidem quemadmodum pluuia in vellus, ita Christus descendit in præsepe. Vbi nam aulæ strepitus? Vbi satellitum tumultus? vbi in natalitijs tanti Regis gratulationes? vbi cantus, & symphoniæ? Silent

D. Ambros. Secretò natus Christus. vt pluuia in vellus Gedeonitum decidit. Psal. 71.

lent in terris omnia. Silet terra; cui natus infans peregrinus est, atque ignotus, at non silebit cœlum, cui satis est cognitus. Siluerunt homines, non siluerunt Angeli, sed diuinas laudes æthere decantarunt; *Facta est* (inquit Euāgelista) *cum Angelo multitudo cœlestis exercitus, laudantium Deum, & dicētium: Gloria in altissimis Deo*, & admirabilem natiuitatem hominibus ipsi nuntiarunt. *Ecce euangelizo vobis* (ait Angelus) *gaudium magnum, quia natus est vobis hodie Saluator*, &c. Tantū enim mysterium, vt cum Ambrosio dicam li. 2. in Lucam, non hominis fuit, sed Angeli ore promendum; tantę natiuitatis nuntium, non e terra hominem quempiam, sed è cœlo Angelum esse decuit.

Verum hic stupescit animus, è cœlo natum Regē Messiam annuntiaturus Angelus mittitur, ad quosnam mittitur? Videlicet, ad Cęsarē Augustum, à quo exijt edictū, vt describeretur vniuersus orbis, ad Cyrinum præsidē, sub quo facta est hęc descriptio prima; ad Herodem Iudęorum Regem, ad sacerdotem summum, ad homines aliquos opibus & nobilitate pręcellētes? Minimè gentium. Ad pastores mittitur, humile hominum genus, & pectoris candidi. *Infima enim mundi elegit* Deus (vt Paulus ait 1. Cor. 1.) *vt confundat*, id est, pudore afficiat, *fortia*. Doctos per indoctos (vt ait Theodoretus hoc loco) per pauperes diuites vicit, per piscatores piscatus est orbem. Et Christus Dominus Matt. 11. *Abscondisti*, inquit, *pater, hæc à sapientibus, & prudentibus, & reuelasti ea paruulis.*

Theodoret. Simplicibus & humilibus nūtiatur Christus.

Porta, qua ad diuinam ingredimur scientiam, humilitas est, vt magnus Greg. docet in Cōmen. 1. Regum cap. 9. ad illa verba; *Accesit Saul ad Samuelem, in medio portæ*: Electi, inquit, quia ad spiritualē scientiā per humilitatē veniunt, ad audiendos prædicatores, quasi per portam vadunt. Electus etiam prædicator, quia spiritualia humiliter docet, Samuel Saul in eadē porta occurrit. Itē; diuini verbi cognitio superbis abscōditur, humilibus reuelatur, paruulis Deus gratiam dat, vt bona æterna ipso reuelante cognoscant. Et Iob 34. *Lumē intelligentiæ humilitas aperit, superbia abscondit*. Nā secretum quoddā pietatis est, & tanto minus ad illud animus peruenit, quāto magis intumescit, quia eo ipso foras repellitur, quo insanius inflatur. Hæc ille. Magnum itaq; pietatis sacramentum, humilibus indicatur pastoribus; Herodi, inflatisque pharisæis abscōditur. *Pauperes*, vt ait Christus Matth. 11. *Euangelizantur*, hoc est, bonū nuntiū accipiūt, illis enim Angelus ait, *Euangelizo vobis gaudiū magnū*; Angelus euangelizat, pastores pauperes euangelizantur.

D. Greger. Humilitas porta, per quam ad scientiam ingredimur diuinam.

Lumen intelligentiæ humilitas aperit.

Secundo Siluit terra, cœlum nō siluit, sed angelica doxologia Christi natalitia celebrauit, & in tāta rerum inopia, natum Messiā, Deumq; esse ostēdit. Permiscuit enim Christus, vt ait D. Tho. 3. p. q. 28. art. 2. ad 2. mira humilibus. Hinc illud D. Maximi homil. 2. de natiuitate; Fęmineo sexu se cōcipi Christus patitur, sed hanc humilitatem nascēdi, virginalis matris sublimat integritas, & quāuis natus, fœmineo vt infans lacte pascatur: tamē vt rerum potens, virgineis nutritur vberibus. Vilissimis circundatur pānis, sed hi panni noua stella radiāte munerantur à Magis, & exultantibus Angelis honorātur. D. etiam Ambros. in Luc. 2. Ex vtero, inquit, Christus funditur, sed coruscat è cœlo, terreno in diuersorio iacet, sed cœlesti lumine fulget, nupta peperit, sed Virgo concepit, nupta concepit, sed Virgo generauit. Quod si ætas carnis ignara operis fuit, profecto Deus erat, qui diuinitatis operibus exercebat carnis ætatem.

D. Thom.

Christus mira permiscuit humilibus.

Ima summis sociant.

D. Maxim.

D. Ambros.

Diuus Bernardus sermone primo de circumcisione: Christus ab ipso suæ natiuitatis exordio, diuinis humana sociat, ima summis. Nascitur ex muliere, sed cui fecunditatis fructus sic accedat, vt nō decidat flos virginitatis. Pannis inuoluitur, sed panni ipsi angelicis laudibus honorantur: absconditur in præsepio, sed proditur radiante stella de cœlo. Sic & circumcisio veritatem susceptæ probat humanitatis, & nomen, quod est super omne nomen, gloriam indicat maiestatis, &c. Adde Augustinum, cuius hęc est pręclara sententia epist. 3. Ita mediator apparuit, vt in vnitate personę copulans vtramque naturam, & solita sublimaret insolitis, & insolita solitis temperaret. Et l. 1. de symbolo c. 3. Natiuitas Christi humilis, & excelsa; humilis, quia homo natus est ex hominibus; excelsa, quia de Virgine, & li. 2. de symbolo cap. 5. Sic voluit nasci excelsus humilis, vt in ipsa humilitate ostenderet maiestatem.

D. Bernar.

D. Augustī.

Documentū hinc sumant viri nobilitate, opibus, dignitate, litterisve, præstantes. Mira permisceant humilibus, humilitatem cum mira nobilitate, miris opibus, mira dignitate, miraque sapientia coniungant. Vt mira euadat, omnique laude prædicanda permixtio, quam suadet Aug. serm. 213. de tempore, his verbis; In summo honore summa tibi sit humilitas; honoris laus est humilitatis virtus. Vis Regē videre regiā dignitatem cum humilitate mirabiliter permiscentē? Intuere Dauidem Regem ephod indutum lineo, coram antiqua illa testamenti arca totis viribus saltātem 2. Reg. 6. *Saltabat totis viribus ante Dominum*. Non tā illustris auri est cum purpura, quā cuiuslibet celsitudinis, aut dignitatis, cum humilitate permixtio, vnde illud Greg. in fine lib. 27. moral. Ego Dauidē plus saltantē stupeo, quam pugnantem.

D. August. Humilitas permiscenda honoribus.

Tertio, Cælestem ducem cœlestis indicauit militia: *Etenim Rex Israel* (vt dicitur) *mutauit habitum suum, & ingressus est bellum*. Eundem in modum Rex Messias mutauit habitum: ingressus aduersus tartareos hostes prœlium, exuit maiestatem, induit humilitatem. Vel potius (vt ait S. Hilarius Arelat. Homil. 2.) venit in mundum non deposita sed sepositā maiestate. Et vt ait Diuus Leo serm. 2. Seruilem formam obumbrata maiestatis suę dignitate suscepit. Si regali purpura indutus videatur rex, ab omnibus Rex cognoscitur, si vero vili veste regiam velet dignitatem, ignotus erit. Si Christus regali amictus veste in bellū veniisset, *amictus lumine sicut vestimento*, vt est in Psalm. hostibus fuisset cognitus. Iam vero aduersus illum consistere ausus fuisset nemo. Quis enim aduersus tantum ducem consistere auderet? Vt igitur hostibus esset ignotus, mutauit Rex Israel habitum, præsepio, paleis, stabulo, pannis, fame, siti, paupertate, texit diuinitatem.

3. Reg. 22. *Rex Israel Christus mutato habitu pralium est ingressus.* *Hilarius Arelat.* *D. Leo.* *Psal. 103.*

Verumtamen, cùm habitum mutat Rex, suorum militū cognitionem nō mutat. Non cognoscitur ab externis, cognoscitur à suis. Ita Dominus cū mutauit habitum, suorum militum cognitionē non mutauit, ignotus erat hominibus, non erat ignotus Angelis. *Natus*, inquiunt, *est vobis hodie saluator, qui est Christus*, id est, Messias Dominus. Nónne vides quam bene militiæ cœlesti dux sit notus? Saluatorē esse noluit, Messiam, Dominū, & Deum. Neq; vero illius paupertatem erubescit, sed prædicat, *hoc vobis signum*, ait, *Inuenietis infantem pannis inuolutum, & positum in præsepio.*

O milites fortissimi, ac nobilissimi, nónne vos pudet præsepij, stabuli, paupertatis? Sic sunt fortes hi milites, & nobiles, vt sint etiam prudētes. Ecquē prudētem militem pudeat armorum sui ducis? hæc ad debellandum hostem, ducis sapientissimi arma sunt, hæc ad transfigendam immanem ferā summi venatoris sunt venabula. Vnde Pantaleon diaconus in oratione de luminibus, quæ extat tom. 7. bibliothecæ patrū. Regū, inquit, est Christus secutus consuetudinem, qui dum prædæ insidiātur, depositā regia maiestate, militari se habitu amiciunt. Sic Christus ad venandū Satanā accedens, & ad conflictum ferā incitās, absconditā diuinitate sua, quæ à cōgressu bestiam deterreret, infirmā ostendit humanitatis naturam.

Non est congressus Christus cū hoste in sua maiestate, sed in nostra humilitate.

naturam. Et D. Leo ſer. 1. de natiuitate, Omnipotens Dominus cum ſæuiſſimo hoſte, non in ſua maieſtate, ſed in noſtra congreditur humilitate.

D. Leo.

Chriſtus armauit fortitudinem imbecillitate.

Duces imbecilles mollia duris, imbecillia fortibus armãt, mollem carnẽ duro ferro, imbecille corpus fortibus armis induunt. Dux verò fortiſſimus Chriſtus dura mollibus, fortia imbecillibus induit, diuinitatis fortitudinem molliſſima carne, imbecilloque corpore armauit. *Verbum* (ait Ioannes) *caro factum eſt*: quaſi dicat; Prœlium ingreſſurus Dei filius, molli carne ſe armauit. *Infirma mundi elegit*, quod dixit Paulus, *vt confundat fortia*, carnem elegit, præſepe, paleas, ſtabulum, pannos, vulnera, mortem, quid iis, infirmius? quid imbecillius? Sed vide quid Paulus adjiciat: *Quod infirmum eſt Dei, fortius eſt hominibus*, fortius quoq; eſt omnibus tartareis hoſtibus. Non fuit opus Chriſto haſta, & gladio, ſatis fuere ad ſuperandos hoſtes, pro haſta, & gladio, paleæ. Non fuit opus clypeo, ſatis fuit præſepium; non fuit opus thorace, ſatis fuere panni. Cur ita? quia quod infirmum eſt Dei, fortius eſt peccato, morte, diabolo, omnibusque creaturis.

Ioan 1.

1. Cor. 1.

Iudic. 15. Fortis viri eſt vili telo & obtuſo hoſtes ſuperare.

Hinc illud Auguſtini dictum præclarè Pſalmo 54. Domuit orbem non ferro, ſed ligno. Quid vilius, quid imbecillius aſini mandibula? Attamen fortiſſimus olim *Samſon*, *aſini mandibula mille occidit Philiſtæos*, abiectiſſimo ſcilicet telo. Fortis hoc viri eſt, vili atq; obtuſo telo hoſtes proſternere. Non Saulis galea tectus, non lorica indutus, nõ gladio accinctus, ſed paſtorali indumento amictus, baculo, peraq; armatus, immanem Gigantem Dauid proſtrauit. Videlicet, veri Dauidis de tartareo Gigante victoriam adumbrabat, non fulgentibus armis, ſed humilitate, cruciſque ligno reportatam.

1. Reg 17.

Chriſtus dux abſque vllo milite belli ſæpe fecit maximum. Iſai. 36.

Sed dices, ſi cœleſtis hæc militia huius eſt ducis, cur iiſdem armis non induitur? dux humanitate eſt indutus, præſepio, paleis, paupertate aduerſus hoſtes pugnat, milites Angeli ſunt, humana carẽt natura, neque eadem ferunt arma. Reſpõſum hoc eſto. Bellum quo fugati, victique hoſtes ſunt, mors, peccatũ, & Satanas, ſolus dux Chriſtus, nullo militum ferẽte opem, confecit, iuxta illud: *Torcular calcaui ſolus, & de gentibus non eſt vir mecum, calcaui eos in furore meo*, &c. Nõ ergo opus militum armis, hoc eſt Angelorũ incarnatione, præſepio, paupertate, ſanguine, ſatis ſuperq; fuit ſanguis effuſus ducis. Immo hic ſolus diuinę iuſtitiæ ſatis eſſe potuit. Nõ eas habent Angeli omnes, etſi fortiſſimi, vires, vt vllis armis peccatum poſſint vincere, iuſtitiæque diuinæ perfectè debitum ſoluere. Quid igitur mirum, ſi ſolus dux arma ſumit, cum ſolus dux hoſtes immanes poſſit vincere?

Quartò. Interim dum in prelium dux ingreditur, gloriam, & pacem triumpho partam canũt milites: *Gloria*, inquiũt, *in altiſſimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis*. Magnam Deo gloriam diuini Verbi attulit, incarnatio, hominumque redemptio. Vnde Bern. ſerm. 3. de circumciſione; Quæ, inquit, maior Deo gloria, quã tanta dignatio, & tanta benignitas: *Ecce ego* (ait Dominus) *facio noua, & nunc orientur, vtiq; cognoſcetis ea. Ponam in deſerto viam, & in inuio flumina. Glorificabit me beſtia agri, dracones & ſtruthiones, quia dedi in deſerto aquas, flumina in inuio, vt darem potum populo meo, electo meo. Populum iſtum formaui mihi, laudem meam narrabit*, &c. Noua fecit Dominus, cum per Verbi nouam incarnationẽ mundum renouauit. In deſerto aquas, & in inuio flumina effudit, cum aquas dulciſſimas prębuit de fontibus Saluatoris. Poſuit in deſerto viam, cum Chriſti exemplum: cunctis mortalibus propoſuit, quod ſequerentur. Ideo glorificauit illum, non ſeraphini ſolũ, cherubini, reliquique Angeli, ſed beſtiæ quoq; agri, dracones & ſtruthiones, gloriam in altiſſimis canunt. Etenim, vt Hieronymus exponit, beſtiæ, draconesque, gentes ſignificant, à cultu olim Dei abhorrentes, & per Chriſti incarnationem condocefactas. Tunc (ait Hieronymus) quod nunquam factum eſt, fiet, vt omnes beſtiæ, & dracones, & ſtruthiones, qui in ſolitudine gentium morabantur, & idololatriæ ſanguine, morumque feritate, beſtiarum ſimiles erant, glorificent me, atque collaudent.

D. Bernard. Iſai. 43. Incarnatio verbi gloriã Deo attulit magnam.

Dracones, ſtruthiones & beſtiæ, id eſt, ethnici Deo gloriam canunt ad Chriſtum conuerſi. D. Hieron.

Populum ex gentibus nouum formauit ſibi Deus, laudem ipſius, tũ ob cætera, tũ vel maxime ob incarnationis, & redẽptionis nouum beneficiũ, perpetuo enarrat: & vt inclytus paſtor monet, virtutes eius celebrat. *Vos*, inquit *genus electum, regale ſacerdotium, gens ſancta, populus acquiſitionis, vt virtutes annuncietis*, græce, & περάς eius, *qui de tenebris vos vocauit in admirabile lumen ſuum*. Deus populũ Chriſtianũ, populũ ſibi formatũ appellauit; Petrus ſecutus 70. appellat *populum acquiſitionis*, id eſt, populum acquiſitum & in libertatem vendicatum, per Chriſti incarnationem, ad enarrãdas virtutes Dei, miſericordiam, amorem, veritatẽ.

1. Pet. 2.

Septuaginta interpretes verba illa Dei iam citata ſic vertunt: *Benedicent me beſtiæ agri ſirenes, & filiæ ſtruthionum, quia dedi in deſerto aquam, & flumina in inaquoſo, vt bibere faciam genus meum electum, populum meum, quem acquiſiui, vt virtutes meas narret*. Ad hanc laudem hortatur diuinus Pſalmographus: *Laudate*, inquit, *Dominum omnes gentes, laudate eum omnes populi*, hoc eſt, quod apud Iſaiam dicitur, *glorificabit me beſtia agri*, non iam beſtia, ſed mutata vita angelus. *Quoniam confirmata eſt ſuper nos miſericordia eius, & veritas Domini manet in æternum*. Hebraicè Gabar גבר, id eſt, roborata eſt, firma & fortis facta eſt ſuper nos miſericordia eius, quos in brachio extento ex peccati faucibus liberauit, & *populum acquiſitionis* fecit, vt cum Petro dicam: *Et veritas Domini*, quæ in præſtandis promiſſis cernitur, *manet in æternũ*. Eſt enim Deus fideliſſimus, promiſſa ſemper exoluens. Euthymius veritate m ita intellexit, vt vmbræ legis opponatur; Veritas, inquit, Euangelij manet in æternum. Nam quæ in lege ſcripta ſunt, non veritatem, ſed vmbrã continebant veritatis; adueniente autem Euangelica veritate, vmbra illa legis ceſſauit, non ſecus atq; adumbratio aliqua picturæ extinguitur, quando veri colores ſuper eam immittuntur. Hęc ille.

Pſal. 116.

Lex vetus vt vmbra deſiit.

In verſione 70. interpretum ſirenes dicũtur Deũ laudibus prædicaturæ: *Benedicent me beſtiæ agri, ſirenes*, &c. Sirenum vero nomine Procopius in cõmentariis Iſaiæ, externæ doctrinæ profeſſores ſignificari ait, ſermonis facundia & lepore præditos, qui Deum amplexi ſunt. O quam multæ ſirenes, quamq; dulciloquæ gloriam in altiſſimis, Deo canunt, mille poëtæ carminibus dulciſonis, mille oratores artificioſa verborum cõſtructione, diuinas laudes ſuauiſſime decantarunt, hodieque decãtant. Sirenes dulciloquæ fuere, quæ ſuauiſsimo cantu Dei gloriam celebrarunt. Cyprianus, Ambroſius, Hier. Auguſtinus, milleque alij, qui facundiam, diſcendique leporẽ, non vanis caducisque rebus impenderunt, ſed ad diuina encomia prædicanda, ſcripturasque diuinas explanandas cõtulerunt. Has ſirenes patẽtibus audiamus auribus, nullum ab illis periculum imminet, imò vtilitas maxima, animiq; iucũditas reportatur.

Sirenes Dei laudes celebrant.

Aliæ ſirenes in ſcopulos naues trahunt.

Alias nos ſirenes caueamus, videlicet hæreticos, forte aliqui ſunt, quibus ſuauiloquentiæ quidpiam ſit tribuendum. Quod totum, quantumcunque id eſt, ad ſpurcam hæreſim ſtabiliendam adhibentes, ſub dulci ſermone venenum mortiferum audientibus legentibusque propinant. Sunt etiã ſirenes aliæ, poëtæ ſcilicet quidam, vel etiã oratores, qui obſcæna, condunt opera, poëſiſque ſuæ, vel orationis numeris ſolutæ ſuauitate, auditores, lectoresque in ſcopulos non fabulosè, vt fabuloſæ olim ſirenes, ſed verè impellunt. Hic Vlyſſe eſt opus, hoc eſt ſapientia, quæ non cera, ſed tartarei ſupplicii horrore, vel Dei

Opt. Max. amore, aures obturet. Sirenes caue fallaces, hæreticos scriptores, vel concionatores, quantũuis tibi eloquẽtes videantur, obscenos quoq; poëtas, omni cõtentione, velis remisq;, vt aiunt, fuge. Si sirenis habes aliquid, quicquid habes, suauiloquentiam, rerum cognitionẽ, ingeniũ, excogitandi vim, linguã, calamũ, in diuinis laudibus celebrãdis, in diuinis rebus tractãdis insume, cęleste imitare sirenas, id est, Angelos, gloriã Deo in altissimis cõclamẽtes.

Pax bonæ voluntatis Dei.

Pacem quoque hominibus bonæ voluntatis prædicant, pacem, inquam, bonæ volũtatis, hoc est, iuxta tertiũ sensum à beneplacito, & bona Dei voluntate amoreq; profectam. Etenim nisi Deus amasset, nisi bona homines voluntate prosecutus fuisset, inter cœlum, terramq; bellũ perpetuum, permãsisset. Nulla hominũ erant merita, quæ pacẽ hanc possent conciliare, imo scelera multa, quæ belli flammã, veluti oleum camino additũ, incenderent. Bona Dei voluntas & amor opẽ tulit, Dei εὐδοκία, id est, beneplacitum, pacem attulit. Sic enim Deo placuit, vt per nuptias bonæ voluntatis, bellum malæ volũtatis extingueretur, paxque & fœdus nouum conficeretur.

Diuinis celebratis nuptiis bellum extinctum.

Si forte inter duo regna bellũ exarsit, regiis nuptiis celebratis, veluti infusa aqua restinguitur, paxque redit aurea. Similem in modum, inter homines Deumque teterrimi serpentis fraude bellum concitatum est, diuinis vero Verbi cum humanitate nuptiis compressum. De quibus nuptiis Aug. in orat.

D. August.

contra Iudæos, paganos, & Arianos, cap. 10. In vtero, inquit, Virginali spiritales nuptiæ celebratæ sũt, Deus coniunctus est carni, & caro adhæsit Deo hinc procedens vt sponsus de thalamo suo, ad cuius nuptias, commota vniuersa exultare visa est creatura. Namque Angelorũ chorus, ex his nuptiis pacem designat hominibus bonæ voluntatis, quia qui erat Dei filius, factus est hominibus filius, &c.

Iona 1.

Sæua olim in mari tempestas est excitata, vt legitur, nec aliter quàm Iona in pelagus sponte proiecto, tranquillata. Sæua item in mundo tempestas est exorta, neque aliter, quàm vero Iona Christo, pro sua bona voluntate, in fluctus immisso, sedata. Vt enim ait sanctus Maximus hom. 2. de natiuit. Christũ

D Maxim.

in has sæculi procellas vterus maternus effudit, nimirũ vt Ionã alterum, effudit maternus vterus, effuditq; maximè illius erga homines bona volũtas.

Venit olim (vt dicitur) Samuel in Bethlehem, & admirati sunt seniores ciuitatis occurrentes ei, dixeruntque:

1. Reg 16.

Pacificus ne est ingressus tuus? & ait; pacificus, ad immolandum Domino veni, sanctificamini, & venite mecũ.

Similem in modum, venit in Bethlehem, quod multo admirabilius est, Dei filius. Si rapti in admirationẽ rogemus, pacificus ne est ingressus tuus, ô prepotẽs Deus? venis ne vt de sceleribus pœnas sumas? venis, vt quemadmodum Adamum ex Paradiso, ita eius filios ex orbe terrarum ob flagitia execranda expellas? venis vt quemadmodum Sodomæ incolas sulphure atque igne, ita nos horribili aliquo incendio absumas? Pro infante respondent Angeli, quod olim Samuel respondit: *In terra pax hominibus bonæ voluntatis*, quasi dicãt, pacificus est Dei in orbem ingressus. Id quod testantur infantia, præsepiũ, panni, stabulum. Non venit vt perdat, sed vt seruet, non vt occidat, sed vt vitam tribuat, nõ vt pœnas sumat, sed vt præmia donet: non vt ex orbe terrarum quemquam expellat, sed vt in orbem cęlorum introducat, non vt sulphureo igne incendat, sed vt amoris incendio inflammet; nõ vt bellum inferat, sed vt pacem afferat. Ad immolandum Domino venit, non vitulos, aut hircos, aut oues, sed semetipsum agnum immaculatum. Sanctificamini ergo & venite cum eo, expiate scelera, sanctimoniã sectamini, Deum vestrũ bonæ voluntatis sequimini homines bonæ voluntatis.

Eramus natura filij iræ (ait Paulus) sed iam nunc per Christi incarnationem homines sumus bonæ volũtatis, hoc est (vt secundo sensu supra exponebamus) beneuolentię, ac diuini amoris. Rachel filium, Bononi, id est, filium doloris; Iacob Benjamin, id est, filiũ dexteræ, nominauit. Nos quoque matres filios gignunt iræ, filios doloris, at immensa Dei bonitas filios efficit dexterę, & bonæ voluntatis suæ, atque amoris. Nõne ex Spiritu sancto & aqua renascimur, iuxta illud: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei?* Ergo ex amore renascimur; Spiritus enim Sanctus amor est. Christus quidem filius est naturalis, præ omnibus dilectus in illo sibi benè complacuit pater, vnde vox illa, quæ in monte sancto mirabiliter intonuit: *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui.* Nos filij sumus adoptati, in quibus etiam patri per Christũ complacuit, ideoque meritò homines appellamur, εὐδοκίας, id est, bonæ voluntatis, siue beneplaciti patri. Nullis enim meritis, sed bona Dei voluntate, cęlestem hanc natiuitatem adepti sumus. *Voluntarie genuit nos* (ait Iacobus) *verbo veritatis.*

Ephes. 2.

Gen. 35.

Ioan. 3.

Matth. 17.

Filij bonæ voluntatis Dei sumus & amoris.

Iacobi 1.

Bonæ voluntati, hoc est, beneuolentiæ Dei, respondeat bona voluntas nostra, vt vtroque sensu supra explicato, id est, primo, & secundo, homines simus bonæ volũtatis, tum ob bonam voluntatẽ Dei, tum ob bonam voluntatem nostram. Est autem volũtas bona hominis, quæ voluntatem prauam hominis frangit, voluntatem Dei sanctissimã perficit. Quod faciendum docet D. Petrus his verbis: *Qui passus est in carne, desitt à peccatis, vt iam non desiderijs hominum, sed voluntati Dei, quod reliquum est in carne, viuat tẽporis.* Passum in carne eu dicit, qui Christi vestigiis inherẽs, carnẽ cruci suffigit, huiusmodi vir mortuus viuit, viuit, inquã, nõ quidẽ desideriis, & prauæ hominis volũtati, hanc enim frenat, ac cohibet, sed Dei voluntati.

1. Petr. 4.

Voluntas Dei fœcunda.

O beatam mortem, ô beatam vitam. Mors beata est, propriæ voluntati desideriisque noxijs mori, vita beata est, diuinæ voluntati, quod reliquum est in carne vitæ viuere. Qui diuinæ vixerit voluntati, hic homo erit bonæ voluntatis, qualis ille erat, de quo ait Dominus: *Inueni Dauid filium Iesse, virũ secundum cor meũ, qui faciet omnes voluntates meas.* Angeli omnes sunt bonæ voluntatis, dæmones omnes malæ, homines partim sunt bonæ, partim malæ. Nec Angeli bonam, nec dęmones malam voluntatem mutare possunt; in mala voluntate obstinati dæmones sunt, in bona confirmati Angeli. Homines ab hac in illam transire queunt. Precemur semper Deum; *Fiat volũtas tua sicut in cœlo, & in terra*, fiat voluntas tua sicut in Angelis, ita in hominibus, vt Angeli bonæ voluntatis sunt, ita & homines sint bonæ voluntatis.

Act. 13.

Donum magnum bonæ voluntatis Dei est bona voluntas hominis, Paulus: *Non vt in præsentia*, inquit, *mea tantum, sed multo magis nunc in absentia mea, cum metu & tremore vestram salutem operamini. Deus est enim, qui operatur in vobis & velle & perficere, pro bona voluntate.* Petit Paulus à Philippensibus, vt salutem operẽtur suam, non vt in præsentia illius tantũ, sed multo magis in absentia, sunt enim quidã ὀφθαλμοδουλοι, id est, oculis seruientes, qui in præsentia tantum eorum, quos verentur, rectè agunt, vbi terga illi vertunt, vertunt etiã mores. Ideo Paulus; Operamini, ait, salutem etiã in absẽtia mea, & multo magis in absẽtia, quia si absum ego, non abest Deus, si meum verebamini conspectum, Dei conspectũ formidate, cum metu & tremore coram oculis illius salutem vestram operamini. Etsi auxilio meo & exhortationibus careatis, nõ caretis auxilio Dei, *Deus est enim*, qui adest vobis, qui intuetur vos, qui vobis opẽ affert, *qui operatur in vobis & velle*, id est, ipsam bonã voluntatẽ, & *Perficere*, hoc est, bonæ voluntatis bonum opus. Nam ea demum

Philip. 2.

bona

bona voluntas est,quę intra pectus se non continet, A sed ad opus bonum perficiendum foras prodit.

Caietanus Cardinalis rectè etiam metum,& tremorem alio refert,hoc pacto; *Cum metu,& tremore saluti operamini*, timentes videlicet, ne culpa vestra Deus auxiliū,si non sufficiens,certè superabundans subtrahat.Propterea siquidem(ait Cardinalis)timēdum,ac tremēdum est, ne subtrahat Deus operationem suam,qua in vobis operatur,&c.Est ergo bona voluntas hominis,donū bonæ voluntatis Dei.Quocirca adiungit Paulus:*Operatur in vobis,& velle,& perficere, pro bona voluntate*, videlicet sua. Grecè, ὑπερ τῆς εὐδοκίας Biblia regia.Pro beneuolentia.

Cum tremore salutem operemur.

Itaque hominibus bonę voluntatis,pacem Christo nato Angeli imprecātur,in huiusmodi enim ho- B minibus,sub tanti Regis vmbra pax floret, maximè spiritalis.*Ecce in iustitia regnabit Rex*, scilicet Christus, *& principes*,id est Apostoli, *& pontifex in iudicio præerunt. Et erit vir sicut qui abscondit à vento, & celat se à tēpestate.* Id est, Christo obsequentes, pace, & tranquillitate fruentur,nec mundi tempestatibus iactabuntur,nec ventorum ac vanitatum turbine concutientur.Hieronymus,Quicunque sub Christi vmbraculo fuerit, sic tutus erit in tribulationibus, & angustijs, & in mundi istius tempestate, quomodo qui ventum, & turbinem fugiens, se tuto abscondit loco,&c.

Isaiæ 32. Pax hominibus bonæ voluntatis.

D. Hieron.

Et infra;*Erit*(ait Isaias)*opus iustitiæ pax,& cultus iustitiæ silentium,& securitas,vsque in sempiternum,& sedebit populus meus in pulchritudine pacis,& in tabernaculis fiduciæ,& C in requie opulenta*,hoc est,opus & effectus iustitię,id est sanctimoniæ,erit pax.Et cultus iustitiæ erit silentiū, cultus ipse iustitiæ Christianæ, silentium, & quietē pariet,& pacis securitatem,vsque in sempiternum. Et sedebit populus Christi, qui mundi tumultus fugerit,& Christum sequi volet,in pulchritudine pacis,tabernaculis fiduciæ, & in requie opulenta.

Isaiæ 32.

Septuag.sic vertunt,*Erunt opera iustitiæ pax,& obtinebit iustitia requiem, & confidentes vsque in sæculum* (scilicet erunt)*& habitabit populus eius in ciuitate pacis,& inhabitabit confidenter,& requiescent cum diuitiis*.Ciuitatē pacis ex sententia D.Hieron.appellant Ecclesiā,quę est ciuitas pacis.Populus Christi in ciuitate pacis habitat,in Ierusalē habitat,quā visionē pacis interpretātur,in arca Noë, imò Christi habitat.Noë autem quietem D significat.In arca Noë etsi omnis generis erant animantia,pax tamen erat,non animantiū pugna. Videant ergo,qui in ciuitate pacis,qui in Ierusalē,& in arca veri Noë pacifici,viuunt, ne odiis, inimicitiis, cupiditatibusque effrenatis, pacē hanc perturbent.

Pax est *hominibus bonæ voluntatis*, hominibus vero malæ voluntatis,& effrenatæ cupiditatis,perturbatio magna, vt enim ait Ambros.in poster.apologia Dauidis, magnam faciunt tempestatem multitudines cupiditatum,quæ,veluti in quodā freto corporis,nauigantem animum hinc atq; inde perturbāt.

Homines bonæ voluntatis in pulchritudine pacis quieti sedent,homines malę voluntatis in deformi- E tate odij inquieti vagātur.Pulcherrima pax est,ideo dicitur:*Sedebit populus meus in pulchritudine pacis*,turpissimū est odiū,& deformis rixa. Opulēta pax est,vnde eodē capite illud;Sedebit populus in requie opulenta,odiū pauperrimū.Pax pulchrā familiā, pulchrā reddit ciuitatem, pulchra enim familia, pulchra est ciuitas,in qua pax pulchra floret.Odium familiā,odiū ciuitatē,odiū rēpublicā iurgiis,rixis,discordiisque deformat.Vt opes in ciuitatē inuehit pax externa,sic spiritales opes in animū inuehit pax interna. Vt paupertatē in rempublicā inducit bellum,ita in animum paupertatem inducit odium,ac discordia.

Isaiæ 32. Pax pulchrā & opulenta: odium deforme,& pauperrimum.

Denique pacem è cœlo merito Angeli terris imprecantur,est enim cæleste bonum, ac angelicum; Vt enim(ait Greg.Naz.orat.1.de pace) Deo, & An-

Greg.Naz.

gelis proprium est,pugnas, & dissidia nescire. Itaq; omnes hi (ait idem pater sapientissimus eadem oratione)qui pacis bonum amplectuntur, eique cōtrariam discordiam & seditionem infense oderunt, ad Deum,& diuinas mentes accedunt.

In infimis elementis,terra,mari,aëre,sedē habet discordia,Elemēta inter se pugnāt,cū calore frigus, cum humore siccitas certat,quod olim poëta dixit:

In infimis discordia est in cælestibus magna pax atque concordia.

Frigida pugnabant calidis,humentia siccis,
Mollia cum duris,sine pondere habentia pondus.

In terra animalia inter se dimicant, tonitruis & fulminibus aër perstrepit, tempestatibus mare tumultuatur. Hic in infimis discordia, in sublimibus vero concordia est. *Qui facit concordiam in sublimibus.* *Iob 25.* Eundem in modum in viris bona voluntate excelsis,Angelorum similitudinem gerentibus concordia,paxque perpetua est.In infimis malæ voluntatis hominibus pugnæ ac dissidia.

CAPVT XXI.

Morale.

SEXTO,Vt hæc pax hominibus obueniat,duplex contulit Deus protectorum genus, cęleste,alterum terrestre.Cœlestes hominum protectores Angeli sunt,terrestres sunt animarum pastores, Vtrūque genus Euangelium hoc ante oculos ponit. Nōne vides militiam cœlestem?*Facta*,inquit,*est cum Angelo multitudo militiæ cœlestis*. Nónne pastores aspicis vigilātes super gregem suum?typus pontificū sunt ac sacerdotum.Nostram tuetur pacem cœlestis militia,nos veluti gregem custodiunt pastores vigilātes.Bene chorus Angelorum aduenies (ait Beda Luc.2.)militiæ cœlestis vocabulum accipit, qui & duci illi potenti in prœlio, id est,Christo,qui ad depellendas aëreas potestates apparuit, humiliter obsecundat,& ipse potestates eaſdem contrarias, ne mortales tantum tentare valeant, quantum volunt,fortiter armis cœlestibus proturbat. Deinde adiungit; Sicut imperatoris optimi prouisione, cuncta manu militari loca aduersus hostilem muniuntur aduentum,ita Deus,quoniam immudi spiritus,ad pacis euersionem vbique versantur, ad tutelam nostram constituit exercitus Angelorū, quorum præsentia & dęmonum confringatur audacia, & nobis pacis gratia ministretur.Hæc ille.

Duplex protectorum genus Angeli & pastores.

Bedæ.

Collocauit olim Deus ante paradisum voluptatis cherubinos,ad custodiendam viam ligni vitæ.Iter nostrum iter etiam est ligni vitæ,nam ad Christum vitæ sempiternæ arborem ducit.Iter illud custodiebāt cherubini,ne quis ad arborem vitæ posset peruenire, eiusque fructum decerpere.Nostrum iter custodiunt Angeli,vt ad arborem vitæ Christum, perueniamus,fructūq; illius suauissimū decerpere possimus.Quo fructu dulcissimo illi iā pascuntur, eodem nos omnes pasci vehementer cupiunt, ideo iter ligni vitæ constodiunt.Est enim mille hostibus circumseptum,vt Magnus Greg.indicat. Reg.10.ad illa verba;*Liberabis populum, de manu inimicorum, qui in circuitu eius sunt*;Inimici,inquit,nostri in circuitu nostro sunt,quia im mundi spiritus cogitationi nostræ, verbo,& operationi,semper insidiantur.

Genes.3.

De Angelorū custodia.

D Gregor. 1.Reg.10.

De impiorum via ait Dauid:*Fiat via illorum tenebræ, & lubricū,& Angelus Domini persequēs eos*.Huiusmodi via est mundi.In primis tenebrosa;*Fiat*, inquit, *via illorum tenebræ*;Deinde lubrica,ac præceps,ideo addit; *Et lubricum*:Præterea cacodęmonum excursionibus, & latrocinijs infesta,adiūgitur; *Angelus Domini persequens eos*.Tenebrosam viā illuminat Angeli,quē in modū

Psal.34. Via mundi tenebrosa,lubrica,periculosa expositio.

noctem pastoribus illuminarunt: *Claritas Dei* (ait Lucas), *circumfulsit illos*, ita claritas Angelorum spiritaliscircumfulget mentem nostram, cum sanctas nobis inspirant cogitationes, salutariaque consilia suggerunt: *Angelus Domini astitit, & lumen refulsit in habitaculo, percussóque latere Petri, excitauit eum dicens, surge velociter, & ceciderunt catenæ de manibus eius*. In primis in mentis habitaculo Angelorum opera refulget lumen, deinde percutitur latus, id est, cor & voluntas, denique excitatur ad bonum homo, à Deo, cadūtque scelerum catenæ.

Act. 12.

Præterea lubricā viam stabilem reddunt, & planam auxilio suo; ne labamur, in manibus nos portant, iuxta illud: *In manibus suis portabunt te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum*. Manus Angelorum significant opera & auxilia, lapides offendicula, tentationes, ac labendi occasiones, in quas animi pedes, id est, affectus, impingere, grauissimeq; lædi solent. D. Bern. in commentariis eiusdē Psal. eum qui ab Angelis sic portatur, cum homine confert natante, cuius mentū alter tenet; Quā facile, inquit, transit, qui Angelorum portatur manibus, quā suauiter iuxta vulgare prouerbium natat, cuius alter sustinet mētum, &c. Hoc in pelago fracta iustitiæ originalis naue natamus omnes, facileq; mergimur, natare docēt angeli, mentum, brachiaq; sustinent, & caput; tandēq; ad cęleste littus saluos incolumesq; perducūt.

Angeli illuminant, in ea stabilitūt a periculis liberant.

Psalm. 90.

D. Bernar.

Denique aduersus persequentes, & insidiātes cacodæmones nos muniunt, quod tertiū erat viæ nostræ periculum. Quamobrem post illa verba, *in manibus portabunt te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum*, sequitur in Psal. *Super aspidem & basiliscū ambulabis, & cōculcabis leonem & draconem*. Videlicet, auxilio, & tutela septus Angelorū. Aspides illi, basiliscos, dracones, leoneśq; cohibēt, ne nos aut vulnerēt, aut deuorēt. Militia cœlestis aduersus militiā tartaream millitat.

Cœptum est in cælo hoc bellum, ad iudicij vsque diem extremum permanebit. *Michael & angeli eius prœliabantur cum dracone*, draconē, & Angelos eius è cęlo præcipitarunt. E cœlo draco proiectus, alios cœlos, in quibus habitaret, quæ fuit in terra, hominum videlicet animos. Michael & Angeli eius, adeptam victoriam prosequuntur, è cœlo supremo deturbatū Satanam, ex iis infimis cœlis, id est, hominū animis, deiicere conantur. Iuuare oportet hanc cœlestē militiam. Etenim nisi nos quoque pugnemus, Satanam illa è mentibus nostris expellere non poterit, nisi voluntas nostra hostem gladio contritionis, cōfessionisque transfixum foras expellat, nihil omnium Angelorum militia efficiet.

Apoc. 12.

Pugnat pro nobis militia cœlestis, pugnare nos quoque oportet.

Militiæ ergo cœlesti nomen demus, cum Angelis tartareis pugnemus etiam nos. Pugnantibus enim admirabilis continget victoria, admirabilisque post pugnam pax & triumphus. Perueniemus tandē ad lignum illud vitæ sempiternæ, id est, Christum, cuius iter militiam cœlestē custodire dicebamus. Vnde in fine Psalmi citati, extremus versus hic est; *Longitudine dierum replebo eum, & ostendam illi salutare meum*. Quasi dicat, hūc cuius iter Angeli custodierūt, tādē ad vitæ arborē salutarē, id est Christū, perducā, eiusque fructu, qui longitudo dierum est, illum satiabo.

Psal. 90.

Perueniemus ad lignum vitæ, cuius viam Angeli custodiunt.

Arboris vitæ, id est, Christi, fructus est longitudo dierum, sine fine vllo, & vita, quæ verè vita est, nempe æterna. Nam vt Bernardus eodem Psalm. scribit; Vita, quā in terris viuimus, magis mors est, nec simpliciter vita, sed vita est mortalis, ibi verè viuitur, vbi viuida vita est, & vitalis, &c. Hæc vita hominem implet, ac saturat; *Longitudine* (inquit Dominus) *dierum replebo eum*, hebraicè saturabo eum, quod obseruauit Augustin. eodem Psalmo his verbis; Non sine causa inquit. *Longitudine dierum replebo eum*, quia sufficit, non nobis sufficit quicquid longū est in tēpore, si habet finem, & ideo nec longum dicendum est, & si auari sumus, vitæ æternæ auari esse debemus. Hæc ille.

D. Bernard. Vita nostra mors potius.

Vita æterna saturat viuendi desiderium.

7. Quod ad secundum defensorum genus, id est, animarum pastores, attinet, eos hi pastores adumbrant, vt est Ambrosij in Lucam sententia. Grex, inquit, populus, nox sæculum, pastores sunt sacerdotes. Boni igitur pastores in primis in eadem regione sunt in qua Christus. *Pastores* (ait Lucas) *erant in regione eadem*; in eodem mundi contemptu, in eadem vitæ asperitate, in eadem ouium charitate. Non in regione alia, superbiæ, auaritiæ ambitionis, atque voluptatis. Deinde, custodiunt gregem suum, suas Christi reputant oues, non veluti mercenarij, alienas. *Mercenarius* (ait Christus Dominus Ioan. 10.) *cuius non sunt oues propriæ, videt lupum venientem, & dimittit oues, & fugit*. Pastor verò, qui custodit gregem, non alienum, sed suum, non fugit lupum, sed fugat, & animam suam ponit pro ouibus suis.

D. Ambros.

Pastores boni quidagam.

Ioan 10.

Præterea *erant pastores vigilantes, & custodientes vigilias noctis super gregem suum*. Hoc pastorum Ecclesiasticorū est officium, vigilare & custodire, vigilias noctis, super gregem suum. Speculatores sunt, vigilanter speculentur necesse est. Vnde D. Bernard. lib. 2. de consideratione ad Eugenium; Blanditur, inquit, cathedra, specula est. Inde superintendis; sonans tibi episcopi nomine, non Dominium, sed officium. Quidni loceris in eminenti, vnde prospectes omnia, qui speculator super omnia constitueris? enim vero prospectus iste procinctum parit, non ocium, &c. Lege eundem Bernardum ser. 77. in Cātica. Sanctus vero Antiochus pastorem totum vult esse oculum & mentē, homilia centesima vndecima, sic scribit; Is cuius fidei, tutela animarum à Deo credita est, nō mediocri studio vigilare debet, pro salute subditorū, quippe qui certò sciat, se pro illis aditurum esse animæ propriæ periculum, at quidem pro se minimam habiturū esse excusationem. Ab eo enim, cui multa apposita sunt, abundantius repetēt. Debet igitur pastor totus esse mens, & oculus, vt ne vna quidem concreditarum sibi pecudum, reiicula fiat & indigna, quæ recipiatur à Domino per oscitantiam. Hæc ille. Aegyptij, vt ait D. Cyrillus li. 9. contra Iulianum, volentes Deum significare, pingebant oculum, cui baculum substituebāt. Hæc eadem vigilantis pastoris est pictura, oculus est vigilans atque apertus, baculum quoque habet vigilantem, iuxta illud: *Virgam vigilantem ego video*. Animalia, quæ Ioannes vidit, oculis plena erant, his similes, plenos oculis, spiritales, verosque Argos oportet esse pastores, vt diligenter vigilent super gregem suum. Primus tamē super se.

D. Antioch

D. Cyrillus.

Ierem. 2.

Apol. 4.

Etenim, vt præclarè ait Gregor. Magnus in Cōmentarijs capitis noni primi libri Regum, in illa verba; *Erat vir de Beniamin nomine Cis*, &c. Electi, & boni, sic lucra aliorum expetunt, vt sui nulla damna patiantur. Pleni quippe in se ipsis sunt, effluentes aliis, & de abundātia sui sic aliis tribuūt, vt suæ plenitudinis aliquid nō amittant. Sic aliis præbere oleum nituntur, vt à se fomēta luminis nō tollātur, vt dum illumināt alios, se nō extinguant, &c. Bonus itaq; pastor prius super animum suum vigilat, deinde super gregē. Super animum dixi, quia multi sunt qui vigilant super corpus, curant, pascuntq; corpus suum, potius quā gregē Domini. De quibus dicitur: *Væ pastoribus Israël, qui pascebant semetipsos, lac comedebatis, & lana operiebamini, & quod crassum erat occidebatis, gregem autem meum non pascebatis*.

D. Gregor. Pastores vigilent super gregem suū & super se quoque.

Ezech. 34.

Congruūt his Cardinalis Hugonis verba in Cōmentariis epistolæ D. Iacobi c. 3. Facto, inquit, multi dicunt hodie illud: *Dimitte me obsecro ad vnam partem sacerdotalem*. Officium sacerdotale habet duas partes. Vna est cura animarum, alia est sustentatio temporalium, prima est principalis, secunda accessoria.

Card. Hugo.

Sed

Sed de acceſſorio ſit hodie principale. Hæc ille cardinalis, & D. Bernardus ſer. 77. in Cantica. Quem, inquit, dabis mihi de numero præpoſitorum, qui non plus inuigilet ſubditorum vacuandis marſupiis, quã vitiis extirpandis? *D. Bernar.*

In horto paſtorem orbis Petrum dormientem reprehendit Chriſtus, illis verbis; *Simon dormis? non potuiſti vna hora vigilare?* Quia paſtori ouium dormire turpe eſt. Ideo Paul. *Tu vero*, inquit, *vigila in omnibus labora*, &c. Subditorum eſt obedire; paſtorum vigilare, vt idem Paulus docet: *Obedite præpoſitis veſtris, & ſubiacete eis*, hoc ſubditorum eſt, ſequitur id quod eſt paſtorum; *Ipſi enim peruigilant quaſi rationem pro animabus veſtris reddituri.* Si oculi dormiant; totum corpus dormit, oculi plebis paſtores ſunt, ſi paſtor dormiat, plebs etiam dormiet. *Cũ dormirent homines, venit inimicus, & ſuperſeminauit Zizania in medio tritici*, cum dormiunt prælati, qui agris præſunt, zizaniis agri complentur. Aiunt Iudæi, *Dicite quia diſcipuli eius furati ſunt eum, nobis dormientibus.* Ambroſ. ſerm. 15. Spiritaliter, inquit, intelligitur, quia Chriſtũ omnes dormientes perdunt: vigilantes inueniunt, &c. *Marc. 14.* *2. Tim. 4.* *Hebr. 13.* *Matt. 12.* *Matt. 28.* *D. Ambroſ.*

Vigilantis paſtoris exemplum accipe. Gen. 31. *Viginti annis* (ait Iacob) *fui tecum*, id eſt, cum Laban, *oues tuæ & capræ ſteriles non fuerunt, arietes gregis tui non comedi, nec captum à beſtia oſtendi tibi. Ego damnum omne reddebam, quicquid furtim peribat, à me exigebas. Die noctúque æſtu vrebar, & gelu, fugiebatq; ſomnus ab oculis meis*, &c. Si ſic laborat, & vigilat (ait Magnus Gregor. lib. 7. epiſt. 48. ad Anaſtaſium) ſi ſic, inquam, laborat, & vigilat, qui pauit oues Laban, quanto labori, quantiſque vigiliis debet intendere, qui paſcit oues Dei? *Mag. Greg.*

Obſerua verba illa Iacob: *Ego damnum omne reddebã, quicquid furtim peribat, à me exigebas*: quæ indicant à paſtore rationem ouium repoſcendam à Deo. Dãnum omne, quod ipſius culpa contigerit, paſtor reddet, quicquid perierit, ab eo exigetur. Hinc illud Paul. ad Hebr. 13. *Ipſi peruigilant, quaſi rationem pro animabus veſtris reddituri.* Et illud S. Antiochi ſupra citatum; Paſtor certò ſcit ſe pro ouibus aditurum animę propriæ periculum, illud item Ezech. 3. *Si dicente me ad impium; Morte morieris, non annunciaueris ei, neque locutus fueris, vt auertatur à via ſua impia, & viuat, ipſe impius in iniquitate ſua morietur, ſanguinem autem eius de manu tua requiram.* Adde illud Chryſoſt. lib. 2. de ſacerdotio: Cui Chriſti grex concreditus eſt, hunc ouibus deperditis, animæ propriæ iacturam facere oportet, &c.

Ad hæc, Vigilare paſtorem oportet *ſuper gregem ſuum*, non infra gregem. Is infra gregem vigilat, qui ouibus ſuis virtute, doctrinaque inferior eſt, is ſuper gregem, qui omnes illos ſuperat, quos paſcit. *Saul*, quem Deus, vt populũ ſuũ paſceret elegit. 1. Reg. 9. *ab humero, & ſurſum, eminebat ſuper omnem populum*, qua in re adumbratum, eſt paſtorem populo, cui præeſt, debere virtute, doctrinaque eſſe præcellentiorem, vt præcellentiſſimus paſtor Gregor. in Commentariis illius loci docet: Rex, inquit, præcedit collo, præcedit capite, collo locutio, capite contemplatio deſignatur. Capite ergo, & collo, ſubditorum omnium capita paſtor excellit, ſi contemplationis altitudine mirabilis eſt, & ſublimitate doctrinæ, &c. *D. Gregor. Paſtor ſuperet virtute oues, & doctrina.*

Nónne Epiſcopi ſpeculatores ſunt domus Iſrael? id eſt, Eccleſiæ, iuxta illud Domini Ezech. 3. *Speculatorem dedi te domui Iſrael?* Id quod nomen præ ſe fert. Epiſcopus enim ſpeculatorem ſignificat. Speculator in excelſa ſpecula, cæteris omnibus excelſior, vigilans munere fungitur ſuo, ſic Epiſcopus ex edita ſpecula, id eſt, excelſa viuendi ratione, vigilanter ſpeculetur.

Iſaiæ 40. Euangelizantem iubet Dominus excelſum in montem aſcendere; *ſuper montem*, inquit, *excelſum aſcende tu, qui euangelizas Sion*, ex vita igitur ſublimi, & non infima, vulgarique, paſtor ouibus, vt audiatur, debet euangelizare, quod docet idem ſanctiſſimus paſtor iam citatus lib. 1. Epiſtolarum, Epiſtol. 24. ad Epiſcopum Conſtantinopolitanum, & alios Epiſcopos ſcripta: Qui, inquit, loci ſui neceſſitate exigitur ſumma dicere, hac eadem neceſſitate compellitur ſumma monſtrare. Illa namque vox libentius auditorum cor penetrat, quam dicentis vita cõmendat, quia quod loquendo præcipit, oſtendendo adiuuat, vt fiat. Hinc enim per prophetam dicitur; *Super montem excelſum aſcende tu, qui euangelizas Sion.* Vt videlicet, qui cœleſti prædicatione vtitur, ima iam terrenorum operum deſerens, in rerum culmine ſtare videatur, tantoq; ſubditos facilius ad meliora pertrahat, quanto per vitæ meritum de ſupernis clamat, hæc eximius paſtor Gregorius. *D. Gregor.*

Eximius quoque paſtor Saluianus, quem Gennadius Epiſcoporum magiſtrũ appellat, hac de re præclarè lib. 2. ad Eccleſiam ſic ſcribit: Sacerdotes exẽplo eſſe omnibus debent, & tanto anteſtare cæteris oportet deuotione, quanto anteſtant omnibus dignitate. Nihil enim eſt turpius, quam excellentem eſſe quemlibet culmine, & deſpicabilẽ vilitate. Quid eſt enim aliud principatus ſine meritorium ſublimitate, niſi honoris titulus ſine homine? Aut quid eſt dignitas in indigno, niſi ornamẽtum in luto? Et ideo cunctos, qui ſacri altaris ſuggeſtu eminent, tantum excellere oportet merito, quantum gradu. Hæc ille. Et Chryſoſtomus initio l. 2. de ſacerdotio: Prodeant, ait, in medium, qui longè omnibus præſtant, quique animi virtute tantum reliquos excellunt; quantum corporis magnitudine Saul Hæbreorum gentem vniuerſam excelluit, ſeu potius multo etiam magis. Neque enim hic nobis humerorum excellentiæ, ac proceritatis menſura quærenda eſt. Sed quãta inter ſeſe differentia, homines rationis vſum habentes, & bruta ratione carentia diſſident, tantum ſanè diſcrimen inter eum, qui paſcit, atque eos qui paſcuntur, eſſe velim, vt ne maius etiam exigam, &c. *Saluianus.* *Chryſoſt.*

Deniq; qui alijs præeſt, ſi nominis paſtoralis mẽſuram cumulatè velit complere, vt dignitate, ſic virtute, atque exemplo, oues nitatur anteire. Vt enim ait Sanctus Antiochus homilia indicata; Quiſquis præſidet, eo ſortitur præſidis nomẽclaturam, quòd cæteros antegrediatur ſtrenuitate operis, &c. Hinc illa Magni Baſilij exiſtimatio, de qua Nazianzenus Gregor. in oratione de ipſius laudibus: Sic, inquit, exiſtimabat Baſilius, priuati quidem hominis virtutem in eo conſiſtere, vt vitio careat, aut quoquomodo probitatem colat. Principem autem, & antiſtitẽ, ac præſertim huiuſmodi imperium gerentẽ, improbitatis notam effugere non poſſe, niſi multum antecellat, ac melior indies exiſtat, paremque dignitati ſuę; ac throno virtutem afferat; Vix enim eſſe, vt per ſummum æquatur medium, ac per exuberantem virtutis amplitudinem, vulgus ad mediocritatem pertrahat, &c. *Antiochus.*

Huiuſmodi vigilantes, vitaque ſublimes paſtores è cælo lux circumfulget. *Claritas Dei* (ait Lucas) *circũfulſit illos.* Vt enim oues poſſint illuminare, illuminantur. Obſeruauit hoc Beda; Paſtores, inquit, vigilantes bene claritas Dei circumfulget, quia illi præcæteris videre ſublimia merentur, qui fidelibus gregibus præeſſe ſolicitè ſciunt. Dumque ipſi pie ſuper gregem vigilant, diuina ſuper eos gratia largius coruſcat. Tranſtulit hæc Beda in ſuos commentarios ex D. Grego. homil. 8. in Euangelia: Quid, inquit, eſt quod vigilantibus paſtoribus Angelus apparet, eoſque Dei claritas circũfulget? niſi quod illi præ cęteris videre ſublimia merẽtur, qui fidelibus gregibus præeſſe ſolicitè ſciunt. Dumq; ipſi pie ſuper gregẽ vigilãt, diuina ſuper eos gratia largius coruſcat, &c. *Beda. Paſtores lux cæleſtis circumfulget.* *D. Gregor.*

Circumfulget præterea cęleſtis lux paſtorem, qui exempli facem ſuis præfert ouibus, nam (vt idem Pontifex ſcribit lib. 7. Epiſtolarum Epiſtol. 32.) Lux gregis flamma eſt paſtoris. Decet enim paſtorem, decet dominicum ſacerdotem, moribus & vita clareſcere, quatenus in eo tanquam in ſpeculo vitæ ſuæ, plebs commiſſa & eligere quod ſequatur, & videre poſsit, quod corrigat. Hæc ille.

Decet paſtorem moribus clareſcere. Pastor ſpeculum ouium D. Gregor.

Tranſeamus aiunt Paſtores *vſque Bethlehem*, &c. Exēplum gregibus præbent, à mundo, à voluptatibus, à molli, delicataque vita tranſeuntes in præſepium. Si ſic tranſeunt paſtores, gregem ſequi docent. Si ſe illi peregrinos, & tranſeuntes, non mundi fæcibus infixos indicant, oues docent in ſæculo peregrinari, terreniſque rebus minimè affigi. Hoc paſtorum eſt, tranſire, ſecumque gregem ducere vſque Bethlehem, id eſt, domum veri panis.

Ouium dulce pabulum in præſepio eſt Bethlehemitico, in Bethlehemitico agro vberrima ſunt paſcua, fertilis eſt Bethlehem magnitudine paſtionis. O beata rura Bethlehem, quæ humano gregi panē tulere Angelorum, trāſite ô paſtores vſq; Bethlehem, ducite paſtores gregem in paſcua lętiſſima, quę ſunt in domo panis. In paſcuis paſcite paupertatis illius, quam opulentiſſimus ille pauper in præſepio docet, in paſcuis humilitatis, charitatis, miſericordię, & caſtitatis. *In paſcuis vberrimis* (ait Dominus) *paſcam eas*, id eſt, oues, *& in montibus excelſis Iſraël erunt paſcua earum, ibi requieſcent in herbis virentibus, & in paſcuis pinguibus paſcentur, ſuper montes Iſraël.* Ducite paſtores in hæc vberrima paſcua oues Chriſti, verbo Dei paſcite, ſacramētis paſcite, exemplo verboque ad ſacramentorum paſcua vocate. Si Verbi diuini fiſtula oues in paſcua pœnitentiæ Euchariſtięque frequenter ducatis, pingues ac fœcundæ erūt, illis ſimiles, de quibus legitis: *Dentes tui ſicut greges tonſarum, quæ aſcenderunt de lauacro, omnes gemellis fœtibus, & ſterilis nō eſt inter eas.* De lauacro aſcendunt oues, cum è pœnitentiæ ſacramēto, quod ouium lauacrum eſt, ablutæ, ad cœleſtia mente feruntur, & vita Gemellos habent fœtus, & ſterilis non eſt in eis, ſi bonorum operum fœtus edunt

Pascua ouiū in Bethlehē vberrima.

Ezech. 34.

Cant. 4.

Oues è lauacro pœnitentiæ aſcendentes, gemellos ferunt.

Sed quinam ſunt ſponſæ dentes? Vos eſtis Eccleſiæ dentes, ô paſtores, & doctores ſanctiſſimi. Dētes (ait Pſellus in Cantica) mihi intelligito diuinos Doctores ſcripturam interpretantes. Qui detonſis reiectiſque carnis ſolicitudinibus, & conſcientiæ lauacro mundati, tum animæ, tùm corporis puritatem, quaſi gemellos fœtus habere dicuntur. Hæc ille. Et Caſſiodorus: Sācti Doctores bene dentib. conformātur, quia ſpirituales cibos exponēdo cōminuūt, &c.

Pſellus.

Dentes bene radicatos eſſe oportet, ſic paſtores in charitate oportet eſſe fixos, iuxta illud Pauli; *In charitate radicati, & fundati.* Candore dentes præſtant, paſtores candore caſtitatis pręcellant. Oſſei durique ſunt dentes, fortes ad ſuperandos labores omnes, ac pericula, ſint paſtores. In carne ſunt dentes, ſed ſine carne, in carne, id eſt, corpore, viuant paſtores, ſed ſine carne, id eſt, carnis vitiis. Clauſi ſunt labijs dētes, clauſi non vagi ſint paſtores. Extenuant cibos dentes, extenuent plebi ſcripturarum cibos paſtores, & in os paruulorum inſerant. Eſcam mandunt dentes, ſed ſaporis nihil deguſtāt, concionentur paſtores, vanæ gloriæ nihil retineant. Magnus dentiū eſt dolor, magnus eſt etiam dolor, quē paſtores mali matri Eccleſiæ inſerunt. Cùm ridemus dentes oſtēdimus, cum ridet Deus, Eccleſiamque lęto vultu aſpicit, tunc bonos ſapienteſque prelatos illi donat. Quid plura? finem ijs imponat diuini Bernardi omniumque bonorum deſiderium, Epiſtola 249. Quis dabit, inquit, mihi homines literatos, & ſanctos, in Eccleſijs Dei pręeſſe paſtores, ſi nō in omnibus, certè in pluribus, certè in aliquibus ſaltem, &c.

Ephes. 3.

Dentes, paſtores, & doctores.

Octauo. Obſeruanda paſtorum feſtinatio, quemadmodum ſuprà Deiparæ Virginis, ad Eliſabetham obſeruauimus feſtinationem. *Venerunt*, ait Lucas, paſtores *feſtinantes*. Quæſierunt Chriſtum, ſed feſtinantes. Etenim cum feſtinatione Chriſtus quærēdus eſt. Nunquid minor eſt Chriſtus ſanitate? minor eſt Chriſtus diuitiis? minor honoribus? Deus bone, quāta cum feſtinatione ſanitatem quærit ægrotus, diuitias pauper; honores ignobilis. Protinus ac febris fores pulſat, feſtinatur, medicus euocatur, vena ſcinditur, amara potio ſumitur. Vt vero poëta ait:

Impiger extremos currit mercator ad Indos,
Per mare pauperiem fugiens, per ſaxa, per ignes.

Feſtinatio paſtorum docet Chriſtū quærere feſtinanter.

Si tanta cum diligentia caduca quæruntur bona, mox peritura, quanta cum feſtinatione quærendus eſt Chriſtus, bonum, & ſummum, & ſempiternum? Vides feſtinare paſtores (ait Ambroſius) nemo cum deſidia Chriſtum quærit. Et Beda Luc. 2. Feſtinant paſtores, neque enim cum deſidia Chriſti eſt quærenda præſentia, & ideo fortè nonnulli quærentes, inuenire non merentur, quia deſidioſe Chriſtum quęrunt, &c.

Sponſa; *In lectulo*, inquit, *meo per noctem quæſiui, quem diligit anima mea, quæſiui illum, & non inueni.* In lectulo, id eſt, deſidioſe, oſcitanter, & ſomniculoſe Chriſtum quęris? non inuenies. *Surgam* (ait eadem) *& circuibo ciuitatem, per vicos, & plateas quæram quem diligit anima mea.* Quæſiuit diligenter, tandem inuenit. Surge e lectulo, depone negligentiam, quære diligenter, tandem inuenies. Aquam Bethlehem. 2. Reg. 23. tres illi Dauidis fortiſſimi milites non cum deſidia, ſed magna cum diligentia, ac fortitudine, hoſtium caſtra irrumpentes, quæſierunt; ſic aqua, quæ ſub rupe Bethlehem ſcaturiit, quęritur. Frigus currentium aquarum impetum inhibet, ardor curſum reddit, frigidum pectus conglaciat, pectus charitate incenſum, ad curſum hominem concitat. *Neſcit amor tarde moueri* (ait Simon Caſſianus in hunc locum) ipſa tarditas ad quærendum nullius aut modici amoris argumentum exiſtit.

Cant. 3.

Simon Caſſ. Feſtinatio.

Ambr. ſerm. 16. Solem in Chriſti natiuitate feſtinaſſe ait. Cur, inquit, non credamus, quòd naſcente Chriſto, Sol ad obſequium lucidior aduenerit, cum Magos, ad indicium, clarior ſtella præceſſerit? etſi ſtella per diem, alieni temporis officium miniſtrauit, cur non credamus, quod Sol quoque nocturnis horis aliquantulum aduentu maturiore decerpſerit? Ex eo denique factum puto, vt nox decreſceret, dum Sol feſtinus ob Dominicæ natiuitatis obſequium, ante mundo lucem protulit, quam nox curſum ſui temporis cōſummaret. Incerta eſt hęc ſentētia. Alios ſoles vult Chriſtus in ſua natiuitate feſtinare, nēpe rationis, & amoris radiis, Sole ipſo præſtantiores homines. Quęramus ergo ardenter, ac feſtinanter Chriſtum, *tranſeamus* feſtinanter *vſque Bethlehem, videamus hoc verbum, quod factum eſt, quod Dominus oſtendit nobis.*

D. Ambr.

Vadam (ait paſtor ille bonus Moſes) *& videbo viſionē hanc magnam, quare nō comburatur rubus.* Eamus quoque, videamus viſionem maiorem, Illa typica erat, hęc vera. In ſpelunca Bethlehem rubus eſt ardens, numquam tamē combuſta, ſed igne diuino illuſtrata, Virgo Deipara. Tranſeamus vt Hebræi, non typici, ſed veri, id eſt, tranſeuntes (hoc enim Hebræum nomen ſignificat) tranſeamus à domo famis, id eſt, mundo, vſque Bethlehem, id eſt, domum panis, ac ſatietatis. Non te ſatiabit mundus, fames te anget ſemper. Pecuniæ ſtudium (ait Diuus Gregorius Nyſſenus in oratione funebri de Placilla) nónne vere dolium perforatum eſt, toto fundo perfluens, cui ſi vel totum mare affundas, ea natura eſt, vt expleri non poſſit? Huiuſmodi eſt cor tuum,

Exod. 3.

Ex mundo, domo famis, tranſeamus vſq; ad Bethlehem, id eſt, domū panis. D. Gregor. Nyſſenus.

tuum, dolium eſt perforatum. Implere nequeunt dolium perforatum fluẽtes liquores, implent tamẽ res ſolidæ, ac conſiſtentes, quæ per rimas minimè effluunt. Diuinæ res ſolidæ ſunt, ac conſiſtentes, mundanæ omnes fluentes. Hæ dolium cordis non implent, implent illæ.

Omnes creaturæ tranſeunde, vt ad Verbum perueniamus.

Tranſeamus à domo famis, vſque Bethlehẽ domum panis, & videamus hoc Verbũ, quod caro factũ eſt, & habitauit in nobis, vt nos habitaremus in illo. Tranſeamus, & videamus. Trãſeamus terrena omnia, aërem, ignem, aſtra, cęlos; trãſeamus Angelos, Cherubinos, ac Seraphinos, tranſeamus creaturas omnes. Non enim creatura eſt hoc Verbum, ſed creaturarũ omniũ conditor. Tranſeamus ſenſum, tranſeamus etiam intellectu ipſum intellectũ. Tranſeamus vſque ad fidem, & fidei oculis videamus hoc verbum, quod Dominus oſtẽdit nobis. fides hoc Verbum videt, illius dignitatẽ fides agnoſcit, etſi in præſepio, paleisque infantẽ cernit, Deũ tamen eſſe omnipotentem nouit.

D. Bernard.

Nam lynceos oculos fides habet, vt Bernard. ait ſer. 2. Epiphaniæ. Videte, inquit, quam oculata ſit fides, quàm lynceos oculos habeat, diligentius cõſiderate. Cognoſcit Dei filium lactentem, cognoſcit in ligno pendentem, cognoſcit morientem. *Ponam te in foramine petræ* (ait Dominus Moſi) *& videbis poſteriora mea.* Ex foramine petræ, id eſt, rupis, in monte Sinai, poſteriora Dei vidit Moſes, ex fide nos poſteriora Verbi videbimus. Nam (vt Theodoretus ait quæſt. 68.) petra ſolidam fidem ſignificat, foramen verò fidei denotat oculum, contemplantem ea, quę ſenſibilibus oculis ſunt inuiſibilia. Ex foramine petræ poſteriora tantùm corporis fulgentis à Deo oſtenſi vidit Moſes, faciem non vidit. Eundẽ in modum nos Verbi poſteriora nũc cernimus, Verbi incarnationẽ, Verbi præſepium, paleas, crucem, mortẽ, reſurrectionem. Faciem perſpicuè nõ videmus. Nũc tranſeamus, & videamus hoc Verbum in præſepio collocatum, poſtea tranſibimus è vita, & videbimus Verbi omnibus bonis plenam faciem, in qua angelorum hominumque beatitudo poſita eſt.

Exod. 33.

Fides verbũ indicat.

Theodor.

Verbi poſteriora in terra cernimus faciẽ cernemus in cælo.

Ad extremum, nõ eſt prætereunda Virginis Deiparæ conſideratio, quæ illis ſignificatur verbis: *Maria conſeruabat omnia verba hæc, conferens in corde ſuo.* Virgo diuinum Verbum vtero ſemel concepit, diuina verò verba corde ſæpe concipiebat, diuinum Verbum in vtero nouem menſium ſpatio conſeruauit: diuina verba in mente ſemper conſeruabat, diuinũ Verbum ventre tulit, diuina verba intellectu contulit. Deiparam imitemur; verba omnia Chriſti, omnia illius geſta, corde conſeruemus, præſepium, paleas, crucem, mortem, ignominias, opprobria cum infinita maieſtate, gloria, diuinitate cõferamus. Amorem illius cum gelu noſtro, humilitatem cũ ſuperbia noſtra, honoris cõtemplum cum ambitione noſtra, opum deſpicientiam cum auaritia noſtra; charitatem ardentiſſimam cum inuidia noſtra, cruciatus cum deliciis noſtris, paupertatem cũ diuitiis comparemus, perfuſique rubore ad meliorem nos frugem recipiamus.

Virginis cõſideratio.

Ezech. 43.

Oſtende (ait Dominus Ezechieli) *domui Iſraël templũ, & confundantur ab iniquitatibus ſuis, & metiantur fabricã, & erubeſcant ex omnibus, quæ fecerunt.* Si pudorẽ Iſraëlitis templi conſpectus, fabricæque dimenſio párere potuit, quantũ, Deus optime, pudoris, nobis noſtri tẽpli conſpectus eiuſque fabricæ dimenſio poterit injicere? Oſtendat intellectus homini dimidia ſaltẽ hora quotidie, ab omnibus feriato negotiis, templũ illud ſanctiſſimum (humanitatem dico Chriſti) non vt Salomonicum templũ, auro, hoc eſt, diuitiis, honoribus, potentiaque fulgens, non altitudine in nubes ſublatũ, non atriis latiſſimis cinctum, ſed humile, anguſtum, paupertate tectum, nullo externo decore ornatum, iuxta illud: *Non eſt ſpecies ei, neque decor.* Tum ſecum ita colloquatur, Deus in præſepio, & paleis, ego vilis homũcio in culcitris, & molli pluma? Deus in cruce, ego homũculus in honore? Deus nudus, ego ſericis indutus? Deus ſanguine aſperſus, ego odoribus? Deus opprobriis, ignominiiſq; affectus, ego dignitatibus, honoribusque cumulatus? Deus matri obediens, ego Deo inobediens? Deus in patibulo, ego in peccato? Heu me miſerum, quam longo à Deo ſeiungor interuallo. Inter me & te, Domine, chaos magnum interiectũ eſt, largire Domine, lagire gratiam, qua tantum chaos tranſiliam, & tibi fiam propinquus.

Chriſti exẽplum conſiderandum.

Iſaiæ 53.

Quid mirum, ſi Chriſtianus faciat, quod olim Vrias ille fidelis Dauidis ſeruus fecit? Is è bello reuerſus, cum à Dauide domum petere & quieſcere iuſſus eſſet, facere renuit. Cur enim feciſſe trogatus, æterna dignum memoria reſponſum hoc reddidit: *Arca Dei & Iſraël, & Iuda, habitant in papilionibus, & dominus meus Ioab, & ſerui Domini mei, ſuper faciem terræ manent, & ego ingrediar domum meam, vt comedam, & bibam, & dormiam cum vxore mea? Per ſalutem tuam, & per ſalutem animæ tuæ, non faciam rem hanc.* Conferebat optimus miles, longiori digniſſimus vita, conferebat inquã ſecum Arca Dei, neque putabat æquum, arcã Dei ſub papilionibus habitare, Vriã verò ſub tecto domus, ſomnum capere. Heus tu Chriſti miles, cõfer teipſum cum Arca Dei, dicito cum milite Dauidis; Arca Dei in papilionibus, immo in ſtabulo habitat, Dominus meus, non Ioab, ſed Iesvs, & Domina mea Virgo Deipara, in ſpelunca manent, & ego ingrediar domum meam? ego deliciis indulgebo, ego diuitias quæram, ego honores appetam, ego peccatis peccata cumulabo? Non faciam rem hanc.

2. Reg. 11.

Conferat ſe miles Chriſti cum duce ſuo.

Vtinam ſæpe nos cum Deo cõferremus, eiuſque ſimilitudinem appeteremus. Similis Deo eſſe voluit Lucifer: *Aſcendam* (inquit) *ſuper altitudinem nubium, ſimilis ero Altiſſimo.* Similis Deo eſſe voluit Eua: *Eritis* (ait Serpens) *ſicut Dij.* Hęc appetitio Lucifero, Euęque caſum attulit. Caſum attulit ſimilitudinis diuinę appetitio, eadem nunc cadentes attollit. Licet iam nunc homini ſine ſuperbia dicere; Similis ero Altiſſimo. Licet iam nunc, vt Deo velint eſſe ſimiles mortalibus ſuadere. Eritis ô mortales ſicut Deus. Non enim oportet ſuper altitudinem nubium aſcendere, ſed infra hominum ſuperbiam neceſſe eſt deſcendere. Humilis eſt Deus, pauper eſt Deus, in præſepio & ſtabulo iacet Deus. Qui Deo vult eſſe ſimilis, humilis ſit, pauper ſit, ſuperbia fugiat, infima complectatur.

Iſai. 14.

Geneſ. 3.

Iam licet homini Dei ſimilitudinem appetere.

LIBER NONVS.

CAPVT PRIMVM:

De Circumciſione Domini.

ET Poſtquam conſummati ſunt dies octo, vt circumcideretur puer, vocatum eſt nomen eius IESVS. Quod vocatum eſt ab Angelo, priuſquam in vtero conciperetur.

NATVS eſt Chriſtus vigeſima quinta die Decẽbris, poſt octo vero dies, prima die Iannarij, tenerrimam carnẽ circumcidẽdam cultro obtulit. Vtraque dies dominica fuit. Dominica enim die natus, & poſtquam conſummati ſunt dies octo à natiuitate, dominica die rerũ omniũ Dominus multis de cauſis eſt circumciſus. Cauſas aliquot enumerat D. Epiphanius hæreſi 30.

Circumciſus Dominus die Dominica D. Epiphan.

Prima eſt, vt oſtẽderet ſe in veritate carnẽ aſſumpſiſſe, propter Manichæum, & eos, qui dixerunt, in ſpecie ipſum apparuiſſe. Lydio lapide probatur aurũ, aurea vero Chriſti humanitas probatur cultro.

Secunda cauſa, ab Epiphanio etiam reddita, vt cõfirmaret circumciſionẽ, quã olim dederat, iuſtè inſeruiſſe, vſque ad ſuum aduentũ. Bona enim fuit circũciſio, bona lex Moſis, & à Deo vſque ad Meſſiæ aduentũ data. Satis id confirmat Dominus, circũciſionẽ, legẽque ſeruãs. Habuit hoc lex illa ſublime, de quo poſſit maximè gloriari, quod à Chriſto rerum omniũ conditore ſeruata eſt. *Miſit Deus filium ſuum* (ait Paulus) *factũ ſub lege*, Factus eſt ſub lege, ſed erat ſupra omnem legem, ſeruabat legẽ, nõ vt legi obnoxius, ſed vt legis Dominus, iuxta illud: *Dominus eſt filius hominis etiam ſabbathi.* Seruauit legem, ſed poſtquam ſeruauit, ſuſtulit. Quemadmodũ enim cũ ad vmbrã peruenit Sol, vmbra euaneſcit, ita poſtquã ad legem obſeruandam, *quæ vmbra erat futurorum*, iuſtitię Sol Chriſtus peruenit, lex euanuit.

Cauſæ circumciſionis. *Ad Gala. 4.* *Matth. 12. Chriſtus legẽ eſt veterem ſeruauit, & antiquauit.* *Hebr. 10.*

Si duriſſimã rupem cultro ferias acutiſſimo, obtunditur & frangitur. Petra (ait Paulus) *erat Chriſtus*: ſolidiſſimam petram culter circumciſionis percuſſit, obtuſus fractuſque aciem amiſit. Si theſaurum quiſpiam in agro abditũ habet, loco ſignum apponit, poſtquam verò theſaurum extrahit, ſignũ quoque aufert. Habuit Deus in Iudęorum populo olim theſaurum opulentiſſimum abſconditum, Meſſiæ videlicet ſanctiſsimam carnem, ſignũ appoſuit circumciſionem. Ablatus eſt theſaurus, ablatũ quoque eſt ſignũ, circumciſio. Nihil opus ſigno, theſaurum iam non habet locus. Si regium ſanguinem effũdat carnifex, à vinculis liberatur, regium diuinumque Chriſti ſanguinem circumciſionis culter carnifex effudit, à munere circumcidendi liberatus eſt.

Sublata per Chriſtum circumciſio.

Tertia cauſa, circumciſus eſt Dominus, (ait Epiphanius) vt nõ haberẽt Iudæi excuſationẽ. Si enim nõ fuiſſet circumciſus, dicere poterant, non potuimus Chriſtum, id eſt, Meſsiam ſuſcipere. Nõ audiſſent, nec toleraſſent incircumciſum hominem Iudæi; congruũ igitur fuit, vt ſummus Iudæorum doctor ac Meſſias circumciſionis ſigno notaretur.

D. Epiphan.

Quarta cauſa. Vt circumciſus (ait Epiphanius) rationabiliter circũciſionẽ diſſolueret, & aliã maiorem oſtenderet. Non velut qui non haberet, & ſibi ipſi conſtitueret, ſed qui haberet quidem, oſtenderet autẽ, quod hac non ampli⁹ eſſet opus, ſed maiore. Maiorem circumciſionem appellat Epiphanius circumciſionem ſpiritalem, hanc enim illa minor corporis indicabat, minorẽ Chriſtus ſuſtulit, maiorem in populũ ſuũ Chriſtianũ intulit. Minor circũciſio corporis erat, quã etiã idolorũ cultores obſeruabãt, vt idẽ Epiphanius eadem hæreſi cõtra Ebionẽ docet: Quid, inquit, iactat Ebion circũciſionem? quando etiã idololatræ ſcelerati Ægyptij, circumciſionẽ habent. Sed & Saraceni, qui & Iſmaëlitæ, circũciſionẽ habent, & Samaritæ, ac Iudæi, & Idumæi, & Homeritę. Plerique vero ex iis non propter legẽ hoc faciunt, ſed temeraria quadã cõſuetudine, &c. Maior circũciſio, imo maxima, totius corporis & animi circũciſio eſt, non virorum tantũ, ſed etiã fęminarũ. Lex vetus viros tantum ſigno illo notabat, fęminas nõ ſignabat. Chriſtus circumciſionem & viris, & fœminis communẽ indixit. Vnde Epiphanius: Venit, inquit, Chriſtus, & impleuit, data perfecta circũciſione myſteriorum ſuorum, nõ in vno ſolo membro, ſed toto corpore obſignato, ac circũciſo à peccatis, & nõ vnã partẽ populi ſaluãs, hoc eſt viros ſolos, ſed etiã totũ populũ Chriſtianorum in veritate, virosque ac mulieres ſimul obſignans. Et ad regni Cœlorum hæreditatem liberaliter, & non defectuoſe, vni ſolũ virorum ordini, per imbecillitatem ſignaculum exhibens, ſed vniuerſo populo per ſignaculum mandatorum, ac bonæ doctrinæ, regnum cœlorum reuelans. Hæc ille.

Cauſæ circumciſionis. *D. Epiphan.*

Quinta cauſa eſt D. Tom. 3. p. q. 37. art. 1. Vt probaret ſe eſſe ex genere Abrahæ, qui circumciſionis mandatũ acceperat. Abrahamus omnesq; Abrahami filij hoc ſigno notabantur. Cũ igitur Chriſtus, vt Matth. ait, filius fuerit Abraham, rationi conſentaneum fuit, vt ſignum filiorũ Abrahami reciperet. *Matth. 1.*

D. Thom.

Sexta cauſa eiuſdem ſanctiſſimi doctoris, vt obediendi virtutem ſuo cõmendaret exemplo. Cũ enim ſuperior omni lege eſſet, legi voluit obedire, vt qui lege inferiores ſunt, magna cum animi ſubmiſſione illius iugo ceruicẽ ſubiiciãt: *Factus eſt obediens*, nõ vſq; ad circumciſionẽ ſolum, verum (vt Paulus ait) etiam *vſque ad mortem, mortem autem Crucis.*

Phil. 2.

Septima cauſa, vt ſuũ ſanguinẽ pro hominibus, etiã in tenera illa ętate, feſtinãter fũdere inciperet.

Octaua cauſa, ne ſingularis eſſet. Circumcidebãtur ſanctè Iudæi omnes, quod omnibus commune erat, & ſanctum, fugere noluit Chriſtus.

Quod ſi quis opponat, circumciſionem peccati originarij fuiſſe medicinam, peccatum autem in Chriſto non fuiſſe, atque ideo hanc medicinam reſpuere debuiſſe. Reſpõdemus, Chriſtum circumciſionẽ non tanquam peccati, quod haberet ipſe, medicamen, ſed vt filij Abrahæ ſignũ, omnibus Iudęis commune, ſuſcepiſſe. Iudęis quidem peccati medicina erat propria circũciſio, Chriſti vero circũciſio & per eã effuſus ſanguis, nõ illi, ſed nobis fuit medicamentũ. Circumcidi ergo ille voluit, in quo circumciſione dignum penitus nihil erat. Sanctiſſimæ carnis particulã ſanctiſſimam, omniq; veneratione dignam abſcindi, & à reliquo corpore ſeparari voluit: vt à Deo latę legi obediret, idque quod cęteri Iudæi ſanctè faciebant, ipſe quoque faceret.

Itaque

Euangelium exponitur. Itaque *poſtquam cõſummati ſunt dies octo*, hoc eſt, poſtquam aduenit dies poſt natiuitatem octauus, neque enim ſignificat Lucas conſummatos fuiſſe dies, id eſt, vſque ad noctem tranſactos. Poſtquam, inquã, conſummati ſunt dies octo, quo tempore lege præceptũ erat, *vt circumcideretur puer*, circumciſus eſt, impoſitumque eſt illi nomen Ieſus, quod ab Angelo, antequam in vtero Virginis conciperetur, ipſi Virgini fuerat enuntiatum. *Ecce concipies* (dixit Gabriel) *in vtero, & paries filium, & vocabis nomen eius* IESVM.

Luæ 1.

Gen. 17. Vnde orta ſit circumciſio. Præceptum circumciſionis extat huiuſmodi: *Infans octo dierum circumcidetur in vobis*, &c. Hinc mos Iudæorum eſt ortus, octauo die infantes circumcidẽdi. Eo autem die quo circumcidebantur, nomẽ imponebatur, ideoque Chriſto nomen Ieſus in circũciſione eſt impoſitum. Sed cur in circũciſione nomen infanti imponebatur? Reſpondet Beda in Lucã, hunc morem ab Abrahamo emanaſſe, cui ritus circũciſionis à Deo eſt traditus. Ab Abrahamo, inquit, exortũ eſt, vt die circũciſionis nomẽ paruulis aptaretur. Quia & ipſe cũ teſtamentum, id eſt, fœdus à Deo circũciſionis acciperet, eadẽ prius die cũ ſua coniuge, nominis augmentũ, promeruit. Hęc ille.

Beda.

Gen. 17. Deus Abrahami nomini litteram addidit. Cum præceptum circumciſionis Deus Abraham dedit, nomẽ illius addita littera. ה he, amplificauit. dicebatur Abram, ſine aſpiratione, id eſt, pater excelſus, nomen accepit à Deo Abrahã, addita he, hebræa aſpiratione, quod ſignificat patrem multarũ gentium. Lege quæ diximus in genealogia Matthęi de hoc Abrahami nomine lib. 5. c. 6. Vxor illius appellabatur Sarai, id eſt princeps mea, nomen Deus mutauit: nõ Sarai ſed Sarah deinceps dicta eſt, id eſt, princeps; ademit litteram י. iod. & loco eius addidit litterã ה he, quemadmodũ Abrahamo, ex nomine ineffabili יהוה Iehouah, non ſine myſterio, vt explicatum eſt ſupra, loco citato in genealogia.

Plutarchus. Nos Romanorum, & Athenienſiũ. Alex. ab Alexandro. Romanis quoque, vt ait Plutarchus, problemate 102. mos fuit filiis maſculis nono die, fœminis octauo, nomẽ imponere. Ab Athenienſibus, & Græcis, vt ait Alexãder ab Alexãdro l. 2. c. 25. die decimo à natali, nomẽ infanti indere ſeruatũ eſt. Ariſt. l. 7. de hiſt. animal. c. 12. ſeptimo die nomina impoſita infantibus docet, & cur ante illũ diẽ nõ imponerẽtur, rationẽ reddit iis verbis: Plurimi infantes ante ſeptimũ diẽ intereũt, vnde fit, vt nomina ſeptimo die imponãtur, tanquam ſaluti iam pueri magis credamus. Non defuere barbari, qui nulla infãtibus nomina darẽt, vt enim referũt Solinus. c. 44. Et Plinius l. 5. c. 8. Atlãtes nominibus carebãt. Nulli (ait Solinus) propriũ vocabulũ, nulli ſpeciale nomẽ. & Plinius; Nullorum inter eos nominum appellatio eſt.

Solinus. Plinius.

Petes vbi nã fuerit Chriſtus circũciſus? In tẽplo ne an in aliqua Bethlehem Synagoga? D. Hilarius Pſal. 118. in tẽplo Ieroſolymitano putat circumciſum. Initio enim Pſalmi ſic ſcribit: In hoc octo dierum numero, cũ Chriſtus circũciſione non egeret, oblatus in tẽplo eſt, vt in corpore eius, humanę carnis recideretur infirmitas. Hæc ille. Probabilius eſt in ſpelũca, in qua natus eſt, circũciſum, quod docet D. Epiph. heræſi 2. Chriſtus, ait, natus eſt in Bethlehem, circumciſus in ſpelũca, oblatus in Ieruſalem, &c. Nõ enim in templum infans natus, ad quadrageſimũ vſq; diem adducebatur, vt infrà dicemus in tractatu de Purificatione virginis. Prętera non poterant infantes omnibus ex locis, in quibus Iudæi erant, intra octo dies ad templum peruenire.

D. Hilarius. Vbi circumciſus ſit Chriſtus. D. Epiphan.

Quis fuerit circumciſionis miniſter. Maius eſt dubium, nũ ſacerdotis, aut leuitæ, munus eſſet, infantem circumcidere, an verò cuilibet hoc liceret? Erat enim Sacramentum circumciſio, antiquæ legis, quamobrem ſacerdotibus, vel ſaltem leuitis, videtur fuiſſe commiſſa illius cura, quemadmodum nũc baptiſmi cura pertinet ad ſacerdotes.

A Attamẽ cum in lege nullus extet locus, qui circumcidẽdi munus ſacerdotibus vel leuitis adſcribat, veriſimilius eſt, circumciſionis nullũ peculiarẽ fuiſſe miniſtrũ, vt ſentit Abulenſ. in Commen. quinti c. lib. Ioſue. Immo fœminis circuncidere infantes fas fuiſſe, colligitur ex c. 4. Exodi, quo legimus Sephorã vxorẽ Moſis, filium circũcidiſſe. & 1. Mach. mulieres, quæ circũcidebãt filios ſuos, trucidabãtur. Prætera ſi ſacerdotum, vel leuitarũ hoc fuiſſet munus, in templum ducerentur infantes, vt circumciderẽtur, quemadmodũ nunc ducũtur, vt baptizentur, at ante diem quadrageſimum in templum non ducebantur, vt iam diximus. Nec igitur peculiarẽ locũ, nec peculiarem miniſtrum circumciſio, niſi forte chirurgum, poſtulabat.

Abulenſis. Exod. 4. 1. Mac. 1.

B A quo ergo circumciſus eſt Chriſtus Opt. Max.? Reſp. à Ioſephò, vel forſitan à Deipara Virgine, ſi chirurgo nõ erat opus. Non enim ad eam rem, etiã ſi dolore plenã, animus Virgini defuit. Non defuit fęminis, quæ filios circũcidebant, nõ defuit Sephoræ, quę arrepta acutiſſima petra, filiũ circumcidiſſe dicitur, quis igitur dicat defuiſſe virgini? Nõ circũcidit Moſes filiũ, ſed vxor Sephora: cũ tamen illi, non vxori, quod nõ eſſet filius circumciſus, mortẽ Deus fuiſſet interminatus. Forſitan matres, quarũ molliores manus ſunt, & corda molliora, hoc munus ſæpe præſtabãt. Circumciſum autẽ à Virgine Chriſtum, ſentire videtur Autor libri de vera circũciſione, qui inter opera D. Hieronymi extat; ſic enim ſcribit: Chriſtus octaua die circumciditur à matre, vtiq; quaſi homo, qui promiſſus fuerat ipſi Abrahę. Autor itẽ tractatus de lamẽtatione virginis Bernardo adſcripti; Virgo, ait, Chriſtum genuit, lactauit, octaua die circumcidit. Hæc tamẽ verba ſignificare poſſunt, à matre per alium peractã circumciſionẽ.

A quo ſit circumciſus Chriſtus. 1. Mach. 1. Exod. 4.

C Obſeruandum eſt, maiorẽ dolorẽ quam cæteros infantes ex circumciſione percepiſſe Chriſtum. Eo quòd reliqui infantes rationis vſu carent, & veluti pecudes illa in ætate ſunt; Chriſtus autẽ ratione, ſenſuque maximè vigebat.

Parit præterea dubium acutiſſima illa Sephoræ petra, qua infantem circumcidit, num lapideo cultro circũciſus ſit Chriſtus? Auget dubiũ celebris illa D Hebræorũ circũciſio, quã liber Ioſue prodidit memoriæ. Cũ enim Hebræi, qui in ſolitudine quadraginta annorũ ſpatio nati fuerant, circumciſione caruiſſent, generalẽ quandã omniũ circumciſionem celebrare fuit opus. Itaq; poſt Iordanis trãſitum, in Galgalis, omnes qui longiſſimo illo quadraginta annorum itinere orti ſunt, circumciſionis accepere ſignum, quo Deus populum ſuum velut oues notauerat. Circumciſi autem ſunt omnes lapideis cultris, id enim præcepit Deus Ioſue; *Fac* (inquit) *tibi cultros lapideos, & circumcide ſecundò filios Iſraël.*

Exod. 4. Fuerit ne Chriſtus circumciſus lapideo, an ferreo cultro. Ioſue 5.

Magiſter ſententiarum, dubio reſpõdet affirmãter, in quarto lib. diſt. 1. Fiebat (inquit) circumciſio octaua die, & petrino cultro, ſętit ergo omnes, etiã chriſtũ, lapideo cultro fuiſſe circũciſos. Quod etiã E Bernardus ſentit ſe. 1. de circũciſione iis verbis: Nõ repulit Chriſtus cultrũ lapideũ, in quo ſolo vetus illa, quæ raderetur, rubigo non fuit, &c. Prætera D. Aug. li. 2. de gratia Chriſti, cap. 31. Petra (inquit) erat Chriſtus, vnde Circumciſionis cultellus petrinus, &c. Autor itẽ libri de vera circumciſione, qui inter opera D. Hieronymi tom. 9. extat, in fine libri; Cultello (ait) petrino corporis noſtri circumcidẽda eſt natura: petra autẽ Chriſtus eſt, cuius cultellus amor eſt, quo creſcente in nobis, ſęculi deſideria decreſcẽt. Auguſt. in cõmentariis 7. ca. Ioannis; Cultellis petrinis Iudęi circumcidebant. eadem verba habet Beda eodem c. Haymo Luc. 2. Circumciſio, quæ ſecundũ præceptum legis habebatur, per petrã fiebat.

Magiſt. ſent. D. Bernard. D. Auguſt. D. Auguſt. Beda. Haymo.

Veri-

D. Thom. Hugo Vict. D. Bonau.

Verisimilior sententia est D. Thom. 3. part. q. 70. art. 3. Hugonis Victorini lib. 1. de sacramentis q. 12. c. 2. D. Bonaventuræ, & aliorũ, qui arbitrãtur lapideum cultrũ nõ fuisse ad circũcisionem necessariũ, satisque fuisse ferreum. Id sentit D. Iustinus Martyr in dialogo contra Tryphonem. Beati, ait, nos, qui altera circũcisione, cultris lapideis circũcisi sumus, in vestra enim priore ferrũ adhibitũ est & adhibetur, &c. Sephora petram illam, quia culter nõ suppetebat ferreus, in trepidatione arripuit, vt ait Hugo. In illa verò generali ac præcipua circũcisione, de qua agitur Iosue 5. lapideis cultris præcepit Deus fieri circũcisionẽ, vt Christũ, qui lapis est acutissim⁹, cuius exẽplo vitia nostra circũcidimus, ob ũbraret.

D. Iustin.

CAPVT II.

De Nomine Christi.

QVod attinet ad nomen; Dñs appellatur Christus, & Iesus, nomen est propriũ, vt nomina, Petrus & Paulus, nomen, Christus, nomen est non propriũ, sed nuncupatio potestatis, & regni, vt ait Lactantius l. 4. de vera sapientia c. 7. Significat enim regiam potestatem. Augustinus 1. Ioan. 2. Iesus, inquit, propriũ nomen est, quomodo Moses, Elias, Abraham; Christus autem sacramẽti nomen est, quomodo si dicatur propheta, vel sacerdos.

Lactantius. D. August. Christus vnctum significat: nomẽ est imperij. Iesus nomen est proprium.

Græcum nomen est, χριστὸς, à verbo græco, χρίω, id est, vngo, hebraicum Massiach, à verbo משח massah, quod significat vngere, latinum, Vnctus. Hoc nomine Reges appellantur in sacris litteris: *Faciens misericordiam Christo suo Dauid.* 1. Reg. *Non mittam manũ meam* (ait Dauid) *in Christum Domini*, id est, Saulẽ Regẽ. *Hæc dicit Dominus Christo meo Cyro.* Qui enim apud Hebræos reges creabãtur; oleo perfundebãtur. Neque regum tantum, sed pontificũ quoque capita inungere mos erat: *Sicut vnguentũ in capite, quod descendit in barbam, barbam Aaron, quod descendit in oram vestimẽti eius.* Lege Exed. 29. & Leuit. 8.

Psalm. 17. 1. Reg. 24. Isaiæ 45. Psal. 132.

Duplex autẽ fuit vnguenti genus, alterũ vulgare, alterũ sacrũ, quod è myrrha, cinnamomo, calamo, casiaq; cõstabat, vt explicatur Exod. Sacro pontifices inungere oportebat. Reges & sacro, & vulgari perfundere fas fuisse credit Abulensis 1. Reg. 10. q. 1. Nam Salomon sacro oleo vnctus est à Sadoc. *Sũpsit Sadoc cornu olei de tabernaculo, & vnxit Salomonem.* Non sacro videtur Abulẽsi vnctus Dauid à Samuele. Sed oppones illud: *Inueni Dauid seruum meum, oleo sancto meo vnxi eum.* Sãcto ergo oleo ac sacro vnctus est Dauid, vt sentit Euthymius eodem Psal. Sanctum, inquit, Dei oleum dixit, vt illius cõfectionem & diuinitus traditã, & mysteriis refertam esse significaret, &c. Genebrardus quoque ait Dauid fuisse vnctum vel sacro Mosis oleo, vel alio per diuinas preces Samuelis sanctificato, & consecrato. Potest etiã dici oleũ illud sanctum appellari, quod Dei iussu Dauid fuerit vnctus, non autẽ quod consecratũ esset. Præterea respondere posset Abulensis, Psalmi locũ intelligẽdum de oleo, quo Dauid non à Samuele, sed ab alio, perfusus est, cum omnium tribuum rex est creatus. De oleo pontificum plura dicemus Deo volente to. 2. in tractatu de templo.

Oleo Reges & Pontifices vngebantur. Exod. 30. Abulensis. 3. Reg. 1. Psalm. 88. Euthymius. Genebrar. 2. Reg. 25.

Prophetas etiam aliquãdo fuisse vnctos externo vnguẽto, colligitur ex 3. Reg. Quo loco dicitur Eliæ: *Eliseum vnges prophetam pro te.* Potest tamen locus sic explicari; Vnges, id est, eliges, & creabis prophetã. Nõ enim legimus Eliã vnxisse Eliseũ; sed palliũ super eũ iniecisse, quã pallij iniectionem ait Lyranus appellari vnctionẽ, idem docet Carthusianus.

3. Reg. 19. Lyranus. Carthus.

Ab vnctione externa, Christi, vel Messiæ, vel Vncti, Reges Hebræi dicebãtur, Dominus vero ab interna, quam illa præsignabat, Christus, Messias, & Vnctus, per antonomasiam appellatur. Vnde illud: *Vnxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ, præ consortibus tuis,* quippe qui Rex est summus, summusque Pontifex secundũ ordinẽ Melchisedech, qui Rex fuit simul & sacerdos. Aug. in Cõmentariis Psal. 26. Duæ (inquit) personæ illo tẽpore vngebãtur, id est, Regis & Põtificis, in duabus personis præfigurabatur futurus vnus Rex, & Sacerdos, vtroq; munere, vnus Christus, & ideo Christus à chrismate, i. vnctione, &c.

Psalm. 44.

Hoc nomen indicãt illa Canticorũ aromata, illa vnguenta, illud fragrantissimũ oleum: *Meliora sunt vbera tua* (ait cœlestis sponsa) *vino, fragrantia vnguentis optimis, trahe me post te, curremus in odorem vnguentorũ tuorum.* Itẽ oleũ effusum nomẽ tuũ, ideo adolescẽtulæ dilexerũt te nimis. Quasi diceret; Messias es, Vnctus es, oleũ effusum est tuum nomen, vel ab oleo effuso super caput, vt Rex, & sacerdos summus, nomẽ habes Christi, siue Vncti. *Ideo adolescentulæ*, id est, animæ fide viua renouatæ in iuuentutẽ, *dilexerunt te*, ideo *post te currunt*, quia verũ te Messiam & Vnctũ esse cognouerunt. *Vbera tua meliora sunt vino* legis, quo Iudæi inebriati, te agnoscere nolunt, fragrantia vnguẽtis suauissimis, quibus vnctus es, & nos etiam vngis.

Cant. 1. Christus dictus à Christmate, id est, vnctione, quæ in Canticis vnguẽto indicatur.

Non solum enim caput nostrum vnctum est, (ait Augustinus Psalmo citato) sed & corpus eius, nos ipsi. & Psalm. 103. ad illa verba; *Vt exhilaret faciem in oleo.* Amatur (inquit) Christus ab omnibus, prædicatur ab omnibus, quia excellẽter vnctus, corpus suũ totũ perungit, &c. Hinc illud: *Vos vnctionem habetis à Sancto*, id est, à Christo vncto. Itẽ: *Vnctionẽ, quã accepistis ab eo maneat in vobis.* Itẽ: *Vnctio eius docet vos*, &c. Vnctionis sacramentũ (ait Augustin. in hunc Ioãnis locũ) est virtus ipsa inuisibilis, vnctio inuisibilis Spiritus Sanctus est, vnctio inuisibilis charitas illa est, quæ in quocunque fuerit, tanquã radix illi erit, &c. Theodoretus in Cãtica. Vnguẽtũ gratia spiritalis dicitur, qua Christus refertus est, quamque ex plenitudine sua nobis impertiuit. Item: Multiplices ac varij fontes, qui orbẽ terrarũ odoris suauitate repleuerũt, vnicã habẽt venã, & originẽ, vnguẽtum Christi, &c.

D. August. Vnctus est Christus, vncti etiam Christiani. 1. Ioan. 2. D. August. Theodor. Vnguentum gratia spiritalis.

Ex hoc fonte in Christianos, gratię, virtutumque omnium odor suauissimus emanat, qui cum Paulo dicere possunt: *Christi bonus odor sumus Deo.* Odorifera virtus est. vnde Pauli sensum, Theophyl. iis verbis explicat: Veluti acerra sumus regia, & quocunque abierimus, odorẽ spiritalis vnguenti circũferimus, cognitionis videlicet Dei, in omni loco homines bono suffitu afflamus, &c. Huiusmodi probi Christiani sunt acerræ quædam Dei, ex quibus bonorũ operum suffitus tum cœlos, tum terram afflat. Non deerunt tamẽ, qui hunc odorẽ fugiant viri scelerati, tetrumq; vitiorum fœtorẽ cõsectentur, vt enim ait Theodor. Cant. 1, Vulturibus cadauera deuorãtibus suauitatẽ exhibẽt fœda corpora, vnguẽtũ verò perniciẽ. Sic hominibus impiis, seq; in fœditate peccati volutãtibus, teter libidinis odor est suauissimus, grauis autẽ ac molesta Christi disciplina. Hæc ille.

2. Cor. 2. Theophyl. Christiani probi acerræ quædã sunt; suauis odoris. Theodoret. Improbi odorem fugiunt fœtore vitiorum oblectantur.

Ipso primo conceptionis puncto, *præ consortibus suis*, id est, præ omnibus hominibus, qui eiusdẽ sunt consortes naturæ, & gratiæ, *vnctus est Christus oleo lætitiæ*, id est, donis Spiritus sancti, quibus toti orbi lætitiam attulit incredibilem. Hinc illud: *Spiritus Domini super me, eo quod vnxerit me.* Et illud Petri: *Vnxit eũ Deus Spiritu Sancto, & virtute*, &c. Et illud D. Cyrilli in li. de fide ad Theodosium prope finem: Quãdo Verbum caro factum est, tunc & nominatum esse dicimus ipsum Christum Iesum. Nã quoniã vnctus est oleo exultationis, hoc est, Sancto Spiritu à Deo & Patre, idcirco Christus nominatur, &c. Augustinus lib. 15. de Trinitate ca. 26. Vnxit eum Deus Spiritu Sancto:

Quo oleo sit vnctus Christus. Isai. 61. Act. 10. D. Cyrillus. D. August.

no n

non vtique oleo viſibili, ſed dono gratię, quod viſibili ſignificatur vnguẽto, quo baptizatos vngit Eccleſia. Et lib. 3. contra Maximũ c. 16. oleũ exultationis, quo Chriſtus vnctus dicitur, Spiritum S. appellari docet. D. Greg. Nazianz. orat. 4. de Theologia ait, Chriſtũ dici vnctũ, quia ipſa diuinitas vnctionis tenebat locũ; Dicitur, inquit, Chriſtus, propter diuinitatem, ea enim humanitatis vnctio eſt, non operatione, vt in aliis Chriſtis, id eſt, vnctis ſanctificans, ſed totius vnguentis preſentia, cuius hic effectus eſt, vt id, quod vngit, homo vocetur, & quod vngitur, Deus fiat. Hæc ille. Itẽ, initio orationis: Opera ipſius veritas, & iudicium, quorum cauſa diuinitate delibutus eſt, hæc enim humanitatis vnctio eſt, &c.

Pſal. 44. D. Gregor. Nazianz.

Secundò vnctus eſt Chriſtus ſanguine proprio, qui quidem verè eſt hominibus oleum lætitiæ, ſuauiſſimiq́ue odoris vnguentum, vulneribus præſentiſſimum afferens remedium. Tertiò vngitur ab Eccleſia, vt à Magdalena, *pretioſo nardi piſtici*, id eſt, fidelis ac ſyncera vnguento, operibus videlicet nullo peccati fuco corruptis. Vnctum eſt (ait Bern. ſerm. 1. de Quadrageſima) à patre caput noſtrũ, id eſt, Chriſtus, & nihilominus, vngi poſtulat & à nobis.

Ioan. 12.

D. Auguſt.

Vnctionẽ vero Chriſti adumbrauit Iacob, vt ait Aug. Pſal. 44. Cum lapidem quem capiti ſuppoſuerat oleo perfudit, adumbrarunt etiam tot pontificũ Regumq́ue in populo Hebræo vnctiones, maximè Dauidis. Ter vnctus eſt Dauid. Primò à Samuele in Bethlehẽ. Secundò, à tribu Iuda ſola, Tertiò, ab omnibus Iſraëlitis, Similẽ in modũ Chriſtus ter eſt vnctus. Primò à Spiritu S. oleo lætitiæ, in Nazareth, cũ in vtero virginis eſt cõceptus, vt Dauid in Bethlehem. Secundò vnctus eſt, id eſt, in Regẽ, & Meſſiã acceptus ab Apoſtolis, & aliis Iudæis ſolummodo, quemadmodũ Dauid à ſola tribu Iuda. Tertiò vnctus eſt, id eſt, in Meſſiam acceptus, ab omnibus nationibus, quemadmodum Dauid ab omnibus tribubus.

Gen. 28. Ter vnctus Dauid, ter etiam Chriſtus. 1. Reg 16. 2. Reg 2. 2. Reg. 5.

CAPVT III.

De Auguſtiſſimo nomine Ieſu.

IAcobus Valentinus Epiſcopus Chriſtopolitanus, opinatur nomen Ieſu, eſſe nomẽ ineffabile Iehouah, quod nonnullos exiſtimaſſe ait Galatinus lib. 3 c. 20. Quidam, inquit, ex noſtris dicunt nomẽ Ieſus, aliud non eſſe, quam ipſum nomen Dei tetragrammaton. Valentinus in Commen. Pſal. 8. ſic ſcribit; Chriſtus Saluator noſter habuit nomen quatuor litterarum, tanquã nomen proprium. Quod probatur. Nam iſtæ litteræ, יהוה Iod, he, vau, he, proprioſitę in illo nomine, ſi rectè combinentur cum ſuis punctis appoſitis, reddunt & ſonant hoc nomẽ Ieſuah, quod latinè dicitur Ieſus, & interpretatur Saluator. Ex quo patet, quod Ieſus eſt realiter nomen quatuor litterarum ſecundum propriũ ſonum. Hæc ille. Probatur præterea ex verbis illis Pauli: *Dedit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomẽ.* Nomẽ ſuper omne nomẽ erat Iehouah, ergo datum & impoſitum eſt Chriſto. Itaque Paulus Burgenſis Exodi 3. de nomine Iehouah, quod Chriſto datum eſt, Pauli locum interpretatur. Adde illud: *Vocabitur nomen eius Emmanuel*, hoc eſt, nobiſcum Deus: ergo ipſum nomen Chriſti Deum ſignificabat. Adde & illud: *Hoc eſt nomen, quod vocabũt eũ, Dominus*, Hebraicè Iehouah, *Iuſtus noſter*, quid clarius dici potuit? Quaſi diceret propheta, rogatis, quo nomine ſit vocandus Meſſias, vocabunt eũ Iehouah.

Galatinus. An nomen Ieſu ſit nomẽ tetragram maton. Iehouah.

Iacob. Val.

Philip. 2.

Burgenſis.

Iſaiæ 7.

Ierem. 23.

Reſpondemus, nomen Ieſus non eſſe nomen Iehouah, ſed ab eo diuerſum. Probatur ex ipſis litteris, quibus vtrumque nomen ſcribitur. Nomẽ Iehouah, quatuor his literis ſcribitur, remotis punctis, יהוה Iod, he, vau, he: Nomẽ ישוע Ieſuah, his quatuor diuerſis, ישוע Iod, ſin, vau, ain. Probatur præterea, ex ſignificatione. Nã nomẽ Iehouah, vt docet præter alios, hebræus Burgẽſis Exo. 3. eſſe ipſum ſi ue eſſentiam ſignificat; Nomen, inquit, tetragrammaton, Iehouah, licet non ſit in aliquo alio nomine, ſeu per aliud nomen transferibile, ſeu proprie exponibile, ex litteris tamen ex quibus componitur poteſt intelligi, tam eſſe, quam eſſentia, nihil aliud connotando, nec limitando, quod maxime conuenit eſſentiæ, ſeu eſſe diuino. Hæc ille. At nomen Ieſuah non ſignificat eſſentiam, ſed ſalutem, ergo nõ eſt nomẽ Iehouah. Probatur item ex radicibus; nam nomen Iehouah, à verbo ſubſtantiuo, haiah, quod eſſe ſignificat; nomen vero, Ieſuah, à verbo Iaſah, quod ſignificat ſaluare, deriuatur; hoc docuit Angelus: *Vocabis*, inquit, *nomen eius Ieſum. Ipſe enim ſaluum faciet populum ſuum à peccatis eorum.*

Nomen Ieſuah, non eſt nomen Iehouah Burgenſis.

Matth. 1.

Primæ rationi, qua Valentinus ſuam opinionem probat, reſpondemus, falſum eſſe nomen Iehouah, ex iiſdem literis cõponi, ex quibus nomen Ieſuah conflatur, vt oſtendimus. Secundę reſpondetur, nomen ſuper omne nomen, eſſe nomen Dei, vel etiam nomen, Iehouah. Datum autem Chriſto dicimus, quia ab hominibus Deus ſiue Iehouah eſſe agnoſcitur, hoc ſẽſu. *Dedit illi nomẽ quod eſt ſuper omne nomẽ*, hoc eſt, fecit Pater vt Chriſtus Deus, & Iehouah eſſe, ab hominibus agnoſceretur, & vt Deus coleretur. Eodẽ modo dicitur: *Dignus eſt agnus, qui occiſus eſt, accipere virtutem, & diuinitatem*, &c. Hoc eſt, dignus eſt, qui ab hominibus Deus eſſe fortiſſimus agnoſcatur, & diuinis honoribus afficiatur. Aliter; Dedit illi nomen, ſuper omne nomen, hoc eſt, dedit nominis ſplendorem, & honorem, ſuper omnem honorem, & gloriam. Iſaiæ verba, non ſignificant Chriſtum, vt nomine proprio vocandum Emmanuelem, ſed illo nomine eius diuinitatem indicant, vt iam ſupra diximus lib 8. cap. 6. cum illa verba expoſuimus; *Vocabũt nomen eius Emmanuel*. Quo loco verba etiam Ieremiæ expoſita ſunt; Hoc eſt, nomen, quo vocabunt eum; Dominus, vel Iehouah, Iuſtus noſter. De proprio Chriſti nomine in circũciſione impoſito his & alijs locis nõ agitur, ſed de nominibus alijs, quæ illius ſignificãt maieſtatẽ, vt loco citato oſtẽdimus.

Soluuntur rationes.

Philip. 2.

Actor. 5.

Secundum dubium eſt, quodnam ſit nomen Ieſu, hebræum. Eckius ſer. 4. de circumciſione ait, nõ cõſtare fuerit ne Iehoſuah, an Ieſuah. In lexico hebręo complutenſi eſſe dicitur Iehoſuah, eodem modo appellat Iacobus Valentinus iam citatus, & Ludouicus Legionenſis libr. 3. de nominibus Dei, hoc nomine hebraicè dictus eſt Ioſue, & Ieſus ſacerdos ſummus, filius Ioſedec. Pagninus in expoſitione nominũ hebræorum, Galatinus lib. 3. c. 20. & Ianſenius Cõcordię c. 7. nomen Ieſus hebræum, Ieſuah eſſe volunt, quæ ſententia mihi magis placet.

Quodnã ſit nomen Ieſu Hebraum. Eckius.

Iacob. Val. Ludou. Leo.

Pagninus. Galatinus. Ianſenius.

Probatur ex Euangelio Syriaco, in quo non Iehoſuah, ſed Ieſuah Chriſtus appellatur. & ex titulo Crucis, in quo nomen Ieſuah ſcriptum extat, vt docet Pagninus; Ieſuah, inquit, eſt nomen Saluatoris, & eſt in titulo Crucis, qui eſt Romæ, in templo ſanctæ Crucis, &c.

Quid ſignificet nomen rogas? Reſpondeo ſignificare ſalutem, à verbo hebræo ישע Iaſah, per ain, in fine, quod ſignificat ſeruare. Significationẽ Angelus indicauit: *Vocabis*, inquit, *nomen eius Ieſum, ipſe enim ſaluum faciet populum ſuum à peccatis eorum*. Refutant hæc Angeli verba Oſiandrum, qui non à ſaluando dici Ieſum putauit, ſed eſſe nomen tetragrãmaton, interiecta littera ש, ſin, hoc modo, Iehouah, nomen eſt tetragrammaton, vel quadrilitterum, interpone, ſin, ſit Iehoſuah, per he, in fine, at nos dicimus finalem literam eſſe, ain, quia à verbo

Matth. 1.

Fallitur Oſiander, qui Ieſuah nomẽ tetragrammaton eſſe putauit.

Iaſag,

Iasag, per ain deducitur, vt Angelus indicat.

Tertiũ dubium est. An sit aliquis in veteri Testamento hoc nomine ante Christum appellatus? Respondet dubio Galatinus libro 3. ca. 20. his verbis: Nomine Iesu, aliquos vocatos fuisse omnino nego. In hoc enim quamplurimi ex nostris plurimũ falluntur, putantes eos hoc nomine fuisse appellatos, quod ex hebraicarum litterarum ignorantia prouenisse certum est. Vnusquisque enim eorum, quos hoc nomine Iesu nuncupatos asserunt, nõ Iesuah vocatus est, sed Iehosuah, quod non est idem nomẽ. Nam Iesuah idem est quod Saluator, siue salus, siue saluatio; Iehosuah verò Deus saluabit interpretatur. Vt ex ipso nomine patesceret, quod saluare nullius eorum intererat, sed solius Dei. Hæc ille.

Galatinus.

An aliquis alius nomine Iesu fuerit appellatus.

Verùm, quæ humani ingenij imbecillitas est, in quo alios deceptos putat, ipse decipitur; ait neminẽ in scriptura appellatum Iesuah, id verò falsum est. Etenim Iesus summus sacerdos. 1. Esdræ 3. & 5. hebraice Iesuah nominatur; & primo Paralipom. alius quoque sacerdos eodem nomine nuncupatur. Præter hos tertium hoc nomine dictum reperies, si hebræam scripturam euolueris. Respondemus ergo veriùs dubio, alios in veteri Testamento nomine Iesu fuisse appellatos, vt constat. Noluit enim Dominus inaudito, sed iam ab alijs vsurpato nomine vocari; quod tamen salutẽ orbi afferendã significaret.

1 Esdr. 3. 1. Esdr. 5. 1. Paral 24. 2. Par. 31.

Petes, an Iosue, & Iesus summus sacerdos, filius Iosedec, qui Christi gessere typũ, nomine Iesuah fuerint nuncupati? Respondeo summum illum sacerdotem Iesuah appellari. 1. Esdræ, Iosue autẽ Iehosuah nominatur. Cum enim Osee vocaretur, ad terram repromissionis explorandã missus est, & à Mose Iehosuah siue vt latinè dicitur Iosue vocatus. *Hæc sunt nomina virorum, quos misit Moyses ad considerandã terrã, vocauitq; Osee filium Nun, Iosue*, hebraice Iehosuah.

1. Esd. 3. & 5.

Num. 23.

Aduerte tamen hoc loco, summum illũ sacerdotẽ qui in lib. 1. Esdræ Iesuah nominatur, appellari ab Aggæo & Zacharia Iehosuah. Vtroq; igitur nomine nuncupatur, & Iesuah, & Iehosuah per ain, in fine. Vnde non malè quis conjiciet, pro eodem nomine hæc duo fuisse vsurpata, Christumq; eodẽ modo appellatũ esse Iesuah, & Iehosuah. Lib. 5. c. 30. diximus Eli, & Eliachim idem esse nomen, nõ igitur mirũ si Iesuah, & Iehosuah, idem quoq; nomen esse dicatur.

Agg. 2. Zach. 3.

Hæc duo nomina Iesuah & Iehosuah pro eodem vsurpantur.

Quod si verum est, vere datum est Christo in nomine proprio nomẽ Iehouah; nõ quod sit interiecta littera, sin, vt voluit Osiander, & præterea quòd addita sit littera ain, vt ait Burgensis Exod. 3, sed quod nomen, Iehosuah, à nomine Iehouah sit compositum. Ieho enim initio nominis ponitur pro Iehouah, per aphæresim. Dicitur autem Iehosuah, id est, Deus salus, ostenditque nomen ipsum Christi diuinitatem, salutemque per ipsius sanguinem mundo collatam. Nomen autẽ Iehosuah (ne cui aliquis hac de re scrupulus suboriatur) in nomen Iesum, tum à 70. interpretibus, tum etiam à nostro vulgato vertitur, id quod huic sententiæ fauet. Sacerdos magnus dicitur Hebraicè Iehosuah, tam verò noster, quam 70. interpretes vertunt, Iesum; Vidi Iesum, Hebraicè Iehosuah, sacerdotem magnum, & 70. Iosue, qui hebraicè est Iehosuah, appellant Iesum, perinde ac si Iesuah, & Iehosuah idem nomen sit.

Zach. 3.

Christus appellatur Iesuah & Iehosuah.

Ex his infertur Christũ habuisse nomẽ proprium quadrilitterum, vel tetragrammatõ, vt Iehouah. Nã nomen Iesuah habraicè remotis punctis, quatuor tãtum habet litteras, Iod, sin, vau, ain; habuisse præterea nomen quod nomen Iehouah continet.

Libet etiam inuestigare, num nomen Iesu sit nomen super omne nomẽ, de quo Paulus, *Dedit*, inquit, *illi nomen super omne nomen*. Affirmat Origines, hom. 1. in librũ Iosue: Donauit, inquit, Deus nomen, quod

Philip. 2.

Origenes.

A quod est super omne nomẽ, Domino Saluatori nostro Iesu Christo; est autem nomen, quod est super omne nomen, Iesus. Et quia est nomen super omne nomen; idcirco *in nomine Iesu omne genu flectitur, cælestium, terrestrium, & infernorum.* Hæc ille. Haymo in verba Pauli ad Philipp. 2. iam citata rogat; Quod nomen dedit illi? Respondet; Vt filius Dei vocaretur, & esset, qui filius hominis erat, secundum quod in die baptismatis innotuit paterna vox, inquiẽs: *Hic est filius meus dilectus*, similiter in monte. Vel etiam nomẽ dedit illi, quod est super omne nomẽ, vt Iesus vocaretur, id est, Saluator, &c. Bernardus præterea, in declamatione super illa verba; *Ecce nos reliquimus omnia*: Ipsum, inquit nomen Iesu, quod est super omne nomen, in quo flectitur omne genu, obedientiæ remuneratio est, &c. Et serm. 1. de circumcisione: Circumcisio veritatem susceptæ probat humanitatis, & nomen quod est super omne nomen, gloriam indicat maiestatis. Adde Ambrosium Catharinũ, qui de nomine Iesu, Pauli verba interpretatur. Præter hos omnes Gregorius decimus Summus Põtifex, in sexto, de immunitate ecclesiarum, capite Decet, nomen Iesu, appellat nomen super omne nomen, cuius verba infra in morali citantur. Et D. Bernardinus tomo quarto, sermone primo, extraordinar. Nomen, inquit, Iesus est nomen super omne nomen, & cæteris gloriosius, &c.

An nomen Iesu sit nomẽ super omne nomen Haymo.

D. Bernar.

Catharinus.

Greger. 10

D. Bernardinus.

Respondeo, locum Pauli de nomine Iesu, sensu literali non intelligi à plerisque interpretibus, ita vt dicere velit nomen Iesu esse nomen super omne nomen, datum Christo. Vt enim ait Iansenius capite septimo Concordiæ, cum Paulus ibi loquatur de nomine dato in Ascensione, certum est eum nõ loqui de nomine Iesus, cum hoc in circumcisione ei sit impositum. Nomen de quo Paulus loquitur, datum est Christo propter merita passionis: *Propter quod* (ait Paulus) id est, quia factus est obediens vsque ad mortem crucis, *Deus exaltauit illum, & donauit illi nomẽ, quod est super omne nomen*. At nomen Iesus datum est Christo multo antè passionem in circumcisione, & ante merita passionis. Est hæc sententia ferè omnium interpretum Pauli, qui locum de nomine Iesus minimè exponunt. Exponendus autem est eo modo, quo à nobis primo dubio est expositus. Quòd si de nomine Iesu velis exponere, hic erit Pauli sensus; *Dedit illi nomen, quod est super omne nomẽ*, hoc est, dedit illi post passionem, vt nomen Iesu, quod antea iam habebat, esset super omne nomen.

Iansenius.

Suboritur alia quæstio, an sit IESV nomen nouum? esse enim nouum probatur: *Vocabitur*, ait, *tibi nomen nouum quod os Domini nominauit*. Vnde Cyrillus libro quinto, de Trinitate paulo post principium; Nomen, inquit, nouum Verbo diuino est IESVS, & concurrens cum carnis natiuitate. Et propheticum oraculum astipulatur, Isaiæ 62. Vocabunt nomen eius nouum hoc, quod Dominus nominauit. Hæc Cyrillus. Respondemus, nouum esse, si rationem impositionis, ac significationem spectes; quoniam noua ratione, & significatione impositum est. Nunquam enim quis propterea Iesus vocatus est, quòd perfectissimam tum animis, tum corporibus salutem esset allaturus, quam nouam rationem ac significationem Angelus aperuit verbis iam citatis, *Vocabis nomen eius Iesum, ipse enim saluum faciet populum suum, à peccatis eorum*. O nouam nominis rationẽ, & omnibus sæculis inauditam. Est præterea nouum Verbo nomen, quia antiqua, & æterna nomina, id est, ab æterno congruentia Christo, sunt, Verbum, filius Dei sapientia patris, & similia: at nomen Iesus est nouum, quia in circũcisione impositũ. Quemadmodũ noua est humanitas, iuxta illud: *Creauit Dominus nouum super terram, fœmina circumdabit virum*, ita nouum est nomen

Isaia 62. D. Cyrillus.

An nomen Iesu sit nomẽ nouum.

Ierem. 31.

Iesu

Iesu Christo homini inditum, quod significant verba Cyrilli; Nouum, ait, nomen est Iesus, & concurrens cum carnis natiuitate. Non est tamen ita nouum nomen, vt ante Christum in orbe non fuerit, quod iã supra aduersus Galatini sentẽtiam ostẽdimus. Illud tamẽ aduerte, verba Isaię citata, de Ecclesia, non de Christo dicta esse, vt interpretes senti ũt.

An nomen Iesus in veteri testamẽto, Christum significans reperiatur

Iuuat in sanctissimo nomine immorari. Quæret aliquis, num nomẽ Iesu in libris veteris Testamẽti Christum significans reperiatur? Respondeo sæpissime reperiri. Nam nomen Christi nõ est participiũ passiuum verbi Iasah, quod in sacris litteris nõ inuenitur, & significaret saluũ. Sed nomen Iesuah, cũ ain, in fine, vt iam dicitur. In libris tamen propheticis scribitur prophetice cum ain, & he, in fine, & significat ipsam salutem. *Salutare tuum* (ait Iacob) *expectabo Domine*, hebraice Iesuah, id est, Iesum tuum expectabo Domine: *Notum fecit Dominus salutare suũ* hebraicè: Notum fecit Dñs Iesuah suum. Eodem Psalmo: *Viderunt omnes terreni terræ salutare Dei nostri*, hebraice Iesum Dei nostri: *Quis dabit ex Sion salutare Israel*; ex hebræo: Quis dabit ex Siõ Iesum Israel: *Dic animæ meæ, salus tua ego sum*; verti potest; Dic animæ meæ Iesus tuus ego sum: *Prosperũ iter faciet nobis Deus salutariũ nostrorum*. Aliter; Prosperum iter faciet nobis Deus Iesus noster: *Ecce Deus Saluator meus fiducialiter agam, & non timebo, quia fortitudo mea, & laus mea Dominus, & factus est mihi in salutem, haurietis aquas in gaudio, de fontibus Saluatoris*. Ex hebræo verti potest; Ecce Deus Iesus meus, fiducialiter agam, & non timebo, quia fortitudo mea, & laus mea, Iah Iehouah, id est, Deus Dei, videlicet, filius, Deus de Deo procedẽs, & factus est mihi in Iesum, & Saluatorẽ, haurietis aquas in gaudio de fontibus Iesu.

Genes. 49. *Psalm 97.* *Psalm. 52.* *Psalm 34.* *Psalm. 67.* *Isaiæ 12.*

Leo Castro. *Procopius.*

In omnibus his locis nomẽ est, Iesuagh, cum ain, & he, in fine, quod significat salutem, & est nomen Christi detracto he vltimo, Imò Leo Castro Isai. 12. cõtendit etiam addito, he, nomen esse Christi. Procopius Isaiæ 12. obseruauit ijs in locis hebraice nomen esse Iesum. Vbi (inquit) Saluatoris vocẽ vsurpamus, Iesum hebraica habent. Verbi causa, vbi legitur: *Ecce Deus Saluator meus*. Et ibi *Factus est mihi in salutem*, & cũ, De fontibus Saluatoris, dixit. Hæc Procopius. Hieronymus etiam, & septuaginta, idẽ nomen Hebræum in Saluatorem transtulerunt. Marius Victorinus in indice D. Hieronymi testatur ad se allatum Chaldaicum Euãgeliun, in quo Christus Iesuagh, per ain, & he in fine appellatur terminatione fœminina. Leo etsi fœminina sit terminatio, masculinum tamen esse vult, cum Christi nomen est, cuius rei testes profert D. Hieronymum, & septuaginta interp. qui masculino genere fere vertunt.

D. Hieron. *Marius Victorinus.*

Est etiã hoc nomen, Iesuah, vt alia loca omittã, in celebri illo vaticinio: *Quam pulchri super montes pedes annunciantis, & prædicantis pacem, prædicantis salutem, dicentis Sion regnauit Deus tuus*. Vel prædicantis Iesum, dicentis Sion, regnauit Deus tuus, scilicet, idẽ Iesus. Et: *Dicite filiæ Sion, Ecce Saluator tuus venit*, vel, ecce Iesus tuus venit. Hieronymus duobus locis, alterum nomen hebræum, quod est Iesah, & salutem etiam significat, explicatè transtulit in Iesum: *Exultabo in Deo Iesu meo*, & *: Venite exultemus Domino, iubilemus Deo salutari nostro*, vertit Hieronymus, venite laudemus Dominum, iubilemus petræ Iesu nostro. Sic vertit Hieronymus, quia nomen Iesah, cum kibuts potest esse nomen, Iesuah, cum ain in fine absque he.

Isaiæ 52. *Isaiæ 62.* *Abacuc 3.* *Psalm. 94.*

De nomine Iesu.

Nõ prætermittam Augustissimi nominis numerum à Beda obseruatum, Luc. 2. Obserua igitur tam Græcos, quam Hebręos, pro notis numerorum litteris vti alphabeticis, α, nota vnitatis est. ε, nota binarij, reliquæ litteræ numeros consequentes indicãt, Iota, decem continet, κ. 20. λ. 30. Eodẽ modo cæteræ numeros cæteros ꝟgnificant. D. Ioãnes Apoc. 13. Nomen Antichristi obscure indicãs, litterarum, quibus constat, numerum indicauit. Numerus, inquit, eius, sexcenti sexaginta sex. Cõstat ergo Antichristi nomẽ propriũ, quod ignoratur, litteris Græcis cõtinentibus numerum 666. Nomẽ verò Augustissimũ, Ἰησοῦς, Græce, numerũ habet 888. Na littera prima Iota, 10. cõtinet, littera secũda, η. 8 littera tertia σ. 200. quarta, ο. 70. quinta, υ. 400. sexta, ς. 200.

Sibyllæ quoque Cumanæ Græcum vaticinium fertur, in quo ex hoc numero nomen Iesus indicat, id verò in latina hæc carmina conuersum reperies, lib. 2. Bibliothecæ Sixti Senensis:

Sibylla Cumana.

Tunc ad mortales veniet, mortalibus ipsis
In terris similis, natus patris omnipotentis,
Corpore vestitus. Vocales quatuor autem
Fert: non vocales quoq; duas: binum geniorum.
Sed quæ sit numeri totius summa docebo.
Namque octo monades totidem decades super ista,
Atque hecatontadas octo, insidis significabit
Hominibus nomen. Tu vero mente teneto.

Ait Sibylla nomen, Ἰησοῦς, Græcum, quatuor cõsta re vocalibus, & duabus consonantibus. Vocales sunt, ι. η. ο. υ. Cõsonãtes duo sigmata duorum geniorum, id est, Angelorum, sic enim Græce legitur; nimirũ Sathaelis, & Satanę, hæc enim nomina figma habent in principio. Præterea affirmat sanctissimũ nomen continere octo monades, id est, octo vnitates. Præterea octo decadas, id est, octies decẽ, videlicet, 80. & octo hecatontadas, id est, octies centum, 800. Vnde summa existit 888. Hunc numerum nominis obseruauit Beda, vt supra diximus, Luc. 2. his verbis; Sacrosancti nominis, Iesus, non tãtum Etymologia, sed & ipse quem litteris cõprehendit numerus perpetuæ salutis mysteria redolet. Sex quippe litteris apud Græcos scribitur Ἰησοῦς, videlicet, ι & η. & σ. & ο. & υ. & ς quarũ numeri sũt. 10. & 8. & 200 & 70. & 400. & 200. qui fiunt simul 888. Hæc Beda.

Beda.

Numerus nominis Antichristi, senarijs multiplicatis constat, quia senarius rerum caducarũ numerus est, quæ sex diebus cõditę sunt; Antichristus autem, & Antichristiani caducis rebus erunt mãcipati. Numerus nominis Christi octonarios habet repetitos, qui octonarius, numerus, est resurrectionis, & circuncisionis; octaua enim die, id est, Dñica, quæ septimum sabbathi diẽ sequitur, Christus & circũcisus est, & resurrexit. Christus vero, & qui Christũ imitãtur, voluptates circumcidunt, & futurã resurrectionẽ expectãtes, res caducas pro nihilo ducunt.

Numerus nominis Antichristi constat senarijs, numerus nominis Christi octonarijs.

Prętera vt senarius nõ attingit septenariũ numerũ quietis, septimo .n. die quieuit Deus, ab omni opere, quod patrarat, sic Antichristus, & Antichristiani quietẽ nõ attingent, sed æterna tormẽta perpetiẽtur. Octonarius nõ solum attingit, sed etiã superat eundẽ septenariũ quietis numerum, estq; numerus gloriæ, quæ mortis quietem sequitur, quã Christus possidet, eiusq; imitatores perpetuã consequuntur.

Beda.

Beda Luc. 2. Octauum (inquit) numerum, resurrectionis gloriæ conuenire, pene omnibus claret. Nã & Dominus octaua die; hoc est, post septimã sabbathi resurrexit, & ipsi post sex huius sæculi ętates, & septimã sabbathi animarum, quæ nunc interim in alia vita geritur, quasi octauo tempore surgemus, &c. D. Hieron. Ezech. 20. Ogdoadis, id est, octonarij prima incipit dies, quæ est resurrectionis. Aug. li. 16. de ciuitate Dei, cap. 26. Quid aliud quam Christum significat octauus dies, qui hebdomada completa, hoc est, post sabbathum, resurrexit?

De octonario numero. *D. Hieron.* *D. August.*

Adde numerum octonarium salutis esse numerum: *Octo enim animæ, vt Petrus scribit, in Arca Noe saluæ factæ sunt per aquam, quod & nos nunc similis formæ baptisma saluos facit.* 1. Pet. 3.

Adde numerum esse noui Testamẽti. Nam septenarius veteris erat, in quo septimus dies, id est, sabbathum colebatur, in nouo octauus, qui septimum sequitur, id est dominicus obseruatur. Vnde Hieronymus Ezech. 40. Post septem, octonarius ponitur numerus, vt de Synagoga ad Ecclesiã, de veteri instrumento ad nouũ, de terrenis ad cęlestia transeamus. Et illa verba; *Da partem septem, nec non & octo*, de nouo, veteriq; Testamento exponit. Præcipitur, ait, vt in vtrumque instrumentũ, tam vetus, quã nouũ, pari veneratione credamus. Iudęi dederunt partẽ septẽ, credentes sabbathum, sed nõ dederunt partẽ octo, resurrectionẽ diei Dominicæ denegantes. Ita Hieronymus. Litteralis sensus de pauperibus est. *Mitte* (ait Salomon) *panem tuũ super transeuntes aquas, quia post tempora multa inuenies illum. Da partem septẽ, nec nõ & octo*, hoc est, semina in terra irrigua, id est, in pauperibus, quia post multa tempora copiosam gloriæ segetem demetes. *Da partem*. id est, da eleemosynã septẽ pauperibus, & octo etiã, hoc est quibuscunque poteris.

Adde esse numerũ æternitatis, vt conijcit Augustinus Psal. 6. quoniã, inquit, omnia tẽpora septem dierum repetitione voluuntur, octauus fortè ille dictus est, qui varietatem istã non habebit. Et Psal. 11. Potest, ait, pro octauo intelligi, pro æterno sæculo, quod post hoc tempus, quod septem diebus volnitur dabitur sanctis, fauet Nazianzenus, qui oratione 43. in nouam dominicã, verba illa Ecclesiastæ iam explicata, hoc sensu explanat: *Da partem septem*, id est, huic vitæ, nec non & octo, hoc est, futuro æuo. Id porrò fiet (ait Nazianz.) si & hic honestis actionibus incubuerimus, & in altero sæculo, velut in integrũ restituti fuerimus. Hugo Victorinus lib. 1. de sacramẽtis parte 12. ca. 2. Octonarius in sacra Scriptura aliquãdo tẽpus resurrectionis significat, quod post præsentẽ vitã sequitur, quę septem diebus volutur, aliquãdo tẽpus gratiæ, in quo quasi post sabbathum legis, æterna bona seruientibus Deo promittuntur, &c.

Octauo ergo die circũcisus est Christus, nomẽq; accepit, quod Græcè multiplicatos habet octonarios, siue ogdoadas. Cũ nomine dies cõsentit; octauus dies est, octonariis plenum est nomẽ. Numerus octonarius Christo bene congruit. Numerus salutis recte congruit Saluatori; numerus Testamẽti noui, recte congruit Testamẽti noui conditori, numerus æternitatis siue futurę vitę, rectè cõgruit Patri ęternitatis, siue futuri sæculi. Numerus salutis, æternitatis, & noui Testamenti, rectè in Christum quadrat, qui & salutem æternam, & noui Testamenti, attulit.

D. Hieron. *Eccles. 2.* *D. Augusti.* *D. Gregor. Nazianz.* *Hugo Vict.*

CAPVT IV.

Morale Circumcisionis.

Triplex circumcisio.

TRiplicẽ esse circumcisionẽ, à patribus accepimus. Primã Hebręorũ, Secundã Christianorũ, Tertiã Beatorũ. De singulis aliqua verba facienda.

De Circumcisione Iudæorum.

Iudæorum circumcisio ab Abrahamo Hebręorũ parente initium accepit, quem veluti primũ ædificij lapidẽ (vt iam supra in tractatu de Genealogia diximus) hoc signo diuinitus accepto consignatum in fundamento populi sui Deus locauit. Fuit autem circumcisio signum.

Circumcisio signum fœderis & distinctionis Gen. 17

Primo, pacti inter Deũ, & Abrahã, eiusq; posteros initi: *Circumcidetur ex vobis omne masculinum, & circũcidetis carnẽ præputij vestri, vt sit in signũ fœderis inter me & vos.*

D. Chrysost.

Secundo, signũ fuit distinctionis populi Hebræi, à reliquis populis. Chrys. hom. 40. in Genesim: Ex circumcisione hæc fuit vtilitas, vt quod ex hoc signo essent Iudęi cognoscibiles, & ab alijs gentibus sequestrarentur, & hom. 39. Signum circumcisionis A Deus Iudæis quasi frenum quoddã imposuit, ne gẽtibus miscerentur, D. Irenæus lib. 4. Contra hereses ca. 30. Deus circumcisionem in signo dedit, vt cognoscibile perseueret genus Abrahę. D. Damascenus lib. 4. fidei ca. 26. Circumcisio Abrahæ data est, tanquam signum, quod eũ liberosque eius, & vernas à gentibus, quibus cũ degebat discerneret. Argumẽto est, quod cum Israëlitæ 40. annis in deserto secũ ipsi seorsim versarentur, nec cum alia gẽte cõmerciũ haberent, ex ijs, qui in deserto nati sunt, nullus omnino circumcisus est. Hæc ille. Quandiu ergo oportuit Iudęos propter Messiã ex illorũ sanguine expectatũ, à gentibus esse separatos, circũcisionis signũ vim habuit. Postquã omnes nationes in Christi ouile sunt vocatę, peculiare signũ sublatum est. B

D. Irenæus. *D. Damasc.*

Tertiò, signũ fuit circũcisio, vt ait D. Epiphanius hæresi 8. cõmonefactionis. Circumcisionẽ, inquit, accepit Abrahã, quo eius semen inquilinũ in terra aliena, nõ auersaretur nomẽ Dei, sed in corpore ferret signaculũ, commonefactionis gratia, atque iudicij, quod in patris ipsorũ pietate perseuerarent, &c.

D. Epiphan. Circumcisio commonefactio omnis, signũ baptismi, signũ circumcisionis spiritalis, & signũ castitatis.

Quarto, signum fuit Baptismi, & figura, vt docet Damascenus, loco citato.

Quinto, signum fuit circũcisionis spiritalis, qua tam caro, quam animus, circumciditur. D. Irenæus loco indicato: Circumcisio, inquit, secundũ carnẽ præfigurabat circumcisionem spiritalem, &c.

D. Ambros.

Sexto, signum erat castitatis. D. Ambr. li. 1. de Abraham, c. 17. Circumcidi iubetur Abraham, accepturus veri seminis hæreditatem. Nónne euidenter circumcisio carnis, præceptũ est castimoniæ, vt aliquis resecet libidinem carnis, & indomitas luxu, ac lasciuia, frenet cupiditates? Etenim circumcisionis vocabulo id præscribitur, vt omnis impuritatis fętor abstergatur, & incentiuum libidinis auferatur, &c. C

Septimo, signũ fuit Iustitiæ viuentis fidei in Abrahamo: *Signũ* (ait Paulus) *accepit Abraham circũcisionis signaculũ iustitiæ fidei, quæ est in præputio*, &c. Quę verba sic Theophylactus interpretatur; Ait Paulus, quod Abrahã circumcisionis signum acceperit pro sigillo obsignãte, ac prędicãte, quod ex fide iustificatus est, quam iam antea cum præputiatus esset ostendit. Et Theodoretus. Nõ est, inquit, circumcisio Iustitia, sed testimoniũ Iustitiæ, & signaculum, & signum fidei, quam ante circumcisionẽ Abraham acceperat, &c. D

Ad Rom. 4. Circumcisio signum iustitiæ fidei viuæ Abrahami in præputio. Theophyl. Theodoret.

Octauo, fuit signũ regenerationis, quoniam per circumcisionem regenerabantur hebræi. D. Bern. ser. 2. de Assumptione Virginis; Nunc in baptismate, sola originalem maculã lauat gratia, & sola eam rasit olim petra circumcisionis, & ser. 3. de Circumcisione; Circumcisionem Deus prouidit peccatoribus, ob purgationẽ vtiq; delictorum. Innocẽtius 3. Summus Pontifex c. Maiores causę, de baptismo, & eius effectu. Originalis culpa remittebatur per circumcisionis mysteriũ, & damnationis periculum vitabatur, &c. Hugo Victorinus 1. li. de Sacramẽtis parte 12. ca. 2. Circumcisionis Sacramentũ semini Abrahæ sanctificando, & signando, datum est, sanctificando, vt iustificaretur, signando, vt à reliquis gentibus discerneretur. Augustinus homilia quinquagesima; Circumcisionem, ait, patres nostri, pro baptismo habebãt. Et li. 16. de ciuitate Dei c. 17. Per hoc, inquit, quia circumcisio signũ regenerationis fuit, non immerito paruulũ propter originale peccatum generatio disperdet, nisi regeneratio liberet E

D. Bernard. Innocentius. Hugo Vict. D. Augustin. Circumcisio signum regenerationis.

Eodem cap. verba illa: *Masculus, cuius præputij caro circumcisa non fuerit, delebitur anima illa de populo suo quia pactum meum irritum fecit*, exponit his verbis: Sic intelligẽda sunt hæc verba, tãquam dictum sit; Qui non fuerit regeneratus, interibit anima illa de genere eius, quia testamẽtum meũ dissipauit, quãdo in Adã cũ omnibus ipse peccauit, &c. Et l. 15. c. 16. Terrena

Genes. 17. D. Augustin.

ciuitas

Ciuitas cælestis opus habet generatione, & regeneratione.

ciuitas generatione tantùm modo, cœlestis autẽ etiã regeneratione opus habet, vt noxã generationis euadat. Vtrum autẽ aliquod fuerit, vel si fuit, quale fuerit, corporale atq; visibile regenerationis signũ, ante diluuium, sicut Abrahæ circumcisio postea est imperata, sacra historia tacet. Sacrificasse tamẽ Deo, illos antiquissimos homines non tacet. Hæc Augusᵗ.

Ex quibus colliges, ciuitates terrenas, quales sunt Mahometanorũ, vt incolis plenæ sint, sola hominũ generatione indigere. Etenim terrenæ Maurorum, Turcarũ, Ethnicorumque ciuitates, & generationibus, & incolis abundant, regenerationis sacramento carent. At ciuitas cælestis, non generatione solum, sed regeneratione etiã opus habet. Ciuibus enimcõstat, non solùm per homines generatis, sed etiã per Christũ regeneratis. Regenerationis ergo remedio & signo indiget. Vnde D. Cypria. de operibus Cardinalibus c. de Circumcisione: Peccatũ, ait, originale omni tẽpore aliquibus remedijs oportuit expiari, &c.

Peccatũ originale omni tempore alio quo remedio oportuit expiari.

D. Cyprian.

D. Greg.

In populo quidem Hebræorũ remedium fuit circumcisio. In populo Christiano est baptismus. In lege naturæ paruulis fuit fides parẽtem, vt vult Gregorius, vel potius signum aliquod fidele, atq; aspectabile. Magnus Greg. ad illa verba Iob 3. *quare non in vulua mortuus sum*, &c. Quod, inquit, apud nos valet aqua baptismatis, hoc egit apud veteres, vel pro paruulis sola fides, vel pro maioribus virtus sacrificij, vel pro iis, qui ex Abrahæ stirpe prodierant, mysterium circumcisionis. Et Beda Luc. 2. Qui vel ante tẽpora circumcisionis, vel etiam post datã circũcisionẽ, de exteris gentibus extitere fideles, vt Iob, & amici, liberiq; eius, siue victimus hostiarũ, se suosq; ab originali peccato, seu certè sola fide saluabant.

Remedia peccati originalis.

Beda.

Abulensis.

Circumcisio signũ Christi venturi.

Rupertus.

Nonò. Circumcisio signum fuit Christi venturi. Nam vt ait Abulensis Episcopus Deut. 22. quæst. 2. per circumcisionem protestabantur Iudæi, Messiam ex suo semine oriturum, & Rupertus lib. 5. in Genesi c. 31. Recte Abrahę, quia crediderat dicenti Deo, quod in semine eius benedicerentur omnes gentes, in loco seminis signum eiusdem fidei positum est. Item: Circumcisionis susceptio expectandi seminis illius professio est. Quisquis circumciditur, semen quod Abrahæ promissum est, signo illo vẽturum se expectare profitetur. Hęc ille. Ait Dominus: *Apparebit arcus meus in nubibus, & recordabor fœderis mei vobiscum.* Eodem modo in loco generationis, signum Deus promissi seminis posuit, vt fœderis, ac promissionis suę recordaretur, Messiamque mitteret, ex semine quidem Abrahæ, sed sine viri semine conceptum ex Virgine.

Gen. 9.

Decimò. Circumcisio fuit signũ, & character externus, corpori inhærens nullum autẽ internum in animo characterẽ, aut signũ imprimebat, quale Baptismus insculpit. Quemadmodũ enim signat oues pastor, sic externo illo signo Deus populũ suum cõsignauit, vt à reliquis nationibus sea discreta esset natio, etiã signo externo, ex qua Messias erat carnẽ assũpturus. Hugo Vict. l. 1. de Sacramẽtis. 12. c. 2. Circumcisionis sacramentum semini Abrahæ signum datũ est, vt à cæteris gentibus discerneretur, quatenus singularis maneret, & discreta generatio, de qua Christus nasceretur, &c. D. Hieron. lib. 1. in epist. ad Gal. ad illa verba; *Cognoscitis ergo*, &c. Quia ex semine Abrahæ Christus erat oriundus, & ab Abraham vsq; ad Christum, multa erant tempora transitura, prouidens Deus, ne soboles dilecti Abrahæ cæteris nationibus misceretur, & paulatim familia eius fieret incerta, gregem Israëliticum quodam circumcisionis cauterio denotauit.

Circumcisio signũ externum charactere interno populum minimè notabat.

Hugo Vict.

D. Hieron.

Circumcisio signum cruẽtum, baptismus, sanus Legis nouæ ianua.

Vndecimo. Circumcisio signum fuit cruentum, cum sanguinis effusione coniunctum. Lex enim vetus in ipsa ianua acutissimum cultrũ habuit, nullumq; ingredi nisi effuso passa est sanguine. Adumbrabat autem sanguis ille in circumcisione, per quam originarium peccatũ Christi meritis expiabatur, effusus, Christi sanguinẽ, per quẽ peccata omnia expiarentur, effundendum. Ex ianua remouit Christus horrendum infantibus cultrum, in crystallinam baptismi mutauit aquam. Suauis lex suauissima habet initia, quod Chrysost. docuit ho. 4. in Gen. Circumcisio, inquit, dolorem habet, & laborem, & nulla alia ex circumcisione fuit vtilitas, quã hęc sola, quod ex hoc signo essent cognoscibiles, & ab alijs gentibus sequestrarentur. Nostra autẽ circũcisio, baptismatis, inquã, gratia medicinam habet citra dolorem, & innumera bona nobis affert, & Spiritus S. gratia nos implet. In nostra circumcisione non sustinetur labor, sed criminum deponuntur onera, & remissio inuenitur omnium peccatorum, quæ per totam vitã gesta sunt. Hæc ille. Ber. ser. 4. de Epiphania: Populo duræ ceruicis, cultellus erat necessarius. Noster Iesus tanquã agnus mansuetus, omnem austeritatem abstulit, duritiem mutauit in mãsuetudinẽ, vt rubiginẽ originalis peccati quã vix cultellus eradere poterat ex hoc iam cũ vnctione gratiæ facile lauet aqua, &c.

D. Chrysost.

D. Bernar.

At supra dictis repugnat Chrysostomus, diximus enim per circumcisionem peccatum tolli originis, Chrysostomus verò ait nullã circumcisionis fuisse vtilitatem, quàm quòd signum fuerit quoddam Iudæos à cæteris populis discernens. Fatemur Chryso. non tribuere circumcisioni, peccati originarij expiationem, qua etiam de re apud patres ante Augustinum, silentium est, Aug. aperte circũcisionẽ regenerationis signum appellat, peccatumq; originale expiasse asserit, quem postea Gregorius, Beda, Bern. & scholastici doctores secuti sunt, & nos sequimur.

Chrysostom. non tribuit peccati originarij expiationem circumcisioni. Tribuit Augustinus & alij.

Duodecimò. Circumcisio, peccati originalis ablati signum erat. Quamobrem à Bernardo serm. 3. de circumcisione, cauterium latronis, & peccati signum dicitur; propterea quòd peccatum originale in homine circumcisio fuisse, indicabat, quod propter pomum, veluti furto ab Adamo raptum, contrahimus. Christus (ait Bern.) iam minoratus est multò minus ab Angelis, qui nõ solùm formã habet hominis, sed formam habet peccatoris, & infigitur velut quodam cauterio latronis. Quid enim est circumcisio, nisi superfluitatis, & peccati indicium? Et Hugo Victor. lib. 1. de Sacramentis. p. 12. c. 2. In carne, inquit, præputij, iussa est fieri circumcisio. Quia ad remedium data est contra originale peccatum, quod à parentibus cõtraximus per illud membrum propagati, &c.

Circumcisio veluti cauterium latronis.

D. Bernard.

Hugo Vict.

Offert se hoc loco dubium, num solummodo Iudæorum fuerit circumcisio, an aliorum etiam populorum? Ægyptios quoq; & alios populos, circumcisionem obseruare docet Herodotus l. 2. Soli, inquit, omnium hominũ Colchi, Ægyptij, & Æthiopes ab initio statim pudenda circumcidunt. Nam & Phænices, & Syrij qui sunt in Palestina, didicisse id ab Ægyptijs, & ipsi confitentur. Syrij verò qui fluuiũ Thermodontẽ, & Parthenium accolunt, & horũ cõtermini Macrones, à Colchis didicisse se aiunt. Hi enim ex hominibus soli sunt, qui circunciduntur, & in hoc faciẽdo agnoscũtur Ægyptij esse. Hæc ille. Diodorus l. 4. addit Troglodytas. Hier. item Ier. 9. Multarũ, inquit, ex quadã parte gentiũ, & maximè, quę Iudæę, Palæstinæq; cõfines sunt, vsq; hodie populi, circũciduntur, & pręcipuè Ægyptij, & Idumęi, Ammonitę, & Moabitę, & omnis regio Saracenorũ, quę habitat in solitudine, &c. Celsus apud Origenẽ libro 5. cõtra Celsum, affirmat apud Ægyptios, priusquã apud Hebræos, vsum fuisse circumcisionis. Non ideo inquit, sanctiores sunt cęteris Iudęi, quia circũciduntur, hoc enim priores fecerũt Colchi & Ægyptij, &c.

An soli Iudæi carnem circumciderint? Herodotus.

Diodorus. D. Hieron. Alij populi præter Iudæos circumcisione vtebantur

Celsus.

Respondemus dubio. Ægyptios, & alios quoque ethnicos populos, circumcisionem obseruasse; alia;

quã Iudæi obſeruarunt, ratione. Primos verò hac in re fuiſſe Iudæos reor, à quibus in reliquas nationes ritus emanarit. Celſi vero teſtimoniũ nihil momẽti habet. Hoc probatur. Quia nõ eſt veriſimile Deum Abrahamo tanti dediſſe fœderis ſignũ, quod in alijs iam populis reperiebatur. Præterea Patres aiunt, circũciſionẽ fuiſſe ſignum Iudæos à reliquis diſtinguẽs populis, ergo quo tempore datum eſt, nondum reliqui populi erãt circunciſi. Tertio. Deus in circumciſione vocat opprobrium Ægypti: *Hodie*, ait, *abſtuli à vobis opprobrium Ægypti*, id eſt, præputia. Ergo Ægyptij illo tempore nondum circumciſionem receperant.

Iudæi circunciſione vſi ſunt primi.

Ioſue 5.

Objicies dictis illa Ierem. Verba: *Omnes gentes habẽt præputium, omnis autem Iſraël incircumciſi ſunt corde.* Ait Dominus omnes gentes habere præputium, ergo etiam Ægyptij habuerunt, & reliqui populi. Reſpondemus, ex loco citato Ieremiæ id potius effici, quod ſupra diximus, ſcil. Ægyptios, & alios populos fuiſſe circũciſos tẽpore Ieremiæ. Sic enim habet: *Ecce dies veniunt, dicit Dominus, & viſitabo ſuper omnem, qui circumciſum habet præputium; ſuper Ægyptum, & Iudam, & ſuper Edom.* 1. Idumæos, *& ſuper filios Ammon, & ſuper Moab*, id eſt, ſuper Ammonitas, & Moabitas, & c. Sequitur ergo, vt Hier. & Theod. exponũt, hos omnes populos fuiſſe circumciſos, ſiquidẽ ante quã illos numeret. ait Dñs. *Viſitabo ſuper omnẽ, qui circumciſum habet præputiũ.* Cum ergo addit, *omnes gẽtes habent præputiũ*, intellige aliquibus exceptis, vt Hier. docet. Hæc de circũciſione Iudæorum ſint ſatis, qua Chriſtus notari voluit.

Ierem. 9.

D. Hieron. Theodoret.

Hoc ſigno cruẽto Chriſtus octauo à natiuitate die ſignari voluit. Abrahæ filius ſignũ recepit Abrahæ, agnus ad effundendũ pro hominibus ſanguinẽ natus cruẽta nota ſignatus eſt, Kalendasq; ipſas Ianuarij, ipſum anni initium, roſeo ſanguine cõſecrauit. O felix auſpicium! ô fauſtum anni principiũ, ô beatas Kalẽdas Ianuarias, Dei ſanguine purpuratas. Hebræorum olim oſtia, primumque anni ſacrimẽſem agni ſanguis, percutientẽ auertẽs Angelum, cruentauit. At anni noſtri oſtium Dei ſanguis tartareos repellẽs hoſtes imbuit, primiq; menſis Kalendas decorauit.

Exod. 12. Kalendas Ianua. Chriſtus ſuo ſanguine conſecrauit.

Ex arca egreſſus Noë: ſacrificia Deo fecit. *Odoratusq; eſt Dominus odorem ſuauitatis, & ait ad eum? Nequaquã vltra maledicam terræ propter homines.* Tum fœderis ſignum Iridem dedit in nubibus. *Arcum*, inquit, *meum ponam in nubibus, & erit ſignum fœderis inter me, & inter terram.* Similẽ in modum, egreſſus ex nobiliſſima arca, hoc eſt, virginis vtero, Chriſtus verus Noe, id eſt, vera requies (requiem enim nomen Noe ſignificat) admirandum Patri ſacrificium, ſanguinem videlicet ſuum, obtulit. Quantæ vero ſuauitatis fuerit huius odor ſacrificij, quis poterit fando explicare? Si ſacrificium Noe odorem habuit ſuauitatis, ſacrificium Chriſti, Dei ſanguis, quali nã odore cælos, terrasque perfudit? Quemadmodum *fracto alabaſtro Maria Magdalena, vnguẽtum effudit; & impleta eſt domus*, vt Ioannes ait, *ex odore vnguenti*, ita fracto alabaſtro candidiſſimo, id eſt, corpore, quod omnem alabaſtri candorem longè ſuperabat, circumciſo, ſuauiſſimi odoris vnguẽtum Chriſtus emiſit. Et impleta eſt Eccleſia ſuauiſſimi illius balſami odore iucundiſſimo. *Odoratus eſt Dominus odorem ſuauitatis, & ait; Nequaquam vltra maledicã terræ, propter homines*, ſed benedicam propter filium.

Gen. 8.

Ex arca, id eſt, vtero Virginis egreſſus noſter Noe ſacrificium ſanguinis obtulit.

Matt. 14. Ioan. 12.

Signum fœderis Deus Noe dedit, pulchram, cæleſtemq; in nubibus Iridem, nobis vero ſignũ fœderis, atq; ſalutis dedit, pulchrũ, cæleſteq;, in ſanguine, Ieſu nomẽ; Cùm enim ſalutẽ ſignificet; ſalutis, pacis, fœderisq; ſignũ eſt perpetui. Iris arcus eſt, ſed abſq; robore, & ſagittis, qui nubibus euaneſcẽtibus euaneſcit; Nomẽ vero Ieſu, arcus eſt fortiſſimus, & ſagittis plenus, quibus cacodæmones repellim⁹ ac fugamus.

Nomen Ieſu ſignum fœderis.

Antequam copioſus imber defluat, tenuis è cælo delabitur pluuia, ita tenuis ſanguinis pluuia è ſublimi illo cælo, id eſt, Chriſti corpore, in circumciſione delapſa eſt, copioſus imber reſeruatus eſt paſſioni. Satis fuiſſet pluuia tenuis, ſed vt canit Vates: *Copioſa apud eum redemptio.* Tertio Reg. *Ecce nubecula parua aſcendebat è mari; poſteà facta eſt pluuia grandis.* Eũdem in modum parua ſanguinis nubecula, è pelago diuinæ miſericordiæ, aſcendit in circumciſione, facta vero eſt pluuia ſanguinis magna in paſſione. Primitias priùs ſanguinis Chriſtus obtulit, totũ poſtea in cruce effudit, veſtẽ humanitatis ſanguinis priùs ſparſit guttis, poſtea vt legitur, *Lauit in vino ſtolam ſuam, & in ſanguine vuæ pallium ſuum*, id eſt, corpus ſanguine immerſit.

Pſal 129. Primitias ſanguinis Chriſtus in circumciſione Iudæi. *3. Reg. 18.* *Gen. 49.*

Emptor emendæ rei cupidus, antequam totũ ſoluat pretium, emptionis ſignum, & pignus, venditori præbet, ſic Redemptor, animarũ noſtrarum cupidiſſimus, antequã totum effunderet ſanguinẽ, quod illarum pretium eſt, totius pretij reddendi, veluti ſignum, ac pignus dedit. Sed quale pignus? Sanguinis guttas, rubentes gemmas, cæleſtes margaritas, chryſolitis ſmaragdis, atque topazijs pretioſiores.

Dilectus meus (ait Eccleſ. *candidus & rubicundus*. Hactenus fuit candidus, iam per ſanguinẽ nunc eſt rubicundus. Eccleſiæ amorem candor magnopere excitat, ſed additus candori rubor rapit.

Cant.

Sichimitarum princeps, Dinæ filiæ Iacob amore captus, circumciſionis dolore ſubijt; Chriſtus Eccleſiæ ſuæ amore inflammatus, eiuſdem circumciſionis vulnus tolerauit, ſanguinisque primitias fudit. Quemadmodum verò princeps ille à filijs Iacob eſt occiſus, ita Chriſtus à filijs Iacob in crucem eſt actus, in qua velut ſtrata menſa totum pro mundo ſanguinis pretium patri abundè perſoluit.

Gen. 43.

Vt Sol, & matutino & veſpertino tempore, rubicundis perfuſus vaporibus cernitur; ſic noſter Sol, tũ in ipſa ætatis aurora octauo à natiuitate die, tum in ipſa morte, veſpertino vitæ tẽpore, purpurei ſanguinis, rubicundis veluti vaporibus obtectus, apparuit.

Prima Ianuarij die, *nouum fecit Dominus ſuper terram*, ſcilicet Deus effudit ſanguinem. Quid nouum magis, quid magis potuit eſſe inauditum? Viderat orbis Deum, cælos, terras, maria, homines condentem, diluuij obruentem aquis impios, flammis vrbes abſumentem, exercitum Pharaonis mari demergentem, tonitruis, fulminibus, tempeſtatibuſque hominũ pectora perterrentem, at nouiſſimis diebus, Deum vidit fulmine depoſito, madentem ſanguine. *Obſtupeſcite cæli ſuper hoc* (dixit olim Dominus, cum de populi ſui ageret impietate.) Eadem nos verba merito vſurpabimus, cùm de Dei noſtri loquimur pietate. *Obſtupeſcite cæli ſuper hoc*, ſuper Deum, inquam, infantẽ, ſuper Deum in ſtabulo ortum, ſuper Deum in paleis cubantem, ſuper Deum ſanguine pro mortalibus cruentatum. *Obſtupeſcite cæli*, quia non propter angelos, & ſeraphinos, veſtros incolas, ſed propter viles homines, ſanguinem fudit Deus. Cecidere è cælo Angeli, ac ſeraphini: iacent, æternumq; iacebunt. Cecidit homo, manum ſanguinemq; porrigit Deus, vt iacentem ſubleuet. O amorem æterna memoria, æternoque hominum amore, digniſſimum.

Ierem. 2.

Congruunt ſane Chriſto Eccleſiæ verba illa: *Fulcite me floribus, ſtipate me malis, quia amore langueo.* Lãguet amore Chriſtus, ſalutaris ac vitalis hic languor etiã in Chriſtum cadit. Vtinã in nos quoq; cadat, vt nos, eleuet, vtinã hic nobis languor contingat, nõ mortem afferret, ſed ſalutem. In lectum, hoc eſt, præſepe ardens amoris febris, Deum cõjicit, ſanguinis emiſſionem poſtulat: ſcinditur in circunciſione vena, diuinus ſanguis emittitur. At nõ ſatis eſt pauci emiſſio cruoris, non ſatis eſt circunciſionis cultellus: clauos ardor poſtulat, qui manuum, pedumq; venas ſcindant: ſpineam coronam, quæ caput, acutam flagitat haſtam, quæ pectoris amantis venam rumpat. Ille

Cant. 2.

ille

ille miles amoris venã reperit, qui pectus aperuit. In præsepio iacẽti hominũ amatori, ô homines, dulcia afferte mala, odoriferos afferte flores; fulcite dilectũ malis, fulcite floribus, poma expetit dulcia infãs, id est, pomis similia tenera, deuotionisque dulcedine plena corda: odoriferis gaudet floribus, hoc est, sancti amoris cogitationibus, atque affectibus. Quẽrẽtem quærite, vos desiderantem desiderate, amantem redamate.

Deut. 5. Deus redemit nos ex seruitute Ægyptiaca in brachio extento & vulnerato. Ioan. 1.

Dicitur in diuinis literis Deus eduxisse ex Aegyptiaca seruitute Israëlitas, in brachio extento: *Memẽto quod ipse seruieris in Aegypto, & eduxerit te inde Dominus Deus tuus, in manu forti, & brachio extento*, &c. Patris brachiũ filius est, iuxta illud; *Omnia per ipsum facta sunt.* Hoc brachio veluti contracto res omnes condidit. *Verbũ* (ait Ioannes) *erat apud Deum*, at vt homines à Pharaonis, hoc est, Diaboli, seruitute eriperet, brachiũ extendit, id est filium in terras misit. Non fuit autẽ satis Patri extendisse brachium: extentum vulnerari, sanguineque in circumcisione & passione cruẽrari voluit, vt non in brachio solũ extento, sed etiã vulnerato, cruoreque perfuso, cruenta victoria, ex peccati captiuitate nos liberaret. Amorẽ populi, à rege pro patriæ libertate excepta forti animo vulnera cõciliant: amorẽ ergo nostrũ, tum circumcisionis acerbum, tũ passionis acerbiora, à Christo pro nostra libertate accepta vulnera, cõcilient, excitẽt, rapiãt.

CAPVT V.

Morale.

De Circumcisione spirituali Christianorum, & Beatorum.

Chrysost.

HActenus de Circumcisione Iudæorum verba fecimus; sed ea iã mortua est, quemadmodum lex Mosis, fuit enim lex Mosis, vt Chrys. ait hom. 11. in Epist. ad Phil. scala & pons. Scala, inquã, quæ iam sublata est, pons, qui iam est euersus, alio fabricato celsiori ponte, aliaq; nobiliori scala, id est, lege noua gratiæ, extructa: quę nõ ad inferos, id est, Limbũ, sed ad superos, id est, cœlum ducit. Literalis legis obseruãtia interiit, spiritalis tamẽ intellectus viuit.

Deut. 22. Lex vetus spiritales habet sensus retinendos. legali obseruãtia relicta.

Cuius rei typus extat huiusmodi: *Si ambulans per viã, in arbore, vel in terra, nidum auis inueneris, & matrem pullis, vel ouis, desuper incubantem, non tenebis eam cum filiis, sed abire patieris, captos tenens filios, vt bene sit tibi, & longo viuas tempore*, &c. Altissima arbor, & ad cœlum vlq; pertingens, sacra est scriptura. In ea multi reperiuntur nidi, in quibus mater, id est, literalis obseruãtia, pullis, id est, spiritalibus incubat fẽsibus, dimittẽda mater, pulli capiendi. Auolet Iudaica ceremonia, proculque abeat: spiritalia documenta retineantur. Ita hunc locum Angelicus doctor explanat, in prima secundæ, quæst. 102. art. vlt. Matrem (inquit) non simul tenere debemus cum filiis: quia in quibusdam retinendi sunt spiritales sensus, quasi filii, & dimittenda est litteralis obseruantia, quasi mater, sicut in omnibus ceremoniis legis. Hæc D. Thom.

D. Thom.

Inuenimus nunc in celsa scripturæ sacrę arbore circumcisionis nidum, matrem, hoc est, carnalem, mortiferamq; circumcisionis obseruantiã dimittamus, pullos verò, hoc est, spiritales sensus, spiritalẽque circumcisionẽ retineamus. Hæc spiritalis Christianorum circumcisio est. Iudæorum carnalis erat, Christianorum est spiritalis. Iudæorum literæ veteris. Christianorũ spiritus noui. Iudęorum carnalem circumcisionẽ post Christum, vocat Paulus concisionem: spiritalem Christianorum vocat circumcisionẽ: *Videte malos operarios, videte concisionem*, Græcè κατατομὴν *Nos enim sumus circumcisio*, Græcè περιτομὴ, qui spiritu seruimus Deo. Circumcisio Iudæorum (ait

Ad Philip. 3.

A chrys.) concisio est. Nihil. n. aliud faciũt, quã quod carnẽ cõcidunt. Quãdo enim quod fit legitimũ nõ est, nihil aliud, quã carnis sectio est, & concisio. Vel igitur ob hanc causam ita illã appellauit, vel quòd Ecclesiã cõcidere aggrediebãtur. Nã & nos concisionis nomine vtimur in ijs, qui temere & sine arte hoc faciunt, &c. *Nos vero*, (ait Paulus) Christiani, *sumus circũcisio*, videlicet spiritalis, de qua idem Paulus: *Circumcisio*, inquit, *cordis in spiritu, non litera; cuius laus non ex hominibus, sed ex Deo est.* Et Moses: *Circuncidite præputiũ cordis vestri*, &: *Circuncidet Dominus Deus tuus cor tuum, & cor seminis tui, vt diligas Dominum Deum tuum, in toto corde tuo*, &c. *Circuncidimini Domino, & auferte præputia cordium vestrorum, viri Iuda.* Agnouit etiam spiritalem circũcisionem Philo Hebræus, in libello de Circuncisione. Per Circuncisionem, ait, significari arbitror, excisionẽ voluptatũ, quæ mentem fascinãt. De eadẽ Aug. tract. 30. in Ioa. Quid, inquit, est circũcisio nisi carnis expoliatio? significat ergo circuncisio, expoliationem à corde cupiditatum carnalium, &c.

Ad Rom. 2. Deut. 10. & 30. Ierem. 4. Philo. D. August.

Circumcisio Iudæorum vnius fuit mẽbri. Christianorum circumcisio totius est hominis. D. Bernard.

Iudęorũ circumcisio vnum tantũ circuncidebat mẽbrum, Christianorũ circumcisio latissimè patet, omnes sensus, omnes animæ facultates, omnia corporis mẽbra circũcidit. Vnde Ber. ser. 1. de circumcisione. Nos (ait) circuncidi necesse est, nõ litera sed spiritu; circũcidi nõ vno mẽbro, sed toto corpore simul. Itẽ; Populus Israël, sicut paruul⁹ adhuc in fide & dilectione, mãdatũ exiguę circũcisionis accepit, vbi creuit in virũ perfectiorẽ, toto iubetur corpore baptizari, quæ totius est hominis circuncisio, &c.

Coloss. 2.

Baptismus integra circumcisio est, quia illa in aquã immersio, totius veteris hominis mortẽ, sepulturãque spiritalem, & circuncisionẽ significat, vt docet Paulus his verbis: *In Christo circuncisi estis, circuncisione nõ manu facta, in expoliatione corporis carnis, sed in circuncisione Christi, consepulti ei in baptismo*, &c. Appellat Paulus circuncisionem spiritalem nõ manu factam, in expoliatione corporis carnis; quia nõ expoliat manu & cultro ferreo carnẽ, sed spiritum. Appellat circuncisionem Christi; quia non est legis Mosis, sed spiritus Christi, & noui testamenti. Theodoretus: Non est, ait Apostolus, carnalis circuncisio, sed spiritualis, neq; manu facta, sed diuina; neque exiguæ corporis particulæ ablatio, sed ab omni corruptione & interitu liberatio. Horum autem autor, & causa est, non lex, sed Christus, &c. D. Ambr. Epist. 72. Litera occidit exiguã corporis portionem, spiritus intelligens circuncisionem totius animæ corporisq; custodit, vt superfluis amputatis (quid enim tam superfluum, quàm auaritię vitia, libidinisque peccata, quę natura non habuit, culpa quæsiuit?) castimonia teneatur, frugalitas diligatur, &c. Oculos oportet circuncidere, manus, pedes, linguam. memoriã, intellectum, voluntatẽ, ab oculis vani, fallaces turpesq; aspectus, à manibus tactus, à pedibus itinera, à lingua iuramenta, mendacia, detrectationes, obscœna verba, denique à memoria, intellectu, & voluntate, quidquid Deo displicet, resecandum est.

Circuncisio Iudæorũ manu facta Christianorũ nõ manu facta sed spiritu. Theodoret. D. Ambr.

Neque hoc satis, amici, cognati, & quicumque ad peccatum nos pelliciunt, sunt etiam circuncisionis cultro abscindẽdi. Ambr. Epist. 72. Nihil imperfectũ in homine natura generauit, nec tanquam superfluũ iubebatur auferri, sed vt aduerterent, qui partẽ sui corporis amputabant, multo magis amputanda peccata, rescindendos eos qui delicta suadeant, etiã si quadam vnitate corporis connecterentur, &c.

Improborum amicitia circuncidenda. D. Ambr.

Omnia quidem vitia cultro circuncisionis rescindenda sunt, sed duo præsertim exsecanda hic locus suadet, nimirum libidinis vitium, & diuini nominis per vana iuramenta assumptionẽ. Erat circuncisio, vt supra ex Ambrosio diximus, castimonię signum. Id ipsum docet D. Thom. 4. dist. 1. q. 2. art. 3.

Duo vitia potissimum exsecanda, libido, & iurãdi consuetudo. D. Thom. D. Ambr.

Hæc virtus viri probi alphabetũ eſt, hinc virtus incipit. Vbi primum enim quiſpiã virtutẽ ſectari decernit, ab hac velut exordiũ ducit: *Suſan ciuitas, regni eius*, id eſt, Aſſueri *exordium fuit*. Suſan lilium ſignificat, lilium autẽ caſtimoniã. Suſan, id eſt, liliũ exordium fuit regni Aſſueri, liliũ, id eſt, caſtitas, exordiũ eſt regni Chriſti. Vis in te Chriſtum regnare? Eſto lilium caſtitatis præcellẽs cãdore. Meritò caſtiſſima illa fœmina apud Danielẽ Suſanna, id eſt lilium, vocatur, nomini congruebat corporis, animiq́ue caſtitas. Congruebat etiã illud: *Sicut lilium inter ſpinas*, &c. Qui enim duos illos ſpurcos ſenes, caſtiſſimamq́ue Suſannã ob pudicitiam ad necem ab eis adductam, ante oculos poſuerit, interſpinas acutiſſimas, lilium candidiſſimum ſibi videre videbitur. pupugerunt ſpinæ lilium, odorẽ exhalauit caſtimoniæ miriſicũ, quo etiã nunc recreamur. Quis enim fœminæ exẽplo non recreetur, quæ morti maluit ſe exponere, atque ignominiæ, quam caſtitati iniuriã inferre? *Angustiæ* (inquit) *ſunt mihi vndique, ſi enim hoc egero, mors mihi eſt, ſi autem non egero non effugiam manus veſtras. Sed melius eſt mihi abſque opere, incidere in manus veſtras, quam peccare in conſpectu Domini.* O verba lilio cadidiora, Vtinam huiuſmodi liliis hortus albeſcat Chriſti.

Eſther 1. Cant 2. Caſtitas eſt viri probi alphabetũ, eſt liliũ candidiſsimum. Dan 13.

Cant 2. Suſanna ſignificat lilium fuit ante ſi milis lilio inter ſpinas.

Lilium odoriferum caſtitas eſt, libido vero truculẽta illa beſtia, quæ comedit carnes multas, comedit corpora multa, adoleſcẽtes multos, homines, fœminaſq́ue multas. *Ecce* (ait Daniel) *beſtia ſimilis vrſo in parte ſtetit, & tres ordines erant in ore eius, & in dentibus eius, & ſic dicebant ei, Surge, comede carnes plurimas.* En tibi libidinis effigiẽ vrſo ſimilis eſt mellis auido, voluptates enim corporeas conſectatur. Carnes comedit plurimas, id eſt, carnales homines plurimos. Tres habet dentium ordines, quoniã adoleſcẽtes, viros, ſeneſq́; etiã dilaniat, quorum cani ſunt, nõ ſenſus, ſed tãtum modo capilli. Comedit laniatq́; carnales, molles luxu, nõ aſperos pœnitetia, & caſtitate ſolidatos. Quemadmodum leonum dẽtes Danielẽ virginitate, cæterisq́; virtutibus armatum, laniare nequiuerunt, ita beſtiæ huius turpiſſimæ fœdiſſimi dentes, viros caſtitatis, reliquarumq́ue virtutũ thorace indutos, diſcerpere non poſſunt. Damaſc. l. 4. fidei, c. 25. Danielis (inquit) corpus, virginitate ita obduratum eſt, vt ferarum dẽtes ei infigi nequiuerint.

Dan 7.

Libido beſtia comedens carnes multas.

D. Damaſc.

Diuini autem nominis per iuramenta indecorã appellationem vt fugiam us hortatur D. Iacob: *Ante omnia* (inquit) *fratres mei, nolite iurare neque per cœlum, neque per terram, neque aliud quodcumque iuramentum*. Sit autem ſermo veſter eſt, eſt, non, non. Aug. ſer. 28. de verbis Apoſtoli, Iſto (inquit) verbo (anteomnia) cautos nos fecit D. Iacobus aduerſus linguam noſtram. Ante omnia, ait, vt attendatis præ cæteris, vt vigiletis, ne ſurrepat vobis conſuetudo iurandi, &c.

Iacob 5.

D. Auguſt.

Cauenda autẽ iuramenta ſunt, ne dum iuramus, in mẽdax iuſiurandum incidamus. Falſa iuratio, ait Aug. loco citato, exitioſa eſt, vera iuratio periculoſa, nulla iuratio ſecura. Et in ſermone de decollatione Baptiſtæ, Dominus qui prohibuit iurare, ſupra ripã te noluit ambulare, ne pes tuus in anguſto labatur, & cadas. Item Pſ. 109. Homo qui per cõſuetudinem iurãdi poteſt in periurium labi, bene prohibetur iurare, tanto enim longius erit à periurio, quantò erit longe à iurando. Ambroſius Pſalm. 118. litera Nun, Voluit Deus te non iurare, ne periures, &c. *Iurationi non aſſuefcat os tuum, multi enim caſus in illa.*

Auguſtinus.

Iurãdi conſuetudo extirpanda.

D Ambroſ. Eccli. 23.

Longe diſtat à periurio, qui longe diſtat à iuramento.

Vigilandum ergo, inuictoq́ue animi decreto aduerſus iuramenta lingua frenanda eſt, quæ ſi freno non coërcetur, in mille crimina nos dat præcipites. Maior cõſuetudo, ait Aug. ſer. 28. de verbis Apoſtoli, maiorem flagitat intentionẽ, lingua facilitatẽ habet motus, in vdo poſita eſt, facilè labitur in lubrico. Quãto illa citius, & facilius mouetur, tãto tu aduerſus illam fixus eſto. Domabis ſi vigilabis, vigilabis ſi timebis, timebis ſi Chriſtianum te eſſe cogitaueris. Hæc Auguſt.

Aug. Lingua facilitatem habet motus, in vdo poſita eſt, & iurico eſt.

Exemplo verò ſuo nos ad extirpandã iurãdi cõſuetudinẽ in ſermone indicato de Baptiſta his verbis hortatur, Timendo Deũ iurationem abſtulimus de ore noſtro. Quis nos audit aliquãdo iurãtes? luctatus ſum cõtra cõſuetudinem meã. in ipſa luctatione inuocaui Dñm adiutorẽ, præſtitit mihi Dñs adiutoriũ nõ iurãdi. Nihil mihi facilius, quam nõ iurare, &c. Imitemur ſanctiſſimum Patrem, aduerſus iurandi conſuetudinem, Dei implorato auxilio, luctemur; nihil nobis facilius erit, quam non iurare. Vigilabimus (vt ille ait) ſi timuerimus: timebimus, ſi Chriſtianos nos eſſe, Deoque totius vitæ rationem reddituros, cogitauerimus.

D. Auguſt.

Timore prauã hãc cõſuetudinẽ ſuperare docet Chryſ. hom. 7. ad populum, exemplo oratoris illius, qui prauum humeri motum appenſis vicit gladiis. Dicitur (inquit) quod oratorum quidã, præ quadam ſtulta conſuetudine, dexterum eundo humerum cõtinuè mouebat. Sed tamen conſuetudinem vicit, & gladios acutos vtrinque humeris impoſuit, vt vulneris timore, membrum inepte ſe mouens corrigeret. Hoc & tu linguæ facias, & ipſi pro gladio diuinæ pœnæ timorem impone, & omnino ſuperabis. Impoſſibile enim eſt, meditãtes, & ſtudentes, & opus hoc facientes, vnquã ſuperari. Hæc Chryſoſt.

D. Chryſ.

Lingua ſi. moris frenocoercenda.

Quod ſi iuſiurãdum dare, opus aliquando ſit, ex ore noſtro nomen ſanctiſsimũ Dei, debito cum comitatu prodeat. Adſit imprimis animaduerſio, atq; attentio, præterea veritas, reuerentia, atq; neceſſitas comitetur; ita vt magna cum nominis diuini veneratione iuſiurandũ proferamus; Prius tamen cuiuſmodi de re agatur, diligenter conſideremus, veriſſimamq́ue rem, & iuramentum neceſſarium, Deoq́; placens eſſe cognoſcamus. D. Thom. Opuſc. 7. Iuramentum (ait) eſt ſicut medicina, quæ nõ ſemper accipitur, ſed in neceſſitate, &c. Iuro (ait Aug. ſerm. illo 28. de verbis Apoſtol.) ſed quatum mihi videtur, magna neceſsitate cõpulſus; cum videro non mihi credi niſi faciam, & ei, qui mihi nõ credit, non expedire, quod nõ credit, &c. Vides ſanctiſſimũ Patrem nõ niſi magna cõpulſum neceſſitate iurare?

D. Thom. Iuramentum vt medicina ſumi debet, tunc modo cum neceſſarium eſt. D. Auguſt.

De veritate autẽ, quę iuramẽto ineſſe debet, quid loqui neceſſe eſt? cũ vir probus ſemper etiã ſine iuramẽto vera loquatur. Audi Philonẽ in libro de Decalogo; Vtiliſſimũ (inquit) fuerit, & rationali naturæ cõuenientiſſimum, omnino abſtinere à iureiurãdo, & ſic veritati aſſueſcere, vt ſimplex ſermo vim iuramenti habeat. Et in libro primo, de ſpecialibus legibus; Quidquid vir bonus aſſeuerat, perinde ac iurato credi debet: cũ verbũ eius firmũ ſit, ac rigidũ, nullo mendacio flexibile, veritate in qua fundatur, ſubnixũ. Hęc ille. Vides firmũ verborũ, iuramẽtiq́; fundamentũ eſſe veritatem. hoc igitur primũ loca, ſine hoc iuramentũ corruit. Vide quid requirat in iurãte homine idem Hebręus Philo, in l. de Decalogo: Iuratus (ait) debet omnes rei circunſtantias diligenter perſpicere; quãta ſit, quã vera, quã bene à ſe percepta, &c. D. Ambr. Pſal. 118. octonario 14. Nemo bene iurat, niſi qui poteſt ſcire quod iurat. Lux tibi præeat, ſi iurare diſponis; id eſt, cognitio veritatis præcedat, vt vinculũ ſacramẽti, tibinõ poſſit nocere Vbi religio ſãctior, ibi fides veritatis eſt plenior, &c.

In iuramento veritas maxime requiritur. Philo.

Fundamentũ iuramenti veritas. Philo D. Ambr.

Iam verò, qua reuerentia Dei nomen tractari debeat, docet Theod. q. 41. in Exodum. Quid ſibi vult (inquit) *Non aſſumes nomen Dei tui in vanum*? Quidã prohiberi dicunt, ne quis res vanas, hoc eſt, idola, nomine Dei vocet; alij ne quis iurãdo mentiatur. Ego autem puto diuinã legem ſtatuere, ne quis nomen Dei pronuntiet, ſine aliqua ratione; veluti docendi,

De reuerentia, qua nomini diuino eſt habenda. Theod.

aut

aut orandi,aut alia quadam neceſſitate. Solent enim nonnulli,etiam ludentes,& ridentes, vt venerit in linguam, reuerendum nomen Dei proferre. Hoc arbitror diuina lege prohiberi. Si enim permulti cõ ſueuerunt,pretioſiorem veſtem,diebus feſtis reſeruare; multo iuſtius eſt diuinum nomen, precibus, atque docendi officio conſecrare. Hæc ille. Itaque exiſtimat Theodoretus ſecundo præcepto nominis diuini indecoram,& ridiculam appellationem, vt blaſphamias omittam, prohiberi.

D. Chryſ. Vrget vehementius Chryſoſtomus homil.26.ad populum Antiochenum his verbis: Neſcitis quid ſit Deus,& quali debeat ore vocari? quod ſi de quopiam probo quidem viro loquamur, dicimus; Os tuum ablue,& ita commemora. Nunc verò nomẽ ſuper omne nomen venerãdum, in omni terra admirãbile, quod audientes dæmones horrent, temerariè circumferimus. Nõ ne dum Deus nominatur, oporteret horrere? Et apud Iudæos quidem tam venerandũ erat Dei nomen, vt in lamina ſcriberetur, *Exod.28.* & nemini literas nominis ferre liceret, niſi ſacerdotum principi; nunc autem velut quiddam vulgare, ſic ipſius nomen circumferimus. Hæc Chryſoſt.

Nomen Dei ſupra caput ferẽdum, & abluto ore à mendacio, proferendũ. D. Chryſ. Nomen Iehoua in lamina aurea pontifex Hebræus capiti portabat impoſitum, cum ſacris induebatur veſtibus. Hæc res indicat, Dei nomen ſumma cũ veneratione capiti eſſe imponendũ, nõ temerè ac ridiculè pronuntiandũ, nõ mendacibus iuramẽtis adhibendũ, abluto à mendacio ore,& cum laudis etiam præfatione proferẽdum. Quomodo enim nõ eſt abſurdum (ait Chryſ.hom.7.ad populũ) ſeruum quidẽ nõ audere dominum nominatim,& ſine honoris præfatione appellare; angelorum verò Dñm temere & contemptim vbique iactare? Vis diſcere quomodo ipſum appellant ſuperiores poteſtates, *Iſaiæ 6.* cũ quanto honore, quanta admiratione: *Videbã Dominum* (ait Iſai.) *ſedentẽ in throno alto,& eleuato, & Seraphim ſtabant circa ipſum,& clamabãt, alter ad alterũ, & dicebant, Sanctus, Sãctus, Sãctus, Dominus Deus Sabaoth, plena eſt omnis terra gloria eius.* Vidiſti cum quanto timore, quanto horrore nominãt eũ, glorificantes,& laudãtes,&c.

Denique, quorſum iuras, nimirum vt fidẽ dictis facias; facies magis, ſi nunquã iures. Eiuſdem Chryſoſtomi eſt ſententia hæc, hom.26. Hoc (inquit) interdum à nonnullis audiui; Niſi iurauero, non credit. Tu es horum cauſa, qui facile iuras. Quoniam ſi id nõ faceres, ſed omnibus conſtaret, quod non iures; mihi crede dicenti; quòd iis, qui mille deuorant iuramenta, maiorem ipſe fidem ſolo nutu inuenires,&c. Et in fine homiliæ 7. quòd (inquit) nõ iuramentum, fide dignum hominem faciat; ſed vitæ teſtimonium,& conuerſationis integritas,& mens bona, ſæpe multi iurantes diſrupti ſunt,& non perſuaſerũt; alij vero annuentes tantum, multo iuratis *Philo.* fide digniores apparuerunt,&c. Philo verò in l.1.de ſpecialibus legibus: In tãtum (inquit) valet quorũdã impietas, vt vel religioſiſſima, nec ſine horrore audienda Dei nomina, congerantur aceruatim per ſummã impudentiã; quaſi euicturi ſint crebris deierationibus vt ſibi credatur. Fatui, qui nõ intelligunt, conſuetudinẽ crebro iurãdi, argumentũ eſſe perfidiæ, nõ fidei; dũtaxat prudentiorũ iudicio,&c.

Sed quo nã cultro peragenda hæc circũciſio ſpi-*Ioſuæ 5.* ritalis eſt. Reſpondeo; petrino, vt illa olim à Ioſue *1.Cor.10.* peracta, de qua iam ſupra diximus; *Petra autem erat Chriſtus*, ait Paulus. Chriſti ergo circũciſi, ac crucifixi exemplũ, petrinus eſt culter, quo ſuauiſſime Chri-*Spiritalis circũciſionis cultet, Chriſti exemplũ.* ſtianus corpus, animumque totum circuncidit. Qui in Chriſto cruci ſuffixo mẽtis oculos ſeriò figit, opes, voluptates, honores, facilè non ſolũ circũcidit, verum etiã crucifigit. Pudet enim ſub Chriſto nudo diuitias poſsidere, ſub Chriſto ex aſpera cruce pẽdere, voluptatibus frui; ſub Chriſto opprobriis ſaturato, honores ſitire. Iuxta illud Ber.ſer.5.de ſanctis: Pudeat ſub ſpinato capite, mẽbrum fieri delicatum.

Præterea cultro petrino facta eſt typica circunciſio, vt adumbraret, peccata tam originis, quam actus, à petra, id eſt, Chriſto, eſſe circuncidenda, ac tollenda. Docet hoc Aug.tract.30.in Ioannẽ; Ideo (ait) quiſq; cum præputio naſcitur, quia omnis homo cum vitio propaginis naſcitur; & non mundat Deus, ſiue à vitio, cũ quo naſcimur, (id eſt originali peccato) ſiue à vitiis, quæ male viuẽdo addimus, niſi per cultellum petrinum, id eſt, Dñm Ieſum Chriſtum; *petra enim erat Chriſtus.* Et Ambroſius in prologo Epiſtolæ Pauli ad Galatas: Filij Iſrael circũciſi ſunt de petra à Ioſue, quæ ſignificat Chriſtum; vt deſignaret per Chriſtũ futurã circunciſionẽ cordis,&c.

Peccata à Chriſto circunciſa. D. Auguſt. *D. Ambr.*

Vis addam alium cultrum ad circumcidendum carnalem hominẽ ampliſſimum: is eſt gehẽnæ memoria. Miram docuit Chriſtus circumciſionem: *Si manus* (inquit) *tua, vel pes tuus ſcandalizat te abſcinde eũ, & proiice abs te; ſi oculus tuus ſcandalizat te, erue eum, & proiice abs te.* O admirabilẽ, ſed maxime ſalutare circumciſionẽ! putridum .n. mẽbrum, ne reliqua cõtagione corrumpat, abſcindẽdum, lõgeque proiciẽdum eſt. hoc eſt, ita cohibendum, ac frenãdum, vt eo carere tibi videaris. ſocij, cognati, amici oculis ipſis chariores, ſi mores corrumpãt, penitus fugiẽdi: Sed cedo cultrũ, quo circũciſio hæc admiranda peragatur; Chriſtus exhibet eodẽ loco: *Bonum tibi eſt ad vitam ingredi debilem vel claudum, quã duas manus vel duos pedes habentem mitti in ignem æternum; bonum tibi eſt, vnum oculum habentẽ, in vitã intrare, quam duos oculos habentẽ, mitti in gehennam ignis.* Quaſi dicat, en tibi cultrũ, quo membra non circuncidas ſolum, ſed etiã eruas: tartareas flãmas, reuoca in memoriã, in quas niſi te ſic circũcidas, præcipitaberis dolore cruciandus ſempiterno. Vtinam hic nobis culter nunquã excidat. Vtinã (ait Chryſ.hõ.31. in Epiſt.ad Rom.) in prãdiis, & cœnis, & balneis, imò & vbiq; de gehẽna diſputatũ eſſet. Neq; .n. mœrore affecti eſſemus, in vitę huius malis, neq; in bonis illius deliciati, lętatiq; fuiſſemus. Cõtinuos itaq; ſermones de futuris malis verſem⁹. Nõ n.ſinet in gehẽnã incidere, gehẽnę meminiſſe,&c.

Matth.18. Gehẽnæ memoria culter circumciſionis admirãde. *D. Chryſ.* *De gehenna ſemper agẽdum.*

At verò quæ nã ſint ſpiritalis circunciſionis vtilitates dicamus. Cõſidera quæſo quid vineæ cõtingat ſi non putetur, quid febre ardẽtiſſima laboranti, ſi vena non ſcindatur, quid capillos nunquã tondẽti, vngues nunquã reſecanti; id ſpiritaliter homini illi qui vitia, cupiditatesq; minime reſcindit, reperies euenire: *In atriis templi, virgulta nata viderunt priſci illi viri, ſicut in ſaltu, vel in montibus.* Eodẽ pacto in ipſis corporis noſtri membris, animæq; facultatibus, ſpinas, vepres, vitiorumq; dumeta nata cernes, ſi circunciſionis falce non reſcindantur. Etenim in obſcuras redigũtur ſylvas,& aſpera nemora, in quibus leones, lupi, tygrides, id eſt varia peccatorum mõſtra, odia, periuria, libido, auaritia, ambitio, aliæq; huiuſmodi ferę paſcuntur. Si capillos Abſalõ circuncidiſſet, ex illis, quaſi ex fune ſuſpẽſus, nõ periiſſet. Capillorũ incircunciſio Abſaloni interitũ attulit, cogitationũ ac cupiditatũ incircunciſio, nobis pernicię parit. Lapides niſi reſcindãtur, ædificiis terrenis nõ ſunt apti: homines verò niſi ſpiritaliter circũcidãtur, ædificiis cœleſtibus non ſunt accommodati. Non reſciſſa nec dolata ligna, ignis ſunt pabulum: circunciſione ſpiritali minimè circunciſi homines, tartareæ flammæ ſunt eſca; quæ perpetuò editur, nunquam abſumitur.

Circunciſionis ſpiritalis vtilitates. *1. Mach. 4* *2.Reg 18.*

Poſtquam Hebræi circunciſi ſunt, dixit Dñs ad Ioſue: *Hodie abſtuli opprobriũ Aegypti à vobis. Vocatumq; eſt nomen loci illius, Galgala.* Ex Hebræo verti etiã poteſt; Hodie reuolui vel rotaui opprobrium Ægypti à vo-*Ioſue 5.*

bis. Vocatumq; est nomẽ loci illius, reuolutio, vel rota. Opprobriũ Ægypti, appellatur hoc loco, ex sententia Abulẽsis, incircũcisio; eo quod Ægyptij incircunciſi erant. Opprobriũ, id est, rotunda præputia, & similia rotis, rotauit siue reuoluit, id est, abstulit Deus à populo suo, cũ iussit eos circuncidi. Vnde impositum loco nomẽ est Galgala, id est, reuolutio, propter reuolutionem, & ablationem præputiorũ. Est ergo sensus: Hactenus fuistis Ægyptiis similes, incircunciſi, quemadmodũ & illi, hodie hoc opprobriũ à vobis abstuli, per circunciſionẽ. Hic mortuę literæ est sensus, ad viuentem transeamus spiritum.

Opprobrium Ægypti auferit à nobis Deus, cùm nos spiritaliter circuncidit.

Quod nã est Ægypti, id est, mundi opprobriũ? Nũ paupertas? num ignobilitas? num imbecillitas, aut morbus? num scientiarũ ignoratio? minimè. quod igitur est? incircunciſio spiritalis. Tunc ergo Deus à Christianis opprobriũ Ægypti aufert, cũ illos circũcidit, cũ concupiſcentiã carnis, concupiſcentiã oculorũ, & superbiã vitę aufert. Hoc opprobriũ est Ægypti; iuxta illud: *Omne quod est in mundo*, id est, in Ægypto *concupiſcentia carnis est, & concupiſcentia oculorũ, & superbia vitæ, quæ non est ex Patre*, &c. Opprobriũ est incircunciſio; honor est circunciſio, idemq; omniũ maximus. Ambr. in Psal. 118. Litera 5. versu. 2. circuncidat (inquit) te verbũ Dei, & gladius oris eius. & sic Ægypti carebis opprobrio, &c. Tunc opprobrium Ægypti à religiosis viris Deus amouet; cum ab Aegypto liberatis, lingua veluti acutiſſimo cultro, mundi cupiditates, tribus paupertatis, castitatis, & obedientiæ nuncupatis votis, donat circũcidere.

Opprobrium mundi incircunciſio peccatorum.

1. Ioan. 2.

Ambroſ.

Vota tria religiosa opprobrium Ægypti auferunt.

Galgala dictus est circunciſionis typicæ locus, quod nomen si Iosepho credimus, l. 5. de antiquit. c. 1. libertatẽ significat: quid enim liberius homine spiritaliter circunciſo: sed Iosephus locum non de circumciſione, sed de libertate intellexiſſe, ideoque hanc nominis significationem appoſuiſſe, videtur, cũ nomen proprie libertatẽ non significet. Vocatus (inquit Iosephus) est locus, in quo castrametatus est Iosue, Galgala, quod nomen significat libertatẽ, trãseuntes enim fluuiũ, iã semetipsos, ab Aegyptiis, & ab ærumnis solitudinis, cõfidebãt esse securos. Hæc ille. Non de circunciſione, sed de libertate loquitur, quasi hic sit sensus loci citati. Hodie, id est, hoc tempore, postquam fluuiũ Iordanem transiiſtis, & circunciſi estis, abstuli à vobis opprobriũ Ægypti, hoc est seruitutẽ Aegypti. Perinde ac si dicat Deus: Iã vos in terrã promiſſã introduxi, & perfecta libertate donaui. Vnde ait Iosephꝰ, Galgala significare libertatẽ, quia significat opprobrij, id est seruitutis Aegyptiacæ depulsionẽ. Hũc sensum sequitur Theo. q. 3. in Iosue. Locus (inquit) appellatus Galgala, quod nomẽ libertatem denotat. Tũc dixit Deus, Hodie abstuli à vobis opprobriũ Aegypti, quę verba liberationem significant ab Aegyptiaca seruitute, & impietate; & promiſſæ terræ adeptionem. Hæc Theodoretus.

Iosephus.

Locus Iosue 5. explicatur

Sed prior sẽsus magis placet: iã enim multo ante illud circunciſionis tẽpus, Hebręi in libertatem erãt vindicati. Sic etiã religiosi viri, priùs quidem ab Aegypti, hoc est mũdi seruitute eripiuntur, cum in sanctiſſima cœnobia cooptantur: post ea vero quam Iordanis fluuij, id est, probationis siue nouitiatus vndas, Deo præcedẽte viamq; aperiente, trãseunt, tunc linguæ cultro tribus suſceptis votis, sese circuncidũt. Hæc secunda est ac præstantiſſima circunciſio.

Theod. Iosue 5. Cur circunciſio celebrata à Iosue dicatur circũciſio secunda. D. Hieron.

Dicitur circũcisio illa à Iosue celebrata, *circunciſio secũda*, sensu quidẽ literali circũcisio secũda eiusdẽ hominis esse nequit. Quamobrẽ difficile est explicatu, cur secũda circũcisio appelletur. Vnde D. Hier. l. 1. c. 12. aduersus Heluidiũ, ad spiritũ rẽ cõuertit: In Galgalis (ait) secũdo populus est circũcisus, quod si iuxta literã accipimus, penitus stare nõ potest. Si enim duplex haberemus præputiũ, vel exciſa pellicula iterũ nascereturn, recte secũda circũcisio haberet locũ, &c. Et Orig. Rom. 2. Iosue (ait) filios Israel secundo circuncidiſſe memoratur, quod vtique quantũ ad literã spectat, impossibile factu videtur.

Origenes.

Ex Theod. in Iosue colligitur circũciſionẽ Abrahami primã fuiſſe, quia primò à Deo imperata est, hanc Iosue cum illa cõparatam secundã appellari, quia secundo à Deo est præscripta: Sententia (inquit ille) quæ colligitur ex superficie literæ libri Iosue, hoc innuit. Nempe quemadmodum Deus ab initio dedit hanc legem circunciſionis Abrahę, ita secundò præcepit ipsi Iosue, vt circuncideret eos, qui nõ erant circunciſi, &c. Similiter Rupertus in Iosue: Primò, ait, imperio tradita fuit circunciſio Abrahæ, secundo imperatur Iosue. Hãc expositionẽ refellut verba Dei: *Circuncide secundò filios Israel*; Ergo circunciſio secunda non dicitur propter imperium Dei secundum, sed propter ipsam circunciſionẽ iteratã.

Theodor.

Rupertus.

Iosue 5.

D. Auguſtini verba q. 6. in Iosue aliã exhibẽt explanationẽ, scilicet primã circunciſionẽ appellari eorum, qui iã erant in Aegypto circunciſi, secundã eorum, qui in deserto nati sunt, quos circuncidit Iosue. Quia vnus populus erat, ait Auguſtinus, in quibusdã circunciſus, in quibusdã nõ circunciſus, ideo dictum est: *Iterum*, siue *secundo, circũcide filios Israel*, &c. Populus igitur ille bis est circũcisus, partim in Aegypto, partim in Galgalis, ideo à Iosue secũdo dicitur circũcisus: & circũciſio illa secũda nominatur.

D. Auguſt.

Lyranus circunsionem Abrahami cum masculis domus suæ, primam circunciſionẽ appellari putat, hanc vero cum illa prima comparatam, secundam.

Lyranus.

Paulus Burgẽsis existimat, antequã paschalis agnus ederetur, generalẽ quandã circunciſionẽ fuiſſe in Aegypto celebratam Hebræorum, qui ob aliquã causam, vel negligentiã circunciſi nõ erant, nõ. n. poterãt agno vesci præputiati. Hanc ait primã circunciſionẽ dici, secundã vero circunciſionẽ Iosue.

Burgenſis.

Hebræa lectio sic habet *in tempore illo dixit Dominus ad Iosue: Fac tibi cultros petrarum, & conuertere, & circuncide filios Israel secundo.* Potest esse sensus facilis, fac tibi cultros, & semel atque iterũ circuncide Israëlitas. Non enim simul eadem die circuncidere iubetur omnes, sed duplici circunciſione, diuersis diebus. Conuertere (ait Dñs) id est, postquam semel circunciderit vna die populi partem, reuertere alia die ad circuncidendos reliquos secundo. Nam postquam illi, qui primã circunciſionẽ subierunt sanati sunt; secundam circunciſionem alia die incepit Iosue. Hunc sensum sequitur Cardinalis Caiet. Iosue 5.

Caietan.

Noſter interpres aliud videtur sequutus. Vbi. n. Hebraicè, post verba citata legitur: *Et hoc verbũ, quod circuncidit Iosue.* Et septuaginta verterunt: *Et hic sermo, quo circuncidit Iosue.* Noſter clariùs transtulit: *Hæc autẽ causa est secundæ circunciſionis.* Hebraice non fit mentio secũdę circunciſionis, interpresperspicuitatis gratia secũdam addidit, quia intellexiſſe videtur, circũciſionem à Iosue, vno, vel pluribus diebus factam, secundam vocari, cum Deus dixit Iosue: *Circũcide filios Israel secũdo*, id est, secunda circunciſione. Poſſemus explicare noſtrũ interpretẽ hoc modo: *Hæc causa est secũdæ circunciſionis*, id est, secundatæ circunciſionis, à Iosue repetitę diuersis diebus. At non ea videtur interpretis mẽs fuiſſe, vt is agnoscet, qui verba expẽdet. Putauit ille hãc vniuersã circunciſionẽ secundã fuiſſe. Sed cur secunda dicatur, sub iudice lis est.

Exiſtimarim cum diuo Auguſtino secundã dici, quia cum illa confertur, qua idem ille populus in Aegypto fuerat circunciſus. Vnus erat populus ex Aegypto egreſſus: multi iam erãt circunciſi, videlicet nati in Aegypto, & in itinere mortui. Hæc fuit prima circunciſio, siue generalis multorũ ea fuerit, vt con-

vt conjicit Burgenſis; ſiue per diuerſa tempora ex multis particularibus conſtiterit. Alij in ſolitudine orti quadraginta annorum ſpatio, circunciſi non erant; circunciſi verò ſunt in Galgalis ſecundò, id eſt, poſt illam primam circunciſionem. Appellataque eſt hæc circunciſio, ſecunda; quia Ægyptiacæ primæ ſucceſſit. Innuit hoc, ni fallor, ſcriptura eodē capite, his verbis: *Loſue 5.* *Hæc autem cauſa eſt ſecundæ circunciſionis. Omnis populus, qui egreſſus eſt de Ægypto generis maſculini, vniuerſi bellatores viri, mortui ſunt in deſerto, per longiſſimos viæ circuitus, qui omnes circumciſi erant.* Quaſi diceret: hæc fuit prima circumciſio, in Ægypto facta. Deinde addit: *Populus autem, qui natus eſt in deſerto, per 40 annos itineris latiſſimæ ſolitudinis, incircunciſus fuit, donec cōſumerentur, qui non audierant vocem Domini, & quibus ante iurauerat, vt non oſtenderet eis terram lacte & melle manantem. Horum filij in locum ſucceſſerunt patrum, & circunciſi ſunt à Ioſue,* &c. Ecce ſecundam circunciſionem.

Adde iis ſenſum nō improbabilem. *Circuncide* (ait Dominus) *filios Iſraël ſecundò*, id eſt, iterum reuertere ad intermiſſam per quadraginta annos circunciſionē. Dicetur verò hoc ſenſu, ſecunda circūciſio, circunciſio poſt tempus longum 40. annorum repetita; ita exponit Vatablus. *Circuncide filios Iſraël ſecundo*, id eſt, reſume circunciſionem iam diu intermiſſam.

D Auguſt. Cur in ſolitudine non fuerint Hebræi circumciſi? Petes cur in ſolitudine non ſint circunciſi Hebræi? Reſpondet Augu. q. 6. in Ioſue; Quia parentes legi Dei non parebant. Quidam (inquit) de Ægypto exeuntium filij incircunciſi erāt, quos potuit circūcidere Ioſue; illorum ſcilicet filios, qui genuerunt in deſerto, & contempſerunt eos circuncidere, quod inobedientes erant legi Dei. Hæc ille. Idē ſentit *Rupertus.* Rupertus in cōmentarijs Ioſue. Non circunciderat (ait) eos aliquis in via, non Moſis negligentia, ſed patrū rebellium pertinacia. Verum qui fieri potuit, vt Moſes quadraginta annorum ſpatio, hoc Iſraëlitarum crimen pateretur, ſi crimen erat? qui fieri potuit, vt Deus tam longi temporis peccatum non puniret?

Lyranus. Carthuſia. Veriſimilius eſt, quod vult Lyranus; & Carthuſia. communiter ſentire Doctores ait, ex diſpēſatione Hebræis licuiſſe, in deſerto circunciſionem omittere. Redditur ratio; quia paratos ſemper eſſe oportebat ad iter agendum, ſequendamq; nubē caſtra prēcedētem. *Theodor.* Theodor. loco citato: Vbi Hebræi (inquit) liberati ab Ægypto ſunt, & degerunt vitam in deſerto; non poſtulauit Deus, vt lex circunciſionis ſeruarerur, neque pœnas tranſgreſſionis exegit. Quoniam apud ſe viuebāt non permixti nationibus alienis, non egebant ſignaculo circunciſionis, &c. *D. Damaſcenus.* Damaſcenus lib. 4. fidei cap. 26. Tempore Abrahæ lex circūciſionis data eſt; Deinde 40. annis in deſerto ceſſauit; ac ſecūdò rurſus Deus circūciſionis legē, poſt trāſmiſſum Iordanē Ioſue dedit, &c. Sed nos, dum in morali verſamur, ad literalē ſenſum reuerſi ſumus, neq; immeritò, oportet enim ſenſum prius literæ perſcrutari, ad ſpiritū deinde & mores trāſire.

Spiritalis circumciſio duplex, Prima. & Secunda. Vt igitur ad mores faciamus tranſitum, Duplex eſt ſpiritalis circunciſio, prima, atque ſecunda. Prima (ait Origenes) eſt, qua Chriſtus ab hominibus vel idolorum cultum, vel commenta philoſophicę perſuaſionis exſecuit. Secunda verò, cum ab eis veteris hominis conſuetudinem, & paſſiones, & vitia carnis abſcindit. Et tūc completur, quod ſcriptum eſt: *Hodie abſtuli à vobis opprobrium Ægypti*, Opprobria namque Ægypti ſecum circumfert, ſi quis in Eccleſia poſitus, & ſub Ieſu duce militans, Ægyptios mores, & motus animi barbaros ſeruet. Hæc ille.

Aliter. Prima circunciſio eſt, qua ea circunciduntur omnia, quæ Dei præceptis repugnant. Hæc Chriſtianis omnibus imperatur. Secunda multoque præſtantior, vt ſupra dicebamus, ea eſt, qua cuncta reſcinduntur, tam quæ præceptis ſunt contraria, quam quæ cōſilijs Chriſti nō ſunt cōſentanea. Hæc ad religioſos ſpectat, qui paupertis cultro opes, caſtimonię, voluptates, obedientiæ, propriam exſecāt volūtatem. Hac circumciſione quid maius poteſt excogitari? Hæc opprobrium Ægypti, id eſt mundi, aufert; hæc cupiditatū vincula reſcindit; hæc verā libertatē parit: hæc oculos cæcitate obcæcatos Ægppti aperit.

D. Hieronymus lib. 1. aduerſus Iouinianum, nomē loci, in quo circunciſio illa ſecunda peracta eſt, videlicet, *Galgala*, reuelationem ait ſignificare. Etenim in Galgalis, id eſt, reuelatione, religioſorum circūciſio ſecunda fit: quoniam ſecunda hac circunciſione, oculi maxime ad cœleſtes, diuinasque res contemplādas aperiuntur, & illuſtrātur. Ipſa præputia (ait Hier. in vnum cumulum coaceruata, & ſepulta, & terra obruta, & ablatum opprobrium Ægypti, & nomen loci Galgala, quod interpretatur reuelatio, oſtendūt, dum in præputio ambularet populus per deſertum, oculos eius fuiſſe cæcatos, &c. Dum in præputio ambulamus, vt cum Hierony. loquar, oculi noſtri cæcantur: poſtquam verò præputium, id eſt voluptates omnes ſepelimus, terraque obruimus, tunc cœleſte lumen in Galgalis, id eſt, Dei reuelatione recipiunt. *D. Hieron.*

Spiritalis circūciſio hominem locuplet. Præterea ſpiritalis circunciſio hominē locuplet at. Vt enim vinea ſi ſuperuacaneos palmites nō amputes, ſterilis, ſi verò amputes ferax eſt: ita animus ſi cupiditates noxias non reſcindas, inops, & infœcundus, ſi reſcindas, locuples fit, atque opimus. Expende obſecro multiplicationē illā mirabilem, quā Deus Abrahamo tunc promiſit, cùm circunciſionis illi præceptum dedit: *Ponam* (inquit) *fœdus meum inter me, & te*, id eſt, circunciſionem: *& multiplicabo te, vehementer nimis.* Item: *Faciam te creſcere vehementiſsimè, & ponam te in gentibus, regesq; ex te egredientur*, &c. Videlicet multiplicat Deus ſpiritales eius opes, qui ſpiritaliter animi appetitiones, ſenſusque circuncidit. *Gen. 17.*

Spiritalis circunciſio Chriſtum cordi inſerit. Ad hęc, Circumciſio ſpiritalis, Chriſtum noſtro inſerit cordi vndique circunciſo. Vt ſurculum arbori inſerat agricola, arborē prius vndiq; circuncidit, hoc eſt, ramos foliáq; omnia reſecat. Eundē in modum is, qui Chriſtū cordi, veluti vitæ ęternę ſurculū vult inſerere, cor vndiq; circuncidit, id eſt, omnes illius ramos, prauos, inutilésve proferentes fructus, reſcindit. Eo tempore, quo Deus circunciſionis mādatum Abrahamo tradidit, literā, he, nominis diuini Iehoua, nomini Abrahami inſeruit, vt ſupra diximus. Adūbrat res hęc, Deū illius non nomini, ſed pectori ac cordi ſe inſerere, qui vitia omnia circuncidit. *Gen 17.*

Quid plura? Circumciſio Chriſto, nomen ſalutē ſignificās impoſitum eſt, ſimili modo ſpiritaliter circunciſus homo, nomen ſalutis aſſequitur. Chriſtus circunciſus aſſequutus eſt nomen ſeruatoris, homo circunciſus nomen ſeruati aſſequetur. Vnde Bern. ſer. 1. de circūciſione, Nos (inquit) circuncidi neceſſe eſt, & ſic nomen ſalutis accipere. Ante circunciſionem nomine carebāt infantes Hebræorum. Caret enim nomine coram Deo, qui ſpiritali vitiorum circunciſione non eſt decoratus. Contra viro circūciſo, qualis Moſes erat, ait Dominus: *Noui te ex nomine, & inueniſti gratiam coram me.* *D. Bernard. Caret nomine incircunciſus ſpiritaliter: circunciſus nomen aſſequitur ſalutis. Exod. 33.*

Denique id eſt etiam expēdendum, circunciſionē non temporariam, aliquot dierum, menſium, aut annorum, ſed totius vitæ fuiſſe perpetuam. Qui enim ſemel circunciditur, circunciſionem perpetuò retinet. Quod in carnali circunciſione verum eſt, fiat in noſtra ſpiritali circunciſione veriſſimū, vt carnalis perpetua eſt, ſic ſpiritalis ſit ſempiterna. Quod carnalis abſcindit, nūquā redit, quòd ſpiritalis reſecat, nullo vnquā tempore reuertatur. Voluptates, crimina, criminumq; anſas, & occaſiones, circūciſio ſpiritalis aufert: toto pectore enitēdū eſt, ne quæ ſemel ablata ſunt, vnquā reducātur. Peccatum reſcidiſti, caue ne redeat: *Circunciſio perpetua ſit ne reducamus abſciſſa peccata.*

redeat: mundo nuntium remisisti, caue ne repedet.

Exod. 14. *Ægyptios, quos nunc videtis* (ait Moses) *nequaquam vltra videbitis, vsque in sempiternum.* Quis ignoret Ægyptios typum esse criminum: vt Ægyptij mari rubro demersi sunt; ita peccata Christi sanguine rubro demerguntur. Demersa sunt Christi sanguine peccata tua; caue ne iterum illa aspicias, ne iterum amplectaris. *Ægyptios nequaquã vltra videbitis* (ait Moyses) *vsq; in sempiternum.* Peccata tua iam obruta mari, mundu iã repudiatũ, atque sepultum nequaquã vltra videbis vsq; in sempiternũ. Qui Deum vult in sempiternũ videre, peccatũ non videat in sempiternum. Non videat (inquam) vt amplectatur, videat vt execretur.

De circunci sione bonorum, quæ mala omne tã culpæ, quam pœnæ circun ciatur. Apoc 21. Dictum est de Circumcisione Iudęorum, de Circuncisione quoq; spiritali Christianorũ. Reliquum est, vt de tertia Circuncisione beatorum dicamus. Adumbrabat prisca illa circũcisio tempus illud beatum resurrectionis, quo Christus omnia à beatis hominibus in ætĕrnam vitam excitatis mala in sempiternum depellet, ac circuncidet. Iuxta illud: *Absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum, & mors vltra non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit vltra: quia prima abierunt.* Est hæc D. Thom. sententia 3. part. q. 70. art. 3. Octauus (inquit) dies determinabatur circuncisioni, propter mysterium, quia in octaua ætate, quæ erit ætas resurgentium: quasi in octauo die, perficietur per Christum spiritalis circuncisio; quando auferet ab electis, non solum culpam, sed etiam omnem pœnalitatem, &c. Præterea Hugo Victor. l. 1. de sacramentis part. 12. c. 2. Tres (inquit) sunt circuncisiones. Vna in carne tantùm exterius, quæ sacramẽtum est; duæ aliæ sunt, quæ sunt res & virtus sacramenti. Altera, quæ fit in præsenti, quando anima per depositionem iniquitatis circũciditur; altera, quæ in futuro fiet, quando per depositionem corruptionis, corpus circũcidetur. Hęc ille. Beda itẽ Luc. 2. Octauum numerũ, resurrectionis gloriæ cõuenire, penè omnibus claret. Nã & Dominus octaua die, hoc est, post septimã sabbathi, resurrexit, & nos post sex huius sæculi ætates, & septimã sabbathi animarum, quę in alia vita geritur, quasi octauo tẽpore surgemus. Tũ verissimè circuncisi, hoc est, ab omnibus carnalisco- cupiscẽtię vitijs & corruptionibus expoliati, &c. Haymo Circuncisio typũ gerebat generalis resurrectionis, quæ in die Iudicij futura est, quãdo omnes electi mundabuntur, ab omni fæce peccatorũ, & ab omni fæce mortalitatis. Hãc circuncisionẽ vocat Rupertus in Cõmentarijs libri Iosuæ, circuncisionẽ secundã. Prima, ait, circuncisione circuncisi sumus, cõsepulti Christo in baptismo, & expoliati in operibus carnis. Secũdò circuncidendi sumus, circuncisione secũda, id est, carnis resurrectione resurrecturi sumus, &c.

D. Thom. Hugo Vict. Beda. Haymo. Rupertus.

CAPVT VI.

Morale.

De Augustissimo nomine Iesu.

Dionysius Areop. DEus Opt. Max. vt docet Dionysius Areopagita in lib. de diuinis nominibus cap. 1. nomine infinitam illam maiestatem exæquante, nequit nominari. Neque sensus (inquit) Dei est, neque phantasia, neque opinio, neq; nomẽ, neque sermo, neq; tactus, neque scientia. Nõ est autem Dei sermo, & scientia Deum cõprehendens. Non est nomen nullis terminis circũscriptam naturã exæquans. Homines enim nominum mensuram sæpe non implent, Deus verò omnium quęcunq; homines imponere possunt nominum mensuram, non solùm cumulatissimè implet, verum etiã infinitum in modum exuperat. Idẽ

Deus nõ habet nomen diuinam maiestatem exæquans.

docuit Gregor. Naz. orat. 36. Deus, ait, nullo nomine exprimi potest, videlicet essentiam diuinam perfectè declarante. Elias in Commentarijs orationis 11. Deus (inquit) vt Deus, omni nomine caret, nullum quippe nomen est, quod ipsius essentiã declaret, &c. Rectè Greg. Naz. addit, loco indicato: Quemadmodum nemo est, qui aërem totum vnquam hauserit, ita Dei naturam neque mens vnquam vlla prorsus concepit. neque vox vlla complexa est, &c. Fieri, nequit, vt hominis minimũ os totum aërem sorbeat, ac comprehendat, fieri quoque nequit, vt item hominis minimum os, aut mens, infinitam Dei essentiam nomine aliquo definiat, ac complectatur.

D. Gregor. Nazianz. Elias. Nazianz.

Ineffabilis Deus est. Quod Hebræos nomine ineffabili, & quadrilitero ostendisse docet Eusebius lib. 11. de Præparatione Euãgelica cap. 8. his verbis Moses, & omnes Prophetæ ineffabilem rem intellectuque solùm perceptibilẽ, Deum esse docent. Huiusque rei symbolũ scriptum apud eos quatuor vocalibus nomen Dei fertur, quod proferre non possunt. Hæc ille. Nazian. etiã loco indicato, Deus nullo nomine exprimi potest, idque ostendunt Hebræorum doctissimi, atq; antiquissimi quique, quantum quidẽ nobis conjiciendum dederunt. Nam qui proprijs notis summum illud nomen, scilicet Iehouah, honorãdum duxerunt, ac ne ijsdem quidem litteris, aliud quiddam eorum, quę post Deum sunt, ac Deũ ipsum scribi sustinuerunt, (tanquam scilicet Deum huc etiam vsque, à rerum nostrarum commercio distinctum esse oporteat) & quando tandem solutili voce naturam illam insolutilem, nec cum alijs communem explicari paterentur? Hactenus Gregor.

Eusebius. Deus est ineffabilis, quod significat nomen eius ineffabile. D. Gregor. Nazianz.

Quod verò ait Eusebius Hebræos nomen tetragrammaton, id est, quadriliterum proferre nõ posse, propterea dixit, quod quo modo proferendum sit, non constet. Vulgò non erat fas Hebræis, nomen ineffabile effari. Vt enim ait Hebræus Paulus Burgensis Exod. 3. nulli fas erat nomẽ tetragrãmaton nisi sacerdotibus tantummodo pronuntiare, tunc cùm in templo solẽniter populo benedicebãt. Loco verò illius, nomẽ alterum Dei, scilicet, Adonai, quod significat Dominum, in legendo vsurpant. Quẽ morem sequutus est noster interpres. Exod. 6. *Nomen meum, Adonai, non indicaui eis.* Pro nomine ineffabili vsurpauit, Adonai, & alijs locis vertit Dominum.

Nomẽ tetragrammaton proferre non erat fas. Burgensis. Loco nominis quadrati erat nomen Adonai, quod Deum significat vsurpatum.

Galatinus lib. 2. c. 10. alteram reddit causam, cur ineffabile dicatur: Quia (inquit) Deus trinus, & vnus; qui omnino ineffabilis est, atque incomprehensibilis, per hoc nomen significatur, idcirco nomen, ineffabile dicitur. Eam ob rem antiqui Iudæorum, à Mose edocti ad designandam hanc diuinæ Trinitatis & vnitatis ineffabilitatem, statuerũt hoc nomen minime proferri, sed vbicunq; inueniretur, loco eius nomen, Adonai pronunciari debere. Hæc Galat. Quomodo verò hoc nomine sanctissima Trinitas significetur, in tractatu de genealogia ostendimus l. 5. c. 6.

Nomen tetragrammaton sacrosanctã Trinitatem indicat.

Ineffabilẽ itaque Deũ nõ potest nomine perfectè effari homo. Potuit tum ipse, qui ineffabilis est, nomine siue verbo perfectissimo absolutissimè se exprimere. Etenim diuinũ verbũ producit Pater; eoq; perfectissimè se exprimit, & veluti absolutissimo nomine effatur. Quamobrẽ D. Tho. 1. l. Sen. d. 22. art. 1, ait. Deũ solũ se ipsũ perfectè nominasse. Sicut Deũ, ait, imperfectè cognoscimus, ita etiã imperfectè nominamus, quasi balbutiendo, vt dicit Gre. Ipse autẽ solus se ipsum cõprehendit, & ideo ipse solus seipsũ perfectè nominauit (vt ita dicã) verbũ coæquale sibi generãdo, &c. D. Bon. eadẽ dist. Sicut (inquit) sibi soli est intelligibilis Deus, sic sibi est effabilis, & nominabilis, non alio nomine quam ipse sit, nec alio verbo quam ipse sit, & sicut nobis est incomprehensibilis, ita & ineffabilis, ita etiam & innominabilis. Hęc ille.

Deus potuit se perfectissimè nominare. D. Thom. D. Bonauentura.

At

At verò etsi perfecte Deum nominare non possumus, imperfecte quidē possumus. Quocirca multa Deo nomina imponimus. Theologi (ait Dionysius Areopag. in li. de diuinis nominibus c. 1. & sicut innominabilē Deum laudāt, & ex omni nomine, ait Dionysius innominabilē esse Deum, sed multa etiā habere nomina. Innominabilē quidē perfecte, nominabilē vero multis nominibus imperfecte. Et in fine capitis idem Dion. Mihi (inquit) det Deus, vt Deum decet, laudare inuocabilis, & innominabilis deitatis deificas multas nominationes, & nō auferat verbum veritatis ex ore meo. Rursus, inuocabilem, & innominabilem deitatē vocat, deificas tamē appellationes multas illi tribuit. D. Bon. loco indicato, Si nominabile (inquit) dicatur secundū qualēcunq; nominationē, sic quemadmodū Deus est nobis cognoscibilis, ita & effabilis, & nominabilis, & qui melius cognoscit, melius effatur, & melius nominat & expressius. Vnde expressius nominat fidelis, & scriptura, quæ fidei suffragatur, vt sacra Scriptura, quam ratio, vel Philosophia. Hæc ille.

Dionysius Areop.

Deū imperfecte nomina mul multis nominibus. Dionysius Areop.

Deus est ineffabilis, & effabilis à nobis imperfecte.

Habet igitur nomina multa innominabilis Deus, quibus diuinitas significetur. Vt alia omittā, Hebrēi primum nomen אל El, quod fortē significat, vt ait Hier. in Ep. Ad Marcellā. Secundū, שדי Sadai, quod Hier. eodē loco robustum, & sufficientē ad omnia perpetrāda interpretatur. D. Epiph. Hær. 40. sufficientē ait significare. Vulgata editio in omnipotētē transfert. Tertiū, אדני Adonai, id est, Dñs meus, est autē numeri pluralis. Quartū, אלהים Elohim, numeri etiā pluralis, quo Deū, vt gubernatorē, iudicē, & principē significari docet Mōtanus in apparatu. Hoc est primum nomen, quo Deus nominatur: *In principio creauit Elohim cœlū & terrā.* Quintum nomen est, יה Iah, quo sæpissime vtimur, cum decantamus Allelu Iah, Allelu, id est, Laudate, Iah Deum. Sextum קדש Cados, id est Sanctus. Septimum צבאות Sabahoth, id est exercituum. Octauum עליון Helion, id est excelsus.

Hebræa Dei nomina D. Hier. on. D. Epiph.

Gen. 1.

Nonum nomen est tetragrāmaton, creaturæ incommunicabile, יהוה Iehouah, quod D. Epiph. Hęresi. 40. profert, Iaue, & interpretatur, Qui erat, est, & semper est. Burgensis Exod. 3. ait significare esse, & essentiam. Lippomanus & Sixtus Senēsis l. 2. Bibliothecæ volunt significare eum, qui est, & aliquid esse facit, à verbo substātiuo, haiah, siue, haua, id est, sum. Galatinus lib. 2. c. 10. scribit, ex Hebræis quosdam, יהוה Iohouah, interpretari, generātem, alios eum, qui essentiat, siue qui dat omnibus esse. Nonnullos vnum, & omnia, siue omnia vnite, vt causam, siue vnum omnia eminenter cōtinentem. Deducitur à verbo haiah siue haua, id est sum.

D. Epiph.

Burgensis.

Galatinus.

Quod autē ens prēcipuum sit Dei nomen, docet Greg. Naz. or. 63. q. 4. est de Theologia, his verbis: Quātum nobis assequi cōcessum est, Ens, & Deus, magis quodāmodo essentiæ nomina sunt, ex ijsque etiā entis vox ad eā indicandā aptior est nō hoc solum nomine, quod ipse cum Mosi in mōte oraculū ederet, quęreretq; ille, quo nomine vocaretur, ita seipsum appellauit, edicens videlicet ei, vt ad populū his verbis vteretur; Qui est misit me, sed etiā, quia nomen illud magis proprium esse coperimus. Quāuis enim Dei vox, vel à verbo θεειν vel ab αἴθειν, (vt putant qui in hoc genere sibi sciti atque arguti videntur) hoc est, à currendo, vel ab vrendo, rationē originis suæ ducat; tum propter sempiternā agitationē, tum propter vim illā vitiosarum affectionū consumptricem (nā hinc quoque ignis consumens dicitur) ex eorum tamen numero est quę ad aliquid referuntur, nec libera, & absoluta est, quemadmodum nec Dñi vox. At nos naturam eiusmodi exquirimus, quæ ipsam esse per se habeat, ac non cum alio quopiam copulatum. Ens vero proprium sane est Dei, ac totū, nec priore aliqua re, nec posteriore (nec enim erat, aut erit) definitū, ac circunciśum. Alia, autē nomina, partim potestatis esse cōstat, partim œconomię, & quidē duplicis, alterius nimirum corpore sublimioris, alterius cū corpore cōiunctę. Hactenus Nazianz. Et Damas. 1. fidei c. 12. Ex omnibus (inquit) nominibus, quæ Deo tribuuntur nullū æque propriū videtur, atque entis nomen. Vniuersum enim, id quod est, tanquam immensum quoddam, & infinitum essentiæ pelagus, complexu suo continet. D. quoque Thom. 1. p. q. 13. art. 11. nomen, Qui est, maxime proprium Dei esse docet.

Ens, præcipuum Dei nomen. D. Gregor. Nazianz.

D. Damasc.

D. Thom.

Inter nomina vero quibus Deus incarnatus vocatur, prēcipuum locū tenet nomē Iesus, de quo nūc agimus. Appellatur Christus, agnus, Emmanuel, Leo de tribu Iuda, & alijs nominibus, sed nomen Iesus reliqua superat. Est enim Christus nomē proprium, quod Ecclesia maiori colit veneratione, quā ipsum nomen Deus, vt docet Abulens. Exod. 20. q. 7. Maioris autem venerationis causas reddit. Prima est, quia Christo propter obedientiam hoc priuilegium donatum est, iuxta Paulum, *vt in nomine Iesu omne genu flectatur.* Secunda quia nomen Iesu, est nomen, in quo saluamur, vt Petrus ait: *non est aliud nomē sub cœlo, in quo nos oporteat saluos fieri.* Tertia, quia significat Deū redēptorem, redemptio autē est maximum beneficium.

Inter nomina Deisunt nata, præcipuum est IESVS Abulensis.

Ad Philip. 2.

Act. 3.

De sanctissimi huius nominis veneratione agit Summus Pont. Greg. 10. in sexto decretalium libro de immunitate Ecclesiarum c. Decet Conuenientes (inquit) in Ecclesiis, nomen illud, quod est super omne nomen, à quo aliud sub cœlo non est datum hominibus, in quo saluos fieri credentes oporteat, nomen videlicet Iesu Christi, qui saluum faciet populum suum à peccatis eorum, exhibitione specialis reuerentię attollant. Et quod generaliter scribitur, *vt in nomine Iesu omne genu flectatur*, singuli singulariter in seipsis implētes (præcipue dum aguntur Missarum sacra ministeria) glorioſum illud nomē quādocunq; recolitur, flectant genua cordis sui, quo vel capitis inclinatione testētur. Hæc Summus Pont.

Venerandum nomen Iesu.

Greg. 10.

Habet Deus nomina multa, quæ hominibus etiā conueniunt, Deus, Sapiens, Bonus, Iustus, Misericors vocatur; homines quoq; sapiēres, boni, iusti, ac misericordes nominātur. Verumtamen infinitum est inter hæc nomina, cū de Deo dicuntur, & de hominibus, interuallū. Etenim diuersa admodū est Dei sapiētia, bonitas, iustitia, misericordia, à sapiētia hominū, bonitate, iustitia, ac misericordia. Eundē in modū, tū Christo, tum aliis hominibus, nomē Iesu in sacris literis tribuitur, sed maximum est in ipsa nominis significatione discrimē. Nā nomē saluté significat, salus autē, quā Christus mundo attulit, salutem quā omnes homines, duces, reges, imperatores populis attulere, lōgissime superat. Habuere Iudæi alios saluatores, iuxta illud: *Secundum miserationes tuas multas, dedisti eis saluatores, qui saluarēt eos de manu hostium suorum.* Verum hi vmbra fuere veri saluatoris, neque potuere veram illis salutem párere. Præmissi sunt (ait Bernardus sermon. 15. Cant.) illi saluatores tanquā baculus Eliśei ad mortuum, & non erat vox, neque sensus in mortuo, descendit saluator, qui baculum misit, & mox saluum fecit populum suum à peccatis eorum, &c.

Esdr. 9.

D. Bernard.

Hęc vera salus est, à peccatis saluum facere, à morte æterna diabolique tyrannide liberare. Hanc Iacob in extremo suspirabat spiritu, cum verba illa protulit: *Salutare tuū expectabo Domine.* Quæ Chaldæus sic exponit: *Salutare tuum expecto Domine*, dixit Iacob, non expecto salutare Gedeon, quæ est salus tēporalis. neque salutare Sanson, quæ est salus transitoria, sed expecto redemptionem Christi filii Dauid, cuius redemp-

Iesu salus præstantissima.

Gen. 49.

redemptionem desiderat anima mea, &c. Reliquæ saluationes salutē afferunt tēporariā, Iesu saluatio attulit æternā, reliquæ hostes imbecilles, nempe homines à ceruicibus depulere, hæc peccata, dæmones, mortemque, hostes truculētissimos depulit, reliquæ fuere corporum, hæc corporū, & animorum, reliquæ defecere, hæc cum æternitate permanebit. Iuxta illud: *Habac. 1.* *Ficus enim non florebit, non erit germen in vineis, mentietur opus oliuæ, & arua non afferent cibum, abscindetur de ouili pecus, & non erit armentum in præsepibus.* Ego autem in Domino gaudebo, & exultabo in Deo Iesu meo.

Iesu nomen decantandum.

Israëlitæ postea quā Pharaonis exercitum maris rubri fluctibus demersum conspexere, admirabiliter ex hostis potestate erepti, salutemque temporariam consequuti, nomen Dei decantauerunt, vt memoriæ prodit liber Sapientiæ his verbis; *Sap. 10.* *Decantauerunt Domine sanctum nomen tuum, & victricē manū tuam laudauerunt pariter.* Nos, qui immanioris Pharaonē rubro sanguinis Christi mari, obrutū videmus, admirabilius ex crudelissimi hostis faucibus seruati, æternamq; salutem adepti, seruatoris nostri nomen Iesu, ardentius oportet decantare: *Exod. 15.* *Dominus quasi vir pugnator* (canebāt Israëlitæ) *Omnipotens*, Hebraice Iehouah *nomen eius.* Nos verò canemus, Dominus vir seruator, Iesus nomen eius.

Iesu nomen effabile.

Nomen Iehouah, ineffabile Hebræis erat. At nomen Iesus nobis effabile, & cantabile est. Factus est Deus homo aspectabilis, & effabilis, nomen habet effabile, & audibile.

Plutarchus.

Romani Deum Romæ tutelarē nominare nefas ducebant. Sic enim scribit Plutarchus in libro problematū, Cur Deum illum, cuius in tutela vrbem esse dicunt, siue masculus is, seu fœmina est, & dicere, & quærere, & nominare nefas esset, hoc enim ita esse, religione confirmāt. Valerium Soranū male periisse dicentes, quod numinis nomē efferre ausus esset. Hæc ille. Huius occultationis rationē Plinius reddit li. 28. ca. 2. Verrius (inquit) Flaccus autores ponit, quibus credat, in oppugnationibus, ante omnia solitum à Romanis sacerdotibus, euocari Deum, cuius in tutela id oppidum esset, promittiq; illi, eundem, aut ampliorum locum apud Romanos, cultum ve. Durat in Pontificum disciplina id sacrū. Constatque ideo occultatum in cuius Dei tutela Roma esset, nequi hostium, simili modo agerēt, &c

Romani Deū Romæ tutelarem nominare nefas ducebant Plinius.

Cur Romani tutelarē Deū non nominarent? Vrbis Romæ aliud nomē occultabatur Macrobius.

Eandē ob causam vrbis Romæ Latinum nomen occultatum refert Macrobius li. 3. Saturnaliorum. c. 9. Constat (ait ille) morē Romanorum fuisse, vt cum obsiderent vrbem hostium, eamque iam capi posse confiderent, certo carmine euocarēt tutelares Deos. Quod aut aliter vrbē capi posse non crederent, aut etiam si posset, nefas existimarent Deos habere captiuos. Nam propterea ipsi Romani & Deum, in cuius tutela vrbs Roma esset, & ipsius vrbis Latinum nomen ignotum esse voluerunt, &c.

Plinius.

De occultatione nominis Romanæ vrbis Plinius quoque li. 3, c. 5. hæc scribit: Romæ nomen alterum dicere, arcanis ceremoniarum, nefas habetur, optimaque, & salutari fidei abolitum annunciauit Valerius Soranus, luitq; mox pœnas. Solinus præterea ca. 2. Traditur (ait) etiam proprium Romę nomen, veruntamen vetitum publicari, &c.

Solinus.

Abulēsis Nomen manis cuiusdam dæmonis occultum.

Abulensis item Exod. 20. q. 3. refert nomen cuiusdā falsi Dei, qui Demogorgon dicitur, fuisse occultissimum, quo vocato ait Luc. lib. 6. terram concuti.

An ille (ait Lucanus)
Compellandus erit, quo nunquam terra vocato,
Non concussa tremit? qui Gorgona cernit apertam.

Dubium tamen est, an de eiusmodi Dæmone Lucanus sit intelligendus, cuius nomen occultum fuerit. Quidquid sit, digni illi fuere ficti Dei, siue Dæmones potius, quorum nomina perpetuo obruentur silentio. At Deus verus suum nomen Iesus fileri non vult, aut occultari, sed ore magna cum veneratione proferri, decantari, atque laudari.

Iesu nomen non est occultum, sed oleū effusum. Cant. 1.

Oleum effusum nomē tuum, ait Salomon. Odoriferum oleum si vase concluſum est, latet, si effunditur, & apparet, & suauissimum odorē longè, lateq; diffundit. Iesu nomen non concluso, sed effuso simile est oleo, quod odoris summi suauitatem non occultat, sed per vniuersum orbem spargit. Notissimum nomen est in cœlis, notissimum in terris, notissimum etiā habet apud inferos: *In nomine Iesu* (ait Paulus) *Ad Philip. 2.* *omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium, & infernorum.* Antequam nomen Iesu haberet, *notus erat in Iudæa* *Psalm. 79.* *Deus*, (vt canit Vates) *& in Israel magnum nomen eius.* Verum postquam nomen Iesu habuit, cum eodem Vate canimus: *Domine Dominus noster, quam admirabile est nomen tuū in vniuersa terra.* O nomen benedictum, exclamat Bern. ser. 15. in Cantica, ô oleum vsque-quaque diffusum de cęlo in Iudæā, & inde in omnē terrā excurrit, &c. Ambr. in li. de Spiritu Sancto ca. *D. Bernard.* *D. Ambr.* 7. Christi nomen ante eius aduentum in Israel populo, quasi vase claudebatur, notus enim in Iudæa Deus, posteà vero, per omnem creaturam diuinum suum nomen extendit replens vacua, vt esset admirabile nomen eius in vniuersa terra, &c.

Hoc Propheticus ille crucis titulus indicabat tribus præcipuis linguis, Hebræa, Gręca, atque Latina exaratus: Iesus Nazarenus Rex Iudæorū: videlicet, nomē Iesu, oleū suauissimū, cœlestisq; odoris balsamū, ex Hebræa in Græcā, Romanamq; totius orbis principem linguā, per totum orbem effundēdum.

Deus Deorū inanium nomina obruit.

Occultabant Romani, Dei tutelaris nomen, Deus verò non tutelaris solùm, sed omniū quibus seruiebant Deorum nomina, iam obruit, nomen verò Iesu toti orbi patefecit. Iacet Iouis Capitulini nomē: iacet nomen Apollinis, Mercurij, Saturni, Iunonis, Dianæ, cęterorūque dæmonū, nihil honoris, nihil venerationis habent. Quid hoc est ô Roma; terrarū magis nunc religione, quā olim armis domina? quę venerabaris nomina pessundas? quæ colebas conspuis? Respondentē illam audire videor: Postquam ad me cœlestis olei, suauissimiq; balsami, id est, sanctissimi nominis Iesu peruenit odor, fœtidissimi idolorū nomina ferre nō potui. Noctuæ ac vespertiliones noctu volant, vbi primū verò sol fulget, auolāt omnes, atque disparent. Noctuis vespertilionibusq; similia idola erant, quibus diuinū cultū, heu Dei inscia exhibebam, at cū primū splendidissimus veluti sol, Iesu nomen illuxit, auolarunt omnia atq; disparuerunt, iuxta illud: *Isaiæ 2.* *In die illa proijciet homo idola argenti sui, & simulachra auri sui, quæ fecerat sibi vt adoraret, talpas, & vespertiliones.* Illud mihi summa Dei misericordia euenit, quod Oseas vaticinatus est, *Auferā nomina Baalim de ore eius, & non recordabitur vltra nominis eorum.* Heu plenum erat os meū Baalim, id est, idolorū nominibus, hæc ore, menteque versabam, hæc inuocabam. Sed abstulit Dominus de ore meo turpissima nomina, dulcissimoq; Iesu nomine illud compleuit, vt veluti, *electionis vas*, quod de Apostolo Paulo dictum est *portet nomen* melle suauius *coram gentibus, & regibus, & filijs Israel.* Nomen meum Romani olim occultabāt, quod illud fuerit ignotū, vnum hoc mihi est compertū, præclarissimūm nomen meum multis fuisse sęculis occultatum. Iesu nomen præclarissimū mihi nomen attulit, Christi nomen maximū mihi nomen dedit, Christiana sum, hoc mihi est à Christo nomen præcellentissimū, sedes Christi sum, sedes Petri sum, Christianæ religionis caput sum, omnium Christianorū mater & Magistra sum. Hęc occulta erant in scrinijs Dei nomina gloriosa, quibus omnibus Iesus meus me exornauit.

Oseæ 2.

Roma nomina Baalim ex ore proiecit, nomen IESV tanquā vas electionis portat. Act. 9.

CAPVT

CAVT VII.

Morale.

De laudibus nominis Iesu, omni præconio dignissimi.

SED nos iam augustissimi huius nominis laudes pro tenui nostra parte decantemus. Prima laus sit. Nomen Iesu est imago Christum Optimum Maximum verum Deum, verumque hominem repræsentans. Omne enim nomen imago est, & vicarium rei. Vnde D. Bernardus sermon. 15. in Cantic. Cùm nomino Iesum, hominem mihi propono mitem, humilem corde, benignum, sobrium, castum, misericordem, & omni sanctitate conspicuum, eundemque ipsum Deum omnipotentem, qui suo me exemplo sanet, & roboret adiutorio. Hæc omnia simul mihi sonant cùm insonuerit Iesus. sumo mihi exempla de homine, & auxilium à potente, &c.

Nomen Iesu est imago Christum repræsentãs. D. Bernard.

Secunda. Nomen Iesus signum est illa omnia in memoriam reuocans, quæ vt homines seruaret, admirabilia fecit Deus. Docet hoc D. Bernardinus tomo 4. ser. 48. Nomen, inquit, Iesu, est signum repræsentans tibi omnia, quæcumque Deus vndique fecit propter salutẽ humanæ naturæ, &c. Nam cùm Iesus salutem significet, quã hominibus Christus attulit, quotiescũque nomen salutis nominamus, toties admirandi beneficij recordari debemus. D. Chrysost. hom. de nomine Abraham, tom. 1. ait, nomen Abraham futurarũ rerũ historiã habuisse, & nomen Noë fuisse prophetiam. Nomen quoque Iesu futurorum Christi gestorum historiam habuit, quemadmodum nomen Abrahæ, & prophetia fuit passionis, quemadmodum nomen Noë.

D. Bernardinus. Nomen Iesu est signum, opera Dei mirabilia in memoriam reuocans.

D. Chrysost.

Tertia. Nomen Iesus, in capite libri vitæ ab æterno scriptum est: primus enim prædestinatorum, per quem omnes homines prædestinati sunt, Iesus est, primum ergo locum in libro prædestinationis illius nomen obtinet, D. Bernardinus tom. 2. ser. 49. Nomen Iesus primo fuit à Patre prænominatum, imò à tota Trinitate in principio libri vitæ æternaliter fuit scriptum. Item: In capite libri vitæ, tanquam caput omniũ saluandorũ positum est hoc nomẽ Iesus, &c.

Nomen Iesu in capite libri vitæ. D. Bernardinus.

Quarta. Nomen Iesus è cælo venit. Angelus nomen hoc è cælo attulit, Christoque, antequam in vtero conciperetur, imposuit, Et meritò quidem è cælo nomen Iesus venit, quia salutem non à terra, terrenisve regibus, sed è cælo cælestique imperatore allatam significat.

Nomen Iesu è cælo venit. Luc. 2.

Quinta. Nomen Iesus Virgo Deipara ab Angelo prima audiuit, & corde dulcissimè voluit: ab Angeli enim ore Christum vocandũ esse Iesum, prior virgo, deinde Ioseph accepit. *Ecce* (ait Angelus) *concipies in vtero & paries filium, & vocabis nomẽ eius Iesus.* An autem virgo prior, quam Ioseph nominarit dubiũ est. Virginem existimo prius nominasse, in verbis illis præclarissimi cantici, *Exultauit spiritus meus in Deo salutari meo.* Hebraicè credo dixisse, in Deo Iesuah meo, siue in Deo Iesu meo, quemadmodum Abacuc, *Exultabo in Deo Iesu meo.*

A virgine primo auditum est, & prolatum. Luc. 1.

Ibid.

Abac. 3.

Sexta. Nomen Iesus & à Prophetis, vt supra ostendimus, & à Sibyllinis carminibus fuit prædictum. D. August. in Orat. contra Iudæos, paganos, & Arianos, Sibyllæ de Christo carmina recitat, quorum capitales literæ Græcæ, hæc verba constituunt, Ἰησοῦς χριστὸς, υἱὸς θεοῦ, σωτὴρ, id est, Iesus Christus, filius Dei, saluator, vt idem Augustinus obseruat.

Nomen Iesu prædictum à prophetis & Sibylla.

Septima. Nomen Iesus est nomen Christi proprium, & personale, in circuncisione impositum. D. Thom. 3. p. q. 16. art. 5. ait Nomen Christus vtranque naturam significare, tam diuinam vngentem, quàm humanam vnctam; nomen verò Iesus solummodò humanam: formaliter quidem naturam humanam Christi significat, sed diuinum suppositum, cum quo coniuncta est, etiam indicat. Est Christus Deus, & homo. Vt propria nomina, & personalia habet, naturam illius diuinã significantia, qualia sunt, Verbum, Filius Dei, Sapiẽtia Patris, Imago, ita oportuit vt nomen etiã haberet propriũ, & personale, humanam naturam cum Verbo copulatam significans, quo ab hominibus, inter quos versari voluit, vocaretur. Hoc nomẽ est Iesus, quod reliqua nomina, quę Messiæ in scripturis tribuuntur, virtute complectitur. Quemadmodum enim omnia flumina intrant in mare, ita omnia Messiæ nomina intrant in nomen Iesu. Lege Bernard. sermon. 2. de Circuncisione, & serm. 10. sermonum, qui parui dicuntur, & D. Thomam 3. part. quæst. 37. artic. 2. ad primum.

D Bernard. D Thom. Nomen Iesus alia Messiæ nomina complectitur. Isaiæ 9.

Vocabitur (ait Isaias) *nomen eius, Admirabilis, Consiliarius, Deus fortis, Pater futuri seculi, Princeps pacis.* Admirabilis est Iesus, quia admirandum in modum, & præter Iudæorum opinionem salutem orbi attulit. *Consiliarius*, quia eximia hominibus præcepta & cõsilia ad æternam salutem comparandã præbuit. *Deus*, & *Emmanuel*, id est nobiscum Deus, quia saluatorem mũdi Deum esse necesse erat. *Fortis*, quia hostes morbosq; hominum saluti aduersantes, superauit. *Pater futuri seculi*, quia eos, quos saluos fecit regenerauit, omniumque seculorum salutem peperit. *Princeps pacis*, id est, pacificus, quia bella extinxit. Bernardus sermone 10. citato, Admirabilis Christus in natiuitate, Consiliarius in prædicatione, Deus in operatione, Fortis in passione, Pater futuri seculi in resurrectione, Princeps pacis in perpetua beatitudine.

D. Bernard.

Præterea admirabilis est Iesus, id est, saluator in salutè afferenda hominibus, quia admirabiliter voluntatem impij hominis auertit, & cõuertit. Auertit à peccato, à mundo, à voluptate, cõuertit ad Deũ, ad virtutem, ad sanctitatem. Si cõsideres, quàm admirabiliter Pauli voluntatẽ, Augustini, Francisci aliorũq; similiũ à mũdo abduxerit, & in omnẽ sanctimoniam adduxerit, exclamabis cũ Proph. *Hæc mutatio dexteræ excelsi*, hæc mutatio saluatoris admirabilis. Bern. loco indicato, Admirabilis, inquit, Christus est, in conuersione nostrę volũtatis, quę mutatio solius est dexterę excelsi. Secũdò cõsiliarius est, postquã enim ad Deũ conuertimur, consilia nobis præbet Iesus salutaria, salutem inspirat, quid nos facere velit docet. D. Bernard. Dicitur Christus consiliarius, in tribulatione suæ voluntatis, quando reuelat quid faciendum sit conuersis; vnde Paulus conuersus dicebat, *Domine quid me vis facere?* Tertio, Iesus dicitur Deus, quia salus nulli absque peccatorum remissione cõtingit, solus verò Deus peccata potest remittere. D. Bernard. In remissionem peccatorũ, Christus dicitur Deus, cuius tantum est peccata remittere. Quartò dicitur fortis, vt conuersis fortitudinẽ largiatur, operemq; ferat, sine qua nemo potest obsistentes aduersarios superare. D. Bernardus, iuxta sententiã Apostoli, necesse est vt omnes, qui piè volũt viuere in Christo, persecutionem patiantur, sed quis sustineret, nisi ille adiuuaret? Cum ergo nos in tribulatione protegit, cùm ipsas aëreas potestates arcet à nobis ac repellit, quid in hoc opere dici potest, nisi fortis? Quintò dicitur Pater futuri seculi, quia corporibus & animis in futuro seculo salutem æternam afferet, cuius spe filij futuri seculi in hæc seculo fulciuntur, quemadmodum filij huius seculi temporalium spe sustentãtur. D. Bernard. Quoniam ipsa conuersio, & vita nostra in Christo agenda est, non intuitu temporalium rerum, sed futurorũ bonorũ, ideò quinto loco ponitur Pater futuri seculi, Pater scilicet, in regeneratione corporũ nostrorũ. Sextò dicitur princeps pacis, quia æternã in cælo pacẽ, post huius seculi bella largitur.

Nomina ab Isaia cap. 9. Christo attributa, ex D. Bernard. nomini Iesu accommodantur. Act. 9.

D. Bernard.

Iesus nomen proprium Christi D. Thom.

Nomen Iesus nouum.

Octaua laus. Nomen Iesus est nomẽ nouum, quod Deus ex nouo incarnationis opere accepit. Noua nomina assũt Summi Pontifices, alij Pij, alii Clementes, alij Bonifacij, appellantur. Noster Summus Pontifex Christus, nomen nouum assumpsit, quod Clementis, Pij, & Bonifacij nomina continet. Iesus enim clementiam, pietatem, bonitatisque diuinæ in omnes homines effusionem sonat. Noua præterea nomina sumunt ij, qui aliqua de causa abscondere nobilitatem volũt, ac tegere. Sic Christus cùm diuinam nobilitatem occultare vellet, non Dei nomen, non Sadai, aut Iehoua, aut simile, diuinam naturam prædicans, sed nomen Iesu humanã significans, assumpsit. *Si enim cognouissent, nunquam Dominum gloriæ* (vt ait Paulus) *crucifixissent*. Hi quoque noua sibi pariunt nomina, qui de regno aliquo, regione, ac prouincia victoriã reportant. Hinc Asiatici, Africani, Numantini, Numidici, à prouinciis sub iugũ missis sunt appellati. Peperit etiam nouum sibi seruatoris nomen ab excellentissima victoria Christus, qua diabolo, morte peccatoque superatis, trium horum tyrannorum acerbissimo iugo oppressos homines seruauit.

1. Cor. 2.

Iesu nomen à maximo Dei opere sumptum.

Nona. Nomen Iesu à maximo Dei opere, hoc est salute hominibus per incarnationem, crucemq; allata, ductum est, ipsam enim salutem significat. *Cæli enarrãt gloriam Dei* Vates canit. Nomẽ verò Iesu enarrat tùm gloriam Dei eximiã, tùm hominibus à Deo allatam salutem maximam. *Opera manuum Dei, annuntiat firmamentum*, maiora opera annuntiat nomen Iesus, manus enim, pedesque Dei annuntiãt clauis confixos, caput spinis cruẽtum, corpus flagellatum, sanguinẽ pro hominum salute effusum. Quodnam maius vnquam, quod admirabilius fuit, Dei opus? Mirabilior, ait D. Leo ser. 13. de passione, est secunda hominũ generatio, quàm prima conditio. Quia plus est, in nouissimis seculis reparasse Deum, quod perierat, quàm à principio fecisse, quod non erat, &c.

D. Leo

Exod. 2.

Pharaonis filia, in ripa fluminis inuento infanti, nomen imposuit, Moses, *Quia* (inquit) *de aquâ tuli eum*. Nomen Moses à frigida aqua sumtum est, at nomen Iesus ab ardentissimo sanguine est depromptũ. Nomen Moses, dux populi Iudaici inuenit, quia ex aqua fluuij, à filia Pharaonis est ereptus: nomẽ Iesus, dux populi Christiani, est cõsecutus, quia in fluuiũ sanguinis est immersus, hoc est quia per sanguinẽ nos seruauit. Baptismus aquæ Christiano nomẽ dat, baptismus sanguinis, Christo nomen dedit, de quo ille, *baptismo habeo baptizari, & quomodò coarctor, vsque dum perficiatur*, &c.

Luc. 12.

Genes. 32.

Luctatus est cum Angelo Iacob, ex admirabili vero illa colluctatione, nomen Israel reportauit. Luctatus est cũm diuina iustitia, qua nihil fortius, Christus, & ex stupẽda colluctatione, Iesu nomẽ accepit. Tetigit Angelus neruũ femoris Iacob in lucta illa, & emarcuit: iustitia autẽ diuina nõ vnũ aliquem neruum, sed totum Christi corpus tetigit, totumque sanguine fuso exaruit. Cõtra Deum fortis fuit illa in lucta Iacob, multò in sua lucta fortior fuit Christus, diuinæ enim iustitiæ ex seueriss imo iure, fecit satis, cumq; vna sanguinis gutta sufficeret, flumẽ effudit.

1. Cor. 6.

Empti estis pretio magno, ait Paulus, hoc eodem pretio magno emptum est nomẽ Iesus. Nomen Deus, Verbum, creator, & huiusmodi reliqua nullo pretio consecutus est Christus, at nomen Iesus magno pretio cõparauit. Nullo pretio comparat princeps regis nomen, quod à patre simul cum regni hereditate accipit, at Africani nomen, Asiatici, Indici, non nisi magno labore, & multo sanguine, victa Africa, Asia, Indiaq; comparabit. Ita Christus nomen Dei, Verbi, & huiusmodi alia, à Patre simul cũ diuina essentia sine labore habet, nomẽ verò Iesus, à cruce, sanguine, à toto orbe magno cum labore redẽpto, adeptus est.

Adamus animantibus ad se adductis, cuiusq; considerata natura, nomina imposuit. Pater æternus, eximio seruatoris considerato officio, atque opere, Christo à salute nomen dedit.

Quis poterit meritis encomijs salutẽ à Iesu mundo partã celebrare? salus Iesu salus est perfecta, salus æterna, salus diuina. Perfecta est, quia non corporis tantùm, sed animi quoque morbos omnes depellit. medici corpori solùm medicinã adhibent, Iesus tum corpori, tùm animo medetur. Medici mortuo corpori salutẽ afferre nequeunt: Iesus ipsis hominũ cadaueribus vitam & sanitatem cõferet admirabilem. Medici cunctis morbis præsentia remedia nõ habẽt: medicus noster habet præsentissima. Medici argento salutẽ vendunt: Christus gratis donat. Medicorum pharmaca sæpe salutem non efficiunt: Christi medicamenta si benè recipiantur, semper sanitatem conferunt. Æger est hominis intellectus, ægra voluntas, ægra memoria, æger appetitus, ægri sensus. Intellectũ veri ignorantia occupat: voluntatem peccãdi cupido inuadit: memoriã Dei diuiniq; iudicij obliuio tenet: appetitum ardens febris incendit, sensus in malum propensio ducit. Sed noster Iesus has aliasq; omnes qualscunq; mẽs poterit excogitare ægritudines, præsentissimis remediis perfectissimè curat. Vnde Regius vates, *Qui propitiatur*, ait, *omnibus iniquitatibus, qui sanat omnes infirmitates tuas*. Et Augustinus eodem Psal. Omnipotenti medico, nullus languor insanabilis occurrit, &c. Perfecta igitur est illius salus.

Salus à Iesu allata perfecta est, æterna & diuina.

Psalm. 102. D. Augusti.

Est præterea æterna. *Israel saluatus est in Domino salute æterna*. Si medicus in orbe reperiri posset, qui salutem ægris afferret ducẽtorum annorum, Deus bone, quis nõ ad illum properaret? quis nõ quæreret? quis longam salutem, auro non cõpararet? En medicum habemus, qui nõ ducentorum, vel mille, annorum, sed totius æternitatis salutẽ ijs affert, quibus medicinam facit. Et tamen à multis non quæritur, à multis cùm fores pulsat, reiicitur. O singularẽ hominis dementiam, qui corporis paucorum annorum sanitatem, animi corporisque æternæ saluti anteponit. Longa hominis vita, ait Aug. serm. 3. de verbis Domini, tanta breuitate constringitur, ad vniuersi sæculi futuri latitudinẽ, quasi gutta, ad vniuersum mare, &c. Demens ergò est, qui vt vnam salutis, siue vitæ guttam comparet, tam sedulo laborat; vt verò salutis, vitæq; oceanum assequatur, nihil curat. Quid formidas? cur medicum fugis? etiã si carni iniucunda præbeat aliquando medicamenta, at sunt salutaria. Tolera (ait Aug. Psal. 102.) medicinalem dolorem, futuram cogitans sanitatem. Quid non tolerant homines, vt incertam argentoq; emptam sanitatem cõsequantur? Tu vt gratis datam, & (si quod medicus præscribit facias) certam salutem compares, laborem fugies? Audi Augustin. loco citato. Ligari se volunt homines, & secari, daturi pro incerta sanitate certũ dolorẽ, magnam mercedem. Deus te, & certus curat, & gratis.

Isai. 45.

D. Augusti.

D. Augusti.

Deniq; diuina Iesu salus, nemo enim nisi Deus illã potest afferre. Tã sunt horrẽdi, ac periculosi animorum morbi, vt à solo Deo pelli possint. Solus Deus vnguentum efficere potest, quo omnes abiguntur, id verò est gratia. Solus præterea Deus & homo, hoc vnguentũ cunctis hominibus sanãdis emere valuit. Emit autem pretio summo, hoc est, vita & sanguine. Habet vnguentum hoc medicus noster, in pretiosis vasis reconditum; ea sunt Sacramẽta pretiosissima, quæ gratiam continent. *In odorem curremus vnguentorum tuorum*, ait sponsa. Curramus & nos in odorem vnguenti huius, quod omnibus morbis, omnibusque vulneribus, imò & morti ipsi medetur.

Cant. 1.

Iesus est nomen super omne nomẽ magna cum veneratione proferendũ

Decima. Nomen Iesus, est nomen super omne nomen. Quod iam supra ex summo Pontifice Gregorio 10. Origene, & aliis ostendimus.

Vndecima. Nomen Iesus, est nomen summa cum vene-

veneratione, & proferendum & audiendum. Eo audito, vt Greg. ſummus Pontifex docet, loco ſupra citato, cordis genua flectenda ſunt, & caput inclinandum. Cum pingitur Auguſtiſſimum hoc nomen, aureis vndiq; illuminatur radijs, cum profertur, aurea vndique illuſtretur cordis, oris, corporiſq; reuerentia, ac pietate. Laur. Iuſtinian. in ſer. de Circun. Ieſu, inquit, nomen pronuntia, nõ ex ore tantũ, ſed etiam ex corde, adhibitis deuotione, fide, & pietate, &c.

Iuſtinian.

Ieſu nomen amabile. D. Bernard.

Duodecima. Nomen Ieſus, eſt nomen amabile: illum enim calicem nobis ſonat, qui amabilẽ maximè Chriſtum reddit, Bernardo teſte ſer. 20. in Cant. Super omnia, inquit, reddit amabilẽ te mihi Ieſu bone, calix quẽ bibiſti, opus noſtræ redemptionis. Hoc omnino amorem noſtrũ facilè vendicat totum ſibi, &c. *Nomen tuum, & memoriale tuũ, in deſiderio animæ.* Noluit Chriſtus nomẽ aſſumere, potẽtię, maieſtatis tremendiue furoris horribile, ſed miſericordiæ amabile.

Iſai. 26.

Nomen Ieſu Chriſtus moriens ſupra caput habuit. Matth. 27.

Decima tertia. Nomẽ Ieſus ſupra caput moriens habuit Chriſtus. Æquũ enim erat, vt qui pro hominum ſaluſe moriebatur, ſalutis nomen ſupra caput haberet, quod mortis cauſam mundo indicaret. *Impoſuerunt ſuper caput eius cauſam ipſius ſcriptam, Hic eſt Ieſus Rex Iudæorũ.* Etenim cauſa cur Chriſtus ſubibat mortem, hæc eſt, quia erat Ieſus, id eſt, hominum ſeruator, & quia erat Rex, qui pro populo ſuo aduerſus tartareos hoſtes voluit dimicare. Hæc cauſa ipſius, vt appellat Euangeliſta, ipſius inquam ſolius. Alij qui in crucem agebantur propria crimina luebãt cruce, Dominus luebat aliena ſanguine. Alij morte plectebantur, quòd homicidæ, quòd fures, quòd denique ſcelerati eſſent; Dominus morte afficiebatur quòd eſſet Ieſus, quòd eſſet hominũ ſaluator. Hæc ipſius ſolius cauſa. Nemo enim propterea mori potuit, quòd totius mundi, quemadmodum Chriſtus, Ieſus & ſeruator eſſet. Hoc nomẽ ſupra caput moriens habuit Chriſtus. Idem nos cùm morimur habeamus ſupra cor, & ſupra linguam, idem corde, & ore terribili illa voluamus hora, hoc oleum in fluctus mortis tumentes effundamus.

Cauſa mortis Chriſti fuit, quia Ieſus erat, id eſt, ſeruator.

Nomen Ieſu tanquã oleum ad fluctus mortis ſedandos valet.

Nomen Ieſu ſacra anchora.

D. Bernard.

Decima quarta. Nomẽ Ieſus ſacra eſt mortalium anchora, ac præſidium. In tentationibus igitur, doloribus, periculis, miſeræque huius vitæ tempeſtatibus, Ieſum inuocemus, & ad ſacram hanc anchoram confugiamus. Cui (ait Bern. ſer. 15. in Cant.) in periculis palpanti, & trepidanti inuocatum virtutis nomen, non ſtatim fiduciam præſtitit, depulit metum? Cui in aduerſis diffidenti, iam iamque deficienti, ſi nomen adiutorij ſonuit, defuit fortitudo? Triſtatur aliquis noſtrũ, veniat in cor Ieſus, & inde ſaliat in os, & ecce ad exortum nominis, lumen redit ſerenum, &c. Patriarcha Iuſtin. ſerm. de circun. Si tentaris, inquit, à Diabolo, ſi ab omnibus hominibus opprimeris, ſi conficeris ægritudine, ſi doloribus fatigaris, ſi blaſphemię ſeu deſperationis agitaris ſpiritu, ſi concuteris formidine, ſi dubietate pulſaris, Ieſu nomen edicito. In arduis, in periculis, in terroribus, in domo, in via, in ſolitudine, in fluctibus, vbicũque extiteris, ſaluatoris profer nomen, non ex ore tantùm, ſed etiam ex corde. Cordis tui prius affectum præbe, vt recte labiorum confeſſionem exhibeas. Hæc ille.

Nomen Ieſu in ore mel, in corde iubilus.

Decima quinta. Nomen Ieſu (ait D. Bern. ſer. 15. in Cant.) eſt mel in ore, in aure melos, in corde iubilus. His conſonat Iuſtinian. ſer. citato. Senties, inquit, indubitanter amœnitatem quandam ſpiritalem, & ſapidam, non ſolùm in corde, verum etiã in ore, quoties nomen hoc ſanctum à te fuerit cum deuotione prolatum. Habet enim virtutem ſibi adhibitam, quę affectum lætificat, mentem paſcit, nutrit, deuotionem, diſponit ad pietatem animum inuocãtis illud, &c. Infelices domus, quæ diaboli ſemper nomine perſonant, felices in quibus Ieſu nomen, quod dulciſſimum in aure melos eſt, ſemper auditur.

Baculus in via.

Decima ſexta. Nomẽ Ieſus eſt baculus in via: prolatum enim corde & ore, hominẽ inſtar baculi fulcit. Quæ imbecilla ſunt, vel fluxa, fulcris indigẽt ſolidis, quibus ſuſtententur. Aquæ fluxæ terra ſolida ſuſtinentur, ita fluxi populi, qui aquarum nomine ſignificantur, ſtabili ac ſolido Ieſu nomini innituntur. Fecit Deus firmamentum ſingulare, videlicet nomen Ieſu, hominum corda firmans in medio aquarum, id eſt, populorum, vt illius firmitate infirmi fulciantur.

Apoc. 17.

Iſaiæ. 30. Nomen Ieſus nomen miſericordiæ.

Decima ſeptima. Nomen Ieſus, nomen eſt miſericordiæ, atque amoris. Olim Iſaias, *Ecce*, inquit, *nomen Domini venit de longinquo, ardens furor eius, grauis ad portandum, ſpiritus eius velut torrens inũdans vſque ad medium colli ad perdendas gentes in nihilum*, &c. At nouiſſimis temporibus longè aliter. Ecce nomen Domini Ieſu venit è cœlo, ardens, non furor, ſed amor eius, leue ad portandum iugum eius, ſpiritus eius ſuper mel dulcis, ad ſeruandas gentes. *Apparuit*, ait Paul. non ira, ſed *humanitas ſaluatoris noſtri Dei.* Græcè humanitas dicitur φιλανθρωπία, id eſt, amor erga homines. Apparuit philanthropia in operibus, apparuit etiam in nomine, opera omnia humanitatis ſummæ fuere? nomẽ eſt ſummæ benignitatis. Quod nã benignius nomen, quam Ieſu nomen? quod dulcius? quod ſuauius? *Deus noſter* canit vates, *Deus ſaluos faciendi, & Domini exitus mortis.* Deus ſaluos faciendi, ait Auguſtinus libr. 17. de Ciuitate Dei cap. 18. Dominus eſt Ieſus, &c. Hebraicè dicitur; Deus noſter, Deus ſaluationum, & Dei Domini egreſſiones mortis. Eſt enim Chriſtus non vnius tantum, ſed duplicis ſaluationis cauſa, animi videlicet, & corporis, præſentis & futuræ. *Saluatorem expectamus*, ait Apoſtolus, *qui reformabit corpus humilitatis noſtræ, configuratum corpori claritatis ſuæ*, &c. Reformabit poſteà corpus humilitatis noſtræ, id eſt, abiectum & humile: nunc reformat animum. Poſteà corpus animumque æterna gloria exornabit: nunc animum à peſtiferis peccatorum morbis liberat. Eſt præterea Chriſtus ſaluationum Dominus, quia nõ vnum tantum hominem aut populum, ſed multos homines, multosque populos facit ſaluos. Domini quoque ſunt exitus, numero multitudinis, mortis, id eſt, liberationes à morte, quotquot enim à morte peccati, morteq; æterna exeunt, & liberantur, à Chriſto Domino liberantur.

Ad Titũ 3.

Pſalm 67.

D. Auguſt.

Chriſtus Deus ſaluationum. Ad Philip. 3

Nomen Ieſu anni principium exornat.

Decima octaua. Nomen Ieſu anni principium ornat. Calendis enim Ianuarij Chriſto fuit impoſitum. O ſalutiferum anni initiũ quod ſalutis decoratur nomine! Neq; verò aureus deeſt color, quo cordibus inſcribatur. Aureus ille ſanguis, quem in circunciſione Chriſtus fudit, ſeruatoris ſcribẽdo nomini præclarus eſt color. *Omne*, ait Paulus, *quodcunque facitis in verbo, aut in opere, omnia in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti: gratias agentes Deo, & Patri per ipſum*, &c.

Ad Coloſ. 3.

Omnia in nomine Ieſu facienda opera.

Proponitur igitur in ipſis anni foribus Ieſu ſanctiſſimum nomen, vt omnia in nomine Ieſu faciamus quæcunque toto anno facienda ſunt. Præcedat annos noſtros, præcedat opera, & iter vitæ noſtræ Ieſus, proſpere cuncta cedent. Iuxta illud, *Proſperum iter faciet nobis Deus ſalutarium noſtrorum*, ſiue *Deus ſalutis noſtræ*; id eſt, Ieſus. Diuus Hieronymus vertit: *Portabit nos Deus ſalutis noſtræ.* Ofelicem, quem Deus ſalutis per totum annum ſine morbo peccati portat, iuuat, ac tuetur.

Pſal. 67.

D. Hieron.

Verbum Hebræum גמל Gamas ſignificat etiam onerare: quo circa in biblijs regijs hæc verſio eſt, *in onus imponet nobis Deus ſalutem noſtrum.* O leue onus, ô dulce pondus. Onerauit nos ſaluator ſalute, accumulauit. Præterea onerauit nos tanto beneficio; grauiſſimum enim onus impoſuit nobis, cùm ſalutis & redemptionis grauiſſimo beneficio nos onerauit. In

Onerauit nos Deus ſalute.

hanc ſententiam interpretatur Rabbinus nomine Em manuel. Benedictus, inquit, Deus, qui facit nobis bona, adeò quòd propter illa onerat nos iugo graui. Quia ſecundum multitudinem bonorum, ac miſericordiarum illius, tenemur nos tradere in manus illius; & eſſe grati Deo ſalutis noſtræ. His conſentanea ſcribit Bernard. ſer. 15. in Pſalm. Qui habitat. Oneriferum, inquit, animal eſt homo tempore ſuæ mortalitatis. Si adhuc portat peccata ſua, onus eſt graue. Si iam forte exoneratus eſt à peccatis, minus quidem graue; ſed ſi ſanum ſapiat, non minus grande onus inueniet, hanc ipſam, quã diximus exonerationem. Onerat nos, cum exonerat Deus, onerat beneficio, cum exonerat peccato. hæc Bernardus.

D. Bernard.

Onerat nos Deus beneficio, exonerat peccatis.

Prætereà impoſuit nobis Deus in onus ſalutem noſtram; quoniam hoc eſt onus noſtrũ, hoc munus, ſalutem noſtram toto anno, totoque vitæ huius tempore, diligentiſsime curare, & quæ ad illam comparandam opus ſunt, toto conatu perſequi. Id quod nomen ipſum IESV faciendum monet. Nomen enim Ieſu, id eſt, Saluatoris, in exordio anni ante oculos ponitur, vt animæ ſalutem toto anno procurandam eſſe meminerimus. Circumciſioni nomen adiungitur ſalutis, vt ſciamus vitia effrenataſq; animi appetitiones reſcindendas eſſe; ſi ſalutem, bonumque annum conſequi velimus.

Animi ſalus toto anno procuranda.

Diem circumciſionis, anni boni diem nominamus. Anno autẽ nomen non ſcientia imponit, (qualis enim futurus ſit, bonus ne, an malus, quis hominum nouit?) ſed deſiderium. Bonum deſideramus annum: fertilem, ſalubrem, ideoque bonum appellamus. Qui bonum deſiderat annum, non cuticulam, ſed ſalutem animi curet, vitia circũcidat, ſitque ipſe bonus. Non poteſt bono viro malus annus contingere, quidquid enim mali euenit, conuertit in bonum.

Qui bonum annũ deſiderat, bonus ipſe ſit.

At nos bonum annũ deſideramus, bonũ agrum, bonum pallium, bonas ædes, denique cætera omnia bona habere volumus; boni ipſi eſſe nolumus. Si res quas poſſidemus malas, poſſemus conuertere in bonas, faceremus protinus: nos ipſos malos, cum facile poſſimus trãsferre in bonos, facere recuſamus. Hac de re Auguſt. ſer. 12. de verbis Domini dicentem audiamus. Bona, inquit ille, vis habere, & bonus non vis eſſe. Quid enim eſt quod velis habere malũ? dic mihi, nihil omnino. Non vxorem, non filiũ, nec filiam, non ſeruum, non ancillã, non villam, non tunicam, poſtremò non caligam: & tamen vis habere malam vitam. Rogo te, præpone vitã tuam caligæ tuæ. Si tibi poſſent reſpõdere bona tua, quibus eſt plena domus tua, nonne & tibi clamarẽt: Sicut tu nos bona vis habere, ſic & nos volumus habere bonum dominum. Hæc Augu. Si ergo annus ipſe reſpondere nobis poſſet, nonne & ipſe clamaret, ſicut vos ô homines me bonũ eſſe cupitis, ſic & ego bonos vos eſſe deſidero. Nolo mea bonitate veſtram paſcere improbitatem, nolo mea vbertate veſtram nutrire ſuperbiam, nolo meis meſſibus, meis fructibus, vino, oleoque meo veſtra alere flagitia. Annum bonum habere cupitis? bonus ero ſi vos quoque boni ſitis, ſi ſpiritalem circumciſionem ſuſcipiatis, ſi auguſtiſſimum nomen IESV in circumciſo ac dolato corde, veluti tabula, amoris affectibus veluti litteris auries depingatis, ſi in ſalutem animi toto pectore incumbatis.

Bona omnia eſſe volumus quæ poſſidemus. D. Auguſt.

Nihil habere volumus malum, præter nos.

Pſalm. 33. *Quis eſt homo qui vult vitam, diligit dies videre bonos?* rogat vates. Deinde quid agendũ ſit, vt dies videamus bonos ſubiicit; *Prohibe linguam tuam à malo, & labia tua ne loquantur dolum: diuerte à malo, & fac bonum, inquire pacem, & perſequere eam.* Annos bonos dieſq; bonos vis videre? hæc præſta, diuerte à malo, & fac bonum; hoc eſt, eſto bonus.

At ſcito dies annoſque bonos non in terra, ſed in cælo, vere reperiri. Quamobrem Euthym. Pſal. 33. bonos dies æternæ vitæ dies, vult intelligi. Nõ huius ſeculi dies dicit Vates, (ait Euth.) de quibus Iacob dixiſſe legimus: *Dies annorũ meorũ pauci, & mali*, & Paulũ: *Redimẽtes tempus quoniã dies mali ſunt*, ſed de futuri ſeculi diebus loquitur. Illud enim eſt ſeculũ, quod bonos habet dies. Hæc Euthym. Detiã Baſilius, in commẽt. eiuſdem pſalmi, ita ſcribit, Nunc quidam dies noſtri mali ſunt, quidã alij boni, quos nulla intercidit nox. Erit enim Deus ipſorum lux perpetua: ſplẽdore (inquam) eos ſuæ gloriæ illuminãs. Et D. Aug. ſer. 39. de ver. Dom. Nolite, inquit, quærere in hoc ſæculo vitam, & dies bonos vbi boni eſſe non poſſunt, &c. Non poſſunt dies huius ſæculi boni eſſe, quia laboribus, & ærumnis carere non poſſunt. Boni tamen erunt, ſi bona in illis opera patremus, per quæ veluti per gradus ad dies illos vere bonos, qui perpetua gloriæ luce illuſtrãtur, aſcẽdamus. Vis bonos hos videre dies, Dei mãdata diligẽter obſerua. Tunc (vt Auguſtinus ait ſermone citato) bona fronte dices Domino, Feci quod iuſſiſti, redde quod promiſiſti.

Dies boni in cælo. *Euthym.* *D. Baſilius.* *D. Auguſt.* *Non poſſunt eſſe boni ſeculi huius dies.* *D. Auguſt.*

Decima nona. Nomen Ieſus perfectè in ſolum Deum Chriſtum quadrat: ſeruatorem enim, perfectiſſimumque à peccatis omnibus, & malis liberatorem ſignificat. Is autem ſolus eſt Chriſtus Deus, non homo alius, nõ angelus. *Nolite confidere in principibus* (ait vates) *in filiis hominum, in quibus non eſt ſalus.* Non eſt in principibus, regibuſq; mũdi ſalus, ſed in Ieſu Deo & homine. Pſal. 3. *Domini eſt ſalus.* Act. 4. *Non eſt in aliquo alio ſalus. Nec enim aliud nomen eſt ſub cælo datum hominibus, in quo oporteat nos ſaluos fieri*, &c. Iſai. 49. *Dedi te in lucem gentium vt ſis ſalus mea vſque ad extremũ terræ.* Idcircò Euangelicæ prædicationis tempus à Paulo ſecũdæ Corinthiorum ſexto dies appellatur ſalutis, *Ecce*, inquit, *nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies ſalutis*, dies ſalutis eſt tempus hoc, quoniam eſt dies Ieſu, id eſt Saluatoris.

Pſalm. 145. *Nomen Ieſu, perfectè ſoli Deo cõuenit.* *Pſalm 3.* *Act 4.* *Iſaiæ 49.* *Euangelicæ prædicationis tempus dies dicitur ſalutis.* *2. Cor. 6.*

Regem Iſrael compellans fœmina ait, *Salua me Domine mi Rex*. At ille reſpondit: *Vnde te poſſum ſaluare? de area, vel de torculari?* hoc eſt, numquid frumentum habeo ex area aut vinum de torculari, quo famem tuam, & ſitim pellere, teque ſeruare poſſim? minimè. Longe aliter ſe habet Rex noſter, ſi petas, Salua me Domine mi Rex, non equidem reſpondebit: Vnde te ſaluare poſſum de area, vel de torculari? horrea enim habet frumento referta, torcularia vino redundantia: omnipotens ſaluator eſt, cui ad ſaluandum omnia abundantiſſimè ſuppetunt, nec verò voluntas deeſt.

4. Reg. 6. *Ieſus eſt potentiſſimus mundi ſeruator.*

Ioſeph ille Hebræus, quem Ægyptus ſaluatorem mundi appellauit, mũdi totius ſaluatoris vmbra fuit. *Tanta autem extitit tempore illius abundantia tritici vt arenæ maris coæquaretur, & copia menſuram excederet.* Similem in modum, noſtri ſeruatoris tempore, tanta eſt diuini pabuli copia, vt arenam ſuperet maris, menſuramque omnem excedat. Etenim Chriſti quibus paſcimur merita, omnem menſuram tranſcendunt. Habet aream Rex Iſrael pleniſſimã, habet quoque torcularia vino redundantia, ex quibus nos ſaluare poſſit, iuxta illud; *Lauabit in vino ſtolam ſuam, & in ſanguine vuæ pallium ſuum.* Stola & pallium Chriſti ex ſententia Ruperti, Eccleſia eſt toto orbe diſperſa. Exundare ergo oportet torcular vino, quo tam longa, lataque ſtola abluatur.

Geneſ. 4. *Magna diuini pabuli abundantia hoc tẽpore.* *Geneſ. 49.* *Rupertus.*

At dices, quid horrea proſunt abdita, quid occulta torcularia? non ſunt occulta, patent omnibus: qui ea non videt, cæcus eſt. Abundãtiſsimæ ſalutis horrea, ac torcularia, ſacramenta ſunt, qui ſalutem cupit ſacramẽta adeat. *In illa die*, ait Zacharias, *erit fons patens domui Dauid, & habitantibus Ieruſalem, in ablutionem peccatoris.*

Zachar. 13. *Fons patens ſacramentorum.*

Erit

Erit (inquit) fons patens, non absconditus. Patent saluatoris fontes, non sunt ab hominum oculis remoti, de his Isaias, *Haurietis aquas in gaudio de fontibus saluatoris*. In gaudio, ait, haurietis; ne formida, accede ad gaudium. Sed oppones, nunquid in gaudio ex sacramento pœnitentiæ aquæ hauriuntur, ad quod mœstitiam, lachrymas, cordisque contritionem afferre opus est? Verum quidem id est; at lachrymas has, mœstitiam, & contritionem, summum gaudium consequitur. Amarum quidem mare est, sed ex amaro mari dulces emanant fluuij; amarus dolor est pœnitentiæ, sed ex dolore amaro, dulce exoritur gaudium. *Lamentationes, & væ, continebat volumen illud, quod Ezechiel comedit, in ore tamen eius factum est sicut mel dulce.* Similem in modum, lamentationes, & lachrymæ, quas pro nostris, proque aliorum peccatis fundimus; dulces fiunt in corde. Theodoretus in locum illum Ezechielis sic scribit; Dulcis & iucundissima est, ob peccata lamentatio: *defectio siquidem tenuit me*, inquit Dauid, *pro peccatoribus*, &c. *Vidi præuaricantes, & tabescebam.* cuiusque filius nos admonet cum ait, *Melius est ire ad domum luctus quam ad domum risus*. Ita prophetæ fuit melli similis voluminis comestio, cum nihil iucundi, aut vnde oblectaretur contineret; sed lamentationem tantum, & carmen, & væ. Hæc ille.

Isaiæ 12.

Ezech. 2.

Theodor.

Psalm. 118.

Eccles. 7.

Vigesima. Sol splendidissimus Calendis Ianuarij, in benignissimo signo nominis IESV solarem annum inchoat. Benignissimè autem ex signo salutis, salutem in terras influit, & coronæ boni faustique anni benedicit: iuxta illud *Benedices coronæ anni benignitatis tuæ, & campi tui replebuntur vbertate*. Chaldæus sic vertit. *Coronasti annum bonitate benedictionis tuæ, & itinera viæ tuæ stillabunt dulcedinem pinguedinis*. Diuus Hieronymus, *Voluetur annus in bonitate tua: & vestigia tua rorabuntur pinguedine*. Hebraice; *Orbita tua stillabunt pinguedinem*. Congruũt hæc omnia nostro Soli. Suo ille benigno influxu coronat annum, id est, spiritalibus temporalibusque frugibus, fructibus, herbis, floribusque veluti corona exornat. Orbitæ currus eius, itinera vestigiaque eius, tùm in agros, tùm vel maxime in animos pinguedinẽ stillant. O illos beatos qui solarẽ Christi amplectũtur annũ, Lunarẽ mũdi execrãtur.

Sol in signo nominis Iesu annum inchoat.

Psalm. 64.

Etenim annorum lunares quidam dicũtur, alij solares. Lunares annos Lunæ, solares solis cursus efficit. Spiritualiter quoque lunares annos habent quidam, solares alij. Lunares infaustique eorum anni sunt, qui inconstãtis, vagæq; lunæ, id est mundi, cursum prauosq; mores, sequuntur. Solares annos faustosque illi habent, qui fulgẽtissimi solis Christi cursu, & exemplo, actiones suas metiuntur. rotas vidit Ezechiel, quæ (vt scribit) spiritum sequebantur, *Quocumque* (inquit) *ibat spiritus, illuc eunte spiritu, & rotæ pariter eleuabantur, sequentes eum*. Rotæ sunt anni nostri, qui perpetuo in orbem cursu rotantur. Vtinam diuinũ, sublimemque sequantur spiritum, non mundanum, atq; ad terrena abiectũ: ita vt merito illis Ezechielis verba congruant: Quocunque it spritus, illuc & rotæ pariter eleuantur, sequentes cum. Vereor, ne in illos verba potius illa quadrent; *Anni nostri sicut aranea meditabuntur*. Vt enim aranea inanem, fragilemq; telã, ad muscarũ capturam meditatur, & ad inutilem telam contexẽdam se euiscerat atque exhaurit; ita nos iis, quibus viuimus annis, aranearum telas meditamur, inanibus negotiis, inutilibus, pernitiosisque laboribus vitam impẽdimus; vt muscas, id est, res caducas, breuique perituras irretiamus, nos ipsos euiscerамus, atq; exhaurimus. Quis nõ miretur Domitianũ orbis imperatorem, non armatos hostes, sed muscas insectantem? Inter initia principatus (ait Suetonius in vita Domitiani capite tertio, quotidie secretum sibi horarium sumere solebat; nec quidquam amplius, quam muscas captare, ac stylo præacuto

Ezech. 1.

Anni nostri vt Ezechielis rotæ spiritum sequantur non carnem.

Psalm. 89.

Anni nostri sicut aranea meditantur.

Suetonius. Domitianus Imperator muscas captabat.

A configere, &c. Miraris imperatorem muscas captantem? mirare quoq; Christianum res temporis puncto præteruolantes totis viribus consectantem.

Hæc de Christi, & Iesu, nominibus, sint satis. Illud adiiciam à Christo nos præclarissimũ accepisse nomen Christianorum, de quo Chrysost. hom 18. in Ioann. Vno, inquit, omnes appellamur nomine, Christiano, scilicet, omnium maximo, atque præstantissimo; cum quo & filij Dei, & amici, & corpus, dicti sumus, &c. De hoc nomine Isaias vaticinatur. *Interficiet*, ait, *te Deus* (populum scilicet Iudæorum) *& seruos suos vocabit nomine alio*, (hoc est Christianos, vt glossa interpretatur) *in quo nomine qui benedictus est super terram, benedicetur in Deo, Amen*. Item idem, *Vocabitur tibi* (ô Ecclesia) *nomen nouum, quod os Domini nominauit*. Nomẽ nouũ interpretatur glossa, nomen Christianum. Eusebius lib. 2. de demonstratione euangelica cap. 49. nomen nouum, quod antiquis ignotũ fuerit, quodnam quæso fuerit, nisi Christianorum, quod à saluatoris nostri Iesu Christi appellatione deductum, in toto orbe terrarũ laudibus & fauore celebratur? &c.

D. Chrysost. De nomine Christiano.

Isai. 65.

Isai. 62. Nomen nouum Christianorum. Eusebius.

B

Iudæi nomen habuerũt ab homine Iuda, Israelitæ dicti sunt ab Israele, id est Iacob. At nos non ab homine mero, sed à Deo, & homine Christo, habemus nomen. Vnde Nazian. Greg. Orat. 31. Non feros (inquit) me ab hominibus nomen ducere, qui à Deo sum creatus. Et Chrys. hom. 18. in Ioan. Non principis, non terrenæ alicuius potestatis, non Angeli, non Archangeli, sed ipsius omnium regis nomine, appellari dignati sumus, &c.

D. Gregor. Nazianz. Chrysost. A Deo, & homine Christo, non à mero aliquo homine nomen habent Christiani Eusebius.

C

Hoc nomine martyr ille inclytus gloriabatur, qui, vt scribit Eusebius lib. 5. Ecclesiasticæ historiæ cap. 1. tanta animi celsitudine, constantia Ethnicis restitit, vt ne nomen quidem, vel suum, vel gentis, vel ciuitatis; neque vtrum seruus, an liber esset, illis vellet dicere, sed ad omnia rogata, Latino sermone respõderet; Christianus sum; istudque pro nomine, pro ciuitate, pro genere & deniq; pro re quaque iterum, ac sæpius eloqueretur. Hoc nomine inuicta Blandina tormentorum dolorem leuabat, teste eodem Eusebio, eodem capite. Beata, inquit, martyr in ipsa fidei confessione vires colligebat; & prolatio istorum verborum: Christiana sum, & nihil apud nos admittitur

D

sceleris; erat dolorum, qui eam vrgebant, summa leuatio, & fomentum cruciatus. Hoc nomine Gregor. Nazian. & Basilius Mag. Athenis se efferebant. Cùm (inquit Nazianz. in Orat. de laud. Basilij) aliis alia quædam cognomenta sint, vel à parentibus accepta vel ex se ipsis, hoc est, proprij vitæ studiis, institutisque comparata, nobis, id est, mihi, & Basilio, contrà, magna res & magnum nomen erat, Christianos & esse, & nominari. Atque ea re magis efferebamur, quàm Gyges palæ annuli conuersione, (si quidem hoc fabulosum non esset) per quam Lydiorum tyrannidem occupauit, aut Mydas auro, &c. Adde Nazianzeni fratrem Cæsarium, de quo Nazianzenus in Oratione funebri hæc scribit, Cùm multa, &

D. Gregor. Nazianz. D. Basilius. Nomen Christianum nobilissimum.

E

magna ipsi suppeterent ad dignitatem: tamen hoc primum erat, quòd Christianus & esset, & nominaretur. Sic vt omnia alia cum hoc vno collata, ludus quidam ac nugæ ipsi essent, &c.

Hoc eodem nomine nos gloriemur, ita tamen, vt Christianum nomen, Christi à quo ducitur imitatione exornemus. Vt enim definit D. Gregorius Nyssen. in tractatu de professione nomineq; Christiano; Christianismus est imitatio diuinæ naturæ. Si igitur Christianus es, Christum Deum imitare. Noli vacuum ferre nomẽ atque inane, sed plenum: tanti mẽsuram nominis imple: imple (inquam) operibus, dignis nomine. Estote (ait Augustin. in lib. 50. hom. Homilia vigesima) germani Christiani, nolite imitari nomine Christianos, opere vanos, &c. Duodecim

D. Gregor. Nyssen.

D. August. Nomen Christianũ operibus, & Christi imitatione decorandum.

cim patriarcharũ nomina ferebat põtifex antiquus, lapidibus inſculpta pretioſis. Ita Chriſtianus, Chriſtianorũ nomen, quod non à patriarcha aliquo, ſed à Deo Chriſto accepit, operibus Chriſtiano homine dignis, pretioſis veluti gẽmis inſculptũ ferre debet.

Procopius. Chriſtiani nominis appellationem, Procopius coronam appellat in Commẽtariis Iſaiæ 66. A Chriſto (inquit) Chriſtiani nominis appellatione, veluti corona redimimur. Coronam opus eſt fulgentibus ſplendere margaritis: corona nomen eſt Chriſtianum, Chriſtianis igitur factis ardentibus veluti pyropis ſplendeſcat. Auguſt. ſer. 215. de tempore; Non nobis ſufficit, quod nomen Chriſtianũ accepimus, ſi opera Chriſtiana non fecerimus, &c. Regium animum, regium caput, regiaque facta corona requirit; corona nomen eſt Chriſtianum: regium ergo animum charitate plenum, regium caput, fide, rerumque æternarum meditatione illuſtratum, regia celſaque, non abiecta ac vilia facta, à Chriſtiano flagitat. Magna res (ait Auguſt. ſer. 215. de tempore) eſt ſignum Chriſti, & crux Chriſti, & ideò de iſto iam

D. Auguſt. Corona nomen Chriſtianũ ductum à Chriſto, id eſt, vncto rege.

D. Auguſt.

A pretioſo ſignaculo res magna, & pretioſa ſignari debet. Quid enim prodeſt ſi de annulo aureo ſigillum facias, putridas paleas intus recondas? &c. O Chriſtiane, coronæ, nominiſque regij dignitatem tuere; regium nomen eſt Chriſtianum, quod regiam ſignificat vnctionem, tam nobili appellatione ad præclara opera excitare. Audi Chryſoſt. Hom. 18. in Ioan. Hac, inquit, appellatione, cæteris omnibus vehementiùs excitari, & promptiores ad virtutem amplectendam fieri, nec ea quidquam indignum facere, conari debemus, cum eodem quo Chriſtus nomine vocamur, cuius excellentiam nos intelligere oportet. Quod ſi is qui principis cuiuſpiam, aut alterius clari viri nomen ſortitus eſt, cùm id audit, tumet, & magnæ id ſibi gloriæ arbitratur: atque ne illi, à quo nomen accepit, ſua negligentia infamia inuratur, pro viribus adnititur: quid nobis faciendum eſt, qui nõ terrenæ alicuius poteſtatis, ſed ipſius omniũ regis nomine, appellari dignati ſumus? nõne ita animã noſtram inſtituemus vt nõ afficiatur infamia, qui tãto nos honore proſecutus eſt? Hęc Chryſ.

D. Chryſoſt.

Hæc appellatio ad virtutem excitat.

B

CAPVT VIII.

De Adoratione Magorum.

MATTHÆVS CAP. II.

CVM ergò natus eſſet Ieſus in Bethlehem Iuda, in diebus Herodis regis: ecce Magi ab Oriente venerunt Hieroſolymam, dicentes. Vbi eſt, qui natus eſt Rex Iudæorum? Vidimus enim ſtellam eius in Oriente & venimus adorare eum. Audiens autem Herodes rex, turbatus eſt, & omnis Hieroſolyma cum illo. Et congregans omnes Principes ſacerdotum, & ſcribas populi, ſciſcitabatur ab eis, vbi Chriſtus naſceretur. At illi dixerunt ei, In Bethlehem Iudæ. Sic enim ſcriptum eſt per Prophetam. Et tu Bethlehem terra Iuda, nequaquam minima es in principibus Iuda. Ex te enim exiet dux, qui regat populum meum Iſrael. Tunc Herodes clam vocatis Magis, diligenter didicit ab eis tempus ſtellæ, quæ apparuit eis. Et mittens illos in Bethlehem, dixit. Ite, & interrogate diligenter de puero: & cùm inueneritis, renunciate mihi: vt & ego veniens adorem eum. Qui cum audiſſent regem, abierũt. Et ecce ſtella quam viderant in Oriente, antecedebat eos, vſque dum veniens, ſtaret ſupra vbi erat puer. Videntes autem ſtellam gauiſi ſunt gaudio magno valde. Et intrantes domũ, inuenerunt puerũ cum Maria matre eius. Et procidentes adorauerũt eum. Et apertis theſauris ſuis, obtulerũt ei munera: aurum, thus, & myrrhã. Et reſpõſo accepto in ſomnis ne redirent ad Herodẽ: per aliam viam reuerſi ſunt in regionẽ ſuam.

NOLVIT Chriſtus natiuitatem ſuam omnino occultã eſſe. Paſtoribus primùm, deinde Magis voluit eſſe manifeſtam. Paſtores è propinquis paſcuis, in quibus gregem paſcebant Angeli nuntio euocauit; Magos è longinquis Orientalis plagæ locis, clariſſimo ſydere præeunte, ad præſepe adduxit. Paſtores viri pauperes, & ignobiles, eiuſdẽ conditionis hominibus, quod viderant notum fecerunt, Magi verò viri & nobiles, & potentes, Herodi regi, Phariſæis, ſcribis, ſacerdotibus, toti deniq; vrbi Ieruſalẽ, Meſſiã regem ortũ eſſe nuntiarũt. Domeſticos habuere Iudęiteſtes paſtores, habuere externos etiã teſtes ortus Chriſti, Magos. Quos idcirco Deus in Iudæã ſtellæ indicio venire voluit. (ait D. Hieron. Matth. 2.) vt ſacerdotes Iudæorũ, à Magis interrogati, vbi Chriſtus naſceretur, inexcuſabiles fierent de aduẽtu eius. Rem geſtã Matth: narrat c. 2.

D. Hieron.

Matth. 2. CVM *natus eſſet Ieſus*. In primis quo loco & quo tempore Meſſias natus ſit, docet Euangeliſta, *Cum*, inquit, *natus eſſet Ieſus in Bethlehem Iuda:* Ecce locũ, de quo ſupra ſatis iam diximus, Bethlehem autem appellat Iuda (ſic Biblia habẽt correcta) quia in tribu

C Iuda ſita erat. Prætereà vt ab alia Bethlehẽ quæ erat in Galilæa (quod Hieronym. vult) diſtingueret. Lege Ioſue c. 19. Tempus indicat, cùm addit; *In diebus Herodis regis*. Nam, vt ſupra iam diximus in tractatu de Genealogia, anno Herodis primi 31. natus eſt Chriſtus. de vaticinio autem Iacob, quod tempus aduentus Meſſiæ oſtendit; *Non auferetur ſceptrum de Iuda, & dux de femore eius, donec veniat qui mittendus eſt*: ſupra diſputauimus, in tractatu de aduentu Meſſiæ. Quot Herodes fuerint, diximus in fine tract. de Genealog. Chriſti.

Ibid.

D ECCE *magi*. Dubium eſt nũ fuerint hi Magi maleſici. D. Auguſt. ſer. de Epiph. maleficos fuiſſe putat. Sicut prævalet, ait, imperitia in ruſticitate paſtorum: ita prævalet impietas in ſacrilegiis Magorũ. En Magis impietatẽ, & ſacrilegia tribuit. Ab Auguſt. nõ diſſentit D. Tho. 3. p. q. 36. ar. 3. ad 2. & Haymo in Mat. D. Hieron. in commentariis Iſa. 19. in illa verba, *Ecce Dominus aſcendet ſuper nubem leuem*. Magi, ait, de Oriente, docti à Dæmonibus, vel iuxta prophetiã Balaam, intelligentes natum filium Dei, qui omnem artis eorum deſtrueret poteſtatem, venerũt in Bethlehem. Ambroſius in Lucam c. de Magis: Magi, licet magicis artibus, conciliandæ ſibi ſtudium diuinitatis impendunt,

Matth. 2. D. Auguſt. An Magi fuerint maleſici. D. Thomas. Haymo. D. Hieron.

D. Ambroſ.

dunt, ortum in terris Domini crediderunt. Item: Magus intelligit ſuas ceſſare artes, &c. D.Baſil. in oratione de Chriſti generatione, Magi incantationibus, & magicis, & naturalibus quibuſdam affectibus aſtronomiæq; & rebus ſublimibus vacabant; cuius magicæ Balaam videtur fuiſſe. Iuſtin. martyr in dialogo cum Tryphone. Magi, qui vt captiui, rapti erant ad omnes improbas ſceleratasq; actiones quas dæmonium illud faceret: cùm Chriſtum adoraſſent, videntur ab ea vi, & poteſtate diſceſſiſſe, quæ eos ſpoliauerat, Hilar. 6. de Trinitate prope finem; Magis diuinæ virtutis operationes, falſa rerũ ſpecie mentientibus, potiſſimus impiæ religionis honor, à ſæculo omni deferebatur. Theophyl. Matth. 2. Chriſto teſtimonium perhibent Magi, qui maximè aduerſarij erãt Deo, & obnoxij dæmoniis.

D.Baſil. *Iuſtin.mar.* *Fuiſſe maleficos aliqui cenſuerunt.* *D.Hilar.* *Theophyl.*

Origen. li. 1. contra Celſum prope finem. Veriſimile eſt in natiuitate IESV, quando multitudo militiæ cæleſtis laudauit Deũ dicens: *Gloria in excelſis Deo: & in terra pax, in hominibus bona voluntas:* dæmonas ea de cauſa debilitatos obtorpuiſſe, deprehenſis eorum præſtigiis, efficaciaq; deſtructa. Non ſolũ aduentantibus ad proxima terræ loca Angelis; verum etiam agente id IESV anima, & ea, quæ in ipſo eſt diuinitate. Cumq; Magi operarẽtur ſolitis incantationibus, non vulgarem huius caſus cauſam rati ſcrutabãtur. Viſoq; in cælis prodigio; voluerunt quod per id ſignificabatur videre. Itaq; cùm haberẽt, vt opinor, Balaam prophetias, inuento illic de ſtella oraculo coniectauerunt eum, qui cũ ſtella prænuntiatus eſt hominem in vitam adueniſſe, conceptaq; opinione de illo, potentiorem eſſe omnibus dæmoniis, ac ſpectris familiaribus, decreuerũt eum adorare. Hęc & alia Origen. Tertul. in lib. de idololatria c. 9. Magi, & aſtrologi ab Oriente venerunt. Scimus Magiæ, & Aſtrologiæ inter ſe ſocietatẽ. Primi igitur ſtellarũ interpretes, natũ Chriſtum annuntiarunt.

Luca 2. *Origen.* *Tertullian.*

Probari poteſt hæc ſententia ex ipſo magorum nomine. Nam Euangeliſta magos appellat, magorum autem nomẽ videtur maleficos ſignificare. Si autem vellet ſapientes aliquos homines fuiſſe: ſapientes, vel philoſophos appellaſſet. Quid enim opus fuit, infami nomine eos afficere, quos ſapiẽtes volebat intelligi. Præterea in Euangelio Hebræo, quod legi, Hebræo nomine, mecaſephim, vocantur, quod nomen præſtigiatores ſignificat.

Alij maleficos fuiſſe inficiantur. In primis autor Imperfecti, in Matth. Magi, inquit, apud Perſas non malefici, ſed ſapientes intelligũtur. D. Anſel. Magi non malefici, ſed ſapientes aſtrologi fuerunt. Beda, Magi nõ propter magicam artem ſic nominantur; ſed propter aliquam philoſophiam. Rupert. quoq; Magos ſapientes interpretatur. Nicephor. li. 1. c. 13. Sapientes hi, nobilitateque generis, & opibus inſignes fuere. Gloſſa ord. Magi non malefici, ſed Philoſophi Chaldęorum, qui de ſingulis philoſophantur, &c. Innocent. 3. Pontifex Summus in ſerm. de Epiphania. Magi nõ fuerunt arioli, ſed philoſophi: qui à magnitudine ſciẽtiæ ſic ſunt vocati, quia quos Græci philoſophos, Perſæ magos vocãt. D. Leo ſermon. 6. de Epiphan. Gens in longinqua Orientalis plagæ regione conſiſtens, quæ ſpectandorum ſiderum arte pollebat, ſignum nati pueri accepit, &c.

Autor Imp. *D. Anſelm.* *Beda.* *Rupertus.* *Nicephor.* *Non fuiſſe maleficos alij ſentiunt.* *Gloſſ. ord.* *Innocent.* *D. Leo.*

D. Cyprian. de Magis; Erant viri ſiderum inſpectionibus aſſueti, qui arte mathematica vim, diſcurſumq; nouerant planetarum, qui ex elementorum natura, rationem temporum metientes, aſtrorum miniſteria, certis experimẽtis, propriis didicerant effectibus aſſignata, &c. Chalcidius in Timæum Platon. f. 36. Eſt, inquit, alia ſanctior, & venerabilior hiſtoria, quæ perhibet ortu ſtellæ cuiuſdam nõ morbos morteſq; denuntiatas, ſed deſcenſum Dei venerabilis, ad humanæ conuerſationis, * rerumque mortalium gratiam. Quam ſtellam, cum nocturno itinere ſuſpexiſſent Chaldæorum profecto ſapientes viri, & cõſideratione rerum cæleſtium ſatis exercitati; quæ fiſſe dicuntur recentem ortum Dei, repertaq; illa maieſtate puerili veneratos eſſe; & vota Deo tanto conuenientia nũcupaſſe. Hæc ille. Fauet huic opinioni Euangelium Syriacum, quod Magos eodẽ nomine Magufim appellat, quaſi nomen Magorum illis proprium eſſet, & ob ſapientiam peculiare. Eſt hæc ſentẽtia Magiſtri hiſtoriæ c. 7. hiſtoriæ Euangelicæ, D. Thomæ, Matth. 2. Lyrani, Carthuſ. Cardinalis Hugonis, & noſtro tempore recepta.

D.Cyprian. *Chalcidius.* *Conſeruationis.* *Magiſt. hiſt.* *D Thom.* *Lyranus.* *Carthuſ.* *Hugo Card.*

Forſitan Magi illi philoſophico more vitam traducebant, naturę legẽ ſeruabant, & ex illis erant, de quibus in regula monachorũ to. 9. Hieron. ſic ſcribitur, Eubulius narrat apud Perſas tria genera fuiſſe magorum. quorũ primos, qui ſunt doctiſſimi & eloquẽtiſſimi, excepta farina & olere nihil amplius in cibo ſumere, &c. Par enim eſt hoc de iis viris credere, quos Deus ad vidẽdum, adorandumq; natum Chriſtum innumeris aliis prætermiſſis, mirabiliter vocauit. D. autẽ Hieron. Dan. 2. teſtis eſt, magorum nomine philoſophos Chaldæorum ſignificari. Magos, inquit, pro maleficis accipit cõſuetudo, & ſermo communis: qui aliter habentur apud gentem ſuam, eò quòd ſint philoſophi Chaldæorum, & ad artis huius ſcientiam, reges quoq; & principes eiuſdẽ gentis omnia faciunt. Vnde & in natiuitate Domini, ipſi primum, ortum eius intellexerunt, &c. D. Iſidor. lib. 8. Etymol. c. 9. Primùm ſtellarũ interpretes magi nũcupabantur: ſicut de iis legitur, qui in Euangelio natum Chriſtum annuntiauerunt, &c. Strabo li. 15. Magi honeſtum vitæ genus ſectantur.

Cibus Magorum. *Magi philoſophi Chaldæorum.* *D. Hieron.* *D. Iſidor.* *Strabo.*

Eugubin. li. 1. de perenni philoſophia c. 3. Principes Chaldaicæ Theologię fuerũt, quos patria lingua magos quaſi ſapiẽtes, ſiue philoſophos, & ſacerdotes appellabant. Diogen. Laert. li. 1. c. 1. Philoſophiã à barbaris initia ſumpſiſſe pleriq; autumant. Nam Perſis Magos; Babyloniis, & Aſſyriis, Chaldæos; Indis Gymnoſophiſtas; Celtis ſeu Gallis, Druidas, & qui Semnothi appellãtur, eius rei fuiſſe autores ait Ariſtot. in Magico, & Sotion, &c. Eodem capite de victu, & indumẽto Magorũ ſcribens, Magis, inquit, veſtis candida, lectus humus, eſca olus, caſeus, paniſq; cibarius eſt. Magicæ illos diuinationis ignaros Ariſtot. ait in lib. quem inſcripſit Magicum, & Dion in 5. lib. hiſtor. Hactenus Laert. Mantuan. de Epiph.

Illę penes Perſas magus eſt, qui ſidera nouit,
Qui ſciat herbarum vires, cultumque Deorum;
Perſepoli facit iſta magos prudentia triplex.

Eugubin. *Diogen. Laert.* *Veſtis, lectus, & cibus, Magorum.* *Mantuan.*

Deniq; Philo in li. quòd omnis probus ſit liber, Apud Perſas Magi naturæ ſcrutatores, præ veritatis cognoſcendę ſtudio, qui per otium diuinas virtutes contemplantur clarius, & alios iiſdem initiant myſteriis. Et in lib. de ſpecialibus legibus. Veram, inquit, magiam, hoc eſt, perſpectiuam ſcientiam, per quam naturæ opera cernũtur clarius, vt honeſtam expetendamque non plebei ſolùm ſectantur, ſed etiam reges regum maximi, præſertim Perſici, tam curioſi harum artium, vt regnare non liceat, niſi cum Magis verſato familiariter. Ex hac adulterata, depraua taq; deſcendunt, quas malas artes dicimus, &c. Efficitur ergo ex iis, duplicẽ fuiſſe magiam; alteram ſinceram, quæ rerum naturam perſcrutabatur: alteram depraua tam atque adulterinam, quæ maleficorum erat. Vnde Cælius li. 9. lectionũ antiquarum, cap. 23. Qui accuratiùs, inquit, iſta introſpicere enixi ſunt, Magię faſtigia duo deprehenderunt. Alterum infame eſt, atq; immundorum ſpirituum commerciis inauſpicatum; reliquum non ferè aliud eſt quã naturalis philoſophiæ apex, &c.

Philo. *Celius.*

Cùm itaque sit duplex Magię genus, nostris Magis id quod sincerum est tribuere æquum erit. Neque verò Matthæus, vt obiiciebamus, infami nomine sapientes illos Christi adoratores affecit, cùm Magos appellauit. Magi enim veri, atq; synceri nomen, honorificum est. Illa verò Hebræa versio, quæ, mecasephim, magos vocat, authoritate caret; Syriaca, vt diximus, magusim, vocat.

An fuerint Magi Reges.

Dubium præterea est, num fuerint Magi reges? Nonnulli inficiantur. Faciunt verò inficiationi fidem, rationes duæ. Prima, quia si reges fuissent, ab Euangelista regio nomine fuissent nuncupati? id enim ad Christi honorē non parum attinebat. Secūda, quia non sunt ab Herode, Hierosolymitanoque populo, vt reges excepti; imo ab Herode non magnus illis honor videtur habitus. Imperiosè nāque loquitur. *Ite, & interrogate diligenter de puero: & cùm inueneritis renuntiate mihi*, &c. Has rationes Mantuanus de Epiphania his carminibus est complexus.

Matth. 2. Mantuan.

Nec reges, vt opinor, erant, nec enim tacuissent
Historiæ sacræ authores genus istud honoris,
Inter mortales quo non sublimius vllum.
Adde quòd Herodes, vt magnificentia regum
Postulat, hospitibus tantis regale dedisset
Hospitium, secumq; lares duxisset in amplos.

D. Cyprian.

Reges fuisse sentit Christianus populus: estq; ea picturis recepta opinio, & vulgaris: cui etiam antiqui aliquot authores assentiuntur, Cyprian. de Baptismo Christi, Apparuit (ait) stella Regibus. Autor homiliæ de natiuitate Baptistæ, quę Chrysost. ascribitur tom. 2. Sancti viri reges, & patres Saba venerunt, ipsi magi, &c. Author sermonum ad fratres in Eremo, qui August. tribuuntur ser. 43. Audistis reges sanctissimos Dominum quæsiuisse: Theophylactus; Oportebat gaudere Iudæos, quod Rex suus à regibus adoraretur. Innocen. 3. in ser. de Epiphan. Magi reges fuerunt: idem docet Haymo, Anselm. Matth. 2. Rupertus de diuinis officijs lib. 3. cap. 24. Druthmarus Matt. 3. Glossa ordinaria, & alij posteriores scriptores. His adde illud Claudiani distichū,

Magi reges fuerunt. *Theophyl.* *Innocent. Haymo. D. Anselm. Rupertus. Druthmar. Claudian.*

Dant tibi Chaldæi præuntia munera reges;
Myrrham homo, rex aurum, suscipe thura Deum.

Tertullian. M. Tullius.

Fauet Tertullian. in lib. aduersus Iudæos c. 9. Magos, inquit, reges ferè habuit Oriēs. Et Marcus Tullius in lib. 1. de diuinatione. Non potest quisquam rex esse Persarum, qui non ante Magorum disciplinam perceperit. Et S. Maximus ser. 1. Regiis, inquit, muneribus Christus honoratur, &c. Huius etiam opinionis fuisse dicitur autor operis de mirabilibus sacræ Scripturæ, quod inter opera Augustini extat li. 3. cap. 4. Reges, inquit, alacres pergunt. Attamen verior lectio est, & à Louanienſibus recepta. Monente subdolo sermone rege, id est, Herode, alacres pergunt, scilicet, Magi.

S. Maxim. Reges Persarum magorū discebant disciplinam.

Primæ rationi respondetur, regium magorū nomē tacuisse Matth. quemadmodum regium Iob, & amicorum nomē tacuit author lib. Iob: Nam amici Iob reges appellantur in li. Tob. 2. & à 70. interpretibus Iob 2. Ergo reges fuerunt, in lib. verò Iob eo nomine non afficiuntur. Ipsum autem Iob fuisse etiam regem, vel regulum, verisimile reddunt amici reges, qui ad eum inuisendum venerunt; amicitia enim inter pares est. adde Magos, non fuisse potentes reges, sed regulos, siue toparchas, vt Simon Cassia. ait li. 1. c. 12. Erāt, inquit, in regione aliqua Oriētalis plagæ tres viri nobiles, parui tamē reges. Magi à sapientia dicti, mathematicæ scientiæ intendentes, &c. Præterea quia stella duce, ad Christum adducti sunt, magos, id est, astrologos potiùs, quam reges vocauit Euangelista. Secundæ rationi respondemus, quæ inter Herodē, & Magos transacta sunt, ea nuda & simplici dictione ab Euangelista esse narrata, omisso honorum & ornamētorum comitatu.

Tob. 2. Iob 2. Amici Iob reges, & ipse Iob. *Simon Cass.*

Ab *Oriente venerunt*. Oriens non sumitur pro regione, vbi sol oritur apud extremos Indos, sed pro regione, quę Iudæorum comparatione erat orientalis, vt sæpe aliàs in scriptura. Iob, *magnus dicitur inter Orientales in terra Hus*: Iob *iuisse* dicitur *in terram orientalem*, id est, Mesopotamiam, & Balaam ariolus ad maledicendum Hebræis, *ex montibus Orientis*, id est, ex Mesopotamia Syriæ, adductus legitur. Ita hoc loco ab Oriente Magi venisse feruntur, id est, ab Orientali regione: quæ videlicet, ad Orientem Iudææ sita erat. & simpliciter etiam erat orientalis, sed non in extremo oriente.

Matth. 2. Oriēs quid significet. *Iob 1.* *Genes. 20.* *Num. 23.*

Quæ autem ea regio fuerit, incertum est. Ex Persīde venisse sentit Chrysost. hom. 7. in Matthæum: Euthymius, Theophylactus, Nicephorus lib. 1. c. 13. D. Tho. 3. p. q. 36. ar. 7. D. Cyril. li. 4. in Isaiam orat. 4. D. Basil. in oratione de Christi generatione. Persīcū, inquit, genus Magi. D. Isidor. in li. de natiuitate, & passione Domini: Ad potentiā, inquit, Persarum. tunc nullus populus comparabatur: de quibus Magi venientes Christo munera detulerunt; Iuuenc.

D. Chrys. Euthym. Theophyl. Nicephor. D Thom. Cyril. D Basil. D. Isidor.

Tunc iubet & Persas, celerem prætendere gressum. *Iuuenc.*

Suadet opinionē Magorum nomen, quod Persicū est, Persarū significās philosophos, vt diximus.

Ex quanam regione venerint Magi?

Ex Arabia profectos, scribit Iustin. martyr in dialogo cum Tryphone. Diuus etiam Epiphan. in doctrina cōpendiaria ex Magodia regione Arabię venisse insinuat. Cyprianus. Nec multo post (ait) Arabū fines huius rei notitia penetrauit, & incolis Saba, præclari stella luminis cæleste numē, nouis splēdoribus indicauit. Probant hanc sententiam, quam sequitur Card. Baron. verba illa, *Reges Arabum & Saba dona adducent*. & illa Isaiæ, *Omnes de Saba venient, aurum. & thus deferentes*, &c. Prætereà Arabia regio est thuris, & myrrhæ ferax, quæ fuere Magorum dona.

D. Iustin. martyr. D. August. D. Cyprian. Card. Baron. Psalm. 71. Isaiæ 60.

Chaldæos fuisse indicant Claudiani carmina citata; Chalcidius quoq; suprà citatus, Chrysologus, & D. Maximus ser. de Epiphania, Haymo in Matth. Theodoretus Ancyranus in oratione de natiuitate Christi, in Concilio Ephesino habita, to. 6. Appendicis quintæ cap. 2. Magi, inquit, ex Chaldæa venerunt, &c. Huius opinionis est etiam Ianſenius.

Claudian. Chalcidius. D. Chrysol. D. Maxim. Haymo. Theodor. Iansenius. Hilarius.

Hilar. Arelatē. de Epiph: ab extrema Æthiopiæ parte venisse scribit. At Druthmar. in Matth. Fuerunt, inquit, isti tres reges de tribus regnis de terra Euilath, vbi effoditur aurū optimū, & vicini Persis.

Arelat. Druthmar.

Denique Indię incolas fuisse scriptum dicitur in annalibus Indicis Regni Calecutij. Libet hoc loco adiungere, quæ hac de re Magnus ille Nauar. scribit, in Com. de Orat. c. 21. num. 27. his verbis. Hier. Osor. scriptor clarissimus in vita Emmanuelis Regis tradit, ostensum fuisse duci illustriss. Gamæ in Indiam misso, sacellum intra quoddam magnum templū, sub nomine Mariæ; religiosissimè à paganis cultum. Quin & mihi hæc scribenti verbo asseruit, se postquam illa scripsit, accepisse à viro erudito, & fide digno, ab India reuertente, quòd in vetustissimis Calecutij regni annalibus inuenitur, Regem Calecutij fuisse vnū, aut certè primarium socium trium Regū Magorum. Qui reuersus in suum Calecutium, præfatum templum, quod nūc visitur extruxit. Et intra illud sacellum, & in eo aram, ad quam per gradus multos ascēditur, in quam nullis aliis, quam æduis est aditus, & in qua est sculptæ imago Deiparæ Virginis summa religione à paganis cultæ. Quæ omnia in secūda editione quam parat vir eloquentissimus Osorius traditurus est. Hactenus Nauarrus. De sacello & templo memorato lege Orosium lib. 1. de vita Regis Emmanuelis.

Nauarrus.

Respondemus, nihil certi hac de re posse statui. rationes enim quæcunque reddi possunt, non persuadent,

ſuadent, Magorum namque nomen, etſi Perſicum fuerit, potuit ad alias Orientis regiones diffundi. Illa verò verba; *Reges Arabum, & Saba dona adducent*, de regibus vniuerſe intelliguntur, ita etiam Iſai. vniuerſe loquitur; *Omnes de Saba venient*, &c. Quod de oloribus additur, vi caret; in Orientalibus enim illis regionibus, neque thus, neque myrrha, Magis vbicunque eſſent, deeſſe poterat.

Pſalm. 71. *Iſa. 60.*

Dicendum ergo eſt, Magos ex regione veniſſe Orientali, ita Bethlehem propinqua, vt paucis illis diebus, qui inter Chriſti ortum, & Epiphaniam interfluunt, abſque miraculo, & abſque moleſta intolerabili, feſtinatione iter conficere potuerint. Deus enim ſuauiter omnia diſponit.

Num. 24. Exiſtimarim cum Abulẽſi Num. 24. illos ex Meſopotamia Orientali veniſſe; vel ex vicina aliqua Meſopotamiæ regione. Ratio eſt, quia Patres quos paulò pòſt proferemus, aiunt Magos fuiſſe ſucceſſores Balaã, eiuſq; vaticinio permotos ad Chriſtum adorandum veniſſe. Veriſimile ergo eſt, in eadem habitaſſe regione, in qua habitauit Balaã. Is verò in Meſopotamia habitauit; eius enim hæc verba ſunt. *De Arã*, id eſt, Meſopotamia, *adduxit me Balac Rex Moabitarũ, de montibus Orientis.* Et ait Moſes; *Conduxerunt contra te Balaam filiũ Beor, de Meſopotamia Syriæ, vt malediceret tibi.* Ex Meſopotamia vero diebus paucis ad Chriſtũ peruenire Magi potuerunt, vt oſtẽdit Abulenſis. Et conſtat ex 31. Geneſ. in quo legimus, *Labanum ex Meſopotamia profectũ, ſeptem dierum ſpatio peruenisse ad montem Galaad.* Fuiſſe autem Meſopotamiam Orientalẽ ex verbis citatis liquet. *De Aram adduxit me Balac, de montibus Orientis.* Appellatur Meſopotamia à D. Stephano terra Chaldæorũ: *Deus*, inquit, *gloriæ apparuit Abrahæ cum eſſet in Meſopotamia, & dixit ad eum. Exi de terra tua*, &c. Deinde adiungit; *Tunc exijt de terra Chaldæorum*, id eſt, Meſopotamia, vt gloſſa interpretatur, & Abulenſis Gen. 12. Vnde colliges Magos recte dici Chaldæos quia ex illis regionibus profecti ſunt.

Magi ex Meſopotamia venerunt. *Num. 23.* *Deut. 23.* *Gen. 23.* *Num. 23.* *Act. 7.* *Abulenſis.*

Dubitatur etiam de tẽpore, quo Magi in Iudæam venerunt. Etenim D. Epiphan. Hæreſi 51. poſt duos ab ortu Chriſti annos veniſſe arbitratur. Eadẽ ſententia reperitur apud autorem imperfecti, ex ſcriptura quadam apocrypha, hom. 2. Proficiſcentibus, inquit, Magis per bienniũ præcedebat ſtella, & neque eſca, neq; potus defecit in peris eorum. Cõfirmatur opinio; Primò quia *Herodes occidi infantes iuſſit à bimatu, & infra, ſecundum tempus, quod exquiſierat à Magis*; ergo acceperat à Magis, Chriſtum iam egiſſe annos duos tunc tẽporis. Cui non apparet hinc (ait D. Epipha.) quòd quãdo venerunt Magi, duos annos puer natus erat? Secundò. Virgo Deipara in purificatione, pauperis obtulit, non diuitis, munus; ergo nondum aurum illi, Magi obtulerãt. Nam ſi aurum iam obtulerãt, pecunia non carebat, qua agnum poſſet emere, quẽ offerret. Vnde ſequitur Magos poſt purificationem veniſſe, non die 13. poſt natiuitatem. Tertiò, Magi venerunt ab Oriente, vt aſſerit Euangeliſta; longiſſimum ergo confecere iter, quod non niſi longiſſimo temporis ſpatio peragi potuit.

D. Epiphan. *Quo tempore venerint ad præſepe Magi. Autor Imp. Matth. 2.* *D. Epiphan.*

Reſpondemus cum Ammonio Alexandrino in Harmonia, Magos Chriſtum adoraſſe decimatertia poſt ortum die. Dies autem illa 6. fuit Ianuar. menſis; & vt ſcribit Lucidus Mathematicus lib. 7. cap. 2. fuit etiam feria 6. Eſt itaq; Dominus die Dominica natus, die quoque Dominica circumciſus, feria 6. à Magis adoratus, die poſt natiuitatem 13. qua Epiphan. feſtum Eccleſia agit. Dicitur autem ἐπιφάνεια Græco nomine, id eſt, apparitio, quod ea die Magis Chriſtus apparuerit. Probatur hęc ſententia ex Eccleſię ſenſu quæ 13. die poſt ortum Chriſti Epiphaniam celebrat. Deinde ex verbis colligitur Euangeliſtæ. *Cum natus*, inquit, *eſſet Ieſus in Bethlehẽ; ecce Magi ab Oriente venerunt.* particula illa, *Ecce*, Magos oſtendit, paulò poſt natiuitatem veniſſe, non autem poſt annos duos. Dicitur enim de re ſubita, atque improuiſa, nõ autem de aduentu à natiuitate per duos annos diſtante. Præterea Virgo Deipara anno poſt Chriſtum natum ſecundo, non erat in Bethlehem, ſed in Ægypto. At magi in Bethlehem Chriſtum venerati ſunt, ergo ante duos annos factum id eſt, eo temporis ſpatio, quo intemerata Virgo in oppido illo, poſt filij ortum, permanſit.

Ammonius Alexandr. *Lucidus Mathematicus.* *Magi decima tertia die poſt natiuitatem Chriſtum adorauerũt feria 6.* *Matth. 2.*

Primæ rationi D. Epiphanij reſpondemus cum Chryſoſt. hom. 7. in Matth. Herodem pro abundantia cautionis, ætatis infantilis tẽpus protuliſſe. Pro abundantia, inquit, cautionis, & licẽtia perſecutionis maius etiam tempus incluſit; qua de re in tractatu de cæde infantium, ſermo recurret. Secundæ iam reſpõdimus, Magos ex regione veniſſe Orientali, quæ ita à Iudæa diſtabat, vt tredecim diebus, vel etiam paucioribus, iter potuerint conficere. Tertia ratio poſtulat quid de muneribus actum ſit, quę à Magis ſunt oblata, ea verò de re in tractatu de Purificatione agamus.

D. Chryſoſt.

Rogas quotnã fuerint Magi? Reſpondemus fuiſſe tres ex recepta ſentẽtia. Gloſſa ordinaria Mat. 2. ſic habet. Magi etſi tria munera obtuliſſe dicuntur, non ideò non plures, quam tres fuiſſe probantur; ſed vt per eos gentes, quæ ex tribus filiis Noe natæ ſunt, venturæ ad fidem præfigurentur. Vel tot fuerunt principes, qui multos duxerunt in comitatu, &c. Tres fuiſſe ſenſit D. Leo in ſermonibus de Epiphania, Autor ſermonum ad fratres in eremo ſermone 43. Anſelm. Innocent. in ſer. de Epiphania, Bern. ſer. 6. de vigilia natiuitatis paſtores tres, tres quoque Magos numerat. Rupertus lib. 2. in Matth. tres homines, id eſt, Magi, tribus partibus orbis Aſiæ Europæ, atque Africæ, fidei vel confeſſionis, atque adorationis exemplar exiſtere meruerunt, &c. Hilarius Arelatenſis de Epiphan. In eo quòd à Magis tria offeruntur, Trinitas intelligitur. In eo verò quòd tres vni, & ſinguli ſingula offerunt, in Trinitate vnitas declaratur, &c. Beda; Myſticè tres Magi tres partes mundi ſignificant, Aſiam, Africam, Europam, ſiue humanum genus, quod à tribus filiis Noë ſeminarium ſumpſit. D. Maximus ſermone 3. Vno itinere tres ſimul adoraturi veniunt Magi.

Quod fuerint Magi. Gloſſa ord. *D. Leo.* *D. Anſelm. Innocent. D. Bernar. Rupert.* *Hilarius Arelat.* *Beda.* *D. Maxim.*

Quibus ſint appellati nominibus, quave ætate, memoriæ prodit Beda in collectaneis, his verbis. Dicitur fuiſſe Melchior, ſenex, & canus, barba prolixa & capillis. Aurum obtulit regi Domino. Secundus nomine Caſpar iuuenis, imberbis, rubicundus. Thure quaſi Deo oblatione digna, Deum honorabat. Tertius fuſcus, integre barbatus, Balthaſar nomine, per myrrham filium hominis moriturum profeſſus eſt. Hæc ille.

CAPVT IX.

Matth. 2. *Magi ad Iudæos miſſi teſtes aduẽtus Meſſiæ.* *Ibid.*

VBI *eſt qui natus eſt Rex Iudæorum?* Ad Paſtores miſit Angelum Deus; ad Magos ſtellam; ad Iudæos, ſcribas, legiſque doctores miſit Magos, qui promiſſum Meſſiam, Regem, iam eſſe natum nunciarent. Fuere ergo Magi primi teſtes, qui ortum Meſſiam eſſe cunctis Iudæis teſtati ſunt. Teſtimonium verò ſuum eximio miraculo comprobarunt. *Vidimus* (aiunt) *ſtellam eius in Oriente.* Nunc Iudæi ab Ethnicis, poſteà verò Ethnici à Iudæis, id eſt, Apoſtolis, Meſſiam veniſſe acceperunt.

Vbi (inquiunt) *eſt qui natus eſt Rex Iudæorum?* Exiſtimarũt Herodi, & Iudæis, noui Regis ortum, locumque natiuitatis, notum eſſe; totamq; Hieroſolymam

gaudio propterea exultare. Idcirco nihil formidãtes Iudæos interrogarũt, *vbi eſt, qui natus eſt Rex Iudæorum?* ſi enim putaſſent Iudæos natũ regẽ ignorare, quorſum Iudęos rogaſſent? Nemo ignorantẽ rogat.

Matth. 2. VIDIMVS *ſtellam eius in Oriente.* Patrum ſententia eſt, Magos nouiſſe vaticiniũ Balaam, quod extat, *Orietur ſtella ex Iacob; & conſurget virga de Iſrael,* &c. Atq; eo, ſtellæq; nouo ortu impulſos, veniſſe in Iudæam. Sed nos ſuis verbis patres loquentes audiamus. Origen. hom. 13. Num. Ex Balaam, inquit, fertur Magorũ genus, & inſtitutio, in partibus Orientis vigere, qui deſcripta habentes apud ſe omnia, quæ prophetauerat Balaam, etiam hoc habuerunt ſcriptũ, quod orietur ſtella ex Iacob, & exurget homo ex Iſrael. Hæc ſcripta habebant Magi apud ſemet ipſos, & ideò quando natus eſt IESVS, agnouerunt ſtellam, & intellexerunt adimpleri prophetiam, magis ipſi quã populus Iſrael. Illi ergo ex iis tantùm, quæ Balaam ſcripta reliquerat, agnoſcẽtes adeſſe tempus, venerunt, & requirentes eum adorauerunt. Hæc Origenes. D. Baſil. in orat. de Chriſti generatione. Magi ex antiquo vaticinio, ſc. Balaam, in ciuitatẽ venerunt, &c. D. Hieron. Mat. 2. Orietur in Oriente ſtella, quam futuram Balaam vaticinio nouerãt Magi, cuius ſucceſſores erãt. D. Leo ſer. 4. Ad intelligẽdum miraculum ſigni, potuerũt Magi, & de antiquis Balaam prænuntiationibus cõmoueri, ſcientes olim eſſe prædictum, & celebri memoria diffamatum. *Orietur ſtella ex Iacob,* &c. D. Gregor. Nyſſen. Nyſſenus in oratione de natiuitate. Vide à Balaam genus ducentes Magos, iuxtà prædicationem progenitoris ſui, nouæ ſtellæ ortum obſeruantes, &c.

Origen. Magi ex Balaam vaticinio cognouerunt natum Chriſtum. *D. Baſilius.* *D. Hieron.* *D. Leo.* *D. Gregor. Nyſſen.*

Beda. *Theophyl.* *Num. 24.* *Euthym.* *D. Ambroſ.* *D. Anſelm.* *D. Cyprian.* *D. Maxim.*

Beda, Matth. 2. ſucceſſores Balaam eſſe creduntur Magi, & propter prophetiã eius incitati, viſa nouã ſtella natum Regem quærebãt. Theophylactus: Ferũt Magos fuiſſe ex Balaam coniectore progenitos: nam vt inuenerunt oraculum illius. *Orietur ſtella ex Iacob:* intellexerũt myſteriũ Chriſti: & idcirco natum adire voluerunt. Euthym. Vnde cognouerunt Magi ſtellam Regis Iudęorum natiuitatem indicare: quia ex genere Balaam aſtrologi deſcendebant, & ſcripta illius adeuntes inuenerunt ab eo dictum: *Orietur ſtella ex Iacob,* &c. D. Ambr. Luc. 2. Qui ſunt iſti Magi, niſi qui, vt hiſtoria quædam docet, à Balaam genus ducũt; à quo prophetatum eſt, *Orietur ſtella ex Iacob.* Iſti ergo ſunt, non minus fidei, quam ſucceſſionis hæredes. Anſelmus. Magi prophetiæ Balaam recordati fuerunt: tum ſtellæ apparitione commoti in Hieruſalem peruenerunt. Cyprian. in tractatu de ſtella, & Magis. Magi, ex vaticiniis Balaam, olim audierant, ſtellam oriri in Iacob. Diu homines illi huius prophetiæ prouentum expectauerũt. At vbi venit plenitudo temporis, orto repente nouo ſidere, ad antiqua recurrentes volumina, tam teſtimonio muniti, quam ſigno; dromadis inuecti in Iudæam ſtella duce peruenerunt. Nec potuerunt Palæſtinæ incolas latere, tanti nominis perſonæ, &c. D. Maximus ſer. 3. de Epiphania. Idcirco Magi apud Iſrael præcipuè natum regem requirunt: quia Balaam ille ariolus, ſtellam ex Iacob oriundam & hominem ex Iſrael prophetauerat eſſe venturũ. Nemo itaque miretur natiuitatem Dominicam agnouiſſe Chaldæos, quam vtiq; ſi reuelante Deo gentilis, id eſt, Balaam, prænuntiare potuit; potuit gentilis, id eſt, Magus, agnoſcere. Eiuſdem ſententię eſt Haymo, Druthmar. Procop. D. Thom. Lyran. & alij.

Vaticinium Balaam exponitur.

Quoniam verò vaticiniũ Balaam de Chriſto celebre eſt, pro tenui noſtra parte illud enucleare, operæ erit pretiũ. Non vates ſolùm ex Hebræis, ſed ex gentibus etiã habuit Chriſtus. Vt Sibyllas omittam, Balaam ille ariolus, Iſraelitico populo, ex quo Meſſias erat oriundus, maledicere prohibitus eſt: A vtq; illius felicitatẽ prædicaret, à Deo prophetico tunc lumine fuit illuſtratus. Fuit hoc (ait D. Maximus ſer. 3.) quãtum æſtimari datur ſupernæ diſpoſitionis arbitrium: vt inter ſacratiſſimas prophetarum voces, etiam ab infideli homine eius prædiceretur aduentus, qui pro fidelium infideliumq; erat redemptione venturus, &c. Et Theodor. q. 43. in lib. Num. Nabuchodonoſor licet impiiſſimo, aduentus ſaluatoris reuelatus eſt, *videbat lapidem exciſum ſine manibus, qui percuſſit imaginem & contriuit.* Qui igitur per illum iſta prædixit; per Balaam etiam ſalutem orbis prænuntiauit. Vt & apud gentes huiuſmodi prænuntiationes conſeruarentur, &c.

D. Maxim. *Theodor.* *Dan. 2.*

Videbo eum (ait Balaam) *ſed non modò: intuebor illum, ſed* B *non prope. Orietur ſtella ex Iacob, & conſurget virga de Iſrael. Et percutiet duces Moab. vaſtabitque omnes filios Seth, & erit Idumæa poſſeſſio eius: hereditas Seir cedet inimicis ſuis. Iſrael verò fortiter aget. De Iacob erit, qui dominetur: & perdet reliquias ciuitatis,* &c. Hoc Balaami eſt vaticinium, quod etiam Chaldæus paraphraſtes de Chriſto intellexit. Sic ille interpretatur, *Video eũ, & non modò intueor eum, ſed non eſt prope. Cùm conſurget Rex de domo Iacob: & vngetur Chriſtus de domo Iſrael. Et occidet principes Moab, & dominabitur omnium filiorum hominum.* Hæc ille.

Num. 24.

Vaticinationis ſenſus hic eſt. Iſraelitici populi gloriã Balaamo indicauit Deus, id eſt, Meſſiam. Ita appellat Simeon, *Lumen ad reuelationem gentium, & gloriam plebis tuæ Iſrael.* Etenim propter Meſſiã ex Iſraelitis oriundum, maledicere populo, Balaam vetabatur. De Chriſto ergo ſic vaticinatur. *Videbo eum,* C id eſt, Chriſtum; *ſed non modo; intuebor illum, ſed non propè.* Liranus ita exponit; Videbo Meſſiã, ſed non modò, hoc eſt, videbo non per me ipſum, non meis oculis, ſed per poſteros meos Magos: illorum oculis illum intuebor in Bethlehem. Aliter; Videbò eum non modò, non propè, ſed poſt longum tempus, in extremo iudicij die; iuxtà illud, *Quem viſurus ſum ego ipſe, & oculi mei conſpecturi ſunt.* Præterea loquitur Balaã de Meſſia quaſi de rege optatiſſimo, quem cuncti videre deſiderarent; humani verò generis, vel Iudæorum aſſumpta perſona (ni fallor) ait; *Videbo eum,* id eſt, deſideratum Meſſiam, *ſed non modò.* Vidit enim Chriſtum hominum genus, viderunt Iudæi, ſed D poſt longum tempus.

Luca 2. *Num. 24.* *Iob 26.*

Deinde, ex ſententiã Patrum, quorum verba recitauimus, natiuitatis Meſſiæ ſignum præbet. *Orietur ſtella ex Iacob,* hoc eſt, nato Meſſia, orietur ſtella ex Iacob. Sed cur dicitur ſtella orta ex Iacob? nunquid ex Iudæis orta eſt? Reſpondemus, propterea ortam ex Iacob dici, quòd à Chriſto filio Iacob, nato in Iudæa, fuerit ad Magos adducendos miſſa, ex terra Iacob, id eſt, Iudæa. Ac ſi diceret, mittetur nuntius ex Iacob, vel ex Iudæa à Rege Iudææ nato. Hebraicum verbum דרך darac, ſignificat etiam incedere: idcirco etiam vertit Pagninus; Inceſſit ſtella ex Iacob. Vides poſitam ante oculos Magorum ſtellam? Sola illa inter ſtellas omnes, per aërem inſolito inceſſit, ſiue ambulauit curſu, inſtar nuntij viam monſtrantis.

Num. 24. *Pagninus.*

Sequitur: *Et conſurget virga de Iſrael*; id eſt, conſurget ſceptrum Chriſti ex Iudæis. Conſurget virga illa, quæ dicitur ferrea. *Reges eos in virga ferrea, & tanquam vas figuli confringes eos.* Vnde additur: *Percutiet duces Moab vaſtabitq; omnes filios Seth.* Hoc eſt, quod Daniel vaticinatur: *Suſcitabit Deus cæli regnum, quod in æternum non diſſipabitur: & regnum eius alteri populo non tradetur. Comminuet autem, & conſumet vniuerſa regna hæc; & ipſum ſtabit in æternum.* &, *Iudicabit in nationibus, implebit ruinas, conquaſſabit capita in terra multorum.* Loquitur Balaam peculiariter de Moabitis, quoniam Balac, qui eum ad maledicendum Iſraelitis vocauerat, rex erat Moabitarum. Percutiet autem Chriſtus Moab

Pſalm. 2. *Dan. 2.* *Pſal. 109.*

duces,

duces, & omnes filios Seth vastabit, in die iudicij extrema. Nam Moabitæ illius tẽporis, & filij Seth cultores erant idolorum: ideoq; in extremo iudicio vastabuntur. *Vastabit*, inquit, *omnes filios Seth*: id est, omnes homines illius temporis à Seth filio Adami originẽ ducentes, & simulachra venerantes: non multi enim erant iusti: qui verum Deum colerent, præter Israelitas totius mundi comparatione.

Sequitur. *Erit Idumæa possessio eius.* Idumææ nomine Ethnici significãtur, qui ad Christum conuersi, possessio fuerunt illius: iuxta illud, *In Idumæam extendam calceamentum meum.* Quod Gregorius magnus hom. 7. in Euangelia, hunc in modũ explanat; Per Idumęam gentilitas, per calceamentum verò assumpta mortalitas designatur. In Idumæam ergo Dominus calceamentum suum extendere asserit, quia dum per carnem gentibus innotuit, quasi calceata ad nos diuinitas venit, &c. *Hæreditas verò Seir*, id est, Esau, ipsa videlicet Idumæa, ipsa gentilitas, *cedet inimicis suis*, id est, Christianis: tandem à Christianis conuertetur, quos prius persequetur, vt hostes. *Israel verò Dei*, id est, Christiani, *fortiter agent.* Deniq; *ex Israel erit* Christus, *qui* vniuerso orbi *dominetur*, *& perdat reliquias ciuitatis*, id est, reliquias idololatriæ Romanæ vrbis euertat, atque ita eam expurget, vt Vicarij sui sedes sit, totiq; orbi Christiana iura reddat. Vel, Perdat reliquias ciuitatis Hierusalem: in qua in crucem actus est. Hæc de difficili vaticinio pro nostra tenui parte dicta, sint satis.

Psalm. 59. *D. Gregor.*

Non fuere tamẽ hoc solo vaticinio, Magi ad Christum adducti: auxilio Dei, & reuelatione opus fuit, qua illuminati, quid agendum esset cognoscerent. Ea est sententia D. Leonis ser. 1. de Epiph. Dedit, inquit, aspiciẽtibus intellectum, qui præstitit signum: & quod fecit intelligi; fecit inquiri. Et ser. 3. Commouit Magos, remotioris Orientis habitatores, stellis cæteris stella fulgentior: & de mirandi luminis claritate, magnitudinem significationis intelligũt. Agente hoc sine dubio in eorum cordibus inspiratione diuina, vt eos tantæ visionis mysterium non lateret: & quod oculis ostendebatur insolitum, animis nõ esset obscurum: &c. D. Augustin. ser. de Epiphan. addito à Parisiensibus to. 10. Sic, inquit, intelligendum est: non per solam stellam, quamuis oculis suis insolita, & inexperta luce fulgentem, Magos in Oriente potuisse cognoscere, quis nam esset significatione tanti sideris dignus, cuius testis ille fulgor existeret quem tanta claritas nuntiaret: sed alia nimirum reuelatione indicatum est diuinitus, quod luce sideris tacite signabatur. Non vtique loquente ipso sidere: sed aliter intimatum est, quis discendisset de cælo, & iaceret in carne sub cælo. Hæc ille.

D. Leo. *D. Augustin.* *Magi præter vaticinium Balaam reuelatione habuere.*

D. Chrysologus ser. 157. ex prisca patrũ traditione ait, Magos Christi ortum, mortemque agnouisse. Non Chaldæa, inquit, arte, sed de prisca sanctorum traditione maiorum. Erant isti de genere Noe, de filijs Abrahæ, qui Christum nasci, per Deum didicerant, non per artem: eumque hominem, Deum, Regem moriturũ, alto cognouerant sacramento. Hinc est quod apta patrum fidei munera portauerũt, &c.

D. Chrysol.

Per artem astrologicam Magi nouisse Christi natiuitatem minimè potuerunt. Potuerunt tamen cognoscere exortam stellam nouam esse, & admirabilem: quomodo Hieronymi verba Isa. 47. intelligenda sunt. Magi, inquit, de Oriente venerunt, Domini stellam se vidisse dicentes, vel ex artis scientia, vel ex vaticinio Balaam, &c. Author quoq; librorum de mirabilibus sacræ Scripturæ, lib. 3. ca. 4. cùm sic scribit. Magi excellentem sideribus stellam videntes: Dei esse, & regis qui iuxta prophetias tam ipsorum, quã Ecclesiasticas, ex Israel nasceretur: seu ex propria eorum scientia, seu angelica admonitione intelligentes: ad terram Israel venerunt, &c. De scientia artis intelligendus non est, sed de cognitione à Balaam, & alijs quasi per manus accepta.

D. Hieron. *D. Basil.* *Origen.* *An stellæ apparuerit supra Iudæam?* *Glossa ord.* *D. Anselm.* *Matth. 2.* *Procopius.* *Haymo.* *Matth. 2.* *Num 24.* *Pagninus.* *D. Chrysost.* *An stella ipsa nocte natiuitatis Christi visa fuerit: an multo ante?*

D. Hieronym. Isa. 19. ait forsitan Magos à dæmonibus natum esse Christum didicisse. D. Basil. in oratione de Christi generatione: Forsitan, inquit, per aduentum Domini, aduersariam potestatem iam debilitatã, irritata sua energia sentientes Magi, magnæ virtutis testimonium nato attulerunt. Similia scribit Origen. in lib. 1. contra Celsum, cuius verba supra citauimus textu: *Ecce magi*: sed nihil istis opus, satis fuit stellæ admirandæ conspectus, & diuina reuelatio, vt ad Christum adorandum Magi venirent.

Itaque conspecto fulgente astro in Oriente, Magi tum ex antiqua vaticinatione, tum ex noua reuelatione, quid significaret agnouerunt: protinusq; iter aggressi sunt. Ambigitur, vbinam stellam viderint exortam? supra ipsamne regionem, in qua habitabat, an supra Iudæam? Glossa ordinaria, & D. Anselm. sub iudice litem relinquũt. Verba enim Magorum: *Vidimus stellam eius in Oriente*, duplicem ferunt sensum. Primus est: Vidimus nos in Oriente siti, ex ipso Oriente, stellam eius supra Iudæam ortam. Secundus: Vidimus stellam eius, ortam in ipso Oriente, id est, supra patriam nostram Orientalem. Procopius cum de prophetia Balaam, agit, supra Iudæam, stellam à Magis conspectã ait, Hac, inquit, prophetia tradunt, excitatos Balaami posteros, (seruasse enim apud se par est) cum viderent alienam, ac insoliram stellam, perpendiculariter supra Iudæam, immotam stare: venisse inquisitum regẽ illum indicatum, &c. Haymo etiam serm. 3. de Epiphania, huius est opinionis. His enim verbis, Magorum verba interpretatur: *Vidimus stellam eius in Oriente*, hoc est, nos in Oriente positi vidimus stellam eius; in Occidente contrà Hierosolymam.

Verisimilius est, stellam in ipsa Magorum regione fuisse conspectam. Is enim videtur esse sensus illorum verborum: *Vidimus stellam eius in Oriente*: videlicet, fulgentẽ. Si enim supra Iudæam illam vidissent, dixissent potius Iudæis: Vidimus stellam eius exortam supra Iudæam. Confirmant opinionem, Euangelistæ illa alia verba: *Ecce stella, quam viderant in Oriente, antecedebat eos*, &c.

Verisimile quoq; est, stellam supra Iudæam, & oppidum Bethlehem, primùm Magis in Oriente existentibus apparuisse, deinde verò ex Iudæa in Orientem vsq; celeri motu ad illos vocandos euolasse, ibique eatenus quieuisse, donec iter ingrederẽtur. Probatur hæc sententia ex vaticinio Balaã: *Orietur*, inquit, *stella ex Iacob*, quasi dicat, ex domo Iacob, ex ipsa Iudea stella in Orientẽ veniet. Quod significat alterã versio Pagnini, quę in bibliis regiis est: *Incessit stella ex Iacob*, id est, stella ex Iudea profecta, vel missa, incessit in Orientem, & in Oriente Magis apparuit. Quia verò in Oriente illis apparuit, aiunt: *Vidimus stellam eius in Oriente.*

Est præterea in cõtrouersia: Num stella Magis visa fuerit, ipsa ortus Christi nocte, an multò ante, vt longum iter postulabat. D. Chrysost. hom. 7. in Matthæum multò ante natiuitatem visam esse scribit. Consequẽti, inquit, ratione colligitur, stellam ante multum tempus apparuisse. Quia enim Magi plurimum erant itineris longinquitate remorãdi, vt possent mox nato puero adsistere, ante multũ tempus, stella se demonstrat. Si enim quando puer natus est in Palæstina, tũc eis stella apparuisset in Persida, plurimum in itinere tempus terentes, nequaquã illum adhuc in pannis inuenire potuissẽt. Theophylactus: Stella antequã natus esset Dominus apparuerat Magis. Quoniam multum temporis in itinere consumpturi erant, ideò multò ante apparuit stella, &c.

Nicephorus lib. 1. cap. 13. biennio ante natiuitatem

Nicephor.

tem apparuiſſe ſentit. Stella, ait, duos ante annos, quam Chriſtus natus eſſet, exorta apparuit. Item Duobus ante diuinam natiuitatem annis, ſe in viam Magi dedere,& in Bethlehem venêre,cùm adhuc in
D. Auguſt. præſepi iaceret Chriſtus. Eiuſdem ſententiæ eſt Auguſt.in ſer.de Epiphania citato. Stella,inquit,ferme biennio viſa eſt mirantibus quid eſſet, ſed Chriſto nato, reuelatum eſt Magis, &c. Item, Hodierno die Chriſtum adorauerũt. Magi,quem ante paucos dies natum eſſe didicerunt, & illam ſtellam,quæ ſibi per biennium apparuerat,eius fuiſſe.Probat ſententiam
Matth.2. illis verbis Euangeliſtæ. *Herodes occidit pueros à bimatu, & infra, ſecundum tempus,quod exquiſierat à Magis.*Et ſer.7. de Epiphan. idem Auguſtin. In cælo viderunt Magi ignotiſſimam ſtellam, non ante paucos dies, ſed ante ferme biennium, ſicut Herodi patefecerunt, vnde *à bimatu, & infra occidit infantes, ſecundum tempus, quod exquiſierat à Magis*, &c.

Veriſimilior eſſet hæc opinio, ſi diceremus Magos ab extremis veniſſe Orientis regionibus. Cùm autẽ ex propinquis profectos ſupra dictum ſit; Reſpondemus, ſtellam ipſa ortus Chriſti nocte à Magis conſpectã, poſt Chriſtum natum. Erat enim ſignum non naſcituri, ſed iam nati Regis. Vnde Magi quæ-
Matth.2. runt; *Vbi eſt qui natus eſt Rex Iudæorum?* redduntq; rationem quæſtionis: *Vidimus enim ſtellam eius*, id eſt, ſtellam, quæ natiuitatem eius indicat, ideo iam natum quæ-
D. Anſelm. rimus. D. Anſelmus Matth.2. A die, inquit, natiuitatis creditur ſtella tãtùm apparuiſſe, &c. Ratio ex Euangeliſtæ verbis: *A bimatu, & infra*, ſumpta, iam ſupra diſſoluta eſt, cùm quæſiuimus quo tempore Magi in Iudæam venerint,eadem verba ſuo loco infra explicabuntur.

Multa parit ſtella hæc dubia. Dubitatur an totò itinere Magos præierit, viamque in Iudæam oſtenderit?
Haymo. Negat præiuiſſe toto itinere Haymo,quoniam ſupra Iudæam, nõ in Oriente apparuiſſe arbitratur.
Clarius. Caietan. Ianſenius. Negant etiam Iſidorus Clarius, Caietanus, & Janſenius. Pluribus placet opinio oppoſita, in primis
D. Chryſoſt. Chryſoſt.homil.6. in Matth.cuius verba, quis ſtellæ fuerit motus aperiunt. Vſque ad Palæſtinam (ait) venientibus Magis, quaſi dux itineris ſemper apparuit
An ſtella toto itinere Magos præierit? ſtella. Cùm verò Ieroſolymam introiſſent, ſeſe rurſus abſcondit, deinde, iterum Herode relicto ſe illis monſtrauit. Cùm eos oporteret pergere, etiam ipſa pergebat, cùm verò ſtandum eſſet ſtabat, ſicut illa in
Chryſolog. eremo columna nubis. Hæc Chryſoſtomus, Chryſologus item ſerm.156. Ambulante Mago, ſtella ambulat, ſedente ſtat, dormiente excubat. Leo ſer.4. Viri tres, fulgore inſoliti ſideris diuinitus incitati, præuium micãtis luminis curſum ſequuntur, æſtimantes ſe ſignatum puerum Ieroſolymis in ciuitate regia, reperturos, &c. Euthymius: Vſq; ad Palæſtinam,
Euthym. Theophyl. D. Thom. Caſſianus. Lyranus. Abulenſis. ſtellæ ducatũ habuerunt Magi Idem ſentiunt Theophylactus Matth.2. D. Thom. 3.par.q.36.art.7. Simon Caſſianus, Lyranus, Abulenſis, & alij.

Verùm contraria ſentẽtia alicuius momenti habet rationes. Prima verborum Magorũ ſuppeditant.
Matth.2. *Vidimus*, aiunt, *ſtellã eius in Oriente*. Nam ſi ſtella præiuiſſet, dixiſſent potiùs: Dux nobis itineris fuit ſtella eius, id enim, quod admirabilius erat, fuit in primis commemorandum. Dicunt autem, *Vidimus ſtellam eius in Oriente*, quia poſtea toto itinere non viderant. Secunda ratio eſt. Deus Magis reuelatione aperuit Regem Iudæorum natum eſſe, videlicet in Iudæa: Via autem in Iudæam ſatis nota erat ac trita: Ergo ſtella duce nõ erat opus. Quòd ſi Deus columnam ducem itineris conceſſit Iſraelitis, opus illa erat, quoniam ignota via gradiebantur. Tertia. Magi poſtquam ab Herode diſceſſerunt, ſtellam iterum cernentes (vt Euangeliſta ait) *gauiſi ſunt gaudio magno valde*. Hæc verò gaudij magnitudo indicat planè, Magos poſtquam ſemel ſtellam in Oriente viderant, nunquam vidiſſe ampliùs. Nam ſi paulò ante oculis ſe eripuerat, moxque obiecerat, eſſe non potuit tam exaggerati gaudij cauſa. Quia verò in Oriente diſparuerat; rurſuſque poſt diſceſſum ab vrbe præter ſpem apparuerat, *gauiſi ſunt gaudio magno valde*. Adde Euangeliſtæ illa *Matth.2.* verba: *Stella, quam viderant in Oriente, antecedebat eos*: quam viderant, inquit, in Oriente, ſolùm videlicet. In hanc ſententiam ſum propenſior, verbis enim Euangelij magis videtur congruere.

Altera quoq; probabilis videtur, tum quia multis placet, tùm quia ſuis etiam nititur rationibus. Prima eſt. Stella Magos ab Ieruſalem, Bethlehem vſq; præceſſit, vt Euangeliſta aſſerit. Veriſimile igitur eſt, ab Oriente quoque vſq; Ieruſalem præceſſiſſe; ibique *Ibid.* per aliquod tempus diſparuiſſe, vt in metropoli Iudææ Chriſti ortus à Magis nuntiaretur. Sed idem argumẽtum in aduerſarios retorqueri poteſt, hoc pacto; Euangeliſta ſcripſit, ſtellã Magos ab Ieruſalem Bethlehem vſque anteceſſiſſe; ergo ſi ab Oriente vſque Ieruſalem, dux fuiſſet itineris, id etiam literis commendaſſet. Cùm igitur nullam ea de re mẽtionem fecerit, efficitur illo itinere non præiuiſſe. Rogabis cur nõ vtroq; præiuerit itinere? Reſpondetur, quoniam iter ab Oriẽte in Iudæam notum erat Magis; iter verò in præſepe Chriſti, & Magis, & omnibus Iudæis ignotum. opus igitur ſtella fuit, quæ iter præſepeq; ipſum demonſtraret. Secunda ratio vrget magis; Ea eſt huiuſmodi. Stella poſtquam à Magis eſt in Oriente conſpecta, vel eſſe deſijt, vel in aere permanſit. Nemo dicet eſſe deſiiſſe, ſequeretur enim duas ſtellas Magis apparuiſſe; alterã in Oriente, quæ euanuerit; alteram, quæ poſtea facta illos ad præſepe duxerit. Permanſit ergo aſtrum in eo hemiſphærio, in quo Magi erant; atque adeò, ab eis ſemper viſum, & vſq; in Iudæam progreſsũ credibile eſt. Non difficilis eſt nodus, Reſpondemus non euanuiſſe ſidus, poſtquam in Oriente eſt cõſpectum, ſed vaporibus, ſiue nubibus fuiſſe obtectum, quouſq; iterum, poſt diſceſſum ab Herode, Magis apparuit.

Quia tamen, vt diximus, veriſimilis eſt Chryſoſt. & aliorum ſentẽtia, rationes alterius opinionis paucis diſſoluendæ ſunt. Primę reſpondetur, non omnia ab Euangeliſtis narrari, multa omitti; ideoq; nõ mirum ſi nullam fecerit Matthæus de ſtellæ ab Oriente vſque Ieruſalem ductu, mentionem. Magis quoque cùm de rege nato quererent ſatis fuit dicere vidiſſe ſe ſtellam eius in Oriente, poſtea Herodi cætera aperuerunt. Secundæ reſpondetur, etſi nota eſſet via in Iudæam, voluiſſe Deum Magorum fidem ſideris comitatu excitare ac ſtabilire. Tertiæ reſpondetur. Magnũ illud gaudium percepiſſe animo Magos, quoniam præter ſpem iterum aſtrum viderant, quod paulò ante ſummo cum mœrore diſparuerat. Nam (vt ait Haymo) maius fit gaudium de re inuenta, quæ fuit perdita, quàm de re poſſeſſa, quæ non erat amiſſa. *Haymo.*

Nondum exhauſtæ ſunt de ſtella dubitationes. Dubitatur enim prætereà de materia, de loco, de ſplendore, de motore. Materia non fuit cæleſtis, ſed aërea; ex aëre enim Angeli opera efformata eſt. Quemadmodum enim angelus ſplendidum corpus, quod aſſumat; ita ſtellam ſplendidam ex aëre efformare poteſt. Potuit quidem Deus, vnam ex cæleſti- *De materia ſtellæ.*
bus, fixis, vel errantibus ſtellis, ad indicandum Chriſti ortum mittere. Sed non fuit opus ratos earũ motus inuertere, & ad præſepium vſque cæleſte ſidus cælo auulſum deiicere. Satis noua ſtella fuit, ex aere figurata. Nam *Deus ſuauiter omnia diſponit*, vt ait Sapiens. Vnde Origenes libro 1. contra Celſum; Stel- *Origen.*
lam, inquit, nouam fuiſſe arbitramur, nec vlli ex notis iſtis ſimilem; quæ vel in fundamento ſunt, vel in or-

in orbibus inferioribus. Sed eius generis, quales Cometæ visuntur, &c. Aug. l. 2. cõtra Faust. c. 5. Non ex illis hæc erat stellis, quæ ab initio creaturæ itinerum suorum ordinem, sub creatoris lege custodiunt. Sed nouo Virginis partu, nouum sydus apparuit. Damas. l. 2. c. 7. Sydus, quod Magis apparuit, non ex illis erat stellis quæ ab ipso mundi ortu conditæ sunt. Id quod ex eo liquidò percipitur, quòd ea stella nunc ab ortu ad occasum, nunc à septentrione ad Austrum, progrediebatur; nunc delitescebat, nunc sese rursum aperiebat; id quod à syderum ordine, & natura discrepat. Hæc ille.

D Augustin. *D. Damas.*

Ex materia colligitur locus, in aëre enim, non in cælo, prope terram veluti cometa conspiciebatur. Motor autem angelus erat, quemadmodùm antiquæ illius columnæ, quæ Israelitico populo in solitudine olim præluxit, angelus motor fuit. Splendore superasse cætera sydera sentit D. Leo ser. 1. Tribus (ait) Magis stella nouæ claritatis apparuit, quæ illustrior cæteris pulchriorq; syderibus, in se intuẽtium oculos conuerteret, &c. Plurimum relucentem appellat Nicephor. l. 1. c. 13. Nouam (inquit) Magi viderunt stellam, & insolitam, ad terram vergẽtem, & plurimum relucentem. Ipsi quoque Soli fulgore præcelluisse, scribit D. Chrysost. hom. 6. his verbis: Ipsos solis radios proprio quodã prẽcipuoque fulgore superabat: in tanto radiorum Solis lumine, magis ipsa resplendens: quã lucendi Sole fulgẽte vim, non modò stella nulla, sed nec ipsa quidẽ luna sortita est. Hæc ille. Et Prudentius in hymno de Epiph. Stella (ait) quæ Solis rotam vincit decore, sic lumine. D. Ignatius Ep. 14. ad Ephes. Stella in cælo fulsit super omnes, quæ ante ipsam erant: & lux eius inæstimabilis, & noua, atque peregrina apparuit videntibus eam. Cætera verò sydera simul cum Sole & Luna coruisca facta sunt, illa verò superabat omnes splẽdore suo, & facta est perturbatio, vnde fuisset illa nouitas, quæ apparuerat. Hæc Ignatius. Nec tamen existimes Solem superasse magnitudine, non enim stella, sed Sol videretur, si Solis magnitudinem exæquaret. Erat ergo splẽdida stella, Soleque & Luna multo minor esse uidebatur. Quia tamen non longè à terra distabat, magni, fulgentissimique astri speciem præ se ferebat: nec Solis radiis obscurabatur.

Quis locus stellæ, quis motor. *D. Leo.* *Nicephor. De splendore stellæ.* *D. Chrysost.* *Prudentius.* *D. Ignatius.*

Differebat autẽ ab aliis stellis creatione, materia, loco, motu, fulgore, duratione, magnitudine. Stellæ reliquæ sex primis mundi diebus cõditæ sunt, hęc ipsa Christi natiuitatis nocte facta: reliquæ materiam habent cælestẽ, hæc aeream: reliquę in cælo fulgẽt, hæc in aere: illæ circularẽ seruant motũ, hæc rectum obtinuit: illæ noctu fulgent, hæc etiã interdiu: illæ perpetuæ sunt, hæc temporaria: illæ terram lunamque magnitudine superãt, hæc minor erat: maior tamen esse apparebat, quia terræ propinqua cernebatur.

Differebat hæc stella ab aliis, creatione, materia, loco, motu, fulgore, duratione, magnitudine.

Autor operis de mirabilibus sacræ Scripturæ to. 3. Aug. l. 3. c. 40. vel Angelum, vel Spiritum sanctum, stellæ specie Magis apparuisse scribit: vt olim ignis specie discipulis, & columbæ figura supra Christum in Iordane apparuit. Sicut in igne (ait ille) Spirit. S. super Apostolos descẽdit: ita in specie stellæ Magos ad Dominũ deduxit. Item; Sicut specie columbæ descendit super Dominum in Iordane; sic gẽtes stellæ specie duxit ad cunabula Domini, &c. De Angelo autem; Quid repugnat (inquit) si hoc loco stella Angelus dictus esse sentiatur. Ista vice Angelus dux Magorum efficitur, qui astrologis in stellæ similitudinem transformatur, &c. Lege Origenem hom. 22. in lib. Numer. D. Chrys. stellam inuisibilem virtutem appellat in specie syderis, his verbis, hom. 6. in Matth. Quòd non vna fuerit stella de pluribus, imò (ego arbitror) nec stella omnino, sed quædam inuisibilis virtus, in specie syderis figurata, ab ipso primùm itinere monstratur, &c. Posteà virtutem hanc appellat plenã rationis. Similiter Euthymius; Stella non naturã, sed figuram dumtaxat habuit stellarum; & verè diuina quędam intereat potẽtia in hanc figuram transformata. Clarius Theophyl. hanc virtutem inuisibilem, Angelum fuisse docet. Ne talem, ait, putes stellam, quales videmus, sed diuinam virtutem, & Angelicam, in figura syderis apparentem. Quòd autem Angelica virtus fuerit stella, manifestum est ex eo, quòd & in die refulserit, & ad motum Magorum se mouerit, & ad quietem eorum quieuerit. Hæc Theophyl. Nos verò Spiritum sanctum stellæ specie Magis apparuisse inficiamur, nulla enim ratio hoc suadet: Spiritus sancti diuina maiestas dissuadet. Angelum stellæ motorem fuisse iam diximus: in ipsam stellam transformatum non putamus.

An Spiritus sanctus, vel Angelus stella specie. Magis apparuerit? *Origenes. Chrysost.* *Euthym.* *Theophyl.*

Libet iis adiicere veluti corollarium, quod Autor imperfecti de hoc de quo verba facimus, astro scribit. Homil. 2. Audiui (inquit) aliquos referentes de quadam scriptura, & si non certa, tamen non destruente fidem, sed potiùs delectante. Quoniam erat quædam gens sita in ipso principio Orientis, iuxta Oceanum, apud quos ferebatur quædam scriptura inscripta nomine Seth, de apparitura hac stella, & munerib. offerendis: quæ per generationes studiosorum hominũ, patribus referentibus filiis suis, habebatur deducta. Itaque expectabant hanc stellam duodecim: & si quis moriebatur ex illis, filius eius, aut alius in locum eius sufficiebatur. Dicebantur autem Magi, lingua eorũ. Hi per singulos annos ascendebant post messem trituratoriam in montem, qui vocatur lingua eorum Victorialis, habẽtem spelunca, & fontibus ac arboribus amœnissimum, expectãtes semper ne forte in generatione sua stella illa oriretur: donec apparuit eis, descendens super montem Victorialem habens in se formam quasi pueri paruuli, & super se similitudinẽ crucis: & locuta est eis, & docuit eos & præcepit vt irent in Iudæam. Proficiscentibus autem illis per biennium præcedebat stella: & neque esca, neque potus defecit in peris eorum. Hæc ille. Sed autoritatis parum habent.

Autor Imp. *Mons victorialis, in quo stella expectabatur.*

Illud quoque, quod scribit Haymo in ser. de Epiphania, friuolum vocat D. Ansel, Matth. 2. Stella, ait Haymo, postquam Magos ad Dominum duxit, desiit videri ab hominibus. Greg. Turonensis Episcopus dicit, quod ceciderit in quendam puteum Bethlehem: vbi potest modò videri ab eis, qui virgines sunt, in fundo putei illius. Iuerunt illuc tres homines, vnus virgo, duo non virgines, qui virgo erat, vidit stellam, reliqui non viderunt. Hæc Haymo. Sed friuola sunt, vt ait Anselmus.

Haymo. *Puteus in quem dicitur stella cecidisse.*

Ad verba Magorũ iam reuertamur. *Vidimus*, aiunt, *stellam eius in Oriente*. Stellã eius vocant, quia Christum indicat: Stella illa, ait Augustinus, l. 2. cõtra Faust. c. 5. Christo secundùm carnem nato, non ad decretum dominabatur, sed ad testimonium famulabatur. nec ènim subiiciebat imperio, sed indicabat obsequio, &c. Chrysol. ser. 157. *Vidimus stellam eius*: & quid non eius? stella eius est, non ille stellæ. D. Maximus Homil. 4. de Epiph. Benè eius dicitur stella, quia quamuis omnes ab eodem creatæ stellæ, ipsius sunt: hæc tamẽ propriè Christi erat, quæ specialiter eius nuntiabat aduentum. Et cæteræ quidem factæ sunt stellę, vt mundi istius tempora cursusque distinguerent: hæc verò prodire iussa est, vt ipsum mũdi Dominũ, & regni cælestis adesse tẽpus ostenderet, &c. Sed cur per stellam duxit ad se Magos Dominus? rationem reddit Theophylact. Quoniam astrologi magi erant (ait) propterea Dominus familiari eos signo adduxit, sicut Petrum piscatorem, à multitudine piscium, ad nomen Christi venatus est, & stupescere fecit, &c. Et Chrysostomus Homil. 6. Per ea magos Dominus

Matth. 2. *D. Augustin. Cur dicatur stella eius.* *D. Chrysol.* *D. Maxim.* *Theophyl. Cur per stellã Magi vocati fuerint.* *D. Chrysost.*

vocat, quę familiaria eis consuetudo faciebat, ad hominum condescendēs salutē, &c. Prętereà, cōtulerat
Gen. 22. Dominus cum astris spiritales Abrahę filios: *Multiplicabo*, inquit, *semē tuum sicut stellas cæli*. Magos igitur astris
D. Leo. similes, vocauit astro. Vnde D. Leo ser. de Gentibus, ait, Abrahę innumerabilis fuerat promissa succession, non carnis semine, sed fidei fœcunditatate generanda: & ideò stellarum multitudini cōparata, vt ab omnium gentiū patre, non terrena, sed cælestis progenies speraretur. Ad creandā ergo promissam posteritatem hæredes insyderibus designati, ortu noui syderis excitantur: vt in quo cæli adhibitum fuerat testimonium, cæli famularetur obsequium. Latum nobis hæc stella aperiebat campum, in quo aduersus astrologiæ iudiciariæ vanitatē excurrere possemus; verum ad alia properamus.

CAPVT X.

Matth. 2.

Venimus cum muneribus adorare eum.

Haymo. VETVS cōsuetudo fuit, inquit Haymo Matt. 2. vt nullus intraret ad regem sine muneribus. *Regina Saba munera ad Salomonē attulit*; & Iacob filios in Ægyptū mittens; *Sumite*, inquit, *de optimis terræ fructibus, & deferte viro munera*. Primo Reg. *Filij Belial despexerunt eum*, hoc
1. Reg. 10. Regibus munera offerebantur. Seneca Eusebius. est Saulem regem; & *non attulerunt ei munera*. Seneca Epist. 17. Reges Parthos non potest quisquā salutare sine munere. Euseb. lib. 4. de vita Constant. c. 8. Inde factum est, vt frequentes vndique ex omnibus gentibus legati adessent, secumq; pretiosa dona ad Imperatorem afferrent: quę postquam accepisset Imperator, vicissim eos muneribus, donisque ornauit, &c.
Calius. Cælius l. 12. c. 16. Lectū, inquit, est, lege apud Persas esse sancitum, seruatum quoque pertinacissimè, vt quandocunque in Persas pergat Rex, pro facultate vnusquisq; cum muneribus, quæ honoraria dici valent aut aduentitia, salutatū eat, &c. Hinc illud, quod de Cyro iuniore fertur. Rusticus quidam videns ad Regem Cyrum varia deferri donaria, nec aliud habens, quod largiretur, vtraque caua manu hausta è flumine aquam, illi vultu alacri obtulit. Rex lætatus iussit illi dari phialam auream, ac daricos mille. Hūc morem seruauerūt Magi, ad Regem summū vocati, tāto digna rege munera, mysterioq; plena attulerūt.

Epiphan. Ea D. Epiphanius in compendiaria doctrina, scribit ab Abrahamo filiis, quos ex Cethura susceperat fuisse relicta, & à Magis Christo posteà oblata. Filiis Cethuræ, scribit Epiph. dona erant pecuniæ præsentes, aurum, & argentum, ac vestitus. Et in mysterio conclusit Abraham in peris thus, & myrrham, & aurum regum Sodomorum, & Gomorrhæ. Quando Chodorlahomor ac reliqui captiuitatem à Sodomis, & Gomorrhis, ac reliquis acceperunt, & equos deprædati sunt, & hominum multitudinem captiuam abduxerunt, & ab vnoquoque opulentiam pecuniarum & aliarum rerum multitudinem diripuerunt, quam reduxit Abraham tunc à cæde regū, & neque auertere ea quæ iam Deo distinata erant ausus fuit, sed dedit ipsam cum aliis dono filiis suis ex Cethura, velut in traditionibus Hebręorū reperimus. At verò in Christi aduentu, cum iidem filij Abraham ex Cethura electi essent ab Abrahā, & discessissent, & habitassent in partibus Arabicis Magodiæ regionis; Magi, qui ex successione seminum illorum descenderunt, eadem dona in participationē eiusdem spei, Christo in Bethlehem obtulerunt, quando stellam conspicati venerunt. Hæc ille.

Munera Magorum ab Abrahamo filiis relicta.

Matth. 2. AVDIENS *autem Herodes Rex turbatus est*. Præclaro atrium Magorum præconio, in metropoli ipsa regni, natiuitatē Messiæ Herodi, Iudæisq; omnibus, testatissimam Deus esse voluit. Attamē præconium omni lætitia dignū, non lætitia, sed perturbatio consecuta est. *Audiens Herodes turbatus est*, ait Euangelista, timebat enim ne à nato rege, vel ipse regno pellere-
Herodes timebat ne regnū amitteret. tur, vel filij successione priuarentur. Putabat, ait Hi-
Hilarius. larius Arelatensis, infelix, se regali solio detruden-
Arelat. dum, sed non est ita. Non ad hoc venerat Christus, vt alienam inuadere, gloriam, sed vt suam donaret; non vt regnum terrestre præriperet, sed vt cæleste conferret; non venerat ad dignitates rapiendas, sed ad iniurias perferēdas; non vt caput ad gemmatum diadema, sed ad spineam coronam præpararet; non vt super sceptra constitueretur magnificus, sed vt crucifigeretur illusus. Hæc Hilar. de Epiphan. Aug.
D. Augustin. ser. 26. de diuersis: Herodes timet successorem; Magi desiderāt Redemptorē, illi cupiunt inuenire regnū. metuit illi finiri regnū. D. Leo ser. 3. de Epiph. Con-
D. Leo. turbatur Herodes, timet saluti suæ, metuit potestati.
D. Greg. Gre. in hō. 10. Cęli Rege nato, rex terræ turbatus est, quia nimirū terrena altitudo cōfunditur, cùm celsitudo cælestis aperitur, &c. At cæcus Herodes celsitudinē Christi cælestem esse nō videbat, ideò timebat; regnū terrenū esse putabat, ideò terræ sue metuebat. Quemadmodum terræ viscera cōclusus aer, terram concutit, ita hominis viscera concluſa terra, id est terreni regni, terrenarumq; rerum amor, hominē perturbat. Ne time ô Herodes non eripit mortalia, qui regna dat cælestia. Rex iste (ait D. Fulgent.
D. Fulgent. ser. 2. Epiphan.) non venit reges pugnādo superare, sed moriendo mirabiliter subiugare. Nec ideò natus est, vt tibi succedat, sed vt in eum mundus fideliter credat. Nō capit Christū regia tua (ait D. Leo ser. 4.)
D. Leo. nec mūdi Dns potestatis tuæ sceptri est contētus angustiis. Quem in Iudæa regnare nō vis, vbiq; regnat, & felicius ipse regnares, si eius imperio subdereris.

Matth. 2. ET *omnis Ierosolyma eum illo*. Non Herodes solùm, verùm Iudæi etiam Ierosolymitani, ad quos de ortu Messię nuntius peruenit, turbati sunt. Etenim terrenum fore illius regnū, Dauidico, vel Salomonico simile arbitrabantur: nec duos Soles in eodem orbe fulgere, nec duos reges in eodem regno sceptrum tenere posse videbāt; Romanos, bellaq; metuebant. Turbatur (ait Card. Caietan.) Ierosolyma,
Cardin. Caiet. quæ lætari debuisset, timore forsitan Romanorum, vel applaudens regi Herodi. Sancti tamen humilesque viri, qualis Simeō erat, non sunt perturbati, sed summopere incundissimo audito Magorum præconio lætati. Oblectantur sani oculi luce, infirmi verò eadem perturbantur: Autor imperfecti homil. 2. in
Autor imp. Matt. Semper, ait, grādis potestas, maiori timori subiecta est, sicut cacumen arborū in excelso positarū, etiam si lenis aura flauerit, mouetur: sic & sublimes homines in culmine dignitatū existētes etiam leuis nūtij fama cōturbat, humiles autē sicut in conualle, plerumq; in trāquillitate constāt, &c. Euthym. per-
Euthym. turbationem Iudæorum tribuit inuidiæ; Excæcauit, inquit eos inuidia, audientes turbati sunt, quasi timentes ne forte salutē consequerētur. Item, Gloriæ Christi inuiderunt, nē forte magnus futurus esset. Hæc ille. Verùm inuidia si fortè principes, non tamen populum stimulare potuit.

Matth. 2. ET *congregans omnes principes sacerdotum, & scribas populi, sciscitabatur ab eis, vbi Christus nasceretur*. Theologicam quæstionē proposuerant sapientes Magi Iudæis de optatissimo Messia: *Vbi est, qui natus est Rex Iudæorum?*
Ibid. sacerdotes & scribę sacrę Scripturę periti, quos eā in rē Herodes cōuocauit, in oppido Bethlehē nasciturū, sapienter respōderunt, idq; Michæę vaticinio cōprobarūt, vt duplici testimonio, & stellæ, & Prophetæ, confirmati Magi ardētiori fide inflāmarētur. Per Iudæorū scribas (ait Leo ser. 4.) atq; doctores, quod
D. Leo. sacra de ortu Christi prænuntiauerat scriptura, Magi didicerunt, vt gemino testimonio cōfirmati, ardentiori fide expeterent, quem & stellæ claritas, & prophetiæ

Mich. 5. phetiæ manifeſtabat autoritas. Extat vaticinum prophetæ cap. 5. eſtque huiuſmodi: *Et tu Bethlehem Ephrata, paruulus es in millibus Iuda. Ex te mihi egredietur, qui ſit dominator in Iſrael. Et egreſſus eius ab initio à diebus æternitatis.*

Matth. 2. Scribæ apud Euãgeliſtam aliter hoc teſtimonium recitant hunc in modum; *Et tu Bethlehem terra Iuda, nequaquã minima es in principibus Iuda, ex te enim exiet dux, qui regat populum meum Iſrael.* Videntur cum Michæa pugnare; nam Michæas ait. *Et tu Bethlehem paruulus es in millibus Iuda,* illi verò aiunt; *Et tu Bethlehẽ nequaquam minima,* vel *paruula es, in principibus Iuda,* quæ cõtraria ſunt. Idcircò D. Hieron. in comment. Michææ, ſcribas lapſos arbitratur in recitando teſtimonio. Arbitror, inquit, Matthæum volẽtem arguere ſcribarum, & ſacerdotum, erga diuinæ ſcripturæ lectionũ negligentiam, ſic teſtimoniũ hoc poſuiſſe, vt ab eis dictũ eſt.

Mich. 5. D. Hieron.

Teſtimonium Michææ de loco natiuitatis Chriſti. Exiſtimari tamen poteſt, in recitando teſtimonio non eſſe lapſos ſcribas, ſed prophetæ mẽtem explicaſſe. Nam propheta ſignificare voluit Bethlehem, quamuis eſſet minima mœnibus ac populo, fore tamen maximam fama, quòd Meſſias ex illa eſſet proditurus. Id autẽ affirmarunt ſcribę, ſiue potius Euangeliſta, vt vult Abulẽſis. Michææ ſenſus hic eſt; Et tu Bethlehẽ, alio nomine Ephrata paruula es in millib. Iuda murorum ambitu, & incolarum multitudine: at nequaquã paruula es, ſed magna nominis ſplendore. Ex te enim mihi egredietur Meſſias, qui ſit dominator Iſrael. Hunc ſenſum expreſſit Matthæus, *Et tu Bethlehem,* inquit, *terra Iuda, nequaquã minima es in principibus Iuda; ex te enim exiet dux, qui regat populum meum Iſrael.* Senſum reſpexit Spiritus ſanctus, dè verbis noluit eſſe nimiùm ſolicitus.

Abulenſis. Matth. 2.

Tertio modo facilè nodus hic diſſoluetur, ſi verba illa, à Michæa per interrogationem prolata dicamus, quæ negationem includat, hoc pacto; *Et tu Bethlehem Ephrata, paruula es in millibus Iuda?* cum nota interrogationis, quaſi dicat; Nequaquam; Reddit cauſam, cur nequaquã minima ſit; *Ex te mihi egredietur, qui ſit dominator in Iſrael,* id eſt, Chriſtus.

Mich. 5.

Origenes. Quartus diſſoluendi modus, quem Oſiander, & nonnulli alij afferunt, non placet. Aiunt genus maſculinũ hoc loco Michææ, pro neutro ſumi Hebræo more, hunc in modum; *Et tu Bethlehem, Ephrata, paruulus es in principibus Iuda;* Hebraice, Sair, genere in maſculino, hoc eſt, parum, vel minimum eſt, vt ſis in principibus Iuda, &c. Quod idem eſt, ac ſi dicat, nequaquam minima es in principibus Iuda, cui enim parũ eſt, vt inter principes numeretur, nequaquam minimus eſt inter illos. At nec ſeptuaginta, nec alij interpretes hoc commentum ſecuti ſunt, neque nos ſequimur. Cur autem apud Matthæum legamus, *Paruulus es in millibus Iuda,* apud Matth. verò *in principibus Iuda,* ratio eſt, quoniam vox Hebræa, Alphe, & millia ſignificat, & principes. Senſus eſt; nequaquam minimaes in principibus, id eſt, inter principes, & in millibus, id eſt, inter millia Iuda. Loquitur de oppido quaſi de viro vel adoleſcentulo, qui in tanta tribus Iuda multitudine, & inter eius principes, paruulus; in aduentu Chriſti gloria ſumma illuſtrandus eſſet.

Meſſiæ diuinitas. Iam verò quod ſequitur apud Michæam, Meſſiæ diuinitatem indicat. *Et greſſus eius,* Hebraicè & Græcè numerus eſt multitudinis, *egreſſiones eius, ab initio, à diebus æternitatis.* Quaſi dicat, Homo erit Meſſias, ſiquidẽ in Bethlehem ſecundum carnem naſcetur; Deus ſimul erit, Dei filius, à Patre genitus ab initio, & ante ſæcula, & à diebus æternitatis egreſſiones eius, à Patre æterno æternæ. Numero autem vtitur multitudinis, cum vna tãtùm ſit generatio, & egreſſus, quia eſt perpetua atque æterna. Lege Euſeb. l. 7. de demonſt. euangelica, & Chryſoſt. in lib. Quòd Chriſtus ſit Deus. Humanitatem (inquit Chryſoſtomus) & diuinitatem Chriſti oſtendit vates, nam dum dicit; *Egreſſus eius ab initio, & à diebus* ſæculi, ſiue *æternitatis,* ſubſtantiam declarauit, quæ ante ſæcula fuit, cùm autem dicit: *Egredietur dux qui regat populum meum Iſrael;* natiuitatem ſecundùm carnem docet.

Euſebius. D. Chryſoſt.

A

TVNC *Herodes clam vocatis Magis diligenter didicit ab eis tempus ſtellæ, &c.* Herodes vulpino aſtu necem Meſſiæ machinari cœpit, Natiuitatis locum à ſacerdotibus, & ſcribis didicerat, tempus quoque à Magis ex ſtella agnoſcere voluit. Clam illos vocauit, clam ſermonem habuit, quo tempore ſtellam in Oriente vidiſſent, diligẽter inquiſiuit, clam vero ſermonem habuit, vt Chryſoſt. vult hom. 7. quoniã Iudæos opinabatur, pro pueri ſalute ſolicitos, nec in tãtum furoris erumpere, vt ſeruatorem ſuum vellent tradere manibus perſequẽtis. Idẽ docet Theoph. & Euthym. Stellæ vero tempus diligenter didicit, vt ait Haymo, quia timebat, ne Magi non reuerterentur, ex ſtella autem expiſcari poterat Meſſiæ ætatem, vt illum excideret, tũc enim natum putabat cum ſtella eſt nata. Poſt hæc in Bethlehẽ hoſpites cum honore dimiſit, vtque ad ſe redirent precatus: *Ite,* inquit, *& interrogate diligenter de puero,* non de rege Iudæorum, non enim capiebat os Herodis alterius regis nomen. Quẽ Magi Iudæorum regem appellauerant, eum ille puerũ nominabat. Addit; *Et cùm inueneritis renuntiate mihi, vt & ego veniens adorem eum.* Mentitur verſipellis pietatem, occidere volebat, non adorare. *Vulpi eſurienti* (vt eſt in prouerbio) *ſomnus obrepit,* vulpes vrgente fame ſomnum ſimulat, vt allectas aues venetur ac deuoret; Herodes vrgente regni cupiditate, adorationẽ ſimulat, vt Chriſtum comprehẽdat ac occidat. Chryſoſt. hom. 7. Tempus, inquit, inquirit Herodes, non pueri, ſed ſtellæ, & crudeliſſimæ venationis auidus, multo cùm ambitu tendit inſidias, & Chryſol. ſer. 158. Contumax ſeruus Domino naſcẽti parat laqueos, nõ honorem, mortẽ præparat, vt careat ſeruitute, &c. Perſonã paulò pòſt depoſuit, & innocẽtes pueros interemit. Vnde D. Fulgent. Sãguis, ait, Innocẽt. quẽ cruDeliter effudiſti, atteſtatur quid de hoc puero voluiſti.

Matth. 2. Simulatio Herodis. D. Chryſoſt. D. Chryſol. Fulgentius.

B

C

D

Nos verò ne Herodis imitatores ſimus, cùm ad tremẽda Euchariſtiæ myſteria accedimus, Chryſoſt. admonet, hom. 7. in Matth. his verbis, Caue ne Herodi efficiaris ſimilis, & dicas; *vt ego veniens adoram eum.* Cum q; veneris, interimere coneris. Huius enim ſimiles ſunt, qui indigne abutũtur communione myſterij. *Reus eſt enim* (ait Paulus) *iſte corporis, & ſanguinis Domini.* Timeamus igitur ne quando ſpeciem ſupplicum atque adorantium geramus, opere verò exiſtamus inimici? Hæc ille.

D. Chryſoſt. 1. Cor. 11.

E

ECCE *ſtella, quam viderant in Oriente, antecedebat eos, &c.* Duplex de ſtella eſt opinio; Nonnulli arbitrantur in Oriente ſemel, iterum poſt diſceſſum ab Herode, Magis apparuiſſe. Alij exiſtimãt toto itinere facis inſtar præluxiſſe, prope Ieroſolymã verò, vt in vrbe regia Meſſiæ natiuitas vulgaretur, ſeſe occultaſſe. Ex hoc oſtenditur loco (ait Autor imperfecti) quia cum aliquãtulũ ſtella duxiſſet Magos, prope Ieruſalem abſcondita eſt ab eis, vt relicti ab ſtella cogerentur in Hieruſalem interrogare dè Chriſto, ſimul & manifeſtare de illo, &c. Et Chryſoſt. hom. 7. Propterea aliquãdiu fuerat abſcõdita ſtella, vt amittentes ſubitò itineris ducem interrogare Iudæos de puero cogerẽtur, remq; in nititiã omniũ publicarẽt. Sed de his iam ſuprà diximus. An toto præluxerit itinere incertũ eſt, hoc certum, ab vrbe Hieruſalem digreſsis Magis viſam quæſtioni quã Iudæis propoſuerãt, reſpõſum dediſſe certiſsimũ. Quæſierãt illi; *Vbi eſt, qui natus eſt Rex Iudæorũ?* ſtella in ipſum præſepe deſcẽdens, radiisq; humilẽ ſpeluncã illuſtrãs ac demonſtrãs, reſpõdit; Hic eſt, *qui natus eſt Rex Iudæorum.*

Matth. 2. Autor Imp. D. Chryſoſt.

ERR *intrantes domum.* Nati Regis optatum locũ, aſtro indicãte, incredibili gaudio agnouere Magi. Fueritne is locus præſepe & ſpelũca, de qua ſuprà locuti ſumus, dubium eſt. Etenim Matth. domum appellat;

Matth. 2.

An Magi adorauerint Christū in præsapio, an in domo aliqua? D. Epiphan.

Iræn. inquit, domū: domus autē non dicitur spelūca. D. Epiphan. hæres. 51. nō in prę sepi, & spelūca, sed in alia domo repertū putat à Magis Christū. Nā (vt ille arbitratur) Virgo Deipara post beatum partum, ex Bethlehem abiit Nazarethā, anno deinde secūdo ab ortu Christi, cùm infante in Bethlehem rediit, tunc verò non in spelunca, sed in domo alia à Magis adoratus est Christus. Idē sentit Theophyl. Matth. 2. his verbis; multa concurrēte multitudine, vt cēseretur, non habebant ad tēpus domum, sed in spelunca natus est Christus; deinde inuenta domo, visus est ibi à Magis Dominus. Sequitur hāc opinionem Ianſ. c. 8. Concordiæ. Quòd, inquit, nō erat eis locus in diuersorio, magis videtur fuisse propter multitudinē hospitum, tunc occasione descriptionis aduentantium, posteà Magi inuenerūt puerū cum matre in domo, &c. Cardin. Caietanus dubitat. Incertum, ait, est an Matth. præsepium appellet domum, an fortè cessauerit hospitum multitudo, in illa domo diuersoria, & sic Virgo ex præsepio hospitata fuerit in domo diuersoria, in qua non fuerat illi locus, cum peperit.

Theophyl. *Ianſenius* *Caietan.*

Chrysost.

Nolo à recepta sententia discedere. Ea est, in ipsa spelunca, in qua est natus, adoratū à Magis Christū. Hoc sentit Chrys. hom. 6. in Matth. & hom. 8. Nihil, inquit, ibi cōspicitur grande, de sensibilibus istis, sed

Autor. Imp.

angustū tugurium, ac vile præsepium. Autor imperfecti hom. 2. Magis viderūt puerum positum in præsepio, &c. D. Gregor. Nyss. in Orat. de Christi natiuit. Magi stellā nouerunt, & Regem in spelunca latentem non ignorauerūt. Aug. ser. 1. de Epiph. Magi Christum positum in præsepio vident. Rabanus l. 2. de institut. clericorum c. 32. Magi in præsepi iacentem adorauerūt. Idem opinatur D. Thom. in Matth. Euthym. D. Bern. ser. 2. de Epiph. Habet Glossa interlin. Magister historię, & alij. Testes etiam sunt Ecclesiæ picturæ, Ecclesia quoque id canit in antiphonā Epiph. Hodie, inquit, stella Magos dixit ad præsepiū. Etenim Virgo, vsque ad purificationem, in spelunca illa videtur habitasse, in qua Dei filium peperit. Videlicet, nouerat omnibus regum palatiis, locum illum longè præcellere, quem natiuitate sua Deus decorasset. Quod autem oppositum, Matthæum domum appellare locum, in quo prostrati solo Magi Deum venerati sunt, nihil obstat; stabulum enim illud, in quo præsepe erat, domum appellauit, quid mirum? Herodij domū Psal. 103. Scriptura appellat.

D. Gregor. Nyſſenus. *D. Auguſt.* *Rabanus.* *D. Thom.* *Euthymius.* *D. Bernard.* *Gloſſa interlin.* *Pſalm. 103.*

Matth. 2.

INVENERVNT *puerum cum Maria matre eius.* O felicissimam inuētionem. Felix ille dicitur qui opulentum thesaurū inuenit. quis thesaurus Christo, & Virgine opulentior? Nostri Lusitani noua sequentes astra, Oriētalis Iudiæ ditissima regna repererunt, ex quibus Lusitania locupletatur. Tres Magi nouo ducti sydere, ipsum, quem quærebāt, Iudæorum orbisque totius regem opulentissimū, illiusq; locupletissimā matrem inuenerunt, ex quibus terrarum vniuersus orbis cælestes opes cōparauit. *Inuenerunt puerum, cum Maria matre eius.* Non noui orbis est hæc inuentio auro referti, sed nouę matris, nouiq; filij cęlestibus diuitiis refertissimi. Noua mater est, mater & virgo, nouus filius est, Deus & homo, omnium diuitiarū pelagus infinitū. Latet absconditus thesaurus in humili sæpe loco, latebat cęlestis thesaurus in humili spelūca: indicio tamen cęli, cui non erat abscōditus, inuenitur.

Theſaurum Magi inuenerunt opulentiſſimū.

Matth. 2. Apocalyp. 4.

PROCIDENTES *adorauerunt eum.* Coram Dei throno, viginti quatuor seniores procidunt, coronasque abiiciunt *Procidebant*, inquit, *viginti quatuor seniores ante sedentem in throno, & adorabant viuentem in sæcula sæculorum, & mittebāt coronas suas ante thronum.* At hic tres Reges procidunt, coronasq; demittunt, non ante sublimem thronū, sed ante præsepe, in stabulo. ô quàm oculata est fides, quàm lynceos habet oculos, non in throno solum, sed in stabulo etiam Deum agnoscit. Regem Iudęorū Magi quęrebāt. nihil regium oculis corporeis ocurrit, humilem spelunca, præsepium, paleas cernunt, quem tamen in tanta paupertate vident, regē esse credunt. Videlicet, alios perspicaciores intus fidei oculos habebāt, quibus in paupere tugurio, in pannis, in paruo corpusculo, regiam diuinamq; maiestatem veluti lucem intra laternam, aut veluti Solē intra nubē latentē, conspexerūt. Videte (ait Bern. ser. 2.) quàm oculata sit fides, quā lynceos oculos habeat diligētiùs cōsiderate, cognoscit Dei filium lactentem, cognoscit in ligno pendētem, cognoscit moriētem; siquidem latro in patibulo, Magi in stabulo, cognoscūt, ille clauis infixum, isti pannis inuolutum. Vide (ait Theoph.) animę illustrationem, pauperem videbant, & adorabāt, multis enim argumentis didicerant, quòd esset Deus, ideò & ei offerunt munera, vt Deo & vt homini. Simon Cassianus lib. 1. cap. 15. Magi crediderunt omnia esse diuina, vbi per omnia, humana defuerant, &c.

D. Bernard. *Theophyl.* *Caſſianus.*

Externis quidem Magorū oculis externa apparebat stella, internis interna alia, videlicet diuina fidei lux, affulgebat, quæ in stabulo natū Regem Deumq; diuinitus indicabat. Vt enim ait idem Cassian. Bonus Dūs in melioribus nō defuit. Nam sicut præstitit verum signū, sic verā fidē infudit animo erga signatū.

Terrenum regem quærunt Iudæi, ideoque coram Christo in paupertate nato, minimè procidūt; stellæ carent luce, in tenebris degunt, Magi non terrenum regem, sed cælestem, non opibus circūfluentem, sed in paupere tugurio natum, repererunt, coram hoc stella fidei duce prociderunt. Qui fidei stella caret terrenas opes in Messia requirit, qui stellā sequitur, pauperem crucifixumq; Messiam, omnibus mundi regibus præcellere intelligit, diuinūq; illi honorem (nempe Deo) tribuit. O vtinam Iudæis stella fulgeat, quæ ad Messiæ præsepe, id est, humilitatē, quam non intelligūt, illos ducat. Sine stella ad præsepe nō peruenitur, sine fide Messiæ paupertas non intelligitur.

Matth. 2. Beda.

APERTIS *thesauris suis, obtulerunt ei munera: aurum, thus, & myrrham.* Beda in Collectaneis scribit Melchiorem aurum, Casparem thus, Baltasarem verò myrrham obtulisse. Sed aliorum est sententia verisimilior, à singulis tria simul dona, aurū, thus, & myrrham esse oblata. Quæritur (ait D. Anselmus Matth. 2.) an singuli Magi singula munera, an vnusquisque tria obtulerit? sed magis fatendum est, quod congruit mysterio, scilicet, quid singuli tria, vnusquisq; enim regem, & Deum, & passibilem eum credebat. Eadē opinio est Magistri historiæ, Glossæ ord. Lyran. Carth. & Abul. q. 46. Probatur, quoniā etsi aurū solū principis viri donū esse possit, sola myrrha, aut solum thus non est diuite homine dignū munus, oportuit ergo myrrham & thus illustrare auro. Vnde D. Bona. in li. de vita Christi c. 9. Quilibet obtulit dona tria, in maxima quātitate, præcipuè de auro, &c.

An ſinguli, ſingula dona obtulerint. D. Anſelm. *Magiſter hiſtoriæ. Gloſſa ord. Carthuſ. Abulenſis.* *D. Bonauēt.*

Inest his donis sua mystica, occultaq; significatio, quā antiquus poëta Iuuēcus vno versiculo breuiter complexus est, qui D. Hieron. Matth. 2. magnopere placuit. Munerū sacramēta, ait Hieron. pulcherrimè Iuuencus presbyter, vno versiculo comprehendit.

Iuuencus. D. Hieron.

Thus, aurum, myrrham; Regiq; hominique Deoque
Dona ferunt. *Iuuencus.*

Significabat ex sententia Iuuenci, & Hieronymi, regium aurum, regiam infantis dignitatē; thus, quod adoleri Deo solet, diuinitatem; myrrha, qua corpora animo carentia condiuntur, mortalem humanitatem. Idem opinatur D. Leo ser. 1. de Epiph. Thus ait, Deo, myrrham homini, aurum offerunt regi, scienter diuinam, humanamque naturam, in vnitate venerantes, quod cordibus credunt, muneribus protestantur. Theophylactus; Aurum obtulerunt vt regi, aurum enim subditi regibus pendunt; thus autem vt Deo, enim thus adolemus Deo, myrrham verò, vt degustaturo mortē. nam Iudæi, cū myrrha mortuos sepe-

D. Leo. Magorum munera quid indicent. Theophyl.

sepeliunt, vt corpus maneat incorruptum, myrrha enim cum ficca sit, arefacit, & resiccat humiditatem, non sinit innasci vermes, &c. Eodem modo D. Ambrosius Luc. 2. Chrysolog. ser. 160. Bernardus ser. 2. Hilarius & alij.

D. Chrysol. D. Bernard. Hilarius. D. Ambros.

D. Ambrosius, myrrha significatam vult corporis Christi in sepulchro iacentis incorruptionem. Aurum, inquit, regis est insigne, thus diuinæ sacramentũ potestatis, myrrha honor sepulturæ est, quæ non corrũpat corpus mortui, sed reseruet. Cyprianus de Magis, thure sacerdotiũ Christi adumbratũ scribit; in auro, ait, regem, in thure sacerdotem, in myrrha incorruptibilem, quamuis passibilem confitentur, &c. Idem habes, in hoc responsorio Ecclesiastico Epiphaniæ; Tria sunt munera pretiosa, quæ obtulerunt Magi Domino, & habent in se diuina mysteria; In auro, vt ostendatur regis potentia, in thure sacerdotem magnum considera, & in myrrha dominicam sepulturam. D. Maxim. hom. 3. auro redemptionem, thure Christianam religionem, myrrha resurrectionem indicari putat. Eius hęc sunt verba. Auro ostenditur captiuitatis nostræ pretiosa redẽptio, in thure autem, & dæmoniorum superstitio cessatura, & futurus veræ religionis cursus aperitur, in myrrha qua exanima solet corpora cõseruari, præfiguratur carnis nostræ reparatio, & resurrectio mortuorum, &c.

Cyprianus.

D. Maxim.

RESPONSO *accepto in somnis*. Elusit Deus hiantem coruum Herodem. Magos admonuit in somnis, ne ad machinatorem necis reuerterentur, sed alia via in patriam repedarent. Hieronymus in Matthæum, à Deo monitos existimat. Responsum, inquit, Magi accipiunt, responsum autem (quod Græce dicitur χρηματισθέντες) non per Angelum fit, sed per ipsum Dominum. Glossa item ordinaria: Hæc responsio non fit per Angelum, sed per ipsum Deum. Haymo; Non, vt quidam putant, ab Angelo sunt moniti Magi in somnis, sed ab ipso Domino, ne redirẽt ad Herodem, quia indignum erat, vt Christi fierẽt proditores, qui eius fuerãt adoratores; Druthmarus; sicut solent reges terreni legationibus responsa reddere, similiter fecit Dominus Regibus, qui ad se adorandum venerant, ipse per se reddidit responsum, etiam in somnis, &c.

Matth. 2.

D. Hieron.

Glossa ord. An acceperint Magi responsum ab Angelo?

Druthmar.

Monitos per Angelum Magos, fortè est verisimilius, vt Abulensis, Lyranus, Simon Cassianus opinantur. Idem habetur apud Simeonem Metaphrastem in vita Theodosij primo tomo Surij, mense Ianuario; solet enim Deus per Angelos homines monere, vt Iosephum, & alios.

Abulensis. Lyranus. Cassianus. Simeon Metaphrastes

In vita illa Theodosij leges Magos cum patriam peterent, nocturno tempore in speluncam se recepisse. Etenim reditum suum Herodi occultũ esse cupiebãt. Præterea cùm Christũ in spelunca natũ conspexissent, speculam palatiis anteponere didicerãt.

Magi in spelunca nocturno tempore se receperunt.

CAPVT XI.

Morale.

AN *Iudæorum Deus tantùm* (ait Apostolus) *nonne & gentium? Imò & gentium*. Quia ergo Iudæorum, & gentiũ Deus est, Iudæos ad præsepe vocauit, & gentes. Ex Iudæis vocauit pastores, quoniam ex Iudæis præcipuos, primosque pastores Ecclesia habuit, Petrum Pontificem summum, Paulum, Apostolosque reliquos; ex gentibus vocauit Magos reges, quia ex gẽtibus multi reges, multi principes, multi viri illustrissimi, ac sapientissimi Christo nomina dedere. Pastores ex propinquis pascuis adduxit, quia Iudęi Deo propter fidem & legem propinquiores erãt: Magos ex longinquis locis, quia gentes idolorum cultrices, longè à Deo distabant. Vnde Augustin. ser. 2. Manifestatus est Christus iis qui propè, & iis qui longè erant, Iudæis, in pastorum propinquitate, gentibus, in Magorum longinquitate. Pastores, primùm vocauit, postea Magos; Iudæis enim primùm, gẽtibus postea Euangelium erat nuntiandum. *Virtus*, id est, fortitudo Dei, *est Euangelium*, ait Paulus, *in salutem omni credenti, Iudæo primùm, & Græco*. Et *Vobis*, id est, Iudæis, *oportebat primùm loqui verbum Dei, sed quoniam repellitis illud, & indignos vos iudicatis æternæ vitæ, ecce conuertimur ad gentes*, &c. Mirabile signum rem hanc adumbrãs exhibuit Deus Gedeoni. Primò vellus solum rore maduit, terra nihil roris excepit, deinde verò versa vice, terram ros perfudit, vellus est exsiccatum. Eundem in modum Iudaicus populus primùm velleris instar Euangelij rorem ebibit, postea verò arida gentium terras diuino imbre est recreata.

Ad Rom. 1. Act. 13.

Iudicum 6.

Vellus Gedeonicũ, id est Iudaicus populus, prior calestem ebibit Euangelij rorem postea terra, id est, gentium multitudo pluuiam diuinam excepit D. Augustin. Osea 9.

Fuerunt (vt Augustinus ait serm. 2. de Epiphania) Magi gentium primitiæ, & dulces quidem primitiæ, quibus illud Oseæ congruit; *Quasi vuas in deserto inueni Israel, quasi prima poma ficulneæ in cacumine eius, vidi patres eorum*. Etenim in deserto id est, inter Ethnicos idolorum cultores, tres illos Magos gentium patres ac primitias, reperit Christus, veluti dulces botros, dulcesque & præcoces ficus. Primitias verò alij secuti sunt fructus, ex gentibus, vberrimi.

Magi primitiæ gentium.

Iudææ hortus legis scriptæ sepimento conclusus fonteq; scripturarum signato sigillo Dei irrigatus, poma quidem produxit eximiæ dulcedinis, quæ cætera superant omnia, Virginem Deiparam, Apostolos, primitiuæque Ecclesiæ omni virtute florentes Christianos. At exaruit postea, spinas pro pomis protulit, ideoque diruto sepimento euersus est, gentium verò solitudo in amæniissimum conuersa paradisum floruit, fructusque suauissimos Deo produxit, iuxta illud. *Lætabitur deserta, & inuia, & exultabit solitudo, & florebit quasi lilium. Germinans germinabit, & exultabit lætabunda, & laudans: gloria Libani data est ei, decor Carmeli, & Saron. Ipsi videbunt gloriam Domini, & decorem Dei nostri*. Erant olim gentes solitudini inuiæ & infructuosæ similes; hæc post Christum solitudo exultauit, hæc, germinauit, hęc virtutibus veluti liliis candidissimis floruit. Huic data est Libani, Carmeli, & Saron, id est, Iudææ gloria, & decor. Gloria enim Iudææ Messias gẽtibus datus est, decor Iudææ Scriptura diuina, gentibus est tradita, titulus celebertimus populi Dei, in gentes est translatus.

Isaiæ 35.

Synagoge gloria trãslata in Ecclesiam.

Præclaræ huius gloriæ possessionem, primitiæ ac progenitores gentium, (vt Chrysostomus appellat homilia septima) Magi adierunt; ipsi, genteque post ipsos, *viderunt gloriam Domini* (vt ait Isaias) *& decorem* Messiæ *Dei nostri*, quem Iudæi excæcati videre noluerunt. Tres sunt orbis partes, Europa, Asia, Africa; hæ (vt ait Rupertus) trium regum præcellentem fidem secutæ, Dei Messiæ gloriam & decorem in ipsis paleis, in præsepio, in spelunca cognouerunt. Rupertus Matthæi secundo, Tres, inquit, Magi, tribus partibus orbis, Europæ, Asiæ, atque Africæ, fidei, vel confessionis, atque adorationis exemplar, existere meruerunt.

D. Chrysost.

Tres partes orbis, tres Magi. Rupertus.

Ad osculandum adorãdumque Regem summum inuitat Vates. *Et nunc reges intelligite, erudimini qui iudicatis terram: seruite Domino in timore, & exultate ei cum tremore. Apprehendite disciplinam*. Hebraicè legitur, נשקו בר nasequu, bar. D. Hieronymus, vt constat ex libro primo Apologiæ aduersus Russinum translatum, *adorate filium*, fatetur tamen verbum, nasequu, significare Deosculamini: quocircà Pagninus, & alij, verterunt, *deosculamini filium*. Hoc est, adorate Regem vestrum, ô Reges: Regum enim Rex est, eumque veneratiõnis gratia deosculamini. Hoc primi præstitere ex gentibus & regibus Magi, regem fide admirabili adorarunt, amoreque summo deosculati, perpetuæ illius seruituti se manciparunt, illorum

Psalm. 2.

D. Hieron.

Magi filium deosculati sunt.

Pagninus.

Ad Rom 3. Deus Iudæos vocauit primũ, postea gẽt.

D. Augustin.

rum vestigia gentes totò orbe secutæ eundē adorant regem, deosculantur, diuinisque honoribus colunt.

2. Reg. 23. Optimo iure, *in albo virorum fortium Dauidis, tres illi viri numerantur, qui ad Dauidem in speluncam Odollam venerunt, quique Philistinorum irrumpentes castra, quam summopere desiderabat, ex cisterna Bethlehem, aquā hauserunt.* Numerentur illi in albo fortium Dauidis; nostri verò Magi in albo fortium Christi numerantur: illi ad Dauidem in speluncam Odollam, hi ad Christum in speluncam Bethlehemitam venerunt: illi castra Philisthinorum, hi castra idolorum, dæmonum, ac vitiorum irruperunt: illi aquam de cisterna Bethlehem, hi gratiam è perenni omnium bonorū fonte in Berhlehem scaturiente hauserunt.

Tres fortes Dauidis. Magi.

Isaiæ 38. Signum stupendum Ezechiæ præbuit Deus; *Solem decem gradibus egit retro.* Hanc Solis retrogressionem, astrologiæ periti Babylonij obseruarunt, cumque Ezechię causa factam audijssent, Babyloniorum Rex ad illum legatos cum muneribus misit, vt leges secundo Paralipom. & quarto Regum. Signum præbuit Deus, Ezechiæ sanitatem indicans, Solis retrogressionem: signum præbuit orbis salutem ostendens, splendidissimū in aëre astrum. Solem retrogressum obseruarunt Babylonij, astrum coruscans obseruarunt Magi. Solis retrogressio Babylonios legatos, ad Ezechiam mirabiliter sanatum, cum muneribus adduxit; stupendum astrum Magos ad Christum mirabiliter natum, cum donis vocauit. Ezechiā Babylonij amplo in palatio, ætate integra præditum, Regijs vestibus amictum, opibus abundantem, nobilibus viris stipatum, Israëliticoque populo dominantem repererunt: Christum Magi in stabulo infantē, pannis inuolutum, pauperē, absq; vllo nobiliū virorum comitatu, absque corona, absq; sceptro inuenerunt.

2. Paral. 32. 4. Reg. 20.

Babylonij legati venerunt ad Ezechiam. Magi ad Christum.

4. Reg. 26. Ezechias opes suas Babyloniis ostentauit, *Ostendit eis domum aromatum, & aurum, & argentum, & pigmenta varia, vnguenta quoque & domum vasorum suorum, & omnia, quæ habere poterat in thesauris suis.* Christus paupertatem palcas, præsepium, stabulum Magis demonstrauit, nullas enim aromatum domos, pigmenta, aut vnguenta nulla, thesauros auro, gemmisque plenos nullos habebat. Nihilominus in externa illa paupertate, in pannis illis, & infantili ætate, magnas Magi opes, Ezechiæ opibus multò maiores; diuinum regnum, Ezechię regno multo nobilius, sceptrum multò præclarius, coronam multò fulgentiorem conspicati sunt. Sceptrum, inquam, coronam, regnum, non ex hoc mundo.

Ezechias opes ostentauit, Christus paupertatē

Ioan. 18. *Regnum meum*, dixit Pilato Dominus, *non est de hoc mundo.* Neque Rex, neque Regis adoratores Magi erant ex hoc mundo, hoc est, ex huius mundi cæcitate, & vanitate. Ideoq; quamuis, quæ regnum ex hoc mundo habet, hoc est, thesauros, aurum, argentum, gemmas, purpuram, diadema, opes, nobilem comitatum, non cernerent, procidentes adorauerunt eum. *Omnis gloria Regis* nostri *ab intus* tunc erat; ea verò tanta, vt omnium regum omniumque monarchiarum gloriæ, splēdore suo tenebras offunderet. Non adoratur Herodes, non adorantur à magis cæteri orbis reges opibus affluentes, pauper adoratur in turgurio Christus. Cur ita? quia cæteri reges erāt ex hoc mūdo, terrenis diuitijs locupletati, terreno honore inclyti. Christus autē Rex erat ex alio mundo, ideſt, cælesti, id quod cęlestis stella indicauit. Cū tam multi reges Iudæorum (ait Aug. serm. 2.) iam nati atque defuncti essent, numquid quemquam eorum adorandum Magi quæfierūt? Non, quia nec quemquam eorum cælo loquente dedicerunt.

Regnū Christi, & Magi adoratores regis, non erant ex hoc mundo.

D. Augusti.

Nemo Regem Christum, nisi cælo loquēte discit. *Deus enim est absconditus.* E cælo Magis stella affulsit, è cælo quoque gentibus stella affulget, quæ cælestem hunc regem indicat, hoc est, fides. Fides stella est fulgentissima, quæ intellectui veluti cælo infixa, ad Christū homines dirigit. Columna est illa nubis, quę spiritales Israelitas per orbis solitudinem præit, lingua est cælorum. Si enim Aug. ser. 2. & 3. de Epiphania, stellam Magorum, vocauit linguam cælorum; cur nos fidei stellam eodem nomine nō afficiemus? Lingua profecto cœlorum fides est, nam cælestia diuinaque eloquitur. D. Maxim. eandem Magorū stellam, orbis oculum appellauit, serm. 1. Stella, inquit, illa velut quidam caligantis orbis oculus, mundi veterem nouauit aspectum. Præclaræ stellæ fidei, hæc verba conueniunt. Fides quidam est caligantis orbis oculus, qui cælestem cęcis hominibus aspectū affert; tolle hunc ex orbe oculum, planè cæcus erit: tolle hanc è mundo stellam, nemo ad Christum veniet.

Isaiæ 45. Stella fides ad Christū ducens.

D. Maxim.

Nec Solis, nec Lunæ, nec stellarum omnium, quæ in cælo fulgēt splendor, Magis Christū indicare potuit, noua illos stella, ad præsepe absconditum duxit, tandemque munere suo functa euanuit. Similem in modum, nec intellectus, nec scientiarum omnium quotquotin intellectu sunt fulgor, absq; fide, Christū hominibus demonstrare potest: fidei stella, quasi intento digito indicat. Postquam verò nos ad cælestę regnum ducit, extinguitur. In itinere stella fidei opus est; vbi primum Deus non in præsepio, sed in cælo cernitur, aperta succedente visione disparet. *Videmus nunc*, ait Paulus, *per speculū, in ænigmate, tunc autem facie ad faciem.* Fides speculum est admirādum, in quo non præsentia solùm, verùm præterita etiā, ac futura, intuemur. Quamobrem à D. Bernardo ser. 6. in vigilia natiuitatis, exemplar æternitatis appellatur. Quemadmodum enim æternitas, ita Fides omne tēpus cōplectitur. Fides (ait Bern.) veluti quoddā æternitatis exemplar, præterita simul, & præsentia, ac futura sinu suo vastissimo comprehendit. Diuinū hoc speculum præteritam mundi creationem, Verbi incarnationē, miracula, crucē, præsentem Deum, præsentia sacramēta, futura beatorum hominū præmia, impiorum æterna supplicia, alia prętereà multa ante mētis oculos proponit. Videmus hęc nūc per speculū, videmus in ænigmate, obscura quidē sed certissima cognitione. In patriam verò cum peruenerimus cælestē, frangetur speculū, dissoluetur ænigma, fidei obscuritas abscedet, cognitio succedet clarissima.

2. Cor. 13. *Fides speculum præterita, præsentia, futuraque ante oculos proponens.*

Frangetur in egressu patriæ fidei speculū, in itinere verò ne frangatur, maximè est cauendū. In patria opus nō est, in itinere ita opus est, vt fine eo progredi nullo modo possis. Caue ne stella fidei dispareat, eaq; distitutus crassissimis errorū tenebris inuoluaris. Heu, multis Anglis, multis Germanis, multis Gallis fidei stella disparuit, æternumq; nuntians interitū tartareus hęreseos cometa apparuit. Heu, quantis iactātur in vasto æquore procellis, stella disparente, neque dirigēte cursum. Heu quot homines profundo absorbentur pelago! fidei salutaris stella occidit, pestifer hæreseos cometa miseros occidit. Precamur Deus bone, vt quemadmodū, quæ disparuerat Magis stella, iterum apparuit, ita quæ Aquilonari in regione fides multis disparuit, appareat rursus. Fidei prodigus populus, qui substantiam suam cum meretricibus, hoc est, hęresibus dissipat, domū repetat tuam Romanā Ecclesiam, à qua discessit. O me felicem, ô me beatum, si fidei sydus in Aquilone illis exortum videro, quibus occidit. *Videntes stellam Magi gauisi sunt gaudio magno valde:* sic nos si fidei videamus astrum, rursus in Anglia, septentrioneque fulgere, gaudebimus gaudio magno valde. Annue votis omnipotens pater.

Cauene fidei speculum frangatur.

Non est autem vitreū fidei speculum, sed æneum, non fragile, sed forte adeò, vt omnibus bellicis tormētis percussum, robusto in pectore frangi nequeat. Martyrum fidem intueamur, quid illa fortius? flammas, gladios, ferarum immanitatem, tortorū crudelitatem, cruciatus omnes, minimè fracta superat. Attamen

Non est vitreum fidei speculum.

tamen etsi forte sit, à peccatis semper inficitur, atq; obscuratur, ab hæresi verò omnino frangitur. Caue ne frangatur, neve obscuretur, sed ante oculos semper pendens, Christum pro te suffixum cruci, æterna impijs parata supplicia, æternam probis destinatam gloriam semper demonstret. Vt speculum intuës in eoque defixa fœmina, comit se & exornat, sic anima fidei speculum semper intueatur, in eoq; defixa, comat se, diuinisq; ornamentis Deo vt placeat decoret. Sequere cum Magis stellam, qua præit illa, iter habeto, ne te viæ aliæ, quamuis planissimæ atq; amœnissimæ videãtur, ab illius cursu abducant. *Lucerna pedibus meis*, aic Vates, *verbum tuũ*. Lucerna iter illuminãs, Dei verbũ, & fides est, illuminata incede via, ne corruas. Ecclesia in capite coronam 12. stellarum gestare dicitur: *In capite eius corona stellarũ* 12. quoniã 12. Apostolorum doctrinã, ac fidẽ, capite gestat: hęc illius corona, hoc capitis ornamentũ, & splendor. Fidei documẽta stellæ sunt, quæ caput, id est, intellectũ, coronant, ornãt, illuminãt, dirigũt: has stellas procelloso in mari nauigans, semper in capite gesta, semper intuere.

Psalm. 118.

Apoc. 12. Ecclesia duo decim stellas capite gestat

Memento tamen, ardente absq; Sole, id est, charitate, nõ posse stellas fidei, cælestẽ in portũ nauigantẽ inuehere. Nõ solũ fidei stellas capite gestat mulier illa Apoc. sed ardẽti quoq; Sole hoc est, charitate, amicta flagrat, qua incesa, *lunã*, id est, terrena, & caduca omnia, *pedib. conculcat*. Nõ officit Solis splẽdor his stellis, simul cũ Sole intellectui infixę fulgẽt. Solis splẽdore obscurãtur cęli astra. Solis, id est, charitatis splẽdore non obscurãtur, sed mirum in modũ illustrantur fidei sydera. Imò si charitatis absit splẽdor, fides moritur, nam sine operibus, teste D. Iacobo, mortua est. *Fides*, inquit, *si non habeat opera, mortua est in semetipsa*.

Apoc. 12.

Non est satis fides sine operibus, nõ sunt satis stellæ illi fœmina, Apoc. 12. id est Ecclesia sine sole, id est, charitatis ardore. Iacobi 2.

Stellam sequuntur Magi, & munera deferunt, atq; offerunt. Cũ stella, hoc est, fide, munera, hoc est, opera coniungenda docent; nõ enim placet Deo bonis operibus fides vacua, quẽadmodum nec homini vinea placet, aut arbor, frondibus exuberans, fructibus carens. *Omnẽ palmitem in me non ferentem fructum*, ait Dominus, *tollet eum pater, & omnem qui fert fructũ purgabit eum vt fructũ plus afferat*. Infructuosus palmes abscinditur, fructuosus retinetur, ac expurgatur. *Videns Christus ficu arborem vnã secus viam, venit ad eam, & nihil inuenit in ea, nisi folia tantum, & ait illi: nunquam ex te fructus nascatur, in sempiternum, & arefacta est continuo ficulnea*. Nec profuere ficui folia sola, quo minus diuina feriretur maledictione, nec proderit Christiano fides sola, quo minus æterno afficiatur supplicio. Ideoque de beato, iustoq; viro, canit Vates; *Erit tanquã lignum, quod plantatũ est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo*.

Ioan. 15.

Matth. 21.

Psalm. 1.

Sed quodnam tempus fructus Christiano? Omne tempus. Arborem quamuis fructu carentem alieno cernas tempore, non appellas sterilẽ, non enim omni tẽpore, sed peculiari ac certo fructum parit. Christianum verò quocumque tempore bonis operibus vacuũ videris, illo tẽpore infructuosum dices. Non omni tẽpore potest parere fructum arbor, at potest omni tempore fructum producere Christianus. Non est ociosa fides, sed operosa iuxta illud Pauli, *In Christo Iesu, neque circumcisio aliquid valet, neque præputiũ, sed fides, quæ per charitatem operatur*. Manus Christi *tornatiles*, dicuntur, *aureæ, plenæque hyacinthis*: huiusmodi quoq; esse debent manus Christianorũ, perfectæ & veluti tornatæ, quæ perfecta & veluti torno elaborata opera faciant. Securi factum opus, rude est atq; impolitum, torno factum, expolitissimũ. Christiani multi veluti securi impolite operantur. alij verò sancte ac politè operãtur, veluti torno. Aureas præterea oportet esse manus, aureas autẽ manus reddũt aurei annuli. Nulli annuli magis manus ornant, quã bona opera charitate aurea, hæc aureas manus efficiunt. Quot bona opera facit Christianus, tot aureos annulos in digito inserit. Tũc verò cœlestis coloris gemmas, hyacinthosque addit, cùm cœlestem intentionem operibus adiungit, cùm inanem gloriam cauet, & Dei causa syncero animo, perfectè Christiana officia præstat.

Omni tempore bona opera præstanda.

Ad Galat. 5.

Cant. 5.

Opera Christiana.

Opera bona annuli aurei sint quibus ornatur manus.

Bona opera semen sunt gloriæ, perpetuæ, mala verò supplicij sempiterni. Videat igitur vnusquisque quam sementem faciat, vt enim sementẽ fecerit, ita metet. quod aliis verbis dixit Paulus ad Galat. 6. *Quæ seminauerit homo, hæc & metet*. Qui triticum seminat, triticum metit: qui seminat lolium, metit lolium. Stultus verò est qui lolij semente facta, tritici fore messem sperat. Similem in modum, qui mala seminauerit opera, supplicium; qui bona, præmiũ colliget. Stultus verò atq; impius erit, qui ex peccatorum semente, messem præmij sibi obuenturã, sperarit. Qui igitur peccatorum semẽtem fecit, semina extirpet, ne horrendi cruciatus messem domum reportet. Pœnitentiæ, & fidei, per charitatem operantis, semẽ spargat, ex quo gloriæ spicas colligat. Quis semẽtem facere cunctaretur, si non granis, sed pretiosissimis gemmis turgentes spicas, se demessurum speraret? Huiusmodi nostra sementis est, pretiosissimis æternæ gloriæ plenas spicas profert. Cur ergo cunctamur? cur dum tempus suppetit, sementem bonorum operum non facimus? cur non virtutes, sed crimina serimus, sceleratæque sementis amara quadam dulcedine consopiti, in futuram ignis sempiterni messem oculos non coniicimus?

Bona opera sunt semen gloriæ, mala supplicij. Ad Gal. 6.

Nunquid cum tempore mala opera præteruolare arbitramur? redibunt debita cũ mercede aliquando. Bernard. audiamus ser. 15. ad Clericos sic loquentem; Non transeunt opera nostra, vt videtur, sed temporalia quæq;, veluti æternitatis semina iaciuntur, stupebit insipiens, cum ex hoc modico semine copiosam viderit exurgere messem, seu bonã, seu malam, pro qualitate sementis, hoc qui cogitat, nullum paruum putat esse peccatum, quòd futurã messem potius æstimet, quam sementem. Hæc Bernard. Semina æternitatis appellat opera, æternitatẽ enim vel glorię vel supplicij pariũt. Zeuxispictoris diutius operi immorantis, dictũ illud inter apophthegmata refertur; Diu pingo, quia æternitati pingo. Nos quoq; æternitati pingimus, si quidẽ æternitati operamur. Nõ ergò currente, sed attentissima pingamus manu, perfectęque elaborata opera in æternitatem transmittamus.

D. Bernard.

Opera sunt semina æternitatis.

Zeuxis.

Æternitati pingimus.

Vt autem perfectè opera elaboremus, Dei voluntatem respiciẽdam semper, docet Magnus Basilius. Quemadmodum enim faber, ad regulam, sic Christianus, ad Dei voluntatem opus suum debet dirigere, hæc operum regula, hæc norma, hoc est, perpendiculum, rectissima Dei voluntas. D. Basil. in regulis fusiùs disputatis, respõsione quinta. Vt faber, inquit, ferrarius quandocunque dolabram aliquam, siue asciam cudit, si assiduè illius memor sit, vndè instrumentum illud faciendum ex pacto acceperit, & præscriptam sibi ab illo formam, & magnitudinem animo vesat, & ad eius voluntatem, qui condixit, dirigit, quod facit. Alioquin si eius memoriã mente sibi patiatur excidere, prorsus aut aliud quippiã omnino, aut longe dissimile efficiet ab eo, quod facere instituerat. Sic Christiantus quoque si actiones suas omnes, siue minores siue maiores, ad Dei voluntatem direxerit, is sine controuersia, & egregiè opus illud perficit, & simul assiduã illius in animo sibi memoriam conseruat, à quo id iussus est facere, vereq; illud Psalm. 15. dicere poterit; *Prouidebam Dominum in conspecto meo semper*. item illud Pauli, *Siue manducatis, siue bibitis, siue aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite*. Hactenus Basilius. Sed reuertamur ad Magos.

D. Basilius.

Opera ad normam, id est, voluntatem Dei, omnia dirigenda.

Psal. 15. 1. Cor. 10.

CAPVT XII.

Morale.

CVRSVI Solis simile fuit Magorum iter. Ex Oriente, per Occidentem, in Orientẽ currit Sol;

Magi similiter, ex Oriente, per Occidentem in Orientem venerunt. *Ecce Magi ab Oriente venerunt*, ait Euangelista. Per Occidentem deinde, id est, Hierusalem transierunt. Nonne rectè occidens Hierusalem dici potest, in qua Sol ipse Christus occidit, in qua iam tunc Herodes, occasum illi meditatus est? Per hunc ergo Occidentem Magi, ex Oriente profecti, in Orientem, id est, Bethlehem, in qua Sol admirandus ortus est, felici & solari veluti cursu moti sunt. Nobilior Oriens est Bethlehem illo in quo Sol exoritur. In illo oritur Sol, in hoc Solis conditor est exortus, in illo lux oritur corporum, in hoc animorum, in illo lux pecorum, in hoc lux hominum.

Matth. 2.

Astrologi Magi nouũ stellam, nouumq; Solem obseruarunt.

Nautæ Solis altitudinem astrolabio contemplari solent: nostri astrologi, id est, Magi, Solis & immensam altitudinem, & stupendam demissionem, fidei astrolabio, in ipso Oriente sunt contemplati. Altissimum gradum æterni Patris sinum, summã verò demissionem, stabulum esse repererũt. O felices astrologos, qui & nouam in cælo stellam, & nouum in terris Solem obseruarunt. Cometas in cælo sæpe astrologi obseruãt, qui maris tempestates, terræ sterilitatem, morbosq; dicuntur indicare. at nostri astrologi, nõ pernicioſum cometam, sed salutarem stellam, in Oriente obseruarunt, quæ non tempestatem, sed cæli serenitatem, non sterilitatem, sed miram vbertatem, non morbos, sed salutẽ eamq; sempiternam, demonstrabat. Meritò sane non in Occidente, sed in Oriente stella visa est, quæ nõ occasum, interitumq; hominũ, sed salutem, lucemq; orientem indicabat.

Stella Magorum non fuit cometa.

Lunam nescio qui Hebræi, mẽtiuntur olim inuidisse Soli, vt leges apud Lyranum Gen. 1. Equidem si in luminaria cadere posset inuidia, sidera reliqua, huic stellæ inuidissent. Etenim, *Fiant* (ait Dominus) *luminaria in firmamẽto cæli, & sint in signa.* In signa, inquã, tempestatum, serenitatis & huiusmodi rerũ naturaliũ. At stella Magorũ, rei, quæ totius superat naturæ cursum, nempe Christi nati, signũ fuit. hoc significato quodnam maius excogitari potest? Sol ipse suis auulsus sedibus, tantæ rei libẽtissimè dedisset signũ.

Genes. 1.

Sed quid Iudæorũ Rex, quid Iudæi agitis? En, tres viri regia nobilitate, & sapiẽtia inclyti tres cæli speculatores ab Oriente missi, è cælo missum Messiam, D natũ esse nuntiãt, nec nuntiant solum; sed ex cælesti astro probant. *Vidimus*, aiunt. *stellam eius in Oriente, & venimus adorare eum.* Tam lętum nuntiũ publica excipite lætitia, festum diẽ aduentus regis è cælo aduenientis agite, ad regẽ natũ adorandum, cũ nuntiis festinate. Surdos monemus. Sine vlla publica lætitia, sine vllo publico plausu, nuntiũ omni lętitia, plausuq; dignissimum audierunt, natumque regem neglexerunt.

Matth. 2.

Olim tres viri fortissimi ex cisterna Bethlehem haustam aquã, ad Dauidem Iudæorum regem attulerũt, quam ille allatam bibere noluit. Aquæ frigidæ simile est nuntium bonum, Salomone teste, *Aqua*, inquit, *frigida animæ sitiẽti, & nuntius bonus de terra longinqua.* Quis melior ac iucundior nuntius, quam de optato E Messia? hunc ab Oriente nuntiũ, hanc frigidissimam animæ Messiam sitiẽti aquam, tres Christi fortissimi viri Magi, ad Regem Iudæorum Herodem attulere. At ille bibere noluit. Non enim Messiæ aduentum, sed Iudææ imperium sitiebat. Imò postquã Messiam aduenisse audiuit, illius sanguinem cœpit sitire.

2. Reg 23.

Quomodo Herodes nuntium Magorum exceperit. Prouer. 25.

Dicet aliquis; Messiã adorare cupiebat Herodes, non sanguine & vita priuare. Hoc illius desiderium verba illa manifestum reddunt; *Ite, & interrogate diligenter de puero, & cum inueneritis renuntiate mihi, vt & ego veniens adorem eum.* O egregium adoratorem, regiæque Christi manus deosculatorem Herodem. *Tenuit Ioab manu dextera mentum Amasæ, quasi osculans eum. Porrò Amasa non obseruauit gladium, quem habebat Ioab, qui percussit eum in latere, & effudit intestina eius*, &c. Ad osculandum Amasam, se finxit Ioab, sed occidit. osculo texit homicidiũ Ioab, at adorationis fuco Herodes. Vnde Glossa ordinaria. Herodes deuotionem promittit, sed gladium acuit, malitiam cordis depingẽs colore humilitatis, fingit se vultu & verbis adorare eum, quem inuida mente cogitabat occidere, &c. Non obseruauit Amasa gladium Ioab, ideoque ab illo occisus est. Christus verò, quem latere nulla res potest, sub fallaci adoratione, gladium obseruauit Herodis, idcirco alia via Magos domum reuertere iussit. Crudelis verò gladius à Christo repulsus percussit infantes.

Matth. 2.

Herodes simulator. 2. Reg 20. Gloss. ord.

Frustra conaris Herodes Christi regnum eripere. Si scripturis credis, Messię regnum ęternum fore reperies, si nõ credis, cur ex illis natiuitatis locum exquiris? Neq; Herodes Regis gloriam eripere Christo B potuit, nec Iudæi vel Ethnici potuere, aut vnquam poterunt. Petentibus Iudæis priuauit Christum vita Pilatus: iisdem tamen, quod minus, erat petentibus, regio titulo cruci impositio, Spiritu S. afflante, vt Augustin. docet, priuare noluit, *Dicebãt Pilato pontifices Iudæorum; Noli scribere Rex Iudæorum, sed quia ipse dixit; Rex sum Iudæorũ; Respondit Pilatus, quod scripsi, scripsi.* O ineffabilem vim (ait Augustin.) diuinæ operationis, etiam in cordibus ignorãtium. Nonne occulta vox quædam, Pilato intus, quodam, si dici potest, clamoso silentio personabat, quod tanto ante in Psalmorũ literis prophetatum est; *Ne corrumpas tituli inscriptionem:* Ecce tituli inscriptionem non corrumpit, quod scripsit, scripsit, &c. Lege eundem Augustin. in Comment. titu. Psal. 56.

D. August. Ioan. 19.

Pilatus crucis titulum noluit mutare.

Ne disperdas Dauid, in tituli inscriptione, &c. Vide quàm asseueranter Pilatus Pontificibus respõdeat, quàm liberè neget, quàm manifestum fieri velit regium titulum. Non vna satis est lingua Hebræa, additur & Latina, neq; hęc satis, Græca etiã adiungitur. Græca, Latina, Hebræaq; lingua, titulus descriptus est, quia Christi regnum, non Iudææ terminis angustissimis circũscribitur, sed in vniuersas linguas, (vt D. Cyril. ait) vniuersumque terrarum orbem propagatur. Titulus iste (ait Cyril. Ioan. 19.) per præcipuas, linguas, Iesvm futurum principẽ omnium linguarum prædicabat. Et August. ser. 76. de diuersis. Quod, inquit, tribus linguis titulus cõscriptus erat, non solùm Iudæis, sed etiam gentibus Christum regnaturum fuisse declaratum est. Item; Quamuis in illis tribus linguis Christo subluganda vniuersitas gentiũ omnium monstraretur, non tamen illic scriptum est, Et Rex gentium, sed tantum modò Iudæorum, vt commendaretur origo seminis in proprietate nominis. *Lex enim à Sion prodiet* dictum est, *& verbũ Domini ab Ierusalem.*

Tituli crucis indicabat Christum omnium gentium esse Regem.

D. Cyril.

D. August.

Isaia 2.

Non potuere Iudęi Christi regium delere nomen in cruce morientis, nõ poterunt vllo vnquam tempore impij homines, vel dæmones, eiusdem regium tollere sceptrum in cælo sempiterna vita, sempiternoq; imperio, perfruentis. Quamobrem Psal. 2. omnes hominum aduersus Christum fremitus ac meditationes, inanes appellantur. *Quare* (inquit vates) *fremuerunt gentes, & populi meditati sunt inania, aduersus Dominum, & aduersus Christum eius?* Fremat Herodes, fremant Iudæi, fremant gentes, regno Messiæ excidium meditentur, inanis illorum fremitus, inanis etiã erit meditatio. *Ego autem* (ait Christus eodem Psalmo) *constitutus sum Rex ab eo*, id est, à Patre, *super Sion montem sanctum eius*, id est, Ecclesiam; Rex inquam æternus. Belluas immanes in regnum Christi impetum facientes Ioannes cernit. Christum verò agno similem super montem Sion stantem contemplatur. Quamuis enim furentes leones, vrsi, tygrides, reges, duces, populi, Iudæi, Mahometani, Ethnici, in Christi regnum irruant, stabit regnum semper, stabit etiam super Sion, id est, Ecclesiam suam, leones, vrsos, tygridesque vincens Agnus. Irruit in Agnum lupus Herodes, sed lupum Agnus superauit.

Psalm. 2. Inanes omnes conatus aduersus Christi regnum.

Apoc. 13.

Apoc. 14.

Fefellit fallacem Regis Iudæorum nomẽ. Terrenum putauit esse Messiæ regnum, suo simile, at spiritale

tale erat. Rex erat Iudæorum Christus, vt Magi vocarunt, sed Iudæorum spiritalium, hoc est, Christianorum. Sic interpretatur August. tract. 117. in Ioannem. In eo, inquit, quod de Christo veraciter scriptum est in titulo, Rex Iudæorum, qui sunt intelligendi Iudæi, nisi semen Abrahæ, filij promissionis, qui sunt etiam filij Dei? *quoniam non qui filij carnis* (ait Apostolus) *hi filij Dei, sed qui filij promissionis, putantur in semine*. Gentes erant quibus dicebat, *si autem vos Christi, ergo Abrahæ semen estis, secundum promissionem hæredes*. Rex ergo Iudæorum Christus, sed Iudæorum circumcisione cordis, spiritu, non littera. Hæc ille. & tract. 51. Non fuit Rex Israel Christus ad exigendum tributum, vel exercitum ferro armandum, hostesque visibiliter debellandos, sed Rex Israel, quod mentes regat, quòd in æternum consulat, quòd in regnum cælorum credentes, sperantes, amantesq; perducat.

Christus Rex Iudæorum tur dicitur. D. August.

D. August.

Rex præterea erat, non Iudæorum solùm, sed etiam orbis totius, vt homo; propterea quòd à conceptionis puncto admirabilis vnionis ratione, in vniuersum orbem præcellentem quandam habuit potestatem, cælo, & terræ, Angelis, & hominibus dominatus est. Quia tamen Messias Iudæis est promissus, & ex eorum stirpe in Iudæa natus, antequam illius imperium per orbem propagaretur, Iudæorum Rex est appellatus. Fefellit itaq; Herodem regis nomen.

Rex erat Iudæorum Herodes, Iudæorum regem alterum natum esse audiebat, turbatus est, quoniam iuxta Isaiæ dictum, *Coangustatum est stratum, ita vt alter decidat, & pallium breue vtrumque operire non potest*. Quemadmodum angustum stratum gemmis auroque rutilans, duos continere, & breue palliũ purpureũ, duos tegere, ita idem regnum reges duos capere nequit, *omnisque potestas* (vt Lucanus ait lib. 1.) *impatiens consortis erit*. Timebat Herodes, ne ex regni strato augusto dicideret, purpureo exueretur regiæ potestatis pallio; Messiæ imperio subiici nolebat, idcirco turbatus est, regni illum retinendi cupiditas perturbauit. Vt pelagus venti, sic hominum corda perturbant, teste Ambrosio, rerũ caducarum cupiditates. Ambrosius in Apologia Dauid posteriore cap. 3. Magnam, inquit, faciunt tempestatẽ multitudines cupiditatum, quæ veluti in quodam freto corporis nauigantem, hinc atque inde perturbant, &c. Miserum Herodem animi malum gubernatorem, in scopulos, id est, in cædem Christi & infantium tempestas impulit, magnoque scelere demersit. *Turbatus est* (ait Euangelista) *& omnis Ierosolyma cum illo*.

Isaiæ 28.

Lucanus. Potestas impatiens cõsortis.

D. Ambros.

Matth. 2.

Populus cum rege turbatur. Quemadmodũ enim primum cælum inferiores, quos suo ambitu complectitur, suo motu rapit, ita Rex populum, quẽ suo sceptro regit, sua perturbatione perturbat: velut caput in membra, sic Rex in populum, aut vitia infundit, aut virtutes. ideoque merito D. Bernar. ser. 3. Misera, ait, ciuitas, in qua regnat Herodes, quoniam Herodianæ sine dubio particeps erit malitiæ, & ad nouę salutis ortum, Herodiana mouebitur turbatione. Hac de re eloquẽtissimus orator Marcus Tullius lib. 3. de legibus sic scribit. Vt cupiditatibus principum, & vitiis infici solet tota ciuitas, sic emendari & corrigi continentia. Item, eodem loco. Non tantum mali est peccare principes, quanquam est magnum hoc per se ipsum malum, quãtum illud, quod permulti etiam imitatores principum existũt. Nam licet videre, si velis replicare memoriam temporum, qualescunque summi ciuitatis viri fuerint, talem ciuitatem fuisse: quæcunque mutatio morum in principibus extiterit, eandem in populo secuturam, idque haud paulò est verius, quam quod Platoni nostro placet, qui musicorũ cantibus, ait, mutatis, mutari ciuitatis status. Ego autem nobilium vita victuq; mutato, mores mutari ciuitatum puto. Quo pernicioſius de Repub. merentur vitiosi Principes, quod non solùm vitia concipiunt ipsi, sed ea infundunt in ciuitatem. Neque solùm obsunt, quod illi ipsi corrumpuntur, sed etiam, quod corrumpunt, plusque exemplo, quam peccata nocent. Hactenus Cicero.

Principum vitia, vel virtutes in regna influunt. D. Bernar.

M. Tullius.

Prius dixit Vates, *Adorabunt eum omnes reges terræ*. Deinde adiunxit *omnes gentes seruient ei*. Si adorant reges Christum, adorant & populi, *Rex surrexit de solio suo, & abiecit vestimentum suum, & indutus est sacco & sedit in cinere*. Regis exemplum secutus est & populus. Balthasar templi vasa veluti prophana, prophano vsu in conuiuio contaminauit, idem optimates fecerunt, *allata sunt vasa aurea, quæ asportauerat de templo, quod fuerat in Hierusalem, & bibebant in iis rex & optimates eius*, &c. Nabuchodonosor rex ad statuam adorandam principes conuocauit, *Nabuchodonosor rex misit ad cõgregandos satrapas, magistratus, & iudices, & duces, & tyrannos, & præfectos, omnesq; principes regionum, vt conuenirent ad dedicationem statuæ*, &c. Adumbrat Nabuchodonosor dæmonem. Is reges, duces, ac iudices, ad se vocat, eos si illaqueat, per illos facile populi irretiuntur. Vnde D. Hieron. Danielis 3. Principes inquit, congregantur ad adorandam statuam, vt per principes seducatur & gentes. Qui enim diuites sunt & potentes, dum timent carere diuitiis & potẽtia, facilius supplantantur. Seductis autẽ magistratibus, subditi populi, maiorum exemplo pereunt, &c. Cùm adorarẽt principes auream statuam, quis ex populo non adoraret? Heu quot principum hoc vitium est. Non illi quidem auream Nabuchodonosoris statuam, sed aureum diuitiarum honorisque simulachrum colunt. Nonne tibi videtur Herodes Rex, auream regni statuam adorasse, cum propter regnum Christum conatus est vita priuare? Nonne similiter Ieroboam auream regni statuam adorauit, cum metuẽs ne regnum amitteret, aureas vitulorum statuas, sibi populoque adorandas proposuit?

Daniel. 5.

Daniel. 3.

D. Hieron.

3. Reg. 12.

Rex populi veluti regula est, regulam autem rectam esse oportet. Vnde Plutarch. in lib. de doctrina principum. Quemadmodum, inquit, oportet, vt ipsa regula primum recta sit, nihil habens obliquum, deinde cætera sibi admota, quatenus sibi cõgruunt exæquet: consimili modo princeps, posteaquam imperium in se ipso parauerit, ac direxerit, vitamq; suam composuerit, tũc debet sibi coaptare eos quibus imperat. Nec enim cadẽtis est alium erigere, nec ignorantis docere, nec incomposiũ componere, nec ordinare inordinati, nec imperare eius, qui non pareat imperio. Hæc ille. Rex probus regula est recta, rex improbus regula distorta, & praua, ad quã qui mores dirigũt, deprauantur, distortamq; vitam traducunt.

Plutarchus

Quemadmodum fermentum massam, ita impius Rex populum corrumpit. Vnde Ieroboam Rex dicitur Israeliticum populum fermentasse, quia per Idolorum cultum corrupit. *Quieuit* (ait Deus apud Oseam) *paululum ciuitas à commixtione fermẽti, donec fermentaretur totum*, hoc est, Quieuit ciuitas paululum, postquam fermentũ idololatrię ab Ieroboamo Rege accepit, donec eodem fermẽto, tota est fermentata, ac corrupta. Idem Rex eodem capite, cum pistore confertur, ad coquendos panes clibanum succendente. *Omnes adulterantes*, ait Deus, spiritali adulterio idololatriæ, *quasi clibanus succensus à coquente*, id est, à Rege Ieroboamo. Pistor est cacodæmonis, Rex impius, hominum corda veluti clibanos, tartareo vitiorum igne succendit, & panes Cacodæmoni suauissimos, id est, peccata coquit.

Oseæ 7.

Rex impius fermentum & pistor cacodæmonis.

Vnum Regis verbum flamma est, quæ tam nobilium virorum, quam plebis corda tum ad virtutes, tum ad scelera facile incendit. Si laudat virtutẽ Rex, & virtute claros viros honoribus decorat, cordibus ad virtutem faces admouet; si verò laudat vitia, impro-

probiſque viris fauet, tetrum pectoribus ignem iniicit. Cupiũt enim omnes homines Regi placere ſuo, & morem gerere. Vnde eodem capite, Iſraelitas ait, Deus execrando in ſcelere idololatriæ, morem Regi gerere ſtuduiſſe. *Oſee 7.* *In malitia, inquit, ſua,* id eſt, idololatria, *Lætificauerunt Regem, & in mendaciis ſuis principes,* &c. Item: *applicauerunt quaſi clibanum, cor ſuum, cum inſidiaretur eis.* Applicant, & offerunt nobiles principes, reliquique homines, quaſi clibanum ſuccendendum, cor ſuum Regi, videat Rex quem ignem iniiciat, cæleſtemne diuini amoris, an tartareum vitiorum. Regem habet alium potentiſſimum, id eſt, Deum, qui vt ab Ieroboamo, ſic ab eo quoque ſi quid impie geſſerit, pœnas repetet. Ieroboamus Rex clibanos Cacodæmoni, id eſt, cordà Iſraelitarũ, ad idololatriam ſuccendit, parem gratiam retulit illi Cacodæmon, clibanum quoq; in tartaro ſuccendit, in quo miſer ſempiterno torquetur cruciatu. Neque in tartaro ſolùm pœnas dat acerbiſſimas, hic quoque dedit, vt iam ſupra ſcripſimus lib. 5. cap. 21.

Potentiſſimus metuendusq; impiis Rex Deus eſt. Parua ab eo miſſa manus, paucos in pariete characteres exarans potentiſſimos terrere poteſt reges. *Dan. 5.* Audi Danielem, *Apparuerunt,* inquit, *digiti quaſi manus hominis ſcribentis.* Tunc facies regis commutata eſt, & cogitationes eius conturbabant eum, & compages renum eius ſoluebantur, & genua eius ad ſe inuicem collidebantur, &c. O Regem Babylonici imperij potentiſſimum, manus parua, non haſta, & gladio, ſed tenui calamo armata, tantum tibi terrorem incutit? Videlicet manus eſt à ſummo miſſa imperatore, qui ab omnibus Regibus, rationem ſeuerè expoſcit. Tria autem verba ſcripſit manus, illa regibus cunctis aſſidue animo voluenda, *Mane, Techel, Phares.* illa Daniel hunc in modum expoſuit, *Mane, numerauit Deus regnum tuum, & compleuit illud. Techel, appenſus es in ſtatera, & inuentus es, minus habens. Phares, diuiſum eſt regnum tuum, & datum eſt Medis, & Perſis.*

Regibus verba in aula Babylonica inſcripta obſeruanda.

Vtinam vt à manu illa, in aula regia Babylonici imperij, inſcripta ſunt, ita nunc à regibus in palatiis, hæc eadem verba inſcriberentur, frequentiq; conſideratione expenderentur. *Mane,* numerauit Deus regnum Regis, & numerauit dies, quibus eſt regnaturus, extremam iam videt Regis lucem, paulò pòſt è vita & regno migrare iubebit. *Techel,* appenſus es in ſtatera diuina, ô Rex, appendit Deus rectè facta, appendit quoq; mala opera, appendit aurificis ſtatera virtutes rege dignas, appendit vitia rege indigna: ô illum infeliciſſimum, qui inuenietur minus habens! ô illum feliciſſimum, qui iuſtitiam, pietatem, Dei cultum, fidem, charitatem, reliquaſque virtutes, iuſti, ac regij habuiſſe ponderis reperietur, è regno hic temporario, in æternum transferetur! Qui verò iuſto, debitoque pondere caruerit, amiſſo regno alijque tradito, in perpetuam miſerrimamque Orci ſeruitutem detrudetur. Hæc qui frequenti meditatione animo verſat, vigilanti cura rempublicam adminiſtrat, exemplo ad virtutem ſubditos ducit, rectè facta rectè factis perpetuò cumulat, ne in ſtatera pondus deſit.

A Deus cùm Saulem cæteris omnibus Iſraelitis ſtatura proceriorem, & meliorem, Regem primum creauit, *Non erat vir de filijs Iſrael melior illo, ab humero & ſurſum eminebat ſuper omnem populum,* & ait Samuel populo, *certè videris quem elegit Dominus, quoniam non ſit ſimilis illi, in omni populo.* Hoc idem Macro apud Philonem in libro de legatione ad Caium, Caio Imperatori his verbis conſulit. Non decet te alijs, in audiendo, ſpectandoque, & vſu cæterorum ſenſuum, eſſe ſimilem, ſed tantũ debes in ratione viuendi excellere, quantò eminentiorem te fortuna conſtituit. *1. Reg. 9.* *1. Reg. 10.* *Macro.*

At verò ipſe Caius, cum Imperatoris dignitatem, ſupra cæteros homines, adeò eminentem conſideraret, maiorem homine Imperatorem cenſendum, ac proinde Deum fieri oportere, exiſtimauit. Sed quomodò fieri poſſet Imperator Deus, ſuperbia obcæcatus ignorauit. Caius (ait eodem in libro Philo) perſuaſit ſibi, ſicut aliorum gregum magiſtri, opiliones, caprarij, bubulci, nec boues ſunt ipſi, nec capri, nec arietes, ſed homines ijs longè præſtantiores modis omnibus: ſic Imperatorem præfectum gregi humani generis optimi, cenſendum maiorem homine, referendumque in Deorum numerum. Hæc Philo. Sic egregius Philoſophus Caius argumentabatur; Ouium paſtor non eſt ouis; boum paſtor non eſt bos: caprarum paſtor, non eſt capra. ergo hominum paſtor, aliud quàm homo eſſe debet, quid ergo? Deus. Fecit itaque ſe Deum. Deorum inſignia, Mercurij caduceum, talaria, chlamydem, Apollinis radiatam coronam, arcum, ac ſagittas, Martis thoracem, galeam, clypeum, & gladium aſſumebat. eumque in modum diuinitatem oſtentabat. *Philo.*

Falleris ô Cai, Deum eſſe oportet imperatorem, ſed longè alio modo ſit Deus imperator. Inſignia alia veri Dei regem faciunt Deum. Nempè iuſtitia, misericordia, charitas, ſanctitas: hæc ſunt veri Dei inſignia, ea qui gerunt, hos meritò dicemus Deos, iuxta illud, *Ego dixi Dij eſtis,* ſiquidẽ Deo ſimiles ſunt. Iuſtus Deus eſt, miſericors, hominum amantiſſimus, ſanctiſſimus. Rex qui iuſtus eſt, qui miſericors, qui ſubditorum vtilitati cõſulens, qui ſanctimonia præditus, hic viuentis Dei viuens quædam imago eſt, ac proinde ſimilitudine Deus. Non diuini à Rege honores ſuperbe ſunt vſurpandi, ſed diuinæ ſanctitatis ſimilitudo humiliter in animum inducenda. Hæc regem facit Deum aduerſus ſceleratos meritis ſupplicijs tonantem, erga probos meritis præmijs beneficum, erga Deum ſancto cultu religioſum, in adminiſtrandà repub. prudentem, in adeundis periculis fortem, in fugiendis voluptatibus temperantem, in iure reddendo iuſtum. *Regem Dei imitatio ſacit Deum.* *Pſal. 81.*

Huc ſpectant ea quæ Plutarchus in lib. de doctrinà principũ ſcribit; Princeps, inquit, ſimulachrum eſt Dei adminiſtrantis vniuerſa, nihil egens Phidiæ ſtatuario, neque Polycleto, neque Myrone, ſed ipſe ſeipſum per virtutem Deo ſimilem reddit, ac fabricatur ſtatuam, omnium viſu iucundiſſimam, ac magnificentiſſimam. Quemadmodum enim Deus in cælo, pulcherrimum ſui ipſius ſimulachrum conſtituit ſolem, ac lunam, talis eſt in Republ. imago ac lumen princeps, qui Dei reuerens, iuſtitiam tuetur, hoc eſt, Dei rationem geſtat, nempe intellectum, non ſceptrum, aut fulmen aut tridentem, qua ſpecie ſe ipſos nonnulli fingunt ac pingunt, ſtultitiã ſuam, quod videantur inacceſſi, reddentes inuidioſam. Offenditur enim Deus ijs, qui tonitrua, fulmina, radiorum iaculationes imitantur, delectatur autem, ijs qui ſuam æmulantes virtutem, ſemet in honeſtate & humanitate reddunt aſſimiles, atque hos in maius prouehit, impertiens ſuam æquitatem, iuſtitiam, veritatem, ac manſuetudinem. Hactenus Plutarchus. *Plutarch.*

CAPVT XIII.

Morale.

Regia dignitas magnũ virtutis pondus flagitat.

MAGNVM autem virtutum pondus, Regia dignitas flagitat, quantò enim maior, tantò debet eſſe & melior is, qui Rex eſt; vt loco, ſic moribus celſior; vt purpura, ſic virtute ornatior. Docuit hoc

Ex

Ex terrestri paradiso flumina quatuor effluunt, quibus Philo in libro allegoriarum legis, quatuor virtutes, Phisone prudentiam, Geone fortudinem, Tygride temperantiam, Euphrate iustitiam, abumbratas existimat. Ex Regis pectore hæc adumbrata flumina, ad irrigandam rempublicam vniuersam effluant necesse est. Horum enim si desit irrigatio, Regnum exaresceт. Si prudentia rex careat, quonam modo, id, quod summæ est prudentiæ præstare poterit, hoc est populum gubernare. Neque imperito nauarcho clauus, neq; imprudenti homini reipub. gubernacula à prudente traduntur. Si verò animi fortitudo abfuerit: aduersus vitia & hostes forti inuictoque pectore dimicare, trophæis ac victoriis, rempublicam minimè poterit exornare. Si temperantia destitutus, voluptatibus, vt Sardanapalus alter, se addixerit, omnes regni vires eneruabit, virosque in fœminas delicioſas conuertet. Iam verò si iustitiam valere iusserit, ius & fas omne delebitur, pro iustitia iniquitas dominabitur.

Philo. *Quatuor paradisi flumina quatuor virtutes adumbrant.*

Iustitiæ, ait Philo, & D. Ambrosius in libro de Paradiso capite 3. fluuium Euphratem typum esse. Euphrates autem Hebraicè Perath appellatur, hoc est frugifer; Vt Euphrates agros, ita iustitia rempublicam fœcundam reddit, iniustitia verò facit sterilem. Quartus fluuius (ait Ambrosius) est Euphrates, qui Latinè fœcunditas, atq; abundantia fructuum nuncupatur, præferens quoddam insigne iustitiæ, quæ omnem pascit animam. nulla enim virtutum lætiores habere videtur fructus, quàm æquitas ac iustitia, quæ magis alijs, quàm sibi prodest, & vtilitates suas negligit, communia emolumenta præponens. Iustitia (vt Salomon ait) regnum collapsum attollit: *Rex iustus erigit terrã, iustitia thronum confirmat*; Prou. 16. *Iustitia firmatur soliũ*, & 29. *Rex qui iudicat in veritate pauperes, thronus eius in æternũ firmabitur.* Iustitia vitia è regio fugat. Prou. 19. *Rex, qui sedet in solio iudicij, dissipat omne malũ intuitu suo.*

Philo. *D. Ambr.* *Idem.* *Iustitia Euphrates.* *Prouer. 29. 16. & 19.*

Quinque in hoc Euangelio Reges numerantur, Rex Regum Christus sanctissimus, trés præterea Reges magi sancti; quintus Herodes impius; Herodem regem impij imitantur reges. Vt ille Christum persecutus est, ita & illi persequũtur. Magos Reges probi sectantur reges: vt Magi Christum quæsiuerũt; ita illi quærunt; vt Magi stellam ducem secuti sunt, ita illi fidei stellam ducem sequũtur, fidem defendunt; atque propagant; vt Magi munera Christo obtulerunt, ita illi opes suas offerunt, cum Ecclesiam opibus iuuant ac tuentur, magnis impẽsis Christo templa exædificant, ornant, locupletant, religiosorum hominum familias alunt, Christiq; auiculis diuinas laudes decantantibus, veluti nidos monasteria construunt. In cedris enim Libani, vt est in Psal. passeres nidificant. *Saturabuntur ligna campi* (ait vates) *& cedri Libani, quas plantauit, illic passeres nidificabunt.* D. Hieronym, vertit; Ibi aues nidificabunt. Celsæ Libani montis cedri, Reges sunt, principesque viri, cælo volantes aues, viri sunt religiosi. Nidificant ergo aues in cedris, quoniam Regum principumque virorum subsidijs, viri religiosi ad Christi summam gloriam substentantur. Vnde magnus ille vir Cassiodorus, qui velut è laqueo auis, sic ab aula in cœnobium euolauit, Psal. 103. sic scribit, Passer, monachorum significat paruitatẽ, qui in cedris Libani, id est, in patrimonio potentium Christianorum, velut in quibusdam ramis, monasteria sibi, quasi nidos aliquos ædificare monstrantur, eorumque robore sustentati, velut passeres laudes Domini, assidua voce præciunt, &c.

Magos probi reges imitantur, & improbi Herodem. *Psal. 103.* *D. Hieron. In cedris Libani, id est, regũ opibus passeres nidificant, id est, religiosi viri.* *Cassiodor.*

Meritò autem Magi, reges non appellantur, appellatur tamẽ Rex Herodes, quoniam sceptra & coronæ, pro nihilo à Deo sanctis que ac sapientibus viris ducuntur, ab impijs verò Deo præponuntur. Herodes tanti coronam fecit, vt illius causa necẽ Christo machinari non fuerit veritus, sancti verò Magi se coronasque suas ante illius pedes humiliter abiecerunt.

Magi merito reges non appellantur ab Euangelista, cũ tamen Herodes rex appelletur.

Stellæ, quæ in hemisphærio illo sunt, vbi Sol oritur, non fulgẽt, illæ autem, quæ in altero hemisphærio sunt, vbi Sol non adest, nocturnis in tenebris lucent. Eundem in modum Herodis corona exiguæ instar stellæ in capite leonis sitæ, in hemisphærio caligine pleno, vbi Sol Christus non erat, hoc est, in tenebris sceleris & impietatis, fulgebat. Coronę autem Magorum, in hemisphærio splendidissimo vbi Sol natus erat, disparuerunt. Iacebat summus Rex absque corona & sceptro, in præsepio, par ergo fuit, seruos eius coronam etiam sceptrumq; deponere.

Rebecca conspecto Isaac descendit de camelo, cum tamen illum nondum agnosceret. Reges, Principesque viri, Christo in summa pauperrate mundique despicientia conspecto, quem Deum esse verum nouerunt, à superbia veluti tortuoso celsoque camelo, descendant in humilitatem, coronasq; ante illum abiiciant. *Et nunc Reges intelligite* (ait vates) *erudimini, qui iudicatis terram*; Erudimini, inquam, id est, discite à summo Rege humilitatem, *quia mitis est, & humilis corde.* *Genes. 24.* *Psal. 2.*

Impium Herodem impij imitantur Reges; Sacerdotes verò, & Scribas, qui nati Christi locum Herodi, & Magi indicarũt, improbi imitantur sacerdotes ac doctores. Scribæ Iudæorum ac sacerdotes, Herodem Magosque vbi Christus natus esset, verbis tantùm, non etiam opere docuerunt. Quantum erat (ait August. ser. 6.) vt Magis quærẽtibus Christum comites hærent, cum ab eis audissent, quòd visa stella eius venerint, eum adorare cupientes, ipsi eos ad Bethlehem quam indicauerant ducerent, pariter viderent, pariter adorarent: nunc verò alijs demonstrato vitæ fonte, ipsi sunt mortui siccitate. Hæc Augustinus.

D. August. Iudæorum doctores imitantur sacerdotes, & concionatores, qui iter ad Christum ducens alijs indicãt ipsi ad illum non proficiscuntur.

Contingit hoc doctoribus, qui alijs vitæ fontem indicant, ipsi verò siti exarescunt, alios docent, se ipsos non docent, *facti* (vt cum Paulo dicam) *velut æs tinniens, aut cymbalum sonans.* Aurificibus hi similes sunt, qui ex auro & gemmis, annulos, torques, præclaraque vasa, non sibi, sed aliis fabricant aut sartoribus, qui aliis ex serico pretiosa consuunt indumenta, se verò ipsos crassis ac laceris induunt vestibus. aut arcæ Noë fabricatoribus, qui arcam in qua alij seruarentur extruxerũt, ipsi (si diluuij tempore superstites erant) fluctibus absorpti perierunt. Vnde August. ser. 65. de diuersis. Similes, inquit, facti sunt Iudæi fabris arcæ Noë, aliis vbi euaderent præstiterunt, & ipsi diluuio perierunt. Similes lapidibus milliariis, viam ostenderunt, nec ambulare potuerunt quia stolidi in via remanserunt, audierunt, & abierunt inquisitores, id est, Magi, dixerunt, & remanserunt doctores, &c. *1. Cor. 13.*

Similes quoque sunt improbi doctores Achitopheli: cæteris hominibus consulunt præclare, sibi verò minimè. *Consilium Achitophel, quod dabat in diebus illis, quasi si quis consuleret Deum, sic erat omne consilium Achitophel, & cum esset cum Dauid, & cum esset cum Absalom.* Sed quodnam sibi consilium accepit tantus consiliarius, cuius consilia Dei oracula putabantur, *Videns quod non fuisset factum consilium suum, strauit asinum suum, surrexitque & abijt in domum suam & in ciuitatem suam, & disposita domo sua, suspendio interijt.* O diuinum consiliarium, qui tam stultum sibi consilium dedit, superbiæ exagitatus stimulo ad laqueum suspendiumque confugit. En quod sibi cepit consilium, qui reliquis dabat oracula. *2. Reg. 16.* *2. Reg. 17.*

Hinc illud Gregorij Nazianz. in carmine de vita sua. Consideremus, inquit, non pulchrè thronis excelsis euecti, populi præsules, virtutis magistri, fortẽ adepti diuino cibo nutriendi animos, ipsi fame oppressi *Greg. Naz.*

preſſi, medici affectuum mortui, ſcatentes miſeran-
Rom. 2. dis morbis,&c. Huc etiam ſpectat illud Pauli, *Confidis te ipſum eſſe ducem cæcorum, lumen eorum, qui in tenebris ſunt, eruditorem inſipientium, magiſtrum infantium, habentem formam ſcientiæ,& veritatis in lege, qui ergo alium doces, te ipſum non doces, qui prædicas non furandum, furaris, qui dicis non mœchandum mœcharis*,&c.

Docendum verbo, & exemplo. D. Gregor. Nazianz.

Itaque qui docere vult verbo, doceat & opere; Bethlehem indicet, & eò cum iis, quibus indicarit proficiſcatur. Vnde Nazianzen. in Tetraſtichis; Doce, inquit, moribus, nec vna manu trahas, altera repellas auditorẽ, minus oportebit loqui, ſi quæ oportet feceris, pictor imaginum exemplis magis docet. Egregiè, ait Gregorius, doctorem, cuius vita à verbis diſſentit, vna manu trahere auditorem altera repellere, quippe qui verbis trahit, vita repellat. Eundem cum pictore cõfert, qui non tam verbis, quam ectypis, id eſt, imaginum exemplis, diſcipulum docet: ſic probus concionator auditorem, non tam dicendo, quàm exemplis, quæ dicit præſtando, docere debet. Quia verò vita virtutibus exornata, magnum habet ad pertrahendum pondus, ideò, Minus, ait, oportebit loqui eum, qui bene vixerit, vita enim, quod ſermoni deeſt, explet.

Opera verbis præſtantiora. D. Chryſoſt.

Idem Nazianzen. eodem loco, opera verbis præſtätiora eſſe, his verbis docet, Mutum opus præſtantius eſt ſermone operibus carente, nemo abſq; vita vnquam euectus eſt in ſublime, at abſq; verbis pulchrè ſonantibus, multi. non enim loquentium, ſed benè viuentium eſt gratia. Lege Chryſoſt. hom. 6. epiſt. ad Rom. in morali; Quoties, inquit, verbis tantùm philoſophi, in operibus decorum minimè ſeruauerimus, quibus tandem oculis gentiles contuebimur? Iudæi olim captiui abducti cùm eſſent, Perſis inſtantibus, poſtulantibuſque, vt ſibi diuinos illos cantus canerent, reſponderunt: Quomodò cantabimus canticum Domini in terra aliena? Quod ſi in terra barbara, Domini oracula canere fas non erat, quantò minus in animæ barbaræ, &c.

CAPVT XIV.

Morale.

DENIQVE in magis tria ſuperſunt imitanda, obedientia, munerum oblatio, per aliam viam in patriam reuerſio. Vbi primum Magi ſtellam viderunt, continuò vocanti Deo obtemperantes, in
Matth. 2. viam ſe dederũt, *Vidimus*, inquiunt, *ſtellam eius in Oriente, & venimus adorare eum*, vidimus, aiunt, & venimus, nihil eſt medium. Non deſunt nobis ſtellæ, quæ ad Chriſtum vocent, ſed vel eas non videmus, vel vo-
D. Leo. cantibus non obedimus. Stellę ſunt, vt D. Leo docet, ſanctorum virorum exempla. Sermon. 3. de Epiphania. Quicunque, ait, in Eccleſia piè viuet & caſte, qui
Vocantem Deum protinus ſequere. ea, quæ ſurſum ſunt ſapit, non quæ ſuper terram, cæleſtis quo dammodo inſtar eſt luminis, & dum ipſe ſanctæ vitæ nitorem ſeruat, multis viam ad Dominum quaſi ſtella demonſtrat, &c.

Stellæ quibus à Deo vocamur. Greg. Mag.

Stellæ ſunt conciones, à Deo immiſſæ inſpirationes, & multa à Gregorio Magno cõmemorata, quibus nos ad ſe vocat Chriſtus. Vocat nos Deus per ſe (ait Magn. Gregor. hom. 36. in Euangel.) vocat per Angelos, vocat per Patres, vocat per Prophetas, vocat per Apoſtolos, vocat per Paſtores, vocat plerunque per flagella, vocat aliquando per huius mundi proſpera, vocat aliquando per aduerſa, &c. Vides quot ſtellis ad Chriſtum vocemur? Cum ſtella apparuerit, ne cunctẽris, ſed protinus, vocatus ad vocantem feſtina, ne ſi renuas, illud tibi cõtingat, quod
Prou. 4. ſapientia apud Salomonem minatur; *Quia vocaui, & renuiſtis, extendi manum meam, & non fuit qui aſpiceret, deſpexiſtis omne conſilium meum, & increpationes meas neglexiſtis; Ego quoque in interitu veſtro ridebo, & ſubſannabo, cum vobis id quod timebatis aduenerit*, &c.

D. Gregor. Nazianz. Serpentis ſibillus da mihi iuueniles annos.

Ne quæſo Iudæis & Herodi ſimilis ſis, qui ſtellam, Magoſque ſequi noluerunt, & in perfidia ſua perierunt. ſerpentis (vt docet Gregorius Nazianzen. oratione 40.) ſibilus hic eſt: Da mihi præſens tempus, futurũ Deo: mihi iuueniles annos, Deo ſeniles: mihi voluptates, Deo corpus effætum, nulliſque vſibus aptum, &c. At tu cum ſponſa reſpondeto: *Noua & vetera ſeruaui, tibi*, ô Chriſte Deus, nouas iuuentutis vires, vetereſque ſenectutis tibi ſeruaui, tibi dicaui, tibi obtuli? Vocas, non differam in ſenectutem con-
Cantic. 7. Noua & vetera ſeruanda Deo. B uerſionem, apparet ſtella, confeſtim viam arctam ingrediar.

Charitas aurum pretioſiſſimum. Apocal. 3.

Quod ad munerum oblationem attinet. Obtulerunt Magi aurum, nos ſimilem auro charitatem offeramus. Eſt enim charitas aurum, & quidem fulgentiſſimum, & pretioſiſſimum, iuxta illud, *Suadeo tibi emere à me aurum ignitum*, hoc eſt, igne expurgatum, videlicet charitatem. Vt reliquis metallis aurum, ita reliquis virtutibus amor antecellit: vt aurum ditiſſimum reddit poſſeſſorem, ſic charitas locupletiſſimum reddit animum: vt aurum, lignum, ferrum, argentumque deaurat, ita charitas cæterarum virtutum opera veluti deaurat, ſuamque illis pulchritudinem confert: vt aurum igne fit purius, ita charitas
C tormentis & ignominiis fit rutilantior: vt aurum, ita charitas cordi lætitiam affert.

Apoc. 3. Qui charitatis auro caret pauperrimus eſt.

Hoc aurum non pecunia, ſed pœnitentia, oratione ac tota pectoris cõtentione, veluti emendum eſt; Qui enim charitate caret, etſi diuitiis omnibus affluat, pauperrimus eſt. Vnde Apocal. loco citato; *Suadeo tibi* (inquit Dominus) *emere à me aurum ignitum, vt locuples fias*. Eme, inquit, à me, quia ſolus Deus hoc aurum poteſt vendere, ſolus ementibus conferre, non angelus, non ſeraphinus, nõ homo charitatis largitor eſt, ſed Deus. Sacerdotes verò, qui Sacramenta, in quibus charitas donatur adminiſtrant, admirabilis huius vẽditionis & largitionis miniſtri ſunt. A Deo hoc aurum emitur, tanquam à præcipuo authore, à
D ſacerdotibus verò Sacramenta adminiſtrantibus emitur quoque, ſed veluti à miniſtris. Suadeo tibi (ait Richardus Victor. prædicta Apocal. verba enarrans) ſuadeo, inquam, tibi à me emere aurum, id eſt, charitatem, luce intimi ſplendoris fulgidam, feruore dilectionis ignitam in electis meis per fornacem tribulationis probatam. Eme impenſis rationis à me, à quo ſũt certa bona ſpiritalis gratiæ, vt locuples fias. Quamdiu namque ſine charitate fueris, cæteris bonis ditari non poteris. Sed ſine ipſa ſemper pauper eris. Hęc ille. Emimus à Chriſto hoc ignitum aurum, emptumque rurſus illi offerimus à quo emimus, vt à quo fonte fluxit amor, in eundem redeat.

Richardus Victorinus.

Aurũ ignitum emendum.

Amor primum donum.

Hoc donum à nobis primùm, & maximè Domi-
E nus expetit: *Apertis theſauris ſuis obtulerunt ei* Magi *munera* (ait Euangeliſta) *aurum, thus, & myrrham*. Primo loco numeratur aurum, primum enim donum eſt amor, vt D. Thomas docet 1. par. quæſt. 38. art. 2. Primùm, inquit, quod damus, eſt amor, quo volumus alicui bonum. Vnde manifeſtum eſt, quod amor habet rationem primi doni per quod omnia dona gratuita donantur. Vnde cum Spiritus ſanctus procedat vt amor, procedit in ratione doni primi. Hæc D. Thom. offertur autem primum hoc donũ aperto theſauro; Theſaurus amoris cor eſt, in eo & reconditur, & diuina virtute procreatur. Qui cor Deo non aperit, amoris theſaurum claudit.

D. Thom.

Thus oratio. Greg. Mag. Oratio matutina.

Secundum donum thus eſt, hoc eſt oratio. Magno Gregor. interprete, quæ thuris inſtar, ex corde charitate incenſo in cælũ aſcendens, gratũ Deo odorem præbet.

præbet. Mane offerebatur olim thymiama Deo, in altari thymiamatis, *Adolebit incensum super eo*, id est, altari thymiamatis, *Aaron suaue fragrans, mane*, &c. Mane quoque diuinum orationis thymiama, illi est offerendum. Laudant auiculæ suo modo conditorem tempore matutino, laudat aurora, totiusque pulchritudo orbis, nos quoq; eũdem, & conditorem, & redemptorem nostrum, mane orantes laudibus celebremus. *Mane* (ait psalmographus) *astabo tibi, & videbo*, id est, contemplabor te. *Mane oratio mea præueniet te.* Et Psal. 62. *Deus Deus meus ad te de luce vigilo.* Non ad negotia alia, sed ad te ante omnia, vigilo.

Exod. 30. *Psal 5.* *Psal. 86.* *Psal. 62.*

Mane colligebant Hebræi dulce manna, *Colligebant mane singuli, quantum sufficere poterat ad vescendum, cumque incaluisset Sol, liquefiebat.* Christiani verò deuotionis dulcedinem, diuinumque in totum diem, ad negotia feliciter peragenda auxilium, per orationem mane colligunt. Tunc enim prosper est negotiorum cursus, cum & antecedit, & comitatur oratio, vt docet Nyssenus Greg. in lib. de oratione his verbis; Quicumque animum ad aliquod negotium adiecit, si cum oratione quodlibet agat, prospero atque felici successu negotiorum, à peccando abducetur, nullo aduersario animam ad vitium trahente: sin autem, relicto Deo, negotio totus intẽtus fuerit, omnino necesse est, vt à Deo remotus, cum aduersario prorsus versetur. Recedit autem à Deo, qui per orationẽ Deo se non coniũgit. Item, eodem loco: Quid attinet singulatim exponere, quibus rebus multipliciter, multisque modis peccatum humanæ vitæ commiscetur, cuius peccati nulla alia causa est, quam quòd ad ea, quæ in manibus habent, & studiosè tractãt negotia, diuinum etiam auxilium homines non simul adhibent, & assumunt. Quod si oratio negotium præcesserit, peccatum aduersus animã aditum non inueniet. Dei enim memoria in corde fixa atque fundata, irrita consilia aduersarij manent, iustitiasese mediã vbique cõtrouersiis interponẽte. Hactenus Nyssenus.

Exod. 16. *Greg. Nyss. Oratio negotia prospere dirigit.* *Peccati causa est, auxilium diuinũ minime per orationẽ implorare.* *Oratio aditũ occludit peccato.*

Tanquam diurnarum actionum fundamentum oratio matutino tempore in animo collocanda est. Vnde Chrysostomus Psal. 5. Si os, inquit, nostrum per orationem munierimus, diurnæ actionis pulchrum fundamentũ iecerimus, &c. Matutino tempore aqua faciem manusque abluere solemus. Eodem quoque tempore, animum cœlesti orationis vnda abluamus. Cum surgis (ait Chrysostom. loco citato) manus & faciem lauas, animam autem immundam negligis? Nescis quòd sicut corpus mundatur aqua, in oratione mundatur anima? laua ergo ante corpus animam, &c.

Matutina oratio fundamentum diurnarum actionum. *Chrysost.* *Mane abluenda anima orationis vnda.*

Itaque matutino tempore, aperto pectoris orisque thesauro, thus orationis Christo offeramus. Thus ardentibus imponitur prunis, oratio ardenti imponatur cordi, ardẽti, inquã, & feruido quodam desiderio: feruidum enim desiderium clamor est cordis, rationem in cœlũ attollens. Deum sic orare consueuimus; Domine exaudi orationẽ meam, & clamor meus ad te veniat: clamamus ergo, si quidem petimus, vt clamor noster ad Deũ perueniat. At sæpè nõ clamamus ore, restat ergo, vt clamemus corde, hoc est, cordis desiderio, est etenim desideriũ cordis clamor, Bern. teste ser. 16. in Psal. Qui habitat, Desiderium, inquit, vehemens clamor magnus est, remissa intẽtio est vox submissa. quando illa penetrabit nubes? quãdo audietur in cœlis? Nempe vt clamandum sibi nouerit homo initio orationis Dominicæ admonetur, patrem, quem oraturus est, in cœlis esse quo intelligat, impetu quodã spiritus, iaculandam sibi esse orationẽ, &c. Et Aug. Psal. 118. Clamor cordis, est magna cogitationis intentio, quæ cùm est in oratione, magnũ exprimit desiderantis affectum, vt non desperet effectũ, &c.

Orationis clamor, desiderium est vehemens. D. Bernard. *Pater, quẽ oramus, in cælis esse dicitur, vt clamemus. D. August.*

Matutino autẽ tempore esse adorandum Deum docet Sapiens, verba hæc de manna faciens. *Statim ab exiguo radio solis, calefactũ tabescebat; vt notum omnibus esset, quoniã oportet præuenire Solem, ad benedictionem tuam, & ad ortum lucis te adorare.* Græcè ἐπυγχάνειν σοι, id est, occurrere tibi. Colligebãt mane Hebræi manna, Solis verò calore liquefiebat, nec iam colligi poterat, vt scriptum est. Vt intelligeremus oportere ante solis ortum surgere, diuinaque dona, & gratiam, veluti manna, colligere; Deo occurrere, eumque adorare, & gratiarum actione laudibusq; celebrare. Vnde Chrysostom. Psalmo 5. Oportet, ait Sapiens, ad gratias agẽdas Solem præuenire, & ante ortum solis Deum interpellare. Tu autem in imperatore quidem minimè patiaris eum, qui est inferior, ante te adorare. Nunc autem sole Oriente, ipse dormis, & cedis primo loco creaturæ, nec omnem creaturam præuenis, &c.

Sapient. 16. *Ante solem surgere oportet, & Deũ laudare.* *Exod. 16.* *Chrysost.*

Neque verò mane solum, sed totã si fieri potest die, cor nostrum thus Deo offerat, sitq; perpetuum coram eo thuribulũ, iuxta illud Gregorij Cant. 4. Sancta anima quasi thuribulum cor suum coram Deo facit, &c. Huic animæ illud congruit. *Odor vestimentorum tuorum, sicut odor thuris.* Semper enim odorem thuris, id est, orationis, exhalat. Bene odor vestimẽtorum eius (ait Greg. eodem capite.) sicut odor thuris esse perhibetur, quia in omnibus operibus suis orat, dum peruenienti ad cœlestia intentione, ea quæ potest bona operatur, &c.

Gregorius. Cor perpetuũ sit, per orationem perpetuam thuribulũ. Cant. 4. D. Gregor.

CAPVT XV.

Morale.

Tertium Donum Magorũ myrrha est, hoc est voluntatis, sensum, cupiditatumque mortificatio. Eximia est thuris, & myrrhæ, hoc est, orationis, & mortificationis, copulatio, eximius odor. Oratio mortificationem iuuat, mortificatio orationi opitulatur. qui bene orat, carnis cupiditates bene resecat: qui affectus prauos mortificat, orationi alas præstat. Myrrhæ cum thure copulatio, in sponsa Christi laudatur, illis verbis: *Quæ est ista, quæ ascendit de deserto sicut virgula fumi, ex aromatibus myrrhæ, & thuris, & vniuersi pulueris pigmentarij?* Ascendit anima, quæ mortificatione valet, & oratione. Neque solius myrrhæ, & thuris, odorẽ efflat, sed vniuersi etiam pulueris pigmentarij: hoc est, cæterarum virtutum, quas oratio mortificatioq; comparant & conseruant, cupiditatum verò indulgentia, Deique obliuio, dissipant ac disperdunt.

Myrrha mortificationis cum thure, id est, orationẽ, bene cõmiscetur. *Cant. 3.*

Sed audiamus Magnum Gregor. in hunc Canticorum locum scribentem, Myrrha, ait, corpora mortuorum condiuntur, ne putrescant, thura verò incenduntur, vt redoleant. Per myrrham ergo carnis mortificatio designatur, per thus verò orationum mundicia intelligitur. Sãcta igitur anima, dum carnem suam à putredine vitiorum mortificat, dum omnes mundi voluptates, per continentiam abnegat, quasi myrrhã mortuo corpori adhibet, vt post iudicium à corruptione æterna sanum permaneat. Cùm verò se ad cœlestia maiori desiderio accẽdit, & à cordis cubiculo omnes superfluas cogitationes feruenter abiicit, quasi thuribulum cor suũ coram Deo facit, in quo dum per dilectionem virtutes congregat, quasi carbones in thuribulo captat, in quo se ipsam mẽs in cõspectu Dei, charitatis igne incendat. dumq; feruẽtes & mundas orationes ad Deum emittit, quasi fumum aromatum ex thuribulo educit, vt coram dilecto suaue redoleat, & proximos quosque ad eius amorem per bona exempla, concitare nõ desinat. Hæc ille.

Greg. Mag. *Cor thuribulum charitatis igne ardens.*

Egregia ad mortificandũ myrrha, eſt exemplum Christi, ſiue in præſepio nati, ſiue patientis. Quamobrem, faſciculus myrrhæ nominatur. *Faſciculus myrrhæ* (ait mortificationis ſtudioſa anima) *dilectus meus mihi, inter vbera mea cõmorabitur.* Si prauos inuidiæ, ambitionis, libidinis, auaritiæ, & turpis amoris, vel odij affectus vis morti tradere, in pectore myrrham hanc præſtantiſſimã ſemper ferto, hoc eſt, Christi exemplum. Vnde Greg. Cant. 1. Sancta, inquit, mens, dum Christi vitã ex omni parte conſiderat, contra omnia vitia, ex eius imitatione repugnantes virtutes congregat, ex quibus ſibi faſciculum myrrhæ aptat, quo carnis ſuæ putredinem ſempiternam abſtergat, &c.

Cant. 1. Exemplum Christi myrrha eſt.

Gregorius.

Eſt ſua myrrhæ felix meſſis, Chriſtoque deſiderata, de qua ille Cant. 5. *Meſſui*, ait, *myrrham meam, cum aromatibus meis.* Tunc autem iuxta Gregorij interpretationẽ, Chriſtus myrrhã metit, cũ mortificatũ animũ in cœleſte horreũ infert. Myrrhã, ait Greg. cũ aromatib. metit, quando mortificatione vitæ, ad perfectionem perducta, electum ſuum, ab hac vita ſuccidens, ad cœleſte horreum, cũ ſancta opinione, inducit. Faxit Deus vt myrrha ſimus, hac meſſe colligenda, & in hoc diuinum horreum inducenda, non zizania æterno igne inflammanda.

Cant. 5. Myrrha felix meſſis in horreum Chriſti.

At dices homo ἀπαθὴς eſſe nequit, affectus igitur habere debet. Habeat quidẽ, ſed nõ effrænatos. Nõ poſſunt radicitus ita extirpari affectus, vt aliquando non repullulent: certè ſi repullularint, veluti capilli, mortificationis adhibita nouacula protinus reſcindantur. Num. 3. *Radant Leuitæ omnes pilos carnis ſuæ*; radant, inquit, non eradicent: eradicari enim ita animi perturbationes nequeunt, vt apathes fiat homo, radantur ergo, quod ſi rurſus ſeſe exerant, rurſus abſcindãtur. D. Cyril. lib. 11. de adoratione: S. Spiritus, inquit, efficacia ac virtute, tanquã nouacula, lex peccati habitans in mẽbris carnis, præciſa eneruatur, atq; etiã ſi rurſus in nobis pullulet, vehementius tondetur: *Spiritu enim*, ait Paulus, *ambulate, & deſideria carnis non perficietis.* Vt autem nouacula, naſcentem in nobis pilum, non in totum, ex imis ipſis radicibus, extirpat, ſed mox pullulantem amputat, ſic quoq; Dei verbũ, in nobis motus illos, qui nos ad inſitas cupiditates impellũt, nõ tãquam radicitus euellit, ſed mortificat, & extinguit potiùs, cùm in nobis oriũtur ac pullulãt. Hæc Cyril.

Num. 3. Homo nõ eſt ἀπαθὴς. D. Cyrill.

Ad Gal. 5.

Nouacula eſt mortificatio, vt pilos affectus non extirpat omnino, ſed radit. Theodoret. Cant. 7.

Theodor. Cant. 7. ad illa verba, *Mandragoræ dederunt odorem ſuũ*; Mandragoræ, inquit, vis eſt, vt medici tradunt, ſoporifera. Quare cũ præceptũ ſit nobis, vt mortificemus mẽbra, quæ ſunt ſuper terrã, non vt ea morte afficiamus, ſed vt mortua malis actionib. reddamus, meritò mandragoram hoc loco poſuit, & dixit; *Mandragoræ dederunt odorẽ ſuum*, id eſt, cœperunt homines, dormire peccatis. Et quemadmodum, qui mandragorã hauſerunt, corporis motiones non ſentiunt, ita qui piæ doctrinæ poculum biberunt, perturbationes ſtudent conſopire, &c.

Mortificatio vt mandragora animi cupiditates conſopit.

Nõ eſt huius ſæculi pax quæ omni animi perturbatione careat, cœleſtis eſt patriæ, in qua corpus animo, animus Deo perfectiſsimè obtẽperabit. Perfecta ſanitas (ait Cyril. loco citato) in futurũ ſæculũ reſeruata eſt, &c. In hoc ſæculo, toto conatu enitendum eſt, vt ſiquidẽ animi affectus, veluti immanes feræ, cicurari omnino non poſſunt, ſaltẽ cum efferantur, perdomentur, & rationis cauea mortificationiſq; vinculis ne peccati vulnus infligant, cõerceantur. Iuxta illud eiuſdẽ Cyrilli; Dei verbum legem illã, quæ eſt in mẽbris carnis noſtræ cũ efferatur, perdomat, &c. Hęc de muneribus Magorum.

In cœlo perfecta affectuum obedientia. Cyrillus.

Animi perturbationes vt feræ immanes cauea & vinculis ſunt coërcenda.

Munera Chriſto illi obtulerũt, ſed maiora acceperunt, ſemper. n. Deus dona largitur multò pretioſiora donis iis quæ offeruntur. Obtulit Regina Saba Salomoni aurũ, aromata, gemmaſque pretioſas, plura largitus eſt Salomon. *Rex Salomon dedit Reginæ Saba cuncta, quæ voluit, & quæ poſtulauit, & multò plura, quam attulerat ad eum*, &c. Chriſtus verus Salomon magna donat iis, qui offerũt parua. Qui in conſpectu Chriſti non apparet vacuus, non reuertitur vacuus, *Non apparebis in conſpectu meo vacuus*, hoc eſt, aliquid muneris afferes. Hebræa verba & hunc ſenſum cõtinent, & ſimul alterũ, videlicet; *Non apparebitis in conſpectu meo fruſtra*, id eſt, non dimittam vos munere vacuos. Ad verbum, *non videbuntur facies meæ vanè.* Non videtur facies Dei vanè, cum non videtur ſine munere noſtro, cùm vacui coram illo non apparemus. Præterea, non videtur facies Dei vanè & inutiliter, id eſt, non offeruntur illi munera fruſtra, quia pro paruis magna retribuit.

2. Par. 9.

Exod. 23.

Non videtur Dei facies vanè.

Offeramus ergo nos, noſtraq; Deo omnia liberaliſſimo remuneratori, ab illo accepimus omnia, ad illũ referamus omnia. Da, inquit Greg. Nazian. orat. 16. exiguum ei, à quo multum habes, da etiam omnia ei, qui omnia donauit. Nũquam Dei munificẽtiam vinces, etiam ſi omnia tua bona proiicias, etiam ſi te ipſum etiam bonis tuis adiungas. Nam hoc quoque ipſum accipere eſt, nempe Deo donari. Deus muneribus noſtris vinci non poteſt. Neq; etiam quidquam, quod extra illius bona ſit, damus, neque quod illius ſuperet liberalitatem. Hæc ille.

Gregor. Nazianz. Deo omnia offerenda.

Deo dare, eſt accipere.

Reuerſio per aliã viam, morũ indicat correctionem. Is qui Deum inuenit, *ſpatioſam viã*, vt Chriſtus Dominus appellat, quæ ad Herodẽ & perditionem ducit, *fugere, arctã, quæ ad vitam cœleſtemq; patriã fert, ingredi debet.* Cauere etiã vehemẽter, ne ad Herodem redeat, hoc eſt, ne in peccatũ, quod deteſtatus effugit, relabatur, neve in laqueos Satanæ iterum incidat. Etenim viliſſimus coram Deo eſt, qui eandem, quã ſæpe deſeruit, peccati repetit viã, iuxta illud, *Quam vilis facta es nimis, iterans vias tuas. Canis eſt reuerſus ad vomitum, & ſus lota iterum in volutabro luti.*

Reuerſio Magorum per aliam viam. Matth. 7.

Peccati viæ non eſt repetenda.

Ierem. 2. 2. Pet. 2.

Bruta animalia (ait D. Hieron ad Furiam) & vagę aues, in eaſdem pedicas retiaq; non incidũt, homo ratione præditus, in eoſdẽ Satanæ laqueos, quos ſemel effugit, iterũ incidet? Qui è carcere elabitur, in carcerem ſponte ſua numquam redit. Carcere peius peccatum eſt. carcerem dixi? Ipſo Orco peius peccatum eſt. è carcere ergo peccati fœtidiſſimo, atque obſcuriſsimo ereptus, ex ipſo Orco liberatus, caue diligenter, ne in illum, quamdiu vita ſuppetet, reuertaris. Carcerem autem animæque Orcum eſſe impij hominis conſciẽtiam, Bernard. docet, ſerm. 4. de aſſumptione Deiparæ, Infernus, inquit, quidam, carcer animæ, rea conſcientia eſt.

D. Hieron.

Orco peius peccatum.

D. Bernard.

Peregrinus ille, qui venit ad Dauid, ſemel tãtum venit, iterum nõ eſt hoſpitio receptus. Fuit in Dauide libidinis crimen peregrinum, à Nathano correptus & correctus tartareum peregrinum agnouit, pœnitentiam egit, neq; iterum hoſpitem execrandum domo excepit. Tu quoq; ſi peregrinum, quod animo exceperas flagitium expuliſti, ne expulſum aliquando domum reducas, caue diligentiſſime. Peccauit Petrus, ſed ad peccatum numquam rediit. *Egreſſus eſt foras, & fleuit amarè*, egreſſus inquam eſt, numquam verò poſteà flenda commiſit. Peccauit Magdalena, at poſtquam verbum Christi audiuit, *Vade in pace*, perpetuam ſeruauit pacem, bellum numquam renouauit.

2. Reg. 2. Dauid peregrinum domo expulſum iterum non accepit.

Peccatum non iterandum.

Tanta vis cõſummatę emẽdationis eſt (ait D. Ambroſ. Pſal. 118. littera tau) vt in quandã pueritię redeat ſpiritalis ætatem, quę vias erroris ignoret, crimen etiã ſi velit, non poſſit admittere, quia deſuerit vſum noſſe peccãdi, &c. Vide quæſo quantam vim Ambroſ. cõſummatæ tribuat emendationi, in quandam, vt ita dicam, impeccabilitatẽ hominem

D. Ambroſ.

Vis perfectæ emendationis.

Deus maiore menſura remunerat.

duce-

ducere ait. Potest quidem omnis homo etiam emendatissimus peccare, sed quia difficillime ad peccatum adduci potest, propterea dixit, crimen etiam si velit, non posse admittere. Quamuis enim à carne ad flagitium impellatur, spiritu tamen carni resistit, eamque pessundat.

Hanc consummatam emendationem (vt sanctissimus ac sapientissimus Pater vocat) admirabilis illa Naamani leprosi curatio abumbrat. *Descendit, lauit in Iordane septies & restituta est caro eius, sicut caro pueri paruuli, & mundatus est.* Descendit per humilitatem in fluuium sanguinis Christi, qui ex pœnitẽtiæ Sacramento defluit, verus humilisq; pœnitens, abluitur, lepra fugit, restituiturq; anima eius, sicut caro, & anima pueri innocentis. Fitque illud, quod dixit Ambr. In quandã pueritiæ spiritalis ætatem redit consummata emendatio, quæ vias erroris ignoret.

4. Reg. 5.

Cõsummata emendatio, in spiritalẽ quandam pueritiam hominem reuocat.

Sit ergo nostra emendatio consummata, perfectaque ad Deum ex toto corde conuersio iuxta illud, *Conuertimini ad me in toto corde vestro.* Cõuertamur ad Deũ, furẽtem Herodem toto pectore fugiamus.

Joel 2.

Tunc maximè furit dæmon, cũ ex illius vnguibus, homo elabitur Tertullian.

Furit Herodes, hoc est, Satanas cum Magos, hoc est sapientes, qui sibi sapiũt, solitam, quã tenebant, vitiorum viã deserere, & ad se minimè repedare videt. Tunc maximè sæuit hostis (ait Tertul. lib. de pœnitentia) cum hominẽ plenè sentit liberatum, tunc plurimum accenditur, dum extinguitur, obseruat, oppugnat, obsidet, si quà possit, aut oculos concupiscentia carnali ferire, aut animum illecebris sæcularibus irretire, non scandalis, non tentationibus deficit, &c. Tu ne cede malo, sed contra audentior ito.

A Inimicitias posuit Deus inter serpentem & mulierem, mulierisque semen; *Inimicitias* (inquit) *ponam inter te, ô serpens tartaree, & mulierem & semen tuum & semen illius. Ipsa conteret caput tuum, & tu insidiaberis calcaneo eius.* O præclaras inimicitias, quæ Dei pariunt amicitiam. Has tu inimicitias æternas seruа; Cum serpente horrido, in gratiam redire noli. Obseruat ille calcaneum tuum, oppugnat, obsidet, insidias parat, immanes dentes calcaneo conatur infigere. tu obserua caput, & contere, contrito capite nocere non poterit. Truculenti caput serpentis, prima est peccati suggestio, Doctore Augustino, hanc si pedibus obteras, omnes illius conatus facies irritos. Augustinus Psalm. 103. O Ecclesia, inquit, caput serpentis obserua. Quid est caput serpentis? prima peccati suggestio, caput calca, & B euades cæteros motus. Quid est caput calca? ipsam suggestionem contemne. Item eodem loco Augustinus; Obseruans primã suggestionem, serpens obseruat lapsum tuum. Si enim lapsus fueris, cades; si ceciderís, possidebit. Vt autem non cadas, noli exire de via. Angustã tibi semitã strauit Deus, quicquid extra illam est, lubricum est. Hæc ille.

Genes. 3. Inimicitiæ perpetuæ cũ serpente seruandæ.

D. August. Prima peccati suggestio calcanda.

Quicquid extra angustam viam est, lubricum est.

Per hanc angustam semitam iter cum Magis habeto, lubricam & spatiosam impiorum viam fuge, quicquid Herodes, quicquid serpens callidus machinetur, retro nunquam respicias, vlterius semper per iustorum semitam progredere. *Iustorum autem semita*, vt ait Salomon, *est, quasi lux splendens, procedit, & crescit vsque ad perfectam diem*: sic tu lucis instar procede, & cresce, vsque ad perfectam virtutem.

Prouerb. 4. Semita iustorum luci similis, quæ vsque ad perfectam die crescit.

LIBER DECIMVS

CAPVT PRIMVM.

De purificatione Deiparæ Virginis.

D. LVCAS II.

ET postquam impleti sunt dies purgationis eius, secundum Legem Moysi, tulerunt illum in Ierusalem, vt sisterent eum Domino, sicut scriptum est in lege Domini; Quia omne masculinum adaperiens vuluam, sanctum Domino vocabitur. Et vt darent hostiam secundùm quod dictum est in lege Domini, par turturum, aut duos pullos columbarum. Et ecce homo erat in Ierusalem, cui nomen Simeon, & homo iste iustus, & timoratus, expectans consolationem Israël: & Spiritus sanctus erat in eo. Et responsum acceperat à Spiritu sancto, non visurum se mortem, nisi prius videret Christum Domini. Et venit in spiritu in templum. Et cum inducerent puerum Iesum parentes eius, vt facerent secundum consuetudinem legis pro eo, & ipse accepit eum in vlnas suas, & benedixit Deum, & dixit:

Nunc dimittis seruum tuum Domine, secundum verbum tuum in pace. Quia viderunt oculi mei salutare tuum. Quod parasti ante faciem omnium populorum. Lumen ad reuelationem gentium, & gloriam plebis tuæ Israël.

Et erat pater eius, & mater, mirantes super his, quæ dicebantur de illo. Et benedixit illis Simeon, & dixit ad Mariam matrem eius: Ecce positus est hic in ruinam, & in resurrectionem multorum, in Israël: & in signum, cui contradicetur. Et tuam ipsius animam pertransibit gladius; vt reuelentur ex multis cordibus cogitationes. Et erat Anna prophetissa filia Phanuel, de tribu Aser. Hæc processerat in diebus multis, & vixerat cum viro suo, annis septem à virginitate sua, & hæc vidua, vsque ad annos octoginta quatuor: quæ non discedebat de templo, ieiuniis, & obsecrationibus seruiens nocte, ac die. Et hæc ipsa hora superueniens, confitebatur Domino: & loquebatur de illo, omnibus, qui expectabant redemptionem Israël.

POSTQVAM Magi per aliam viam in regionem ſuam reuerſi ſunt, diebus exactis, quos lex purificationi deſtinauerat, die ab ortu Chriſti quadrageſimo, Deipara Virgo infantem Ieroſolymam attulit, & Deo obtulit. In templum illatus, à venerando ſene Simeone vlnis exceptus, & à prophetiſſa Anna agnitus eſt.

Duplex lex obſeruata à Deipara. Leuit. 12.

Duplicem legem obſeruauit Deipara, quarum vna extat Leuit. 12. de Purificatione, altera Exod. 13. de primogenitis ſanctificandis, atque offerendis. Prior huiuſmodi eſt. *Mulier ſi ſuſcepto ſemine peperit maſculum, immunda erit ſeptem diebus, iuxta dies ſeparationis menſtruæ. Et die octauo circumcidetur infantulus. Ipſa verò 33. diebus, manebit in ſanguine Purificationis ſuæ. Omne ſanctum non tanget, nec ingrediatur in ſanctuarium, donec impleantur dies purificationis ſuæ. Sin autem fœminam peperit, immunda erit duabus hebdomadibus iuxta ritum fluxus menſtrui, & ſexaginta ſex diebus, manebit in ſanguine purificationis ſuæ. Cumque expleti fuerint dies purificationis ſuæ, pro filio ſiue pro filia, deferet agnum anniculum in holocauſtum, & pullum columbæ ſiue turturem pro peccato, ad oſtium tabernaculi teſtimonij, & tradet ſacerdoti, qui offeret illa coram Domino, & orabit pro ea, & ſic mundabitur à profluuio ſanguinis ſui. Quòd ſi non inuenerit manus eius, nec potuerit offerre agnum; ſumet duos turtures, vel duos pullos columbarum; vnum in holocauſtum, & alterum pro peccato, orabitque pro ea ſacerdos, & ſic mundabitur.* Hactenus lex.

Prior lex purificationis.

Explicatur lex purificationis.

Leu. 15.

Ex hac lege, conſtat, fœminam, quæ maſculum filiũ peperierat, 40. diebus legali quadam immundicia fuiſſe inquinatam. Septem primis diebus, immunda erat iuxta dies ſeparationis menſtruæ, hoc eſt, vt fœmina menſtruata, quæ à conſortio populi ſepabaratur; *Mulier, quæ redeunte menſe patitur fluxum ſanguinis ſeptem diebus ſeparabitur.* Omnis, qui tetigerit eam, immundus erit vſque ad veſperum; Et in quo dormierit, vel ſederit, diebus ſeparationis ſuæ polluetur, &c. Octauo die infantem circumcidebat. Prætereà diebus 33. à templo, rebusque ſacris arcebatur, iuxta verba legis citatæ; *Ipſa vero 33. diebus manebit in ſanguine purificationis ſuæ, om ne ſanctum non tanget, nec ingredietur ſanctuarium.*

Si verò fœminam peperierat, dies duplicabantur. Etenim 80. diebus immunda erat. Primis 14. immunda erat inſtar fœminæ menſtruatæ, cæteris 66. nec templum ingrediebatur, nec ſacras res tangebat. Hi dies 40. ſi maſculum peperierat, vel 80. ſi fœminam ſuſceperat, purificationis dies nominantur. Quibus elapſis, in templum veniebat puerpera offerebatque ſi facultas eſſet, vnius anni agnum in holocauſtum, & pullum columbæ, vel turturem, in ſacrificium pro peccato. Si autem agnum offerre non poterat, duos tantum turtures offerebat, vel duos pullos columbarum. Horum alter in holocauſtum incendebatur, alter verò in aliud genus offerebatur ſacrificij, quod ſacrificiũ pro peccato appellatur.

Altera lex de ſanctificandis primogenitis. Exod. 13.

Secunda lex extat Exod. 23. *Sanctifica mihi, ait Dominus, omne primogenitum quod aperit vuluam in filiis Iſrael, tam de hominibus, quam de iumentis, mea ſunt enim omnia.* Hoc eſt, conſecra, & offer mihi omne primogenitum, quod primo naſcitur vterumque matris referat, *Omne*, inquam, *primogenitum tam hominum quam iumentorum.* Ratio legis hæc redditur, in eodem capite; *Cum interrogauerit te filius tuus cras dicens, Quid eſt hoc? Reſpondebis ei: In manu forti eduxit nos Dominus, de terra Ægypti, de domo ſeruitutis. Nam cũ induratus eſſet Pharao, & nollet nos dimittere, occidit Dominus omne primogenitum, in terra Ægypti, à primogenito hominis, vſque ad primogenitum iumentorum. Idcirco immolo Domino omne quod aperit vuluam, maſculini ſexus, & omnia primogenita filiorum meorum redimo.* Propterea ergo, Deo primogenita omnia offerebant Iſraelitæ, quòd propter illos Deus Ægyptiorum omnia primogenita occiderat, vt ſcriptum eſt Exod. 12. qua clade Pharao permotus, populum iuſsit diſcedere. Vnde ait Deus, *Meum eſt omne primogenitum, ex quo percuſſi primogenitos in terra Ægypti, ſanctificani mihi quicquid primum naſcitur in Iſrael, ab homine vſque ad pecus, mei ſunt,* &c. *Exod. 12. Numer. 3.*

Ratio, cur primogenita Deo offerebantur.

Animalia munda Deo offerebantur, & immolabantur, immunda pretio quinque ſiclorum redimebantur, infantes verò primogeniti offerebantur Deo in templo Ieroſolymitano. Nec tamen templi miniſterio dicabantur, ſed quinque ſiclis à parentibus redempti, domum reduci ſolebant. Itaque primogenitos filios, parentes à Deo, cuius erant, pecunia emebant, emptos non magno pretio domum referebant. Siclus quatuor cõtinet drachmas, hoc eſt, 4. reales, Quinque ſicli 20. reales ſunt, id eſt, duo centuſſes, vel vt appellamus duo cruciati. Hæc pecunia ſacerdotibus ſoluebatur, ſacerdotaliſq; iuris erat. *Quidquid primum erumpit è vulua cunctæ carnis, quam offerunt Domino, ſiue ex hominibus, ſiue de pecoribus, tui iuris erit;* id eſt, ſacerdotalis: *ita duntaxat, vt pro hominis primogenito, pretium accipias, & omne animal, quod immundum eſt redimi facias, cuius redemptio erit, poſt vnum menſem, ſiclis argenti quinque, pondere ſanctuarij,* &c. Quod ſi primogeniti ex tribu eſſent Leuitica, offerebantur quidem Domino, ſed non redimebantur pretio, propterea quòd templi miniſterio dicarentur.

Primogenitorum redemptio.

Numer. 18.

Paruit vtrũq; Virgo intemeratæ legi.

Vtrique legi Deipara Virgo paruit. Primam ſic ſeruauit, quia filium maſculum quamuis admirando ediderat partu, quadraginta diebus, purificationis ritum, vt præſcriptus eſt, tenuit. Quadraginta expletis diebus, in templum venit. Quoniam verò inopem agere vitam decreuerat, non agnum, & turturem, ſiue pullum columbæ obtulit, ſed par turturum, aut duos pullos columbarum, quorum vnus in holocauſtum oblatus eſt, alter ſacrificio quod pro peccato nominatur, immolatus. Orauitque pro ſanctiſſima Virgine ſacerdos. Hoc modo totius puritatis mater, legi obediens voluit purificari.

Secundæ legi hoc pacto fecit ſatis. Chriſtum filium ſuum primogenitum, ex tribu Iuda Deo obtulit in templo, quia poſt purificationem, moris erat primogenitos offerre. Soluit pro illo ſiclos quinque redemptumque pecunia, domum retulit. Priorem legem à Virgine obſeruatam, docet Diuus Lucas illis verbis; *Poſtquam impleti ſunt dies purificationis eius ſecundum legem Moyſi: & illis, vt darent hoſtiam par turturum, aut duos pullos columbarum.* Poſteriorem obſeruatam indicat reliquis verbis: *Tulerunt illum,* id eſt, infantem Chriſtum, *in Ieruſalem, vt ſiſterent eum Domino, ſicut ſcriptum eſt in lege Domini,* Exod. *Quia omne maſculinum adaperiens vuluam ſanctum Domino vocabitur,* hoc eſt, Domino ſanctificabitur & offeretur.

Luc. 2.

Ibid.

Exod. 13.

An voluerit fuerint pro Chriſto oblata? D. Auguſt.

Exiſtit hoc loco dubitatio huiuſmodi. Offerebat puerpera fœmina, agnum, & turturem, vel pullum columbæ. Si verò agnum habere non poterat, duos turtures vel duos pullos colũbarum. Agnus, vel alter ex pullis in holocauſtum incendebatur, alter offerebatur pro peccato. Dubium eſt pro matre ne, an pro ſobole, hæ hoſtiæ offerrẽtur; Auguſt. q. 40. in Leu. pro ſobole offerri ſolitas ſentit. Hanc ſentẽtiam, ex verbis legis ſupra iam ſcriptis, colligit, adhũc enim modũ diſpũgit. *Cumq; expleti fuerint dies purificationis ſuæ: pro filio ſiue profilia deferet agniũ anniculum, in holocauſtum, & pullũ columbæ, ſiue turturẽ pro peccato,* &c. Verba illa, *pro filio ſiue pro filia:* coniungit cũ verbo *deferet:* ita vt ſenſus ſit, *offeret pro filio ſiue filia, agnum,* &c. Neq; verò Hebræa lectio huic ſententia repugnat.

Leuit. 12.

In ea

D. Hieron. In ea est quoque D. Hieronymus lib. 1. aduersus Iouinianum. Pro Christo, inquit, par turturum & duo pulli columbarũ, die purgationis oblati sunt.

D. Thom. &c. D. Thom. 3. p. q. 37. art. 3. ad quartum aperte idẽ asserit, videlicet pro Christo esse oblatos illos pullos, siue turtures, offerriq́ue solitos, pro filio, vel filia. D. Thomam sequitur Caiet. eodem loco

Caiet. *D. Leo.* D. Leo, Epist. 4. decretali, cap. 6. Christus, ait, sic voluit baptizari, quomodo voluit circumcidi, hostiam q́ue pro se emundationis offerri, vt qui factus

D. Bonauen. erat ex muliere, fieret & sub lege, &c. D. Bonauentura de Vita Christi cap. 11. Emerunt duos turtures, aut duos pullos columbarum, vt offerrent

Rupertus. pro ea, id est, Christo, sicut pro pauperibus fiebat. Rupertus in Leuitic. cap. 12. Non alia pro B

Beda. filia, quàm pro filio datur hostia, scilicet agnus, & columba, siue turtur. Beda in Homilia. Præcepit Dominus in lege, vt qui posset, pro filio, vel

Euthym. filia agnum, & turturem, siue columbam offerret. Euthymius. Iussit lex, vt darent par turturum, propter puer i temperantiam, est enim turtur animal castissimum, aut duos pullos columbarum, propter

Origenes. eius fœcunditatem, columba namque fœcundissima est. Origenes Homil. 14. in Luc. Turturum par

D. Chrysost. vel duos pullos columbarum, pro Saluatore videmus oblatos. Chrysostomus in oratione de occursu Domini; Ascenderunt vt offerent pro eo, id est,

Hildeph. Christo, sacrificium par turturum, aut duos pullos columbarum, pro vt lege cantum extabat. Diuus Hildephonsus in oratione de purificatione. In le- C

Cyrillus. ge præcipiebatur vt parentes pro puero agnum offerrent, & turturem, siue pullum columbæ, &c. Diuus Cyrillus libr. 8. in Leuit. verba Lucæ sic recitat: Venerunt parentes eius, vt offerrent pro eo, id

Laurentius Iustinianus. est, Christo hostiam, secundum quod scriptum est in lege Domini; par turturum, aut duos pullos columbarum. Laurentius Iustinianus. Obtulerunt

Eligius. pro eo par turturũ, vel duos pullos columbarum, &c. Sanctus Eligius Homil. de purificatione; Audistis, quod lex ita præcepit, vt qui posset, pro filio,

Opinio communis. vel pro filia offerret agnum, & turturem, &c. Diuus

D. Bernar. Bernardus serm. 3. de purific. Christus auibus redimitur, &c. Eidem opinioni assentiuntur Diuus

D. Anton. Antoninus 1. parte Historiarũ, in Vita Christi, Pe-

Petrus de Natal. trus de Natalibus, Lyranus, Luc. 2. Diuus Vincen-

Lyranus. tius in sermone de Purificatione, Magister histo- D

D. Vincent. riæ, Haymo, & alij, & probatur ex responsorio 2.

Magister Historia. Purificationis Deiparæ, quod huiusmodi est, Obtu-

Haymo. lerunt pro eo Domino par turturum, aut duos pullos columbarum, Constat ergò pro Christo oblatas volucres, quoniam pro reliquis infantibus solebant offerri, Adde & illa verba Luc. 2. Cum inducerent puerum IESVM parentes eius, vt facerent, secundum consuetudinem legis pro eo. Quid nam facerent, Nimirum vt offerrent pro eo sacrificia, illumq́ue Deo sisterent.

Opinio Iansenij. At Iansenius, ait Diuum Augustinum humanum aliquid passum esse, id est, lapsum dum scribit pro Christo oblatam hostiam. Nescio an Hieronymum, & alios legerit. Responsorij Ecclesiastici E

Leuit. 12. meminit, atque ita interpretatur: Obtulerunt par turturum pro eo, id est, pro Virgine quæ illum peperera, quę interpretatio probabilitate caret; Probabilius ita aliquis interpretari potest: Pro eo, id est, pro eius partu, quod forsitan sentit præclarus Doctor. Existimat itaque Iansenius, hostiam illam non fuisse oblatam Deo pro prole, sed pro matre. Verba legis quæ contrariam opinionem confirmant, aliter dispungit, hunc in modum; *Cumq́ue expleti fuerint dies purificationis suæ pro filio siue pro filia: defert agnum*, &c. Verba illa, *pro filio, siue pro filia*, cũ antecedentibus copulat. hoc sensu, Exactis diebus purificationis, cui subiecta est fœmina, pro partu filij vel filiæ afferet sacrificia, offerenda non quidem pro prole, sed pro se ipsa. Vidit Diuus Augustinus hanc dispunctionem vt constat ex quæstione citata, eam sequitur Abulensis, & Oleaster. *Abulensis. Oleaster.*

Dionysius Carthusianus Luc. 2. credit non solum pro Christo: sed etiã pro Deipara, oblatas hostias. Id ipsum asserit Guerricus in sermone de Purificat. Haymo, & Eligius. Cardinalis Hugo, holocaustum putat oblatum pro prole, sacrificium autem pro peccato, pro matre. Abulensis Leuit. 12. & Caiet. arbitrãtur sacrificium pro peccato oblatum pro peccatis matris, non tamen pro certo aliquo peccato. Lyranus existimat, oblatũ pro certo peccato matris videlicet quod committi sæpe solet, in ipso coniugali actu. Oleaster & Iansenius, peccatum immunditiam significare aiunt, offerrique solitum sacrificium illud pro peccato, id est, pro expianda immunditia purificationis. *Carthusian. Guerricus. Haymo. Eligius. Card. Hug. Abulensis. Caietan. Lyranus. Oleaster. Iansenius.*

Ego vero propter antiquorum, quos citaui, & Ecclesiastici responsorij autoritatem, in eam adducor sententiam, quæ communis est, vt existimem, sacrificia illa oblata pro prole, saltem ex more, siue pro matre etiam offerrentur, (quod verisimile est) siue non. Verba legis ambigua sunt, sensum efficere possunt duplicem, tum illum quem Abulensis, Oleaster, & Iansenius sequuntur, quem etiam Augustinus animaduertit. Tum alterum quem Augustinus, & alij secuti sunt, quorum sententia maioris est ponderis. Biblia septuaginta interpretum correcta, Abulensis, & Iansenij dispunctionem habent, vulgata, & emendata liberam dispunctionem reliquerunt. *Opinio cõmunis præfertur.* *Verba legis ambigua.*

Rogabis, pro quonam prolis peccato, offerretur sacrificium pro peccato? Respondeo cum Augustino, legem eo loco peccatum originale indicare voluisse; & pro prole, quæ peccatum ex Adamo contraxerat sacrificium offerendũ instituisse, Neque verò magnum habet pondus illud argumentum, Peccatum originis per circumcisionem fuerat expiatum, ergo non fuit opus sacrificio. Nam illud sacrificium, pro peccato iam expiato offerri sibi volebat Dominus publicè, cũ primum in templum adduci insans porerat. Non enim in templo circumcidebatur, vt diximus, atque ideò in circumcisione sacrificium non offerebatur.

CAPVT II.

An Virgo purissima Purificationis legi fuerit obnoxia?

Ex Iure fuisse Deiparã purificationi obnoxiam sentit Abulensis, Leui. 12. qu. 3. Confirmatur hæc opinio. Primò quoniam Deipara Virgo à lege purificationis excepta dicitur, illis verbis eiusdem legis supra citatæ, Si suscepto semine pepererit masculum, quibus præceptum est, vt fœmina purificationem subiret, si viri semine susceptò peperisset: Virgo autem absque viri semine peperit, ergo lege excludetur. Hęc verò exceptio momento caret. Etenim Hebræus textus sic habet; Mulier, si tariag, id est, si semen fecerit, semen autem facere idem est, quod facere prolem, siue concipere. Cùm ergò Virgo semen fecerit, id est, prolem conceperit, à lege excipienda non est. Præterea; Si virgo intemerata hac lege soluta erat, pari ratione cæteris à Moysi legibus siue præceptis censebitur excepta, fas ergo illi erat die sabbatho acu pingere, vel nere, fas suilla carne, cæterisq́ue cibis vetitis absque scandalo vesci, id quod nemo concedet. Tertiò, Diuus Lucas affirmat impletos *Abulensis.*

dies purgationis eius ſecundum legem Moyſi, ergo quia lege Moyſi obſtringebatur, idcirco purgata eſt. Denique legalis immunditia propter ſanguinem, qui in partu ſolet fluere, contrahebatur. At in partu Deiparæ, ſanguis videtur fluxiſſe, ergo legalem incurrit immunditiam, atque adeò purificationis ritu indiguit.

Sententia communis inficiatur. Origenes.

Contraria ſententia communis eſt, nimirum Dei genitricem non fuiſſe purificationis lege obſtrictam. Probatur patrum teſtimoniis. Origen. Leuit. 12. Ad diſcretionem, inquit, Virginis, quæ ſine ſemine concepit, & peperit, iſtum ſermonem

D. Chryſoſt.

præ cæteris mulieribus, legiſlator adiecit. Chryſoſtomus in oratione de occurſu Domini. Impleti ſunt dies purificationis. Atqui non neceſſe erat

Theophyl.

Virgini, ſed tamen lex impleta eſt. Theophylactus B in Lucam. Bene ait Euangeliſta ſecundum legem impletos eſſe dies purificationis eius, nam ſecundum veritatem, nulla neceſſitate Virgo aſtringebatur expectare dies purificationis. Euthymius; Dei

Euthymius. Beda.

genitrix huic legi ſubiecta nō erat, eo quòd ſemen non ſuſceperat. Beda Luc. 2. Mulier, quæ ſuſcepto ſemine pepererit, deſignatur immunda rituque legis docetur eſſe mundanda, ad diſtinctionem illius,

D. Bernar.

quæ Virgo concepit & peperit. Bernardus ſerm. 3. de purificatione Patet, quòd lex iſta matrem Domini non includit, quæ non ſuſcepto ſemine fi-

Titus.

lium peperit. Sanctus Titus. Rectè ait Euangeliſta ſecundum legem Moyſi, nam ſecundum rem, C Virgo nulla proſus purificatione egebat. Di-

D. Thom.

uus Thomas 3. parte articulus 4. Signanter Euangeliſta dicit, quòd completi ſunt dies purgationis eius ſecundum legem Moyſi, ipſa enim ſecundum ſe purgatione non indigebat. Item; Signanter Moyſes videtur locutus, ad excipiendam ab immunditia matrem Dei, quæ non peperit ſuſcepto ſemine. Et ideò patet quod non obligabatur, ſed voluntariè, purgationis obſeruantiam adimpleuit. Rabanus in libro de clericorum inſtitutione capite 3. Non ideò purgari voluit Virgo, quod

Rabanus.

Lyranus. Gloſſ interl. Haymo. Echius. D. Eligius.

aliqua legali purgatione indiguerit, quæ Dominum geſtabat legis. Idem ſentiunt Lyranus, Gloſ- D ſa interlin. Haymo, Clarius oratione decima prima, Echius, Diuus Eligius in oratione de purificatione & alij.

Cõfirmatur communis ſententia.

Confirmatur prætereà duabus rationibus. Prior eſt; Deiparam lex excepit illis verbis; Si ſuſcepto ſemine, ergo non erat obſtricta lege. Exceptam autem illis verbis ſentiunt Origenes, Theophyl. Euthymius, Sanctus Titus Boſtrorum Epiſcopus, Beda, Bernardus, Diuus Thomas, Rupertus, Diuus Eligius, Liranus, Burgenſis, Gloſſa interl. Haymo,

Caietanus.

Iſidorus Clarius, Gagnæus, & alij, præter Ianſenium, & Abulenſem. Caietan. in Lucam communi

Lex Virginẽ excipit.

opinioni aſſentitur, Leuitici verò decimo ſecundo ab ea diſcedit, ſic enim verbum Hebræum exponit; Mulier ſi fecerit ſemen, id eſt, ſi prolem ſuſce- E perit. Eundum in modum exponitur in lexico complutenſi Hebræo; Mulier ſi ſeminificauerit, id eſt, generauerit. At interpres ſeptuaginta, ſic vertunt, ἐὰν σπερματισθῇ, hoc eſt, ſi fœmina ſeminata fuerit videlicet à viro, hos ſecutus noſter interpres tranſtulit; Si ſuſcepto ſemine, ſcilicet, viri, mulier pepererit: quo ſenſu apertè lex Virginem intemeratam excludit,

Poſterior ratio eſt huiuſmodi. Ratio purificationis, vt conſtat, erant ſanguinis ſordes, quæ in partu effunduntur; at in partu Virginis puriſsimo, nullæ ſordes extitere: nulla ergo purificatione opus habuit. Sanguinis verò, & ſecundinarum effuſionem in partu ſanctiſſimo fuiſſe, putat quidem Abulenſis, quæſtione duodecima in caput de-

Abulenſis.

A cimum ſecundum Leuit. eo quòd natura partus id poſtularit. Verùm in aduerſam ſententiam diſcedunt alij, quæ Virginis Chriſtique dignitati magis congruit, eam ſupra ſecuti ſumus cũ de partu Virginis egimus libro octauo, capite decimo quinto. Iis quos tũc citauimus autoribus, adde Dionyſium Carthuſianum, Lucæ ſecundo; Virgo, inquit, non *D. Carth.*

eguit purificatione, quæ neque in peccato concepit, neque vnquam peccauit, neque aliis matribus communem ſuſtinuit fluxum. Immo mente, & corpore puriſſima peperit. Adde Ianſenium, qui *Ianſenius.*

Virginem, purificationis ritu obſtrictam non fuiſſe ait, quod, vt ſine dolore, clauſtrique virginei vio- *Virgo abſque ſordibus partus peperit.*

latione, ſic ſine puperij ſordibus, filium ediderit in lucem. Adde Galatinum, qui libro ſeptimo, ca-

Galatinus.

pite decimo, non ſolum à ſordibus partus, verùm etiam à fluxu ſanguinis menſtruo Deiparã literam fuiſſe vult. Adde Caniſiũ libro quarto de Virgine, *Caniſius.*

capite decimo, & Franciſcum Soares in commentariis tertiæ partis Diui Thomæ quæſtione trigeſima quinta, diſputatione decima tertia. *Soares.*

Fauent verba illa Cypriani de Natiuitate; Totum *D. Cyprian.*

negotium plenum gaudio, nullus dolor, nulla naturæ contumelia in puerperio. Item; Non locus ibi erat lauacris, quæ ſolent puerperis præparari, quippe nec aliqua naturæ iniuria, matrem Domini læſerat, &c. Fauet Diuus Epiphanius, in compendia- *D. Epiphan.*

ria doctrina, ad finem; Natus, inquit, eſt Chriſtus, per genitales meatus, abſque pudefactione, impolute, abſque inquinamentis, educatus eſt, atque in vlnas acceptus à Simeone, &c. Faueat etiam Au- *D. Aug.*

guſtinus in libro de quinque hæreſibus, capite quinto. Et Nazianzenus Gregorius Oratione qua- *D. Greg. Nazian.*

drageſima; Dei ait, filius ſine vlla ſpurcitie ex Virgine progreſſus eſt; nihil enim ſpurcum vbi Deus eſt. Et Nicetas in commentariis: Miſit Deus filium *Nicetus.*

ſuum, factum ex muliere ineffabili modo, quia ſine viri ſemine, & ſupra naturæ captum, citra vllas ſordes, quia incorruptè, & purè. Vbi enim Deus, nihil illic ſordidum, & impurum eſt.

Argumenta initio obiecta, facile diluuntur. Pri- *Soluuntur argumenta.*

mò iam reſpondimus cur Virgo dicatur lege excepta, verbis illis; Suſcepto ſemine. Secundò reſpondet Diuus Thomas, Deiparam Moyſis legibus, ac præceptis, non fuiſſe obnoxiam, ſic enim ſcribit tertia parte, quæſtione trigeſima ſeptima, articulo quarto: Chriſtus voluit matrem ſuam implere legis obſeruantias, quibus tamen non erat obnoxia. Verum ex iis Diui Thomæ verbis non infertur, *D. Thom.*

Virginẽ ab omnibus legis præceptis liberã fuiſſe, ſed aliquibus. Sic enim interpretanda ſunt verba, Chriſtus voluit matrem ſuam, implere legis eas obſeruantias, quibus non erat obnoxia, vt purificationis, & ſi quæ ſunt aliæ ſimiles. Purificationi autem non fuit obnoxia propter rationes, quæ propoſitæ ſunt, quæ in aliis præceptis minime reperiuntur. Tertiò reſpondetur, Verba Euangeli- *Theophyl. D. Thom.*

ſtæ, in contrariam partem, à Theophylact. & Diuo Thoma tradi, vt conſtat ex verbis ipſorum ſupra citatis. Poſtquam, inquit Lucas, impleti ſunt dies purgationis eius, ſecundum legem Moyſi, quia lege Moſis purificatio præcepta erat, qua tamen Deipara non obſtringebatur. Extremum argumentum flagitat. Num in partu Deiparæ aliquæ fluxerint ſordes? ab omni impuritate, labeque alienum fuiſſe, iam eſt oſtenſum, atque adeò ea de cauſa purificatione non eguiſſe. *Lucæ 2.*

POSTQVAM *impleti ſunt dies purgationis eius.* Ex dictis perſpicua ſunt Lucæ verba. Poſtquã, inquit, quadraginta dies impleti ſunt, purgationis, id eſt purificationis eius, græce, αὐτῆς, id eſt, ipſius Deiparæ virginis; eſt enim fœminei generis. Syri legũt ipſo-

ipsorum: & aliqui etiam græci, ita vt tam ad Virginem, quam ad filium referatur. Sed nostra lectio correctę est editionis. Attulerunt Christum infantem, ex oppido Bethlehem, in quo est natus, in ciuitatem Ierusalem, in qua templum erat, *vt sisterent eum Domino*, hoc est, vt ante Dominum in templo illum statuerent, & præsentem exhiberent, ac offerrent. Erat enim primogenitus sanctissimæ Virginis filius. Omnes autem primogeniti filij, Deo offerebātur ex lege, quæ scripta extat, Exo. 13. iam supra recitata. Eandem recitat Diuus Lucas; *Sicut*, inquit, *scriptum est in lege Domini; Quia omne masculinum, adaperiens vuluam, sanctum Domino vocabitur*, hoc est, Domino sanctificabitur, & offeretur. Adaperire vuluam, dicebatur filius primogenitus, quia primus, ante omnes reliquos fratres, illam in partu, nondum apertam, aperiebat. His verbis Christus à lege apertè est exceptus, non enim vuluam aperuit, quoniam integro Virginis vtero, in lucem editus est. Qua de re supra satis diximus, cum de partu Virginis intemeratæ egimus. Itaque oblatus est Dominus, in templo à Deipara, ipso purificationis die.

Exod. 13. Exponuntur verba D. Luca 2.

D. Bonau. Diuus Bonauentura, in Vita Christi, capite vndecimo scribit, oblatum infantem sedisse super altare. Id tamen non est verisimile, duo enim erant altaria, in templo, alterum thymiamatis, intus in ipso templo; alterum holocaustorum, in atrio sacerdotum, in quo victimæ incendebantur. In neutro infantes locabantur, neque enim victimæ erant, aut thymiama. Oblatus igitur est Christus, in atrio templi, quod mundorum appellatur, in quo nullum erat altare, deinde quinque siclis redemptus.

Luca 2. ET *vt darent hostiam, par turturum*, &c. Hæc hostia præscripta erat, non ea lege, quæ de primogenitis offerendis, sed illa quę de purificatione puerperæ lata est, vt supra vidimus. Tulerunt Virgo, & Ioseph, Christum in Ierusalem, vt darent hostiam lege purificationis præscriptam; *par turturum, aut duos pullos columbarum.* Hinc liquet Deiparam Virginem agnum, quæ ditiorum hostia erat, non obtulisse; sed vel par turturum, vel duos pullos columbarū. turtures ne, an columbas obtulerit non constat. Vnus ex pullis in holocaustum est immolatus, alter in sacrificium pro peccato mactatus, vt lex obseruaretur. Alioquin nullum, vel in Christo vel in Deipara peccatum inerat, pro quo mactaretur. Decuit autem à Christo, & Deipara legem, qua non obstringebantur, obseruari, tum vt humilitatis, & obedientiæ exempla nobis relinquerent, tum ne Iudæis calumniandi ansam præberent.

Dubium hoc loco exoritur; Cur Deipara Virgo non obtulerit agnum? offerre enim agnum potuisse ex eo colligitur, quòd à Magis magna dona acceperit, aurum, thus, & myrrham. Potuit ergo agnum emere, emptumque offerre. Petit hoc dubium, quid de donis Magorum actum sit. Multiplicem responsionem Canus libro vndecimo, de locis capite quinto, complectitur his verbis. Quidam beneficentiam Virginis animaduertunt, quæ breui aurum in pauperes erogarit. Alij prudentiam, quòd viaticum pararit in Ægyptum. Sunt, qui modestiam aduertant: atque hæc ratio mihi videtur sanctissimè, & prouidentissimè constituta; non decebat enim, vt quæ pauper erat, diuitum oblationē subitò offerre; ab omni enim fastu erat Virgo aliena. Quid quod aurum Deo oblatum, in sacros fortasse vsus censuit consecrandum. Hæc Canus.

Cur Virgo agnum non obtulerit? Canus.

Quid de Magorum donis actū.

Abulensis. Abulensis Matth. 2. quæstione 47. respondet,

A dici posse regulos obtulisse maxima munera, Virginē tamen, vt ostenderet, omnia se terrena spernere, ea solum veluti libasse, & de singulis modicum quid accepisse, quod paruo temporis spatio, ante purificationis diem consumptum fuerit. Præterea, ait, dici posse Deiparam munera pauperibus erogasse, quam sententiam communiorem appellat, eam sequitur Diuus Bonauentura in libro de Vita Christi capite nono his verbis, Zelans Virgo pro paupertate, & intelligens filij voluntatem, tam intus docentis, quam foris ostendentis, quia vultum fortè auertebat ab auro, & vilipenderat, totum infra paucos dies pauperibus erogauit, graue enim erat illi sarcinam tenere. *D. Bonau.*

B Idem sentit Carthusianus. Estque verisimile Virginem pauperibus omnia donasse, ita vt in die purificationis, pecuniam, qua agnum emeret, non haberet. *Dion. Cart.*

Rogabis quodnam fuerit illis sæculis agni pretium? Respondeo, coniici posse ex Leuitic. cap. 5. in quo hæc verba leges; *Offeret pro delicto suo arietem immaculatum de gregibus, qui emi potest duobus siclis, iuxta pondus sanctuarij.* Tempore Moisis duo sicli pretium arietis erat; Vnde coniicere potes, quod fuerit pretium agni, siclus quatuor continet denarios. *Leuit. 5.*

Luca 2. De Simeon. ET *ecce homo erat in Ierusalē, cui nomen Simeon.* Simeon est cuius vlnis Christus in templo Ierosolymitano est exceptus: egregius pictor Lucas suis C pingit coloribus, iisque illustrissimis. *Erat*, inquit, *homo iustus, & timoratus*, Græcè, εὐλαβὴς, hoc est, religiosus; Deum reuerens, ac timens, *expectans consolationem Israel*; id est, Messiæ aduentum, quę erat Israëlis consolatio, vel consolationem Israel, id est, ab hostibus tartareis liberationem. Et Spiritus sanctus erat in eo, in huiusmodi enim viris Spiritus sanctus habitat. Euthymius de Spiritu prophetiæ, locum intelligit. Spiritus, inquit, sanctus prophetiæ erat in eo. Ianſenius quoque Spiritum sanctum in Simeone fuisse ait per Spiritum prophetię. Verba Lucæ significare potius videntur, Spiritum sanctum in eo fuisse, vt in viris iustis est, per gratiam, & charitatem. Sic exponit Diuus Bonauentura; Spiritus, inquit, sanctus erat in eo, scilicet, per gratiam, & charitatem. Vnde de illo poterat dici illud, quod dicitur de Stephano, *quod erat plenus fide, & Spiritu sancto.* Hæc ille. *Luca 2.* *Euthym.* *Ianſenius.* D *Act. 6.*

Galatinus libro primo, capite tertio, de hoc Simeone sic scribit; Simeon Hillelis filius, quem ob eius præcipuam sanctitatem, Talmudistæ Sadic, id est, iustum cognominarunt. In quo (vt in pirce auoth, id est, in capitulis patrum dicitur) Academiæ magnæ synagogæ sceptrum defecit. Multa de Messia dixit, & tandem cùm in vltima senectute, à Spiritu sancto responsum accepisset, non visurum se mortem, nisi Messiam videret; Christum ipsum vlnis suscipiens, quæ de eo à Spiritu sancto edoctus, docuerat, ipso præsente confirmauit. Cuius E egregia dicta Talmudicis in libris sparsim reperiuntur. Hæc ille. Genebrardus quoq; libro secundo chronologiæ; Hillelis, inquit, Doctoris insignis, octoginta fuere discipuli. Clariores fuerunt, Ionatham filius Vziel, cuius paraphrasis Chaldaica in vetus Testamentum magna ex parte extat, & Simeon iustus, qui Christū vlnis excepit. In Simeone spiritum Synagogæ magnæ, qui erat prophetico minor, communi maior, defecisse, authores sunt Talmudici, in tractatu pirce auoth. Rabbi Moses Ægyptius, non tantùm discipulum, sed & Hillelis filium fuisse scribit, Gamalieliſque, ad cuius pedes legem Paulus didicit, præceptorem, imò verò, & patrem. Hæc ille. *Galatinus Simeon Hillelis filius.* *Genebrardus.*

Verumtamen hæc ſententia, non ſatis eſt comperta. Accipiunt enim hi authores à Iudæis, fuiſſe Simeonem quendam iuſtum diſcipulum Hillelis. At vnde nouerunt fuiſſe eundem, qui Chriſtum excepit vlnis? Eandem refutat Ianſenius, quod in tractatu citato, verſo à Fagio, Simeon iuſtus, dicatur præceſſiſſe Hillelem, neque verò Hilleli diſcipulus aliquis, nomine Simeon aſcribatur. Hillelis meminit Hieronymus in commentariis Iſaiæ c. 8. His verbis; Duas domus, Nazaræi duas familias intepretantur, Sammai, & Hillel, ex quibus orti ſunt ſcribæ, & Phariſæi, quorum ſuſcepit Scholam Akibas. Item; Sammai, & Hillel, non multò priùs, quam Dominus naſceretur, orti ſunt in Iudea, quorum prior diſſipator interpretatur, ſequens prophanus, eò quòd per traditiones, & deuteroſes ſuas legis præcepta diſſipauerint, atque contaminauerint. Hæc Hieronymus.

Hieron.

An fuerit ſacerdos Simeon? Euthym. Theophyl.

Num fuerit ſacerdos Simeon, dubium eſt. Negat Euthymius Luc. 2. Non erat, inquit, Simeon ſacerdos, vt mihi interim videtur, aliàs & hoc manifeſtaſſet Euangeliſta, tanquam magnam viri dignitatem. Theophylactus quoque; Non erat, ait, Simeon ſacerdos, ſed homo Deum amans. Idem exiſtimat Ianſenius. Affirmãt fuiſſe ſacerdotem D. Cyrillus Ieroſolymitanus in oratione de occurſu Domini, D. Epiphan. in libro de Patribus veteris Teſtamenti, Carthuſianus, Lyranus, Caietanus, Ludolphus, Caniſius libro quarto de Virgine Deipara, cap. 10. Confirmatur opinio, quoniam benedixit in templo Virgini intemeratæ, ac Ioſepho, vt ait Euangeliſta, quod ſacerdotis eſt munus.

Ianſenius. D. Cyril. D. Epiphan. Carthuſ. Lyranus. Caietan. Ludolph. Caniſius.

Veriſimilius mihi videtur, non fuiſſe ſacerdotem. Cùm enim D. Lucas tot titulis eum exornarit, non videtur fuiſſe titulum ſacerdotis prætermiſſurus, ſi illi congrueret. Benedixiſſe autem dicitur Deiparę, ac Ioſepho, non tanquam ſacerdos, ſed vt iuſtus ſenex. Benedicere enim alicui eſt, proſpera alicui precari, quomodo Iacob Regi Pharaoni benedicit.

Gen 47.

Luca 2. RESPONSVM *acceperat à Spiritu ſancto*, &c. Cum Simeon auidè Iſraëlis expectaret conſolationem, *reſponſum* per reuelationem *à Spiritu ſancto accepit, nõ viſurum ſe mortem donec Meſſiam videret.* Nicephorus lib. 1. cap. 12. reſponſum hoc ab Angelo Simeoni datum ſcribit his verbis; Simeonem fama eſt, ex iis fuiſſe vnum, qui virtute, dignitate, vitæque ſanctitate excelluerunt. Qui cùm aliquando illi Iſaiæ oraculo incumberet; *Ecce virgo concipiet, & pariet*, &c. & de diuini eius reſpõſi fide ambigeret; Angelum ei ita fluctuanti aſtitiſſe ferunt, cum oraculo huiuſmodi; Non illum prius vitæ huius vinculis ſolutum iri, quàm id de quo credendo dubitaſſet, oculis ſuis conſpectum teſtimonio confirmaret. Hæc ille. Quæ tamen inter apocrypha numeranda reor. Non enim per Angelum, ſed per Spiritũ ſanctum reſponſum acceperat, vt Euangeliſta ait. Dubitatio verò de oraculo Iſaiæ cum laudibus, quas illi Euangeliſta tribuit, minimè congruit. *Erat*, inquit, *vir iuſtus & timoratus, & expectans conſolationem Iſrael*, quamobrem reſponſum à Spiritu ſancto acceperat, non autem, quod de oraculo Iſaiæ dubitaret.

Nicephorus.

Iſaiæ 7.

Simeon non dubitauit de oraculo Iſaiæ.

Luca 2.

Apocryphum ſimiliter illud eſt, quod Beauxamis in Harmonia, ex Hegeſippo (vt ait) his verbis narrat; Hegeſippus Simeonem, è præcipuis Iudæorum rabbinis fuiſſe ſcribit, & cum pro ſuo munere, in ſynagoga, illud Iſaiæ 7. quòd de Virgine partura prænuntiatur, interpretaturus eſſet, dictionem hahalma, diſplicuiſſe, quæ viro abſconditam deſignat, quod minùs incredibile videretur Virginem parituram. affert enim He, Emphaſim, & vrget dictionem, cui præmittitur, vt per excellentiam intelligatur. Hinc factum eſt, vt litteram illam ſeruilem ſuſtulerit. Hanc deletam rurſus reparatam vidit; Secundò deleuit, & ſecundò repoſitam vidit. Id tertiò cum deleret, reparatũ aureis litteris perſpexit, non ſine miraculo. Ex quo cum fiduciam maiorem partiuræ Virginis concepiſſet, oraculum conſuluerit, ex quo audierit non prius ſeſe moriturum, quam Chriſtum videret. Hæc ille, quæ apud Hegeſippum nondum inueni.

Beauxamis Hegeſippus.

Simeonem litteram ex ſcriptura oraculo deleuiſſe, apocryphum.

ET *venit in ſpiritu in templum*, &c. Indicauit Spiritus ſanctus Simeoni diem, qua oblatus eſt in templo Meſſias. Venit ergo in ſpiritu, ſiue per ſpiritum, hoc eſt, reuelante Spiritu ſancto, ac ducente, in templum. *Cùm verò* Virgo, & Ioſeph, *inducerent Chriſtum infantem, vt facerent, ſecundum conſuetudinem legis pro eo*, hoc eſt, vt illum Deo, tanquam primogenitum traderent, & quinque ſiclis redemptum acciperent, offerrentque pro eo par turturum, aut duos pullos columbarum iuxta ea, quæ ſuprà diximus, non fuit ſatis venerãdo ac ſitibundo ſeni bonorum omnium vidiſſe fontem, & Spiritũ ſancto indicante agnouiſſe, acceſſit propius, vlnis felicisſimis excepit, nouumque canticum cygnæa voce edidit. Timotheus presbyter Ieroſolymitanus in Oratione de Simeone, putat, vidiſſe illum Deiparam diuino circumdatam lumine, inter fœminas reliquas, atque ex hoc indicio Meſſiæ matrem eſſe intellexiſſe. Carthuſianus etiam; Forſitan, inquit, vidit diuinum quendam ſplendorem in vultu pueri.

Luca 2.

Timotheus Ieroſolym.

Carthuſian.

CAPVT III.

De Cantico & verbis Simeonis.

NVNC *dimittis ſeruum tuum Domine*, &c. Infantem cæli terræque conditorem, pondus dulce, vlnis continens canus Simeon, deſiderio & expectationi ſuę ſatis eſſe factum videns, imminente morte, vt olor candidus, dulce fudit è ſenili ore melos. *Nunc*, inquit, *dimittis ſeruum tuum Domine*; Græcè ἀπολύεις, hoc eſt, nunc me abſoluis, huius ergaſtulo corporis, ſecundum verbum tuum, vt pollicitus es. A te enim accepi, non viſurum me mortem donec viderem Chriſtum Domini. Iam video Chriſtum Domini, iam ergo in pace, tranquilla ac quieta morte, ex hac procelloſa vita abire poſſum. Iam moriar lætus, *quia viderunt oculi mei ſalutare tuum*, Ieſum, & Saluatorem quem in orbem miſiſti.

Luca 2.

Olim cùm in Ægypto occurriſſet Ioſeph Patri ſuo Iacob, *Dixit pater ad Ioſeph; Iam lætus moriar, quia vidi faciem tuam, & ſuperſtitem te relinquo.* Similem in modum, noſter Simeon, cùm in templo occurriſſet Chriſto. *Nunc*, ait, *dimittis ſeruum tuum in pace*, hoc eſt, nũc lætus moriar, *quia viderunt oculi mei, ſalutare tuum*, & Ieſum tuum, quem ad ferendam ſalutem populo, moriens relinquo ſuperſtitem. Expectabã conſolationem Iſraël, iam video cõſolatorem Iſraël. Inter brachia iam illũ habeo, in pace iam moriar, conſolatione recepta, quam optabam. Vitam in manibus fero, mori non timeo, fero viam, diſcedere non metuo, fero pacem, moriar in pace. Viderunt oculi mei ſalutare tuum, morte claudantur, ne hominum videant ſcelera.

Gen. 46.

Timotheus in oratione de occurſu Domini pia meditatione, hæc exponit, his verbis; Nunc abſoluar, ne hic retinear, ne Iudæorum, qui ſunt mei generis, quæ in te eſt futura, videam audaciam. Ne videam ſpineam, quæ plectitur coronã, ne videam ſeruum tibi alapas infligentem, ne videam te cruci affixum, &c.

Timoth.

Quamdiu

Quamdiu verò posthac superstes fuerit Simeon, incertum est. Niceph. lib. 1. cap. 12. protinus obiisse infert: Cùm Christum, inquit, conspexisset Simeon, carnis mole protinus solutus est. *Niceph.*

Luca 2. QVOD *parasti ante faciem omnium populorum.* Cuiusmodi salutare, siue Saluator sit Christus, docet. Salutare nimirum, paratum ante faciem omnium populorum: *lumen ad reuelationem,* hoc est, illuminationem, *gentium, & gloriam populi Israëlitici.* Indicat Messiam non propter solos venisse Iudæos, sed propter reliquos etiam populos. Parasti, inquit, Messiam, ante faciem omnium populorum, veluti Solem quendam. Quemadmodum Sol non hunc tantummodo, vel illum, sed omnes illuminat populos; sic & Christus, nõ Iudæorum tantum nationem, sed cæteras etiam gentes, suæ doctrinæ fideique luce illustrabat, iuxta illud, *Ecce dedi te, in lucem gentium, vt sis salus mea vsque ad extremum terræ.* Gloriam Israëlis, Christum vocat, quoniam si receptus à Iudæis fuisset, summam illis gloriam attulisset. Præterea, quia (vt ait Euthymius) gloria Iudæorum est, quod secundum humanitatem, Christus ab eis sit progenitus, eorumque sit cognatus. Vtinam sua bona nossent. *Ibid.* *Isaiæ 49.* *Euthymius.*

Luca 2. ERANT *mirantes super his, quæ dicebantur de illo.* Non erant incognita & noua Virgini & Iosepho, quæ de Christo dicebantur in templo, à Simeone, & Anna prophetissa. Mirabantur tamen, quod essent omnia mirabilia. Cùm admirabilibus enim, admirabilia cõnectebantur, & admirabilium quædam quasi catena fiebat. Benedixit autem Simeon Virgini, Iosepho, & fortè etiam Infanti, omnium benedictonum fonti, non benedictione sacerdotali, sed benedictione laudis, & prosperitatis, cuncta enim prospera, faustaque precatus, laude illos prosecutus est, felices ac beatos appellans.

Luca 2. ECCE *positus est hic in ruinam.* Dixerat Christum lumẽ esse, omnibusq; præparatum Seruatorem. Nunc prædicit non omnes Israëlitas ab eo seruandos, sed multos allatam salutem repudiaturos. Ecce, inquit, positus est hic infans, in Israël, in ruinam multorum Israelitarum, qui illum repudiabunt, *& in resurrectionem multorum,* & salutem, qui verum esse Messiam, fide viua credent. Theophylactus; Ruinam dicit Simeon eorum, qui non crediderunt, resurrectionem eorum, qui crediderunt. *Theophyl.* *D. Chrysost.* Eodem modo exponit Chrysost. in Oratione de occursu Domini.

Rom. 9. Lucem huic loco afferunt verba Pauli, *Offenderunt,* inquit, *Iudæi in lapidem offensionis, sicut scriptum est; Ecce ego ponam in Sion lapidem offensionis, & petram scandali.* *1. Pet. 2.* Verba etiam Petri, *Vobis honor credentibus, non credentibus autem; Lapidem, quem reprobauerunt ædificantes, hic factus est, in caput anguli, & lapis offensionis & petra scandali,* *Isa. 28.* *iis qui offendunt verbo, nec credunt,* &c. Illa item, *Ecce ego mitto, in fundamentum Sion, lapidem, lapidem probatum, angularem, pretiosum, in fundamento fundatum,* id est, Christum. *Isa. 8.* &, *Dominum exercituum ipsum sanctificate, ipse pauor vester, ipse terror vester, & erit vobis in sanctificationem, in lapidem autem offensionis, & in petram scandali, duabus domibus Israël, in laqueum & in ruinam, habitantibus in Ierusalem. Et offendent ex eis plurimi, & cadent; & conterentur, & irretientur, & capientur,* &c.

Origenis sensus. Origenes hæc verba, aliter interpretatur, hom. 17. in Lucam, hoc pacto; *Positus est Christus in ruinam multorum,* hoc est, vt multi bene cadant à peccatis, illisq; moriantur, *& in resurrectionem,* hoc est, Vt cum bene à peccatis ceciderint, per gratiam resurgant. *Origenes.* Stabam, inquit, in peccato, eo tempore, quo peccato viuebã, & quia in peccato stabam, prima mihi vtilitas fuit, vt caderem, & peccato morerer; hoc primùm tibi Saluator concedit, vt corruas, Ethnicus eras, cadat in te Ethnicus; diligebas scortum, primum in te scortum intereat; peccator eras, cadat in te peccator, vt possis dehinc resurgere, &c. Similiter Theophylactus; In ruinã positus est Dominus malorum, quæ in animabus nostris sunt, in resurrectionem verò bonorum, cadit fornicatio, surgit continentia. Adiicit alium sensum idem author, huiusmodi; Ecce positus est Christus in ruinam, siue casum mortis, hoc est, vt morte cadat, vt crucifigatur, & in resurrectionem multorum, hoc est, vt per ruinam mortis, multos à peccatorum morte excitet, ac liberet. Intelligi potest, ait Theophyl. positus est Dominus in ruinam, hoc est, ipse passurus est, & casurus est in mortem, & cum ceciderit ipse, resurgent multi, &c. Verùm primus sensus præstat reliquis. Adde & hũc etiam sensum. Ecce positus est hic in ruinam cacodæmonum, & in ruinam Israëlitarum, qui illum non recipient, quorum Remp. tandem solo æquabit, & in ruinam Romani Imperij, quod sibi subiiciet, & in ruinam idololatriæ. *Hic est enim lapis, è monte sine manibus abscissus,* hoc est, è Virgine absq; viri opera natus; qui statuam, tum alia, tum Romanum Imperium adumbrantem comminuit. *Theophyl.* *Sensus Theophylacti. Christus morte cecidit, vt nos resurgeremus. Christus positus in ruinam dæmonum, Iudæorum.* *Dan. 2.*

Luca 2. ERIT *in signum cui contradicetur.* Ambiguum est, quid hoc loco significet signum. Crucem significare putant Amphilochius apud Surium, & Chrysostomus in oratione de occursu Domini, Theophylactus quoque Luc. 2. Caietanus, signũ reconciliationis humani generis, cum Deo. Carthusianus signum fœderis inter nos & Deum, quẽ in modum cælestis arcus, quondam Noë in signum fœderis datus est. Verisimilius Isidorus Clarius, in oratione 12. existimat, similitudinem ab iis acceptam, qui ad propositum signũ, siue scopum iaculantur iuxta illud, *Posuit me quasi signum, ad sagittam.* Et Iob, *Confregit me, & posuit me sibi, quasi in signũ.* Est sensus huiusmodi. Christus positus est in signum, & scopum, in quem Pharisæi, Scribæ, & Sacerdotes odij sui sagittas, magno furore coniicient. *Quid significet signum. Amphiloch. D. Chrysost. Theophyl. Caietan. Carthusia.* *Clarius.* *Thren. 3.* *Iob 16.*

Fuit Christus scopus contradictionum sic appellatur à Laurentio Iustiniano lib. de triumphali agone cap. 13. Omnes, inquit, certatim, paratas in pharetra sagittas, in signum contradictionis intorquent, *De secta ista notum est nobis, quod ei vbique contradicitur.* 2. Cor. 1. *Prædicamus Christũ, Iudæis quidẽ scandalum, gentibus stultitiam.* Ad Hebræos, *Recogitate eum, qui talem sustinuit, à peccatoribus, aduersus semetipsum contradictionem.* Vides Christum contradictionum fuisse scopum? Verumtamen vt est in Psalmo, *sagittæ paruulorum factæ sunt plagæ eorum, & infirmatæ sunt contra eos linguæ eorum.* Ex contradictionibus Iudæorum ereptus est Christus, & gentium caput constitutus, iuxta illud, *Eripies me de contradictionibus populi, constitues me in caput gentium.* *Christus fuit scopus contradictionum.* *Act. 28.* *2. Cor. 1.* *Hebr. 12.* *Psal. 63.* *Psal. 17.*

Euthymius signum pro miraculo sumpsit, hoc modo; *Positus est hic infans, in signum,* hoc est, in miraculum orbis totius. Etenim admirandum est miraculum, θεάνθρωπος, id est, Deus homo, cui Iudæi, Mahometani, Ethnicique contradicunt. Sequitur hunc sensum probabilem Iansenius. Aliter potest sumi signum, Græcè, σημεῖον, pro signo, quo oues notantur. Positus est hic infans, in signũ, quo oues Dei signabuntur, & populus Dei à populis reliquis distinguetur. Christi enim nomen, eiusque confessio ac fides, nota est populi Dei, ac Christiani. Huic tamẽ signo, quod Iudæi recepisse debuerant, contradixerunt. Potest præterea sumi, pro vexillo. Positus est in signum, hoc est, vexillum, quod sequantur homines: multi sequentur, plurimi contradicent. *Christus orbis miraculum. Euthym. Iansen.*

Sensum maximè verisimilem prædictis, addam, qui

qui mihi in mentem venit. Alludit Simeon ad illud, *Fac serpentẽ, & pone eum pro signo, qui percussus aspexerit eum, viuet. Fecit ergo Moyses serpentem æneum, & posuit eum pro signo, quem cum percussi aspicerent; sanabãtur.* Vmbra hæc Christi fuit, vt constat ex verbis eiusdem Domini, *Sicut Moyses exaltauit serpentem in deserto, ita exaltari oportet filium hominis.* Vnde huiusmodi colligitur loci explanatio: Christus positus est, siue ponetur in signum, quemadmodum serpens æneus in signum positus est in deserto. Multi illum aspicient viua fide salutemque recipient, ac resurrectionem, plurimi contradicẽt, & corruent. Signum erit omnibus propositum, quibusdam ruina, aliis resurrectio.

Num. 21.

Christus signum positus, vt serpens in deserto.

Ioan. 2.

ET *tuam ipsius animam pertransibit gladius.* D. Ambrosius Luc. 2. interpretatur, gladium Virginis esse prudentiam, cœlestis nõ ignaram mysterij, hoc est, cœleste mysterium, instar gladij penetrantem. Timotheus Ierosolymitanus, in Oratione de Propheta Simeone, dolorem illum, qui Virginis animam petransiit, cũ filium triduo amisit, gladium ait appellari. Euthymius, Beda, & plerique alij, rectiùs, dolorem, qui Virginis animã passionis tempore sauciauit, gladij nomine significatum intelligunt. Simeon ergo, de populi contradictione locutus, quantum ex ea dolorũ virgo perceptura sit, iis verbis prædicit. *Tuam ipsius animam pertransibit gladius*, doloris videlicet acutissimi, cum populum Israeliticum videris nato contradicentem, eumque cruci configentem. Simili modo exponi potest illud, *Ferrum*, id est, gladius doloris, *pertransiit animam eius* (sc. Ioseph) *donec veniret verbum eius*, &c. De hoc Virginis dolore, mirabiliter sensit S. Bernardinus, ita enim scripsit, tomo 1. sermo. 61. art. 3. cap. 2. Tantus fuit dolor Virginis, quod si in omnes creaturas, quæ pati possunt, diuideretur, omnes subitò interirent. Hæc tamen ad trutinam vocare alterius est loci.

Luca 2.

Quid significet hoc loco gladius exponitur.

D. Ambr.

Timotheus Ierosolym.

Psal. 104.

D. Bernar.

Mirus Virginis dolor.

Magister historiæ in historia Euangelica cap. 9. aliter interpretatur, in hunc modum. *Tuam ipsius animam*, id est, animam ipsius, quæ & tua est, quam scilicet, quasi tuam diligis, *pertransibit gladius.* Verùm ipsius, Græcè, fœminini est generis, αὐτῆς. nec potest ad Christum referri. Rectius sic interpretaberis, *tuam ipsius animam pertransibit gladius*, hoc est, Christum, qui tua est anima, quia tanquã animam, & vitam tuam, illum diligis, pertransibit gladius passionis, ac mortis. *Dilexit eum*, id est, Dauidem Ionathas, *quasi animam suam*, multò ardentiori amore virgo Christum dilexit, quasi animam suam.

Magist. hist.

Animã Virginis, id est, Christus, pertransiit gladius passionis.

2. Reg 18.

VT *reuelentur ex multis cordibus cogitationes.* Hæc verba difficile est intelligere, & cum præcedentibus connectere. Scriptorum, vt soleo, interpretationes proponam. Euthymius ita interpretatur; Animam Virginis pertransibit doloris gladius, vt retegantur ex multis cordibus eorum cogitationes, qui suspicabantur, hanc non esse illius matrem. Theophylactus; Reuelatæ sunt ex cordibus cogitationes in passione Domini, cum apparuit Iudas proditor, & apparuerunt diligentes Christum, qualis fuit Ioseph ab Arimathia, quales fuerunt mulieres, quæ permanebant apud crucem. Isidorus Clarius orat. 12. de præclaris Christianorum cogitationibus. Simeonem agere arbitratur, quæ per egregia facta sese aperuerunt. Nam per crucis prædicationem, reuelatæ sunt admirandæ in mũdo Christianorum cogitationes. Etenim diuinas cogitationes, in eorum cordibus esse patuit, qui humana omnia floccifaciebant, & pro Christo mortem libentissimè oppetebãt. Cardinalis Caietanus de cogitationibus externa fidei confessione aperiendis commẽtatur, hoc pacto, Vt post passionem Christi, reuelentur per externam fidei professionem cogitationes cordium. Origenes homil. 17. in Lucam de cogitationibus malis exponit, quæ Ecclesiæ medicis sacerdotibus tanquam vulnera, vt sanentur, per confessionem aperiendæ sunt.

Luca 2.

Euthym.

Theophyl.

Isid. Clarius.

Varij sensus.

Card. Caietan.

Origenes.

Mihi magis placet eorũ sententia, qui hæc verba (vt reuelẽtur ex multis cordibus cogitationes) ad illa referunt; *Positus est in signum cui contradicetur*: cæteris interpositis veluti per parẽthesim. Sic Carthusianus refert, & Iansenius. Erit itaq; sensus verisimilior cæteris. Positus est Dominus in signum, cui contradicetur, adeò, vt tuam animam ô virgo doloris acerbissimi gladius sit transuerberaturus. Contradicetur autem Christo, *vt reuelentur ex multis cordibus*, Iudæorum *cogitationes*, hoc est, vt agnoscantur, qui ex illis probi sint, qui impij & hypocritæ. Nam Christi contradictio, hoc est, persecutio, ostendit quales fuerint Pharisæorum, Scribarum, & Sacerdotum cogitationes, nimirùm odio, superbia, & inuidia plenæ. Vnde D. Bonauentura, Luc. 2. Hoc, ait, consecutum est ad passionem Christi, quia Iudæorum carnaliũ, & hypocritarum, cordis iniquitas reuelata fuit. Præterea Christi contradictio ostendit corda amicorum, & cogitationes: indicauit, quinam veri essent amici, qui nec in ipsa contradictione illum omnino deseruerunt; vt Iosephum, Nicodemum, Apostolos, & fœminas. Præterea indicauit, quidnam cogitarent de Messia Iudæi, qualem Messiam expectarent. Particula, *vt*, non significat hoc loco causam finalem, sed rei euentum.

Carthusian.

Iansenius.

Sensus superioribus verisimilior.

D. Bonau.

Adiungam aliam, quæ se offert interpretationem. *Positus est Christus in signum, cui contradicetur, & tuam animam doloris gladius pertransibit, vt reuelentur ex multis* multorum Prophetarum, *cordibus cogitationes.* Loquitur forsitan Simeon, de cordibus & cogitationibus multorum prophetarum, qui cogitationes suas, & reuelationes de Messia, sacris mandarunt litteris, hæ enim post Messiæ passionem, ac mortem reuelatæ sunt, & ab hominibus intellectæ.

Alius sensus.

Græcè cogitationes dicuntur, διαλογισμοὶ, quod vocabulum cogitationes, disceptationes, ratiocinationesque significat. Recipiunt verba etiã hanc explanationem, Vt reuelentur ex multis cordibus Doctorũ, cogitationes præclaræ, disceptationes, & ratiocinationes, de mysterio passionis filij Dei. Quis verò nesciat, doctores plurimos de Christi incarnatione, & passione præclaras, quæ corde cõceperunt cogitationes, litteris mandatas, cunctis hominibus patefecisse, ac reuelasse?

ET *erat Anna Prophetissa*, &c. Duos sibi testes in templo Christus parauit, virum Simeonem, & fœminam Annam. At quales testes? omni sanè, vt aiunt, exceptione maiores, ab omni mendacij suspicione maximè alienos. Simeon vir erat iustus & timoratus, & Spiritus sancti luce illustratus, vt suprà dictũ est. Anna verò, vt hoc loco asserit Euangelista, prophetiæ dono adornata, multis annis in viduitate castitatem seruauerat: ieiuniisque & obsecrationibus seruiens die ac nocte, à templo non recedebat. Vterque testis testimonium Christo perhibuit egregium, in ipso templo Ierosolymitano, coram populo, Leuitis, & sacerdotibus. Verumtamen, quia pauperem cernebant infantem, ex paupere matre ortum, auditores non tanti testimonium fecere, quanti fuerat faciendum. Hoc veracissimum par testium, cum pari turturum recte confert Abbas Guerricus serm. 2. de purificatione. Ecce, inquit, habes par turturum, senem iustum, & viduam Annam, vtrumque castum, vtrumque desiderio redemptoris gemebundum, qui vtique semetipsos hostiam viuam Domino obtu-

Luca 2.

Guerricus.

obtulerunt. Pares erant fide, æquales caſtitate, ſimiles deuotione, conſortes prædicatione gratiæ.

Quæ res, an Anna in templo habitarit? ſiquidem à templo non recedebat. Reſpondeo, loquendi modum maximam indicare frequentiam, ac quotidianam. Cùm enim Anna vidua eſſet, vitamque ſuam dicaſſet Deo, in templum veniebat quotidie, hoc eſt, in atrium fœminarum, ibique vacabat orationi. Vt tamen ſomni aliquid cibique caperet, domum repetebat; vide quæ diximus ſupra, de habitatione Virginum iuxta templum, potuit enim cum illis Anna habitare.

CAPVT IV.

Morale.

FOEMINAM ob partus ſordes, multis diebus, à templi ingreſſu arcebat lex, iubebatque purificari. Vmbra hæc eſt purificationis noſtræ, quam Deus magni facit. Neque enim (ait Gregorius Nazianzenus Oratione 6.) purus Deus, tanto in pretio quidquam habet, quam puritatem, aut purgationem. Tanti autem illam fecit, vt ad expurgandas omnes criminum ſordes, ſuauiſſimum amoriſque igne incenſum balneum ex ſuo ſanguine præpararit. *Dilexit nos* (ait Ioannes) ecce amorē, ecce balnei ignem; *Et lauit nos à peccatis noſtris, in ſanguine ſuo*, ecce ſanguinis balneum ad purificationem potentiſſimum. Potētiſſimum ſane eſt hoc balneum. Nullæ ſordes ſunt, quas abſtergere non poſſit; nulli homines, etiam ſi ſerpentibus, immanibuſque feris, & immundis animantibus ſimiles ſint, quos non poſſit purificare. *Vidit Petrus deſcendens vas quoddam, velut linteum magnum, quatuor initiis ſubmitti de cælo in terram, in quo erant omnia quadrupedia, & ſerpentia terræ, & volatilia cæli, & facta eſt vox ad eum; Surge Petre, occide, & manduca: ait autem Petrus, abſit Domine, quia nunquam manducaui omne commune, & immundum*, &c. *Et vox iterum ſecundò ad eum; Quod Deus purificauit, tu commune ne dixeris*, &c. Animalia, ac ſerpentes immundi, qui linteo continebantur, immundos adumbrant homines, hos tamē ſerpentes, hos dracones, hos leones, & tigrides, ſanguis Chriſti purificat. Vnde vox illa; *Quod Deus purificauit, tu commune*, id eſt, immundum, *ne dixeris*. Deus, inquit, purificauit, nimirum ſanguinis balneo potentiſsimo: & ex ſerpentibus, feriſque atque immundis animantibus, in homines rationis participes, ac mundos commutauit.

Magni facit Deus noſtram purificationem. D. Gregor. Nazianz.

Apoc. 1.

Balneum ad noſtram purificationem potentiſſimum.

Act. 10.

Potens lauacrū fuit Iordanis, cuius vndæ 4. Reg. 5. Naamani corpori inſidentem leprā abluere potuerunt. Multò potentius lauacrū eſt ſanguis Chriſti, cuius vna gutta, omnium hominum lepram, animis ipſis inhærentem valet expurgare. Aliquid potentiæ habuit olim ſanguis victimarum, ad purificandum; verùm carnem purgabat, non conſcientiam: at Chriſti ſanguis ad conſcientię vſque ablutionem pertingit. Hinc illud Pauli, *Si ſanguis hircorum, & taurorum, & cinis vitulæ aſperſus, iniquinatos ſanctificat, ad emundationem carnis, quanto magis ſanguis Chriſti, emundabit conſcientiam noſtram*, &c. Potens lauacrum fuit antiquum Noë diluuium, quod Noë ætate vniuerſum terrarum orbem inundauit, verùm homines ſuſtulit, ſcelera non expiauit: Chriſti ſanguinis diluuium, in omnes terras immiſſum ſcelera, non homines abſtulit, occidit peccata, hominibus vitam dedit.

4. Reg. 5.

Hebr. 9.

Zachar. 13. *Erit fons patens domui Dauid* (ait Zacharias) *& habitantibus Ieruſalem, in ablutionem peccatoris, & menſtruatæ.* Patēre iam incipit fons vitæ, in templo Ieroſolymitano, hoc eſt, Chriſtus, è cuius venis pretioſus fluet ſanguis, in ablutionem, balneumque peccatoris, menſtruatæque animæ, & criminum ſanguine inquinatæ. Ad hoc fons hic mundo eſt exhibitus, vt nos purificet, vtque peccatoris balneum ſit, quod indicat vates Malachias cùm de illo vaticinatur hunc in modum. *Ecce ego mitto Angelum meum, & præparabit viam ante faciem meam; & ſtatim veniet ad templum ſuum Dominator, quem vos quæritis, & Angelus teſtamenti, quem vos vultis.* Hoc eſt, Ecce (ait Deus) mittam præcurſorem, nuntium angelicum Baptiſtam, qui viam ante me præparet. & ſtatim poſt ipſum natum, veniet in templum ſuum offerendus infans Dominator Meſsias, quem vos deſideratis, qui idem Angelus eſt; & nuntius noui fœderis, ſiue teſtamenti.

Chriſtus fons patens ad ablutionem peccatoris.

Malach. 3.

Poſt hæc, quàm ſit admirabilis Chriſti aduentus indicat. *Ecce venit, dicit Dominus exercituum, & quis poterit cogitare diem aduentus eius? aut quis ſtabit ad videndum eum?* Ecce, inquit, venit Chriſtus, in magna paupertate atque humilitate, & quis præ admiratione tantæ humilitatis, poterit cogitare tempus aduentus eius? quis nō obſtupeſcet? quis ſtabit ad videndum eum? Hebraicè, *Quis erit ſtans in viſionibus eius?* Quis fide firmus ſtabit, credens Meſsiam eſſe illum, quem pauperem, contemptum, crucique viderit affixum? In eiuſmodi viſionibus plerique ex Iudæis ceciderunt. Vnde illud, *Quaſi abſconditus vultus eius, & deſpectus, vnde nec reputauimus eum.* Aliter. *Quis ſtabit ad videndum eum?* hoc eſt, quis viuet eo tempore, quo ipſe veniet? quis videbit eum?

Ibid.

Iſaiæ 53.

Sequitur de purificatione. *Ipſe enim quaſi ignis conflans, & quaſi herba fullonum.* Cum duabus rebus Chriſtum confert, quibus magna eſt purgandi vis, cum igne, & herba fullonum, quæ inſtar eſt ſaponis. Chriſtus, inquit, vt ignis argentum ardore, ita populum ſuum exemplo, ardentiq; doctrina, & amore expurgabit; vt herba fullonum veſtes, ita animas gratia ſua emundabit. Non diuitias, aut delicias, aut voluptates afferet, quarum vos ſtudioſi eſtis; imò ſpernet, & veluti feces, aut ſcoriam abiiciet. Præſertim verò purgabit ſacerdotes, qui principatum in Eccleſia obtinent. *Purgabit filios Leui*, id eſt, ſacerdotes, *& colabit eos, quaſi aurum, & quaſi argentum, & erunt Domino offerentes ſacrificia in iuſtitia.* Purganit Chriſtus olim magnos illos ſacerdotes Apoſtolos, ſeptuaginta diſcipulos, multoſq; alios, velut aurum; purgat etiam hodie filios Leui. O felicem ætatem noſtram, ſi ſacerdotes cerneremus omni criminum fece expurgatos, & veluti aurum colatos, ſacrificia Deo offerentes, in iuſtitia. At proh dolor, non deſunt in orbe Chriſtiano, qui ſcoria, feceq; ac ſordibus peccatorum contaminati, ipſis quoque Seraphinis tremendum ſacrificium, non in iuſtitia, ſed in ſummo ſcelere offerunt.

Chriſtus, vt ignis cōflans, & herba fullonum, purificat.

Malach. 3.

Sacerdotes.

Eximium ergo habemus omniū animi ſordium purificatorem, Deum Optimum Maximum: qui vt Paulus ait, *dedit ſemetipſum pro nobis, vt nos redimeret ab omni iniquitate, & mundaret ſibi populum acceptabilem.* Tantæ molis erat mundatam cōdere gentem. Habemus ſanguinis ad purificandum potentiſsimi paratum balneum ſuauiſsimum. quid cunctamur? Impleti ſunt dies purificationis Virginis ſecundùm legem Moſis, quę nulla purificatione indigebat: impleantur etiam dies purificationis noſtræ, ſecundùm legem Chriſti, qua maximè indigemus. Indigebat purificatione fœmina, quæ infantem pepererat: non indigebit vir, vel fœmina quæ horrendum monſtrum peccatum peperit? ô partum execrandum, ô conceptum deteſtandum, *Ecce parturiit iniuſtitiam, concepit dolorem, & peperit iniquitatem*:

Tit. 2.

Pſal. 7.

Conci-

Concipit impius dolorem, id eſt, peccatum tartarei doloris cauſam: parturit iniuſtitiam, tandemque parit iniquitatem. Simile illud eſt, *Concupiſcentia cum conceperit, parit peccatum, peccatum verò, cum conſummatum fuerit, generat mortem.* En partus impij ſordidiſsimos, peccatum, mortemque ſemper æterno in igne viuentem. *Væ his prægnantibus, & nutrientibus in illis diebus*, hoc eſt, in die iudicij. Lege Auguſt. ſerm. 20. de verbis Domini. Omnis, inquit, homo concipit, nec vllus poteſt eſſe ſine conceptu: ſed alij concipiunt de Chriſto, alij de diabolo. Sicut enim de illis, qui à diabolo concipiunt, dicitur. *Concepit dolorem, & peperit iniquitatem*: ita & de illis, qui à Spiritu ſancto concipiunt, ſcriptum eſt, *A timore tuo, in vtero concepimus, & peperimus ſpiritum ſalutis tuæ*, &c.

Inc. 1. *Matth. 24.* *D. Auguſt.* *Iſaiæ 26.*

Caueat quiſquis diaboli partus fœdiſsimos edidit, ne prius impleantur dies mortis eius, quàm purificationis eius. Deus bone: ſi facies, ſi pileus, ſi veſtis ſordibus inquinetur, illas protinus eluimus. faciei, pilei, vel veſtis maculas tolerare non poſſumus, animi verò turpiſsimas ſordes tolerabimus? Is dies, ea hora purificationis eſto, quæ eſt peccati. *Non tardes cõuerti ad Dominum* (ait Eccleſiaſt.) *& ne differas de die in diem; ſubito enim veniet ira illius, & in tempore vindictæ diſperdet te.* Vnde Ambroſ. libr. 2. de pœnitentia cap. 1. Agenda, inquit, eſt pœnitentia, non ſolùm ſolicite, ſed etiam mature, ne forte Euangelicus ille paterfamilias, qui *arborem ficum plantauit in vinea ſua, veniat: & quærens fructum in ea, ſi non inueniat, dicat cultori vineæ, Succide illam*, &c. Paulus, *Sol non occidat ſuper iracundiam veſtram.* Quod de iracundia dixit Apoſtolus, idem de omnibus intellige peccatis, ſol non occidat ſuper odium, ſuper inuidiam, ſuper libidinem, ſuper furtum, ſuper obtrectationem, ſuper calumniam, denique quodcunque peccatum tuum. Ne procraſtines, eadem qua peccaſti die pœnitentiam age, ſol non occidat antequam animum purifices, lectus te non excipiat antequã in animo tuo, Dei tabernacula, id eſt, gratiam, peccato euerſam, pœnitentia extruas. Iuxta illud Dauid, *Si aſcendero in lectum ſtrati mei, ſi dedero ſomnum oculis meis, & palpebris meis dormitationem, & requiem temporibus meis, donec inueniam locum Domino, tabernaculum Deo Iacob.* Ne aſcendas in lectum tuum, ne des ſomnum oculis tuis, & palpebris tuis dormitationem, & requiem temporibus tuis, donec locum Deo in corde tuo præpares, & gratiæ tabernaculum ſolo æquatum reædifices.

Dies purificationis noſtræ ſit idem qui eſt peccati. *Eccleſ. 5* *D. Ambroſ.* *Lucæ 13.* *Agenda pœnitentia mature.* *Epheſ. 4.* *Non procraſtinandum in pœnitentia agenda.* *Pſal. 131.*

Idem Apoſtolus: *Deus*, inquit, *conterat Satanam ſub pedibus veſtris velociter.* Velociter conterendus eſt Satan. Conteritur autem ab eo, qui peccato eſt obſtrictus, velociter, pœnitentia veloci. Similiter Act. 12. Angelus Petrum vinctum excitauit dicens, *ſurge velociter.* Criminum catenis vinctus, in carcere Herodis, id eſt, Satanæ, dormis? Excitat te Angelus, excitat Dei verbum, excitat velox Spiritus ſancti afflatus, ſurge velociter. Si ſurgas, hoc eſt pœnitentiam vere agas, quod Petro contigit, id continget tibi, *Ceciderunt catenæ de manibus eius*: cadent etiam peccatorum catenæ de manibus tuis. Quòd ſi porta aliqua ferrea, hoc eſt, difficultas aliqua obſtiterit, quo minus pœnitentiæ viam ſequaris: *Venerunt*, (ait Lucas) *ad portam ferream, quæ vltro aperta eſt eis*; ne metue, vltro porta aperietur; cedent (ſi non ceſſeris) generoſo inuictoque animo omnia Satanæ obſtacula.

Rom. 16. *Act. 12.* *Pœnitentia velox.* *Act. 12.*

Peccatum originis ab Adamo traximus, purificationis celeritatem ab eodem accipiamus. Primi ex hominibus peccarunt Adamus, eiuſque vxor Eua. Primi peccauerunt, primi quoque pœnitentiam egerunt. Inquinauit ſe peccato Adamus, cùm pomum edit vetitũ. at vbi ſe ſordidatum, Deo admonente, aduertit, ex paradiſo expulſus minimè procraſtinauit, velociter intimo animi dolore, feſtinantibuſque lachrymis, commiſſum crimen eluit. Eua quoque virum ſecuta, pœnitentiam in longius tempus minimè reſeruans, animi maculas protinus expiauit. Vnde D. Ambroſ. lib. 2. de pœnitentia cap. 11. Adam, inquit, poſt culpam, ſtatim de paradiſo Deus eiecit. non diſtulit, ſed ſtatim ſeparauit à delitiis: vt ageret pœnitentiam, ſtatim tunicam veſtiuit pelliceam, non ſericam, &c. Eiecit Deus ſtatim poſt peccatum de paradiſo Adamum, vt ageret pœnitentiam, non diſtulit ille pœnitentiam, nec procraſtinauit, commiſſum breuiſſimo temporis ſpatio crimen, longa pœnitentia obliterauit. ô filij Adam, ô filij Euæ, imitamini patrem, imitamini matrem: pœnitentiam veſtram, ſi ſcelere contaminaſtis animum, in diem ex die ne differte: ſed ad purificationem mox conuolate.

Exemplum Adami & Euæ. *D. Ambr.*

Si parentes imitari piget, ſaltẽ multis animantibus deteriores eſſe pudeat, quæ ad medicinas ſibi diuinitus attributas, impigre properãt. Cur ceſſas aggredi (ait Tertullianus in fine lib. de pœnitentia,) quod ſcias mederi tibi? mutæ quidem animæ, & irrationales, medicinas ſibi diuinitus attributas in tempore agnoſcunt. Ceruus ſagitta transfixus, vt ferrum, & irreuocabiles moras eius, de vulnere expellat, ſcit ſibi dictamno medendum. Hirundo ſi excæcauerit pullos, nouit illos oculare rurſus de ſua chelidonia. Peccator reſtituẽdo ſibi, inſtitutam à Domino exomologeſin ſciens, præteribit illam? Hæc Tertul. D. etiam Pacianus in exhortatione ad pœnitentiam. Audio, inquit, capras venenatis ſagittis cõfixas, ſaltus peragrare Dictæos, quoad dictamni caule detonſo, ſalutarium virulento latice ſuccorũ, pulſa decutiant tela corporibus. nos ignita diaboli ſpicula, nullo pœnitentiæ ſucco, nullo exomologeſis gramine repellemus? Excæcatos hirundo pullos nouit oculare de ſua chelidonia, nos lumina mentis amiſſa, nulla malæ tractationis radice curabimus, &c.

Exemplum animãtium ratione carentium. *Tertul.* *D. Pacian.*

Huc etiam ſpectant illa, quibus Nazianzenus Gregorius Oratione 40. ad Baptiſmum properandum eſſe ſuadet. Abſurdum, inquit, fuerit, cum pecunias auide præripias, ſanitatem in longius differre: cùm corpus præpurges, animæ purgationem in aliud tempus reſeruare: cùm ex hac terrena ſeruitute, in libertatem vindicari ſtudeas, ſupernæ libertatis cupiditate minime tangi: cùm diligentiam omnem adhibeas, vt magnificas ædes incolas, aut ſplendidas veſtes geras, nihil curæ ſuſcipere, vt ipſe ſummo pretio dignus ſis: cùm ab bene de aliis merendum promptus ſis, de te ipſo bene mereri nolle, &c.

D. Greg. Nazian.

Denique propone tibi naufragum hominem ante oculos, cui ſi ſe in mediis fluctibus, ſpes ſalutis tabula offerat, celeritatem, qua illam inuadit, ardorem, quo amplexatur, expẽde: hoc animi impetu, hac auiditate, pœnitentiam tibi inuadendam eſſe, inde colligito. Hinc illud Tertulliani libro indicato. Pœnitentiam, inquit, tu peccator ita inuade, ita amplexare, vt naufragus alicuius tabulæ fidem: hæc te peccatorum fluctibus merſum proleuabit, & in portum diuinæ clementiæ protelabit, &c. Et illud D. Ambroſij in tractatu ad virginem lapſam, cap. 8. Inſiſte, inquit, fortiter, inhære tanquam naufragus tabulæ, ſperans per ipſam, te de profundo criminum liberare, &c.

Tertull. Pœnitentia tabula poſt naufragium. *D. Ambr.*

Precatur vates Deum, vt captiuitatem conuertat, ſicut torrens in auſtro fluit: *Conuerte*, inquit, *captiuitatem noſtram, ſicut torrẽs in auſtro*, ſcilicet, conuertitur, vel fluit. Vel: Et ſit ſicut torrens in auſtro, id eſt,

Pſal. 125.

id est, in terra australi arida, atque squalida, qualis erat, quæ Iudææ ad Austrũ vergebat. Torrentes (ait Augustinus eodem Psalmo) dicuntur flumina hyemalia, magno enim impetu repentinis aquis impleta currunt, &c. Acerba peccati captiuitas est, grandus Deus, vt ex illo celeri impetu peccatores eripiat; ita vt similes fiant torrentibus in austro, qui, vt Augustinus ait, magno impetu velociter currunt. Sic velox conuersio: erit etiam læta, animumque diuina gratia irrigabit. Conuerte, ait, Domine captiuitatem nostram, erit autem cõuersio hæc, sicut torrens in austro. Torrens per australem tellurem celeriter fluit, sic velox sit conuersio nostra. torrens aridos agros floribus, fructuque complet: sic aridum animum velox cõuersio, gratia & virtutibus compleat.

D. August.

Fœminam quæ marem pepererat, 40. quæ fœminam 80. dierum spatio, Deus iubebat purificari. Impium verò hominem, nec 80. nec 40. dierum, imo neq; vnius diei, nec vnius horæ spatio, sed ipso temporis puncto, quo ingemit, & veram pœnitentiam gerit, mox purificat. Quæ peperit hominem, longo tempore expurgatur: qui fœdissimum monstrum peccatum parit, quæ infinita est Dei misericordia, à culpa, absque mora per veram contritionem purificatur. Restat tamen peccati confessio peragenda, restat post expurgatam culpam pœna, operibus purificatoriis, turturibus, columbis, ieiuniis, orationibus, eleemosynis, & lacrymis expurganda. Fœmina, quæ purificationem obibat, non cardueles, aut philomelas, aut huiusmodi alias volucres, quæ cãtu suo aures oblectant, sed gemebundos turtures, aut columbas Deo offerebat. De turture Poëta sic cecinit,

Lenit 12. Velociter Deus hominem purificat, id est à culpa mundat.

Pœna post culpam expiatam restat expurganda.

Nec gemere aërea cessabit turtur ab vlmo.

Virgil. Turtur, & columba gemunt.

De turture, & columba Martialis lib. 6. *Gemit hinc palumbus, inde cereus turtur.* De columba item, Augustinus Psalm. 54. Nihil, inquit, tam amicum gemitibus, quam columba, die noctuque gemit, tanquam hic posita vbi gemendum est. Hinc illud, *Quasi columbæ meditantes gememus.* Et, *Ancillæ eius minabuntur gementes vt columbæ murmurantes in cordibus suis.* Haymo. Hæ duæ auiculæ pro cantu gemitus edere solent. Indicat huiusmodi oblatio volucrum, qualis illius oblatio esse debeat, qui pœnitentia peccatum expurgat. Nimirum gemitus, ac suspiria offerre Deo debet, risus, voluptates, cantusque serenum suaues fugere.

D. Augus.

Isaiæ 59. Naum 2. Haymo.

Turturem ferunt, coniuge mortuo, magni mœroris exempla dare, quod reliquum est vitæ, absque compare viuit sola volat, neque frondenti arboris ramo insidet, egregium pœnitentibus exemplum præbens. Amisisti non coniugẽ, sed summum bonum Deum, signa summi mœroris exhibe: impiorum hominum qui te in peccatum reuocare possunt, consortia defere: solus peccata amaro corde volue: voluptates fuge: frondentibus inanis lætitiæ ramis ne insidе. *Nec gemere aerea cessabit turtur ab vlmo*, dixit Poëta: Nec gemere ex animo cesset peccator amaro. Audi sanctissimũ Ambrosium. quomodo turturem agere debeat, ad virginem lapsam cap. 8. scribentem. In primis, inquit, omnis cura vitę huius interimenda tibi est, & quasi mortuam te existimans, sicut es, quomodo possis reuiuiscere, cogita. Deinde lugubris tibi accipiẽda est vestis, & mẽs ac mẽbra singula digna castigatione punienda. Amputentur crines, qui per vanam gloriam occasionem luxuriæ præstiterunt; defluant oculis lachrymæ, qui masculum non simpliciter aspexerunt: palleſcat facies, quæ quondam viruit impudicè: denique totum corpus iniuriis maceretur, cinere aspersum, & opertum cilicio perhorrescat: quia male sibi de pulchritudine placuit. Peccator si sibi non pepercerit, à Deo illi parcetur? Grandi plagæ alta & prolixa opus est medicina; grande scelus grandem habet necessariam satisfactionem, &c.

Quomodo agenda pœnitentia.

Virgil.

D. Ambr.

Vis videre turtures columbasque admirabiliter gementes? Legito Ioannis Climaci caput de pœnitentia. Carcerem illum admirabilium pœnitentium ingredere, singulorum vultus, ora, gestum, voces, lachrymas, verbaque considera; quanto animi impetu atque ardore pœnitentiæ tabulam in fluctibus amplexati sunt; quàm testudineo gradu nos ad illam feramur, intuebere. Quosdam (ait Climacus) vidi, noctibus totis vsq; mane iub dio stare peruigiles, pedesque immobiles tenere; cumque somno miserabiliter oppressi agitarentur, vim naturæ inferre nullamque sibi ipsis requiem indulgere; sed se ipsos increpare; ignominiisque & contumeliis afficere, atque excitare. Alios miserabiliter in cælum intuentes, & illinc adiutorium cum gemitu, & suspiriis, & vocibus inuocantes. Alios in oratione existentes, ac reorum in morem vinctis post terga manibus, humi luridas facies inclinantes, indignosque se qui in cælum aspicerent vociferantes. Nonnullos in pauimento strato cilicio, & cinere sedentes; alios iugiter pectora tundentes. Plurimi, vt in mortibus solet fieri, super animabus suis vlulatum diræ vocis emittebant. Alij ex intimo corde fugiebant, atque intra os gemitus sonum cohibebãt. Interdum verò cum se continere non possent, repente exclamabant. Vidisses in illis æstuantes linguas instar canum, ex ore procedentes. Ex his alij sub ardentissimo Solis æstu, se ipsos cruciabant; alij contra, acerrimo frigore se affligebant. Quidam modicum aquæ degustantes, ne omnino siti exarescerent, ita quiescebant. Nonnulli cùm panis exiguum quid accepissent, reliquum manu longius proiiciebant, indignos se qui rationali cibo vescerentur asserentes: quippe qui irrationabiliter egissent. Quem apud illos locum risus habere poterat? quem otiosus sermo? &c.

Carcer D. Ioannis Climaci.

Climacus.

Hæc ex multis pauca commemorate libuit. Totum illud caput gemitibus suspiriisque hominum ex intimo corde veram pœnitentiam gerentium plenum est. Leges eodem loco, quemdam ex monachis, quod in peccatum incidisset, ab Abbate multis & precibus, & lachrymis impetrasse, vt ad agendam pœnitentiam in carcerem illum pœnitentium damnaretur. Proiecit, inquit Abbas, se in pauimentum, apprehendit pedes, multisque illos lachrymis vbertim rigans, petiit se ad custodiam damnari. Extorsit carcerem lacrymis, ita verò se mœrore in eo torsit, vt intra paucos dies doloris gladio transfixus occubuerit. Doloris gladio, ait Abbas, percussus in corde, quem diuina charitas acuerat, octauo postquam in carcerem peruenerat die, migrauit ad Dominum, petens ne sepultura frueretur. Quem ego vt sane dignissimum, in patrum sepulchro sepeliui. nec defuit, qui certissimè cognosceret, non eum ante à pedibus meis resurrexisse, quam Deus illi propitius ignosceret, &c. Gladio similis est pœnitentiæ dolor, & gladio quidem ancipiti, quem charitas cote sua exacuit, exacutus autem, tam animi quam corporis vitia vitiorumque resecat occasiones, vulnerat in primis animum, nec parcit corpori. Hoc percussus felix ille pœnitens, felicem mortem obiit. Heu quàm longè nostra pœnitentia ab hac distat!

Pœnitentia dolore trãsfixus quidã obijt.

Climacus.

Vox turturis audita est in terra illa, vox pœnitentiæ, & vox gemitus. Vox philomelæ auditur

nunc in terra noſtra, vox cantus, riſus, execrandi-
Prouerb. 2. *Iſaiæ 5.* que poſt peccatum gaudij. Iuxta illud, *Lætantur cum malefecerint, & exultant in rebus peßimis.* Et illud, *Cithara & tympanum, & tibia, & vinum in conuiuiis veſtris, & opus Domini non reſpicitis, nec opera manuum eius conſideratis.* Felix reſpublica, felix domus, felix anima, in qua poſt fugatam criminum ſæuam hyemem vox auditur turturis, lætiſſimum animæ ver indicans, iuxta illud, *Iam hyems tranſiit, imber abiit, & receßit, flores apparuerunt in terra noſtra, tempus putationis aduenit, vox turturis audita eſt in terra noſtra.* Vox turturis, id eſt, pœnitentia, horridam peccatorum hyemem, tartareumque imbrem pellit; redolentes gratiæ flores, verque lætum, in animam aduehit. Similis eſt vox columbæ, quæ dilecto dicitur dulcis, eodem Canticorum capite; *Columba, inquit, mea, in foraminibus petræ in cauerna maceriæ, oſtende mihi faciem tuam, ſonet vox tua in auribus meis. Vox enim tua dulcis, & facies tua decora.* Columbæ vox, vt iam oſtendimus, gemitus eſt. Hæc vox dulcis eſt dilecto, hic gemitus diuinis auribus ſuauis eſt cantus. Non philomelæ delectatur cantu ex picta aurea-ve cauea reſonante, columbæ exhilaratur gemitu, ex duri lapidis foramine, aſperaque cauerna reboante. Philomela ex picta, vel aurea cantans cauea, paruus eſt homo, diuite opulētaque gaudens domo. Columba in foraminibus petræ gemens, & in cauerna maceriæ, vir eſt pœnitens, aſpero cilicio indutus, ſub aſperā degens ſpelunca, vel ſub tecto paupere.

Cant. 2. *Vox turturis verno an mæ tempore, auditur.* *Columba vox, id eſt, pœnitentia Deo grata.* *Cant. 2.*

Vox turturis, & columbæ, audiatur in terra noſtra dum viuimus, ne audiatur ſub terra, poſtquam è vita diſceſſerimus. ſatius eſt hic paucis diebus gemere, poſtea verò in ſempiternum canere; quam nunc canere, poſtea æternum gemitum edere. *Tempus putationis, & purgationis aduenit:* purgemur hic ſuaui pœnitentia, ne poſtea purgemur acerbiſſimo igne. Etenim duplex habet Deus purgatorium, in vita hac vnum, poſt mortem alterum. Huius vitæ purgatorium pœnitentia eſt, vt docet Chryſoſtomus Homilia 3. de pœnitentia, *Lauabo* dixit Dauid, *per ſingulas noctes lectum meum, lacrymis meis ſtratum meum rigabo.* Si lachrymarum vbertatem, ait Chryſoſtomus, Dauid voluiſſet oſtendere, ſatis fuerat dixiſſe, *lachrymis meis ſtratum meum rigabo.* Quare ergo præuenit, *lauabo?* vt oſtendat lauacrum, & purgatorium peccati lachrymas eſſe. Hæc ille. Alterius vitæ purgatorium, ignis eſt acerbiſſimus, ſatius eſt in purgatorio pœnitentiæ per totam vitam habitare, quam in purgatorio ignis per annū commorari. O igitur filij hominum (exclamat Abbas Guerricus ſermone 4. de Purificatione) Tempus purgationis aduenit; quando mater ſummæ puritatis, pariter & fontem edidit & exemplum dedit nobis, quo debeamus purgari. Satius eſt & ſuauius fonte purgari, quam igne. Hæc ille. Et Chryſoſtomus Homilia 5. de pœnitentia. Pœnitentiæ tempus nunc eſt, præoccupet pœnitentia pœnam; præoccupemus faciem eius in confeſſione. Rogum peccatorum extinguimus, nō iam aquis multis, ſed paruis lachrymis, &c.

Huius mūdi purgatorium pœnitentia. *Pſal. 6.* *D. Chryſoſt.* *Vita alterius purgatorius ignis* *Guerricus.* *Chryſoſt.*

Iob 6. *Qui minora detrimenta timent, in maiora incidunt.* *D. Gregor.* *Pſalm. 13.*

Qui timet pruinam, irruet ſuper eum nix. id eſt; Qui minora detrimenta timent, in maiora ruent; qui leuiora huius ſeculi mala formidant, in grauiora alterius incident; qui pœnitentiæ leuem laborem fugiunt, purgatorij, vel tartari grauiſſimas pœnas incurrent. Greg. eodem loco: Sæpe nonnulli dum temporalia aduerſa pertimeſcunt, diſtrictioni ſe æternæ animaduerſionis obiiciunt, de quibus bene per pſalmiſtam dicitur, *Ibi trepidauerunt timore, vbi non erat,* &c. Non eſt timenda pœnitentia, ſed purgatorij, tartarei-ve ignis flamma. At nos ibi trepidamus timore, vbi non eſt timor; pœnitentiam timemus in qua non eſt timor, tartarei, & purgatorij ignis cruciatum non formidamus in quo maximus eſt horror.

CAPVT V.

Morale.

ADEO nobis purgatio de qua agimus eſt neceſſaria, vt cœleſte templum, antequam omnes dies purgationis impleamus, ingredi non ſit fas. *Poſtquam impleti ſunt dies purgationis eius,* ait Euangeliſta, *tulerunt illum in Ieruſalem,* &c. Non licebat fœminæ templum ingredi, antequam dies purificationis impleret. Neque Virgo ante id tempus ingreſſa eſt, quia legem voluit obſeruare. Similem in modum nobis minimè licebit, in admirabile illud cœlorum templum intrare, prius quàm purificationem perfectiſſimè, ſiue in hac vita, ſiue poſt mortem in igne purgante expleamus. Vt enim leges, cæleſtis Ieruſalem nihil ſordidum recipit. *non introibit in eam,* ait Ioannes, *aliquid coinquinatum.*

Luc. 2. *Non poſſumus in cœleſte templum ingredi, antequam dies purificationis noſtræ expleantur.* *Apoc. 21.*

In tartarum quidem velut in magnam totius mundi cloacam, omnes criminū ſordes defluunt. *In cœleſtem ciuitatem, quæ,* vt teſtatur Ioannes, *aurum eſt mundum, ſimile vitro mundo, nihil impurum ingreditur.* In purgatorium verò ignem, aurum, & argentum, quod ſcoriam habet immittitur, vt expurgetur, expurgatumque ciuitatis aureæ ædificio adhibeatur, *Auro locus eſt in quo conflatur.* Similiter auro, de quo loquimur, hoc eſt, viro iuſto, qui peccati aliqua fece expurganda, eſt inquinatus; locus eſt ſubterraneus, in quo conflatur & permundatur. locum hunc purgatorium appellamus. Ferro autem, hoc eſt, impio, qui mortifero crimine contaminatus obiit, non eſt locus in quo purgetur; locus tamē eſt apud inferos, in quo æternis ſuppliciis crucietur.

Tartarus mundi cloaca. *Apoc. 21.* *Iob 28.* *In igne purgante purgatur aurum*

Quæ ſanè ſupplicia ſi cogitatione ſæpe verſentur; mortifera crimina facile Deo opitulante per pœnitentiam animo extrudentur. *Vrgebant Ægyptij populum de terra exire velociter.* Vrgebunt quoq; nos ſi ea animo attento voluerimus, æterna tormenta, de terra Ægypti, hoc eſt, improbitatis ac nequitiæ, celeriter egredi, & crimina per pœnitentiam expurgare. Tertullianus in fine libri de pœnitentia; Gehennam (inquit) in corde conſidera, quam tibi exomologeſis extinguet; & pœnæ prius magnitudinem imaginare, vt de remedij adeptione non dubites, &c. Diuus Pacianus in exhortatione; Memento quia apud inferos exomologeſis non eſt, nec pœnitentia tunc tribui poterit, conſumpto tempore pœnitendi. Feſtinate dum in vita eſtis, Sæculares ecce ignes timemus, & carnificum vngulas expaueſcimus, comparate cum his æternas torquentium manus, apiceſque flammarum nulla ætate morientium, &c. Et Ambroſius ad virginem lapſam ca. 8. Pœnitentia non verbis agenda eſt, ſed & actu. Hæc autem ſic agitur. Si tibi ante oculos ponas, de quanta gloria rueris, & de quo libro vitæ nomen tuum deletum ſit: & ſi te iam credas prope ipſas poſitam tenebras exteriores, vbi erit fletus oculorum, & ſtridor dentium ſine fine. Cum hæc certa fide, ſicut eſt animo conceperis, quia neceſſe eſt præuaricatricem animam tartareis pœnis, & gehennæ ignibus tradi; nec aliud remedium conſtitutum eſſe poſt baptiſmum, quàm pœnitentiæ ſolatium; quantumuis afflictionem, quantumuis laborem ſubire eſto

Tartarei cruciatus corde volueuas. *Tertullian.* *Pacianus.* *D. Ambroſ.*

conten-

contenta, dummodo ab æternalibus pœnis libereris. Ergo hæc tu tecum cogitans, & mente retractans, proprij facti tu ipsa iudex esto crudelior, &c. Vrgent ægrum morbi corporis, ad corporis purgationem, vrget salutis cupiditas, vrget mortis metus, vrget vitæ proferendæ desiderium; vrgeant etiam nos morbi animi ad animi purgationem, vrgeat salutis spiritalis auiditas, vrgeat æternæ mortis æterniq́ue cruciatus horror, vrgeat æternæ vitæ æternæq́ue gloriæ consequendæ spes. Quidquid animum purgat id amplectamur: quidquid inquinat fugiamus.

Ambrosius, Inquinat. nos corpus luteum. Iob. 10.

Inquinat autem nos inprimis luteum corpus, vt ait Ambrosius. illius igitur contagionem lutumque fugiamus. Ambrosius lib. de bono mortis cap. 3. Pulchrè dicit Iob, *Memento, quia lutum me finxisti.* Si ergo lutum est corpus, oblinit nos vtique, non diluit, & inquinat animam inquinamento intemperantiæ, &c. Inquinat præterea nos immundosque reddit mundus, hoc est, mundi amor conditarumq́ue rerum effrænata cupiditas. Est quidem mundo nomen græcum ab ornatu. Vnde Tertullianus in apologetico, Deus, inquit, totam molem istam de nihilo expressit, in ornamẽtum maiestatis suæ: vnde Græci nomen mundo, κόσμον, accommodauerunt. Et lib. 1. contra Marcionem; Mundo apud Græcos ornamenti, & cultus, non sordidum nomen est. Est enim nomen Latinum, mundus, à mũditie. quid enim ornatius, quid mundius mundo? Mundi itaq; homines, ex mũdo munditiam, ex illius ornamentis diuinas laudas depromunt: immundi vero ex tam admirabili ornatu, animi turpitudinem, ex tantá munditiẽ immunditiam sibi comparant. Vt etenim ait Apostolus ad Titum 1. *Omnia munda mundis: coinquinatis autem, & infidelibus nihil est mundum: sed inquinatæ sunt eorum mens, & conscientia.*

Tertull.

Mundus à munditia dicitur, & κόσμος ab ornatu.

Ad Titum 1.

Mũdi creaturæ quomodo pariant nobis immunditiam.

Mundis hominibus omnes creaturæ mundæ sunt, quia prauo illis amore minime inhærent; inquinatis verò immunditiam pariunt, quoniam profusa in eas feruntur auiditate. Aqua munda est, terra quoque munda est, at ex permixtione aquæ & terræ, sordidum lutum efficitur. Eundem in modum, esto humanum cor mundum sit, conditaq́ue res sit munda; si per impurum amorem res condita & cor conmiscentur; spiritale efficietur lutum sordesq́ue magnæ. Docet hoc Angelicus doctor Diuus Thomas 2. 2. quæstione 7. articulo 2. his verbis: Impuritas vniuscuiusque rei consistit in hoc, quòd vilioribus miscetur. Non enim dicitur argentum impurum, ex permixtione auri, per quam melius redditur, sed ex permixtione plũbi, vel stanni. Manifestum est autem, quòd rationalis creatura, dignior est omnibus temporalibus & corporalibus creaturis, & ideò impura redditur, ex hoc quod temporalibus se subiicit per amorem. Hæc ille.

Sordescit animus qui per amorem prauum creaturis adhæret. D. Thom.

Fugiat igitur mundum, qui viuere vult mundus; terrenis rebus per amorem cor non misceat, sensusq́; coërceat, ne cordis raptores & lenones sint. Nam (vt ait Magnus Gregorius initio cap. 31. Iob) Ad custodiendam cordis munditiam, exteriorum sensuum munditia seruanda est, &c. Item de oculis. Vt munda mens in cogitatione seruetur, à lasciuia voluptatis suæ deprimendi sunt oculi, quasi quidam raptores ad culpam, &c. Quemadmodum virgo quæ castitatem diligit, fenestras, nuntios, lenasque; sic anima, quæ munditiam amat, sensus fugit. Etenim sensus lenones quidam sunt qui blandis illecebris, mentem ad peccatum flectunt: nuntij sunt qui ad voluptatem vocant: raptores sunt, qui cor ad creaturas rapium: fenestrę sunt per quas

D Greg. Ad custodiendam cordis munditiem, sensus seruandi sunt.

Sensus lenones sunt animi, nuntij, raptores, fenestræ.

scelerum contagiones intrant: ostia sunt, per quæ ad terrenas res amandas, ac desiderandas animus egreditur. Quod præclarè, vt cætera, Magnus Gregorius loco citato, his verbis ostendit, Cùm sit inuisibilis anima, nequaquam corporearum rerum delectatione tangitur; nisi quòd inhærens corpori quasi quædam egrediendi foramina, eiusdem corporis sensus habet. Visus quippe, auditus, gustus, odoratus, & tactus, quasi quædam viæ mentis sunt, quibus foras veniat, & ea, quæ extra eius sunt substantiam, concupiscat. Per hos enim corporis sensus quasi per fenestras quasdam exteriora quæque anima respicit, respiciens concupiscit. hinc enim Ieremias, ait, *Ascendit mors per fenestras nostras, ingressa est domos nostras.* Mors quippe per fenestras ascendit, & domum ingreditur, cùm per sensus corporis concupiscentia veniens, habitaculum mentis intrat, &c. Nicetas in comment. Orationis 38. Nazianzeni: Sensus, inquit, nisi probe regantur, ad vitium faciles sunt viæ, peccatiq́ue ianuæ; per eos enim ad vitia aditus patet, ac per eos in animum influit atque intrat peccatum, &c.

D. Greg.

Ieremi. 9.

Nicetas.

Claudamus has fenestras, ne mors peccatiq́ue sordes intrent. Cùm verò aperire, sensibusq́ue vti opus est, columbino more illis vtamur, vt loco indicato docet sanctissimus Pater. Iuxta illud, *Qui sunt isti, qui sicut nubes volant, & quasi columbæ ad fenestras suas?* Columbino autem more fenestris nostris vtemur, si non cupidè ac sordidè, sed sincerè, cum munditia ac simplicitate ad suas functiones sensus adhibuerimus. Iusti (ait Gregorius) volare vt nubes dicti sunt, qui à terrenis contagijs subleuantur; & quasi columbæ ad fenestras suas sunt, quia per sensus corporis, exteriora quæque intentione non respiciunt rapacitatis, eosq́ue foras non rapit concupiscentia carnalis, &c. Et homilia 5. in Euangelia, Miluus, inquit, & non columba ad fenestras suas est, qui ad ea, quæ oculis considerat, rapinæ desiderio anhelat, &c. Volet igitur animus sicut nubes, à terrenis contagijs subleuatus: tunc in fenestris nostris, id est, visu, auditu, odoratu, gustu, ac tactu, vt columbæ ad fenestras columbarij sui, sedebimus, mundè mundum sensibus percipiemus, perque creaturarum pulchritudinem, ad Creatoris pulchritudinem amoremq́ue ascendemus. Quare amas ista (ait Augustinus Psalm. 79.) nisi quia pulchra sunt? possunt esse tam pulchra, quàm ille à quo facta sunt? miraris hæc, quia illum non vides: sed per ea, quæ miraris, ama, quem non vides, &c.

D. Greg.

D. Augusti.

Diximus hactenus de nostra purificatione, de qua lege oratiõe 40. Nazianzeni. Iam dicendum est de purificatione Deiparæ, Magniq́ue infantis oblatione, prius tamen de turturibus & columbis à Patribus accepta pauca adnectam. Oblatum est par turturum, vel duo pulli columbarum, quoniam duplex est gemitus, duplex lachrymarum genus, vel enim ob crimina commissa huiusq́ue sæculi exilium, gemitum edimus, vel propter cœlestis patriæ desiderium lachrymas fundimus. Vnde Diuus Hildephonsus Hom. 1. Notandum hic, quòd vtraque hæc auis gemitum pro cantu edere solet, significans geminam in hoc sæculo Sanctorum plorationem: quia tam pro reatibus suis flent, quàm pro eo quòd à regno diutius differuntur. & Beda Luc. 1. Qui (inquit) prius flendo, ne ducerẽtur ad supplicium, turturem pro peccato offerebat; de altero facit holocaustum, cùm postmodum flere incipit, quia differtur à regno, &c.

Quid indicent turtures & columbæ.

Duplex genus lachrymarum & gemitus.

D. Hildephonsus.

Beda.

Iidem Patres turtures contemplatricis, columbas agentis vitæ imaginem gerere aiunt. Columba

Beda Vita contẽplatrix, & agens.

(ait Beda) quæ gregatim conuersari, volare, & gemere consueuit, actiuæ vitæ frequentiam demonstrat. Turtur verò, qui singularitate gaudet, adeò vt si coniugem perdiderit, solus exinde permaneat, speculatiuæ vitæ culmina denuntiat. Idem

Hildephon. Haymo.

docent Diuus Hildephonsus, & Haymo. Vtrumque genus vitæ Deo placet, vtrumque ei offert Ecclesia.

Theophy. Par turturum coniuges.

Theophylactus par turturum coniugij castimoniam, duos pullos columbarum, prolis fœcunditatem putat adumbrare: Par turturum, (inquit) offerre iussit lex, ostendens, quod ex casto coniugio procreatus sit. Item; offerebant duos pullos columbarum, vt multiplicatio prolis huius significetur, fœcundum enim animal columba, &c.

Paris coniugum oblatio est par turturum, aut duo pulli columbarum. Etenim par coniugum, simile esse debet pari turturum, aut pari columbarum, castitatis amans, ac fidelitatis: nesciunt turtures, nesciunt columbæ adulteria: nesciunt & coniuges.

D. Basilius.

D. Basilius in Hexaemero hom. 8. turturis exemplo viduitatem amplectendam suadet, his verbis, Turturem asserunt, seiugatam à coniuge, numquam societatem inire cum alio: sed sine coniuge vitam cælibem degere, recordatione amissi consortis, coniugium alterius abnuentem.

Viduitatem indicat turtur anteponendam secundis nuptiis. D. Hier.

Audiant ipsę mulieres, vt etiam apud animalia ratione non prædita, viduitatis honestas, indecoro iterati connubij anteponatur. Hæc ille. Hieronymus quoque lib. 1. aduersus Iouinianum, eodem exemplo, viduitatem secundis nuptiis anteferendam indicat. Turtur (inquit) auis pudicissima. Legamus physiologos, & reperiemus turturis hanc esse naturam, vt si parem perdiderit, alteri non iungatur: & intelligemus, bigamiam etiam à multis auibus reprobari, &c. Non reprobant tamen Patres secundas nuptias veluti illicitas, sed viduitatem illis anteponunt.

Theophyl. Psalm. 127.

Pulli columbarum, vt vult Theophylactus, quam Deus casto coniugio largitur, fœcunditatem innuunt iuxta illud, *Vxor tua sicut vitis abundans, in lateribus domus tuæ: filij tui sicut nouellæ oliuarum in circuitu mensæ tuæ. Ecce sic benedicetur homo, qui timet Dominum.* Vxor, (ait) tua in lateribus, id est, interiori parte domus tuæ, fidelis, pudica, instar turturis, minime vaga, &c. Indicat prætereà, par columbarum, thori fidem, & castimoniam. Etenim vt

Thori seruanda fides ac castimonia. Plinius.

scribit Plinius lib. 10. cap. 34. Pudicitia columbis prima, & neutri nota adulteria, coniugij fidem non violant, communemque seruant domum, imperiosos mares, subinde etiam iniquos ferunt. Autor vtriq; sobolis æqualis. Quæ omnia illis congruunt, qui coniugalem vitam agunt. Pudicitia illis prima sit vt columbis: neutri nota sint adulteria: coniugij fidem communemque domum seruent, prolem ament, ac sanctis præceptis instruant, vxor viri imperium & si difficile sit, ferat. Iam ad Virginis purificationem accedamus.

CAPVT VI.

Morale.

D. Bernar.

SED de Virginis purificatione quid dicemus, quæ minimè purificatione indiguit? Cur enim indigeret purificatione, ipso sole purior partus, totiusque fons purificationis? Vnde Bernardus in A sermone de Purificatione, hunc Virgini sermonem affingit. Quid mihi opus purificatione? cur abstineam ab ingressu templi, cuius vterus nesciens virum, templum factus est Spiritus Sancti? Cur non ingrediar templũ quæ peperi Dominum templi? Nihil in hoc conceptu, nihil in partu impurum fuit, nihil purgandum, nimirum cùm proles ista fons puritatis sit. Quid in me legalis purificet obseruatio, quę purissima facta sum ipso partu immaculato? &c.

Virgo purificatione non indiguit.

Neque hac purificatione, neque vlla alia animi expiatione, virgo absque vlla peccati labe concepta, vnquam opus habuit. Veteris legis remedium illud, quod fœminarum originarium peccatum expurgabat, illi quidem adhibitũ est: sed ad peccatum delendum, non fuit necessarium. Peccatum enim minime deleuit, quod ad Adamo non contraxerat; gratiam tamen attulit. Illis sacrificiis quæ pro peccato appellantur, non indiguit; pacificas verò hostias, & holocausta obtulit.

Deiparæ Virgo nulla peccati expiatione opus habuit.

Iam verò, si de sacramentis nouæ legis sermo sit, quæ animo puritatem afferunt, nullo opus habuit ad animi puritatem sacramento. Suscepit tamen aliqua ad gratiam amplificandam. Omnia enim sacramenta rite suscipientibus, gratiam conferunt, quam velut fontes continent. Suscepit inprimis Baptismum, tum ad gratiam augendam, tum ad characterem consequendum, præceptumque obseruandum. Eucharistiam prætereà, & Confirmationem. Christus enim in die Pentecostes Spiritum Sanctum misit, & aspectabili illo signo Confirmationis sacramentum, eiusque effectum Virgini tribuit, & Apostolis. Extremam etiam vnctionem suscepisse, non est à veritate omnino alienum. Ordinis verò sacramentum Virginis sexui aptum non fuisse liquet. Matrimonium sacramenti ratione caruit, quoniam initum est cum Iosepho, antequam in sacramentum nouæ legis institueretur.

Virgo baptismum suscepit, Eucharistiam, confirmationem, & fortè vnctionem extremam.

At pœnitentiæ sacramentum, ac purificatio, à tanta puritate longè abfuit. Pœnitentiæ materiam, qui non suppeditat, recipere sacramẽtum nequit, Admirabilis verò Virginis puritas, quamnam materiam pœnitentiæ suppeditare potuit? Nullam prorsus. Etenim peccata quæ materia sunt ignis, si non expientur: voluit pro infinita misericordia Deus, debita cum præparatione, materiam esse sacramenti, vt expientur. Deiparæ verò puritas, qua maior sub Deo (vt ait Anselmus libro de concept. Virg. cap. 18.) nequit intelligi, omne peccatum, tam quod mortale, quàm quod veniale, nominatur, excluſit. Can. 6. Pulchra dicitur, & decora sicut Ierusalem. Pulchra sane fuit, & decora, sicut Ierusalem cœlestis. De Ierusalem autem cœlesti, vt paulò ante diximus, ait Ioannes. *Ipsa ciuitas aurum mundum, simile vitro mundo*: item: *Non intrabit in eam aliquid coinquinatum*: Aurum semper mundum fuit. Virgo absque vlla originalis, mortalis, vel venialis peccati scoria. Erat autem simile vitro aurum, quoniam naturam, non Cherubicam habuit, aut Seraphicam; sed humanam, hoc est, vitream, & fragilem; in qua puritas est admirabilior.

Deipara sacramento pœnitentiæ nunquam se purificauit.

D. Anselm. Cant. 6. Apoc. 21. Virgo aurum mundum simile vitro mundo.

Qui in domo versatur mundissima, peristromatis, & taperibus, vndique contecta, eum nihil luti contrahere minime mirum. At qui via ingreditur lutulenta, eum ne tenuissimis quidem luti guttis aspergi, id verò admirabile. Cherubim, Seraphinque in cœlo, & conditi sunt, & vitam degunt, in quo nihil immundi est; quòd igitur nihil luti ante beatitudinem adeptam contraxerint & si

In natura humana puritas admirabilior, quàm in angelica.

& si mirum, non adeò tamen mirum. At Virgini, quæ in mundo vixit immundo, ne minimę quidem immunditiæ maculam adhæsisse: hæc quidem res est omni admiratione digna. Nonne admirabile est in tam longo vitæ spatio, in tot operibus, tot verbis, tot desiderijs, tot cogitationibus, quæ numerari nequeunt: ne vnum quidem opus, ne vnum quidem verbum, aut cogitationem, reperiri posse, quæ à diuina regula & voluntate abfuerit, aut discreparit?

Quod in cœlo habent angeli, virgo consecuta est in terris, id est, omnimodam ab omni peccato puritatem.

Pulchra fuit Virgo sicut Ierusalem: quoniam, quod ciues cœlestis Ierusalem, id est, Angeli, in cœlo per beatitudinem sunt adepti, ipsa per gratiam in terris est consecuta. Omnimoda ab omni peccato puritate Angeli in cœlo perfruuntur: omnimoda quoq; ab omni vel leuissimo peccato puritate, in terris Virgo perfruebatur, ipsosque Angelos puritate vincebat. Nihil coinquinatum in cœlestem Ierusalem intrat, nihil coinquinatum in cœlestem Virginem intrauit. In nostrum animum vt suprà diximus, per sensus, veluti fenestras sordes intrant: per sensus autē Deiparę nullæ sordes in animum poterant intrare. non enim malorum, sed bonorum fenestræ erant. Res conditæ pariunt immunditiam, eò quòd per amorem cor illis permiscemus, & vt cum D. Thom. iam supra citato loquar, eò quòd nos per amorem illis subiicimus. At Virgo sanctissima, nulli creaturæ cor suum per amorem subiecit. Quemadmodum initio mundanæ creationis, spiritus Domini, id est, amor Domini, ferebatur super aquas; ita amor Virginis ferebatur super res omnes conditas, nulli verò subiiciebatur. Ideo *Luna sub pedibus eius* esse dicitur: quoniam non se caducis, sed caducas res omnes pedibus subiiciebat.

D. Thom.

Apoc. 12.

Eccl. 14. Virginis pulchra dilectio, nihil habuit impuritatis.

Meritò, *Mater* dicitur *pulchræ dilectionis*. Etenim pulchro amore Deum, pulchro Angelos, pulchro viros, pulchro fœminas, pulchro se ipsam, pulchro virtutes, pulchro res conditas semper dilexit; atque ita pulchro, vt ex dilectione nihil immunditiæ, plurimum verò meriti, ac pulchritudinis semper collegerit. Rectè eodem capite, cum balsamo non mixto confertur. *Quasi balsamum*, (inquit) *non mixtum odor meus*. Balsami summa probatio (ait Plin. lib. 12. c. 25.) est, vt lac coagulet: & in veste maculas non faciat. Hæc similiter nostri balsami, id est, amoris est probatio. Is adulterinus amor est, qui peccati maculas in animo facit, is sincerus est, ac pulcher, qui animum, non solùm non maculat, verùm meritis auget. Amor ergo Virginis, qui nulla illam macula affecit, sed potius plurimum ornauit, balsamum fuit non mixtum, odoris suauissimi.

Eccle. 14. Plinius.

Nos verò caueamus ne misceatur, aut adulteretur amor noster: sed purus sit, & pulcher, pulchro Virginis amori similis, balsamumque non mixtum. Purga amorem tuum, (ait Aug. Psalm. 31.) aquam fluentem in cloacam, conuerte ad hortum, &c. Si quis purissimi fontis aqua sordidā cloacam irriget, nonne aquā sordibus inquinabit? si à cloaca in hortum deriuarit, nonne fructus sibi suauissimos affert? Eumdem in modum, si quis in immundum mundum veluti cloacam, amorem immiserit, haud dubiè amorem contaminabit: si à mundi cloaca in hortum virtutum conuerterit, poma sibi dulcissima pariet. Purgemus igitur amorem, vt ait Augustinus. Purgabimus autem, si à mundi cloaca in hortum virtutum illum conuerterimus.

Amor veluti fons purificandus. D. August.

Non erat quidem lege purificationis deuincta Virgo, attamen humiliter illi voluit obedire. Vnde Iustinianus in sermone de Purificatione rectè ait;

Iustinianus

A Virginem supra legem fecerat gratia; sed sub lege humilitas. Christus quoque Optimus Maximus lege Mosis minime astringebatur, legi tamen paruit. Vnde illud, *Cuius principatus humerum eius*: Chaldæus sic interpretatur: *suscepit legem supra se, vt seruaret eam*. Boni enim principis est leges seruare, quas populo seruandas imponit: & imperium suum, hoc est, quod imperat aliis, super humerum ferre. Iuxta illud Diui Isidori libr. 3. sententiarum cap. 52. Iustum est principem, legibus optemperare suis, tunc enim iura sua ab omnibus custodienda existimet, quando & ipse illis reuerentiam præbet. Item; Non conuenit principes, in se frustrare iura, quæ in subiectis cōstituunt. Iusta est enim vocis eorum autoritas, si quod populis prohibent, sibi licere non patiantur, &c.

Isai. 9. Chaldæus.

Principis boni est, legibus quas tulit, vim præbere exemplo. D. Isidor.

B

Obtulit Virgo par turturum, vel duos pullos columbarum; non obtulit agnum, quæ ditiorum erat hostia, quoniam pauperem vitam degebat. Non obtulit agnum; & obtulit agnum. Non obtulit agnum typicum, sed obtulit agnum verum: non obtulit imaginē; sed rem imagine indicatam. non obtulit vmbram; sed ipsam lucem. Nō obtulit hostiam diuitum; sed obtulit hostiam ditissimam. obtulit hostiam pauperū; sed quæ diuitum omnium opulentissimas hostias vincebat. Obtulit enim Agnum Dei, qui tollit peccata mundi, cuius oblatio omnes superat oblationes, omnes hecatombes, omnia legis antiquæ sacrificia.

Virgo non obtulit agnum typicum, sed obtulit verū.

C

Respexit Dominus ad Abel, & ad munera eius. In quæ verba Magnus Gregorius Iob 31. Non Abel, inquit, ex muneribus, sed ex Abel munera oblata placuerunt, &c. In reliquis oblationibus, munus ex offerente, non offerens ex munere placet, vt Greg. ait: at in hac, contrà, offerēs ex munere non munus ex offerēte placuit. Nō propter Virginem Christus, sed propter Christum Virgo placuit Deo. Ille enim est Filius dilectus, in quo sibi Pater complacuit, cuiusque ratione tum Virgo, tùm iusti omnes illi placent. Respexisse dicitur Deus (vt ait Gregorius eodem loco) prius ad Abel, qui dabat, quam ad illa, quæ dabat. At hic, respexit prius ad id quod dabatur, quàm ad Virginem, quæ dabat. Etenim in munus hoc ante omnia munera oculos suos ab æternitate coniecit, in hoc donum, prius quàm in cætera omnia dona respexit: propter hoc munus, reliqua omnia munera illi placuerunt, quæcunque placuerunt. Quocirca agnus hic, agnus dicitur occisus ab origine mundi; quoniam in oculis Dei ab origine mundi; ad tollenda peccata mundi versabatur. Munera Abel Deus respexit: & è cælo misso igne dicitur inflammasse. Quamobrē Theodotio, teste Hieronymo in quæst. in Genesim, sic est interpretatus; *Et inflammauit Dominus super Abel, & super sacrificium*. Inflāmata quoque est cælesti amoris flamma Deipara Virgo, & oblatio eius; inflammatus Simeon, & Anna prophetissa. Christum autem amore dicimus tunc inflammatum, non quòd amoris habitu creuerit, sed quòd actus exarserit.

Gen. 4. D. Gregor. Virgo placuit ex munere.

Prius respexit Dominus ad munus, quam ad offerentē,

Theodotio.

D

E

Offerebatur Deo olim agnus bis quotidiè: vnus matutino sacrificio, alter vespertino. Eodem pacto noster agnus duplicem habet oblationem; alteram matutinam, alteram vespertinā. Matutina hæc est, qua illucescente ætatis humanæ aurora, in templo Patri offertur; vespertina illa erit, qua non in brachiis Virginis, sed in brachiis crucis, non in templo, sed in monte caluariæ, non laudante Simeone & Anna, sed blasphemias iaculantibus Iudæis, offeretur. Oblationem matutinam, appellat Bernardus serm. 3. de purificatione, oblationem delicatam, quoniam nihil doloris cùm

Oblatio hæc Christi fuit matutina, vespertina in cruce.

offerretur passus est. Etenim pulli columbarum, vel turtures immolati sunt, alter pro peccato, alter in holocaustum, Christus verò non est immolatus, sed quinque siclis redemptus, domumque à Deipara reportatus. Oblatio autem vespertina haud erit delicata, sed plena doloris, tunc enim in celso crucis altari, tota inspectante sacrificium Ierusalem, imo toto inspectante cœlo immolabitur; & quinque siclis pretij infiniti, hoc est, quinque vulneribus vniuersum orbem redimet. Sed melliflui Bernardi melle hæc nostra condiamus, *D.Bernard.* sermone 3. Oblatio (inquit) ista satis delicata videtur, vbi tantum sistitur Domino, redimitur auibus, & illico reportatur. Veniet, quando non in templo offeretur, non inter brachia Simeonis, sed extra ciuitatem inter brachia crucis. Veniet, quando non redimetur alieno, sed alios redimet sanguine proprio. Illud erit sacrificium vespertinum, istud est matutinum, &c.

Quid retribuemus Domino pro hisce oblationibus, quas retribuit nobis? Propterea primogenita ab Israëlitis sibi voluit offerri, quod Ægypti primogenita propter illos occidissent, vt supra diximus. *Exod.13.* Quid ergo à nobis flagitabit, quorum causa non Ægypti primogenita, sed suum vnigenitum occidit? Sanè optimo iure primogenita, hoc est, meliora ac potiora à nobis exigit, optimo iure exigit primogenitum nostrum. Quis sit autem primogenitus noster si quæris, respondeo, cor esse primogenitum nostrum; quia primò ante membra reliqua, gignitur. Accipitribus corda volucrum, quas prædantur dari solent; Christus cor nostrũ è cruce prædatus est, id ergo illi offeramus. *Christo cor offerendum.* *Dederunt filij Israel, possessionem Iosue filio Nun, in medio sui.* *Iosue 19.* Nos verò demus possessionem IESV Filio Dei, in medio nostri, id est, in corde nostro. *Psal.65.* *Holocausta medullata offeram tibi*, ait Dauid. Quæ nam medulla est holocaustorum? quæ medulla oblationum? Sanè cor: hac medulla si medullentur ac compleantur munera nostra, placebunt Deo valde. Præbe cor Deo, ô Christiane, hoc æquè diuitum, ac pauperum munus est, cor reliqua membra consequantur, tuque sequere totus. *D.Gregor. Nazianz.* Audi Nazianzenum Gregorium oratione 40. Omnia (inquit) membra, quæ sunt super terram, Deo demus, omnia consecremus: sumus holocausta ratione prædita, victimæ perfectæ. nos ipsos totos Deo in munus offeramus, vt nos totos recipiamus. quandoquidem hoc est planè accipere, Deo donatum esse, eique salutem suam velut sacrificium quoddam obtulisse, &c.

Senecæ. Socrati (ait Seneca lib. 1. de beneficiis cap. 7.) cùm multa multi, pro suis quisque facultatibus offerrent; Æschines pauper auditor: Nihil, inquit, dignum te quod dare tibi possim inuenio, & hoc modo pauperem me esse sentio. Itaque dono tibi, quòd vnum habeo meipsum: hoc munus rogo, qualecunq; est boni consulas, cogitesque alios cùm multum tibi darent, plus sibi reliquisse. Cui Socrates: Quid ni tu, inquit, magnũ munus dederis? nisi fortè paruo te æstimas. habebo itaq; curæ vt te meliorem tibi reddam, quàm accepi. Hæc Seneca. Tu verò Æschinem imitare: non Socrati, sed Deo totum dona teipsum. *Si Deo te totum offerat, meliorem te tibi reddet.* Si donaueris, multo te tibi meliorem reddet.

Ex rebus verò caducis, quascunque poteris, pauperibus Dei causa, sanctis pijsque operibus magno animi affectu offer. Vt enim ait idem Pater sanctissimus Gregorius Nazianzenus oratione 9. Deus largitionem offerentis affectu & facultate metitur. Et Saluianus in lib. 1. ad Ecclesiam: *Nazianz. Gregor. Affectum offerentis Deus ponderat. Saluianus.*

Oblata, inquit, affectu placent: animó commendantur data. Diuus Gregorius Magnus Homilia 5. in Euangelia; Ante Dei oculos nunquam est vacua manus à munere, si fuerit arca cordis repleta bona voluntate. Item: Nihil offertur Deo ditius bona voluntate. Item: Deus non perpendit quantum in eius sacrificio, sed ex quanto proferatur, &c. Et Diuus Cyprianus in lib. de opere, & eleemosynis; Viduam, inquit, cum videret Dominus, non de patrimonio, sed de animo, opus eius examinans; & considerans non quantum, sed ex quanto dedisset, dixit, Vidua ista plus omnibus misit in dona Dei, &c. *D.Gregor. Magnus.* *D.Cypr.*

Etenim si parua munera sint, offer. Nihil enim eorum, quæ Deo offeruntur (ait Nazianzenus citata oratione) tam paruum est, quamuis etiam minimi momenti sit, quamuis longè infrà illius dignitatem, quod non accipiat Deus, & gratum habeat. Accipit ille & duo minuta viduæ, & publicani humilitatem, & Manassis confessionem, &c. Accipit & calicem aquæ frigidæ, iuxta illud, *Quicumque potum dederit vni ex minimis istis, calicem aquæ frigidæ, tantùm in nomine discipuli, amen dico vobis, non perdet mercedem suam.* *Nazianz. Etiam minima Deus accipit.* *Matth.10.*

Reddis Deo, quæ Dei sunt; & tamen mercedem tibi pro suis, quæ soluis, soluit. Nam vt Saluianus ait; Non homo præstat beneficium Deo in iis quæ dederit; sed Deus homini in ijs, quæ acceperit. Quia etiam quod homo habet, Dei munus est; ac per hoc, in iis, quæ offeruntur ab homine, homo non suum reddit, Dominus suum recipit. Itaque cùm offert Deo quispiam facultates suas, nõ offerat quasi præsumptione donantis, sed quasi humilitate soluẽtis. Hæc ille. Hac humilitate Dauid offerebat, cuius illa sunt verba; *Tua sunt omnia, & quæ de manu tua accepimus dedimus tibi, Domine: omnis hæc copia, quam parauimus, vt ædificaretur domus nomini sancto tuo, de manu tua est, & tua sunt omnia*, &c. *Dei beneficium est Deo offerre. Saluianus.* *1.Par.29.*

Eadem humilitate, filium suum Virgo Deo obtulit: quem à Deo acceperat, quique idem filius erat Dei. Eadem nos quoque humilitate, eundem Dei filium, quem Pater nobis dedit, (iuxta illud, *Paruulus datus est nobis, & filius datus est nobis*) Patri semper offeramus, eiusque meritis infinitis, nostras tenues oblationes fulciamns. Hedera tam imbecilla est, vt repat semper humi, si verò vel muro, vel arbori adhæreat, in auras se attollit. idem in vitibus cernas. Sic & oblationes, operaque nostra omnia, ipsa per se quidem parui sunt pretij, & humi repunt: sed si Christi meritis hæreant, & cum illo simul offerantur, in cœlum vsq; exurgent. *Isaiæ 9.* *Opera nostra humi repunt, nisi à Deo Christi meritis extollantur.*

CAPVT VII.

Morale.

SIMILEM oblationem, Ierosolymitanum templum vidit nunquam. Multi diuitum, multi nobilium, multi regũ primogeniti Deo sunt oblati in templo illo; at huic pauperi primogenito, nullus fuit similis. Pauper est specie externa, intus opulentissimus; gloriaque immensa plenus, quæ templo gloriam magnam attulit. *Magna erit gloria domus huius nouissimæ*, ait Aggæus propheta, *plus quàm primæ*. Cur ita? Quoniam prima domus, hoc est, primum templum à Salomone extructum, hunc primogenitum non excepit: hæc gloria secundæ domui, hoc est, secundo templo, est reseruata. *Templum Ierosolymitanum similem oblationem numquam vidit. Aggæus 2.*

Fuit

Fuit primum templum Salomonicum auro fulgentissimum; in quo sanctissima penetralia, id est, sancta sanctorum, arca testamenti obtinebat, cum propitiatorio, & duobus Cherubinis, de quibus Deo fauente, tomo secundo agemus. Primum templum auri, secundum Messiæ splendor decorauit. Illud arca, propitiatorium, ac Cherubini; hoc Christus,& Virgo exornarunt. Atriũ templi, in quo Christus est oblatus, ipsa sancta sanctorum tunc temporis longè superabat. Etenim in atrio templi vera erat testamenti arca, Virgo Deipara, verum propitiatorium, Christus, duo quoq; Cherubini, Simeon, & Anna, qui versos habebant in propitiatorium,id est,Christum seniles vultus,feliceſque oculos. Antiqua illa templi ornamenta, coram iis (quemadmodum stellæ coram Sole) amittunt splendorem, ac disparent. Neque verò velum deest, quod arcam, propitiatoriumque tegat. Vtinam defuisset velamen illud, de quo Apostolus loquitur 2.Cor.3.velamẽ, inquam, ignorantiæ, atque incredulitatis. Cùm palam in templo Simeon & Anna,de Messia loquerentur,velum tegebat arcam,& propitiatorium;id est Virginem,& Christum. Quis enim Virginem Deiparam matrem esse Messiæ nouit? quis Christum Messiãesse optatissimũ credidit? Quondam Salomonis tempore 3.Reg.8. *nebula impleuit domum Domini*; nunc etiam, nebula ignorantiæ eandem compleuit.

Testamenti arca, propitiatorium, & Cherubini videntur in atrio templi.

2. Cor. 3.

3 Reg. 8.

Vt legitur 2.Paralip.7. *maiestas Domini impleuit domum,nec poterant sacerdotes ingredi templum Domini,eò quòd implesset templum Domini maiestas Domini.* Impleuit tunc domum Domini signum maiestatis Domini; at cùm infans Christus est oblatus, non signum maiestatis, sed ipsamet Domini incarnati maiestas templum Domini compleuit. Quid maiestatem dixi? impleuit primum templum maiestas Domini; secundum impleuit humiliras, & humanitas Domini: quoniam, vt Paul. ait ad Tit.3, *Apparuit benignitas, & humanitas Saluatoris nostri Dei.* Cùm impleuit templum maiestas, sacerdotes nõ poterant ingredi domum Domini, Israelitæ verò corruentes in terram adorauerunt, 2.Par.7. At cùm impleuit templum humanitas,& humilitas,sacerdotes templum ingredi potuere, Israelitæ in terram proni minimè corruere. Imo senex Simeon vlnis Deum excepit: Anna & quotquot voluerunt,Deum tetigere. Videlicet, non maiestas, sed Dei humanitas impleuit domum Domini.

2. Par. 7.

Maiestas Domini impleuit domum Domini.

Tit. 3.

2. Par. 7.

Ait Dauid; *Populum tuum vidi cum ingenti gaudio, tibi offerre donaria.* Magno cum gaudio vidit Dauid populum offerentem Deo aurum gemmasque, ad opus templi;multo cũ maiori gaudio vidisset Deiparam Virginem offerentem Patri pretiosissimam illam gemmam, fulgentissimum illud aurum, redemptionis nostræ pretium, optatissimum Messiam. Coram arca testamẽti saltauit ille quondam; quid fecisset coram hac arca, id est, Virgine? quos Psalmos decantasset? quanta lætitia exultasset? quam suaui voce illud Psal.47. ceciniſſet? *Suscepimus Deus misericordiam tuam, in medio templi tui.* Illius vices & omnium, qui Messiam expectauerant patrum, subiit sanctus Simeon: cum ingenti gaudio infiniti pretij donarium Virginis conspexit, lætitiaque exultans in vlnas accepit suas.

1. Par. 29.

Dauid ante hanc arcam saltasset.

Psal. 47.

Simeõ subiit patrum vicem Christum expectantium.

Gen. 8.

Gauisus est Noë, cum columbam vidit ad vesperam in arcam aduolantem, oleæ ramum rostro præferentem, diluuiique finem demonstrantem. Multo exultauit magis Simeon,cum deargẽtatam illam columbam Virginem sanctissimam conspexit, non signum solùm misericordiæ oleam, sed ipsam gremio misericordiam portantem, diuturnique diluuij finem prænunciantem.

Rhinoceros (ait D.Gregor. Iob 39.) tantæ fortitudinis esse dicitur, vt nulla venantium virtute capiatur,sed sicut ij asserunt, qui describendis naturis animalium laboriosa inuestigatione sudauerunt, Virgo ei puella proponitur, quæ venienti sinum aperit, in quo ille omni feritate postposita, caput deponit. sicque ab eis, à quibus capi quæritur,repente velut inermis inuenitur. Hæc de Rhinocerote quam sint vera alij explorent, in nostro quidẽ Rhinocerote vera sunt. Dei fortitudo Num. 23. cum fortitudine confertur Rhinocerotis; *Cuius fortitudo* (ait Balaam) *similis est Rhinocerotis.* Hunc venari antiqui patres desiderabãt summoperè, hunc suspirabant,votisque ac desideriis insequebantur; de quibus vide Augustinum serm.20. de tempore. Rhinocerotem votis insequebantur, at non assequebantur, venari illum non potuerunt & comprehendere,donec Virgo ei sanctissima proposita est. Hæc venienti è cælo cor aperuit, hæc purissimo vtero, & gremio illum excepit, in quo omni timore depositio conquieuit. In hoc Virginis gremio,à felice Simeone inuentus,amorisque catenis irretitus est.

D. Gregor.

Num. 23.

Rhinocerotem in sinu Virginis Simeon comprehendit.

August.

Congruit illud Psal.39. magno Simeoni, *Expectans expectaui Dominum, & intendit mihi; & immisit in os meum canticum nouum,carmen Deo nostro. Erat* (ait Euangelista) *vir iustus & timoratus, & expectans consolationem Israel*; expectans expectauit consolationem Israel, Christum Dominum,& intendit illi; Et immisit in os eius canticum nouum; *Nunc dimittis seruum tuum Domine*, &c. *Responsum acceperat à Spiritu sancto non visurum se mortem, donec Messiam videret*; promissis stetit Spiritus diuinus, antequam mortis videret tenebras Simeon,lumen vidit ad illuminationem gentium omnium præparatum. expectabat consolationem Israel,expleuit Deus illius expectationem. Spes in caducis rebus collocata decipit. Quales sunt res, talis earum spes. Corrumpuntur res,corrumpitur quoque spes. Vnde Augustinus Psalm. 74. Quia, inquit, de corruptibilibus præsumpserunt,spes eorum corrumpetur,&c. At in Deo fixa spes fit res, nostra spes (ait Augustinus loco citato) in fine erit res,&c. Simeonis spes facta res summo cum gaudio, iuxta illud Prouerb.13. *Desiderium si compleatur delectat animam.* Simeonis desiderium compleuit Deus; summo gaudio affectus est Simeon.

Psal. 39.

Luca 2.

Stetit Deus promissis.

Qualis res tales spes est. D. Augusti.

Spes iustorum sit res.

Prou. 13.

Lignum vitæ (vt dicitur eodem capite) *desiderium veniens*; hoc est, Res desiderata veniẽs, est arbor vitæ: quàm verum hoc in re præsenti? res desiderata Christus erat,qui arbor est vitæ:arbor ergo vitæ fuit Simeoni, veniens res desiderata Christus. Arborem ille vitæ manibus tenens, mortem non timet; Nunc, inquit, dimittis seruum tuum Domine,secũdùm verbum tuum in pace. Quis mortem timeat vitæ fontem habens? Quis mortis tenebras horreat, lumen ad reuelationem gentium portans? Quis mortis noctem formidet, lucernam mundi manibus præferens? ille mortem timeat, qui mortem, id est, mortale peccatum in animo habet; ille mortis horreat tenebras, qui crassissima flagitiorum caligine est oppletus; ille mortis noctem formidet,qui in nocte scelerum vixit.Eius est mortem timere(ait Cyprianus in libro de mortalitate)qui ad Christum nolit ire,eius est ad Christum nolle ire, qui se non credat cum Christo incipere regnare.

Arbor vita Christus Simeoni.

Non timet mortem qui habet Christum.

D. Cyprian.

Nunc, inquit, *dimittis*, Græcè soluis, *seruum tuum in pace.* Quasi necessitate quadam (ait Ambrosius in lib.de bono mortis cap.2.) teneretur in hac vita, non voluntate: ita dimitti petit, quasi à vinculis quibusdam ad libertatem festinaret. sunt enim

Luca 2.

D. Ambros.

velut vincula quædam, corporis huius cogitationes, & vincula tentationum, quæ nos alligant, & ad iniuriam captiuitatis astringunt quadam lege peccati. Vnde in exitu videamus quemadmodum anima decedentis, paulatim soluat se vinculis carnis, & ore emissa euolet, tanquam carcereo corporis huius exuta gurgustio, &c. Corpus ante hominis peccatum palatium erat iustitiæ originalis aulæis egregiè exornatum, eoque artificio extructum, vt nullo vnquam tempore rueret, si innocentia staret. Post peccatum palatium in carcerem

Corpus ex palatio versum est in carcerem.

conuersum est graueolentem, ruinæ, id est, morti obnoxium, in quo mille appetitionum catenis innexus animus, miseram vitam degit. Ex palatio discedere non cupiebat animus; postquam verò in carcerem versum est, dissolui cupit, & esse cum

Rom. 7.

Christo. Vnde Paulus ad Rom. *Infelix*, inquit, *ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?* id est, de hoc carcere ruinam minitante. Etsi luscinia caueam

Animus charitate ardens dissolui cupit.

habeat ornatissimam, cibo potuque redundantem, è cauea tamen exire cupit, libereque frui lælo. Sic charitate ardens animus, quamuis corpus habeat præstantissimum, rebus omnibus caducis quamuis abundet, è cauea tamen, id est, corpore egredi cupit, & Christi conspectu liberè frui, dicens; *Nunc dimittis seruum tuum Domine secundum verbum tuum in pace.*

In pace iusti moritur in bello impius.

In pace serui Dei dimittuntur, qui tota illi vitâ seruierunt. At impij, qui carnis & Satanæ seruituti se manciparunt, in bello discedunt, quod ad mortem vsque cum Deo gesserunt. Soluunt è portu vitæ huius iusti, nauigantque in cælestem Ierusalem, absque naufragio in pace. sceleratorum nauigatio scelerum procellis plena est, quorum flatu veluti sæuo turbine perpetuis Tartari ignibus demerguntur. Gen. 40. *pincernarum magister, pistorũ princeps, & Ioseph carcere continebantur*, ex quo omnes, sed dissimili sorte exierunt: pistorum princeps ad suspendium, pincernarum magister ad munus suũ obeundum, Ioseph ad principatum. Similem in modum è carcere corporis multi exeunt quotidie, sed dissimili sorte exeunt; impij ad æternum supplicium, probi ad æternum principatum.

Gen. 40.

Qui ardẽter amant, delectabiliter moriuntur, patienter viuunt. D. August.

Qui ad suspendium ducitur, haud libenter è carcere egreditur; qui ducitur ad principatum, libentissimè. Adeò vero libenter è corpore nonnulli exeunt, vt vitam patienter ferant, mortem delectabiliter obeant. Vnde Augustinus Tractatu 9. in Epistolam Ioannis; Sunt homines, inquit, qui cum patientia moriuntur: sunt autem quidam perfecti, qui cum patientia viuunt. Qui adhuc desiderat vitam istam, quando illi venerit dies mortis, patienter tolerat mortem; qui autem desiderat dissolui, & esse cum Christo, non patienter moritur, sed patienter viuit, delectabiliter moritur, &c.

Qui in patriam nauigat, vbi à charissimis consanguineis, amicisque se nouit magna cum lætitia excipiendum, è portu libenti soluit animo. Sic vir iustus cui patria cælum est, vbi à dilectissimis amicis, cognatisque magno cum gaudio excipitur,

D. Cyprian.

non grauatè è vita migrat. Quis (ait Diuus Cyprianus in libro de mortalitate) peregrè constitutus non properaret in patriã regredi? quis ad suos nauigare festinans, vẽtum prosperum cupidiùs non optaret, vt velociter charos liceret amplecti? Patriam nostram paradisum computamus, parentes Patriarchas habere iam cæpimus, quid nõ properamus, & currimus; vt patriam nostram videre, vt parentes salutare possimus? Magnus illic nos charorum numerus expectat, parentum, fratrum, filiorum, frequens nos & copiosa tuba desiderat; ad horum complexum & conspectum venire,

In cælesti patria magnus nos charissimorum numerus expectat.

quanta & illis, & nobis in commune lætitia est? Hactenus ille.

Cyprian.

Idem Cyprianus eodem libro de Simeone loquens; Lætus, inquit, de morte iam proxima, & de vicina accersitione securus, accepit in manus puerum, & benedicens Deum exclamauit, & dixit; *Nunc dimittis seruum tuum Domine, secundum Verbum tuum in pace.* Probans, scilicet, æque contestans, tunc esse seruis Dei pacem, tunc liberam, tunc tranquillam quietem, quando de istis mundi turbinibus extracti, sedis & securitatis æternæ portum petimus; quando expuncta hac morte, ad immortalitatem venimus. Illa est enim nostra pax, illa fida tranquillitas, illa stabilis, & firma, & perpetua securitas. Et Haymo: Sancti (ait) Dei, quamdiu in præsenti sæculo consistunt, semper in prælio sunt, non habent hic perfectam requiem: ideo dicunt cum Simeone; *Nunc dimittis seruum tuum Domine*, vt quiescam in pace, qui hactenus fui in bello, &c.

Luc. 2. Tũc ad portum peruenimus, cum ex hac vita discedimus.

Haymo.

Nunc dimittis (ait Simeon) *seruum tuum Domine.* Dominus enim est, qui dimittit ex hoc labore suos seruos, qui dimittit ex hoc bello, suos milites; illo vocante discedunt, non vocante manent. Vnde illud Marci Tullij in libro de senectute; Vetat Pythagoras iniussu imperatoris, id est, Dei de præsidio, & statione vitæ decedere. Et illud Ambrosij de bono mortis, capite secundo. Christus Rex noster est, & ideò quod Rex iubet, deserere non possumus & contemnere. Quantos imperator terræ huius, in peregrinis locis, aut honoris specie, aut muneris alicuius causa, iubet degere? Nunquid hi inconsulto imperatore discedunt? Et quanto plus est diuinis parere, quam humanis? Viuere ergo seruo Dei Christus est, mori lucrum: quasi seruus enim non refugit vitæ obsequium, & quasi sapiens lucrum mortis amplectitur, &c.

Iniussu imperatoris nẽ est de statione decedendum.

M. Tullius.

D. Ambr.

Præterea exhibet Simeon sacerdotis egregiam imaginem. Simeon manibus Christum in templo excepit: vir erat iustus, timoratus, Spiritu sancto plenus, & consolationem Israelis expectans. Sacerdos item, in templo, manibus & pectore eundem Dominum excipit. Sit igitur similis Simeoni, iustus & Spiritu sancto plenus. Vt verò iustitiam, & Spiritum conseruet, sit etiam timoratus. Vt enim Beda ait hoc loco; Difficile iustitia sine timore custoditur, quo iustus Deum, quanto ardentius diligit, tanto solertius offendere cauet, &c. Est timor iustitiæ, siue virtutis basis quædam, vt indicat Diuus Augustinus Psalm. 118. Basis, inquit, quædam verbi est timor sanctus. Sicut enim simulachrum aliquod in basi statuitur, & tunc maiorem habet gratiam, cum in basi statua fuerit collocata, standique accipit firmitatem; ita Verbum Dei in timore sancto melius statuitur, fortius radicatur, id est, in pectore timentis Deum, &c. Est præterea fundamentum salutis, vt docet Tertullianus de cultu fœminarum, capite secundo. Qui præsumit (ait ille) minus veretur, minus præcauet, plus periclitatur. Timor fundamentum salutis est, præsumptio impedimentum timoris. Qui securus agit, non est solicitus, non possidet tutam, & firmam securitatem. At qui solicitus est, is verè poterit esse securus. Hæc ille.

Sacerdos sit timoratus.

Beda.

Timor Dei iustitiam conseruat, fundamentum est salutis, & vitæ tutum basis. D. August.

Expectet etiam sacerdos consolationem, commoda, & vtilitates Israel, hoc est, populi: non sit ex eorum numero, de quibus Paulus, *Omnes* (ait) *quæ sua sunt quærunt.* Sed Paulum ipsum moribus effingat, cuius illud est, *Per omnia omnibus placeo, non quærens, quod mihi vtile est, sed quod multis, vt salui fiant.* Et, *anathema esse cupit pro fratribus.* Imitemur Mosem, qui Exod. 32. deleri postulat de libro vitæ populi charitate

Phil. 2. Sacerdos non quærat quæ sua sunt.

1. Cor. 10. Rom. 9. Exod. 32.

ritate raptus. *Dimitte*, inquit, *illis hanc noxam, aut dele me de libro vitæ.* 1.Pet.2 *Ipsi tanquam lapides viui superædificamini*: videlicet, super lapidem illum pretiosum in fundamento Sionis collocatum. Christiani, vt lapides viui in diuino hoc Ecclesiæ ædificio collocamur. Lapides autem in ædificij structura, alij alios fulciunt, neque solùm sibi prosunt. Ita nos, alij alios, consilio, scientia, verbo, pecunia, cibo, auxilio denique quocunque, pro virili parte fulciamus, iuxta illud Apostoli, ad Galat.6. *Alter alterius onera portate*; videlicet quemadmodum lapidum alter alterius onus portat. Diuus Gregorius homilia decimatertia in Ezechielem. In sancta, inquit, Ecclesia, vnusquisque & portat alterum, & portatur ab altero. Nam vicissim se proximi tolerant, vt per eos ædificium charitatis surgat, &c.

1.Pet.2.

Onera inuicem portanda.

Gal 6.

D. Gregor.

Adhæc. *Venit Simeon in spiritu in templum.* Ita sacerdos, in spiritu in templum, hoc est, in sacerdotium; & templi dignitates veniat, non ambitione, aut cupiditate ductus, sed diuini cultus studio impulsus. Matth. 4. *Christum diabolus in pinnaculum templi duxit.* Deinde; *Mitte* (ait) *te deorsum.* Ita sacerdotes in pinnaculum templi, id est, dignitates templi, sæpè per ambitionem, & auaritiam euehit. Suadet deinde, vt Ecclesiasticis bonis, & dignitatibus ad vitia abutantur, seq; deorsum in tartarum præcipitent. 3. Regum 6. *Per cochleam ascendebant in medium cœnaculum templi.* Cochlea scala est non recta. Per cochleam illi ascendunt in cœnacula Ecclesiæ; qui per ambitionem, & cupiditatem effrænatam ad honores Ecclesiasticos irrepunt; per scalam rectam illi scandũt, qui in spiritu in templum veniunt.

Lucæ 2.

Matth.4. Sacerdos veniat in spiritu in templum, id est, templi dignitates.

3.Reg.6.

Est etiam sacerdotis, in spiritu venire in templum, id est, cum spiritu in templo, diuino cultui ministrare, cum spiritu canonicas horas recitare, cum spiritu sacrum facere, cum spiritu concionari, confessiones audire, reliquaque sacramenta populo conferre. Is autem spiritus, & si oculis non cernatur, in actione ipsa demonstratur. Quemadmodum enim inflata nauis vela, & concitatus cursus, ventum indicant, qui oculis cerni nequit; sic sacerdotis actio, humilitas, modestia, deuotio, spiritum demonstrant, qui sub aspectum minimè cadit.

Exemplo sit sacerdotibus nouæ legis, sacerdos ille antiquæ legis Onias, de quo secundo Machabæorum decimo quinto hæc leguntur; *Erat huiusmodi visus; Oniam qui fuerat summus sacerdos, virum bonum & benignum, verecundum visu, modestum moribus, & eloquio decorum, & qui à puero in virtutibus exercitatus sit, manus protendentem orare pro omni populo Iudæorum*, &c. Hæc egregia sunt sacerdotis epitheta; bonus, benignus, verecundus, visu modestus, moribus, & eloquio decorus, manus propopulo protendens, orans, & à puero in virtutibus exercitatus. A pueritia enim castimoniam, & cæteras virtutes sectari, lasciuiam, & reliqua vitia is debet fugere, qui ad sacerdotium cupit peruenire.

Sacerdotis exemplum Onias.

2.Mac.15.

Habent etiam viduæ, imò & habemus omnes, quam imitemur Annam, quæ velut turtur compare amisso, sola multis annis, vitam degens sanctissimam, non recedebat de templo, ieiuniis & obsecrationibus seruiens die, ac nocte. & hoc sub lege veteri. Anna (ait Ambrosius in lib. de viduis) viuida religioni, & effæta iam corpore, cui diuersorium in templo fuit, colloquium in prece, vita in ieiunio. Vtinam sub lege noua, multos habeat imitatores, legis veteris fœmina, non mundo, sed religioni viuidos; quorum diuersorium, vt cum Ambrosio loquar, sit in templo, colloquium sit in precibus, vita in ieiunio. Tales Christus suæ gloriæ postulat testes, & enarratores; cæli enim, hoc est, excelsa vita præditi, enarrant gloriam Dei. Vnde Ambrosius in Lucam, Anna, inquit, stipendiis viduitatis, & moribus talis inducitur, vt digna plane fuisse credatur, quę redemptorem omnium, venisse nuntiaret. & Diuus Fulgentius in epistola de statu viduali ad Probam; Quia, inquit, sanctimoniam virginalem vidualis continentia gradu inferiore subsequitur; idcirco postquam de Virgine natus est filius Dei, vidualis linguæ dignatus est officio prædicari. Nec tamen de illo locuta est vidua delitiis dedita, quæ viuens mortua est; sed *quæ non discedebat de templo, ieiuniis & obsecrationibus seruiens nocte, & die.* Et Origenes Homilia decima septima in Lucam, (ait) Sancta mulier spiritum prophetandi meruit accipere; quia longa castitate, longisque ieiuniis ad hoc culmen ascenderat.

Anna viduarum exemplar.

D. Ambr.

D. Ambr.

D. Fulgen. Anna vidua virtute conspicua, Christo testimonium perhibuit.

Origen.

Hieronymus in epistola ad Furiam, Hebræa nomina, quorum meminit Lucas, interpretatur. *Erat*, (inquit) *Anna filia Phanuel, de tribu Aser.* Anna interpretatur gratia; Phanuel resonat vultum Dei; Aser vel in beatitudinem, vel in diuitias vertitur. Quia igitur ab adolescentia vsque ad octoginta quatuor annos viduitatis onus sustinuerat, & non recedebat à templo diebus ac noctibus, insistens ieiuniis, & obsecrationibus; idcirco meruit gratiam spiritualem, & nuncupari filia vultus Dei, & ataui Aser beatitudine diuitiis censeri. Hæc ille. Philo quoque in libro quòd Deus sit immutabilis, ait Annam significare gratiam. Anna igitur, id est, gratia, Christo in templum venienti testimonium merito exhibuit, quoniam fons est gratiæ Christus, legisque gratiæ lator. *Filia est Phanuel*, id est, vultus Dei, quia vultum Dei vidit; *de tribu Aser*, id est, beatitudinis, quia beata fuit, quòd vultum Dei conspexerit; etenim beati oculi (ait Christus) qui vident, quæ vos videtis.

D. Hieron.

Anna gratia significat filia Phanuel, id est, vultus Dei, non enim de templo recedebat.

Fulgentius in epistola indicata, cum vidua Iudith, Annam confert, his verbis. Christum, quem Anna cognouit in carne natum Iudith nouerat nasciturum. Iudith spiritalibus armis accincta, caput lasciui prædonis ascidit; Anna caput Ecclesiæ Spiritu Sancto repleta cognouit. datus est Iudith Holophernis interitus: Annæ reuelatus est saluatoris aduentus. Illi Deus dedit à populo repellere pestilentiam: huic tribuit humani generis agnoscere medicinam. Sed progrediamur.

D.Fulgentius. Anna confertur cum Iudith vidua.

CAPVT

CAPVT VIII.

De fuga Christi Optimi Maximi in Ægyptum: De reditu: & Innocentium cæde.

LVCAS CAPITE II.

ET vt perfecerunt omnia secundùm legem Domini, reuersi sunt in Galilæam in ciuitatem suam Nazareth.

MATTHÆVS CAPITE II.

QVI cùm recessissent; ecce Angelus Domini apparuit in somnis Ioseph, dicens, Surge & accipe puerum, & matrem eius, & fuge in Ægyptum, & esto ibi vsque dum dicam tibi. Futurum est enim, vt Herodes quærat puerum ad perdendum eum. Qui consurgens accepit puerum, & matrem eius nocte, & secessit in Ægyptum, & erat ibi vsque ad obitum Herodis. Vt adimpleretur, quod dictum est à Domino per Prophetam dicentem: Ex Ægypto vocaui filium meum.

Tunc Herodes videns quoniam illusus esset à Magis, iratus est valdè, & mittens occidit omnes pueros, qui erant in Bethlehem, & in omnibus finibus eius à bimatu, & infra, secundùm tempus, quod exquisierat à Magis. Tunc adimpletum est, quod dictum est per Ieremiam Prophetam dicentem. Vox in Rama audita est, ploratus, & vlulatus multus. Rachel plorans filios suos, & noluit consolari, quia non sunt.

Defuncto autem Herode, ecce Angelus Domini, apparuit in somnis Ioseph in Ægypto, dicens: Surge & accipe puerum, & matrem eius, & vade in terram Israel: defuncti sunt enim, qui quærebant animam pueri. Qui consurgens accepit puerum & matrem eius, & venit in terram Israel. Audiens autem quod Archelaus regnaret in Iudæa, pro Herode patre suo, timuit illò ire, & admonitus in somnis secessit in partes Galilææ. Et veniens habitauit in ciuitate, quæ vocatur Nazareth, vt adimpleretur, quod dictum est per Prophetas, quoniam Nazaræus vocabitur.

Matth. 2. Quonam abierit Deipara cũ infante Christo, post purificationẽ? Luca 2.

ECCE *Angelus Domini apparuit Ioseph*; &c. Dubium est, quonam discesserit Virgo Deipara, & Ioseph, cum magno infante ex Bethlehem, vel Ierusalem, post purificationem. Nam discessisse in Galilæam, in ciuitatem Nazareth, affirmat Lucas cap. 2. his verbis; *Et vt perfecerunt omnia secundùm legem Domini, reuersi sunt in Galilæam in ciuitatem suam Nazareth.* hoc est, postquam ritum purificationis obseruarunt, in ciuitatem Nazareth redierunt, vnde in Bethlehem, vt describerentur, profecti fuerant. At Matthæus significat post Magorum adorationem statim Ægyptum petiisse. Sic enim scribit cap. 2. *Qui*, id est Magi, *cum recessissent, ecce Angelus Domini, apparuit in somnis Ioseph, &c. qui consurgens accepit puerum, & matrem eius nocte, & secessit in Ægyptum.* Ex his verbis efficitur Deiparam, & Ioseph in Ægyptum profectos statim post discessum Magorum. Non ergo petere potuerunt Nazareth, post purificationem.

Matth. 2.

Dubio respondemus, Magos decimo tertio die post admirabilem natiuitatem Christum adorasse, & decimo quarto, vel decimo quinto, ex oppido Bethlehem discessisse. In spelunca præsepij morati sunt post discessum Magorum Deipara, & Ioseph cum Deo infante, ad purificationem vsque. Die quadragesimo purificationis legi paruere. Post purificationem domum in ciuitatem Galilææ Nazarethã reuersi sunt, vt Lucas asserit. in ea ciuitate habitanti Ioseph, Gabriel Archangelus in somnis præcepit, vt Ægyptum petens, infantis saluti consuleret. Discessitque Ioseph protinus, vt Angelus imperauerat. *Luca 2.*

Inter Euangelistas verò Matthæum, & Lucam, nulla est discordia, sed summa concordia. Lucas ita, vt diximus est, explicandus. Matthæus verò silentio purificationem præteriit; & in patriam reditum; ideoque profectionem in Ægyptum, cum discessu Magorũ coniunxit; quamuis purificatio, & in patriam reuersio interceserint. Itaque sensus Matthæi huiusmodi est, Magi cùm discessissent; non protinus, sed multis post diebus; ecce Angelus Domini apparuit Ioseph, vtque Ægyptum peteret imperauit. Nazareth autem post purificationem reuersam esse Virginem, & ex ipsa ciuitate Angeli monitu in Ægyptum se contulisse, sententia est D. Anselmi Matth. 2. Euthymij, Abulensis, & aliorum. Confirmatur ex verbis Lucæ suprà iam citatis. Chrysostomus quoque homil. 9. in Matthæum docet, rediisse Deiparam ex Bethlehem in Nazareth, post purificationem, ante fugam in Ægyptum; idem scribit Theophylactus in fine capitis 2. Matthæi. *Virgo Deipara post purificationem rediit Nazaretham. D. Anselm. Euthym. Abulensis. D. Chrysost. Theophyl.*

D. Bonauentura in libro de vita Christi cap. 12. medi- *D. Bonau.*

meditatur, Deiparam post purificationem, Elisabetham inuisisse,& infantem Ioannem. Cumque Nazaretham iter faceret,antequam in vrbem perueniret, Angelo monente fugam in Aegyptum suscepisse. In qua sententia videtur fuisse Ammonius Alexandrinus si recte ab interprete latinitate donatus est. Sic enim scribit in harmonia Euangelica; Ioseph rediens Nazareth,oraculo admonitus est, vt fuga in Aegyptum, infantis vitæ consulat. Rediens, inquit, quasi dicat in ipso itinere cum rediret domum. Neque verò dissentit à verbis Lucæ hæc sententia; sic enim exponi possunt; *Vt perfecerunt omnia secundum legem Domini, reuersi sunt in Galilæam, in ciuitatem suam Nazareth*; reuersi quidem sunt, sed ab ipso itinere ad fugam reuocati.

Ammonius Alex.

Luc. 2.

Diuus Augustinus libro 2.de consensu Euangelistarum capite 5.in aliam discessit sententiam,aliterq; Matthæum à Luca minimè dissentire ostendit. Arbitratur ille post purificationem Angelum Ioseph de fuga admonuisse,antequam Nazaretham rediret; admonitum verò Ioseph, protinus infantem in Aegyptum transtulisse;ex Aegypto verò in Galilæam, & Nazaretham reuersum esse. Vnumcunque verò Euangelistam(ait)sic narrationem suam contexere, vt tanquam nihil prætermittentis series digesta videatur. tacitis enim, quę non vult dicere,sic ea quę vult dicere,illis quæ dicebat adiungit,vt ipsa continuò sequi videantur. Lucas igitur ex sententia sanctissimi Patris, tacita fuga in Aegyptum de qua Matthæus egit, ista dicere voluit, id est, reditum in patriam,iis quæ dicebat, id est, purificationi adiunxit, vt reditus in patriam continuò purificationem sequi videatur, cùm tamen longè postea euenerit. Verba itaque Euangelistę sic sunt interpretanda iuxta hanc opinionem.Postquam perfecerunt omnia secundùm legem;& postquam in Aegyptum confugerunt,de qua fuga Matthæus scripsit; reuersi sunt in Galilæam in ciuitatem suam Nazareth.reuersi inquam sunt,non continuò ex Iudæa,aut ex Bethlehē, siue Ierusalem, sed multò post ex Aegypto quò aufugerant. Hic enim reditus idem est cum illo, cuius Matthæus meminit in fine capitis 2.his verbis; *Veniens* videlicet Ioseph, *ex Ægypto, habitauit in ciuitate Nazareth*, &c. Hæc opinio est etiam Bedæ, Luc. 2. Cardinalis Caietani,& Iansenij; mihi quoque verisimilis videtur. Potest ergo nodus hic duobus modis dissolui, vel ex sententia Anselmi,vt suprà dissoluimus, vel ex sententia Augustini.

D. Augusti.

Matth 2. Beda. Caietanus. Iansenius.

D.Epiphanij sententia hæresi 51. non recipitur, qui putauit Christum à Magis adoratum; exactis duobus post natiuitatem annis,posteaque in Aegyptum esse profectum. In illa nocte (ait loco citato) post duos natiuitatis annos, visus est Iosepho Angelus, & dixit, vt assumeret puerum, & matrem in terram Aegypti, &c. Est illius opinio huiusmodi. Virginem in Bethlehem venisse descriptionis cæsareæ gratia; natum tunc temporis in Bethlehem Christum; oblatum in templo die xxxx. & purificatam Deiparam.Post purificationem in ciuitatem Nazaretham rediisse,vt Lucas scribit.Deinde post duos annos, in Bethlehem rursus se contulisse, atque eo tempore à Magis adoratum infantem,duos iam annos natum.Post discessum verò Magorum, statim in Aegyptum aufugisse.

Sententia Epiphanij. D.Epiphan.

Luc. 2.

Matth 2. An Ioseph eadem nocte in Ægyptū fugerit, qua angeli præceptū accepit. Abulenses.

ACCEPIT *puerum, & matrem eius nocte, &c.* Nocturno tempore Angelus præcepit Iosepho, vt infantem in Aegyptum duceret, Herodisque furorum fugeret. Abulensis Matth.2.quæst.59. opinatur,nō esse profectum eadem nocte,qua Angeli præceptum accepit, sed in viam prius se præparasse, rebusque suis ne perirent cauisse. Id verò cōfirmari potest, quoniam domum habebat Iosephus,& aliquid supellectilis,quam oportebat tutelæ alicuius consanguinei committere. Præterea oportebat famæ consulere, neque insciis vicinis, & cognatis, fugam capessere.

Verba tamen Euangelistæ eadem nocte profectum videntur indicare;quæ est Cardinalis Caietani opinio. *Apparuit* (inquit Euangelista) *Angelus in somnis Ioseph*,&c. *Qui consurgens* (videlicet statim è lecto) *accepit puerum, & matrem eius nocte, & secessit in Ægyptum*. Quorsum è lecto surrexit, nisi vt protinus proficisceretur?

Caietanus. Matth. 2.

Si opinionem Diui Bonauenturæ sequamur, videlicet ab itinere, quo Nazaretham petebat,in fugam esse retractum Iosephum,nihil momenti habent rationes, quibus Abulensis probatur opinio, vt perspicuum est.

Quod si placet magis, Iosephum Nazaretham peruenisse, & aliquo tempore ibi habitasse, antequam ab Angelo Aegyptum petere iuberetur, respondebitur, pauperem fuisse Iosephi supellectilem,& Virginis Deiparæ,relictam verò simul cum domo clausa. Solent enim, qui fugiunt omnia deserere. Ex hoc loco Iansenius Virginis,& Iosephi colligit paupertatem. Non enim, inquit, ante fugam sarcinæ diu colligendæ erant, aut debitores adeundi,aut facultates disponendæ. Sed omnibus, si quæ erant posthabitis,id vnum agebant, vt diuino mandato obedirent, nihil de prouidentia Dei dubitantes, &c.

Iansenius.

Quod ad famam attinet,quamuis insciis vicinis discederēt, ad aliquod necessarium negotium,vel ad victum comparandum discessisse, vicini existimare possent,omnem verò mali suspicionem sanctissimæ Deiparæ, & Iosephi vita, Deique prouidentia repellebat.

Iansenius existimat hoc loco, Magorum dona aduersus huius fugæ, & exilij incommoda fuisse asseruata. Deus, inquit,iam pulchrè donariis Magorum, ad hoc exilium, filium suum, cum matre, & nutritio communierat. Qua de re suprà iam diximus.

ET *secessit in Ægyptum*. Longum est à Nazareth in Aegyptum iter.Vnde nonnulli apud Abulensem Matthæi 2.quæstione 60.dixerunt,longo tempore à Virgine Deipara confectum, idque ex eo probari potest, quod Israelitæ ex Aegypto in Iudæam 40. annorum spatio peruenerunt, vt ex libris Mosis constat. Sed respondetur,iter illud nec multorum esse annorū, nec multorum mensium. Authore enim Abulensi quæstione indicata, à ciuitate Gaza, quæ in finibus Iudææ ad austrum sita est, ad Cairum vsque Aegypti præcipuam ciuitatem, septuaginta leucæ numerantur,quarū quinquaginta solitudo occupat. A Nazareth Ierusalem vsque, Borchardus 27.leucas, à Ierusalem, vsq; ad Hebron 8.supputat.ab Hebrone vsque ad Gazam dietæ vnius iter esse scribit.Vnde à Nazareth Cairum vsque, centum amplius leucas itinere terrestri supputare poteris.

Matth.2. Quantum distet Ægyptus à Nazareth, ostenditur.

Abulensis.

Borchard.

Facilius fuisset ex Iudæa, in Aegyptum nauigare. Ab Ierusalem vsque ad Ioppem mediterranei maris portum 8. leucarum spatium esse ait indicatus author, à portu distat Aegyptus leucis fere 80. teste Abulensi. At Iosephus creditur non nauigasse, sed terrestre iter peregisse.

Seuerus Sulpitius in primo Dialogo ca.4.quantum à Bethlehem distet Aegyptus, his verbis indicat; Bethlehem oppidum petij, quod ab Hierosolymis sex millibus disparatur,ab Alexandria autem, sedecim mansionibus abest, &c. Alexandria ciuitas

Seuer. Sulp.

D. Auguſt. ciuitas eſt Ægypti. Diuus Auguſtinus ſermone 82. de tempore; Ab illo, inquit, loco, vbi erat Iacob, vſque in Ægyptum vix erant trecenta milliaria, &c. Iacob autem erat in Iudæa. Iter verò quod Iſraelitæ confecerunt aliud fuit. Non enim duxit illos Deus itinere recto in terram promiſſam, ſed quadraginta annorum ſpatio per ſolitudinem circumduxit. *Exod.* 13. Exod. 13. Cùm emiſiſſet Pharao populũ, non eos duxit Dominus, per viam terræ Philiſthiim, quæ vicina eſt, reputans ne fortè pœniteret eum, ſi vidiſſet aduerſum ſe bella conſurgere, & reuerteretur in Ægyptum. Sed circumduxit per viam deſerti, quæ eſt iuxta mare rubrum, &c.

An corruerint Ægypti ſimulachra Chriſto introeunte. Iſaiæ 19. *D. Anſelm.* Introeunte Chriſto in Ægyptum, corruiſſe ſimulachra multi aiunt. Diuus Anſelmus Matth. ſecundo; De fuga in Ægyptum prædixit Iſaias ca. 19. *Ecce Dominus aſcendet ſuper nubem leuem, & ingredietur Ægyptum, & mouebuntur ſimulachra eius*, quod factum eſt, quia Domino intrante Ægyptum, idola templorũ corruerunt. Hęc ille. Eádem ſcribit Magiſter hiſtoriæ, & addit; Tradunt quoque, quod ſicut in exitu filiorum Iſrael de Ægypto, non fuit domus Ægypti, in qua non iaceret mortuus primogenitus, ita in ingreſſu Chriſti in Ægyptum, non fuit templum, in quo non corruerit idolum. D. Bonauentura de vita Chriſti, cap. 12. Cùm in Ægyptum intrarunt Chriſtus, Virgo, & Ioſeph, omnia idola ipſius prouinciæ corruerunt, ſicut per Iſaiam fuit prophetatum. Druthmarus Matth. ſecundo; Cùm Chriſtus peruenìſſet in Ægyptum, vt compleretur, quod Iſaias dixerat, cum tranſiit ante templum, corruerunt omnia idola, &c. Lyranus Iſaiæ decimonono. Ingrediente Domino in Ægyptum ſimulachra corruerunt, vt dicitur in Scholaſtica hiſtoria, in ſignũ deſtructionis idololarrię per prædicationem Euangelicam. Gloſſa ordinaria, ibidem. Tunc forſitan ſimulachra Ægypti corruerunt, & dæmones in eis obmutuerunt. Dionyſius Carthuſianus Iſaiæ 19. Corruerunt Ægypti idola propter Chriſti præſentiam, quam ferre non potuerunt, quemadmodum Dagon idolum corruit, cum arcæ præſentiam ferre nequiuiſſet, 1. Reg. 5. In eadem ſententia ſunt D. Antoninus prima parte, tit. 5. cap. 1. paragrapho quarto, Cardinalis Hugo, Abulenſis quæſtione 60. & 61. Ludolphus de vita Chriſti & alij. At Ianſenius cap. 11. fabulam appellare auſus eſt.

Druthmar. *Lyranus.* *Gloſſ. ord.* *Dion. Cart.* *1 Reg.* 5. *D. Anton.* *Card. Hugo.* *Abulenſis.* *Ludolphus.* *Ianſenius.*

D. Athan. Fauent antiquiores Patres. Diuus Athanaſius de incarnatione Verbi; Quis, ait, iuſtorum aut regum, in Ægyptum deſcendit, & eius deſcenſu idola corruerunt? Abraham deſcendit, nihilominus tamen idololatria viguit; natus eſt ibi Moſes, æquè illic hæſit religionis error, &c. Item; Ægyptiorum ſuperſtitio non quieuiſſet, niſi Deus in corpore quaſi in nube vectus, eò deſcẽdiſſet, & idolorum errores compeſcuiſſet. Author imperfecti; Chriſtus *deſcendit in Ægyptum, vt mortifera idola diſſiparet*, ſicut teſtatur Iſaias cap. 19. Diuus Cyrillus Ieroſolymitanus catecheſi decima; Cùm in Ægyptum Chriſtus ire debebat, vt manu facta Ægypti diſſolueret, rurſus Angelus apparuit Ioſeph, &c. Euſebius prætereà lib. 6. de demonſtratione Euangelica cap. 20. ſcribit dæmones, qui Ægyptum incolebant, & in ſimulachris Ægyptiacis latitabant, Chriſti præſentia commotos, ac fugatos. Et Procopius Iſaiæ 19. Cum puer, inquit, in Ægypto verſatus eſt, ineffabili quadam præſentia virtutis eius, dæmones erepta ſibi poteſtate ſuperatos, fugiſſe dicamus, &c. Origenes homil. 3. in diuerſos; Fuge in Ægyptum, propterea, vt deſtruantur manufacta eorum, vt confringantur, & pereant idola eorum, vt dæmones turbentur, vt adimpleas, quæ dicta ſunt ab Iſaia

Autor. imp. Iſaiæ 19. *D. Cyrillus.* *Euſebius Cæſar.* *Procopius.* *Dæmones Chriſtum in Ægypti ventientem fugerunt. Origenes.*

cap. decimo nono. Fuge in Ægyptum, vt fugiant ex Ægypto, qui ibi ſunt dæmones, vt pro multitudine templorum, atque abominationum, multitudo exuberet Eccleſiarũ, pro idolorum turbis, turbæ fidelium abundent, pro vitiis & erroribus, caſtitas, ſanctitas, virginitas, &c.

D. Doroth. Prætereà D. Dorotheus Martyr in ſynopſi, hæc habet; Ieremias ſignum dedit ſacerdotibus Ægyptiacis, quod oporteat ſimulachra eorum concuti, & decidere, per ſeruatorem puerum, ex Virgine naſciturum, & in præſepi iaciturum, propterea etiam nunc Virginem in lecto, infantem in præſepio collocant, & adorãt. Et cùm cauſam olim Ptolemæus rex percontaretur, reſponderunt, myſterium eſſe ipſis à maioribus traditum, quod illi à ſancto Propheta acceperint, &c. In vitis etiam patrum hæc leges. Vidimus & alium ſanctum Virum nomine Apollonium apud Thebaidem, in finibus Hermopolis, ad quam ciuitatem Saluatorem, & Mariã, & Ioſeph, de Iudææ finibus veniſſe tradunt, ſecundùm prophetiam Iſaiæ dicentis, Dominus aſcendet ſuper nubem leuem, & veniet in Ægyptum, & commouebuntur manufacta Ægyptiorum à facie eius, & cadent in terram. Vidimus ergo ibi etiam templum ipſum, in quo ingreſſo Saluatore, corruiſſe omnia idola in terram, & comminuta eſſe memorabant, &c. Hæc eadem ſcribit Palladius cap. 52. in vita Apollo. Sozomenus libro quinto hiſtoriæ Eccleſiaſticæ capite vigeſimo, de arbore ſcribens, quæ Chriſtum apud Hermopolim venerata eſt, de qua infrà dicemus. Arbor, inquit, vel ſignificabat Chriſtum iam in vrbe adeſſe, vel, vt veriſimile eſt, non modò arborem, quam incolę propter magnitudinem, & pulchritudinem lege gentilicia venerabãtur, dæmone iam, qui ibi colebatur, ob Chriſtum talium rerum euerſorem, qui eo in loco comparebat, perhorreſcente, ſua ſponte commotam eſſe, verùm etiam omnes Ægyptiorum ſtatuas, aduentante tunc Chriſto, iuxta prophetiam Iſaiæ, concuſſas. Itaque dæmone inde abacto, arbor, quo rei geſtę teſtimonio eſſet, remanſit ibi, fideleſque morbis liberauit, &c.

Signum datum ab Ieremia ſacerdotibus Ægypti. *Palladius.* *Sozomen.* *Iſaiæ* 19.

CAPVT IX.

Erat ibi vſque ad obitum Herodis, &c. *Matth.* 2.

Quo loco habitarit in Ægypto Deipara. D. Anſelm. D. Thom. Card. Hugo. D. Bonau. Abulenſis. QVo in loco, quotque annis Virgo cum infante in Ægypto habitarit, quæret aliquis. Habitaſſe in ciuitate, quæ Heliopolis dicebatur, ait Anſelmus Matthæi ſecundo, quod nomen Solis, ciuitatem ſignificat. Idem opinatur D. Thomas Matthæi ſecundo, Hugo Cardinalis, & Diuus Bonauentura de vita Chriſti, capite duodecimo. Abulenſis quæſtione 60. Matth. 2. ait Virginem in ciuitate Heliopoli, & Babylone, habitaſſe. Fuit enim quędam in Ægypto Babylon à Cambyſe Perſarum Rege condita, vt vult Abulenſis, vrbi propinqua, quæ Cairo appellatur. Adrichomius Memphim ſcribit appellatam Babyloniam, poſtea Cairum. In his ciuitatibus loca oſtendi ſcribit Abulenſis, in quibus Virgo vixit, fontem prætereà quendam, non à Chriſtianis ſolùm, ſed à Sarracenis etiam, in veneratione habitum, cuius aqua infantem, & quibus illum inuoluebat panniculos, abluiſſe fertur. Borchardus in geograph ia Ægypti, Deiparam in loco, quem Matharæam appellat domicilium habuiſſe refert, iuxta hortum balſami. eſt autẽ locus hic inter Heliopolim, & Cairum ſitus. Borchardus

Adrichom. *Borchard.*

verò

verò alter in descriptione terræ sanctæ, q. 2. cap. 4. Inter Heliopolim, inquit, & Babyloniam Ægypti, medio fere loco est hortus balsami, irrigatur à fonte paruo, sed vbere, in quo fama est, beatam Virginem puerum Iesum sæpe lauisse, pāniculosque eius mundasse: est & ibidem lapis, super quem dicitur eosdem exsiccasse. Et hæc omnia venerantur à Christianis, & Sarracenis. Hæc ille. Ianſenius cap. 11. Concordiæ apud peregrinum quendam, qui loca hæc inuiserit, se inuenisse tradit, locum, in quem Christus fuga subductus est, ab incolis Ægyptiis Matharæam vocari, & distare à Cairo decem millia passuum. Mauros quoque eo loco, vbi fertur Virginis fuisse habitatio, ardentem perpetuo lampadem conseruare. Balsami etiam meminit.

Ianſenius.

Virgo inter Heliopolim, & Cairum habitauit.

Ex his apparet, Virginem nec in ciuitate Heliopoli, nec Babylone, sed aliquo in oppido inter Heliopolim, & Cairum, siue Babylonem Ægypti sito habitasse, iuxta balsami hortum, & fontem: ideoq; dici incolam fuisse Heliopolis. In hac vrbe Iacob cum filiis iussum habitare scribit Iosephus lib. 2. antiq. c. 4. Iussit, inquit, Pharao Iacob cum filiis degere in Heliopoli. In iis ergo locis exulare voluit Dominus, in quibus Iacob olim, & Israëlitæ exulauerant. In tractu Heliopoleos, id est, vrbis solis Sol Ægypti, & mundi, Christus voluit habitare.

Ioſephus.

Ioſephus. Onias templū extruxit in Ægypto.

D. Hieron.

In eodem tractu Heliopolitano extruxerat olim templum Onias Iudæus sacerdos. Ptolemæus (ait Ioseph. lib. 7. de bello cap. 30.) locum Oniæ dedit, centum & octoginta stadiis à Memphi distantem; Heliopolitanus ille tractus dicitur, &c. Stabat hoc templum tempore Christi, siquidem vt Hier. scribit Dan. 11. vsque ad Vespasiani imperium stetit. Onias, inquit, sacerdos, assumptis Iudæorum plurimis fugit in Ægyptum, & à Ptolemæo honorifice susceptus, accepit eam regionem, quæ Heliopoleos vocabatur, & concedēte rege templum extruxit, quod permansit vsque ad imperium Vespasiani. Sub occasione Oniæ pontificis infinita examina Iudæorum in Ægyptum confluxerunt. Hæc Hieron. Habitabant etiam tempore quo Virgo Ægyptum petijt, in Ægypto Iudæi plurimi.

Philo.

Nam vt scribit Philo in Flaccum, suo tempore non minus quam decies centena millia Iudęorum habitabant Alexandriā, totamq; regionē, quanta patet à Catabathmo Libyæ, vsq; ad terminos Æthiopiæ, vixit autē Philo tempore Apostolorum.

Sozomenus.

Hermopolis ciuitas quoque Ægypti fuit, in eam venisse Deiparam, verba indicant quæ citauimus ex vitis Patrum: indicat quoque Sozomenus adiuncto non vulgari miraculo, lib. 5. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 20. hæc scribit; Memorant arborem esse, quæ Persis dicitur Hermopoli, quod est oppidum Thebaidis, cuius fructus, aut folium aut particula corticis ægrotis admota, morbos à compluribus depulerit. Nam traditum est, Ioseph cùm propter Herodem assumptis secū Christo, & Maria S. Deipara fugisset, venisse Hermopolim, atque simul vt portæ appropinquauit, istam arborem licèt planè maximam, aduentu Christi turbatam esse, atque ad solum vsq; se inflexisse, & Christum adorasse. Atque hæc quidem de hac arbore, sicut à multis audiui, à me commemorata sunt. Hæc ille.

Arbor apud Hermopolim Christū adorauit.

Quot annis habitarit Deipara in Ægypto.

D. Epiphan. Nicephor. Druthmar. Adrichom.

Quod attinet ad alteram quæstionem, nimirum quot annis, Ægypti incola Virgo fuerit? respondet Diuus Epiphan. hæresi 51. duobus annis fuisse incolam. At ille arbitratur duobus post natiuitatem elapsis annis Christum in Ægyptum abijsse, vt suprà diximus. Nicephorus lib. 1. cap. 14. & Druthmarus Matth. 2. huic exilio tres annos tribuunt. Lucidus lib. 7. cap. 2. quinque, Adrichomius sex.

Ammonius. Gloss. ord. D. Anselm. D. Thom. D. Bonauen. Magist. hist. D. Anton. Platina. Sabellicus. Iacob. Berg. Carthus. Abulensis. Petrus de Natal.

Septem verò annos alij, videlicet Ammonius Origenis præceptor in harmonia euangelica, Gloss. ordin. Diuus Anselmus Matt. 2. D. Thom. D. Bonauentura de vita Christi cap. 13. Magist. hist. cap. 23. D. Anton. 1. p. tit. 5. cap. 1. §. 4. Platina de vita Christi, Sabellicus lib. 1. Enneadis 7. Iacobus Bergomensis in vita Deiparæ Virginis, Dionysius Carthusian. in ser. de Innocentibus, Abulensis Matth. 2. quæst. 91. & Petrus de Natalibus in catalogo. Ex dictis anni pauciores huius peregrinationis colliguntur hunc in modum. Christus natus est anno 32. Herodis, vt supra diximus, eodemque anno in Ægyptum profectus, & ex Ægypto, teste Matth. hoc loco, post obitum Herodis reuersus, tot ergo annos in Ægypto vitam egit cum matre, & Iosepho, quot inter annum Herodis 22. & eius obitum interfluxerunt. Herodes verò abijt anno regni sui 37. vt constat ex chronico Eusebij, & aliis. Hinc efficitur Deiparam in Ægypto annos circiter quinque vel sex egisse. Vide quæ infra cap. 11. dicimus de reuersione ex Aegypto.

Matth. 2.

Ex *Ægypto vocaui Filium meum* &c. De reditu Christi Filij Dei ex Aegypto in Iudæā vaticinatum Oseam ostendit Euangelista. sic enim Deus loquitur; *Ex Ægypto vocaui filium meum.* Quæ verba sensu quidem littera, de populo Israelitico intelliguntur, quem Deus filium appellat, *Filius*, inquit, *meus primogenitus Israel.* Ex Ægypto vocatum esse à Deo, & Mose duce filium huc, in terram promissam ductum, quis ignoret? Sensu sublimiori, qui sub literæ cortice latet, de naturali Dei filio Christo explananda esse, diuinus Spiritus scripturarum autor, per Matthæum docet. Est enim mira scripturæ profunditas. Ea quæ typice præcedunt in aliis (ait Hieronymus Oseæ 11.) iuxta veritatē, & adimplectionem referuntur ad Christum. *Ex Ægypto vocaui filium meum*, dicitur quidē de populo Israel, qui vocatur ex Ægypto, sed perfectè refertur ad Christum. Hæc ille. Et Theophyl. Quod per figuram dictum est de populo, impletum est vere in Christo.

Oſea 11.

Verba Oseæ literali sensu de populo intelligunt: spiritali verò sensu de Christo.

Exod. 4.

D. Hieron.

Theophyl.

Ianſenius verò audacter scripsit, testimonium hoc per accommodationem quamdam vsurpatum esse ab Euangelista, quemadmodum si quis de patre aliquo loquens, solicito de filij salute, diceret: Vidisses patrem filij desiderio nō posse consistere, & omnia negligere, vt impleretur in eo illud Maronis: *Omnis in Ascanio chari stat cura parentis.* Magna est scripturę, vt dixit, profunditas, quam nemo absque Spiritu diuino penetrare possit. Nō per accommodationem testimonio Oseæ vtitur Matthæus, sed in verissimo sensu mystico, quem Spiritus sanctus veluti nucleum dulcissimum sub cortice litteræ abdidit. Hunc in modum (vt alia omittam exempla) illud, *Os non confringetis ex eo*, quod sensu litterali de Agno Paschali dictum est, Ioannes sensu præcelentiori, atque arcano, de Christo dictum affirmat. Probatur verò testimoniū non esse vsurpatum per accommodationem, quoniam Euangelista ait, tunc impletum esse hoc vaticinium, cum Christus ex Ægypto reuersus est. Quod enim impletur, per accommodationē nō dicitur, sed per prædictionem.

Virgil. Matthæus non vsurpauit per accō modationē testimoniū. Oseæ 11.

Exod 12.

Ioan. 9.

CAPVT X.

De cæde Innocentium.

TVNC *Herodes videns quoniam illusus esset à Magis.* Magi, vt iam dictum est, ad Herodem minimè redierunt, sed itinere alio regionem suam petie-

Matth. 2.

Lyranus. runt. Lyranus scribit nauem conscendisse nauigantem in Tharsis, quamobrem iratum Herodem naues Tharsensium incendisse, iuxta illud, *In spiritu vehementi conteres naues Tharsis.* Similiter Magister historiæ capite vndecimo. Cùm, inquit, Herodes iter faceret per Ciliciam, audiens naues Tharsensium Magos traduxisse, in spiritu vehementi combussit naues Tharsis, secundùm quod Dauid prophetauerat Psalm. 47. Idem tradit Diuus Antoninus, 1. p. tit. 5. cap. 1. §. 4. Episcopus Petrus de Natalibus in catalogo, de nece agens Innocentium, & Ludolphus de vita Christi. D. Anselmus ait Herodem vulgatis ijs, quæ de Messia Simeon, & Anna dixerant, persecutum esse Magos Tharsum vsque Ciliciæ ciuitatem, cumque eos non reperisset, naues quibus vecti fuerant dissipasse.

Psal. 47. An Herodes contriuerit naues Tharsis. *Magist. hist.* *D. Anton.* *Pet. de Nat.* *Ludolph.* *D. Anselm.*

Hæc tamen verisimilitudinis habent parum. Nam illa verba, *In spiritu vehementi conteres naues Tharsis*, non de Herode, sed de Deo dicuntur, qui superbas naues vehementi ventorum flatu conterit, superbosque reges, nauium instar Ecclesiam oppugnantes, profligat. Prætereà Magi ex Oriente venerunt; mare autem Ciliciæ occidentale est Iudææ, non igitur nauibus illis vecti sunt, sed equis, vel camelis.

Psal. 47.

Matth. 2. OCCIDIT *omnes pueros, qui erant in Bethlehem, &c.* *Card. Bar.* Dubitatio hoc loco existit, quonam tempore Herodes infantes occiderit? Card. Baronius primo anno natiuitatis Christi occisos putat. Haymo Matth. 2. anno secundo; Completo, inquit, anno à natiuitate filij Dei, & quarta die sequentis anni adueniente, fuit interfectio peracta. Putat ergo Haymo occisos infantes, eo die, quo Ecclesia illorum agit diem festum, nimirum 28. die Decembris, exacto anno post Christi natiuitatem, & aliquot diebus, idem arbitratur D. Anselmus, & Cardinalis Hugo in commentariis Matth. Glossa ordinaria hanc opinionem sequitur his verbis; Verisimile est post annum, & quatuor dies à natiuitate Christi Herodem in pueros desęuisse, &c. Bedæ non displicet, sic enim Matth. 2. scribit: Vtrum post annum natiuitatis Domini, an duos, hanc necem Herodes confecerit, non apparet, nisi fortè dicamus quod post annum euolutum, & quatuor dies sequentis anni, infantes iusserit occidi, vbi dies passionis eorum à Catholica veneratur Ecclesia. Hæc ille.

Haymo. Quonam tempore Herodes innocentes occiderit inuestigatur. *D. Anselm* *Card. Hugo.* *Gloss. ordin.* *Beda.*

Onuphrius in fastis putat, natum Christum anno ab vrbe condita 752. infantes verò occisos ab Herode anno 754. eodemque anno Christum in Ægyptum transportatum. Eandem opinionem in Chronico Eusebius sequitur, anno enim ætatis Christi tertio cædem ait perpetratam, & Herodis, 34. Christum verò ortum anno Herodis 32. Idem sentit Lyranus, & Abulensis Matth. 2. quæst. 58. Herodes, inquit, non occidit pueros vsque ad duos annos post Christum natum. Omitto Diuum Epiphanium, qui, vt iam diximus, sibi persuasit Magos post duos à natiuitate annos Christum adorasse, atque adeò post illos duos annos, infantes fuisse vita priuatos. Confirmatur opinio ex his verbis Matthæi; *Occidit omnes pueros, qui erant in Bethlehem à bimatu, & infra, secundùm tempus, quod exquisierat à Magis*, &c. Cur Herodes terminum duorum annorum infantium ætati præfixit? nimirum quia duo iam anni, vel agebantur, vel exacti erant ab apparitione stellæ, & Messiæ ortu. Cùm igitur Messias duos annos ageret, illum cupiens inter alios neci dare, infantes à bimatu, & infra iussit interimi.

Onuphrius. *Eusebius.* *Lyranus.* *Abulensis.* *D. Epiphan.* *Matth. 2.*

Si quæras, quænam fuerit causa, cur Herodes tamdiu cædem distulerit? respondet Lyranus, Magister historiæ, cap. 11. Dionysius Carthusianus, & alij, Romam se contulisse post Magorum aduentum, eoque itinere, & occupatione distentum, à Christo persequendo tamdiu abstinuisse. Romam quidem petiuisse Herodem ex Iudea, & filios duos Alexandrum atque Aristobulum apud Cæsarem tentati parricidij accusasse, narrat Iosephus libro decimosexto antiq. cap. 7. Ex capite verò nono colligitur, rediisse ex vrbe, circiter annum regni 28. at Christus natus est anno 23. Ante natum ergo Christum Romam profectus est. Præterea, quod Lyranus ait, citatum esse Herodem ad curiam Romanam ad petitionem filiorum suorum ipsum accusantium, falsum esse ex Iosepho constat, qui Herodem & sponte Romam petiisse, & filios accusasse, non autem à filiis accusatum esse scribit.

Herodes Romam petiit, & filios accusauit ante Christum natum. *Iosephus.*

In primis illud compertum est, infantium cædem crudelissimam, perpetratam post Deiparæ purificationem, & fugam in Ægyptum. Quod si roges, quid interim agebat Herodes? Cur illis diebus, vel mensibus, qui inter Magorum aduentum, & fugam in Ægyptum interceserunt, Christum non est insectatus? Respondet D. August. lib. 2. de consensu Euangelistarum c. 11. his verbis; Omitto dicere quot, & quantis occupationibus regia cura distendi potuerit, & per plurimos dies ab illa intentione, vel auerti omnino, vel impediri. Illud dico, posteaquam Herodi Magi nihil renunciauerunt, eum credere potuisse illos fallaci stellę visione deceptos, posteaquam non inuenerunt, quem natum putauerant, erubuisse ad se redire, atque ita eum timore depulso ab inquirendo, & persequendo puero quieuisse. Deinde vulgatis rebus quæ in templo factæ, dictæque fuerant, Herodes se à Magis sensit illusum, & infantes occidit. Hactenus August. Eadem Beda habet Matth. 2.

Cur Herodes eadem innocentium non protinus post Magorum discessum perpetrarit. D. August. *Beda.*

Secundò non carent probabilitate opiniones propositæ: nempe post annum, vel duos annos à Christo nato, Herodem infantes vita priuasse, illo die qui festus illis ab Ecclesia celebratur. Nihil enim est, quod si obiiciatur facile, dissolui non possit. Illud solùm habet momentum. Quid interim illo anno, vel duobus annis egit Herodes? si Romam non petiit, cur Messiam natum non est insecutus? Respondeti tamen potest, Herodem expectasse Magorum reditum per mensem, vel plures etiam dies. Posteà verò existimasse, vt ait Augustinus, in quærendo Messia fuisse illusos, tandem cùm audisset Messiæ iam nati famam vagari, quæ ex verbis Simeonis, & Annæ collecta fuerat, non Magos, sed se illusum intellexisse. Itaque protinus vbi se illusum sensit, natum Christum nō in Bethlehem solùm, sed aliis etiam in locis quærere iussit, iuxta illud Angeli; Futurum est vt Herodes quærat puerum ad perdendum eum. Quæsiuit ergo Christum Herodes, totoque regno quæsiuisse verisimile est, dum quæritur, nec inuenitur longum elapsum est tempus. Denique cum non reperiretur multis diebus anxius Herodes, quid consilij caperet, quidve ageret ignorabat. Tandem in crudelissimam infantium cædem erupit, vt ignotum Messiam inter illos interimeret.

Cur per annum, vel duos annos, Herodes eadem distulerit

Rupertus lib. 21. de victoria verbi, cap. 2. existimat Herodem non sine facultate Augusti Cæsaris Romani Imperatoris, tot infantes occidere ausum fuisse, concessisse verò Augustum facultatē illam, quod Herodes amittendi regni periculum obiecerit. Planè (inquit Rupertus) nec impietatis crimine vacuus est Augustus ipse, qui ad suggestionem Herodis, tam pronus extitit, vt cōcederet illi quoquo pacto regem perdere, quem natum audierat, tanquam regna hominum rex ille (id est, Christus) tollere

Rupertus. *An Herodes Augusti facultatē ad facinus perpetrandum petierit?*

Lyranus. *Magist. hist.* *Carthusian*

tollere haberet, &c. Item; Tot pueros Herodes non potuisset impunè occidere, nisi Romanæ potentiæ licentiam, vel consensum Augusti Cæsaris habuisset. Sicut cũ voluit, inde permissum accepit, proprios trucidandi, ita prætento metu, ne fieret sibimet, vel Augusto, de mutatione regni, siue imperij, concessionem adeptus est tot pueros occidendi. Hæc Rupertus. Quæ quamuis non sint satis explorata, habẽt tamen coloris aliquid. Causa igitur in promptu ex dictis Ruperti est, cur tamdiu infantium cædem Herodes distulerit, nimirum quia facultate Romani Imperatoris carebat, quam illis duobus annis ingenti periculo amittẽdi regni, quod à Messia imminebat (vel etiam Romani Imperij) proposito consecutus est.

Id probabile est, Herodem Augustum Cæsarem de nato Messia fecisse certiorem, quem Iudæi regem maximum fore crederent, & expectarent. An verò ad interimendos infantes facultatem petere ausus fuerit, eamque à Cæsare clementissimo Imperatore impetrarit, incertum est. Qui enim absq; Cæsaris facultate, nobiles Iudæos post obitum suum, occidi præcepit, vt infrà dicemus, potuit absque eadem facultate infantes occidere. Dum ergo Cæsarem certiorem facit, & consulit, tempus longum effluxit, Fauent his hæc Glossæ ordinariæ verba; Ideò cædem forsitan Herodes distulit, quia Romam profectus est, vel ibi accusatus, vel vt Romanos consuleret, super iis, quæ de Christo dicebantur, &c. Quod autem Herodes accusatus dicitur falsum est, ipse enim filios accusauit, vt suprà ostendimus ex Iosepho.

Glossa ord.

Tertiò, Probabile quoque Herodem paulò post purificationem illusum se à Magis intellexisse, moxque cædem infantium perpetrasse, nihil enim opinioni obstat. Quod si argumentum obiicias, quo secunda opinio confirmatur. Respondebitur non eo die festum agi, quo infantes sunt occisi. Argumentum, quod tertiam opinionem probat, facile solues, si dicas, securitatis causa Herodem tempus ampliasse, quemadmodum & locum. Vt enim non solùm pueros Bethlehemitas, sed vicinos etiam interfecit, ita non solùm infantes 4. vel 5. mensium, sed duorum etiam annorum vita priuauit. Mihi verisimilius videtur innocentes eo die occisos, quo Ecclesia illorum festum agit, post annum à Christo nato, quæ est secũda opinio proposita. Probatur, ex ipsa festi celebratione, quamuis probatio non sit admodum firma.

Quonam modo hæc cædes sit facta dubium est. Numquid Herodis satellites oppida percurrebant, domosque insciis parentibus ingrediebantur, & trucidabant? An filios à parentibus petebant occidendos? Quid factum sit ignoratur. D. Antoninus 1. p. tit. 5. cap. 1. §. 4. matres ac nutrices cum infantibus, ab Herode vnum in locum conuocatas coniicit. Mittens, inquit, in Bethlehem Herodes, & in omnes fines eius, congregari fecit (vt imaginari potest) in vnum locum, & adduci per matres, vel nutrices, sub prætextu alicuius pietatis, & munificentiæ, omnes paruulos illius regionis, à bimatu, & infrà. Nam annus transierat post adorationem Magorum, quo fuerat occupatus in accessu ad vrbem Romam. Hæc ille. Abulensis Matth. 2. quæstione 71. ait, Herodem prius inuestigasse; quot infantes illius ætatis, quam præscripsit, in Bethlehem, & finibus eius essent, eosque omnes, & parentum nomina in album retulisse, posteà verò satellites subitò ad cædem patrandam misisse. Druthmarus verò aliter; Sicut tradunt, inquit, expectauit Herodes, vt venirent pueri ad solennitatem, quam illo tempore celebrant: & tunc cùm ibi fuerunt, præcepit militibus, vt occiderent eos. Hæc ille.

D. Anton.

Quomodo sit facta innocentium cædes.

Abulensis.

Druthmar.

Crediderim potiùs, per loca omnia misisse Herodem satellites, qui infantes occiderent, quod Matthæi innuunt verba; *Mittens*, inquit, *occidit omnes pueros*, &c. Non fuit autem difficile, à vicinis inuestigare, in Bethlehem eiusque finibus, quænam fœminæ filios in bimatu, & infrà haberent, eosque illis extorquere.

Matth. 2.

A BIMATV, *& infra, secundùm tempus, quod exquisierat à Magis.* Dubium est, An omnes infantes, à bimatu, & infrà occisi sint. Non omnes occisos esse probatur, quoniã ex infantibus vnius diei, vel paucorum dierum, satis constabat non esse Messiam, quorsum ergo illi erant occidendi? Quod si post annum, vel duos annos, cædes facta est, quorsum infantes duorum vel trium mẽsium morte erant afficiendi? Itaque Abulensis quæst. 71. ait omnes quidẽ, qui in bimatu erant, hoc est, qui duos egerant annos occisos esse, eos verò, qui infrà bimatum, non omnes sed illos tantùm, de quibus dubitari posset, an essent in bimatu, vel prope bimatum. Euthymius quoque existimat, non omnes infra bimatum esse interfectos, sic enim scribit; Herodes infantes, qui duorum annorum erant occidit, vt tempus ampliationem haberet, illos verò, qui minoris erant ætatis, secundùm tempus, quod exquisierat à Magis. Itaque & tempus, quod à Magis didicit obseruauit, & latitudinem alteram ipse adiecit, &c. Eandem opinionem sequuntur Iansenius, & Baronius. Confirmatur ex verbis Euangelistæ; Occidit omnes pueros à bimatu, & infrà, secundùm tempus, quod exquisierat à Magis, id est, occidit pueros, qui duos expleuerant annos, & ex iis, qui infrà duos annos erant, eos tantùm, qui ad tempus illud peruenerant, ad quod ex Magis intellexerat Christum peruenisse.

Ibid. An infantes omnes à bimatu & infra bimatũ, occisi sint?

Abulensis.

Euthymius.

Iansenius.

Omnes infantes infra bimatum esse interfectos alij sentiunt; Beda Matthæi secũdo; Omnes, inquit, à filio vnius noctis, vsque ad filium duorum annorum Herodes occidit. Idem docent Haymo, Druthmarus, Dionysius Carthusianus, Ludolphus. & in Glossa ordinaria hæc leguntur; Non est contentus Herodes vastatione Bethlehẽ, sed adiacentia loca vastauit, nec vllam misericordiam ætatis habuit, à filio vnius noctis vsq; ad filium duorum annorum, quin omnes occideret, &c. Iuxta hanc sententiam Euangelistæ verba, quibus contraria fulcitur opinio, sic explicantur; *Occidit omnes pueros; à bimatu & infrà*, id est, omnes qui erant in bimatu, & omnes qui erant infra bimatum, *secundum tempus quod exquisierat à Magis*, hoc est, iuxta mensuram temporis, & ætatis Christi, quam à Magis intellexerat. ex illa enim collegit, oportere occidere infantes à bimatu & infrà: tempus ipsum securitatis gratia ampliando. Itaque iuxta hanc sententiam verba illa Euangelistæ: *Secundum tempus quod exquisierat à Magis*, non solùm referuntur ad illud: *Et infrà*; vt volunt Euthymius, & alij, sed etiã ad illud: *A bimatu*.

Beda.

Haymo. Druthmar. Carthus. Ludolphus. Gloss. ord.

Matth. 2.

Mihi vtraque sententia videtur probabilis, secunda probabilior. Quod si quæris, Quorsum infantes paucorum dierum occidendi erant, cùm constaret Christũ maiorem esse? Respõdeo furorem non cõsiderare. Prætereà vt maiores Christo, sic etiam minores securitatis causa interẽpti sunt.

Est alia horum verborũ interpretatio huiusmodi; *Occidit omnes pueros à bimatu, & infra* bimatũ, vsque ad annos quinque. Nam primus numerus est binarius, reliqui infra binarium sunt, vt ternarius, & quaternarius. Cùm ergo Euangelista ait, occisos pueros infra bimatum, intelligi potest de pueris, qui tres, quatuor, vel quinque annos agebant, sed

hæc interpretatio nihil habet verisimilitudinis. Quod si obiicias reperiri aliqua innocentum ossa, quæ bimatum excedant, & quatuor vel quinque annorum ætatem postulare videantur, respondebitur, vel illa aliorum esse sanctorum, vel milites Herodis proteruos ac crudeles, aliquos ex infantibus maioris ætatis vita priuasse.

Matth 2. Ierem. 31. Vox *in Rama audita est*. Hoc testimonium extat apud Ieremiam, duplicem continet sensum, alterum litteralem, alterum mysticum. Litterali de decem tribuum captiuitate exponitur, de qua illo cap. sermo est; *Vox*, inquit, *in Rama*, siue in excelso (vt vertit Hieronymus) *audita est, ploratus & vlulatus*. Nam Rachel vita iã functa figurate, abeuntes in captiuitatem filios suos lamẽtari dicitur, hoc est, decem tribus, quæ nomine Ephraim significantur, eò quòd primus earũ Rex Ieroboam, e tribu Ephraim fuerit oriundus. Rachel autẽ Ephraim auia erat, siquidem mater erat Ioseph patris Ephraim. *Noluit consolari, quia non sunt*, hoc est, quia alij in captiuitatem abducti sunt, alij occisi.

Duplex sensus verborum Ieremiæ.

Sensu mystico de fletu fœminarum locus est interpretandus, quarum infantes ab Herodis satellitibus trucidati sunt. *Tunc*, ait Euangelista, *impletum est, quod* multò antea Ieremias sensu arcano fuerat vaticinatus, Vox in excelso aëre, vel in cœlo audita est, ploratus æthera penetrauit. *Rachel plorabat filios suos*, hoc est, fœminæ Bethlehemitides, quemadmodum Rachel abeuntes in captiuitatem filios deplorauerat, ita suos infantes occisos deflebant. Consolationem autem recipere noluerunt, quia immaniter interfecti filii; *Non sunt*, id est, non existunt, sed è vita migrarũt. Racheli tribuitur planctus fœminarum, vel quoniam Rachel prope Bethlehem sepulta est, vt constat ex Genesi, vel quoniam Rachelis ille planctus typus fuit planctus harum fœminarum.

Genes. 35.

Obserua, Rama, significare excelsum, ideoque Hieronymum sic vertisse, *Vox in excelso audita est*. Præterea significa, Rama, collem, qui vt testatur Borchardus Borchardus, tribus leucis distat à Bethlehem versus Austrum. Hoc loco significare potest, & excelsum, & hunc collem, & indicare vicina loca Bethlehem, in quibus infantes neci crudelissimæ dati sunt, matrumq; ploratus est auditus. Fuit & Rama ciuitas distans ab Ierusalem leucis tribus.

Ierem. 31. *Borchardus*

CAPVT XI.

De reditu Christi ex Ægypto.

Matth. 2. DEFVNCTO *autem Herode*. Impius Herodes meritas impietatis pœnas dedit, horrenda sublatus morte, anno regni trigesimo septimo, de qua Iosephum lege libro decimo septimo, Antiq. Facinus infandum in morte, simile infantium cædi animo concepit, quod his verbis Iosephus memoriæ prodit. Cùm è tota ditione nobiliores Iudæorum ad eum conuenissent, euocati minaci edicto, pœnam capitis intentante non obtemperantibus, infensus ex æquo siue fontibus, siue innoxiis, vniuersos conclusit in circo. Accita deinde Salome sorore, maritoque eius Alexa, ait, instare sibi terminum vitæ, succumbenti tantis doloribus: quod quidem ferendum esset, quandoquidem iuxta communem mortalium sortem accidat, illud permolestum esse, si carendum sit extremo honore luctus, qui debeatur regibus. Non enim sibi ignotam esse Iudæorum mentem, quod oblatam suam mortem lætis accepturi sint animis. Sed illorum esse officij leuamen aliquod præsentis huius doloris decernere. Nam si assensum consilio suo præbeant, fore suum funus longè quam aliorum regum honoratius, & manibus suis gratius, omnibus per totam ditionem non ficte lugentibus. Ergo quamprimùm viderint se exhalasse animam, debere eos clausam in circo nobilium multitudinem cingere militibus, ignorantibus etiam tum suum obitum, non prius vulgandum, quàm mandatum executi sint: iubere deinde vt circumuentos vna omnes iaculis configerent. Quibus hoc modo cæsis duplicem se eis habiturum gratiam, vel quod mandatorum fuerint memores, vel quod obitum suum publico luctu honorauerint. Hactenus Iosephus.

Herodes iussit nobiles occidi, vt funus suum lachrymis honoraret. Iosephus.

Publicum excitauerat planctum viuens Herodes cùm infantes occidit, publicum alium concitare cupiebat moriens, nobilium multitudine trucidata. Vide quæso quæ fuerit in morte hominis pœnitẽtia, qui dolor ob scelera animo conceptus, qui luctus. Mortem crudeli luctu ornare desiderabat. O miserum & cæcum hominem, qui non viderit, tali luctu mortem non ornari, sed fœdari. Pœnitentiæ luctu decoratur mors, fletu, lachrymisque ex scelerum dolore manantibus, mors illustratur, planctu ex cæde hominum concitato in æternam memoriam deturpatur. Curabat (ait Iosephus) vt ex singulis familiis vno aliquo sublato totam gentem in luctum coniiceret. Vtinam curasset potiùs, vt seipsum in pœnitentiæ planctum coniiceret, ne in planctum sempiternum coniiceretur. Verùm quod optabat infelix non est assecutus. Etenim Salome, & Alexas in circo clausam nobilium turbam non occiderunt, sed incolumem saluamque dimiserunt.

Mortem Herodes luctu impio voluit ornare, sed deturpauit.

Mors qualis luctu decoratur.

DEFVNCTI *sunt enim qui quærebant animam pueri.* Extincto Herode, Ioseph ab exilio reuocatur. Sed cur Angelus numero multitudinis vtitur? *Defuncti*, inquit, *sunt, qui quærebãt animam*, id est, vitam pueri. D. Hieronym. quem sequitur Glossa interlinearis, putat non solùm Herodem, sed alios etiam fuisse infantis insectatores; Ex hoc, ait, intelligimus non solùm Herodem, sed & sacerdotes, & scribas, eodem tempore necem Domini fuisse meditatos. Haymo; Ex his, inquit, verbis intelligimus, multos principes Iudæorum, cum Herode in necem Domini consensisse. Euthymius; Quærentes animam pueri, dicit Angelus, eos qui Herodem contingebant. In eadem sententia est autor imperfecti homilia secunda in Matthæum.

Matth. 2.

D Hieron. Glos. interl. Præter Herodem alij quærebant animam pueri. Haymo. Euthymius.

Fieri potuit vt eo temporis spatio, quo Christus in Ægypto vitam egit, aliqui Christi insectatores è vita migrarint. Nonnulli putant ex illis fuisse, quos Herodes in circo clausos iussit occidi, vt luctum morti suæ concitaret. Verùm, vt ex Iosepho constat, nullus est morte mulctatus, alij ergo fuerunt, si qui fuerunt. Remigius in catena Diui Thomæ; Si multi, inquit, fuerunt quomodo in tam breui spatio extincti sunt? quia vt dictum est, Herode mortuo occisi sunt omnes maiores, qui in custodia tenebantur. Idem existimauit Diuus Thomas in commentariis Matthæi; sed illis aduersatur historiæ veritas.

Remigius.

Aliter responderi potest Angelum vsum synecdoche, id est, numero multitudinis pro singulari, vult Diuus Thomas, & alij. Vsus præterea est numero plurali, quia Herodes cùm Christum persequebatur multos habebat administros.

D. Thom.

Aduerte autem, non apparuisse Iosepho Angelum mox post Herodis obitum. Nam Herodes ante

tempus

Quo tempore obierit Herodes & Angelus apparuerit Ioseph. Iosephus.

tempus paschale circa mensem Nisan, id est, Martium obijt, vt colligitur ex Iosepho lib. 2. de bello cap. 1. & lib. 17. antiq. cap. 11. Christus autem septima die mensis Ianuarij sequentis ex Ægypto reuersus est. Ecclesia enim septimæ diei Ianuarij, relationem, seu reditū pueri Iesu ex Ægypto, in martyrologio Romano ascribit. Defuncto igitur Herode circa mensem Martium, Angelus non statim, sed post aliquot menses, circa mensem Decembrem, Iosephum redire iussit in patriam. In itinere mensem consumpsit, peruenitque in Iudæam, vt Ecclesia sentit, septima die Ianuarij.

Matth. 2.

AVDIENS *quod Archelaus regnaret in Iudæa.* In tres prouincias diuidebatur regio illa. Prima ad Austrum vergens, Iudæa proprio nomine dicitur, media Samaria, extrema versus septētrionem Galilæa. Iudææ imperabat Archelaus Herodis vita functi filius, vt suprà diximus, ideoque cùm reuerteretur ex Ægypto australi Ioseph, ire timuit in Iudæam, sed monitus ab Angelo discessit in Galilæam, vnde in Ægyptum abierat.

Cur Ioseph Iudæā petere decreuerat.

Dubium est hoc loco huiusmodi. Si ex Galilæa in Ægyptum abierat Ioseph, & in Galilæa in ciuitate Nazareth, domicilium habebat, cur Iudæam potius quàm Galilæam, vnde fuerat profectus, petere decreuerat? Respondet Abulēsis, Ioseph decreuisse quidem Galilæam & ciuitatem Nazareth petere. Cùm autē dicitur timuisse in Iudeam ire, significari per Iudæam iter facere timuisse in Galilæam propter Archelaum. Nam ex Ægypto reuertentibus in terram Israelitarum, prima quę occurrit prouincia est Iudæa. Est ergo sensus Euāgelistæ, ex sententia Abulensis; *Cùm audisset Ioseph, quod Archēlaus regnaret in Iudæa, pro Herode patre suo, timuit illo ire,* hoc est, timuit per Iudæam iter facere, in ciuitatem Galilææ Nazareth, *& admonitus in somnis* ab Angelo, *fecessit in partes Galilææ*, diuertens à recto itinere, ne Iudæam pertransiret.

Abulensis. Ioseph decreuerat petere Iudeā, id est, per Iudeam facere iter in Galilæam.

Opponet aliquis, si Ioseph Galilæam petere decreuerat, quorsum fuit opus Angeli oraculo, qui Galilæam petere iuberet? Respondetur, Angelum confirmasse Ioseph metuentem, & vbi Deus vellet Christum habitare, docuisse. Vrgebit, si modo ire in Iudæam timuit Ioseph, propter Archelaum, cur posteà non timuit cùm Christus duodecim erat annorum? regnabat enim etiam tunc Archelaus. Respondebitur, iam tunc fuisse liberatum omni timore Iosephum. Aliter Augustini verbis libro secūdo de consensu Euangelistarum, cap. 10. fiet satis quæstioni: Fieri poterat (ait Aug.) vt per diem festum inter tam ingentem turbam, latenter Virgo & Ioseph ascenderent, mox reuersuri, vbi tamen alijs diebus habitare metuerent, vt nec solennitate prætermissa essent irreligiosi, nec continua mansione conspicui. Hæc ille.

Quorsum opus fuit angeli oraculo?

Cur non timuit Ioseph Iudæam petere cum Christus 12. erat annorum. D. Augusti.

Verùm in sententia Abulensis non est Augustinus. Putat enim eodem in libro secundo, capite nono, Iosephum ex Ægypto redeuntem, decreuisse in Iudæa habitare. Cur autem in Iudæa habitare voluerit, potius quàm in Nazareth, vbi anteà habitauerat, his verbis docet; Intelligendum est, vbi Angelus, in somnis in Ægypto, dixit ad Ioseph Surge, & accipe puerum & matrem eius, & vade in terram Israel, sic intellectum primò, à Ioseph, vt putaret, iussum se esse pergere in Iudæā, ipsa enim primitus intelligi potuit terra Israël. Porro autem, posteaquam comperit, illic regnare Archelaum Herodis filium, noluit obiicere se illi periculo, cùm posset terra Israel etiam sic intelligi, vt & Galilæa illic deputaretur, quia & ipsam populus Israël incolebat. Quanquam & alio modo solui possit hæc quæstio, quia potuit videri parentibus

Augustinus putat Iosephum decreuisse habitare in Iudæa cum rediit ex Ægypto.

A Christi, cum puero de quo talia per angelica responsa didicerant, non esse habitandum nisi in Ierusalem, vbi erat templum Domini, & propterea redeuntes ex Ægypto, illuc eos ituros fuisse, & habitaturos, nisi Archelai præsentia terrerentur. Hæc Augustinus. Nicephorus libr. 1. cap. 13. ait Deiparam, & Ioseph, tam in Nazareth quàm in Bethlehem habuisse domicilium, & aliquam hæreditatem. Vtrobique, inquit, habitabant, quod vtroque locō prouentum aliquem, vt coniicere licet, haberent, &c. Potuit ergo Ioseph, si hoc verum est, de incolenda Bethlehem, quæ in Iudæa est cogitare.

Niceph.

QVONIAM *Nazaræus vocabitur.* Iosephus ab Angelo monitus, ex Ægypto rediens, ciuitatem Nazareth petijt, ibique habitauit, cum Deipara, & magno infante, vt prophetarum compleretur vaticinium, qui Nazaræum fore Christum prædixerant. Nazaræus autem dictus est, siue Nazarenus à patria Nazareth, in qua non quidem natus, sed educatus est.

Matth. 2.

Difficile est explicatu, quinā prophetæ sint vaticinati Christum appellandum fore Nazaræum, in nullo enim Prophetarum, qui extant, huiusmodi aperta vaticinatio reperitur. Quocirca D. Hier. Isaiæ 11. Omnes, inquit, Ecclesiastici quærunt, & non inueniunt, vbi scriptum sit; *Quoniam Nazaræus vocabitur.*

Quinam Prophetæ sint vaticinati, Christum vocandum Nazaræum. D. Hieron.

Quatuor reperio, hac de re sententias. Prima est Chrysostomi, homil. 9. in Matthæum & Euthymij, qui existimant testimonium hoc sumptum ex libris prophetarum, qui perierunt. Periisse autem aliquos sacros libros, eodem loco probat Chrysostomus, & Athanasius, in fine Synopseos.

1. Opinio. D. Chrysost. Euthym.

Athanasius.

Secunda, est Isidori Clarij, & Oliadri, qui aiunt, Prophetas appellari prophetarū interpretes, quasi dicat Matthæus, habitauit Christus in Nazareth, vt impleretur, quod dictum est per prophetas, hoc est, quod ex prophetis, prophetarum interpretes collegerunt, nimirum Messiam vocandum esse Nazaræum. Hæc opinio parum habet probabilitatis, quoniā Matthæus nomine prophetæ non pro interpretibus, sed proprie pro vatibus vti solet.

2. Opinio. Clarius.

Tertia est Leonis Castro, Isaiæ 11. qui contendit āduersus Pagninum, nomen Nazareth, Hebraicè per Zain, litteram, non per Sade, scribēdum, indeque Christum dictum Nazaræum, Hebraicè, nezir, per Zain, non per Sade. Quod probatur ex Euangeliis, in quibus Nazareth, per literam Z, scribitur. In hebraicis libris non extat hoc nomen Nazareth, ideoque quibus characteribus scribatur ignoramus. Christum verò Nazaræum dici, Hebraicè, Nazir, à Nazareth, existimat Eusebius Cæsarienſis libro septimo de demonstratione Euangelica ca. 1. Cùm Christus, inquit, suapte natura, & re vera Nazaræus esset, id est, sanctus, intactus, segregatus, oportebat illum ab hominibus, hac appellatione vocari, & obtinuit hanc appellationem, à loco Nazareth. Hæc ille. Ex quibus constat, appellasse Christum Nazaræum, per Z, à Nazareth. Hieronymus quoq; Matthæi capite secundo Nazaræum Christum dictum ait, id est, sanctum.

3. Opinio. Leo Castr.

Eusebius Cæsar. Nazaræus per Zain scribendum.

D. Hieron.

Hoc si concedatur, ostenditur Christum dictum esse Nazaræum à prophetis, id est, in propheticis scripturis, sensu mystico, & in typis. Nam Ioseph Nazaræus dicitur à patre Iacob, & à Mose similiter vocatur Nazaræus. Sāpson appellatur ab Angelo Nazaræus, hi verò vmbræ & prophetici quidā typi fuere Christi. Sensu literali illi Nazaræi vocantur, sensu arcano vocatur Christus. Hieron. Matth. 2. ait, à prophetis Christū dictum Nazareū, id est, sanctum, quòd scripturę doceant Messiam sanctū esse.

Genes. 49. Deut. 33. Iud. 13.

D. Hieron.

Paulus Burgenſis, in additionibus Pſalm. 131. credit teſtimonium Matthæi, ex fine illius Pſalmi, eſſe petitum. Vbi enim latinè legitur, *ſuper ipſum efflorebit ſanctificatio mea*, Hebraicè legitur, pro ſanctificatione, nezer, quod vocabulum ſignificet ſeparationem, ſanctificationem, &, vt ita dicam, Nazaræitatem, ſiue Nazaræi conſecrationem. Eſt ſenſus Burgenſis, ſuper ipſum Chriſtum efflorebit Nazaræitas, ſiue conſecratio Nazaræi. Vnde conſtat Chriſtum, à Dauide appellari Nazaræum, per Zain.

4. Opinio. Quarta eſt D. Hieronymi, qui in epiſt. ad Pammachium de optimo genere interpretandi cap. 3. teſtimoniũ Matth. ſumptũ putat ex Iſai. *Egredietur*, ait Iſaias, *virga de radice Ieſſe, & flos*, Hebraice neſer, per Sade, *de radice eius aſcẽdet*. Illud, neſer, vertit Hieronymus, Nazaræus, de radice eius aſcendet. In eo loco, inquit, vbi nos legimus, atque tranſtulimus; *Exiet virga de radice Ieſſe, & flos de radice eius aſcendet*; in hebræo iuxta linguæ illius idioma ſcriptum eſt; *Nazaræus de radice eius creſcet*. Iſaiæ verò capite vndecimo, hanc opinionem Hebræorum eruditis tribuit, his verbis; Illud Matthæi; *Quoniam Nazaræus vocabitur*, eruditi Hebræorum de hoc Iſaiæ loco, id eſt, cap. 11. aſſumptum putant. In Commentariis Matthæi hanc & ſuperiorem opinionẽ coniungit. Si fixum, ait, de ſcripturis poſuiſſet Matthæus exemplum, nunquam diceret *quod dictum eſt per prophetas*, ſed ſimpliciter, quod dictum eſt per prophetam. Nunc autẽ pluraliter prophetas vocãs, oſtendit ſe non verba de ſcripturis ſumpſiſſe, ſed ſenſum. Nazaræus ſanctus interpretatur, ſanctum autem Dominum futurum omnis ſcriptura commemorat. Poſſumus & aliter dicere, quòd etiã iiſdem verbis iuxta hebraicam veritatem, ſcriptum ſit, *Exiet virga de radice Ieſſe, & Nazaræus de radice eius conſcendet*. Hæc Hieronymus. Hanc ſententiam ſequuntur Lyranus, Abulenſis, & Ianſenius.

Iſaiæ 11. Matth. 2. Iſaiæ 11. D. Hieron. Lyranus. Abulenſis. Ianſenius.

Præterea Pagninus, & Caietanus putant, Nazareth per Tſade ſcribi, non per, Zain, & Chriſtum dictum eſſe Nazaræum, vel Nazarenum, per Tſade, non per Zain. Quod probari poteſt, in primis ex Hieronymo, cuius hæc ſunt verba, in lib. de nominib. Hebraicis; Nazareth, id eſt, flos, aut virgultum eius, ſcribitur non per, Z, litteram, ſed per Hebræum Tſade, quod nec S, nec Z, literam ſonat, &c. Ex Nazareth deducitur Nazaræus, ergo etiam Nazaræus ſcribitur per Tſade. Secundò confirmatur ex titulo crucis, in quo, vt Pagninus legit, Nazarenus, per Tſade, ſcriptum eſt. Tertiò ex Euãgelico Syriaco, in quo Nazareth, & Nazaræus, per Tſade, ſcribitur. Prætereà, Rabbi Elias in lexico, Nazaræum eodem modo ſcribit, & ciuitatem Nazareth, ait appellari Netſer, id eſt, florem, nimirum nomine illo; quo Chriſtus appellatur, cùm Iſaias ait, *flos de radice eius aſcendet*.

Caietanus. Nazaræus ſcribitur per Tſade. Iſaiæ 11.

Quod ſi quæras per quos prophetas dictum ſit; *Quoniam Nazaræus vocabitur*. Reſpondebitur, per Iſaiam loco iam indicato, in quo Chriſtus dicitur, Netſer, id eſt, flos: hic verò vnus propheta ſatis eſt, nam Euangeliſta numerum multitudinis, pro ſingulari hoc loco vſurpat, quemadmodum ſuprà cùm dixit; *Defuncti ſunt enim, qui quærebant animam pueri*. Numerum autem pluralem pro ſingulari vſurpari exemplis docet Aug. li. 3. de Conſenſu Euangeliſtarum ca. 16. Senſus ergo Matthæi eſt, habitauit Chriſtus in Nazareth, *vt adimpleretur, quod dictũ eſt per prophetas*, id eſt, per vnũ prophetarũ Iſaiam, quoniam Netſer à Nazareth eum vocat, cùm ait; *Netſer de radice eius aſcendet*, id eſt, flos, vel neſaræus.

Matth. 2. D. Auguſt.

Obiicitur huic interpretationi Euangeliſtas, Nazareth, & Nazaræum, ſiue Nazarenum ſcribere per Zain. atque adeò Iſaiæ vaticinium non facere ſatis; Reſpondebitur Euangeliſtas, hebræum Tſade vertiſſe in literam Zita Græcã, quæ ſonat Z, Latinum. Illud etiam negotium faceſſit, quod Euangeliſta dixerit prophetas prædixiſſe Chriſtum vocandum Nazaræum, ſiue Nazarenum, at Iſaias illo in loco nihil tale prædixit: appellat enim, neſer, non tamen ait vocãdum, neſer, ſiue Nazaræum. Reſpondetur iuxta hanc ſententiam, ſenſum Matthæi hunc eſſe, *vt adimpleretur, quod dictum eſt per prophetas, quoniam Nazaræus vocabitur*, hoc eſt, erit Nazaræus. Iſaias verò cum prædicit, Neſer, id eſt, florẽ, aſcenſurum de radice Ieſſe, prædicit aperte Chriſtum eſſe Neſer. Simile illud eſt eiuſdem Matth. *Iacob autem genuit Ioſeph virum Mariæ, de qua natus eſt Ieſus, qui vocatur Chriſtus*. Aliter explicari poteſt Matth. hoc modo; *Quoniam Nazaræus vocabitur* ab hominibus, ſiue Nazarenus. Ieſus enim Nazarenus, vel Nazaræus vocatur; Iſaias verò hoc pacto exponetur. *Egredietur virga*, id eſt, Deipara, *de radice Ieſſe*, patris Dauidis & *neſer*, hoc eſt Meſſias, qui à populo, neſer, ſiue Nazaræus vocabitur, *de radice eius aſcendet*.

Matth. 2. Matth. 2. Iſaiæ 11.

His modis nodus hic ſoluitur. Quod ſi quis velit aliquos prophetas vaticinatos eſſe, Chriſtum Nazaræum vel Nazarenũ ab hominibus vocandum, iiſdem iis verbis explicate, non figurate, dicere poteſt, hoc vaticinium nõ fuiſſe litteris mandatum (neque enim omnia, quæ prophetæ dicebant litteris conſignantur) vel vt ait Chryſoſtom. non extare hoc tempore.

An Chriſtus fuerit Nazaræus.

Ex his quæſtio oritur: An Chriſtus fuerit Nazaræus? etenim Nazaræum fuiſſe, teſtatur Euſebius loco iam indicato; Cùm Chriſtus, inquit, ſuapte natura & reuera Nazaræus eſſet, &c. Prætereà Matthæus, vocandum ait Nazaræum, ergo vere erat Nazaræus, addè Chriſtum promiſſam habuiſſe cæſariem quod Nazaræorum fuit inſigne. Antequam quæſtioni fiat ſatis, obſeruandum eſt Nazaræi nomen hebræum eſſe, Nezir, quod abſtinentem, & ſeparatum ſignificat, à verbo, Nazar, quod ſignificat ſeparare, & abſtinere. Erant autem Nazaræi, fœminæ, vel viri, qui Nazaræatum vouebant præſcriptoſque legis ritus obſeruabant. *Vir ſiue mulier, cum fecerint votum, vt ſanctificentur, & ſe voluerint Domino conſecrare, à vino, & omni, quòd inebriare poteſt, abſtinebunt. Acetum ex vino, & qualibet alia potione, & quidquid de vua exprimitur, non bibent, vuas recentes, ſiccaſque non comedent, cunctis diebus quibus ex voto Domino conſecrantur. Quidquid ex vinea eſſe poteſt ab vua paſſa vſque ad acinum nõ comedent, omni tempore ſeparationis ſuæ nouacula non tranſibit per caput eius vſque ad completum diem, quo Domino conſecratur. Sanctus erit creſcente cæſarie capitis eius. Omni tempore conſecrationis ſuæ, ſuper mortuum non ingredietur*, &c. Hi ſunt Nazaræorum ritus lege præſcripti: à vino, vuisque abſtinebant, capillum non radebant, funeri non intererant. Quod ſi ſubitò coram illis quiſpiam animam exhalaret, contaminabatur Nazaræatus, & ad initium redibat. Erant autem Nazaræi certo aliquo temporis ſpatio, exacto tempore Nazaræatus, cæſaries tondebatur & in altari holocauſtorum incendebatur. Samſon verò Nazaræus fuit, non certo aliquo tempore, ſed dum vixit. *Erit puer Nazaræus Dei ab infantia ſua, & ex vtero matris ſuæ, vſque ad diem mortis ſuæ gerebat intonſos crines*, quos quia Dalila abſcidit, robore quouſque renaſcerentur priuatus eſt. etenim Nazaræatus inſigne cæſaries erat.

Num. 6. *Nazaræorũ ritus.* Iudic. 13.

En habes noſtri temporis religioſorum tenuem quandam vmbram. Voto ſe obſtringebant Nazaræi: votis ſe obſtringũt religioſi. Nazaræi dicebantur, hoc eſt, ſegregati: religioſi quoque ſegregati à populo, populiſque vitiis & moribus ſunt. illi à vino

Nazaræi religioſorũ virorum typus.

vino & ſicera abſtinebant: hi abſtinent à mundi voluptatibus, quæ vini inſtar hominem à mentis ſtatu deturbant. Illi mortuos fugiebant, ne polluerentur: hi peccata fugiunt, ne inquinentur. illi cæſariem nutriebant: hi de diuinis rebus præclaras nutriunt cogitationes. illi capillos Deo offerebant: hi opes, corporis voluptates, totamque offerunt voluntatem. *Candidiores Nazaræi eius niue* (ait Ierem. 4. Thren.) *nitidiores lacte, rubicundiores ebore antiquo, ſapphiro pulchriores.* Eccleſiæ Nazaræos religioſos, candidiores niue efficit caſtitatis candor admirabilis, nitidiores lacte morum ſuauitas, & humilitas, rubicundiores ebore antiquo, in Deum proximumque excellens charitas, ſapphiro pulchriores, ſapphirina, hoc eſt, cæleſtis vitæ ratio, iuxta illud Pauli, *Noſtra conuerſatio in cælis eſt.* Faxit Deus, ne è cælo delapſum viuendi modum vitiis aliqui deturpent, quibus id congruat, quod apud Ieremiam ſequitur; *Denigrata eſt ſuper carbones facies eorum, & non ſunt agniti in plateis*, &c. Sed quæſtioni propoſitæ reſpondeamus.

Ieremias Thren. 4.

Ibid.

Dicendum eſt, Chriſtum non fuiſſe legalem Nazaræum. idque facile probatur, quoniam Nazaræis præſcriptos ritus minimè obſeruauit, etenim vinũ potabat, vt ex Euangelio conſtat, & ad mortuos ingrediebatur. Quod autem Euſebius ait Nazaræum fuiſſe, intelligendum eſt fuiſſe Nazarẽum, id eſt, ſeparatum, & ſanctum, ſic enim ſe ipſum explicat; Cùm Chriſtus, inquit, ſuapte natura Nazaræus eſſet, id eſt, ſanctus, intactus, ſegregatus, &c. Vnde illud Pauli ad Hebr. 7. *Talis decebat, vt nobis eſſet pontifex, ſanctus, innocens, impollutus, ſegregatus à peccatoribus.* Prophetæ verò Nazaræum vocandum dixerunt, non per Zain, ſed per Tſade, vt ſuprà diximus, id eſt, floridum à Nazareth ciuitate, quod nomen florem ſonat. Prætereà quamuis per Zain, vocandum Nazaræum prædixiſſent, de legali Nazaræo intelligendi non eſſent, vt Hieronymus ſuprà docet.

Chriſtus nõ fuit legalis Nazaræus.

Hebr. 7.

Quod attinet ad cæſariem, fatemur Chriſtum cæſariem habuiſſe ſubflauam, capilloſque capitis tuliſſe prolixiores, vt ſcribit Nicephor. libro 1. cap. 4. Nouacula enim (ait ille) in caput eius non aſcendit. Hæc tamen cæſaries inſigne non erat legalis Nazaræi, quemadmodum Abſalonis cæſaries. Cæſariem geſtabat Abſalon, tamen Nazaræus non erat. Ita & Chriſtus Dominus. Quod ſi Hebræi, Abſalonem Nazaræum fuiſſe velint, falluntur, etenim Nazaræis tondere comam non licebat. *Abſalon autem*, vt ex 2. Reg. 14. exploratum eſt, *ſingulis annis illam tondebat.* Chriſtum etiam aliquando crines, ne prolixiores fierent, reſcidiſſe veriſimile eſt.

Cæſaries Chriſti ſubflaua Nicephor.

Abſalon nõ fuit Nazaræus.

2. Reg. 14.

CAPVT XII.

Morale.

Apocal. 12. Rupertus.

ILLVSTRISSIMIS coloribus pingitur, ex ſententia Ruperti, parturiens Eccleſia, parturiens, inquam, tot ſæculis Meſſiam optatiſſimum. Ante parturientem Eccleſiam truculentus aſtat draco. *Draco* (ait Ioannes) *ſtetit ante mulierem, quæ erat paritura, vt cum peperiſſet, filium eius deuoraret.* Quid huic draconi ſimilius quàm Herodes ſerpens callidus? Peperit Eccleſia poſt tot ſæcula Meſſiam optatiſſimum, ecce draco Herodes hianti ore deſideratiſſimum partum conatur deuorare. *Futurum eſt* (ait Angelus) *vt Herodes quærat puerum ad perdendum eum.* Quæſiuit, ſed minimè inuenit, hiantibus draconis faucibus mitis agnus ereptus eſt, & in Aegyptum ductus. Quemadmodum olim infanticidæ Pharaonis manus infans Moſes effugit, vt Hebræos in virilem ætatem perductus, ex Aegyptiaca ſeruitute eriperet, ita infanticidæ Herodis rabiem, infans Chriſtus breui fuga declinauit, vt mortales ex Satanæ captiuitate poſtea cruci ſuffixus liberaret. Ideò dignatus eſt in Aegyptum Chriſtus fugere (ait Diuus Fulgentius in ſermone de Epiphania) vt poſtea crucem dignaretur aſcendere, &c.

Herodes draco.

Matth. 2.

D. Fulgent.

Nondum venit hora eius ſæuiſſime draco, quamuis totis viribus perſequaris, nunquam illum aſſequeris: horam eius mutare, mortem citius afferre, interitum nõ poteris maturare. Mortem habet in poteſtate, furoris tui habenas manu geſtat, is leonis curſus erit quem mitis agnus permiſerit. *Non coques hœdum in lacte matris ſuæ*, non occides agnum Dei dum tener eſt, dum ſugit matris vbera. Tam parum ſanguinis non vult amor fundere. Creſcet ætas, creſcet corpus, augeſcet ſanguis, tunc hoſtes non fugiet, ſed quæret, qui terris irrigandis, ſanguinis aperiant è virili corpore flumina. Hinc eſt, quod fugit Chriſtus (ait Chryſoſt. ſerm. 150.) vt cedat tempori, non Herodi. Item; Chriſtus mortem diſtulit, nõ fugit. Et D. Fulgent. Fugit Chriſtus nõ formidine humana, ſed diſpenſatione diuina, fugit non neceſſitate, ſed poteſtate. Item: Faciet eum mori benignitas propria, non malignitas aliena, morietur non vinculo neceſſitatis, ſed propoſito voluntatis, &c.

Non potuit Herodes horam Chriſti mutare. Exod. 23.

D. Chryſoſt.

D. Fulgent.

Verba illa Exod. 23. *Non coques hœdum in lacte matris ſuæ*: Auguſt. quæſt. 90. ſuper Exodum, huius rei prophetiam eſſe exiſtimat; Intellectum, inquit, de Chriſto approbo, quòd hac prophetia prædictus eſt, non occidendus à Iudæis infans, quando Herodes quærẽs eum, vt occideret, non inuenit. Eundem in modum exponit D. Thomas in prima ſecundæ, quæſt. 102. art. 6. ad quartum, & alij; ex quorum ſententia, verba hunc habent ſenſum; *Non coques hœdum in lacte matris ſuæ*, id eſt, eo tempore quo ſugit lac matris ſuæ. Hoc ſenſu de Chriſto myſticè intelliguntur.

Exod. 23. D. Auguſt.

D. Tqom.

Literali ſenſu præceptũ eſt Iſraelitis traditum; *Non coques hœdum in lacte matris*, hoc eſt, non vteris ad coquendum hœdum ipſo matris lacte vice aquæ. Traditum eſt autem huiuſmodi præceptum, vt ait D. Thom. quia ad crudelitatem pertinet, lac, quod hœdi eſt alimentum, eidem vertere in tormẽtum. Vel quia huiuſmodi coctione ſolebant idolorum cultores ſimulachra ſua venerari, idcircò illam fugere Iudæis præcipiebatur. Admonet locus ne illa, quæ ad iuuandos homines à Deo donata ſunt in illorum perniciem conuertamus, vt diuitias, ingenium, & ſimilia: iniquum enim eſt, vt quod datum eſt in alimentum, conferatur ad tormentum. Sanè de Hæreticis verum eſt, coquere hœdos in lacte matris. Lac eſt hæreticorum doctrina impia, lac inquam, capræ fœtidæ, id eſt hæreſeos, in hoc lacte fœtidæ matris, coquunt illi hœdos, id eſt, diſcipulos ſuos, æternis poſtea ignibus in Tartaro recoquendos. Ingenium ſuum, eloquentiam, ſi quam habent, & doctrinam, quæ ſi vera eſſet, hominum fuiſſet alimentum, cùm hæretica ſit, conuertunt in hominum æternum tormentum.

Nõ coques hœdum in lacte matris: quid ſignificet. D. Thom.

Hæretici in lacte matris hœdos coquunt.

Potuiſſet Dominus Herodem ſubita morte de medio tollere, potuiſſet in Iudæa facilè latere, ſed lupum mitis agnus, per miraculum noluit occidere, per fugam potius, quàm per miracula, vitam voluit conſeruare. Vnde Euſebius Cæſarienſis libro 9. de demonſtratione cap. 4. Non erat, inquit, per Saluatorem puerum adhuc, miracula exordiri iam tùm, atque ante tempus diuinam oſtentare

Chriſtus noluit per miraculũ, Herodis furorem euadere. Euſebius.

virtutem, quòd sanè factũ fuisset si miraculi quadam ratione, insidiantem sibi Herodem puniuisset, neque illam in Ægyptum secessionem pertulisset. Verùm præstantioris cuiusdam dispensationis ac sapientiæ fuit, suo atque accommodato tempore, miraculorum quæ ad diuinitatem pertinent initium facere eum, cui in tota vita, mansuetudinis, & clementiæ testimonium redditum est, quique ad promerendum atque ad communia officia fungenda, propensus extitit, nec aliquem vnquam eorum, qui non ipsi auscultauerũt vltus est. Ne tunc quidem cùm vt ouis ad occisionem ducebatur. Hæc Eusebius.

Fugit autem agnus verus in Ægyptum in qua illius typus, Paschalis olim agnus immolatus præ- B
D. Leo. cesserat, ne sine illa regione (ait D. Leo sermone 3. de Epiphania) pararetur singularis hostiæ Sacramentum, in qua primùm occisione agni, salutiferum crucis signũ, & pascha Domini fuerat efformatum, &c. Quendam nunc veluti gustum præsentiæ suæ Ægypto præbuit, postea verò dulcissimis fidei, & charitatis Christianæ epulis, eandem
D. Chryſoſt. copiosè saginauit. Chrysostomus hom. 8. in Matthæum; Tactu, inquit, ipso Domini gustum quendam sanctificationis Ægyptus adipiscitur, vt cùm illum audierit, ab Apostolis prædicari, huius quasi priuilegij honore decoretur, quòd Dominum prima susceperit, &c.

Præsentia sua gustum nunc Christus Aegypto præbuit.

Procopius. Isai. 19. Procopius Isa. 19. de hac in Ægyptum fuga, verba illa Isaiæ exponit; *Ecce Dominus ascendet super nubem leuem, & egredietur Ægyptum*, hoc est, (vt ille interpretatur) ascendet in corpus leue, nullo terrenæ perturbationis, aut peccati onere graui. Ascendet, inquam, super corpus, veluti super currũ eximium, vel super faculum illi simile, de quo in Canticis
Cant. 3. verba fiunt cap. 3. Nubes etiam dicitur corpus vel caro Christi, quoniam Solis, id est, diuinitatis radios temperabat, vt Augustinus ait tractatu 34. in Ioannem. Nube, inquit, tegitur, non vt obscuretur, sed vt temperetur. Aliqui, vt idem Procopius scribit, nubem Deiparam virginem volunt significare; Sunt, inquit, qui per nubem leuem sacrosanctam Virginem intelligi arbitrentur, à qua in
Procopius. Ambroſius. Ægyptum Christus, vlnis est delatus. Ambrosius D in libro de Institutione Virginis, cap. 13. Scriptum,
Isaiæ 19. ait, est de Virgine, Isaiæ 19. *Ecce Dominus veniet, sedens super nubem leuem*, verè leuem, quæ coniugij onera nesciuit, verè leuem, quæ leuauit hunc mundum
Procopius. de graui fœnore peccatorum, &c. Addit Procopius & aliam interpretationem, videlicet, nomine nubis rorem pluuiamque spiritalem, & Baptismum indicari. Deus ergo iuxta has omnes interpretationes, primùm egressus est in Ægyptum, in nube leui, incarnatus corpore ex Virgine assumpto, cuius brachiis veluti curru plusquam cherubico ferebatur. Posteà verò ingressus est, veluti in nube graui aquis onerata, quæ rorem, pluuiamque baptismi cælestem, post ascensionem in Ægyptios E
Nubes leuis, & nubes grauis. effudit. Diuino autem rore, diuinaq; pluuia Christus sic Ægypti regionem irrigauit, vt ex obscura serpentium, brutorumque animalium spelunca, in hortum amœnissimum, omnium florum pomorumque genere redundantem commutarit.

Qualis antequam baptismi aquis irrigaretur, fuerit Aegyptus, docet Eusebius libro nono de demonstratione capite quarto, & Procopius loco citato; Tam longè, inquit, Aegyptij à religione recesserant, vt ne à brutorum quidem animalium
Auguſt. cultu abstinerent. Augustinus in libro de vnico Baptismo capite 4. In Aegypto multiplicior, multoq; ignominiosior idololatria, instituta esse perhibetur. Diuus Cyrillus Isaiæ 11. Aegyptij præ aliis

Euſebius Procopius.

Ægypti idololatria. D. Cyrill.

A superstitiosissimi, delubra passim, & simulachra infinita habebant, adorarunt volatilia, & pisces, & capram, & ouem, & vitulus ab illis in honore habitus est, &c. In Paradisum autem amœnissimum conuersam, docet Chrysostomus homil. 8. in Mat- *D. Chryſoſt. Aegyptus in paradiſum conuerſa.*
thæum his verbis. Si quis nunc ad Ægypti veniat solitudinem, paradiso prorsus omnem illam videbit eremum digniorem, & innumerabiles Angelorum cætus, in corporibus fulgere mortalibus, & populos martyrum, & choros virginum, & omnem quidem tyrannidem diaboli dissolutam, Christi autem regnum coruscans. Item; Non ita variis astrorum choris cælum refulget, vt Aegyptus innumeris monachorum ac virginem di- B
stinguitur & illustratur habitaculis. Si quis illam Aegyptum veterem nouit rebellem Deo, ac magnitudine superstitionum furentem, odorantem irrationales animantes, porros etiam cepasque pauitantem, hic optimè Christi potest nosse virtutem, per quem facta est tam admiranda mutatio, &c.

Mercurius Trismegistus, apud August. libro 8. *Trismegiſtus.*
de ciuitate Dei, cap. 14. Aegyptum cælo assimilat; An ignoras, inquit, ô Asclepi, quod Aegyptus imago sit cæli, aut quod est verius, translatio, aut descensio omnium quæ gubernantur, & exercentur in cælo? ac si dicendũ est verius, terra nostra mundi totius est templum. Vera fuere hæc, quæ Mercu- C
rius dixit, non tamen illius tempore, sed postquam Aegyptus, Christiana sacra accepit. Tunc enim imago fuit cæli, imagoque vitæ angelicæ, & Dei templum, Christique ouile singulare. Iuxta illud *D. Auguſt.*
August. serm. 50. de verbis Domini, ca. 10. in Aegypto quomodo pastor est Christus, qui norũt, agnoscunt; qui non norunt, requirant. Quàm magnum illic gregem colligat, quantam numerositatẽ sanctorum atque sanctarum habeat, contemnentium penitus mundũ. Grex ille tantùm creuit, vt etiam inde superstitiones expulerit, &c.

Egregiè soluit hospitium Christus Aegypto. Vt *Soluit Aegypto hoſpitium Dominus.*
Ioseph Aegyptum à grauissima fame liberauit, principatumque in illa glorioſum est assecutus, ita noster Ioseph Christus, vitæ panis, eandem Aegy- *Verus Ioſeph Chriſtus famem ex Aegypto depulit noſque Nilo illam irrigauit.*
ptum, à mortifera veritatis inedia eripuit, idolorumque pulsis simulachris diuinum in ea impe- D
rium tenuit. Vnde D. Leo serm. 3. de Epiphania. Aegypto, inquit, se Christus intulerat, repetens scilicet, Hebrææ gentis cunabula, & principatum veri Ioseph maioris prouidentiæ potestate disponẽs, vt illam diriorem omni inedia famem, qua Aegyptiorum mentes veritatis inopia laborabant, veniens de cælo panis vitæ, & cibus rationis, auferret, &c. Irrigabat Aegyptum Nilus, septemq; alueis fluens, ad fruges ferendas, terris fœcunditatem dabat. At terrenis frugibus abundans; cælestis frumenti inopia maximè laborabat. Nouum ergo Nilum, in illam Christus induxit, cuius aquæ miram aruis attulere vbertatem. Nouum, inquam, Nilum, hoc est, Baptismum, nouas aquas, septem Spiritus sancti dona, veluti septem alueos, qui nouas fruges, nouos flores, nouas arbores, nouosq; in Aegypto fructus produxere. Olim rubrum Mare imperio Dei Aegyptios demersit, vitaque priuauit. Nouum aliud mare rubrum, id est, baptismum, Christi sanguine rubefactum, in Aegyptum intulit Dominus, cuius salutaris vnda, Aegyptios nõ demergeret, sed in cælum sustolleret, non vita priuaret, sed æterna gloria donaret. Virga Mosis Aegyptum Deus flagellauit, virga Christi, id est, sceptro, siue cruce, plagas illius sanauit. Palpabiles tenebras in Aegyptum immisit, palpabilem Solem, id est, Christum in illam nunc misit.

De

Isaiæ 19. De conuersione Ægypti vaticinatus est Isaias cap. 19. *In die*, inquit, *illa erit altare Domini in medio terræ Ægypti, & titulus Domini iuxta terminum eius, & erit in signum, & in testimonium Domino exercituum in terra Ægypti. Clamabunt enim ad Dominum, à facie tribulantis, & mittet eis saluatorem, & propugnatorem, qui liberet eos, & cognoscetur Dominus ab Ægypto, & cognoscent Ægyptij Dominum in die illa, & colent eum, in hostiis, & in muneribus, & vota vouebunt Domino & soluent*, &c. In quem locum sic Hieronymus scribit; Ab hoc loco vsque ad finem Ægyptiæ visionis, siue ponderis & Iudæi, & nostri; de Christi aduentu intelligi volunt, &c.

D. Chrysol. Licere in persecutione fugere, fuga Domini docet. Docuit hac fuga Dominus, licere in persecutione fugere. Christus (ait Chrysologus) fugit, vt crediturus fiduciam fidei largiretur, quia in persecutione melius est fugere, quàm negare. *D. August.* Augustin. tractatu 13. in Ioannem. In omni, inquit, re, quam Christus gessit vt homo, hominibus in se crediturus præbebat exemplum. Quia vnusquisque seruus Dei non peccat, si cesserit in alium locum, videns furorem fortè persequentium se: videretur autem sibi seruus Dei peccare, si faceret, nisi in faciendo Dominus præcessisset. Fecit hoc magister bonus, vt doceret, non quòd timeret, &c. Lege eiusdem Augustini epistol. 180. ad Horatium, in qua docet *D. Cyprian. Tertullian. D. Athan.* quando, & quomodo imminente periculo fugere liceat. Lege eadem de re Cyprianum in lib. de lapsis, Tertullianũ de fugâ in persecutione, & Athanasij apologiam.

Christianus nusquam alibi exul est. Christiani autem extra patriam fuga exilium non est. Siquidem à Deo vbique excipitur, qui illius & pater, & patria, & bonum omne est; Deo enim totus orbis completur. *D. August.* Augustinus in sermone de sancto Cypriano; Quo, inquit Cyprianus, mitteretur, vbi ille non esset, propter cuius testimoniũ mittebatur? Christus in omni loco membrum suum excipiebat, quocunque furor inimici pellebat. O stulta infidelitas persequentis, si quæris exilium, quo Christianus iubeatur ire, prius si potes inueni, vnde Christus cogatur exire. De patria sua in alienam te arbitraris excludere hominem Dei, in Christo nusquã exulem, in carne vbique peregrinum? Hæc ille. *Cyprian.* Cyprianus epistola 56. ad Thibaritanos. Solus non est, cui Christus in fuga comes est, solus non est, qui templum Dei seruans, vbicunque fuerit sine Deo non est, &c. Exul impius est quamuis in patria, delitiisque vitam degat, vt Philo docuit libro 2. allegoriarum: in illa verba Geneseos; *Philo. Genes.* *Abscondit se Adam, & vxor eius à facie Domini*, sic scribit. Hic introducitur dogma, quo docemur omnem malum esse exulem, ciuitas enim sapientum propria virtus ipsa est, &c. Ex hac ciuitate, constans sanctusque vir ab Herode alioue tyranno pelli nequit, nunquam ergo exulat, in ciuitate sua, id est, in virtute quocunque fugiat semper habitat.

Ad hæc. Non potest vir sanctus in exilium pelli. Nam vel illi omne solum patria est, vel totus mundus exilium. Si omne solum ei patria est, vbi nam exulabit? si totus mundus exilium, quomodo mittetur in exilium, qui semper est in exilio? *Hugo Vict.* Victorinus Hugo libro 3. Didasc. cap. vltimo. Delicatus, inquit, ille est adhuc, cui patria dulcis est, fortis iam, cui omne solũ patria est, perfectus, cui mundus totus exilium est, ille mundo amorem infixit, iste sparsit, hic extinxit, &c. *D. Gregor. Nazianz.* Gregorius Nazianzenus oratione 28. Mihi, inquit, omnis terra, & nulla terra patria est, &c. Nulla terra patria erat Gregorio, quia patria erat cælum, omnis terra patria erat, quoniam totum terrarum orbem pro patria ducebat, & κοσμοπολίτης, erat, hoc est mundi *D. Basilius.* totius ciuis. Similiter Magnus Basilius (apud eundem Gregorium in oratione 20. de laudibus Basilij) præfecto cuidam respondens; Exilium, inquit, nõ cognosco, qui nullo loco circumscriptus sum, ac nec terram hanc, quam nunc incolo, meam habeo, & eam omnem, in quam proiectus fuero, pro mea duco, imò, vt rectius loquar, vniuersam terram Dei esse scio, cuius aduena sum & peregrinus. Hæc ille.

Obcæcatio & conuersio Iudæorum. Præterea, Iudæam Christus infans reliquit, & ad Ægyptios discessit, vt typicè ostenderet, Iudæos in perfidia relinquendos, gentes ad fidem vocandas. Post aliquot annos reuertitur ab Ægyptiis, ad Iudæos, qui post Gentium vocationem, prope mundi finem ad Iudæos reuertetur. Fuga Christi in Ægyptum (ait Beda) significat transitum eius *Beda.* ab Israelitico populo ad gentes. Obitus Herodis significat finem odij Iudæorum, quando ante diem iudicij Christus ad Iudæos reuertetur, &c. Et Hie- *D. Hieron.* ronymus; Nocte tollit Ioseph puerum, quia noctem ignorantiæ iis, à quibus ipse recessit, reliquit incredulis. Quando reuertitur in Iudæam, nec nox, nec tenebræ in Euangelio ponuntur, quia in fine mundi, Iudæi fidem tanquam Christum ab Ægypto reuertentem suscipientes illuminabuntur.

Iucundis rebus amara permiscentur. Obserua hoc capite Chrysostomus, Deum iucundis sanctorum rebus, quædam etiam amara permiscere. Quod in Ioseph probat. Is cùm Virginis tumentem vidit vterum, summa mœstitia affectus est, sed appareus Angelus, lætissimo nuntio mœstum exhilarauit. Deinde, cùm Christum natum adorantes Pastores regesque ante illum procidentes vidit, summo gaudio exiliit, post gaudium, ecce periculum, ecce formido, ecce Herodes puerum quærit, ecce fuga in Ægyptum. Sanctos (ait Chrysostomus) neque tribulatio- *D. Chrysost.* nes, neque iucunditates finit Deus habere continuas, &c.

Isaiæ 38. Meritò Ezechias Rex, Isa. 38. vitam telæ assimilat: *Præcisa*, inquit, *est velut à texente vita mea, dum adhuc ordirer, succidit me.* Telæ fila non omnia tendunt eodem; sed recta quædam, alia transuersa sunt, ita & vitæ nostræ dies, quidam recti, id est læti, alij transuersi, id est, mœstitia pleni contingunt. Quamobrem adiungit Chrysostomus; Deus tùm ex aduersis, tùm ex prosperis, iustorum vitam quasi admirabili varietate contexuit. Quemadmodum Iacob Genes. *dilectum filium Ioseph polymita*, id est, multorum *Genes. 37. Polymita iustorum vestis vita non eiusdem est coloris.* colorum *veste induit*: ita Deus dilectos filios, varia & multicolori vita, ex prosperis aduersisque rebus contexta.

Exornat, inquam, quia tùm rebus commodis, tùm incommodis, ad animi ornatum sapienter vtuntur, nec prospera illos extollunt & inflant, neque aduersa frangunt ac deiiciunt. Siue à prora aspiret vẽtus, siue à puppi, in cælestem portum, vt scientissimi gubernatores, semper nauem agunt. Graues acutosque sonos, vt sapientes musici, mutas, vocalesque literas, vt periti Grammatici, hoc *Iusti prosperis & aduersis rebus sapienter vtuntur.* est, tristes lætasque res sapienter permiscent. Quocirca *omnia illis* (vt Paulus ait) *in bonum cooperantur.* Vtitur hac similitudine Philosophus Plutar- *Rom. 8.* chus, in libro de tranquillitate animi. Tam est, in- *Plutarch.* quit, varia, multiplex, reciprocabilis mundi huius harmonia, quàm lyræ. Neq; in humanis quiddam est, quod purum, sincerum, simplexque sit. Verùm vt musica sonis acutis, & grauibus cõstat, & Grammatica literis vocalibus, & mutis: at musicus, grammaticusque est, qui vtrisque vti miscereque accommodatissimè nouit. Sic sapienter is instituisse vitam videtur, qui diuersissimos rerum euentus, mutuoque sibi obuersarios, miscere scitè didicit,

didicit, ſecundas cum aduerſis compenſando. Hæc Plutarchus.

Occaſiones peccatorum fugiendæ.

Quemadmodum Virginis purificationem apud Lucam, fuga ſequitur in Ægyptum, ita hominis purificationē fuga ſequatur neceſſe eſt. Qui enim animum pœnitentia purificauit, niſi ſordidum Herodem, peccatorumque inquinamenta fugerit, facile rurſus inquinabitur. Quemadmodum qui bombycinam candidi coloris veſtem induit ſordida ſubſellia fugit; ſic is, qui pretioſiſſimum candidiſſimumq; gratiæ indumentum à Deo acceptum nouit, à ſordidis inquinatiſque locis longius abſcedit. Nazaræi, vt diximus paulò antè cap. 11. non ſolùm à vino, ſed ab vuis quoque ex quibus vinum emanat, abſtinebant, etiam paſſis. Ita Chriſtianum non ſolùm à peccato, verùm ab occaſionibus quoque, ex quibus peccatum gignitur, abſtinere oportet. etiam antiquis Nazaræus, ſeparatum ſignificat: Chriſtianus Nazaræus, ſit à peccatis, peccatorumque occaſionibus ſegregatus. Acinum eſt, vua paſſa eſt, modica occaſio eſt, fuge. Etiam à minimo acino, etiam ab vua paſſa, etiam à minima occaſione, abſtinet Nazaræus.

Num. 6.

Gen. 19.

Eduxerunt Angeli Lot ex Sodomorum ciuitate: eductum ſic ſunt allocuti: *Salua animam tuam, noli reſpicere poſt tergum, nec ſtes in omni circa regione.* Idem homini dicitur, qui è peccati cœno emerſit, ſalua animam tuam, noli reſpicere poſt tergum, noli ad relictas poſt tergum voluptates mētis oculos conuertere, ne prope conſiſtas, ne ſtes in omni circa peccatum regione, id eſt, occaſione, longè fuge. In bello ignominioſa fuga ſit, at à peccato fuga omnis eſt glorioſa, iuxta illud Ambroſij in lib. de fuga ſæculi, cap. 4. Glorioſa hæc fuga eſt, fugere à facie peccati: ſic fugit Iacob, matre ſuadente, ſic fugit Moſes à facie Pharaonis, ſic fugit Dauid à facie Saulis, & Abſalonis, &c. *Quantum diſtat ortus ab occidente* (ait ſacer vates Pſal. 102.) *longè fecit à nobis Deus iniquitates noſtras.* Tam longa enim inter nos, & peccatum, intercedere debet diſtantia; quàm longa inter Orientem eſt atque Occidentem, & multo etiam maior. Etenim ſpacium, quod inter ortum eſt & Occidentem, Sol percurrit; diſtantiam verò inter nos & peccatum ſtatuere oportet infinitam, quàm nullo vnquam tempore pertranſeamus.

Fuga peccati glorioſa. D. Ambroſ.

Longe fugiendum. Pſal. 102.

Peccata omnia toto cōnatu fugienda ſunt, præſertim libido. quod docet Paulus 1. Cor. 6. *Fugite fornicationem.* Perſequuntur nos (ait Ambroſius loco indicato) peccatorum illecebræ, perſequitur libido, ſed tu fuge, tanquam furioſam dominam, quæ ſi comprehenderit, nec die nec nocte, requieſcere ſinit, exagitat, vrit, incēdit, &c. Hieronymum lege aduerſus Vigilantium cap. 6. Nulla, inquit, ſecuritas eſt, vicino ſerpente dormire: & alia Auguſtini ſerm. 250. de tempore. Contra libidinis impetum, apprehēde fugam, ſi vis obtinere victoriam. Item; Beatus Ioſeph, vt impudicam fœminam poſſet euadere, pallium quo apprehenſus fuerat, reliquit, & fugit. Item: Tibi verecundum non ſit fugere, ſi caſtitatis palmam deſideras obtinere. Item, Indigna, & inhoneſta familiaritas fugienda eſt, quia qui familiaritatem non vult vitare ſuſpectam, cito dilabitur in ruinam, &c. Exemplo nobis ſit ſanctus ille presbyter, qui vt Magnus Gregorius lib. 4. Dialogorum ca. 11. teſtatur, cùm in extremo eſſet ſpiritu, fœminam ad ſe prope accedentem hiſce verbis repulit; Recede à me mulier, adhuc igniculus viuit, paleā tolle. Viuit in nobis igniculus, vtinam non viuat flamma: paleam, hoc eſt, occaſiones, remoueamus, à puluere ſulphureo quam longiſſimè diſcedamus. Diuus Ephrem de recta viuendi ratione libidinem vt feram, facem ve ardentē fugiendam docet; Deum, ait, ardenter inuoca, vt perfectæ tibi continentiæ ſpiritum tribuat, quo in nocturnis etiam phantaſmatis hoſtiles incurſiones effugere poſſis: veluti ſi quis ſe à fera inuadi expugnariq́ue conſpiciat, aut ardenti face petatur ab aliquo, & ex vna in aliam domum inde confugiat, ne comburatur ab igne, &c.

1. Cor. 6. D. Ambroſ.

Libido maximè fugienda. D. Hieron.

D. Auguſt.

D. Gregor.

Paleam tolle, igniculus viuit.

D. Ephrem.

Tenerum infantem conatur Herodes occidere. Hic Satanæ conatus eſt, Chriſtum infantem in pectore Chriſtiano interimere. Nam vt ex Paulo cōlligitur, naſcitur in nobis Chriſtus infans, & formatur, *Filioli, inquit, mei, quos iterum parturio, donec formetur Chriſtus in vobis.* Totis viribus nitendum, vt ad ætatem virilem, robuſtamque peruenait, neque verò in ſenectutem imbecillitatemque declinet, vnde Auguſt. ſerm. 20. de tempore, Credidiſti, inquit, natus eſt Chriſtus in corde tuo. Sed nunquid Chriſtus natus, ſic remanſit? creuit, ad iuuentutem peruenit, ſed in ſenectutem non declinauit. Creſcat ergo & fides tua, robur inueniat, vetuſtatē nō ſciat. Hæc ille. Verum cacodæmon creſcere non vult in pectore Chriſtum; teneram atque recentem gratiam cupit extinguere. Lege ſeminantis parabolam, videbis dæmonem non pati in ſpicam proſilire ſemen, protinus ad vorandum aduolat tartarea volucris. *Volucres*, inquit Dominus, *cœli comederunt illud.* Typus Satanæ *Pharao infantes Hebræorum flumine iubet ſubmergere, timet enim ne poſtquam adoleuerint, bellum illi inferant.* Videte, ait Origenes in hunc locū, quid princeps huius mundi præcipit ſuis vt infantes noſtros rapiant, & in flumen proiiciant, primę ſtatim natiuitati noſtrorum inſidiantes continuò, vt cùm vbera Eccleſiæ prima contigerint, irruant, diripiant, perſequantur, vndis huius ſeculi abſorbeant, &c. Ergo cum in te Chriſtus natus fuerit Pharaonem fuge, Herodem fuge, occaſiones peccandi, & voluptatis mella fuge. Nam vt ait Diuus Ephrem libro citato; Si diligenter attenderis, vbique inimici laqueos, tanquam mellis dulcedine circumlitos voluptatis illecebris extentos deprehendes. Vt ſi quis illius guſtare dulcedinem velit, laqueo capiatur.

Ad Gal. 4.

D. Auguſt. Chriſtum infantem conatur malus dæmon in pectore Chriſtiani occidere. 1. teneram virtutem. Matth. 13.

Exod. 2.

Origenes.

D. Ephrem.

Impiorum quoq; conſortia, & amicitias deuita, laqueis enim diaboli capti, alios capiunt, vt idem ſanctiſſimus pater eodē loco docet. Quæ primum, inquit, captā à dæmone fuerit anima, ad alias decipiendas ſit quaſi laqueus: ſicut perdix comprehenſa, pro eſca illis proponitur, quæ nondum laqueo captæ ſunt. Circa illam enim auceps laqueos figit, vt voce ſua perdix reliquas circumuolantes ad eoſdem pelliciat, &c. Pythagoræ documentū illud eſt; Quæ nigrantes habent caudas guſtari nō oportere; hoc eſt, vt Plutarchus loco infrà indicato exponit, cum hominibus cōſuetudinem non eſſe habendam, quos morum deprauatio ipſa denigrat. Eſt etiam alterum; Non iniiciendam vnicuique dextram. Dextram iniicere amicitiæ eſt. eligendi ſunt amici probi, quibus dextram iniicias: improbi fugiendi, ne ſcabie ſua te inficiant. De iis Gregorij Nazianz. hæc ſunt carmina ad Seleucum.

Impiorum hominum amicitia fugienda. D. Epiphan.

Plutarchus.

Greg. Naz.

Sunt namque multi more qui pecundum ſcatent,
Fœdaque ſcabie, grauibus & morbis ſimul.
Iuueneſq; tentant ſimplices, ſi quos vident,
Seque affricantes ſubdolè his, illud ſtudent,
Vt prauitatis hos ſuæ morbo impleant.

Sunt aliqui amici impij, qui pueros velut Pharao, & Herodes perſequuntur & occidunt: perſequi enim eſt male amare, & ad vitia exemplo verbiſque impellere. Paulus Iſmaēlem perſecutum eſſe puerum Iſaac ait: *Is*, inquit, *qui ſecundum carnem natus fuerat, perſequebatur eum, qui ſecundum ſpiritum.* Iſmaēles illi

Ad Gal. 4.

illi sunt, qui pueros innocentes Isaaco similes, exemplo colloquiisque prauis persequuntur, ac deprauant. *Etecit domo Ismaelem Sara, quod Isaacum persequeretur*; eiiciendi Ismaeles suasores improbi, qui pueros vitiorum contagione inquinant. Audi quid hac de re sentiat homo ethnicus. Liberos nostros (ait Plutarchus libro de educandis liberis) à flagitiosorum hominum consortio segregare decebit, eorum enim malignitatem reportant. Item: sicut infantium membra simulac nata sunt, formari componique debent, vt recta, minimeque obliqua fiant; ita puerorum mores principio aptè concinneque fingere conueniet. Illa namque nouella ætas, ad fingendum facilis, & tenera est; & ipsorum animis dum molles adhuc extant, disciplinæ melius instillantur; difficilius autem, quæ dura sunt molliuntur. Quemadmodum enim sigilla mollibus imprimuntur ceris, ita & doctrinæ dum pueriles adhuc animus est, insculpuntur, &c. Quale sigillum est, tale illud est, quod mollis cera recipit: amici sigilla quædam sunt, si dæmones sunt, dæmonis; si Angeli sunt, Angeli imaginem in puero insculpunt.

Plutarch.

Puerorum animus ceræ similis, facile flectitur.

Fugiant pueri improborum consuetudinem. Plato. Plutarch.

Plato, vt eodem loco docet idem author nutrices admonuit, vt ne friuolas ac turpes pueris fabulas mandarent, ne illorũ animas ex initio stultitia, & corruptis imbuerent moribus. Ipse verò Plutarchus pueros, qui alumnis ministraturi conuicturique sunt bonis moribus præditos requirit, quoniam iuxta prouerbium; Si claudo vicinus habitaueris, & ipse claudus ambulare disces. Præclarè ethnicus Iuuenalis Satyra 14. maximam puero deberi reuerentiam dixit. Sed carmina ipsa recitemus.

Iuuenalis. Puero maxima debetur reuerentia.

Nil dictu fœdum visuque hæc limina tangat,
Intra quæ puer est, procul hinc, procul inde puella
Lenonum, & cantus pernoctantis parasiti.
Maxima debetur puero reuerentia. Si quid
Turpe paras, ne tu pueri contempseris annos,
Sed peccaturo obsistat tibi filius infans.

Senibus deberi reuerentiam sciebamus, pueris etiam deberi non item: at debetur, & quidem maxima, videlicet, ne coram illis aliquid committatur turpe aut flagitiosum, aut minus decorum, vnde possint exemplum trahere. Quamobrem Plato in dialogo 5. de legibus, Sapiens, inquit, legum lator, senioribus præcipiet, potius vt sint coram iunioribus verecundi, ac summoperè caueant, ne quis iuuenum eos aut videat, aut audiat, agentes turpe aliquid, vel loquẽres, &c. Fugiant ergo pueri improbos Herodes, Pharaones, Ismaëles, puerorum persecutores, puerum sequantur Agnum, quocunque ierit, & inter castitatis lilia cum illo pascantur.

Plato.

Discè etiam ex hoc loco, teneram custodire virtutem, adhuc infantem, nec dum virilem: arcenda enim est à periculis, nimiisque oneribus huiusmodi virtus, ne pereat. Exigua flamma, vento, tenera virtus periculis exposita extinguitur. Ingens flamma eodem vento, ingens virtus eisdem periculis oblata, extollitur, & exardescit. Nec parua cymba in magnos fluctus, nec parua virtus in magna discrimina, & labores est immittenda ne submergatur. Noluit Deus Israelitas ex Aegypto recens liberatos Philistinorũ bellis obiicere, Exod. 13. *Cùm emisisset Pharao populum, non eos duxit Dominus per viam terræ Philisthim quæ vicina est, reputans ne forte pœniteret eum, si vidisset aduersum se bella consurgere, & reuerteretur in Ægyptum.* Ita etiam recens ex peccato liberati, in quibus modica animi fortitudo eminet, difficilibus tentationibus non sunt obiiciendi. Gregor. Mag. 24. Moral. cap. 13. Ex Aegypto, inquit, exeuntibus è vicino bella subtrahuntur, quia derelinquentibus sæculum, quædam prius tranquillitas ostenditur, ne in ipsa sua teneritudine, atque inchoatione turbati, ad hoc territi redeant, quod euaserunt. Prius suauitatem securitatis sentiunt, prius pacis quiete nutriuntur. Post cognitam verò dulcedinem, tanto iam tolerabilius tentationum certamina sustinent, quantò in Deo, altius cognouere, quod ament, &c. Huc spectat illud Ambrosij libro 4. in Lucam cap. 2. Eadem est natura virtutis, quæ nemorum, vt si adhuc exigua, de terrenis ad superna se subrigant, dum teneris ætas adolescit frondibus, sæui veneno dentis obnoxia, facile aut succidi possit, aut vri. Si verò alta se radice fundarit, & ramorum sublimitate sustulerit, frustra iam & ferarum morsibus, vel lacertis agrestium, vel diuersorum flatuum procellis, arbor tentetur. Hæc ille. Est tenera virtus floribus similis, vt flores vehemens frigus, ita teneram virtutem vehemens tentatio decoquit atque exurit. Lege Bernardum sermone 63. in Cantica, & sermone 64. De Innocentium infantium strage nonnihil dicamus.

Virtus tenera à periculis arcenda. D. Gregor.

D. Ambr.

D. Bernar.

CAPVT XIII.

Morale.

De strage Innocentium.

MESSIAM veniisse, Angeli, pastores, Reges Simeon, & Anna, testati sunt loquendo, Innocentes verò infantes moriendo. Quamobrem in oratione Ecclesia; Dei, inquit, præconium, innocentes martyres non loquendo, sed moriendo confessi sunt. Et grauis antiquissimusque ille autor, qui de operibus Christi cardinalibus scripsit, in tractatu de stella & Magis; Paruuli, ait dum vice Christi, & pro Christo detruncãtur, testimonium, quod nondum poterant sermone, perhibent passione, & sufficit causa testimonio, licet nondum eloquio distinguantur, &c.

D. Cyprian.

Innocentes Christo testimonium præbuere non loquendo, sed moriendo.

Quocunque Herodis immane factum, eodem & illius causa penetrabat, vulgabaturque, conatum fuisse occidere Messiam iam natum. Magos (ait Diuus Leo sermone 2. de Epiphania) ad Christum adorandum præuia stella perduxit, vt à Solis ortu, vsque ad occasum, veri regis generatio coruscaret, cùm rerum fidem & regna Orientis per Magos discerent, & Romanum imperium non lateret. Nam sæuitia Herodis huic dispensationi nesciens seruiebat, vt dum atroci intentus facinori, ignotum sibi puerum indiscreta infantium cæde persequitur, annuntiatum cælitus Dominatoris ortum, insignior vbiq; fama loqueretur, quam promptiorem ad narrãdum diligentioremque faciebat, & supernæ significationis nouitas: & cruentissimi persecutoris impietas. Hæc Leo.

D. Leo.

Romam vsque stragis fama peruenit. Macrob.

Peruenit stragis huius fama Romam vsque, Macrobio teste, & ad ipsum vsque Augustum Imperatorem. Cùm audisset Augustus Cæsar, ait ille lib. 2. Saturnal. capite quarto, inter pueros, quos in Syria Herodes Rex Iudæorum intra bimatum iussit interfici, filium quoque eius occisum, ait; Melius est Herodis porcũ esse, quam filium: porcum enim Herodes non occidebat, eo quod Iudæorum ritus obseruaret, occidit autem filium. Fallebatur tamen Cæsar, cùm ita in Herodem iocatus est, quia infantiũ pro Christo occisorũ dignitatem ignorabat. Quocirca eius dictũ sic in illum possumus retorquere. Ais Auguste, melius esse Herodis porcũ, quàm filiũ esse; lõgè falleris opinione tua. Si enim

cum

cum innocẽtibus ille pro Christo occisus est, multo melius est Herodis esse filium, quam Augustum totius orbis moderatorẽ. Horum enim Innocentium mors, totam Augusti vitam, imperium, opes, gloriamque superauit. Quippe quæ Sanctorum Martyrum albo illos adscripsit, æternisque bonis cumulauit.

Innocentes martyres sunt. D. Cyprian.

Martyres autem esse Innocentes infantes, vt alios omittam, docet Cyprianus epistola 56. ad Thibaritanos; Christi, inquit, natiuitas à martyriis infantium cœpit, vt ob nomen eius à bimatu, & infrà qui fuerant necarentur. Aetas necdum habilis ad pugnam, idonea extitit ad coronam, vt appareret innocentes esse, qui propter Christum necantur, infantia innocens ob nomen eius occisa est. *D. Chrysol.* Chrysologus sermone quarto. Infantia passionis ignara, martyrij palmas rapuit, & coronas. Verè isti sunt gratiæ martyres, cõfitentur tacentes, nescientes pugnant, vincunt inscij, moriuntur inconscij, ignari tollunt palmas, coronas rapiunt ignorantes, &c. *D. Fulgent.* Diuus Fulgentius in sermone de Epiphania; Infantes facti sunt martyres, quando per gratiam Christi pro eo meruerunt mori priusquam eum possent coram hominibus confiteri. *Origenes.* Origenes homilia 3. in diuersos; Infantium, inquit, horum memoria, semper vt dignum est, in Ecclesiis celebratur secundum integrum ordinem sanctorum, vt primorum Martyrum, pro Domino occisorum. Et vt ipsa Bethlehem primitias Domino Martyrum, in qua natus est ipse Saluator, obtulisse videatur. Item: Bene, & secundùm voluntatem Dei, infantium memoriam sancti Patres celebrari mandauerunt sempiternam in Ecclesiis, velut pro Domino morientium, &c.

D. Thom. Nonnulli, vt D. Thomas refert, secunda secundæ, quæst. 124. artic. 1. existimarunt per miraculum donatos fuisse vsu rationis, ne martyrio voluntas deesset, caret tamẽ probabilitate hæc existimatio. *Non habuerunt rationis vsum innocentes.* Etenim, vt Diuus Thomas affirmat, martyrij gloriam, quam in aliis propria voluntas meretur, infantes occisi per Dei gratiam sunt consecuti. Nam effusio sanguinis propter Christum, Baptismi vicem gerit. Vnde sicut in pueris baptizatis, per gratiam baptismalem, meritum Christi operatur ad gloriam obtinẽdam, ita & in occisis propter Christum, meritũ martyrij operatur ad palmam martyrij consequendam. *D. Bernar.* Hæc ille. Hinc illud D. Bernardi in sermone de Innocentibus. Ille pro Christo trucidatos infantes dubitet inter Martyres coronari, qui regeneratos in Christo, non credit inter adoptionis filios numerari, &c. *D. Cyprian.* Rectè Cyprianus (siue quisquis alius est autor, de stella & Magis) infantes cruore lacteo lotos esse, & baptizatos dixit. Cruore, inquit, lacteo loti, primitias baptismi martyrio cõsecrarunt, tradentes posteris formam, vbi necessitatis articulus excluserit moram, non minus ad lauacrum animæ sanguinem efficacem, quam sanctificatas verbis solennibus aquas. Maximè cùm nec sanguis hoc elemẽto careat, sed aquarum motu per totum corporis alueum fluat. Spiritus verò Sanctus & aquis, & sanguini superfertur, qui subiectos sibi fouet & abluit quo baptizante, idem occisio, quod mersio operatur, &c.

Matth. 2. *Herodes* (ait Euangelista) *iratus est valde.* Iratus valde, infantibus profuit valde. Etenim in ardente illius ira, ardente veluti in fornace, rutilantes martyribus coronas *D. Fulgent.* diuina manus fabricauit. D. Fulgentius in serm. de Epiphania; Per sæuitiam Herodis, facti sunt Martyres, qui per infantiam suam *D. August.* fuerant innocentes, &c. Augustinus serm. 3. Nunquam Herodes paruulis tantum prodesse potuisset obsequio, quantum profuit odio. Iud. 4. *Ex ore leo-*

A *nis mellis fauum dulcissimum extulit Samson*, ex ore leonis sæuissimi Herodis dulciorem fauum extulit Christus, nempe infantes melle dulciores. Ecce os leonis, ecce præceptum ore prolatum, *Mittens* (ait Euangelista) *occidit omnes pueros*, &c. Leo, vt scribit Plinius libro octauo, capite decimo sexto, in infantes non nisi magna fame sæuit. Leo Herodes, quanam fame est stimulatus, cùm in tot infantes sæuiit? Magna fuit regnandi fames, quæ tot infantes inuasit: magna sceptri sitis, quæ tot puerorum sanguinem fudit. *Iud. 4. Ex ore leonis fauũ nostier Samson. Matth. 2. Plinius.*

Fruere securus regno tuo Herodes, fruere: non eripit mortalia, qui regna dat cælestia. Nam (vt est in prouerbio) *Mures negligit Elephantus*, minima verò
B hæc terrarum regna negligit Christus. Si regnum vis perdere, Christum perde, si regnum vis retinere, Christum retine. Non recipit vnum regnum Reges duos, quemadmodum nec mũdus hic duos recipit Soles, nec vnum cubile duos lepores, nec vna arbor duos erythacos: at omne regnum capit simul cum Rege suo Regem Messiam, qui regna, quibus excipitur, Regibus non eripit, sed conseruat. Vt capit cælum altra multa, simulque Solem, à quo illuminentur: ita capit mundus regna multa, astrorum instar, regemque Regum Christum, instar Solis, à quo lucem recipiant.

Apum Rex vel aculeo caret, vel illum ad pungendum minimè exerit. O sæuissime non apum,
C sed vesparum Rex Herodes, cur tenerrimæ carni, veneno infectum aculeum infixisti, paruosque in ipsis matrum vberibus, vespa crudelis occidisti? *Pueros Elisæum vatem irridentes, vrsi duo laceraruut.* Vrsi pueros dilaniarunt nocentes, tu verò crudelior vrsis, pueros trucidasti innocentes. Quid meruere pueri infantes sine fraude doloque? Numquid infantium exercitus aduersum regnum tuum pugnaturus, aciem instruebat, hastas vibrabat, gladios exerebat, arcus tendebat, sagittas iaculabatur? Infantes times meticulose Herodes? cum infantibus pugnas imbecillis? infantes cædis crudelis? Crudelitatis refers triumphum, sæuitiæ palmam ducis, immanitatis victoriam reportas. Glo-
D riæ verò triumphum, honoris palmam, martyrij victoriam illis præbes. Si timebas viuos, magis time mortuos, nam infantes erant viui, vsu rationis viribusque carebãt: at mortui iam sunt viri, vsum iam rationis habent præcellentissimum, viribusque pollent, & quidem maximis & immortalibus. Si regno tuo exercitus mortuus bellum inferat, non poterit resistere viuus: mortuus exercitus viuum neci dabit. Sed sanguinis pœnas nolunt expetere, & si iram tuam sunt execrati, gratias tamen agunt, quòd per illam martyrij coronam sunt consecuti. *4. Reg. 2.*

Nobiles Elephantes minus validas feras inuadere recusant, imbecilles pecudes occurrentes, ne
E proterant manu dimouent, si feri sunt, ex arietis conspectu cicurantur, vt tradit Valerianus Pierius libr. 2. At immanis Herodes inualidos infantes inuadit, imbelles puerulos proterit, tot agnorum conspectu, ferus minimè cicuratur. Hæc est illa Messiæ adoratio? Dicebat impius; *Vt & ego veniens adorem eum*. Vulpes tunc erat, callida vulpes tartarea quadam metamorphosi in lupum immanem transmutata est, dum vulpes erat, vulpinabatur, & adorationem simulabat, iam lupus, rabido fremit ore, innocentes agnos iugulat. Nescio qui deprehenderunt, (vt scribit Pierius libro 10.) carnes lupinis dentibus laniatas, dulciores esse, ita hi innocentes agni lupinis Herodis dentibus lacerati, multo dulciores fuere, suauissimumque conuiuium infanti Christo exhibuere. *Pierius.* *Herodes ex vulpe lupus.*

Cant. 2. Innocentes flores.

Flores apparuerunt in terra nostra, vt dicitur, verno illo tempore, quo Deus incarnatus, in mundum venit. En flores, quos tellus Bethlehemitica protulit, veri Solis radijs tepefacta. Flores enim appellantur hi infantes. *Saluete flores martyrum* (ait Prudentius in Hymno ab Ecclesia recepto) *quos lucis ipso in limine, Christi insecutor sustulit, ceu turbo nascentes rosas.* Eo verò suauiorem odorem hi flores exhalarunt, quo vehementiori Herodis turbine sunt collecti. Gladio resectæ purpureæ hæ rosæ, suauius redolent, hæ violæ, quas, vt ait Augustinus, persecutionis quædam veluti pruina decoxit, sic decoctę cœlum terramque oblectant magis. Augustinus serm. 3. de Innoc. Iure, ait, innocentes, dicuntur martyrum flores, quos in medio frigore infidelitatis exortos, velut primas erumpentes Ecclesiæ gemmas, quędā persecutionis pruina decoxit, &c.

Prudentius.

D. August.

Constantin. Mag. ex infantium sanguine balneum sibi parari iussit antequā Christianus esset.

Olim Constantinus Magnus lepræ curandæ causa sibi ex infantium sanguine, medicorum consilio, balneum iussit præparari. Parabatur infantium strages, Herodianæ similis. Quemadmodum ex botris prælo vinum exprimitur, ita ex infantium corporibus sanguis ad fouendum imperatoris leprosum corpus, cultris erat exprimendus. Ne vnū periret corpus, multa erant corpora peritura, vt lepra vnius sanaretur, multorū cruor erat fundēdus. Verū ab innocentibus imminentē cædem, sancti Apostoli Petrus, Paulusque depulerunt, potentioris sanguinis balneum, nempe baptismum imperatori indicarunt, quo ablutus, ab vtraque animi corporisque lepra protinus est liberatus. At nunc patitur Christus innocentes occidi, cædem non pellit, immanissimam feram Herodem non coërcet. Cur ita? Quia scit Deus, ex malis bona elicere, ex ore leonis fauum tollere, ex amarissima arbore dulcissimos fructus decerpere. Diuus Fulgentius serm. de Epipha. Christus, inquit, hoc ordinauit, hoc egit, vt per Herodis inuidiā furiosam, pueri mortem susciperent pretiosam, & quod eis ad salutem suam præstare non posset amicus, hoc faceret inimicus. Ad hoc permisit Herodem infantes occidere, vt illos de Herode faceret triumphare, &c. Diuus Chrysologus serm. 3. de Innocentibus; Christus non despexit suos milites; sed prouexit, quibus dedit ante triumphare quàm viuere, quos fecit capere sine concertatione victoriam, quos donauit coronis antequam membris, quos voluit virtutibus vitia præterire, &c. Autor tractatus de stella, & Magis D. Cypriano attributi, Sanctorum, ait, persecutionibus tyrannus crudelis illuditur, qui dum putat perdere; quos occidit, melioris vitæ statum eis procurat, & quod ille in perditionem molitur, hi vtuntur pro beneficio. quibus lucra vitæ perpetuæ, per hæc momentanea damna celeri compendio acquiruntur.

D. Fulgentius.

Cur Deus infantes occidi permiserit.

D. Chrysol.

Cypriam.

D. August.

Diuus Augustinus lib. 2. de symbolo ad Catech. cap. 5. aliam reddit causam huius diuinæ permissionis videlicet, permisisse Deum occidi filios, propter patrum in Christum pietatem. Vindica (ait Augustinus Christum alloquens) in eos, qui te paruulum persequuntur, paruuli ipsorum, pro te moriantur, si ipsi in te crudeles existunt, paruuli ipsorum pro te moriātur, ij qui te volunt innocentem occidi, hoceis proueniat, vt suos paruulos ab eis facias separari. Lugeatis licet Iudæi, & plagatis filios vestros, non illi moriūtur, quia à vita suscipiuntur. Vobis irrogatur pœna orbitatis, cærerū illis gloria offertur immortalitatis, nuntiatis Herodi vbi occidendus inueniri potest filius Dei, sed ille filios vestros occidens pro filio Dei, & vos orbitatis pœna nesciens punit, tanquam proditores, & filios vestros Dei fecit hæredes. Sic vos irridebat qui habitans in cœlo, iacebat in terra, sic furias, vestras regisq; vestri subsannabat, quando mala vestra in vos retorquebat, & de malis vestris multa illa bona faciebat. Hactenus Augustinus.

Opinio Augustini.

O quam fuere à donis Magorum, dona Herodis discrepantia. Reges Ethnicorum obtulere Christo aurum, Rex Iudæorum Herodes obtulit ferrum, id est, gladios, quibus innocentes interemit. Videlicet, adumbrabat Iudæā gentem Herodes, adumbrabāt Ethnicos Magi: ferrea fuit Messiæ Regi maxima ex parte gens propria, aurea fuit aliena. Ab splendido Oriente venere, luce cœlesti illustrati Magi ad adorandum; ab obscuro occidente venit cæcus Herodes ad occidendum. Cœlum in oriente Christum demonstrauit, vt quęreretur, & adoraretur. cæcus Herodes (ait Chrysol. serm. 3.) Christum quærit gladijs, inuestigat cruore, crudelitate rimatur. D. August. lib. 2. de symbolo, ad Catechumenos cap. 5. Quæritur, inquit, in mundo fabricator mundi, ad hoc autem quærebatur, non vt agnosceretur, sed vt occideretur. O Iudæorum terra impia, non congruis cœlo; cœlum demonstrat, vt adoretur; tu quæris, vt infans necetur. Expecta paululum, ad hoc venit, vt tuam pessimam impleat voluntatem, sed sustine, vt suam ipse colligat hæreditatem, &c. In cunabulis non vult Christus mori, ad ætatem virilem vult peruenire, vt doctrina & exemplo homines doceat, Apostolos instruat, & diabolum non in cunabulis occulto conflictu, sed in monte Caluariæ publico ante omnium oculos certamine vincat. Vt enim ait Chrysol. serm. 1. Vult in aperto vincere, qui publicam ex hoste cupit referre victoriam, occultum se non patitur inire conflictum, qui mandare suum sæculis vult triumphum, secreta victoria, virtusque latens, exemplum posteris non reliquunt, &c. Herodiana ira instar tempestatis breui prēterijt tempore, redijt tranquillitas Herode vita functo, redijt in patriam Christus. Discessit è vita truculentus lupus, reuersus est in florida pascua mitis agnus, id est, in Nazareth, cuius nomen florem sonat.

Diuersa fuere Magorū, & Herodis dona.

Chrysolog.

D. August.

D. Chrysol.

CAPVT XIV.

De manifestatione Christi in templo Ierosolymitano cùm duodecim esset annorum.

LVCAS CAPITE II.

ET ibant parentes eius per omnes annos in Ierusalem, in die solenni Paschæ. Et cùm factus esset annorum duodecim, ascendentibus illis Ierosolymam, secundùm consuetudinem diei festi, consummatisque diebus, cùm redirent; remansit puer IESVS in Ierusalem, & non cognouerunt parentes eius. Existimantes autem illum esse in comitatu, venerunt iter diei, & requirebant eum inter cognatos, & notos. Et non inuenientes, regressi sunt in Ierusalem, requirentes eum. Et factum est, post triduum inuenerunt illum in templo sedentem in medio doctorum, audientem illos, & interrogantem eos. Stupebant autem omnes qui eum audiebant super prudétia & responsis eius. Et vidétes admirati sunt. Et dixit mater eius ad illum, Fili, quid feciſti nobis sic? ecce pater tuus, & ego, dolentes quærebamus te. Et ait ad illos: Quid est, quòd me quærebatis? nesciebatis, quia in his, quæ patris mei sunt, oportét me esse? Et ipsi non intellexerunt verbum, quod locutus est ad eos. Et descendit cum eis, & venit in Nazareth, & erat subditus illis. Et mater eius conseruabat omnia verba hæc, in corde suo. Et IESVS proficiebat sapientia, & ætate, & gratia apud Deum, & homines.

EX Ægypto reuersa est Deipara Virgo in Galilæam, habitauitque in ciuitate Nazareth, vnde Christus Nazarenus, vel Nazaræus appellatur. In Nazareth habitans magnus puer, *crescebat*, (ait Diuus Lucas) *ætate, & confortabatur plenus sapientia, & gratia Dei erat in illo.* Cùm verò duodecimum ætatis attigisset annum, paschaleque acturus festum, Ierosolymam cum Matre, & Iosepho, venisset, doctorum petiit gymnàsium, diuinoque in pectore latentis sapientiæ, summa cum omnium admiratione, quosdam quasi radios veluti Sol ex nube foras emisit. Quæsitus à Matre, & Iosepho, post triduum inter doctores repertus, domum rediit, illisque se præbuit obedientissimum.

Luc. 2.

IBANT *parentes eius per omnes annos, in Ierusalē in die solemni Paschæ.* Exod. 23. præceptū exstat huiusmodi; *Ter in anno apparebit omne masculinum tuum, coram Deo tuo.* Et, *Tribus vicibus per annum, apparebit omne masculinū tuum, in conspectu Domini, in loco, quem elegerit, in solennitate azymorum*, id est, in paschate, *& in solennitate hebdomadarum*, id est, in Pentecoste, *& solennitate tabernaculorum*. Ter ergò singulis annis, Iudæi hoc præcepto obstricti Ierosolymam petebant, in qua templum erat vnicum toto regno. Primò, vt pascha agerent, deindè vt Pentecosten, tandem, vt Scenopegiam, vel tabernaculorum festum celebrarent. Fœminas præceptum minimè complectitur, cùm de maribus solùm sermo sit, liberum erat illis manere domi. Intemerata tamen Virgo non manebat domi, sed singulis annis, cum Iosepho ad agendum paschale festum, Ierosolymam venire solebat, è ciuitate Nazareth, quæ, vt Borchardus ait, 27. leucarum spatio distat.

Ibid. Exod. 23. Deut. 16.

Ter annis singulis, Iudæi Ierosolymam veniebant.

Suboritur forsitan tibi dubitatio huiusmodi. Numquid omnes viri ciuitates deserebāt, & fœminis plenas, hostibus diripiendas relinquebant? Respondet Dominus dubitationi? his verbis, *Cùm tulero gentes à facie tua, & dilatauero terminos tuos, nullus insidiabitur terræ tuæ, ascendente te, & apparente in conspectu Domini Dei tui, ter in anno.* vult intelligi (ait Augustinus quæst. 161. in Exodum) vt securus quisque ascendat, nec de terra sua solicitus sit, Deo promittente custodiam. &c. Curabant diuina Israëlitæ, Deus curabat humana: si diuina neglexerimus, Deus nostra humana negliget, si præceptorum fuerimus obseruatores, Deus vrbes, regnumque custodiet.

Exod. 34.

D. Augustin.

Curemus diuina, Deus curabit humana.

Exod. 23. Pauperibus cùm templū ingredimur eleemosyna tribuenda. D. Chrysost.

Memor præterea esto, illorū verborum, *Non apparebis in conspectu meo vacuus*, & intelliges solitos fuisse Israelitas his diebus, munera Deo in tēplo offerre. Christianos quoque par est, coram Deo vacuos non apparere, cumque in templum veniunt astantibus pauperibus offerre aliquid. Lege Chrysostomum homil. 1. in epist. 2. ad Timotheum, Iudæis, inquit, ista dicebantur, quantò magis nobis. Idcircò nempe pauperes ante fores templi adstant, vt nemo vacuus ingrediatur, vt misericordia comite securus introeat. Intras templum, vt misericordiam consequaris, prior ipse miserere, &c.

CONSVMMATISQVE *diebus.* Paschale festum, siue azymorum septem dies complebatur. primus, & septimus erant celebres, ab omnique opere seruili alieni, reliqui quinque profesti, *Septem diebus azyma comedetis, dies primus erit vobis celeberrimus, sanctusque, omne opus seruile non facietis in eo, sed offeretis sacrificium in igne Domino, septem diebus, dies autem septimus erit celebrior, & sanctior*, &c. Septem his diebus exactis, Deipara, & Ioseph, domum rediere, Christus verò annos agens duodecim Ierosolymis remansit.

Luc. 2.

Leuit. 23.

Origenes homil. 19. in Lucam, arbitratur inuisibilem se præbuisse, vt insciis Virgine, & Iosepho remaneret. Id verò non fuit opus. Existimandum potius est, Christum puerum, ad aliquos consanguineos, vel notos diuertisse, cum quibus Virgo, & Ioseph, illum redire arbitrati sunt, iuxta illud Euangelistæ; *Existimantes illum esse in comitatu*, scilicet, consanguineorum, vel vicinorum, quibus illius conspectus erat iucundissimus. Beda scribit, Israëlitis fuisse morem vt temporibus festis, Ierosolymam confluentes, & indè redeuntes seorsum viri, seorsum fœminæ choros ducentes incederent. Pueri verò vel patrem comitarentur, vel matrem. Ideoque Deiparam existimasse, Christum cum Iose-

Origenes. Quomodo Christus insciis Deipara Virgine, Ierosolymis manserit.

Beda.

Ioſepho redire; Ioſephum contra, ſibi perſuaſiſſe, matrem potius fuiſſe ſecutum. Vnde nam hic mos à Beda colligatur, non conſtat. Certè in templo peculiare erat fœminis atrium, diſtinctũ ab atrio virorum, fœminæ ſeorſum à viris plangere leguntur. *Familiæ, inquit, & familiæ ſeorſum, & mulieres eorum ſeorſum*, &c. Veriſimile ergo eſt, cùm templum petebant, ſeorſum etiam à fœminis viros iter feciſſe. Itaque diei vnius iter verſus. Nazareth, abſque Magno puero Deipara, & Ioſeph fecerunt, veſperi illum deſiderarunt. Inter cognatos, & notos quęſitum, cùm non reperiſſent, die ſecundo ex itinere, quo Nazaretham tendebant, Ieroſolymam regreſſi ſunt, poſt triduum verò in templo, quem quærebant, ſummo gaudio inuenerunt.

Bach. 12.

Luca 2. EXISTIMANTES *illum eſſe in comitatu.* Deipara ab Ieroſolymis, abſque Magno puero diſceſſit, verſus Nazaretham. Cur ſine illo diſceſſerit rationem Euangeliſta reddit, quia ſcilicet exiſtimabat illum eſſe in comitatu. Is enim erat Chriſti mos, vt cum vicinis & notis, ſæpè verſaretur. Exiſtit hoc loco dubium, num hac exiſtimatione Virgo ſit decepta? fuit enim exiſtimatio falſa: exiſtimabat Chriſtum eſſe in comitatu, at ille erat Ieroſolymis in templo. Deceptam arbitratur Cordubenſis libro primo Theologicarum quæſtionum, quæſt. 46. At Maior Luc. 2. Mihi, inquit, altius rimanti, viſum eſt abſonum à vera pietate, admittere vllum errorem etiam ſpeculatiuum, in Dei genitricem cadere. Hanc ſententiam ſequitur Soares 3. par. quæſt. 7. artic. 4. diſputat. 18. & Medina quæſt. 30. artic. 1. In eandem ob eam, quam Magnæ matri debeo pietatem, & honorem, diſcedo, & ex ſtatu innocentiæ petito argumento confirmo. Communis opinio eſt, Diui Thomæ 1. par. quæſt. 94. art. 4. & de veritate quæſt. 16. art. 6. D. Bonauenturæ 2. dialog. 23. quæſt. 2. Durandi, & aliorum doctorũ, eadem diſtinctione, primos parentes ſtatu innocentię permanente, non potuiſſe decipi. Idque docet Diuus Auguſtinus lib. 3. de libero arbitrio cap. 18. his verbis; Approbare vera pro falſis, non eſt natura inſtituti hominis, ſed pœna damnati. Data eſt hæc perfectio mentis primis parentibus, cur ergo non daretur Virgini, quam maximè decebat? Item, vt Auguſtinus ait, deceptio eſt pœna hominis per peccatum damnati, id eſt, puniti, ergo cùm Virgo culpam originalem non contraxerit, veriſimile eſt, hanc pœnam mentis non contraxiſſe. Præterea, vt nullum habuit actum appetitus, vel voluntatis inordinatum, ita veriſimile eſt, nullum habuiſſe actum intellectus, à recto iudicio alienum. Quomodo igitur exiſtimauit falſo eſſe Chriſtũ in comitatu? Rupertus lib. 1. in Cantica, ſignificat, Virginem nouiſſe, vbi tunc temporis Chriſtus eſſet, neque ipſa exiſtimaſſe illum eſſe in comitatu. Sed ſi id voluit, in ſenſu literali intelligendum, non ſenſit rectè, apertè enim Euangeliſta aliud docet. Id ergo exiſtimaſſe Deiparam fateor, id eſt, ſine aſſenſu firmo, & iudicio aberrante à veritate, hoc ex probabilibus coniecturis & rationibus collegiſſe, veriſimile eſt, Dominum eſſe in comitatu, hoc verò non eſt decipi, ſed verè iudicare. Non enim decipitur, qui probabilibus rationibus ductus probabiliter aliquid exiſtimat, abſque firmo aſſenſu.

An Virgo fuerit exiſtimatione ſua decepta?

Cordubenſ.

Maior.

Soares. Medina.

D. Thom. D. Bonau. Durandus.

D. Auguſt.

Rupertus.

Luca 2. POST *triduum inuenerunt illum.* Tres ſenſus his verbis inſunt. Primus eſt, *regreſſi ſunt in Ieruſalem, requirentes eum*, & poſtquàm peruenerunt in Ieruſalem, poſt tres dies puerum ſanctiſſimum repererunt, hoc ſenſu numerantur hi tres dies, poſtquàm Virgo, & Ioſeph in Ieruſalem ingreſſi ſunt: atque, adeò ſi duobus, quos in itinere exegerunt adiungantur, poſt quinque dies iuxta hanc interpretationem Chriſtus inuentus eſt. Sed caret autore. Non ea eſt interpretum mens, alitet enim numerant hos dies tres, videlicet ab amiſſione Magni pueri.

Tres ſenſus verborum.

Secundus ſenſus eſt Euthymij. Vnum, inquit, diem conſumpſerunt, quando, *venerunt itinere diei, & requirebant illum inter cognatos, & notos*, alterum, quando non inuento eo reuerſi ſunt in Ieruſalem, quærentes illum, circiter tertium verò, tandem illum inuenerunt. In gloſſa quoque ordinaria hæc habentur; Vna die reuerſi ſunt ab Ieruſalem, ſecunda die quærunt inter cognatos, & non inuenientes, tertia die regreſſi in Ieruſalem, inueniunt. Similiter Cardinalis Caietanus; Non poſt diem tertium, ait, illum inuenerunt, ſed poſt ternarium numerum dierum, tertio die manè, hora ſcilicet, qua doctores reſidebant docendo, &c. Hunc eundem ſenſum ſequitur Ianſenius. Non intelligunt hi doctores inuentum Chriſtum poſt triduum, id eſt, iam finitis tribus diebus, ſed poſt triduum, hoc eſt, cùm iam tertius dies adueniſſet, & tertio ipſo die. Eodem modo ſuprà dicitur Chriſtus circumciſus, *poſtquam conſummati ſunt dies octo*, hoc eſt, die octauo. Veriſimilior eſt hic ſecundus ſenſus, ſignificat enim Euangeliſta Chriſtum inuentum poſt triduum, id eſt, poſtquam triduò eſt quæſitus, vel poſt triduum inueſtigationis, ſeu in fine ipſius tridui.

Euthym.

Gloſſa ord.

Caietanus.

Ianſenius.

Chriſtus ſit ne inuentus tertia an 4. die.

Nec caret probabilitate ſenſus tertius Lyrani, qui poſt triduum, id eſt, finitis tribus diebus, quarta die Chriſtum putat repertum. Scribit ille Deiparam, & Ioſephum iter diei vnius verſus Nazareth feciſſe, ſecunda verò die Chriſtum in comitatu quæſiuiſſe, tertiò Ieroſolymam rediiſſe, quarto Chriſtum inueniſſe, id eſt, poſt triduum. Eodem modo dies hos numerant Carthuſianus Dionyſius, & Ludolphus, & quarta die Chriſtum repertum exiſtimãt. Sylueſter quoque in roſa aurea poſt triduum, id eſt, quarta die iuuẽtum interpretatur.

Lyranus.

Dion. Carthuſian. Ludolph. Sylueſter.

INVENERVNT *illum in templo ſedentem in medio doctorum*. De templo Ieroſolymitano tomo 2. Deo votis aſpirante agemus. Nunc quonam in loco doctores hi in templo docerent, eſt dicendum. D. Antoninus p. p. tit. 5. cap. 1. §. 5. ſcribit, doctores in portico templi docuiſſe. Montanus verò in apparatu, iuxta portam templi orientalem academiam fuiſſe indicat his verbis; In porta templi ſecundi orientali, locus fuiſſe commemoratur, in quo ſummi legis magiſtri, & interpretes docebant, atque vnus ex eis præcipuus, Gamaliel. Hæc ille. Erat igitur Academia Iudaica in templo, hoc eſt, in templi atrio iuxta portam Orientalem. Nam templum etiam dicitur quodlibet templi atrium. De hac Academia videtur intelligendus Paulus cùm ait; *Neque in templo inuenerunt me cum aliquo diſputantem*, id eſt, in Academia, quæ in atrio templi erat, quamuis non negarim etiam in alijs templi locis, vt in ipſis atrijs & porticibus, potuiſſe diſputare Paulum, in quibus Chriſtus Optimus Maximus in virili ætate concionabatur.

Luca 2.

D. Anton. Quonam loco doctores in templo docerẽt. Montan.

Actor. 24.

Diuus Ambroſius 1. Corinthios 14. cuiuſdam meminit traditionis ſynagogæ, quæ ad hunc ſpectat locum: Hæc, inquit, traditio ſynagogæ eſt, vt ſedentes diſputent ſeniores dignitate in cathedris, ſequentes in ſubſellijs, nouiſſimi in pauimento ſuper mattas: Hæc ille. Doctores ergo cùm diſputabant in Cathedris, inferiores alij in ſubſellijs, nouiſſimi ſuper mattas, hoc eſt, ſtoreas humi ſtratas, ſedebant. Sedebant, inquam, ad pedes magiſtrorum, ſiue doctorum. Hunc enim fuiſſe diſcipulorum [illegible] colligimus

D. Ambroſ.

Quo loco ſederit Dominus in templo.

Act. 22. ex verbis illis Pauli, *Nutritus ſum in iſta ciuitate*, id eſt, Ieruſalem, *ſecus pedes Gamalielis eruditus, iuxta veritatem paternæ legis.* Secus pedes Gamalielis, ſe doctum ait Paulus, quia humi iuxta pedes præceptoris, cum reliquis diſcipulis ſedebat. Hûc morem ſecuta eſt *Luc. 10.* Magdalena de qua ſcribitur; *Sedens ſecus pedes Domini,* *Philo.* *audiebat verbum illius.* Et Eſſeni, de quibus Philo in libro; Quòd omnis probus ſit liber; Quoties, inquit, ſynagogas adeunt, pro ætatis ordine, iuniores ad ſeniorum pedes conſidunt, & ad audiendũ ſe componunt, &c. Hinc fit Chriſtum puerum, cùm nec ex doctoribus eſſet, nec aliis inferioribus, quorum ſubſellia ſedes erant, pro ſua humilitate ſingulari humi ſuper ſtoream, ſiue mattam conſediſſe. Obiicies Euangeliſtæ verba; *Luc. 2.* *Inuenerunt illum in templo ſedentem in medio doctorum.* Ergo non humi, ſed in medio doctorum, in ſubſellio, vel cathedra ſedebat? Reſpondemus, ſediſſe quidem in medio doctorum, id eſt, inter doctores, ſed humi vt diſcipulum, qui omnium erat doctorum doctor. Do- *Qui dicantur doctores* ctores verò hoc loco dicuntur, græcè à Diuo Luca διδάσκαλοι, id eſt, præceptores, vel magiſtri, qui in Academia templi docebant.

Luc. 2. AVDIENTEM *illos, & interrogantem eos.* Multi in eundem locum conuenerant doctores, multos enim fuiſſe docet Euangelium, non vnum aliquem, cuius gymnaſium Magnus puer fuerit ad audiendum ingreſſus. Conuenerat autem ad diſputandum de diuina lege, & ſcripturis ſacris: huiuſmodi diſputationibus doctorum maximus doctor Chriſtus intereſſe voluit, & doctrinæ ſuæ primum hominibus in tenera ætate ſpecimen prębere. Audiuit in primis doctores ex cathedris diſſerentes, deindè ex auditis quæſtiones excitauit, *An Chriſtus differẽtes doctores interpellarit.* ipſiſque ipſe, ô rem ſtupendam, humi cum diſcipulis ſedens propoſuit. Sed dices nunquid Chriſtus diſſerentes interpellauit doctores? Reſpondeo in more fuiſſe poſitum, vt qui humi ſedebant diſſerentes doctores & audirent, & interrogarent; atque etiam reſponderent. Colligitur hic mos ex *D. Ambroſ.* Ambroſio 1. Corinth. cap. 14. Hæc, inquit, traditio ſynagogæ eſt, quam nos vult ſectari Diuus Paulus, quia Chriſtianis ſcribit, ſed ex gentibus factis, non ex Iudæis: vt ſedentes diſputent ſeniores dignitate in cathedris, ſequentes in ſubſelliis, nouiſſimi in pauimento ſuper mattas. Quibus ſi reuelatum fuit, dandum locum dicendi præcipit, nec deſpiciendos, quia membra corporis ſunt, &c. Itaque etiam ijs, qui ſuper mattas ſedebant, dicendi dabatur locus in Eccleſia, ex more, vt videtur, ſynagogæ. Non mirum igitur, quòd in medio doctorum locutus ſit Chriſtus. Sed mirum, quòd in tenera illa ætate locutus ſit, admirabile quòd puer ſapientiſſimè dixerit. Sed mirari hoc deſinet, qui in diuinitatem pueri mentis oculos coniecerit, illud ſtupebit, quòd, qui ſedet ſuper Cherubim, ſumma cum animi ſubmiſſione, inter nouiſſimos ſederit humi, ſuper ſtoream. Dubitabis an tribus illis diebus, Chriſtus cum doctoribus diſputarit, an ſolùm extremo? Incerta res eſt, neque verò caret probabilitate tribus diebus diſputaſſe, propterea enim Ieroſolymis manſit, vt id faceret. Quorſum ergò in diem tertium diſtuliſſet?

Luc. 2. STVPEBANT *autem omnes, qui eum audiebant.* Res erat ſtupore digna, puer admirabili ſapientia in tenera ætate præcellens, in reliquis pueris duodecim annorum ætas eſt inſipiens, in Chriſto erat ſapientiſſima. Etenim aliorum ſapientia hominum ex ætate pendet, cuius progreſſu in dies incrementa ſuſcipit, ſapientia verò Chriſti beata, infuſa, atque diuina, neque ex ætate pendebat, neque ætate creſcente creſcebat. Stupebant ergo meritò omnes auditores, ſuper prudentia, & reſponſis eius, quis enim eſſet ignorabant. Stupor, & admiratio ex ignoratione oritur cauſæ. Videt ruſticus ſolis eclipſim, & ſtupeſcit, quia cauſam neſcit, videt aſtrologus & non miratur, quia cauſam ſæpè ſcrutatur. Ignorabant illi, quæ cauſa eſſet, cur puer ſapientiſſimè loqueretur, ideò ſtupebant, nos ſcimus Chriſtum *Chriſtus Deus ſapiẽtia ipſa.* ipſiſſimam eſſe ſapientiam, ideò non miramur. Admiramur quidem infinitam ſapientiam, non tamen miramur, quod Deus, cuius ſapientia nullis circumſcribitur finibus, loquatur ſapientiſſimè, id enim diuinitas poſtulat. *diffuſa dicitur gratia* *Pſal. 44.* *in labiis* Chriſti: diffuſa quidem gratia erat, & diffuſa quoque ſapientia, & ſumma cum gratia loquebatur, & ſumma cum ſapientia. Ideo meritò ſtupebant auditores.

Sed quibuſnam de rebus ſermo fuit? Quantum coniectura aſſequi poſſum, de Meſſiæ aduentu optatiſſimo ſermo habitus eſt. Iam veniſſe Meſſiam probauit Magnus puer ex ſcripturis, de regno quoque eius egit, de Paſſione ex capite 53. Iſaiæ, & vita. Hæc enim ſcientia illi tempori, & academiæ, erat maximè congrua. Felix academia, quæ talem, ac tantum meruit habere doctorem. Felices diſcipuli, ſua ſi bona, ſuum ſi doctorem cognouiſſent.

ET *videntes admirati ſunt, &c.* Quæ inopinata euẽ- *Luc. 2.* niunt, ea nobis admirationem pariunt. Illa Magni pueri cum doctoribus collocutio, tam Deiparæ, quàm Ioſepho inopinata accidit, ideoque videntes ſunt admirati. Nihil enim ſimile ad illam vſque ætatem fecerat. Chriſto reperto, magno exultarunt gaudio. Poſtquàm verò ſolutus eſt cœtus, admiranduſque puer à doctoribus eius ſapientiam obſtupeſcentibus dimiſſus eſt, ad matrem venit. Tum illa pluſquam ſeraphico amore inflammata; *Fili*, inquit, ipſa multò charior vita, *quid feciſti nobis ſic?* Cur nos deſeruiſti, cur nobis inſciis, à nobis diſceſſiſti, quorum totum bonum, totum gaudium es? *ecce pater tuus, & ego dolentes quærebamus te*, ecce dolentes vitam quærebamus noſtram, tenebris mœſtitiæ circumfuſi, ſolem quærebamus, qui noſtris ſe conſpectibus eripuerat, mœrore confecti gaudium quærebamus, quod à nobis diſceſſerat.

Patrem Deipara Ioſephum appellat, vt vocabat vulgus, eo quod pater erat hominum exiſtimatione, priori loco illum humiliter, & honorificè collocat, quamuis multò eſſet Deipara inferior. *Pater*, inquit, *tuus, & ego*, non ego, & pater tuus. Viros ſuos fœminæ ſibi debent præponere, eoſque magno honore afficere, id quod ſuadet Eccleſiæ ſummus paſtor Petrus, *Mulieres*, inquit, *1. Pet. 3.* *ſubditæ ſint viris ſuis, ſicut Sara obediuit Abrahæ, Dominum eum vocans*, &c. *Virgo Ioſephum ſibi anteponit. Pater tuus, & ego &c.*

Dolebat autem Virgo, non quòd putaret Chriſtum in cœlos forſitan aſcendiſſe, vt exiſtimat Orig. homil. 19. in Lucam his verbis; Quærebant, ne forte receſſiſſet ab eis, ne relinquens eos, ad alia tranſmigraſſet; & quod magis puto, ne reuertiſſet ad cœlos, cùm illi placuiſſet iterum deſcenſurus, &c. Sed dolebat, quia mater erat, & filij mater immenſo amore digni, quia ea inſcia, & nihil tale opinante diſceſſerat. Ex ſententia Diui Antonini loco ſuprà indicato, dolebat, quòd metueret, ne forte in manus Archelai Herodis filij, qui Ieroſolymis imperabat, deueniſſet, vel alia quapiam de cauſa, eam deſeruiſſet. *Cur Virgo dolebat. Origenes. D. Anton.*

QVID

Luce 2. QVID *est quòd me quærebatis*, &c. Matri sanctis- A
simæ cum dolore ipsum quærenti, Magnus
puer nequaquam blanditur, sed cum autoritate lo-
quitur, nempe diuina, vt ostendat se illius non so-
lum modo filium, sed etiam Deum esse, ac Domi-
num. Dei, ac Domini, hæc responsio est: Quorsum
me quærebatis, inter cognatos & notos? nescieba-
tis me oportere in iis versari & inueniri, quæ pa-
tris mei sunt? hoc est in templo, in quo, quæ patris
Ibid. mei sunt, aguntur? Vel, quorsum me quæreba tis?
nesciebatis, quod in iis, quæ Patris mei sunt, oportet me esse,
& non vobiscum semper? Nesciebatis oportere
me Patris negotium agere, ad quod missus sum,
vobis aliquando relictis? Aliter, *Quid est quod me quæ-
rebatis?* numquid ignorabatis, incumbere mihi re-
demptionis humanæ negotium, cui me operam
nauare oportet? Cogitare igitur potuistis me hoc
agere negotium: hacque cogitatione quiescere,
nec me quærere. Sed quid mirùm si nos hæc verba
non intelligamus, cùm neque Ioseph neque Vir-
go, vt ait Euangelista, illa tunc intellexerint cùm
prolata sunt.

Luce 2. ET *ipsi non intellexerunt*. Triplex est horum ver-
borum sensus, salua Deiparæ eximia sapien-
An intelle- tia. Primus, *ipsi non intellexerunt*, hoc est, doctores &
xerit Dei- reliqui, qui aderant, non intellexerunt Christi
para Virgo Christi verba, is mihi non omnino probatur, quoniam
verba? non congruit cum antecedentibus: non enim de
doctoribus, aut auditoribus, sed de Deipara, &
Iosepho, Euangelista loquebatur. De Deipara ergo
& Iosepho, locus est explanãdus. Secundus sensus,
Ipsi non intellexerunt per synecdochen, numeri
pro numero, hoc est, alter ex ipsis, scilicet Ioseph,
non intellexit. Tertius, Deipara, & Ioseph, non
intellexerunt Christi verba. Numquid non intel-
lexit Deipara Christum appellare Patrem Deum?
intellexit quidem appellare Patrem Deum, at non
intellexit tunc in quibusnam rebus Patris, illa æ-
tate oporteret Christum esse maximè, quoniam
amore inflammata, toto cordis impetu, in
Christum sublata est, nec satis quid ille diceret,
aduertit.

An sit con- Dubitabit hoc loco, num in virgine intemerata D
cedenda in aliqua ignorantia sit concedenda? Paucis respon-
Virgine in- deo, ignorantiam decipientem, vt iam suprà di-
temerata ximus, à Virgine sapientissima abfuisse. Ignoran-
ignorantia? tiam verò, quam puræ negationis appellant, ali-
quam illi tribuere necesse est, siquidem non co-
gnoscebat omnia, vt est exploratum. Ignoran-
tiam tamen priuatim illi minimè tribuimus, siqui-
dem scientia numquam caruit, quam præcellen-
tissimus illius status postulabat, ita vt priuata ali-
qua scientia, quæ inesse deberet, dici posset. Si
verò hoc loco non intellexit Christi verba, non
fuit ea inscitia priuatiua, sed negatiua tantum mo-
do, non enim debuit illa intelligere.

Luce 2. ET *erat subditus illis*. Multa gessit Christus puer,
multa ad virilem vsque ætatem dixit. Omnia
Spiritus diuinus his verbis concluso; *Erat subditus*
illis. Si roges, quid fecit Christus anno decimo ter-
tio, & decimo quarto ætatis? Respondet Lucas;
Erat subditus illis, quid fecit anno 20. 25. & cæteris,
Obedientia. vsque ad trigesimum? Respondet; Obediuit. Hoc
scire satis est, vt intelligamus hanc vnã esse Chri-
stiani, maximè verò religiosi, vitam, nempe obe-
dientiam. Præclarissimum sanè viri religiosi epi-
taphium est; Tota vita obediuit. Vel, Tota vita fuit
subditus illis, id est, superioribus. Hoc præclaris-
sima continentur gesta, triumphi, ac victoriæ.

CAPVT XV.

Proficiebat sapientia, & ætate, & gratia apud Deum & homines. Luce 2.

POSTQVAM repertus est in templo antiquissi-
mus puer, cum matre, & Iosepho, Nazaretham
redijt, in eaque ciuitate vitam egit, vnde Nazareni
nomen accepit. Neque vero otio vacauit, sed præ-
clara opera gessit, quibus & sapientiam, & gratiam
animo concluso, patefaciebat. Proficiebat, ait *Quomodo Christus creuerit*
Euangelista, ætate, & quidem verum ætatis incre-
mentum suscipiebat. Proficiebat item sapientia, *gratia & sapientia.*
B & gratia apud Deum, & homines: sapientiæ tamen
& gratiæ incrementum non ad habitus pertinuit,
sed ad effectus, siue actus, vt docet Diuus Thomas *D. Thom.*
tertia par. quæstione 7. articulo duodecimo. Quæ *D. Greg. Nazianz.*
sententia est etiam Gregorij Nazianzeni oratio-
ne vigesimo de laudibus Basilij; Proficiebat, in-
quit, Christus vt ætate, ita etiam sapientia, non
quod hæc in illo incrementum caperent (quid
enim eo, quod à principio perfectum erat, perfe-
ctius esse posset?) sed quòd hæc paulatim dete-
genretur & elucerẽt. Diuus Ioannes Damascenus *D. Damasc.*
libro tertio fidei capite vigesimo secundo, Profi-
cere sapientia, & ætate, & gratia, idcircò dicitur
Christus, quod ætate quidem crescret, per æta-
C tis autem incrementum, sapientiam eam, qua præ-
ditus erat in lucem proferret. D. Cyrillus Ioan. 1. *D. Cyrill.*
ca. 17. Nõ vt Deus profeciisse intelligitur Christus,
verùm quia magis eum indies homines admira-
bantur, illorum potiùs de Iesu opinio, quàm illius
perfecta crescebat gratia, vt magis indies cogno-
scentes, magis illum procedere, ac gratia crescere
arbitrarentur. Et in thesauro lib. 10. ca. 7. Cùm au-
dis Christum profeciisse in sapientia, & gratia, noli
putare quidquam ei additum esse, sed quia viden-
tibus & audientibus eum sapientiorem, gratiorem-
que indies se præbebat, ideò dicitur profeciisse, &c. *Theophyl.*
Theoph. Gratiam, inquit, habebat Christus apud
D Deum & homines, hoc est agebat ea, quæ Deo be-
neplacita erant, & quæ laudata ab hominibus, &c.
Athanasius orat. 4. contra Arianos; Augescente *D. Athanas.*
magnitudine corporis, vnà crescebat in eo diui-
nitatis manifestatio, &c.

Optime Bernardus homilia 2. super Missus est; *D. Bernar.*
Non fuit hora, ait, in quacunque ætate, qua de ple-
nitudine illa, quam in sui conceptione Christus
accepit in vtero, vel aliquid minueretur, vel ali-
quid eidem adiiceretur, sed à principio perfectus,
à principio, inquã, plenus fuit spiritu sapientiæ &
intellectus, spiritu consilij, & fortitudinis, spiritu
scientiæ & pietatis, & spiritu timoris Domini. Nec
te moueat, quod de illo legis; *Iesus autẽ proficiebat sa-*
pientia, & ætate, & gratia apud Deũ, & homines. Nã quod
de sapientia, & gratia hic dictum est, non secun-
E dùm quod erat, sed secundũ quod apparebat intel-
ligendum est. Nõ quia videlicet, aliquid ei nouum
accideret, quod antea non haberet, sed quod acci-
dere videretur, quando volebat ipse, vt videretur,
&c. Beda in homilia, tom. 7. Proficiebat Christus *Beda.*
sapientia, non quidem ipse sapientior ex tempo-
re existendo, qui à prima conceptionis hora spi-
ritu sapientiæ plenus permanebat, sed eandem,
qua plenus erat, sapientiam, cæteris ex tempo-
re paulatim demonstrando. Proficiebat gratia,
non ipse per accessum temporis accipiendo quod
non habebat, sed pandendo donum gratiæ,
quod habebat, &c. Titus Bostrorum antiquus *Titus.*
Episcopus; Eam Christus sensim progrediendo

notitiæ excellentiã oſtendebat, vt apud non paucos, exiſtimationem homine maiorem de ſe concitaſſet, quam etiam diuinitatis opinionem, pro ætatis ratione, & quantitate magis magisq; ſubinde confirmabat, clariusq; Patre ſic volente prodebat, &c. Theodor. in epitome diuinorum decretorum, capite, Quod Chriſtus ſuſceperit animã cum corpore; Iure, inquit, coniunxit Euangeliſta, cum ætatis augmento incrementũ ſapientiæ, pro menſura enim ætatis corporis, reuelabat diuina natura ſuam ſapientiam. D. Vincentius in ſermone infrà oct. Epiphan. ſimilitudine ex Sole ſumpta, hoc ita explanat; Chriſtus, ait, non profecit in ſapientia habitualiter, ſed effectualiter. Quia quanto magis creſcebat in corpore, tanto maiores effectus oſtendebat ſapientiæ. Exemplũ de Sole eſt, qui licet tantam claritatem habeat hora 1. quantam hora 3. habitualiter, & tantam hora 3. quantam in meridie. Tamen Sol effectualiter proficit in claritate, quia maiorem claritatem oſtendit hora tertia, quàm prima, & in meridie maiorem. Ita Chriſtus Sol iuſtitiæ, &c.

Theodoret.

Aliter verba hæc Lucæ explicantur de profectu experimentali, hoc pacto; Proficiebat Chriſtus ſapientia experimẽtali. Vnde Richardus Victorinus lib. 2. de Emmanuele cap. decimo octauo. Quemadmodum, inquit, ſecundùm Apoſtolum Chriſtus didicit ex ijs, quæ paſſus eſt, obediẽtiam, iuxta eundem modum profecit ad ſcientiam, profecit ad ſapientiam, &c. Etenim magis proficiebat Chriſtus acquiſita ſapientia abſque vllo magiſtro docente, quam cæteri omnes homines proficiant à mille doctoribus eruditi. Eandem ſententiam præ ſe ferunt verba Diui Ambroſij in libro de incarnationis dominicæ ſacramento, cap. 7. Si proficiebat ætate hominis Chriſtus, proficiebat ſapientia hominis. Et Euthymius; Tanquam puer, inquit, lege humanæ naturæ, paulatim ad hæc Chriſtus proficiebat, nam vt Deus omnino perfectus erat. Beda; Sicut carnis eſt ætate, ita animæ ſapientia proficere & gratia.

Richardus Vict. *D. Ambroſ.* *Euthym.* *Beda.*

Hæc interpretatio etſi de ſapientia Chriſti acquiſita vera ſit, tamen de gratia vera non eſt: Non enim Chriſtus gratia ita profecit, vt gratiæ habitus augeretur. Prætereà, cum in Chriſto ſit ſcientia diuina, beata, infuſa, acquiſita: infima eſt acquiſita. non ergo videtur Lucas huius tantam habuiſſe rationem cæteris prætermiſſis, vt in hac ſola Chriſtum profeciſſe ſcriberet. De omni ergo Chriſti ſapientia loquitur, quæ per opera foras prodibat. Vnde Caietanus Luc. 2. Chriſtus, inquit, proficiebat actibus ſapientiæ, procedendo de ſapientibus actibus ad ſapientiores. ſimiliter intellige de gratiæ profectu. Apud Deum & homines, quoniam erat in veritate progreſſus, ad ampliora merita apud Deum, & apparebant apud homines. Hæc ille. Itaque prior interpretatio præſtantior eſt.

Caietanus.

Tertia interpretatio, quam addit Damaſcenus loco indicato, non eſt litteralis. Ea eſt huiuſmodi; *Proficiebat ſapientia, & gratia*, non in ſe ſed in ſuis, quia hominum progreſſum in ſapientia, & gratia, ſuum eſſe ducebat. Quemadmodum ſi præceptor in diſcipulis proficientibus, proficere diceretur. Similiter Haymo; Quia perfectus erat Deus, non habebat, quo proficeret in ſeipſo, quia in ipſo ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ abſconditi, & in ipſo habitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter, ſed in illis proficiebat, qui doctrina illius, per interualla temporum proficiebant, &c.

D. Damaſc. *Luc. 2.* *Haymo.*

An Chriſtus illo triduo mendicarit?

NVMQVAM mendicaſſe putat Abulenſis Matthæi decimo ſeptimo quæſtione 194. Chriſtus, inquit, nunquam oſtiatim mendicabat, neque etiam Apoſtoli. Probat propoſitionem, quoniam mendicandi conſuetudo apud Iudæos non erat. Nam hoc Dei præceptum extat; *Et omnino indigens, & mendicus non erit inter vos.* Præceptum autem hoc eſſe volunt idem Abulenſis, Carthuſianus, & Lyranus eodem loco: ergo non erant apud Iudæos mendicantes. In eadem eſt ſententia Caiet. Matthæi 5. verba illa explanans; *Beati pauperes ſpiritu*, affirmat Chriſtum non fuiſſe mendicum, quia nunquam legitur petiiſſe, niſi à Samaritana potum. Vixiſſe verò non ex mendicatis eleemoſynis, ſed ex oblatis. Nam, vt legitur, *Fœminæ illi miniſtrabant de facultatibus ſuis.* Et *Iudas loculos habebat.* Item Ioannes Maior Luc. 2. Non ignoro, inquit, quid alij grauiſſimi viri dixerint, non tamẽ video concludi debere Chriſtum triduo mendicaſſe, &c. Si quæras à Maiore, vnde ergo cibum, illis tribus diebus habuit? Reſpondet ſic. Qui quadraginta dies citra alimoniam ieiunauit, potuit hoc triduum ieiunare, potuerunt etiam viri docti & ingenui, eius eruditionem admirantes eum ad menſam inuitare, potuit etiam actionem caloris naturalis in humidum cibale impedire, & non fameſcere. Ne tamen id miraculo aſcribatur, cum initium ſignorum fecerit in Cana; dicamus à doctoribus nutritum, aut à parentibus aliquid viatici habuiſſe. hæc Maior. Medina quoque 3. par. q. 40. art. 3. Chriſtum mendicaſſe negat, & Caſtrus libr. 10. aduerſus hæreſes, cum de mendicitate verba facit.

Abulenſis. *Deut. 15.* *Carthuſianus* *Lyranus.* *Caietanus.* *Luc. 8.* *Ioan. 13.* *Maior.* *Medina.* *Caſtro.*

D. Thomas 2. 2. quæſt. 187. artic. 5. Chriſtum aliquando mendicaſſe concedit, his verbis: Chriſtus mendicauit ſecundùm illud: *Ego autem mendicus ſum, & pauper.* Et Caietanus eodem articulo; Ex iis, inquit, quæ in Euangelio ſcripta ſunt, apertè intelligi poteſt, quod Dominus Ieſus non eſt dedignatus etiam in propria perſona mendicare. Nam mendicauit locum vbi Paſcha cum diſcipulis celebraret, mendicauit aſellum, & à Zachæo hoſpitium, pauperem enim petere neceſſaria ad victum, eſt mendicare, &c. Catharinus quoque libro 2. annotationum contra Caietanum, Chriſtum mendicaſſe magna contentione affirmat, Vualdenſis libro 4. doct. fidei cap. 3. & 4. & Pighius libro 5. contra Eraſmum.

Pſal. 39. *Ambroſ.* *Catharinus* *Vualdenſis.* *Pighius.*

Verum duobus modis quis mendicus dici poteſt. Altero, quoniam ex oblatis eleemoſynis, & non petitis alitur, altero propriè, quoniam oſtiatim mendicat, vel eleemoſynas petit. Illo priore modo mendicum fuiſſe Chriſtum non eſt dubium, ex oblatis enim eleemoſynis vixit. De hoc poſteriore quæſtio eſt. Diuus Bernardus in homilia infra octauas Epiphaniæ, hoc triduo, de quo agimus, oſtiatim mendicaſſe meditatur. Quid, inquit, dicam Deus meus? an vt te per omnia noſtræ conformares paupertati, & in te humanæ naturæ calamitates ſuſciperes, quaſi vnus è turba pauperum, ſtipem per oſtia mendicabas? quis dabit me buccellarum illarum ſic mendicatarum participem fieri? Hæc ille. Bernardum ſequitur Diuus Bonauentura in apologia pauperum, & Alexander de Ales p. 4. quæſt. 31. memb. 2. art. 2. Ludolphus item de vita Chriſti, prima parte capitis decimiquinti; Mendicat, inquit, Chriſtus cum pauperibus oſtiatim, quod & alias quandoque feciſſe creditur.

D. Bernard. *D. Bonauent.* *Alexander.* *Ludolphus.*

Crediderim, Chriſtum poſtquam concionari cœpit, oſtiatim non mendicaſſe, ſed ex eleemoſynis,

nis, vel oblatis, vel alio modo petitis, cum Apostolis vixisse, similiter quamdiu cum sanctissima matre, & Iosepho vitam egit, victum mendicato minimè comparauit, hoc triduo id fecisse, pia est meditatio. Verosimilius videtur, aliquo alio modo naturæ fecisse satis. Quod si primo die ad doctores iuit, forsitan ab aliquo doctore, domum adductus, & (vt ait Maior) cibo necessario refectus est. Quis enim admirabilem puerum non inuitaret?

Luce 16. Mendicos autem apud Iudæos fuisse, ex Euangelio compertum est. Luc. 16. *Villicus aiebat, mendicare rubesco*, quod non diceret, si à more Iudæorum *Ibid.* mendicatio abhorreret. Eodem cap. 16. *Erat* (ait *Luce 18.* Lucas) *mendicus quidam nomine Lazarus*, & cap. 18. *Cæcus quidam sedebat secus viam mendicans.* *Ioan. 9.* Ioan. 9. *Nonne hic est, qui sedebat, & mendicabat?* *Act. 3.* Actor. 3. *Claudus ad speciosam portam templi mendicabat.* Erant ergo mendici apud Iudæos. *Deut. 15.* Verba illa Deut. 15. *Et omnino indigens, & mendicus non erit inter vos*, Isidor. Clarius, Oleaster, & Caietan. nolunt indicare præceptum, sed obseruatæ legis præmium, quàm dum non obseruarent *D. Thom.* Iudæi, mendicos habebant. Diuus Thomas loco indicato, vult præceptum continere, sed diuitibus datum, ne opum tenaces essent, iuuarentque ita pauperes, vt nullus mendicare cogeretur. Erant autem mēdici, quia præceptum opulenti non seruabant. Præterea, præceptum esse potuit, sed non adeò Iudæos obstringens, vt pauperes ipsos mendicare prohiberent, qui alia ratione victum non poterant comparare.

Quid egerit Christus Opt. Max. vsque ad Baptismum.

In otio minimè vixisse Christum satis est compertum. non enim fieri potuit, vt qui voluptates otiumque detestabatur, omni negotio vacans nihil ageret. Agebat igitur aliquid, sed quidnam egerit silentio Euangelistæ præterierunt, sciendumque in cælo reliquerunt, in cælo enim summa cum voluptate, Christi gesta omnia & dicta scimus, quæ nunc nescimus in terris. *Prouerb. 30.* Prou. 30. *Tria* (ait Salomō) *sunt difficilia mihi, & quartum penitus ignoro, viam Aquilæ in cælo, viam colubri super petram, viam nauis in medio mari, & viam viri in adolescentia.* Ignota est via aquilæ in cælo, via colubri in petra, via nauis in fluctibus, quoniam vestigium post se nullum relinquunt. Ignota quoque est via magni illius viri, simulque Dei, Christi, in adolescentia, quia nullum illius ab Euangelistis relictum est testimonium. Christus (ait Ambros. in libro de sermone, cap. 5.) est vir, cuius viæ cognosci in iuuentute non possunt. Quis enim æstimare animo possit, aut capere quanta ille opera exercuerit, cum secundùm hominem moreretur in terris, quę itinera virtutum duxerit, &c. Subditum fuisse Virgini, & Iosepho scimus, reliqua ignoramus.

Bonauent. An Christus sit aspectui habitus in iuuenili ætate. D. Bonauentura in libro de vita Christi, cap. 15. hac de re sic scribit; Cùm Christus puer esset, proficiebat ætate, & sapientia, coram Deo & hominibus. Sed crescens & perueniens à duodecimo anno ad trigesimum, & vltra, nulla opera faciebat prætendentia speciem aliquam probitatis, & virilitatis, stupebant homines, & deridebant eum. Et hunc viuendi morem sic continuabat, quod apud omnes communiter erat vilis, & abiectus reputabatur. Item: Reddebat se vilem, & abiectum omnibus, si quæras, quare hoc faciebat? Respondeo tibi, vt nos instrueret. Hæc ille. Idem docet Ludol- *Ludolphus. Simon. Caſ.* phus in opere de vita Christi. Et Simon de Cassia libro 4. cap. 2. Submisit, inquit, Christus Deitatem, atque virtutem isto tempore, vt nec per opera mira crederetur Deus, ne per alia exercitia probitatem atque virtutem habere crederetur, vt ex suis gestibus aliquos traheret in admirationem, aliquos in stuporem, aliquos in considerationem, aliquos in derisionem.

At verò verba Euangelistæ his obstant, *Iesus proficiebat sapientia & ætate, & gratia apud Deum, & homines.* *Luce 2.* Etenim verba hæc significant Christum profecisse sapientia, & gratia, apud homines, ergo non habebatur despectui, ac ludibrio ab hominibus, non irridebatur, imò sapiens, & virtute clarus existimabatur. D. Bonauent. Lucam videtur intellexisse de *D. Bonau.* puerili tantum ætate, hoc sensu; Iesus proficiebat sapientia, & gratia, apud homines in puerili ætate; posteà verò minimè, sed quis non videat, hanc interpretationem (pace sanctissimi Patris dixerim) non esse germanam, cùm Lucas post annum Christi duodecimum, illa addiderit verba, veluti summam quādam eorum, quę de reliqua ætate dici poterant? Proficiebat ergo Dominus sapientia, proficiebat gratia, apud homines, etiam in adolescentia. Vnde colligimus Christum tum familiari sermone sapientiam ostendisse: tum moribus, virtutibus, corporisque, & vultus pulchritudine, gratiam hominum in iuuenili ætate conciliasse.

Repugnare videntur nostræ sententiæ illa Iudæorum verba, & admiratio. Mar. 6. *Multi audientes admirabantur, in doctrina eius dicentes. Vnde huic hæc omnia? & quæ est sapientia quæ data est illi, & virtutes tales, quæ per manus eius efficiuntur*, &c. Si Christus sapientia profecerat apud homines, sapientis opinionem comparauerat. Cur ergo Nazareni, cū quibus vitam agebat, sapientiam illius veluti nouam, & inopinatam admirabantur? Respondemus, Christum sapientiam eatenus in Nazareth sermone tantū familiari, tunc verò publica in Synagoga concione ostendisse, atque ideò multos admiratos, quibus illa non admodum nota erat. *Marc. 6.*

An Christus fabrili arti operam nauaris. Dicitur præterea Dominus fabrilem Iosephi artem exercuisse, quod Cardinalis Caietanus Mar. 6. ex illis Iudæorum verbis colligit; *Nonne hic est faber?* Hinc, inquit, habemus vnde satisfiat curiosis, quærentibus, quid fecerit Christus, vsq; ad trigesimum annum; vacabat enim exercitio fabrili. Et tertia parte initio quæstionis quadragesimę; A multis ait, quæritur quid fecerit Dominus ante Ioannis Baptismum? Respondendum est, quod exercuit artem fabrilem, in ciuitate Nazareth. Dionysius Car- *Caietan.* thus. Matth. 13. ait Iudæos Christum appellasse fa- *Carthus.* brum, vel contemptus causa, vel quod fabrili arti operam daret. Similiter Abulensis Matth. 13. quæ- *Abulensis.* stione 81. Vt dicitur, inquit, Luc. 2. Christus *erat subditus* parētibus suis, id est, ministrabat eis opere manuali, ad sustentationem vitæ, & sicut Ioseph erat faber lignarius, fortè ipse in eodem officio adiuuaret, &c. Is adde Lyranum, qui Marc. 6. Probabi- *Lyranus.* le, inquit, videtur, quod Christus eandem Iosephi artem exercuit, quia non fuit occupatus in doctrina, & miraculis, vsque ad 30. annum, nec ante fuit intentus studio, nec verisimile, quod tanto tempore fuerit otiosus. Magis autem verisimile est, quod fuerit occupatus in arte patris sui putatiui, quam in alia, &c. Accedit Iustinus martyr in dialogo cum *Iustin. Mart.* Tryphone, cuius hæc sunt verba; Christus faber esse putabatur; hæc enim fabrilia opera cùm inter homines versaretur, aratra, & iuga faciebat, ex his & iustitiæ signa docens, & vitam ab opere remotam, &c.

Attamen Paulus Burg. Episcop. Mar. 6. additio- *Paul. Burg.* ne prima, in aliam discedit sententiam his verbis; Cùm Christus summum gradum contemplationis attigerit, nullo modo dici potuit otiosus, etsi ali-

aliquando ab omni actione seu exercitio corporali cessasset, hoc enim pertinet ad contemplatiuam vitam, ab exteriori actione quiescere. Et ideò irrationabile est, attribuere Christo occupationem in artibus mechanicis, ad remouendam ab eo otiositatem, neq; ex hoc quod illi de Nazareth, ipsum fabrũ vocabant, concluditur ipsum fuisse fabrum, sed fabrum illum dicebant, ad vilipendẽdam eius doctrinam, vel dicendum secundum Augustinum, quod fabrum Christum credebant, quod fabri filius. Hæc ille. Augustinus libro 2. de consensu Euangelistarum cap. 42. Eò, inquit, Iudæi fabrum credebãt esse Christum, quò fabri filium, &c. Non dixit Christum fabrili arti operam nauasse, sed fabrum vocatum, quod fabri filius putaretur. Simon quoque de Cassia libro 4. cap. 2. Artem, inquit, nullam Christus discebat, vnde captaret necessaria vitæ, sed aut maternis, aut paternis lucris; & interdum quæstu, humiliter fouebatur. Item; Operari erat oratio, & subleuatio ineffabilis, tota Deifica erat vita eius, &c.

D. Augusti. *Simon. Cas.*

Vtraque sententia est probabilis. Ego in secundam propendeo. Instar enim religiosi viri verisimile est vitam duxisse Dominum, & orationibus, ieiuniis spiritalibusque rebus potius, quàm fabrili arti vacasse. Quis enim dixerit Dominum, vt solent fabri per alienas ædes fabrilia opera exercuisse, conscendisse tecta, ligna cum aliis fabris dolasse, eorum fabulis ac sermonibus indecoris interfuisse?

CAPVT XVI.

Morale.

DOCET in primis nos Christus, Deipara Virgo, & Ioseph, festos dies colere, templa petere, sanctisque operibus diebus festis vacare. Etenim, vt paschale festum agerent, Ierosolymitanum templum petebant, diuinisque actionibus operam dabant. *Ascendentibus illis* (ait Euangelista) *Ierosolymam, secundum consuetudinem diei festi.* Hæc erat diei festi consuetudo, Ierosolymam ascendere, templum petere, Dei cultui vacare. Hæc quoque sit nostri diei festi consuetudo, non aleis ludere, non turpibus spectaculis oculos pascere, non comessationibus indulgere, non flagitiis sacrum tempus impendere, non in tartarum descendere, sed Ierosolymam cœlestem ascendere. In templa confluere, sacro concionique summa cum attentione interesse, preces fundere, eleemosynas præbere, confessione peccata expiare, Domini mensæ accumbere, sacros libros euoluere. Cõsidera quæso diligenter, quale tempus sit, de quo loquimur, nempe sacrum, sacrum ergo tempus sacris rebus est mancipandum. Si feriatur corpus, non feriatur à cogitationibus actionibusque animus, vt opera sua exerceat animus, vacat corpus. Feriari nostrum (ait Gregorius Nazianzen. oratione 44.) nõ est quicquam aliud, quam animam aliquid eorum agere, quæ firma & stabilia sunt, &c. Et oratione 39. Dei memoria, præcipuum festi caput est. Deum memoria colamus. Oratione verò 38. Ethnici, inquit, diuinum numen ventre colunt, &c. Ethnici ventre inanes colunt Deos, Christiani verum Deum colamus, non ventre, sed mente, iuxta illud Christi Ioan. 4. *Spiritus est Deus, & eos, qui adorant eum in spiritu & veritate oportet adorare.*

Quomodo festi dies sint agendi. *Ioan. 4.*

Vt homo corpore constat, & spiritu, ita festorum cultus corporis, Spirituque sanctis constat actionibus. Sed vt spiritus in homine, ita in festo spiritales actiones præcipuum locum obtinent. Origen. hom. 23. in Num. Si desinas ab omnibus sæcularibus opibus, & nihil mundanum geras, sed spiritalibus operibus vaces, ad Ecclesiam conuenias, lectionibus diuinis, & tractatibus aurem præbeas, & de cælestibus cogites, de futura spe solicitudinem geras, venturum iudicium præ oculis habeas, non respicias ad præsentia, & visibilia, sed ad inuisibilia, & futura, hæc est obseruatio Sabbathi Christiani, &c. Diuus Hieronymus in epistola ad Eustoch. de acceptis muneribus. Nobis, ait, solicitius prouidendum est, vt solemnem diem, nõ tam ciborum abundantia, quàm spiritus exultatione celebremus, quia valde absurdum est, nimia saturitate velle honorare martyrem quem scias Deo placuisse ieiuniis, &c. lege Bernard. sermone 3. de Aduentu.

Origenes. *D. Hieron.*

Expende animo verba illa quibus Isai. 58. Deus sabbathum docet colendum; *Si auerteris*, inquit, *à sabbatho pedem tuum, facere voluntatem tuam in die sancto meo, & vocaueris sabbatum delicatum, & sanctum Domini gloriosum, & glorificaueris eum, dum non facis vias tuas, & non inuenitur voluntas tua, vt loquaris sermonem, tunc delectaberis super Domino*, &c. Volebat Deus Iudæos inprimis quiescere, & à sabbatho auertere pedem, hoc est, iter non conficere, deinde voluntatem propriam, siue cupiditatem minimè sequi, præterea *sabbatum delicatum, & sanctum Domini gloriosum* appellare, ac reputare, hoc est, delicatè sabbatum obseruare, sanctèque in Dei gloriam colere. Verti quoque potest: *Et vocaueris sabbathum delicias*, hoc est, si sabbathi obseruationem, in honorem Dei, delicias tuas esse duxeris, si magna voluptate sabbathum obseruaueris, vel si vocaueris sabbathum, id est, existimaueris esse delicias Dei, & esse diem sanctum Domini gloriosum. Ad hæc, volebat Deus Iudæos gloriosum sabbatum glorificare, à viis suis prauis, & voluntate prauoque sermone, recedendo. *Dum non facis*, inquit, *vias tuas, & non inuenitur voluntas tua, vt loquaris sermonem.* Si hæc à Iudæo, quid à Christiano Deus flagitabit?

Isaiæ 58. *Festi dies delicatè colendi.*

Auertat ergo Christianus à festo pedem manumque suam, hoc est, seruilia opera minimè peragat festo die, cupiditatibus suis minimè obtemperet, linguamque frænet, ne in iuramenta, detractiones, prauaque colloquia, per otium erumpat. Dominicum festumque diem delicatum reputet, id est, delicatè obseruet, opus quodcunque festo prohibitum fugiendo: delicatè obseruet, comessationes, turpia spectacula & lasciua, flagitiaque omnia declinando: delicatè obseruet, sacrum concionemque attento pioque animo audiendo, peccata confessione obliterando, sacris lectionibus, rerumque æternarum meditationibus vacando, sic enim delicatè festus dies colitur. Iuxta aliam versionem, sabbathum vult Deus appellari delicias hominis, & delicias Dei. Etenim dies festus, dies est, quo humanis relictis negotiis Deo vacamus; Deo autem vacare Christianorũ voluptas, ac oblectamentum esse debet. Hæ etiam Dei deliciæ sunt iuxta illud Prouer. 8. *delicia meæ, esse cum filiis hominum.* Tunc verò maximè diuina sapientia est cum filiis hominum, cum diebus festis filij hominum illi vacant, & cum illa sunt.

Sabbathum delicatum. *Prou. 8.*

Caueat Christianus ne festos dies delicias non Dei, sed dæmonis faciat, deliciæ enim dæmonis dies illi sunt, in quibus Christiani lasciuis spectaculis, libidini, & flagitiis aliis vacantes, turpiter otiantur. Opera seruilia, vt vacent Deo, missa facere iubẽtur, at aliis operibus, multò magis seruilibus, tempus sacrum inpendunt, videlicet peccatis.

Dies festos improbi delicias faciunt mali dæmonis.

Quæ

Quæ enim ſeruilia magis opera eſſe poſſunt, quam peccata? ſiquidem, vt Chriſtus ait, Ioan.8. *Qui facit peccatum, ſeruus eſt peccati.* His diebus exultant dæmones, & rident, eoſque irrident, iuxta illud Threnorum 1. *Viderunt eam hoſtes, & deriſerunt ſabbata eius.*

Feſtiuitates huiuſmodi noſtræ ſunt, non Dei. Vnde Iſai.1. *Kalendas veſtras* (ait Deus) *& ſolennitates veſtras odiuit anima mea,* ſolennitates, inquit, veſtras non meas, vt obſeruat Gloſſ.interl. Et Origen.homil.23.in numeros: Hic, inquit, id eſt, in lib.Num. ca.28. vbi de muneribus mandatur, vbi adhuc nulla peccata ſunt, dies feſtos meos dicit. Vbi autem peccatum eſt, vt Iſaiæ 1. non meos, ſed veſtros dies dicit Dominus, &c.

Si volumus feſtos dies Dei eſſe, peccata fugiamus, animæ ſalutem in illis maxime curremus. Nam, vt Origenes eadem homilia ait, eſt Deo magna feſtiuitas humana Salus. Eo loco hominum conuerſionem Deo Angeliſque feſtiuitatem parere, his verbis docet; Ego puto quod per ſingulos quoſq; credentium, per ſingulos, qui conuertuntur ad Deum, qui proficiunt in fide, feſtiuitas oritur Domini. Quomodo putas lætificat eum, cùm is, qui fuerat impudicus, fit caſtus, & qui fuerat iniuſtus iuſtitiam colit, & qui fuerat impius efficitur pius? Iſtæ omnes ſingulorum quorumque conuerſiones, feſtiuitates generant Deo. Agunt etiam Angeli diem feſtum lætantes ſuper iis, qui refugientes conſortia dæmonum, per exercitia virtutum, angelicis ſe feſtinant ſortiare conſortiis. Hæc ille.

Docet præterea, pœnitentiam feſtum diem efficere; Eſt, inquit, Iudæorum feſtiuitas, cùm affligunt animas ſuas, & humiliant ſe Deo feſta celebrantes. O mira feſtinitas, dies feſtus vocatur afflictio animæ: vide ergo ſi vis diem feſtum agere, ſi vis, vt lætetur Deus ſuper te, affligе animam tuam, & humilia illam. Non ei permittas explere deſideria ſua, ne cõcedas ei laſciuiis euagari, ſed in quantum fieri poteſt, affligе, & humilia eam, &c. Loquitur Origen. de feſto expiationis, de quo Leuit.23. hæc leges. Decimo die menſis ſeptimi, dies expiationum erit celeberrimus, & vocabitur ſanctus, affligetiſque animas veſtras in eo, &c. In feſto quoque Paſchali præcepit Deus Iudæis, vt afflictionis pane veſcerentur. Deut.16. *Septem diebus comedes abſque fermento, afflictionis panem,* &c. Dicitur autem panis afflictionis, panis azymus. Præcepit præterea, vt veſcerentur in eodem feſto lactucis agreſtibus. Exod.12. *Edent carnes nocte illa aſſas igni, & azymos panes, cum lactucis agreſtibus,* ſeptuaginta verterunt, *cum herbis.* In feſto itaque die vult Deus nos pane afflictionis, & amaris, ſiue agreſtibus lactucis veſci myſtico ſenſu, hoc eſt, pœnitentiam agere. Vnde Origenes loco indicato; Paſchæ, inquit feſtiuitas, & azymorum panem afflictionis habere dicitur, nec poteſt quis agere diem feſtum, niſi afflictionis panem manducauerit, & manducauerit Paſcha cum amaritudine. Audis ergo quid eſſent feſtiuitates Dei. Non recipiunt dulcedinem corporalem, nihil remiſſum, nihil voluptuoſum, aut luxurioſum volunt, ſed afflictionem animæ, & amaritudinem, humilitatemque depoſcunt, &c.

Denique diebus feſtis, Iudæi boues, oues, brutaque alia animantia immolare ſolebant. Nos brutos affectus, iracundiam, odium, libidinem, cæteraque huiuſmodi vitia immolemus. Origenes citata homilia; In ſpiritu, inquit, diem feſtum agamus, & ſpiritalia ſacrificia iugulemus. Auguſt. ſerm.1. de aduentu; Quotieſcunque aut natalem Domini, aut reliquas ſolennitates celebrare diſponitis, ebrietatem fugite, iracundiæ quaſi beſtiæ crudeliſſimæ repugnate, odium velut venenum mortiferum de corde veſtro repellite, & tanta ſit in vobis charitas quæ vſque ad inimicos perueniat. Hæc ille.

Meritò autem charitatis meminit. Etenim diebus feſtis maximè charitas erga pauperes exercenda eſt, erga ægrotos, & in vincula coniectos, vt dum ab operibus ſeruilibus feriamur, in opera charitatis incumbamus, de ſancta vidua Iudith capite 16. dicitur; *Erat diebus feſtis, procedens cum magna gloria.* Illa cum magna externi comitatus ac cultus gloria, procedebat; nos magna cum interni præcipuè cultus, internæque & externæ quoque virtutis gloria, diebus feſtis procedamus. Si quid verò diabolus mali ſuggerat, diei feſti reuerentia, procul hoſtilem cogitationem repellat. Impij Iudæi Marci 14. aiebant; *Non in die feſto;* nolebant enim die feſto Chriſtum comprehendere. Nos ſimiliter, ſi quid flagitij hoſtis tartareus menti obiiciat, in die feſto patrandi, protinus reſpondeamus, *Non in die feſto.* Feſto die templa pretioſis aulæis ornari ſolent, & ſuaui odore perfundi: ſimilem in modum, ſpiritalia templa (animos dico) pretioſis virtutum omnium peripetaſmatis decoranda, tetroque vitiorum odore pulſo, ſuaui gratiæ diuinæ odore replenda ſunt.

2. Amiſit Deipara Chriſtum, cùm ad feſtum Paſchale celebrandum Ieroſolymam venit. Feſto tempore amittitur Chriſtus, feſto tempore crucifigitur. Nam feſtæ, ſecundæque res Chriſtum ſæpe nobis eripiunt.

Quonam tempore amiſit Dauid Deum? feſto tempore, hoc eſt, cum aduerſis rebus minime premebatur. Auguſt. Pſalm.50. Preſſura, inquit, caruit Dauid, tumor excreuit, periculoſior eſt res proſpera animo quàm aduerſa corpori, prius corrumpit proſpera, vt inueniat, quod frangat aduerſa. Et D. Gregorius eodem Pſalmo. Quis ſanctior Dauid? qui cum Saulis perſecutione vrgeretur, non ſolum perſecutorem occidere non voluit, ſed ipſi perſecutori, cum occidere poſſet, pepercit. Verum vbi deuictis hoſtibus, preſſuris caruit, homicidiu adulterio incautè ſecurus adiecit, &c. Idem quoque Salomoni Dauidis filio accidit. Feſto tempore, hoc eſt, proſpero, Deum amiſit. Quamobrem idem ſapientiſſimus pontifex in Paſtoral. p.3. admonit.27. Salomon, air, qui poſt tantam ſapientiam, vſque ad idololatriam cecidiſſe deſcribitur, nihil in hoc mundo, priuſquam caderet, aduerſitatis habuiſſe memoratur. Sed conceſſa ſapientia funditus cor deſeruit, quod nulla vel minima tribulationis diſciplina cuſtodiuit, &c. Et Auguſt. lib.17. de ciuitate Dei, cap.20. Secundæ, inquit, res, quę ſapientium animos fatigant, magis Salomoni obfuerũt, quam profuit ſapientia, &c. Idipſum contigit Sauli, in humili ſtatu humilitatem coluit, in regio intumuit, & periit.

Quemadmodum Luna tunc lumẽ amittit, cùm plena eſt; ita homines tunc ſæpe Dei ſplendorem amittunt, cum opibus, honoribus, proſperiſque rebus abundant. Lumen amittit luna, terræ interiectu, lumen amittit homo, proſperitatis, honoris, diuitiarum & gloriæ interpoſitu. Vt vehementi vento inflata vela exiguam cymbam fluctibus obruunt, ſic vehementi ſuperbia inflata proſperitas exiguum hominis animum vitiis mergit. Segetem (ait Seneca epiſtola 39.) ſternit nimia vbertas, rami onere franguntur, ad maturitatem non peruenit nimia fœcunditas. Idem quoque animis euenit quos immoderata proſperitas rumpit, qua non tãtùm in aliorum iniuriam, verùm etiam in ſuam vtuntur, &c.

Ioan. 8.
Thren. 1.
Iſa. 1.
Gloſſ. interl. Origenes.
Conuerſio impoſſibilis, feſtiuitas Dei eſt, & Angelorum.
Pœnitentia die feſtum facit.
Leuit. 23.
Deut. 16.
Exod. 12.
Diebus feſtis pœnitentia agenda, peccata expianda confeſſionis amaritudine.
Origenes.
Diebus feſtis bruti affectus immolandi.
Origenes.
D. Auguſt.
Opera charitatis feliciter, eleemoſyna, diebus feſtis exhibenda.
Iudith. 16.
Marci 14.
Diei feſti reuerentia pellat peccata.
Secundis in rebus Chriſtus amittitur.
D. Auguſt.
D. Gregor.
D. Auguſt.
Seneca.

Chriſtum

In rebus aduersis Christus cum dolore quæritur. Christum prosperitas sæpe amittit, aduersitas, & dolor quærit, atque inuenit. *Dolentes* (ait Virgo) *quærebamus te.* Psal. 77. *Cùm occideret eos, quærebant eum, & reuertebantur, & diluculò veniebant ad eum.* Prosperitas oculos claudit, aduersitas ad quærendum Deum aperit. Quemadmodum amarum fel, Tobiæ cæcis oculis lumen restituit, ita amaræ aduersæque res, hominis cæci animo lucem reddunt. Nonne aduersæ res, filij illius prodigi, qui à patre tradita bona dilapidauit, oculos aperuerunt, & patrem quærere docuerunt? Si secundus flasset ventus, secundo ille flumine, in tartarum nauigasset, quia flauit aduersus, ad portum rediit. Diuus Gregorius in pastorali prima parte, capite tertio; Prospera sæpe per tumorem cor inquinant, aduersa per dolorem purgant, in prosperis se animus erigit, in aduersis etiam quando se erexerat, sternit. In prosperis homo se obliuiscitur, in aduersis ad sui memoriam nolens etiam coactusque vocatur, &c. Danielis 7. *Prima bestia quasi leæna, & alas habebat aquilæ. Aspiciebam donec auulsæ sunt alæ eius, & sublata est de terra, & super pedes quasi homo stetit, & cor hominis datum est ei.* Huic leænæ similis est bonorum opumque infelici felicitate inflatus homo, leæna est alis prædita, sed si euellantur prosperitatis alæ, super pedes quasi homo stat, & cor hominis mansuetum, humile, rationisque particeps datur ei. Vnde Chrysostom. homilia 54. ad populum Antiochenum; Cùm in secundis, inquit, rebus sunt, plures efficiuntur inflati, omnibus inimici, iracundi, cum adest potentia: cùm verò fuerit ablata, mansueti sunt homines & humiles, in propriam naturæ cognitionem veniunt, &c.

Leæna erat alata Nabuchodonosor, euulsæ sunt prosperitatis alæ, regno deiectus, se, Deumque abiectus agnouit. Dan. 4. *Eicient te ab hominibus, & cum bestiis feriisque erit habitatio tua, donec scias, quod dominetur excelsus super regnum hominum, & cuicumque voluerit det illud.* Alata quoque leæna fuit Antiochus, *qui* vt est in lib. 2. Machabæorum c. 19. *sibi videbatur etiam fluctibus maris imperare, suprà humanum modum superbia repletus, & montium altitudines in statera appendere, ignem prætereà, vt leæna, animo spirans in Iudæos, Ierosolymam se venturum aiebat, & congeriem sepulchri Iudæorum eam esse facturum.* Euulsæ sunt leænæ alæ, & cor hominis datum est ei. Subita à Deo plaga percussus, humiliter sapere didicit. Eodē capite; *Qui paulò antè sydera cæli contingere se arbitrabatur, eum nemo poterat propter intolerantiam fœtoris portare; hinc igitur cœpit ex graui superbia deductus ad agnitionem sui venire, diuina admonitus plaga, per momenta singula doloribus suis augmenta capientibus. Et cùm nec ipse iam fœtorem suum ferre posset, ita ait, iustum est, subditum esse Deo, & mortalem non paria Deo sentire,* &c.

Multi Christum amittunt, nec tamē iacturam agnoscunt. 3. *Remansit puer Iesus in Ierusalem* (ait Lucas) *& non cognouerunt parentes eius.* Multi Christum amittunt, quia multa scelera committunt, sed amisisse se non cognoscunt, quia quam fecerint iacturam, non agnoscunt. Quamobrem meritò D. Gregor. Iob 4. ait, à peccatis ita consumi iniquos, vt consumitur à tinea vestis, hoc est, absque sonitu, & sensu, iuxta illud Iob 4. *Consumentur velut à tinea.* Tinea, inquit, damnum facit, sonitum non facit, ita iniquorum mentes, quia damna sua considerare negligunt, integritatem quasi nescientes perdunt. Quasi à tinea consumuntur, quia sine sonitu morsum culpæ tolerant, dum quanta detrimenta vitæ, & innocentiæ patiantur, ignorant, &c. Nicetas in commentar. oration. 40. Gregorij Nazianzen. scribit Diabolum nouaculæ instar, sine sensu, gratiam vt comam radere. In diabolum, inquit, dictum Psalm. 51. torqueri queat; *Sicut nouacula acuta fecisti dolum.* Etenim nouacula ita comam abscindit, vt qui raditur nihil sentiat, sic etiam diabolus, ita dolos machinatur, atque animæ gratiam, hoc est, virtutem, & conscientiam detondet, vt ea sibi hæc ornamenta detrahi non sentiat, &c.

Impij consumuntur velut à tinea sine sensu peccati. Iob 4.

Nicetas. Psal. 51. *Diabolus instar nouaculæ sine sensu gratiam radit.*

Factus est Ephraim, quasi columba seducta, non habens cor. Oseæ 7. Diuus Hieronymus in Commentar. Sola columba, inquit, ablatos pullos non dolet, non requirit. Eundem in modum iniquus, vt seducta columba, ablatam gratiam, ablatam æternam vitam, ablatum cælum, animam, Deum, non dolet, non requirit. Congruit etiam illud, quod eodem capite ab Osea in Ephraim scriptum extat; Comederunt alieni robur eius, & ipse nesciuit, sed & cani effusi sunt in eo, & ipse ignorauit. Comederunt dæmones & peccata robur impij, id est, gratiam, & ipse nesciuit: imò aliquando euenit, vt ad senectutem perueniat, & in hac miserrima ignorantia perseueret. Miserrimam dixi ignorantiam, quia vt ait D. Augustin. libro primo confessionum, capite decimotertio. Quid est miserius misero non miserante seipsum? Qui hac ignorantia laborat, Christum non quærit. Vt enim rem aliquam, quam amisisti quæras, amisisse te illam animaduertas necesse est. Non quærit redimi (ait Bernard. epist. 190. ad Innocentium) qui se nescit esse captiuum.

D. Hieron. Columbæ ablatos pullos non requirit.

Miserrimus homo est, qui sui non miseretur.

D. August.

D. Bernar.

In primis ergo captiuum se esse agnoscat, qui scelere se obstrinxit, vt redimi velit, amisisse se Christum sciat, vt illum quærat, peccatum suum ante oculos statuat, vt quomodo dolendum sit videat. Iuxta illud regij Psalm. 50. *Iniquitatem meam ego cognosco, & peccatum meum contra me est semper.* Particula, Contra, hoc loco significat, coram, Græcè, ἐνώπιον, id est, coram; Hebraicè, neged. Peccatum suum Dauid cognoscebat, & coram oculis propositum lachrymis diluebat. Chrysostomus in commentariis eiusdem psalmi; In conscientia sua Dauid, tanquam in imagine peccatum habebat depictum, & per singulos dies videbat putredinem, ideò dicebat, *peccatum meum coram me est semper.* Ego illud video, tu Deus ne id consideres, ego illud scribo, tu quasi Dominus dele, &c. Cassiodorus; Contra se stare dicit Dauid delicta, quasi quandam figuratam imaginem, &c. Qui peccata perpetrauit, peccatorum pictor sit, imagines omnium suis pingat coloribus, vt quàm sint turpia, quàm fœda, & plena dedecore videat, agnoscat, execretur. Agnoscat, vt Deus ignoscat; ante oculos suos ea statuat, vt Deus post tergum suum ea reiiciat, iuxta illud Regis Ezechiæ dictum, *Proiecisti post tergum tuum omnia peccata mea*, Isaiæ trigesimooctauo, Augustinus tractatu 12. in Ioannem; Sit ante te quod non vis esse ante Deum, si autem post te feceris peccatum tuum, retorquet illud tibi Deus ante oculos tuos, &c. Audi quæso, quid de hoc scripserit Ethnicus Philosophus Seneca epistola 28. Initium, inquit, est salutis, notitia peccati, qui peccare se nescit corrigi vult. Dprehendas te oportet, antequam emendes. Inquire in te, accusatoris primum partibus fungere, deinde iudicis; nouissimè deprecatoris. Hæc ille, non vt Ethnicus, sed vt Christianus, simile habet Augustinus ser. 87. de tempore; Peccata, ait, nostra iudices nos sentiant, non patronos; accusatores suos, non defensores esse cognoscant.

Cassiodor.

Pœnitens peccata suis pingit coloribus.

Isai. 38.

D. August. Peccatum agnosce, vt Deus ignoscat.

Seneca.

D. August. Pœnitens iudex sit sui ipsius, seuerus accusator, & testis.

CAPVT

CAPVT XVII.

Morale.

Christus quærendus cum dolore. Luc. 2.

QVARTO, docet nos locus hic quonam modo quærendus sit Christus, vt inueniatur: atque in primis cum dolore quærendum indicat; *Dolentes* (ait Virgo) *quærebamus te.* Si peccatum commisisti, Deum amisisti, amissum Deum si inuenire cupis, quære. Sed si cum pœnitentia quæras, nisi peccatum doloris transfixum gladio perimas, nunquam Deum reperies. Christi inuentioni solùm obstat peecatum, qui peccatum perimit Christum inuenit. Perimitur autem peccatum mœstitia animi, ac cõtritionis dolore. Ex peccato orta est mœstitia, sed iniquissimum patrem optima filia interficit, eoque occiso, hominem è crudeli seruitute liberatum, ad Deum ducit. Docet hoc Chrysostomus hom. 5. ad populum Antiochenum; Sicut vermis, ait, ex ligno nascitur, & illud rodit, ac comedit, suam ab ipso originem habens, sic & tristitia de peccato nata est, & peccatum absumit, &c. Suam quisque morbus habet medicinam, omnium quoque morborum maximus morbus peccatum suam flagitat, videlicet dolorem, mœstitiam, pœnitentiam, hac medicina sanatur. Theophylact. 2. Cor. 7. Tristitiæ, inquit, medicina ad peccati ægritudinem sola commodat, hæc medela à morte animæ hominem eripit, &c.

D. Chrysost.

Theophyl.

Dolor, peccati medicina.

Nemo curationem adhibet febri, aliisve ægritudinibus, quæ nihil adiumenti, imò multum detrimenti illis affert. Animi dolor cæteris morbis, non opem, sed nocumentum parit, non igitur cæteris morbis, sed soli peccato, est adhibendus. At multi contrà, cæteris morbis, & iacturis dolorem adhibent, quo augentur, peccatis minimè, quo curantur. Videbis dolentes, lachrymantesque homines, cur doleant si roges, vel propinquorum interitum, vel rei familiaris iactum, vel honoris labem, vel corporis ægritudinem, vel aliquid simile, mœstitiæ causam esse intelliges. Iidem verò eodem tempore periculosissimis peccatorum morbis laborant, neque vllum propter peccata animo dolorem capiunt. Doloris medicina vti nesciunt; minima mala lamentantur, & mœstitia augent; magna, id est, peccata, negligunt. Medicamentum oculis duntaxat commodum, pedibus, quibus est incommodum, adhibent. Nescit flere (ait Ambros. Psal. 118. octono. 7.) nescit, inquam, flere, qui flenda committit, & cùm sit ipse lachrymabilis, non habet culpæ lachrymas suæ.

D. Ambros.

Nos verò, si sapimus, animi dolore cæteros morbos nõ efficiemus graviores, mœstitiæ medicinam soli peccato afferimus, quoniam solius peccati hæc medicina est, vt præclarè docet Chrysost. homilia 5. his verbis; Luge peccata, vt ipsa deleas. Propter hoc enim tristitia facta est, non vt in morte, nec in vlla alia re tali doleamus, sed vt ipsa ad delenda peccata vtamur. Item; Mulctatus est, inquit, quispiam pecuniis, tristatus est, mulctam non emendauit, filium amisit, doluit, mortuum nõ resuscitauit, nec defuncto profuit, flagellatus est quis, alapis cæsus, contumeliis affectus doluit, non reuocauit contumeliam. In morbum quis incidit grauissimum, doluit, morbum non sustulit, sed & difficiliorem reddidit. Vides horum nulli prodesse tristitiam? Peccauit quis, tristatus est, peccatum deleuit, dissoluit debitum, &c. Et 2. Cor. 7. *Cui peccata mœrori sunt, is solus ex mœrore fructum capit, peccata enim delet.* Quoniam enim medicamentum istud, ad hoc tantum comparatum est, idcirco hîc etiam duntaxat vim habet, vtilitatemque suam exerit, in aliis rebus, non modò non iuuat, sed etiam obest, &c.

D. Chrysost.

2 Cor. 7. Is ex dolore capit fructũ qui peccata dolore delet. D. Chrysost.

Gaudeo (ait Paulus) *non quia contristati estis, sed quia contristati estis ad pœnitentiam, contristati enim estis secundùm Deum. Quæ enim secundùm Deum tristitia est, pœnitentiam in salutem stabilem operatur, sæculi autem tristitia mortem operatur.* Duplex mœstitiæ genus Paulus indicat, altera est secundùm Deum, altera secundùm sæculum. *Sæculi*, inquit, *tristitia mortem operatur*, &c. Etenim vehemens dolor, cordisque mœstitia, hominem vita priuat animæ quidem, si illa incitatus in scelus aliquod se præcipitat; corporis verò, si immoderata sit. Hic partus est mœstitiæ sæculi. Mœstitiæ verò secundùm Deum fructus eximius est pœnitentia, & salus stabilis. *Pœnitentiam* (inquit Paulus) *in salutem stabilem operatur.* Græcè, ἀμεταμέλητον, id est, non pœnitendam. *Tristitia enim secundùm Deum pœnitentiam operatur in salutem*, cuius nos nunquam capiet pœnitentia, hoc est, firmam, & stabilem. D. Chrysostomus hoc epithetum, Non pœnitendam, cum pœnitentia coniungit, hoc sensu, *tristitia secundùm Deum operatur pœnitentiam non pœnitendam, ad salutem.* Duplex (ait Chrysostomus) emolumentum habet tristitia secũdùm Deum, alterum videlicet, quia hoc efficit, vt is, qui dolet, minimè pœnitẽdum vnquam sibi putet, quod doluerit; alterum, quia huiusmodi mœror, in salutem tandem desinit, &c. Similiter Theodoretus; Sæpe, ait, pœnitentia ducuntur, qui supra modum luxerint, qui autem peccatum deflent, etiam si immoderate luxerint, lętitia fruuntur, pœnitentiam minimè admittentes, &c. Itaque pœnitentia, tristitiaque ex pectis suscepta, non pœnitenda est. Pœnitere potest hominem, quod pecuniæ iacturam, quod ignominiæ labem, quod corporis morbum, quod filiorum interitum fuerit lamentatus: nullum autem pœnitebit, quod peccata deplorarit. Quoniam non pœnitenda est hæc pœnitentia.

2. Cor. 7.

Ibid.

D. Chrysost.

Pœnitentia non pœnitenda.

Canimus Deo; *In mari via tua, & semitæ tuæ in aquis multis, & vestigia tua non cognoscentur*, hoc est, litterali sensu: Per rubrum mare Deus iter fecisti, populumque tuum per medias pelagi vndas deduxisti; nulla verò posteà huius itineris vestigia, aquis coeuntibus extitere. Sensu verò morali: In amaro doloris, & pœnitentiæ mari, via Dei est, quæ tamen sub oculorum aspectum minimè cadit. Etenim per hoc mare Deus ad nos venit, per hoc mare Deum nos quærimus, & ad eum nauigamus. O beatam nauigationem, qua non Indicas gemmas, aut aromata, sed ipsam Dei gratiam, omnibus gemmis, aromatibusque pretiosiorem comparamus. Mari rubro Aegyptij omnes demersi sunt, hoc contritionis veræ, doloriseque intimi pelago peccata omnia obruuntur. Exod. 14. *Nec vnus quidem superfuit ex eis*, id est, Aegyptiis. Eundem in modum, neque vnum quidem superest ex peccatis. Sap. 19. *In mari rubro via sine impedimento.* In mari quoque pœnitentiæ via est ad Deum, cælestemque patriam sine impedimento. Si mortiferum peccatum pœnitentia non obruerit ingenti obsistente impedimento, tartareis ignibus obruemur, si vel veniale peccatum, vel debitam peccato pœnam pœnitentiæ fluctus non deleuerit, hoc officiente impedimento purgantẽ ignem adibimus. Si verò tam maiora, quam minora peccata, meritamq; pœnam omnino pœnitentia demerserit, in mari hoc amaro, ac dulci, via erit in cælum sine impedimento. Qui ergo Deum quærit, per hoc mare quærit; qui sine impedimento ad Deum vult peruenire, hoc in pelago nauiget, ita vt cum Dauide Psalm. 6. dicere possit;

Psal. 76. Per amarum mare doloris, & lachrymarum ad Deum nauigamus.

Exod. 14.

Sap. 19.

Psal. 6.

Labo-

Laboraui in gemitu meo, lauabo per ſingulas noctes lectum meum, lachrymis meis ſtratum meum rigabo.

D. Gregor. Lectum ſpiritali ſenſu D. Gregor. in commentariis huius Pſalmi conſcientiam ait ſignificare, in cuius teſtimonio viri probi, veluti in lecto conquieſcunt; iuxta Pauli 2. Cor. 1. *Gloria noſtra hæc eſt, teſtimonium conſcientiæ noſtræ.* Hanc qui crimen commiſit lauet; hanc veluti hortum lachrymis irriget, vt flores fructuſque gratiæ proferat iucundiſſimos.

2. Cor. 1.

D. Hieron. Lachrymæ pœnitentiæ animum extollunt. D. Hieronymus vertit; Natare faciam tota nocte lectum meum. Si nauis in marinis inſideat arenis, perit; quod ſi aquarum vis natare illam faciat, curſum tenet, ſimili modo animus, ſi peccato mortifero inhæreat, interit: ſin lachrymarum vis natare illum faciat, in cælum nauigare pergit.

D Gregor. Nazianz. Gregor. Nazianzenus de probis viris loquens oratione tertia ait, eorum lachrymas peccati eſſe diluuium, & mundi piamentum. Non proborum ſolùm, verùm etiam improborum, ſi ad Deum redeant, lachrymæ, piamentum ſunt & diluuium: quibus illud congruit, quod de magni diluuij aquis ſcriptum extat Gen. 7. *Multiplicatæ ſunt aquæ, & eleuauerunt arcam in ſublime à terra.* O felix diluuium, ô felices aquas, ô felices lachrymas, quæ animum peccato imò tartaro infixum, multiplicatæ, in ſublimem gratiã & ſublime cælum eleuant. Hoc enim de cæleſtibus pœnitentiæ aquis, verum eſt dicere. *Multiplicatæ ſunt aquæ, & eleuauerunt arcam*, id eſt, animam in ſublimem gloriam.

Gen. 7.

D. Ambroſ. Mercatorum ſemen, in aqua. De mercatoribus quia nauigãdo pecunias conquirunt, pulchrè dixit Ambroſius in libro de Elia, & ieiunio cap. 19. Mercatorum ſemen in aqua eſt, meſſis in fluctibus, fructus ipſis in aqua, nunquam tutus, & ſolidus, &c. Primum nos de noſtris cæli mercatoribus pulchrè etiã dicere poſſumus; non tamen ſecundum. Noſtrorum mercatorum ſemen in aqua lachrymarum eſt, meſſis in fluctibus doloris. At fructus ipſis in aqua, & fluctibus his, tutus eſt, & ſolidus. Sementem faciunt gratiæ, in aqua lachrymarum, copioſa illis contingit meſſis gaudij, & gloriæ, & in fluctibus doloris. Iuxta illud Pſalmi 125. *Qui ſeminant in lachrymis, in exultatione metent. Euntes ibant, & flebant, mittentes ſemina ſua, venientes autem venient, cum exultatione, portantes manipulos ſuos.* Vides doloris ſemina? vides exultationis, & gloriæ meſſem? Quod eodem pſalmo ſcriptum eſt, huic loco accommodari poteſt; *Conuerte* (ait Pſalmographus) *Domine captiuitatem noſtram, ſicut torrens in auſtro*, petit vt conuertatur captiuitas, ſicut torrens aridus in terra auſtrali, cõuertitur ad curſum. Non poteſt aridus torrens conuerti ad curſum, ac fluere ſine pluuia, ſimilem in modum non poteſt captiuitas noſtra conuerti ſine dolore, ac lachrymis, ſi non oculorum, ſaltem cordis. Dolor catenas ſoluit, iugumque à ceruicibus noſtris pellit captiuitatis turpiſſimæ. Quæ enim turpior captiuitas eſſe poteſt, captiuitate peccati, cuius is eſt ſeruus, qui ſe illis mancipat? iuxta illud Domini Ioan. 8. *Qui facit peccatum, ſeruus eſt peccati.*

Pſal 125.

Ioan. 8.

D. Anſelm. Quam ſit peccatum fugiendum docet Anſel. Nouerat, huius teterrimi Domini quam ſit turpis captiuitas, D. Anſelmus, qui in libro de ſimilitudinibus, cap. 190. malle ſe aſſeuerat tartareis cruciari ignibus, quàm peccati iugum ſubire. Eius verba faciant fidem. Si hinc, inquit, peccati pudorem, & illinc cernerem inferni horrorem, & neceſſario vni illorum haberem immergi; prius me in infernum mergerem, quàm peccatum in me immitterem, &c. Aliquid etiam maius adiicit; videlicet, malle ſe purum ſceleris, in flammas Orci detrudi, quàm ſcelere contaminatum, in cæleſtẽ regnum euehi. Mallem (ait ille) purus à peccato, gehennam intrare; quam peccati ſorde pollutus, cælorum regna tenere. Hoc odio viri ſancti peccatum proſequuntur, hoc conatu eius turpiſſimam fugiunt ſeruitutem. Nemo tamen, qui infirmi ſit pectoris, huiuſmodi inſiſtat comparationibus, ne dum robur experiri vult, imbecilliter labatur.

Denique dolentes quæramus Chriſtum, pœnitentiæ iter, aſperum licet, conficiamus, planum lætumque faciet lætiſſimus finis, videlicet Chriſti inuentio. Iuxta illud Pſal. 69. *Exultent & lætentur in te omnes qui quærunt te:* & illud Pſal. 104. *Lætetur cor quærentium Dominum.* Quis iter ſpinis licet ac vepribus obſitum, non peragat animo exultandi, ſi ad metam itineris, theſaurum opulentiſſimum inuenturum ſe putet? Quis theſaurus opulentior Chriſto eſſe poteſt? hunc igitur vt inuenias alacri animo pœnitentiæ viam percurre. Si æternam gloriam, decuſq; conſequi cupis pœnitentiæ amarorem tolera, & vt hortatur Auguſtinus Pſal. 79. his paucis verbis omni memoria dignis; Tolera quod nonvis, vt aſſequaris quod vis. Vide ne homini ſimilis fias, qui ad ſuſpẽdium per amœniſſimũ ducitur agrum, omni florum genere nitentem, dulcique vino, & dulci cibo, toto itinere reficitur. Caue ne per huius ſæculi delicas, diuitiaſque, quaſi per florida prata ad tartarum pergas. Vt enim ait D. Gregorius 6. Moralium cap. 4. Quaſi per amœna prata, in carcerem peruenit, qui per præſentis vitæ proſpera, ad interitum tendit, &c.

Pſal. 69. Pſal. 104. Finis pœnitentiæ lætiſſimus eſt theſauri opulentiſſimi, id eſt, gratiæ & Chriſti, inuentio.

Tolera quod non vis, vt aſſequaris quod vis.

D. Gregor.

Quinto. Quærendus Chriſtus cum dolore, quærendus præterea diligenter, quod obſeruauit Origenes homil. 20. in Lucam, his verbis; Non fruſtra ſcriptum eſt; *Ego & pater tuus dolentes quærebamus te.* Oportet enim, eum, qui quærit IESVM, non negligenter, non diſſolutè, non tranſitoriè quærere; ſicut quærunt nonnulli, & ideò inuenire non poſſunt, &c. Deut. 4. *Cum quæſieris Dominum Deum tuum, inuenies eum, ſi tamen toto corde quæſieris, & tota tribulatione animæ tuæ.* Ier. 29. *Quæretis me, & inuenietis, cum quæſieritis me in toto corde veſtro*, &c. Si pecuniam, ſi annulum aureum, ſi quidpiam huiuſmodi amittimus, ſumma diligentia iter reteximus, ſummaque cura quærimus. At, væ nobis, ſi gratiam, ſi virtutem, ſi cælum, ſi Deum amittimus, in ſumma ſocordia ſtertimus. Nunquid gratia pretioſius eſt marſupium? retexe viam quicunq; Chriſtum amiſiſti, Virginem Deiparam imitare, ad quærendum amiſſum Deum, ſumma cum diligentia protinus reuertere. Imitare ſponſam, quæ Cant. 3. *Surgam*, ait, *& circumibo ciuitatem, per vicos & plateas quæram quem diligit anima mea.* Non tepidè (ait Bernard. ſerm. 75. in Cantica) aut negligenter, ſeu perfunctoriè quærit ſponſa; nam corde ardenti, & omnino infatigabiliter quærit, planè vt decet, &c.

Origenes. Quærẽdus Deus diligenter. Lucæ 2.

Deut. 4.

Ierem. 29.

Cant. 3.

D. Bernard

Circuit ſponſa ciuitatem, per vicos, & plateas dilectum quærit, tibi ciuitatem circuire, plateas, ac vicos percurrere, non eſt opus. Nonne lectulum conſcientiam adumbrare, cum Magno Gregorio ſupra diximus? in hoc lectulo, diligenter Chriſtum quære; in eodem, ſi pœnitentiam veram agas, inuenies. Quamobrem Origenes homilia 24. in librum Numerorum; Intra nos, inquit, eſt ſalutis occaſio, ſicut & Dominus dixit; *Ecce enim, regnum Dei intra vos eſt*, intra nos namque eſt conuerſionis facultas, &c. Mandatum hoc (ait Moſes Deut. 30.) quod ego præcipio tibi hodie, non ſupra te eſt, neque procul poſitum, neque in cælo ſitum, vt poſſis dicere, Quis noſtrum valet ad cælum aſcendere, vt deferat illud ad nos, vt audiamus, atq; opere compleamus? neque trans mare poſitum, vt cauſeris & dicas; Quis è nobis poterit tranſfretare mare, & illud ad nos vſque deferre, vt poſſimus audire, & facere, quod præceptũ eſt? ſed iuxta te eſt ſermo valdè, in ore

Origenes. Intra nos eſt Deo opitulãte, conuerſionis facultas. Deut. 30.

ore tuo, & in corde tuo, vt facias illum, &c. Idem de pœnitentia dici potest. Non est in cælo sita, neque trans mare posita, sed iuxta nos, imò intra nos est, vt ait Origenes, in ore nostro, & in corde nostro: in ore nostro si peccata confiteamur, in corde si dolorem, criminumque detestationem iuuante Deo corde concipiamus.

Post triduum inuenit Deipara Christum, post triduum quoque mysticum, imò antè triduum, ipso primo die, tu reperies; primus dies contritionis est cordis, secundus confessionis est oris, tertius satisfactionis; Quemadmodum à sole dies luce illustratur, ita à Christo hi tres felicissimi dies clarissimo diuinæ gratiæ splendore illuminantur. *Mysticum triduum* Etenim contritionis primus dies, si vera contritio est, iam lucem habet gratiæ: secundus verò confessionis, & tertius satisfactionis dies, augent splendorem. *Genes. 1.* *Tenebræ erant super faciem abyssi, dixitque Deus, fiat lux, & facta est lux*, quam nemo nisi Deus efficere potuisset. Ita in homine improbo, tenebrę peccati sunt super faciem mentis, quæ instar abyssi profundissima est, sed misericors Deus, hominem per pœnitentiam è tenebris educit, gratiæque lucem super faciem abyssi iubet splendescere, quam nemo nisi omnipotens manus producere potest. Etenim omnipotentis manus est, tam gratię, quam animæ splendore, hominem illuminare.

Aduerte autem, Deum priorem esse quærendum. Prius enim Deus te quærit, quam tu illū quæras, & nisi ille te quæreret prior, tu illum nunquam quæreres posterior. *Bernardus. Prius Deus nos quærit, nisi quæras, non quæritur.* Qua de re lege Bernardum serm. 84. in Cantica. Hinc illud, *Erraui sicut ouis quæ perijt, quære seruum tuum*. Quemadmodum ouis quæ perijt, nisi à pastore quæratur, luporum dentibus discerpitur: sic anima, nisi à Deo quæratur, tartarei leonis vnguibus laniatur. Quamobrem Bernardus loco indicato, animam nostram appellat spiritum euntem in peccatum, & non redeuntem *Psal. 77.* in gratiam, nisi à Deo quæratur; iuxta illud, *Et recordatus est, quia caro sunt, spiritus vadens, & non rediens*; quod quidem sensu literali, de spiritu, id est, vento intelligitur, vel spiritu, qui ex corpore exit, neque redire in corpus potest, nisi diuina potentia restituatur. Quemadmodum verò vt spiritus in corpus redeat, diuina potentia est opus, ita vt spiritus ad Deum reuertatur, eadem potentia est necessaria, aliter enim spiritus est vadens, & non re- *D. Bernard.* diens. Bernardus sermone citato. Quærit, inquit, anima mea Verbum; sed, quæ à Verbo prius quæsita sit, alioqui semel à facie Verbi egressa, vel eiecta: non reuertetur oculus eius, vt videat bona, si non requiratur à Verbo. Quasi verò aliud anima nostra sit, quàm spiritus vadens, & non rediens, si sibi fuerit derelicta. Hæc ille.

Isai. 55. *Quærendus Deus tempore opportuno.* *D. Bernard.* Sextò. Quærendus prætereà Deus est, opportuno tempore; iuxta illud, *Quærite Dominum dum inueniri potest, inuocate eum dum prope est, derelinquat impius viam suam*, &c. Lege Bernardum sermone 75. in Cantica. Nunc, inquit, tempus acceptabile, nunc dies salutis sunt, tempus planè & quærendi, & inuocandi, & ideo dies salutis, quia in his ipse Rex noster operatus est salutem in medio terræ. Ergo nunc, & in medio gehennæ expectato salutem, quæ iam facta est in medio terræ. Quam tibi somnias prouenturam inter ardores sempiternos facultatem veniam promerendi, cum iam transijt tempus miserendi? Non relinquitur tibi hostia pro peccatis, mortuo in peccatis.

Sap. 5. Sed dices; Pœnitentia est apud inferos, sic enim scriptum est de damnatis, *pœnitentiam agentes, & præ angustia spiritus gementes*. Fatemur quidem agere damnatos pœnitentiam, non tamen veram, sed, vt Ly- *Lyranus.* ranus ait eodem capite, infructuosam. Et Alcinus in libro de virtutibus, & vitiis, capite de confessione; Tempus, ait, est nunc remissionis pœnitentibus, tempus erit post mortem vindictæ, confiteri scelera negligentibus. Omnes enim impij amaram habent in tormentis pœnitentiam, sed non proficit eis ad remissionem pœnitentia, torquet eos ad augmentum pœnarum, quas patiuntur, conscientia, &c.

Tempus opportunum quærendi Deum, vitæ huius tempus est, & dies salutis æternæ procurandæ, cum sanguis Christi præsentissima adest peccatorum medicina, quæ ad inferos minimè deferri potest. *Pœnitentia damnatorū infructuosa.* Non descendit ad inferos (ait Bernardus hoc loco citato) sanguis qui effusus est super terram. Biberunt omnes peccatores terræ, non est quod sibi ex eo vendicāt dæmones ad restinguendos focos suos, sed neque homines socij dæmonum. Sanguis Christi aridam rigauit, sanguis infudit terram, & inebriauit eam, sanguis quæ in terra, & quæ in cælo sunt pacificauit, non autem ea quæ apud inferos. Ergo nunc tempus acceptabile, & aptum ad quærendum, in quo, qui quærit, inuenit, si tamen vbi, & vti oportet, quærit. Hæc Bernardus. Oportet autem quærere diligenter, vt diximus iuxta illud, *Non tardes conuerti ad Dominum,* *Eccles. 5.* *& ne differas de die in diem, subitò enim veniet ira illius, & in tempore vindictæ disperdet te*, &c.

Corvus qui ex Arca Noe egressus est, egrediebatur, & non reuertebatur: Columba verò reuersa, & in Arcam est introducta. *Pœnitentia non procrastinanda. Vox coruina cras.* Similes sunt multi gementibus columbis, qui pœnitentiam protinus agunt commissi criminis, & in arcam reuertūtur: alij verò, coruis, qui egrediuntur, & non reuertūtur, & pœnitentiā de die in diem differunt, quorū vox est, cras, cras. De his Alcuin. Caroli Magni præceptor in libro de virtutibus, & vitiis; Forte, inquit, respondes, cras, cras, (scilicet, cōuertar.) O vox coruina, coruus non redijt ad arcam, columba redit. Si tunc vis pœnitētiam agere quando peccare non potes, peccata te dimiserunt, non tu illa. Satis alienus es a fide: qui ad agendam pœnitentiam, tempus senectutis expectas. *Alcuinus.* Hæc ille, & alia in hanc sententiam ait Salomon; *Ne dicas amico* *Prouerb. 3.* *tuo, vade & reuertere, & cras dabo tibi, cum statim possis dare*. Amicus tuus, quo nullus maior est, Christus est, cum igitur pœnitentiam à te petit, ne respondeas, Cras dabo tibi, sed statim dato. Coruinam vocem cras, coruis relinque. Dissoluta & paralytica cogitatio est (ait Alcuinus) de crastina cogitare conuersione, & hodiernam negligere. *Alcuinus.* Quid tu peccator conuerti dissimulas, & non metuis, ne tibi mors repentina subripiat diem conuersionis? &c. *In matutino* (ait Dauid) *interficiebam* *Psal. 100.* *omnes peccatores terræ, vt disperderem de ciuitate Domini, omnes operantes iniquitatem*: vt Dauid peccatores, sic tu peccata, in matutino ætatis interfice, ne illa, si in noctem, id est, mortem, differantur, te interficiant.

Salutis æternæ negotio, æternum fuerat tempus, si suppeteret, tribuendum; cùm tam breue suppetat, cur maximi momenti negotio totum non tribuis, sed pretiosissimæ rei prodigus, in vilissimas merces illud confers? Cur dæmoni temporis primitias, & ætatis robur donas, tibi verò animæque tuæ feces extremas reseruas? Non pudet te (ait Seneca in lib. de breuitate vitæ cap. 4.) *Seneca. Tempus animi saluti impendendum.* reliquias vitæ tibi seruare, & id solum tempus bonæ menti destinare, quod in nullam rem conferri possit? Quam serum est, tunc viuere incipere, cum desinendum est? quæ tam stulta mortalitatis obliuio, in quinquagesimum, & sexagesi-

mum annum differre ſana conſilia? &c. *Ne des* (ait Salomon) *annos tuos crudeli*, quæ verba Beda ſic exponit? Ne accepta viuendi ſpatia ad libitum immitis aduerſarij expendas, &c. Crudeli das annos, vel menſes, vel dies, quos criminibus perpetrandis impendis. Deo das ætatem, quam penitentiæ, rectè factis, ſanctis cogitationibus, ac lectionibus impertiris. Protinus ergo pœnitentiam age, Deo quod reliquum eſt vitæ tempus tribue, crudeliſſimo hoſti Satanæ, ne momẽtum quidem relinque.

Prou 5.

CAPVT XVIII.

Morale.

SEPTIMO. Quærendus eſt Chriſtus in medio doctorum. Ne tibi ſis magiſter, ne teipſum ſolus doceas: vitæ ſpiritualis doctores conſule, probos ac doctos, in medio illorum Chriſtum reperies. Seductori dat manum (ait Bernardus ſermone 77. in Cantica) qui dare diſſimulat præceptori. Et Epiſtola 87. ad Ogerium. Qui, inquit, vt magiſter eſſes aliorum minus te indicabas idoneum, nec te quidem tibi credens, tuus fieri diſcipulus contempſiſti. Et meritò, quia qui ſe ſibi magiſtrum conſtituit, ſtulto ſe diſcipulum ſubdit. Et quidem quid alij de ſe ſentiant ignoro, ego de me expertus ſum, quod dico, & facilius imperare, & ſecurius poſſum prę eſſe aliis multis, quàm ſoli mihi. Hæc Bernardus. Lege eundem Bernardum ſermone 77. in Cantica iam citato. Sermone primo in Pſalmo. Qui habitat; Obſecro, inquit, vos nouellæ plantationes Dei, vos qui nondum exercitatos habetis ſenſus ad diſcretionem boni & mali, & noli e ſequi cordis veſtri iudicium; nolite abundare in ſenſu veſtro; ne vos tanquam rudes adhuc, verſutus ille venator decipiat, &c.

D. Bern.

In medio doctorum Chriſtus inuenitur.

D. Bernard.

Doctores probi ac ſapientes conſulendi.

Cant. 3.

Quæſiui (ait ſponſa dilecta) *illum, & non inueni; inuenerunt me vigiles, qui cuſtodiunt ciuitatem: Num quem diligit anima mea vidiſtis? paululum cùm pertranſiſſem eos, inueni quem diligit anima mea.* Tu ſimiliter, ſi quæris Dominum, & non inuenis, ſurge, ad vigiles propera, qui cuſtodiunt ciuitatem, hoc eſt, ad doctores, qui cuſtodiunt Eccleſiam: interroga illos, viam diſce ab illis, ſequere eorum monita, paululum cum pertranſieris eos, inuenies, quem diligit anima tua. Quid per vigiles (ait Magn. Greg. Cantic. 3.) niſi doctores Eccleſiæ deſignantur? hi ſponſam quærentem inueniunt, qui piam animam Chriſtum inuenire ſatagentem excipiunt, & vt citius inueniat præceptis inſtruunt, exemplis accendunt, &c.

D. Gregor.

Cant. 1.

Orat ſponſum ſponſa; *Indica mihi quem diligit anigit anima mea, vbi paſcas, vbi cubes in meridie, ne vagari incipiam poſt greges ſodalium tuorum.* Cupiebat illa Dominum inuenire, nec vagari poſt ſodales ſponſi: ſed reſpondet ſponſus, opus eſſe ad ſodales paſtores, id eſt, doctores, ire, vt ipſum reperiat. *Si ignoras,* inquit, *te ô pulcherrima inter mulieres, egredere, & abi poſt veſtigia gregum tuorum, & paſce hœdos tuos iuxta tabernacula paſtorum.* Si, inquit, ignorantia tui laboras, & vbi ego in meridie cubem, & vbi paſcam ſcire cupis: duc greges tuos in paſcua, & paſce illos iuxta tabernacula paſtorum; vbi ego paſcam illi te docebunt, etenim cum illis quoque paſco. Greges habemus magnos, cogitationum, verborum, deſideriorum, operum, ne autem in venenata paſcua incidant, iuxta tabernacula paſtorum Eccleſiæ paſcendi ſunt, ad doctorum, ſanctorumque patrum rura ducendi.

Ibid.

Vbi non eſt gubernator, (ait Salomon) populus corruet, ſalus autem, vbi multa conſilia. Septuaginta interpretes verterunt; Quibus non eſt gubernatio, decidunt vt folia, ſalus autem eſt in multo conſilio. in quæ verba D. Dorotheus ſerm. 5. Cauere, inquit, nos admonet diuina Scriptura, ne noſmetipſos informemus, ne nos ſciolos habeamus, ne perſuadeamur eſſe nos ſatis nobis ad regimen noſtrum. Opus enim nobis eſt auxilio præter Deum, opus coadiutoribus. Nihil eſt miſerabilius, nihil quod citius expugnare queat, iis qui nullos duces, nullos autores habent ad viam Dei. Hæc ille. Et alia multa quæ legere poteris. *Prouerb. 11.*

D. Dorotb.

Via ſtulti recta in oculis eius, qui autem ſapiens eſt, audiet conſilia. Ne igitur ſtulti ſimus, à doctoribus conſilia petamus, doctoribus, inquam, probis, ac doctis, vt Ambroſius docet libro 2. officiorum, cap. 17. Talis, inquit, debet eſſe, qui conſilium alteri det, vt ſeipſum formam aliis præbeat ad exemplum bonorum operum, in doctrina, in integritate, in grauitate, vt ſit eius ſermo ſalubris, atque irreprehenſibilis, conſiliũ vtile, vita honeſta, ſententia decora. Et cap. 8. Huiuſmodi, ait, viro ſalutem noſtram, & exiſtimationem committimus, qui ſit iuſtus, & prudens; facit enim iuſtitia, vt nullius ſit fraudis metus, facit etiam prudentia, vt nullius ſit erroris ſuſpicio, &c. Et cap. 12. Quis in cœno fontem requirat? quis è turbida aqua potum petat? itaque vbi luxuria eſt, vbi intemperantia, vbi vitiorum confuſio, quis inde ſibi aliquid hauriendum exiſtimet? quis vtilem cauſæ alienæ iudicet, quem videt inutilem viæ ſuæ? Degeneres animos vita arguit. Quomodo enim eum potes iudicare conſilio ſuperiorem, quem vides inferiorem moribus? ſupra me debet eſſe, cui me committere paro. An verò idoneum eum putabo, qui mihi det conſilium, qui non dat ſibi? Hæc Ambroſius. Viros igitur doctos, atque probos conſule; virtute præditos, doctoſque confeſſarios, quibus mentem aperias quære, moribus, ſpiritu, ac ſapientia claros concionatores audi, ſanctorum patrum, Auguſtini, Ambroſij, Hieronymi, Gregorij, Bernardi, & ſimilium libros euolue. In medio horum doctorum, Chriſtum inuenies.

Prouerb. 12.

D. Ambroſ. Conſiliarij quales eſſe debent.

Degeneres animos vita arguit.

Amiſerunt Chriſtum Hæretici, neque inuenerunt, & quia in medio doctorum non quærunt. In cœno fontem requirunt, è turbida ac peſtifera aqua potum petunt, in ſpinis vuas, in tribulis ficus quærũt. Quid Lutherus? nõne cœnum? Quid Caluinus? nõne turbida ac peſtifera aqua? Quid nouatorũ doctrina? nõne ſpinę actribuli? Fontes puriſſimi, aqua ſaluberrima pleni ſacraque concilia ſunt ex quibus vera, antiquaque Eccleſię doctrina hauritur. Hæ ſunt vites, ex quibus vuæ, hæ ficus ex quibus dulces fructus colliguntur. In medio doctorum antiquorum, & patrum, qui ſummo cum conſilio in conciliis ſententiam dixerunt, Chriſtus reperitur, in medio nouatorum amittitur.

In medio nouorum Chriſtus amittitur.

Doctiſſimi illius, & antiqui patris Vincentij Lirinenſis legendus eſt libellus aureus, quem aduerſus prophanas hæreſeon nouationes ſcripſit; Magnoperè curandum eſt (ait ille, cap. 3.) vt id teneamus, quod ad omnibus creditum eſt, hoc eſt enim verè proprieque catholicum, ſed hoc ita demum fit, ſi ſequamur vniuerſitatem, antiquitatem, conſenſionem. Sequemur autem vniuerſitatem hoc modo, ſi hanc vnam fidem veram eſſe fateamur, quam tota per orbem terrarum confitetur Eccleſia. Antiquitatem verò ita, ſi ab iis nullatenus ſenſibus recedamus, quos ſanctos maiores, ac patres noſtros celebraſſe manifeſtum eſt. Confeſſionem quoque itidem, ſi in ipſa vetuſtate, omnium ſacerdo-

Vinc. entius Lirin.

Sequamur vniuerſitatem, antiquitatem, conſenſionem.

cerdotum, pariter & magiſtrorum definitiones, ſententiaſque ſectemur. Et cap. 20. Beatorum, inquit, patrum, ſanctum, catholicumque conſenſum, ne quis ſibi temere forte contemnendum arbitretur: ait Apoſtolus, *Et quoſdam quidem poſuit Deus in Eccleſiâ, primum Apoſtolos, ſecundo Prophetas, tertiò doctores*; hos ergo in Eccleſia Dei diuinitus per tempora, & loca diſpenſatos, quiſquis in ſenſu catholici dogmatis, vnum aliquid in Chriſto ſentiêtes contempſerit, nõ hominẽ contẽnit, ſed Deũ. Hęc ille.

1. Cor. 12.

8. Si Chriſtum reperiſti, tene illum, nec vnquam dimittas. Reperit illum Virgo, domum duxit, cum illo perpetuò vixit, reperit illum ſponſa, ſimiliter illi perpetuò adhæſit, læta ſic canit; *inueni quem diligit anima mea, tenui illum, nec dimittam, donec introducam illum in domum matris meæ, & in cubiculum genitricis meæ*. Adoleſcentula erat ſponſa, in domo matris habitabat: ideò ſponſum tenet, domum matris adducit, numquam dimittit. Illa anima in domo matris habitat, quæ habitat in Eccleſia Catholica, præterea, quæ nec ſui iuris eſt, nec proprij tenax iudicij, doctoribus & paſtoribus obedientiam præſtans, ſunt enim doctores, & paſtores veluti matres, iuxta illud Pauli, *Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Chriſtus in vobis*. & illud Bernardi ſerm. 23. Cantic. Erudimini qui iudicatis terram; dicite ſubditorũ matres vos eſſe debere, nõ dominos: matres fouendo, patres, corripiẽdo vos exhibeatis, producite vbera, pectora lacte pingueſcant; &c. Adoleſcẽtula prætereà eſt, nõ anus imbecillis, quoniã ijs, qui Chriſtũ retinere volunt, multi ſubeundi ſunt labores, laboribus autẽ tolerandis, ſpiritalis adoleſcẽtiæ robur, & ardor eſt opus. Nec inuenitur Chriſtus, neq; tenetur, ſine labore: ſi anima imbecillis eſt, facile illum dimittit, ſi fortis, atque ardens, vt ſponſa tenet eum, nec dimittit.

Chriſtus inuentus numquam eſt dimittendus Cant. 3.

Ad Gal. 4. Paſtores, matres ſũt. D. Bernard.

At rogabis numquid Chriſtus diſcedere ab animã nititur? ſi diſcedere nititur, illam non diligit; ſi nõ nititur, labor ad retinendũ nõ eſt opus. Non nititur quidẽ Chriſtus ab anima, qua ſummoperè diligit, diſcedere; imò conatur manere, nititur tamen effrenatæ appetitiones, nititur caro, nititur mũdus, nititur & tartareus hoſtis, ipſũ expellere; iis hoſtibus reluctatur adoleſcẽtula noſtra, diuinis pollens viribus, quia ſponſum domi vult retinere.

Cant. 3. Vt teneatur Chriſtus, fortitudo opus eſt magna.

Tenui, inquit, *illum, nec dimittam*. Tenui illum, fortiter charitatis vinculis conſtrinxi, non dimittam, ſi totus in te, à fortiſſima, ſponſa, irruat tartarus; non dimittam, ſi caro bellum inferat: non dimittam, ſi caro te omnibus machinis oppugnet? nõ dimittã, ſi te tyranni diſcerpere intendant, non dimittam. O animũ robuſtiſſimũ, ô charitatem inuictiſſimam. Audi ſponſam ſponſum tenentem, neque vllo modo dimittentem. *Quis nos ſeparabit* (ait Paulus) *à charitate Chriſti, tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas? an periculum? an perſecutio? an gladius? Certus ſum, quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque principatus, neque virtutes, neque inſtantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia, poterit nos ſeparare à charitate Dei, quæ eſt in Chriſto Ieſu.* Vides quam arctè Chriſtum Paulus complectatur? Ita tenendus, ita complectẽdus eſt, nihil vt in tota hac rerum vniuerſitate, reperiri queat, quod ab eo te poſſit diuellere. O infelicem illam animam, quæ Chriſtũ non tenet fortiter, ſed dimittit ignauiter, pro dulciſſimo ſponſo, crudeliſſimum hoſtem, pro opulentiſſimo rege, turpiſſimum monſtrum, pro Chriſto, ſatanam, domum inducit: ô inſaniam inauditam! Pulſat fores animæ, tentatione velut impia manu, Satanas, nõ obſerantur, ſed reſerantur: excipitur hoſtis adulter, pellitur ſponſus omni amore dignus.

Ad Rom. 8.

Imbellis anima *tanquam puluis* eſt, *quem proiicit* A *Pſal. 1.* Ieuis *ventus*, hoc eſt, tentatio, *à facie terræ* (vt eſt in Pſalmo) à facie gratiæ, à facie Dei. *Non ſic* fortis anima, *non ſic, ſed tanquam lignum quod plantatum eſt ſecus decurſum aquarum*, quodque vehementiſſimis licet flantibus ventis firmis hęret radicibus, neque vllo turbine poteſt eradicari. Iuſſit olim ſãctiſſimã virginem Luciã Paſchaſius eò trahi vbi eius virginitas violaretur. Sed tanto pondere eam fixit Spir. S. (canit Eccleſia) vt virgo Chriſti immobilis permaneret, & nulla vi de loco dimoueri poſſet. Eundem in modũ ſi te Satanas ad libidinẽ, vel ſcelus aliud velit trahere, obſiſte, diuiniq; Spiritus pondere ita cõſiſte, vt nulla te vis à caſtimonia, & diuina gratia poſsit dimouere. Tene ſponſum nec dimitte, tene, B inquã, arctiſsimè cõplectere, tenè, ac vigila: lecto, vbi tuus cubat Salomon, id eſt, conſciẽtiæ, fortiſsimos milites ac vigilãtes cuſtodes adhibe. Sic enim magni Salomonis, id eſt, Chriſti, lectus cuſtoditur. *En lectulum Salomonis ſexaginta fortes ambiunt, ex fortiſſimis Iſraël, omnes tenentes gladios, & ad bella doctiſſimi*, &c. *Cant. 3.*

Si roges, qui milites adhibendi ſint. Reſpondet Commetarius trium patrum apud Theodoretum, efficaces cogitationes, ac ſacras meditationes adhibẽdas ad cuſtodiam tanti regis. Sic enim habet, *Sexaginta fortes ambiũt lectulum Salomonis*, cogitationes nimirũ efficaces, quæ diuinâ virtute vndiq; tuentur animã ad Dei quietẽ præparatã, aduerſus fallacias ſpirituum improborũ, &c. Fortiſsimi milites, conſcientiæq; cuſtodes ſunt de tartaro, de cælo, de C morte, de iudicio, deq; aliis ſimilibus rebus cogitationes, quæ animũ roborant, tuentur, ſtabilemq; in virtutẽ reddũt. Hinc illud Auguſtini. ſerm. de S. Laur. Dura, inquit, fortis, & ſtabilis, religioſis meditationibus fũdata mẽs, & aduerſus omnes zabuli terrores, & minas mũdi, animus immobilis perſtat, quẽ futurorũ fides certa & ſolida corroborat, &c.

Ibid. Lectulum Salomonis, id eſt, Chriſti, qui milites tuentur.

Meditatiõ.

9. Si Chriſtum reperiſti, & vitiis æternum nuntium remiſiſti, naua operã, vt in gratia, diuinarũq; rerum cogitatione progreſſus facias ſemper, apud Deũ, & homines. Id quod docet Dominus, de quo Lucas ſcribit; *Et Ieſus proficiebat ſapiẽtia, & ætate, & gratia, apud Deum & homines*. Proborum hominũ eſt, retrorſum minimè redire, ſed vlterius ſemper pergere. Imperatoris præclariſsimi Caroli quinti inſignia ſunt, Herculis columnæ, additò hoc elogio; D Plus vltra. Hæc eadẽ vir probus ſibi vſurpet; Herculeis columnis ſtabilẽ in virtute cõſtantiam ſibi ante oculos proponat, illis verò verbis, ad curſum perpetuò ſe ſtimulet; Plus vltra. Vlterius, ſemper progrediendum eſt, numquam retrorſum reuertendum. Quamobrẽ Magnus Baſilius ad illa verba Iſaiæ c. 1. *Abalienati ſunt retrorſum*, ſic ſcribit; Is, qui ad perfectionem contendit, in anteriora ſe extendit. Peccator, in id, quod ponè eſt retrocedit, ſe elongans, à Domino. Et D. Bernardus Epiſt. 253. Nunquam, ait, iuſtus arbitratur ſe comprehendiſſe, nunquam dicit ſatis eſt, ſed ſemper eſurit, ſititque E iuſtitiã, ita vtſi ſemper viueret, ſemper quantũ in ſe eſt iuſtior eſſe contenderet, ſemper de bono in melius proficere totis viribus conaretur. Non enim ad annũ, vel ad tempus, inſtar mercenarij, ſed in æternum diuino ſe mancipat famulatui, &c.

Qui Chriſtum reperit, in virtute progreſſus ſemper faciat. Lucæ 2.

Carol. 5. Imp.

Plus vltra.

D. Baſilius.

D. Bernard.

Iuſtus æterno ſe mancipat famulatui.

Proficere autẽ oportet, apud Deũ, & homines. Apud Deũ quidẽ, quia ſi apud Deũ non proficias, quãtumcumq; apud homines proficere videaris, inanis erit profectus tuus, atq; vmbræ ſimilis. Apud homines verò, quoniã vir probus virtutũ omniũ exemplũ hominibus præbere debet, ita vt quæ intus latet lux, foras etiã erũpat. Apud homines tãtũ proficere, hypocritarũ eſt, apud Deum ſolũmodo, eremi incolarũ. Apud Deũ & homines, proborũ,

Diſparẽs aliquando dilectus.

virorum, qui in hominum cœtu versantur.

Decimo, Quod si dum progressus in virtute facis, dispareat aliquando dilectus, ne spem abiicias. Nam, quemadmodum Deiparam triduo deseruit, ita amicos deserit nonnumquam, vt auidius quæratur, dulcius inueniatur. Iuxta illud August. 103. concion. 2. Quod difficilius quæritur, dulcius inuenitur. Bernard. ser. 74. in Cantica, forte ideò subtraxit se, quò auidius reuocaretur, teneretur fortius, nam & Luc. 24. simulabat se longius ire, non quia hoc volebat, sed quia volebat audire, *Mane nobiscum Domine*, &c. Vide quanta cum auiditate sponsa dilectum, quia abierat, quærit; *Surgam*, ait, *& circumibo ciuitatem, per vicos & plateas quæram quem diligit anima mea.* Per vicos quærit & plateas capite 3. capite vero 5. etiam per vulnera, dum enim quærit; *Inuenerunt*, inquit, *me custodes, qui circumeunt ciuitatem, percusserunt me, & vulnerauerunt, tulerunt pallium meum mihi custodes murorum.* Post vulnera amore inflammata, filias Ierusalem sic adiurat; *Adiuro vos filiæ Ierusalem, si inueneritis dilectum meum, vt nuntietis ei, quia amore langueo.* Vides quam auidè quærat? Auide quæsiuit, & dulciter inuenit. Postquam vicos, & plateas percurrit, & in vigiles incurrit, rogauitque: *Num quem diligit anima mea vidistis?* dilectum inuenit. *Paululum*, inquit, *cum pertransissem eos, inueni quem diligit anima mea*, inuenit, dulciterque complexa; *Tenui*, dixit, *illum, nec dimittam.* Cur non dimittes? quoniam mihi adhærere Deo summo bono, bonum est, adhærere totius dulcedinis fonti, dulcissimum est, gustare & videre, quam suauis est Dominus, suauissimum.

D. Augustin. D. Bernard. *Luc. 24.* *Subtrahit se Dominus vt auidius quæratur.* *Cant. 3. & 5.* *Cant. 3.*

Sed vt cum Bernardo loquar sermon. 23. Cant. Heu rara hora, & parua mora. Disparet puer IESVS, discedit lætitia Israël, volat Verbum, sed non irreuocabile Verbum, vt Bernard. appellat sermon. 74. Cant. Christus, inquit, abiens reuocari vult. Neq; enim hoc irreuocabile est Verbum, it, & redit pro beneplacito suo, quasi visitans diluculo, & subito probans. Et ire quidem illi, quodammodo dispensatorium, redire verò semper voluntarium est. Hæc ille, Redit reuocabile verbum, si dolens illud quæras; doloremque commutat in gaudium. Rediit ad Virginem post triduum, modicum, illud non vidit, & iterum modicum, & vidit; vidit & gauisa est. At vt cum Bernardo dicam sermone indicato. O modicum, longum. Longum fuit Deiparæ illud modicum. Nam modica IESV amati absentia, longa est amanti, longa IESV absentia, modica est non diligenti.

Verbum reuocabile. *D. Bernard.*

Aliud superest tibi modicum ô Virgo sanctissima, aliud triduum, in quo maiori cum dolore natum desiderabis. Illud nimirum, quo in sepulchro, vulneribus confossus, vitaque priuatus iacebit, sed quemadmodum post hoc triduum, in templo illum saluum atque incolumen reperisti, ita post illud sepulchri triduum, immortali restitutum vitæ, de morte, tartaroque triumphantem, recipies. Triduo, hoc est, breui tempore, iustorum durat dolor, miseretur Dominus, pellitque mœrorem, iuxta illud; *Misereor super turbam, quia iam triduò sustinent me.* Sustine triduò Deum, post breue tempus aderit. *In momento* (ait Isa.) *indignationis abscondi faciem meam parumper à te, & in misericordia sempiterna misertus sum tui*, &c. Cum autem redierit, cum Psalmographo lætus canes, *Secundùm multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuæ lætificauerunt animam meam.*

Marc. 8. *Isai. 54.* *Psalm. 93.*

CAPVT XIX.

Morale.

DENIQVE si dilectum retinere cupis, illius obedientiam toto pectore sectare. *Erat* (inquit Euangelista) *subditus illis.* Deus hominibus, creator creaturis, cui omnia subdita sunt, subditus erat subditis. Tu subditus esto Deo. Deo Regi maximo obedientiæ tributum debemus cuncti. Deo (ait Bernardus sermone 2. de S. Andrea) necesse habemus reddere obedientiæ nummum, nec suscipiet eum, nisi integer inueniatur, & sine aliqua falsitate, &c. Deo autem soluimus aureum nummum pretij maximi, cum hominibus, qui vices Dei gerunt, auream obedientiam præstamus. Etenim, vt Basilius Magnus scribit, in constitutionibus monasticis, cap. 23. Nihil est aliud antistes, qui modò diligenter munus exequatur, cui præpositus est, pietatem videlicet, quam is, qui personam Christi sustinet, & sequester inter Deum & homines, eorum, qui in ipsius officio sunt salutem sacrificans Deo. Antistitem autem Dei personam sustinere ex sacris litteris probat hoc modo; Animaduerte, inquit, quid in Euangelijs Dominus dicat, cum de obedientia aduersum seruos adhibēda, legem sanciret; *Qui vos recipit*, inquit, *me recipit*, & itē alio loco; *qui vos audit, me audit*; *& qui vos spernit, me spernit.* Quod Apostolis dixit, intelligendus est, in commune legem sanxisse in posteros, qui aliorum futuri erant moderatores. Hæc Basilius. Bernardus in libro de dispensatione, & præcepto; Quidquid vice Dei præcipit homo quod non sit tamen certum displicere Deo, haud secus accipiendum est, quam si præcipiat Deus. Item; Ipsum, quem pro Deo habemus, tanquam Deum in ijs, quæ apertè non sunt contra Deum, audire debemus. Item ex regula D. Benedicti; Obedientia, quæ maioribus præbetur, Deo exhibetur, &c.

De obedientia. Luca 2. *D. Bernard.* *D. Basilius. Personam Dei sustinet is, qui præest.* *D. Bernard.*

Vocauit Deus Samuelem, sed quanam voce vocauit? voce superioris, scilicet, pontificis Heli. *Cucurrit enim ad Heli, & dixit; Ecce ego, vocasti enim me.* Huiusmodi autem vocis sono, simili sono vocis Heli, quater vocauit, vt inde inter alia colligamus, superioris vocem, vocem esse Dei, cui summa cum festinatione est obtemperandum. *Constitui te Deum Pharaonis* (ait Deus Mosi) Pharaonis Deum constituit Deus Mosem; religiosorum verò Deum, constituit moderatorem, qui ritè ac legitimè illis præfectus est. Moses constitutus est Deus Pharaonis, vt Pharaonem perderet, pelagoque obrueret; religiosorum verò moderator constituitur Deus, vt subditos seruet, tartareisque vndis eripiat. Virga Mosis, Ægyptios acerbissimis flagellis cecidit, virga moderatoris, religiosos pascit ac consolatur, iuxta illud, *Virga tua, & baculus tuus, ipsa me consolata sunt.* Etenim moderatoris virgam instar Aaronicæ virgæ esse oportet, quæ flores, fructusque produxit. Numerorum 17. Florida sit, suauis, fructu plena, & amore. Hinc illud Bernardi serm. 23. Cantic. Erudimini qui iudicatis terram, discite subditorum matres vos esse debere, non dominos, studete magis amari, quàm metui. Etsi seueritate interdum opus est, paterna sit, non tyrannica, matres fouendo, patres vos corripiendo exhibeatis. Ponite feritatem, suspendite verba, producite vbera, pectora lacte pinguescant, non typho turgeant. Hæc ille.

Vox superioris vox est Dei. *1. Reg. 3.* *Exod. 7.* *Psal. 23.* *Superioris virga Aaronis similis.* *Num. 17.* *D. Bernard.*

Magnam vim apud probos viros ad obediendum, hæc cogitatio habet, Deo in homine obtempero. Cum Christi discipuli (vt narrat Ioan.) in lacu

Ioan. 21.

Iacu Galilææ piſcarentur, viſus eſt Chriſtus in litore rediuiuus, agnouit magiſtrũ dilectus diſcipulus. Tum Petrum reſpiciens; *Dominus, inquit, eſt. Petrus verò (ait Ioan.) cùm audiſſet quia Dominus eſt, tunica ſuccinxit ſe, & miſit ſe in mare. Alij autẽ diſcipuli nauigio venerunt*, &c. En tibi generoſi imaginem obedientis, qui non in homine, ſed in Deo figit oculos. Quemadmodum Petrus vbi primum audiuit, *Dominus eſt*, in mare ſe iactauit, ira obediens, vbi primum tacita cogitatione hęc animo verba voluit, Dominus eſt, Domini vices gerit meus moderator; protinus ad iuſſa capeſſenda, & ſi amariſſima ſint ac falſiſſima generoſè exilit, & veluti in mare ſe deiicit. Aliis verò, quorum oculi nõ adeò lyncei ſunt, vt in homine Deum cernant; quorum tarda cogitatio hoc non ſuggerit, nauigiis eſt opus, vt ad obediendum ferantur. Feruntur illi imbecilles commoditate, honore, & humilibus rationibus, quę obediendi valde eneruant. Hoc igitur in ſuperiore diligenter attendendum eſt, vicarium eſſe Dei, ſit imperitus, ſit ignobilis, ſit omnibus dotibus vacuus, quæ illuſtrant hominem: at Chriſti effigies eſt. Hoc ad parendum, promptæ, alacriq́ue voluntati ſatis eſt.

Prompte & alacriter ſuperiori obtemperat, qui in ſuperiore Deum videt.

Eundem honorem cruci exhibemus, ſiue ea ex auro, ſiue ex ære, ſiue ex ligno ſit fabricata, non enim materiam, ſed figuram ſpectamus. Eandem quoque obedientiam, ei qui legitimè præeſt præſtare debemus, ſiue is illuſtri, ſiue obſcuro loco ſit natus, ſiue doctus ſit, ſiue indoctus, ſiue ſit iuuenis, ſiue ſenex. Non enim materia ſpectanda in eo eſt, aurum, æs, lignum, ſed figura, atque ſignificatum, ſignificat autem Chriſtum, cuius vicem obtinet. Olim, vt refert Herodot. libro 2. Rex Ægypti Amaſis, cùm ab Ægyptiis, quòd illuſtri familia ortus non eſſet, non magni ſe fieri videret, auream peluim, in qua tam ipſe quàm conuiuæ pedes ſolebant abluere, in ſimulachrum Dei neſcio cuius conuertit, populoq́ue propoſuit adorandum, id quod populus fecit libenter. Tum conuocatis Ægyptiis, ex pelui, in qua conuiuæ pedes abluere ſolerent, fabricatum idolum indicauit, quod tantopere venerarentur: ſimilem ſe fuiſſe pelui dixit, plebeio ortum genere, ſed ex pelui abiecta factum eſſe ſimulachrum, hoc eſt, regem atque adeò honorem ſibi regium deferendum. Hunc in modum, (ait Herodotus) ad ſe traduxit Ægyptios, ita vt æquum cenſerent ei ſeruire. Simili ratione, fuerit is qui reliquis imperat peluis, fuerit ignobilis, & è media plebe: at ſi ex pelue fit crux, ſi ex ignobili fit moderator, tum honor illi magnus debet exhiberi, tum eius mandata, non ſecus, ac ſi à Deo traderentur, debent audiri. Iuxta illud Bernardi, loco iam citato, Siue Deus, ſiue homo vicarius Dei mandatum quodcunque tradiderit, pari profectò obſequendum eſt cura, pari reuerentia deferendum, vbi tamen Deo contraria non præcipit homo, &c. Vide quantum honoris, & obedientiæ tribuat vir rerum ſpiritualium peritiſſimus ſuperioris mandato. Pari, inquit, obſequendum eſt cura, pari reuerentia deferendum.

Nõ conſiderandum ſuperiore materia, ſed figura.

Amaſis rex.

D. Bernard.

Præceptum decalogi eſt, Exod. 20. *Honora patrem tuum, & matrem tuam, vt ſis longæuus ſuper terram.* Si patres carnis honorandi ſunt, patres ſpiritu ſuo honore non ſunt fraudandi. Honorandus eſt, & amandus cœnobij præpoſitus tanquam pater, honoranda, & amanda ipſa religio, veluti mater: qui verò hoc præſtiterit, is longæuus erit ſuper terram, & æternus ſuper cælum: longæuus, inquam, ſuper terram, id eſt, religionem. Qui enim religionem, ad quam à Deo vocatus eſt, honorat atque amat, in ea ad mortem vſque perſeuerat: qui verò parui tantum Dei beneficium facit, & faſtidit, vel ab ea deficit, vel parum proficit. Vnde D. Anſelmus epiſtola 7. Cum Diabolus, inquit, monachum nequit obruere vitæ, quam profeſſus eſt odio, nititur cum cõuerſationis, in qua eſt ſubruere faſtidio, vt dum illi perſuadet, incœpto Dei beneficio ingratus exiſtere, iuſto iudicio nec ad meliora proficiat, nec quod accepit forte teneat, aut in eo inutiliter perſiſtat. Hæc Anſelmus.

Exod. 20.

Qui religionem amat, in religione perſeuerat.

D. Anſelm.

Primum igitur hoc obediẽs apud ſe ſtatuat, moderatoris ſui vocem ac iuſſa Chriſti Optimi, Maximi, vocem eſſe, & iuſſa. Deinde verò perfectum obedientiæ holocauſtum Deo offerat. Offeret autem perfectum, ſi corpus, voluntatem, iudiciumq́ue proprium, obedientiæ tradiderit. Corpus quidem, vt iuſſa opere exequatur; volũtatem, vt idem penitus, quod ſuperior vult, velit; iudicium, vt idem, quod ille ſentit, ſentiat. Diuinum corpus totum obtulit Chriſtus obedientiæ, caput ſpinis, manus pedeſq́ue clauis, terga verberibus, faciem ſputis atque alapis. Quid igitur mirum, ſi nos corpus noſtrum operi, quodcunque illud ſit, etiam abiectiſſimo offeramus? quid abiectius eſſe poteſt ſputis, colaphis, verberibus? Hæc ſi Dominus ſubire minimè recuſauit, quid eſt, quod ſeruo recuſare fas ſit, legitima poteſtate imperante? Audi Magnum Baſilium in conſtitutionibus monaſticis cap. 24. Si de muneribus, inquit, iis, quæ abiectiora ſunt, aliquid exercendum ſit, ſcire conuenit, Saluatorem quoque ipſum, diſcipulis miniſtraſſe, & abiectiora opera facere, non recuſaſſe, magnumq́; homini eſſe, ſi Dei imitator exiſtat. Cùm per hæc quæ humilia ſunt, ad altitudinem illam, quòd illum eſt imitatus, aſcendat. Quanquam quis iam humile auſit quippiam appellare, quod Deus ipſe attingere non recuſauit? Hæc ille.

Obedientia holocauſtum.

Obedientia labori, corpus offerendum.

D. Baſil.

Munera abiectiora libenter obeundo.

Alias reddit rationes idem pater ſapientiſſimus initio capitis, cur viliora etiam opera, alacri animo ſint exequenda. Quoniam videlicet, Dei cauſa fiant, maximumq́ue nobis præmium pariant. Intelligendum, ait, illud eſt, debere pietatis cultorem, viliora etiam munera, magno cum ſtudio, magnaq́ue cum animi alacritate ſuſcipere: ſcient enim nihil minutum eſſe, quod Dei cauſa fiat, ſed grande, & ſpirituale, & eiuſmodi, quòd cælum nobis, & præmia cœleſtia conciliat, &c. Similis eſt auro obedientia, auri inſtar opera omnia, etiam abiectiſſima, ſplendida reddit, atque illuſtria. Quemadmodum totum Salomonis templum auro fulgebat, etiam pauimentum, vt memorię proditum eſt, 3. lib. Reg. ca. 6. ita religionis templum totum obedientiæ auro ſplendeſcit, etiam quæ pauimento ſimilia ſunt opera, hoc eſt, contempta atque abiecta; rutilant. Imo, quò ſunt abiectiora, & voluntati magis aduerſantur, eò maiorem effundunt ſplendorem. Denique vt Magnus dixit Baſilius; nihil minutum eſt, quod Dei cauſa fiat, ſed grande atque illuſtre.

D. Baſil.

Obedientia opera etiam abiecta reddit illuſtria, & inſtar auri inaurat. 3. Reg. 6.

Offerenda præterea voluntas obedientiæ, quoniam magna voluntate peragi debet. Leuit. 7. Pectus, & armum iubet Deus offerri ſacerdoti. *Pectuſculum, inquit, erit Aaron, & filiorum eius, armus quoque dexter, de pacificorum hoſtiis, cedet in primitias ſacerdotis*, &c. Superioris hæ duæ ſunt partes, pectus & armus. Obedientiæ eſt pectus offerendum, imò humile pectuſculum, hoc eſt voluntas humilitate plena, & armus ſiue humerus, ad portanda impoſita onera paratiſſimus. Nec ſatis eſt armus ſine pectuſculo, nec ſatis pectuſculum ſine armo. Non eſt ſatis, opera ſine voluntate exequi, nec ſatis voluntatem offerre, onus verò operum ſi diſplicent, recuſare. Voluntas cum operibus prompta, moderatoriſq́ue voluntati conſentiens offerri debet.

Leuit. 7.

Obedienti, promptam exigit voluntatem.

Illud tamen in voluntate animaduertendum diligenter est, quod Magnus Gregorius animaduertit libro trigesimoquinto, Moral. ad illa verba capite 24. Iob. *Dederunt ei vnusquisque ouem vnam, & inaurem auream vnam*; Sciendum, inquit, summopere est, quod obedientia aliquando, si de suo aliquid habeat, nulla est; aliquando autem, si de suo aliquid non habeat, minima. Nam cùm huius mundi successus præcipitur, cum locus superior imperatur, is, qui ad percipienda hæc obedit, obedientiæ sibi virtutem euacuat, si ad hæc etiam ex proprio desiderio anhelat. Neque enim se sub obedientia dirigit, qui ad accipienda huius vitæ prospera, libidini propriæ ambitionis seruit. Rursus, cùm mundi despectus præcipitur, cùm probra adipisci, & contumeliæ iubentur, nisi ex se ipso animus hæc appetat, obedientiæ sibi meritum minuit, quia ad ea, quæ in hac vita despecta sunt, inuitus nolensque descendit. Debet ergo obedientia, & in aduersis ex suo aliquid habere, & rursum in prosperis, ex suo aliquid omnimodo non habere, quatenus & in aduersis tantò sit glorioſior, quantò diuino ordini etiam ex desiderio iungitur, & in prosperis tantò verior, quantò à præsenti ipsa quàm diuinitus percipit gloria, funditus ex mente separatur. Hæc Gregorius.

D. Gregor.

Obedientia in rebus aduersis voluntatis habeat plurimum, ad secundas res desiderij afferat nihil.

Eodem locò auream inaurem, quæ ex aure suspenditur, obedientiam ait significare, charitate fulgentem. Quæ autem charitate fulget obedientia, non sua quærit, sed quæ sunt Iesu Christi. Quia, inquit, obedientia non seruili metu, sed charitatis affectu seruanda est, non terrore pœnæ, sed amore iustitiæ, cuncti, qui ad conuiuium venerunt, auream inaurem obtulisse Iob perhibentur. Vt videlicet, in ea, quæ exhibetur obedientia, charitas fulgeat, quæ virtutes omnes, quasi auri more cætera metalla, transcendat, &c. Obediens verus auream offert superiori inaurem, siue potius auream aurem, id est, charitatis auro, omni propriæ voluntatis scoria expurgato splendentem, iussa omnia amanter, alacriterque accipientem.

Obediens aureum offert aurem. Exod. 21.

Serui, qui seruus esse mallebat, quàm liber, signum olim fuit, perforata auris, vt intelliges ex illis verbis cap. 21. Exod. *Quod si dixerit seruus, diligo dominum meum, & vxorem ac liberos, non egrediar liber, offeret eum dominus eius: & applicabitur ad ostium, & postes, perforabitque aurem eius subula, & erit ei seruus in seculum.* Vir religiosus, qui Dei seruus esse maluit, quam mundi liber, hoc gerat signum, perforatam aurem moderatoris apertam mandatis, superbia ac philautia minimè obturatam, humilitate, promptaque voluntate patentem. Huiusmodi aures habuisse Christum testatur Psalm. 39. *Sacrificium*, inquit, *& oblationem noluisti, aures autem perfecisti mihi.* Perfectissimæ fuere ad excipienda Patris præcepta Christi aures, similes perfecta obedientia sibi vendicat. Hebraicum verbum, Cara, significat fodere; vnde D. Hieronym. transtulit; Aures fodisti mihi. Aures autem fossæ dicuntur aures perfectæ, & apertæ, nec malo vllo humore obturatæ.

Obediens perforatas, ac perfossas aures habet.

Psal. 39.

Inobediens religiosus aures habet obturatas, obediens apertissimas, quoniam magna obedit voluntate. Etenim voluntas aures, vel aperit, si prompta atque ardens est; vel claudit, si segnis & ad præstanda iussa frigida est: frigidus obediens ea præcepta, quæ voluntati arrident apertissimis auribus audit; ea autem, quæ difficilia sunt, & voluntati repugnant, obturatis auribus excipit. Ardens charitate obediens, quæ voluntati placent; idcircò tantummodo quia iubentur, & apertâ aure audit, & exequitur: illa verò à quibus voluntas abhorret, & apertissima aure excipit, & ardenti voluntate complectitur. Aurum si sursum coniiciatur, eo fertur tantum impetu, quem manus coniicientis impressit, si verò coniiciatur deorsum, & suo fertur pondere, & coniicientis impetu. Eundem in modum, aureus obediens, si in superiorem locum ascendere, si quæ placent voluntati, iubetur facere, superioris solùm iussu ducitur: si in infimum locum descendere, si quæ voluntati aduersantur, iubetur exequi, tum superioris iussu, tum sua alacriter rapitur voluntate.

Inobediens aures habet obturatas superbia, alijsq; vitijs.

Aureus obediens.

Non fit perspecta in ijs obedientia, quæ placent, sed in ijs exploratur, quæ displicent. Ideoque hæc à vero obediente, & agenda sunt ardenti animo, cum præcipiuntur, & expetenda magno desiderio, cùm non iubentur. *Factus obediens* Christus (ait Paul. ad Philippens. 2.) sed quanam in re factus est obediens? nunquid in re facili, ac iucunda? Audi quid sequatur; *Factus*, inquit, *obediens, vsque ad mortem, mortem autem crucis*, factus est obediens in re omnium difficillima, doloris, dedecorisq; plenissima morte videlicet crucis. Res difficilis, & iniucunda, obedientiæ lydius est lapis, cuius tactu qualis sit indicatur. An hunc lydium lapidem, Abrahami, & Isaaci obedientiam, Deus explorauit. Factus est obediens Abrahamus, vsque ad mortem, mortem autem filij: factus est obediens Isaacus vsque ad mortem, mortem autem holocausti. Pater enim filij iugulum gladio petebat, filius iugulum Deo obediens libenter præbebat. Nisi verò post exploratam obedientiam Deus obstitisset, mandatumq; reuocasset, pater filium immolasset, filius in holocaustum Deo incensus fuisset. Quidnam potuit difficilius iuberi?

Phil. 2.

Obedientia in rebus arduis explo-ratur.

Didicit Christus (ait Paulus ad Hebr. quinto,) *ex ijs, quæ passus est obedientiam*, nos item ex iis, quæ patimur, non ex ijs, quæ iucunda, & suauia sunt, obedientiam discimus. Si ergo docti obedientes euadere cupimus, difficilia iussa & peroptemus, & libenter exequamur. Quamdiu enim in ijs, quæ arrident versabimur, alphabetarij pueri erimus. Senecam illum notissimum Philosophum, ad subeundos difficiles & duros labores, Sextij cuiusdam liber adeò incendebat, vt casus omnes ad congressum prouocaret, nos Christi Magni Dei Crux, singulareq; obedientiæ exemplum, non inflammabit, ita vt difficilia omnia iussa, & expetamus, & exequamur? Sed ipsum Senecam audiamus de se epist. 65. hæc scribentem; In quacunque positione mentis sim, cum lego Sextium, libet omnes casus prouocare, libet exclamare; Quid cessas fortuna? congredere, paratum vides, illius animum induo, qui quærit vbi se experiatur, vbi virtutem suam ostendat.

Heb. 5.

Senecæ.

Spumantemque dari, pecora inter inertia, votis *Virgil.*
Optat aprum aut fuluum descendere monte leonem.

Libet aliquid habere quod vincam, cuius patientia exercear. Hæc Philosophus. Quid Christianus? quid religiosus? quid obedientiæ professor? nunquid Ethnico Philosopho timidior, obedientia difficilia præcepta reformidabit? nunquid si inertia pecora, hoc est, iucunda, faciliaque præcepta, obediendo vicerit, magnum se aliquid fecisse arbitrabitur? Induat animum Ethnici obediens Christianus, Philosopho non patiatur se videri inferiorem vir religiosus? imò quàtò sumitur maius à Christi cruce, quàm à Sextij libr. incitamentum, tanto fit maior atq; ardentior animus. Cùm lego Sextium (ait ille) libet omnes casus prouocare, &c. Cum Christum (dicat obediens) factum obedientem intueor,

intutor, vsque ad mortem, mortem autem Crucis, libet omnia iussa, & si difficillima expetere, libet exclamare; Quid cessas moderator? quidquid difficile, periculosum, arduum est, iube: ad parendum paratum reperies, non cum inerti pecore, sed cum spumantibus apris, fuluisque leonibus congredi, hoc est, non leuia & iucunda, sed laboriosa mandata atque ardua, à te audire, atque exequi cupio. Libet Christo parem gratiam quoquomodo possum referre, factus ille est obediens vsque ad mortem, mortem autem Crucis, fieri desidero obediens vsque ad mortem, mortem autem propriæ voluntatis.

Excellant titulis alij, ac literis, verus obediens hac vna re excellat, morte voluntatis. Hoc est magni illius Gregor. consilium, qui rerum moralium peritissimus habetur author, in Commentar. libr. primo Reg. cap. 3. Operator, inquit, strenuus vitæ socialis, & communiter secum Deo seruientium pius æmulator, si æterni meriti ampliorem retributionem, per obedientiæ bonum adipisci desiderat, in hoc solo se cognoscat excellere, si præ cæteris arbitrio maioris propriam subdiderit voluntatem, &c.

D. Gregor.

Restat mors quoque proprij iudicij, diximus enim suprà offerendum cum corpore, & voluntate etiam iudicium proprium: vt perfectissimum sit, ac bene medullatum obedientiæ holocaustum. Aures petit obedientia apertas, oculos verò clausos, mortuam voluntatem propriam flagitat, mortuũ quoq; ad diiudicandum superiorũ mandatum iudicium. Celeberrimum obedientię exemplar Abrahamus, *duplicem emit spelunсam*, vt scribitur Gen. 23. Non enim satis est simplex obedienti spelunca, duplex opus est, altera, in qua voluntatem, altera in qua mortuum iudicium, sepeliat. Oues (ait Gregor. Nazianzen. oration. 9.) ne pascite pastores, nec supra fines vestros assurgite. Iudices ne iudicate, nec legislatoribus leges præscribite, &c. Alter Gregor. Magn. libro 1. Reg. cap. 3. Vera obedientia nec præpositorum intentionem discutit, nec præcepta discernit: quia qui omne vitæ suæ iudicium maiori subdidit, in hoc solo gaudet, si quod sibi præcipitur operatur. Nescit enim iudicare, quisquis perfectè didicerit obedire, quia hoc tantum bonum putat, si præceptis obediat. Hæc ille. Lege eundem patrem sanctissimum in Commentar. 3. cap. Iob, ad illa verba; Et venit super me indignatio, quo loco præter alia, docet tum sanctorum virorum, tùm superiorum facta non esse mere incusanda. Diui etiam Hieronymi in epistola ad Rusticum, hoc est documentum; Præpositum monasterij timeas, vt Dominum, diligas, vt parentem, credas tibi salutare quidquid ille præceperit, nec de Maiorum sententia iudices, cuius officij est obedire.

Iudicij proprij mors, obedientiæ opus.

Gen. 23.

D. Gregor. Nazianz.

Magn. Gregorius.

D. Hieron.

Magnus ille Apostolus, cùm ex Saulo Paulus, cùm ex rapaci lupo factus est obediens ouis, vocemque illam ex obedienti emisit pectore; *Domine quid me vis facere?* cœlesti luce est illuminatus, oculorum autem lumine priuatus. *Apertis oculis*, ait Luc. Act. 9. *nihil videbat.* Etenim, qui cælesti obedientiæ splendore illustratur, is proprij iudicij luce orbatur. Luce maiore fulgente non est opus minore, fulgente Sole non est necessaria lucerna, maior est lux obedientiæ, quam propriæ intelligentiæ, cum ergo illa splendet, hæc deficiat. Vnum corpus vnicum habet intellectum, Vnum corpus est religiosorum virorum familia, vnicum igitur habeat in capite, id est, moderatore, intellectum. Superiorem vt honoremus, capiti pileum detrahimus, quemadmodum pileum foris, sic iudicium obedientiæ repugnans intus capiti detrahamus. Multi pileum detrahunt, caput verò iudicio proprio obuoluunt, superioris iussa incusant, & à ratione aliena esse rationibus à ratione alienis, sibi persuadent. Hi & si caput externum superiori aperiant, internum execrando proprij iudicij pileo malè tegunt. Audiant Augustinum de obedientia Abrahami loquentem, libro 16. de ciuitate Dei, capite trigesimosecundo. Diuino intonante præcepto obediendum est, non disputandum. Cum superior imperat, diuinum præceptum, vt supra iam ostendimus, intonat, præcepto ergo superioris intonante, obediendum est, non verò friuolis, & à malo dæmone suppeditatis argumentis disputandum.

Act. 9.

D. August.

Cur cedet Ethnicis Christianus vir, ac religiosus? De Ethnicis Pythagoræ discipulis Greg. Nazianz. oratione 3. contra Iulianum hæc scribit. Iis qui Pythagoræ Philosophiam colunt, illud, αὐτὸς ἔφα, id est, ipse dixit dogmatum omnium primum est, & maximum. Etenim post primam illam celebratissimam silentij philosophiam, vt sermonis moderationem facendo discerent, solemne, & visitatum erat, de quocunque dogmate interrogarentur, rationemque poscerentur, nihil aliud respondere, quam quod Pythagoræ ita placuisset, rationemque dogmatis esse, id quod illi in mentem veniisset, ab omni examine, ac censura liberum, &c. Magistro Ethnici intellectum subiiciebant, vt discerent Philosophiam, superiori vir religiosus iudicium non subiiciet, vt discat obedientiam? Denique Magn. Basil. in constitutionibus monasticis cap. 23. hac de re dicenti auscultemus. Quemadmodum, inquit, Pastori suo oues obtemperant, & viam quamcunque ille vult ingrediuntur, sic qui ex Deo pietatis cultores sunt, moderatoribus suis obsequi debent, nihil omnino curiosius illorum iussa perscrutantes, quando libera sunt à peccato, contraque ea summa animi alacritate summoque studio conficere. Quemadmodum enim faber ædificatorve, singulis artis instrumentis pro arbitrio vtitur suo, neque vnquam vllum inuentum est instrumentum, quod ad quemcunque ille vsum voluisset, non se facile tractandum præbuerit, ac moderatoris manui cesserit: item quoque conuenit verum pietatis cultorem, perinde, vt instrumentum quoddam vtile opifici, ad complendam spiritualem fabricam, omnibus in rebus parere, in quibus, vt operam suam nauet, rectum esse antistes iudicarit. Ne si id facere recusarit, impedimento sit, quominus spiritale opus compleatur. Et, vt instrumẽtum non sibi ipsi deligit, quod facto vsus sit ad artem iuuandam, eodem modo pietatis cultorem quoque nequaquam conuenit ipsum esse, qui sibi iudicio suo opus deligat, sed gubernationem sui artificis prudentiæ debet consilioq; concedere. Hactenus Basilius. Seraphicus verò Franciscus cùm rogaretur, quis esset verus obediens iudicandus, corporis vita priuati, proposuit similitudinem, vt testatur in eius vita D. Bonauentura cap. 6. Tolle, ait, corpus exanime, & vbi placuerit pone, videbis non repugnare motum, non murmurare situm, non reclamare dimissum. Quod si statuatur in cathedra, non alta, sed ima respiciet, si collocetur in purpura, duplo palleſcet? Hic, inquit, verus obediens est, qui cur moueatur non diiudicat, vbi locetur non curat, vt transmutetur non instat; erectus ad officium, solitam tenet humilitatem, plus honoratus plus reputat se indignum, &c.

Mors proprij iudicij in discipulis Pythagoræ. Greg. Naz.

D. Basil.

D. Francisc.

Obediens à D. Fracisco corpori exanimi confertur.

Ad

Ad finem propero. Non tamen tacitus eiuſdem obedientiſſimi Patris Franciſci præteribo exemplum, quod obedientibus ſtimulos addere, inobedientibus verò, & dominatum appetentibus frenum ac pudorem maximum poſſit iniicere: eo-
D Franciſc. dem cap.6. D.Bonauent. hæc de Magno Franciſco ſcribit; Vt pluribus modis negociator Euangelicus
D. Bonau. (ſcilicet D.Franciſc.) lucraretur, ac totum præſens tempus conflaret in meritum, non tam præeſſe voluit, quam ſubeſſe, nec tam præcipere, quam parere. Idcirco Generalis cedens officio Guardianum petiit, cuius voluntati per omnia ſubiaceret. Tam enim vberem aſſerebat ſanctæ obedientiæ fructum, vt eis, qui iugo ipſius colla ſubmitterent, nihil temporis ſine lucro tranſiret. Vnde & fratri, cum quo erat ſolitus ire, ſemper obedientiam promittere conſueuerat & ſeruare. Dixit aliquando ſociis; Inter alia, quæ mihi pietas diuina conceſſit, hanc gratiam contulit, quod ita diligenter notitio vnius horæ obedirem, ſi mihi Guardianus daretur, ſicut antiquiſſimo, & diſcretiſſimo fratri. Subditus, inquit, prælatum ſuum, non hominem conſiderare debet, ſed illum, pro cuius eſt amore ſubiectus. Quanto enim contemptibilior præſidet, tanto magis humilitas obedientis placet. Hæc D.Bonauentura ſcribit, ex quibus quanti ſanctiſſimus ille Pater, & ſpiritualium rerum ſcientiſſimus obedientiam fecerit compertum eſt: Subeſſe mallebat, quàm præeſſe, generalitatique idcirco ceſſit, vt obediret, non imperaret. Tanta verò obedientiæ ſiti exarſit, vt comiti obedientiam ſemper vouerit, nouitioque eadem animi alacritate, ac viro, & religione antiquiſsimo, & ſapientia præcellentiſsimo, obtemperaturum ſe affirmarit, Deum videlicet in homine, id eſt, prælato, conſiderare, & obedientiæ lucrum vberrimum euangelicus negotiator, nouerat ſibi comparare.

Vtinam multos in terris videre liceat Magni Franciſci imitatores, qui honoribus nuntium remittant, humilem obedientiam amplectantur, pluſquam lynceis animi oculis in homine Deum cernant, obedientiæ ſuaue iugum libertati anteponant, ſubeſſe malint, quam præeſſe, & illius eximiæ vitæ quæ in obtemperatione poſita eſt, fructus eximios ſemper carpere. Sed huius primi tomi finis ſit. Opus obedientiæ, obedientiæ ſermo claudat, proſperumque nobis in ſecundum tomum flatum eadem obedientia paret, cuius aſpirante aura hactenus nauigauimus.

FINIS.

INDEX RERVM.

PRIOR NVMERVS PAGINAM INDICAT POSTERIOR COLVMNAM.

A.

AARON.

AARON Pontifex Hebræorum primus. pag. 226. colum. 2. d
Fuit Mosis frater. ibid.
Quatuor filios habuit Nadab, Abin, Eleazar, & Ithamar. ibid.
Aaroni succeſſit Eleazar. ibid. e
Aaronis filij omnes dicebantur ſacerdotes. 317. 2. b

ABACVC.

Abacuc quo tempore vixerit & prophetauerit. 232. 2. c
Duos huius nominis fuiſſe vult Ribera. 233. 1. c
Ante captiuitatem prophetauit. 220. 2. d, 233. 1. a
Aliqui volunt prophetaſſe poſt captiuitatem. 233. 1 a
Quo tempore cibum ad Danielem attulerit. 220. 2 d
Peruenit ad tempora Cyri Regis Perſarum. ibid.

ABDIAS.

Abdiam volunt Hebræi fuiſſe domus Achab diſpenſatorem. 232. 2. d
Alij aiunt fuiſſe quinquagenarium miſſum ad Eliam. ibid. e
Fuit Eſaiæ contemporaneus. ibid.

ABIAS.

Abias Rex Iuda. 199 2. d
Rex à patre creatus, quòd cæteris fratribus eſſet ſapientior, & potentior, licet non eſſet primogenitus. ibidem
Tres tantùm annos regnauit, & ambulauit in peccatis patris ſui. ibidem. e

ABIATHAR.

Abiathar Pontifex Hebræorum tempore Dauidis. 232. 1. a

ABIGAIL.

Abigail humilis typus Deiparæ Virginis. 346. 1. e

ABOMINATIO.

Abominatio deſolationis quid ſit. 93. 1. d

ABRAHAM.

Quo ætatis anno à Patre Thare fuerit genitus. 395. 2. c
Abraham caput & origo Iſraëlitarum. 187. 2. b
Ab eo initium genealogiæ Chriſti ducit Matthæus. ibid.
Abraham dicitur petra, ex qua Iſraëlitæ ſunt exciſi. ibid. c
Abraham Pater credentium. ibid. d
Fides Abrahæ quæ à Paulo prædicatur ad Roman. 4. de Chriſto fuit venturo. ibid. e
Abrahæ facta promiſsio de Meſsia. 188 1. b
Iure dicitur petra propter conſtantiam fidei. ibid. e
Abraham primus lapis poſitus in genealogia Chriſti, ſigno notatus Circumciſionis. ibid. e
Abrahæ cur Deus ſignum circumciſionis ea in parte corporis dederit. ibid. 2. a
Nomini Abram cur addiderit Deus litteram vnam ex nomine Iehouah. ibid. d
Nominis Abram & Abraham ſignificatio. ibid.
Abraham & Dauid veluti columnæ duæ poſitæ in veſtibulo genealogiæ Chriſti. 259. 1 c
Abrahæ fides & obedientia. 254. 2. c
Abraham alacri animo excepit hoſpites. 360 2. c
Eius charitas. ibid.
Abraham patriam cœleſtem deſiderabat. 48. 1. c
Abraham peregrinus. ibid.
Eius filij qui. 49. 2. d

ACADEMIA.

Academiæ ſunt ſalinæ Eccleſiæ. 45. 2. e
Academia Hieroſolymis ab Eſdra inſtituta. 239. 1. c

ACHAB

Achab filius fuit Amri impius Rex Iſraël. 229. 1. a
Baalis cultum induxit. ibid.
Vxorem duxit Iezabelem impiam, à qua didicit colere Baal. ibid.
Propter eius impietatem Deus pluuiam denegauit. ibid.
Achabo Deus duplicem victoriam præbuit de Rege Syriæ. ibid. 2. a
Achabo Deus victoriam ſe daturum prædixit, ne Idolis tribueretur. ibid.
In bello occubuit. ibid. c
Achabus Rex vineæ Nabothi cupiditate flagrat. ibid. d
An eius pœnitentia fuerit vera ibid. e

ACHAZ.

Achaz Rex Iuda idola coluit. 205. 2. a
Pœnas dedit bello cæſus à Rege Syriæ, & Rege Iſraël. ibid.
Eum non reuocarunt ſupplicia ad Deum. ibid. c
Illi Eſaias cap. 7 ſignum obtulit, Pete tibi ſignum, &c. ibid. d

ACHIMELECH

Tempore Saulis fuit ſummus ſacerdos. 231. 2. d
Panes propoſitionis dedit Dauidi & gladium Goliæ. ibid. e
Occiſus eſt a Saule cum XL Sacerdotibus. ibid.

ACHITOB

Achitob fuit Pontifex Hebræorum tempore Samuelis. ibid. d

ADAM.

Fuit homo communis, ex quo veluti fonte peccatum hauſimus. 175. 2 c
In Adamo omnes homines vnus homo fuerunt 95 2. d
Adam primus homo dictus eſt, quoniam veluti communis homo erat, in quo reliqui continebantur. ibid.
Ab eo peccatum originale contraximus. ibid.
Adamus egit pœnitentiam. 193. 2 b
In Adamo diabolus omnes homines occidit. 95. 2. d. e
Adami peccatum cur Moſes memoriæ prodiderit, peccatum Angelorum minimè? ibid. e

ADOLESCENTIA.

Adoleſcentia multa corporis bella ſuſtinet 197. 2. c
In adoleſcentia ſuffocatur ſapientia quaſi ignis in lignis viridibus. ibid.

ADVENTVS.

Aduentus Chriſti duo. 40. 2. a
Prior occultus 377. 1. e 419 2. e
Prior aduentus teſtibus opus habuit. 377. 1. c. d
Aduentus ſecundus manifeſtus, vt aduentus Solis, non indigebit teſtibus. ibid. d
De primo & ſecundo aduentu agitur. 74. 2. b

ADVLTERA.

Adultera fœmina lapidibus cædebatur. 383. 2. d

AEGYPTVS.

Aegyptus quantum diſtet à Nazareth. lib. 10 cap. 8.
Aegypti ſimulachra an corruerint Chriſto introëunte? ibid.
In Aegyptum venientem Chriſtum dæmones fugerunt. ibidem
In Aegypto quo loco habitauerit Virgo Deipara? ibidem
In Aegypto templum extructum ab Onia. ibidem
In Aegypto quot annis habitauerit Virgo? ibidem
Aegypto Chriſtus præſentiæ ſuæ guſtum præbuit. lib. 10. cap. 12
Super nubem leuem aſcendit Dominus, & Aegyptum ingreſſus eſt. ibidem.
Aegypti idololatria. ibidem
Aegyptus in paradiſum conuerſa. ibidem
Aegypto hoſpitium ſoluit Dominus. ibidem
Ex Aegypto Chriſtus famem depulit, & nouo Nilo illam irrigauit. ibidem

AGNVS.

Agnus in multis millibus, ouium matrem agnoſcit, eius vbera petit, eamque ſequitur: ita Chriſtianus Eccleſiam. 387. 2 d
Chriſti agnus eſt Chriſtianus. ibidem, c
Pretium agni tempore Chriſti, & arietis. lib. 10. cap. 4

AGRIPPA.

Agrippa Herodes Herodis primi nepos fuit. 249. 1. b
Iudææ Rex. ibidem
D. Iacobum Maiorem occidit. ibidem
D. Petrum in carcerem miſit. ibidem
Ab Angelo percuſſus, Act 12. ibidem
Agrippa alter iunior, filius ſuperioris. ibidem, 2. a
Rex fuit Chalcidis Agrippa iunior. ibidem
Coram Agrippa iuniore Paulus Act 29 ſermonem habuit. ibid. b

ALCIMVS.

Alcimus vir impius, Pontifex Iudæorum creatur à Seleuco. 245. 2. a
Alcimus percuſſus à Deo paralyſi, & occiſus, quòd muros templi præcepiſſet demoliri, & opera Prophetarum. ibidem, e

ALEXANDER MAGNVS.

Alexander Magnus regnauit XII. annis. 242. 1. e
De Alexandro vaticinium Danielis. ibidem, 2. a
Diuiſio Monarchiæ Alexandri in quatuor partes. ibidem
Alexander Monarchiam à Perſis in Græcos tranſtulit. 241. 2. b
Alexandrum excepit Hieroſolymis Iaddus Pontifex Hebræorum. ibidem, d
Alexander nomen Dei adorauit in Lamina pontificis inſculptum. 242. 1. a

Alexander in templo Hierosolymitano sacrificium Deo obtulit. ibidem,b
Alexandro ostensum est Danielis de ipso vaticinium. ibidem
Alexandri corpus & os dicitur fuisse odoriferum. 295.1.e

ALEXANDER BALES.

Alexander Bales filius fuit Antiochi Epiphanis, Rex Syriæ. 246. 2. d
Cum Ionatha Pontifice Iudæorum societatem iniit. ibidem
Alexander Bal. donauit Ionatham sibula aurea. ibidem,e
Alexander Bal. vxore & regno priuatus à socero Rege Aegypti. 277.1.a
A Zadielo Arabum dynasta occisus. ibidem

ALEXANDER IANNAEVS.

Alexander Iannæus Pontifex Iudæorum, & Rex, post captiuitatem Babylonicam. 248.1.c

ALMA.

Alma nomen Hebræum quid significet. 386.2.b.c

AMBITVS.

Ambitus tumida res, & ventosa, non habens terminum. 360.1.b

AMASIAS.

Amasias filius Ioas Rex Iuda. 204.1.c
Initio bonus, postea Idolorum cultor. ibidem, 2.a
Obedientiæ exemplum præbuit ibidem

AMOR.

Amoris est nouum testamentum 10.2.c
Amore fit instructio. ibidem
Deus homini aperuit, quod amaret. 11.1.a.2.a
In die amoris nouum testamentum cœpit promulgari. ibid. 1 b.c
Amoris vexillum extulit Deus. ibidem,e
Amori locum præparat timor. ibidem
Amori Christi, iacura leuis est. 14.2 b
Amori omnia sunt facilia. ibidem
Omnia dura nitescunt amanti. ibidem,d
Amor Dei est pulchritudo animæ, quantum crescit amor, tantum pulchritudo crescit 297.1.e
Amor in præsepio Christum reclinauit. 409 1 b
Amorem sponsæ Ecclesiæ, non opibus, sed paupertate, & humilitate Christus captauit & demonstratione sui amoris. ibidem,d
Amorē hominis exinanitio Christi, & humilitas maximè accendit. ibidem,e
Amore hominum incensus Christus. 260.2.c
Amor siue Charitas diadema Christi. ibidem
Amor amantem ducit. 162.2.e
Nemo potest a duobus amoribus contrariis possideri. ibidem
Amore constratum Christi ferculum. 260.2.c
Amor facit extasim 279 2 b
Qualis amor, talis vita. ibidem,a. 280.1.b
Amans viuit vita amati. 279.2.b
Amor fortis vt mors. ibidem,d
Christi amor mortificat mundi amorem. ibidem,e
Amor Dei vulnerat animas diuinis sagittis. ibidem,1.d
De sagittis diuini amoris. ibidem,e
Amor Christi sagitta electa. ibidem,2.a
Diuini amoris sagitta cor Deiparæ transfixit. ibidem
Amor Dei pulcher, pulchrum reddit amantem. 280.1.a.2.e
Amor primum donum est. lib 9.cap.14.
Amor mundi deformis & turpis, abominabilem & turpem reddit animam. ibidem
Amor mundi excidendus. 280.1.c
Amor Dei non agit radices inter syluas amoris mundani. ibid.
Amore Christus ardet, & amorem postulat. 437.1.a
De amore Virginis Deiparæ. 278.1.d.e.2.c.279.2.e
Diuini amoris lampades. 279.1.a
Diuini amoris flamma, Dei est. ibidem
Diuini amoris ignis e cœlo delabitur. ibidem
Diuini amoris impetus sunt ignei. ibidem,b
Amor Dei vt ignis subiectus cordi turres superbiæ & vanitatis euertit ibidem
Amari non potest nisi res cognita. 23.1.c
Amor astringendus ne humi repat. 290 1 c
Opera Dei sunt ardoris ex fornace amoris. 414.1.c
Amor creaturarum quomodo inquinet. lib 10.cap 5.
Amor purus & sincerus, qui non maculat. lib.10. cap.6.
Amor vt fons purificandus. ibidem

AMON.

Amon Rex Iuda impius. 209.1 b
Imitatus est patris Manassæ impietatem, potiùs quàm pietatem. ibidem
Meritas dedit pœnas. ibidem,c

AMRI.

Amri Rex Israël impius. 228.2.d
Aedificauit ciuitatem Samariæ. ibidem
Pater fuit Achab. ibidem,e

D. ANNA.

D. Anna an habuerit tres viros & tres filias disputatur. 311.2.a
D Anna Mater Deiparæ Virginis. 266.2.d
Anna Gaziri filia ex tribu Iuda, nata in Bethlehem. 267.1.b
D. Anna filia Matthan sacerdotis, & Mariæ. 340.2.a
D. Anna & Ismeria sorores. ibidem,b
Anna sterilis. 267.1.b.c
De D Anna, & Ioachim. 266.2.d
D Anna ex voto Deiparam Virginem in templo obtulit. 282. 1.c
Annæ nomen significat gratiam, quæ sine Christo fuit sterilis. 267. 1.c

ANNA PROPHETISSA.

De Anna Prophetissa. lib.10.cap.3.
Anna viduarum exemplar. lib.10.cap.7.
Anna virtute conspicua. ibidem

ANIMA.

Animæ quantitas æstimatur ex mensura charitatis. 379.2.c
Animam quid pulchram faciat. 297.1.c.d
Animæ separatæ comes desiderium corporis resumendi. 304. 1.c
Anima quomodo distinguatur ab spiritu. 354.1.e
Anima significat totum hominem. 170 1.e
Anima virtutibus magna fit. 355, 2.a
Animę Christi ornamenta. ibidem,c.d
Redimendæ vni animæ totus orbis non est pretium idoneum. 177.2.a.b

ANTIPATER.

Herodis primi Pater. 248.2.d
A Cæsare Iulio Procurator Iudææ constitutus. ibidem
Dictus etiam Antipas. ibidem
Antipater Hyrcanum conatur restituere in regnum. ibidem, 1.e

ANTIOCHVS MAGNVS.

Antiochus Magnus rex Syriæ. 243.2.b
Victus à Romanis ibidem
Antiochum Asia eis Taurum Romani spoliarunt. ibidem

APOSTOLI.

Apostolorum sermo qualis. 33.1.c.d
Apostoli cum Deipara Virgo obijt, adfuerunt. 301 c.d
Apostoli vt aquilæ ad Virginem conuolarunt. ibidem,e
Non magni pendebant sermonis ornatum. 33.1.e
Apostoli diuinæ leges promulgatores, pauperes piscatores, scientiarum ignari, sed docti à Deo 122.2.e
Apostoli testes oculati Verbi incarnati 171.1.e
Apostoli speculatores, & nuntij eorum, quæ viderant. 27.1.e
Apostoli corporis Christi, mystici, id est, Ecclesiæ, ossa. 117. 2.c.d
Apostoli dispersi in passione, non confracti. ibidem,d

APPETITVS.

In appetitu tria sunt mala, esuries, tenebræ, pestiferi habitus. 280. 2.b c
Aduersus tenebras appetitus opus est candelabro, & luce orationis, aduersus esuriē mensa, aduersus pestiferos habitus Thymiamate. ibidem
Cerberus biceps appetitus irascibilis, & concupiscibilis. 281. 1. b
Appetitus qualis esse debeat. ibidem
Homo non est ἀπαθὴς, animi appetitus habet, quos extirpare omnino non potest, sed bene regere Deo iuuante potest. lib.9. cap 15.
Appetitus perfecta obedientia in cœlo erit. ibidem
Appetitus, vt feræ coercendi vinculis. ibidem
De mortificatione appetitus. ibidem

ANTIOCHVS EPIPHANES.

Antiochus Epiphanes, id est, illustris, filius Antiochi magni. 243. 2.b
Romæ obses fuit, & Rex Syriæ. ibidem
Aegyptum occupauit, sed Romanis pulsus est. ibidem,e
Hierosolymam venit, & templum spoliauit. 244.1.a
Persecutionem aduersus Iudæos excitauit. ibidem,a.b
De Antiocho Epiphane vaticinium Danielis. ibidem,c
Antiochus pœnas dedit à Deo percussus, & occisus. 245,1.b
ANTIOCHVS Eupator ibidem,e

ANGELVS.

Angelorum multitudo cur dicatur militia cœlestis. 417.2.b
Angeli equites, albis vehuntur equis. ibidem,c
Angeli custodes castrametantur in circuitu hominum. ibidem,e
Angelos Christus non redemit 418.1.a
Angeli Deum laudarunt cum orbem condidit, & cùm Christus natus est. 417.2.d.e
Angeli ad laudandum Deum nos inuitant, ibidem,e
Angelorum custodia, murus Ecclesiæ. 45.2.a
Angeli astra matutina dicuntur, homines vespertina. 418.1.a
Angeli Ecclesiæ custodes sunt. 45.1.b
De doxologia Angelorum. ibidem
Angelorum Hierarchiæ, & choti. 306.2.a
De Angelorum custodia. 423.2.d.e
Angeli illuminant, & à periculis liberant. ibidem,e.424.1.a
Angeli non assumpserunt verum corpus, quia non sunt missi vt morerentur. 175.1.e
Angeli non sunt incarnati. ibidem
Angelus incarnatus non fuit Baptista. 2.b
Angeli assistentes, & ministrantes. 330 1.c.d
Superiores Angeli, illuminant, purgant, & perficiunt. ibidem,d
Angelorum essentias an viderit Deipara Virgo, dum viuebat in terra? 330.2.d.e

ANNVS.

Anni ab orbe condito, vsque ad Christum. Sed detrahe ex Summa X V. annos, qui per errorem irrepserunt. 395.1.e
Anni ab orbe condito, vsque ad diluuium. 395 1.b
Anni à diluuio, vsque ad Abraham. ibidem,c
Anni ab Abrahamo, vsque ad Dauidem. ibidem,2.c
Anni à Dauide vsque ad captiuitatem Babyl. ibidem,e
Anni à captiuitate Babyl. vsque ad Christum. 396.1.b
Quot annis fuerint Iudæi in captiuitate Babylonica? 219.1.a.b
Annorum supputatio iuxta L X X. Interpretes. 396.2.a
Quoto anno Angusti sit ortus Christus. 397.1.c

Quoto

Quoto anno Herodis sit natus Dominus. ibidem,d
De Annis Augusti. 397.1.d
Annus septuagesimus quis sit apud Zachariam? cap.1.218.2.d
Anni corona quæ dicatur. 19.2.e
Anni nostri sicut aranea meditantur. 449.1.e
Anni nostri spiritum sequatur, ibidem,d
Annus coronatus, anni solares & lunares. ibidem
De annis quibus in Aegypto hebræi vixerunt agitur. 223.2.d.e
De annis Babylonicæ captiuitatis variæ sententiæ. 216.1.d.e
Anni imperij Nabuchodonosor à victoria AEgyptiaca numerantur. 215.2.e

AQVILA.

Aquila aduolante garrulæ silent aues, sic Christo in mundum aduenient siluerunt duces, milites, & bella 406 2.e
Aquila grandis magnarum alarum. Babylonicus Rex. 130,2.a
Aquila grandis Ioannes Euangelista. ibidem
Aquila Ioannem significat. 35.1.d
Aquila Christus, prouocans ad volandum pullos suos. 104.1.a

ARCA.

Arca Noë Ecclesia latè. 99.1.a
Extra arcam, id est, Romanam Ecclesiam, pereunt hæretici, regnante diluuio. ibidem,e
Arca, id est, Ecclesia, non potest facere naufragium. ibidem,d

ARTAXERXES.

Artaxerxes Mnemon dictus, ob memoriæ præstantiam 241.2.b
Persarum Rex, quem aliqui volunt esse Assuerum, maritum Esther. ibidem
Artaxerxes Ochus Persarum Rex. ibidem
Artaxerxes Longimanus. ibidem,e
Artaxerxes nomen, significat magnum bellatorem. 240 1.e
De Artaxerxe. ibidem
ARTABANVS Persarum Rex. 241.1.e
ARSES Persarum Rex ibidem,2.e

ARIMASPIS.

Arimaspis assiduum bellum cum Gryphis, propter aurum. 201.2.d

ARCHELAVS.

Archelaus filius Herodis. 248.2.e.249.1.a
Archelaum Augustus non creauit Regem, sed dimidiam partem ditionis patris Herodis illi concessit, & ethnarcam constituit. 248.2.e
Archelaus apud Augustum accusatus, imperio mulctatus, & in vrbem Galliæ relegatus est. 249.1.a

ARISTOBVLVS.

Aristobulus Pontifex, & Rex Iudæorum. Primus post captiuitatem diadema regis sibi imposuit. 248.1.a
Aristobulus & Hyrcanus fratres. ibidem,e
Aristobulus expulit fratrem Hyrcanum regno. ibidem

ASA.

Asa Rex Iuda, qualis. 199.2.e
In morbo non quæsiuit Deum, sed medicos. 200.1.b
Fuerit-ne damnatus. ibidem,c
ATHALIA Regina. 203.1.d

ATTENTIO.

De Attentione rebus diuinis adhibenda. 327.1.d.e

AVERSIO.

Auersio à Deo contentiosa, imprudens, pertinax. 38.1.d
Auertuntur homines à Deo, & ad cursum suum conuertuntur, vt equus impetu vadens ad prælium. ibidem

AVRVM.

Aurum metallum solare, 407.2.d
Aurum significat gratiam. ibidem
Aurea Christi ætas. ibidem.b
Aurei montes, & terra aurea, quam adire prohibent feræ. 201.1.e
Aurum Ophir. ibidem
Arimaspis propter aurum cum Gryphis bellum. ibidem, 2.d.e

B.

BALAAM.

VAticinium Balaam de Christo latè exponitur. lib.9.cap.9.

BABYLONIA.

Babylonicum imperium quot annis steterit? 218 1.c
Quot reges habuerit imperium Babylonicum. ibidem
Babylonicum imperium euertitur. 220.2.a

BALSAMVM.

Balsami probatio. 485 1.d

BAPTISMVS.

De Baptismo. 101.2.c
In fonte Baptismi posuit Christus originem, quam sumpsit ex Virgine. 412.2.a
Per Baptismum renascimur filij Dei. 168.1.d.e
Baptismus aureos ex luteis reddit. ibidem,2.a
Ecclesia per Baptismum Deo sociatur. 65.1.e

BARAC.

Barac exercitum Iabini Regis, ducemque Sisaram vicit. 226.1.c

BAASA.

Baasa Rex Israël idola coluit. 228.2.b

BALTASSAR.

Baltassar, Rex vltimus Babylonici Imperij. 220.1.e
Baltassaris conuiuium, & tremor. ibidem
Baltassarem Darius regno priuauit. ibidem,2.a

BEATITVDO.

Beatitudo cœlestis dignitatem quandam habet infinitam ex Deo. 265.2.a
De Beatitudine cœlesti. 46.1.b
Beatorum gaudium, pax, lux, salus. ibidem, 1.e.2.a
Beatitudinis sator, & auctor Christus. ibidem,2.a
Beatorum corona ex lapidibus pretiosis. 307.2.a
In Beatitudine omnia sunt magnifica. 26.2.d
Vide verbum, Hierusalem cœlestis.

BELLVM.

Belli gerendi exemplum Regis Iosaphat. 200.2.d
Ad bellum gerendum auxilium petendum à Deo precibus, & ieiuniis. ibidem
Ieiunium & preces arma fortissima in bello. ibidem,e
De Bellis Messiæ. 59.2.d.e
Bella non geret Messias. 60.1.b.c.2.b
Bella Messiæ spiritalia. 61.1.d
Explicantur testimonia Scripturæ, quæ bella Messiæ sonant. ibidem,d.e
Messiæ prælia aduersus diabolum, peccatum, mundum, mortem, aduersus idololatriam, aduersus Antichristum, aduersus impios. 64.1.b.c.d
Bellum inter homines, Deumque excitatum diuinis nuptiis est extinctum. 422.1.b

BENEDICERE.

Benedixit Dominus domum Obededom, apud quem arca testamẽti mansit. 361.2.a
Benedixit Dominus domum Elisabethæ, apud quam Virgo tribus mensibus habitauit. ibidem
Benedictio Ioannis in vtero. ibidem,e
Benedictio Elisabethæ & Zachariæ. 364.1.d
Benedictiones Deiparæ Virginis 334.1.d

BENEFICIVM.

Beneficio nos onerat Deus, cum exonerat peccato. 448.1.a
Beneficiorum Dei magnitudinem tunc intelligimus, cum auferuntur à nobis. 369.1.c.d
Beneficijs crescit ad obsequium deuotus animus. 346.1.d
Beneficijs Dei priuari ingratos aliquando conuenit, vt quàm magna sint cognoscant. ibidem, *Vide* Ingratitudo.
Beneficium redemptionis vendicat amorem nostrum totum. 368.2.c

BERITH.

Berith significat fœdus, & testamentum. 1.2.b
Berith deducitur à verbo Barach. 2.1.a
Vbi error est typographi.

BESELEEL.

Beseleel in vmbra Dei significat. 259 2.b
Beseleel arcam fecit, hoc est, in vmbra Dei facta est arca, & concepta Virgo Deipara. ibidem

BETHAVEN.

Bethauen quid significet. 406.2.b
Hæreticorum synagoga est Bethauen, id est, domus iniquitatis. Ecclesia Bethlehem, id est, domus panis, doctrinæque immaculatæ. ibidem

BETHLEHEM.

Bethlehem distat ab Hierusalem duabus fere leucis. 402.1.d
Sex milliaribus distat versus Austrum. ibidem,2.a
Quot leucis distat à Nazareth. ibidem,1.c
Bethlehem ciuitas Dauid. ibidem.2.b
Bethlehem ciuitas & patria Christi. ibidem
Bethlehem mundi oriens. ibidem
Orbis metropolis. ibidem,d
Magnis vrbibus excellit. ibidem,e
De situ Bethlehem. ibidem,e
Ad Bethlehem D. Bernardi Apostrophe. 407.2.e
Vnde deducatur nomen Bethlehem. 408.1.a
Significat domum panis. ibidem
In domo panis, Christus panis è Cœlo oritur. ibidem
Bethlehem dicitur Ephrata, id est, frugifera. ibid.b
Bethlehem vbertas, admirabilis. ibidem
Panem cœli protulit. ibidem
Omnes Prouinciæ ex Bethlehem panem expetunt. ibid.
In Bethlehem orta D. Anna 267.1.b
Aquam Bethlehem, id est, Christum, Dauid sitiuit. 413.2.a
Bethlehem aquam Iudæi effuderunt, id est, Christum non receperunt. ibid b
Ex Cisterna Bethlehem aquam haurit gratiæ pœnitentia. ibid.e
Aqua Bethlehem desideranda. ibid.

BETHSABEE.

Bethsabee vxor Vriæ. 194.1.a
Bethsabee significatur oue, quam tulit Dauid. ibidem
Bethsabee pœnitentiæ Dauid socia fuit. ibid.e
Cur ex Bethsabee, cum qua crimen commiserat, dedit Deus Dauidi filium regni hæredem? 193.2,d.e

BONVM.

Bonum annum qui desiderat, sit ipse bonus. 448.1,b
Bona omnia esse volumus quæ possidemus, nihil habere volumus malum præter nosmetipsos. ibidem,c
Boni dies in Cœlo, ibidem.e
Boni dies huius sæculi non sunt. ibid.2.a

BRACHIVM.

Brachium Dei Christus appellatur. 358.1.b
Cur sic appelletur. ibidem
Brachium significat Dei potentiam. ibidem
Brachium dicitur Christus, quia omnia per ipsum facta sunt, & quia per ipsum homo redemptus est, 114.1.b

C.

CABALA.

CAbala quid sit. 238.2 b.c

CAINAN.

Cainan generatio non extat in hebræa & vulgata editione, addenda tamen est ex Luca, & septuaginta interpretibus. 249. 2.c 50 1 a

Cainan filius fuit Arphaxad. ibidem,b

CAMBYSES.

Cambyses Cyri filius fuit Rex Persarum. 241.1.b
Dicitur Assuerus & Artaxerxes. ibidem
Templi exædificationi obstitit. ibidem
Gladio proprio transfixus,cum in equum insiliret,obijt. ibidem

CANDELABRVM.

Candelabris templi Reges similes sunt. 259 2.a
Candelabrum ante arcam testamenti,id est,Christum, fulgens, fuit Baptista. 373.2.a

CANICIES.

De canicie mentis. 318.1.e
Bene canus est, qui bene sensatus est. ibidem
Canicies animæ reuerenda albescit meritis,non canis. ibidem

CANTICVM.

Canticum Zachariæ patris Baptistæ. 367.1.
Cantica duo Magnificat,& Benedictus,in domo vocis,id est, Ioannis,sunt edita ibidem,e
Canticum Deiparæ Virginis psalterio simile, decem versibus constat,quasi decem chordis. 355 1 d
Primum Canticum Veteris Testamenti cecinit Maria soror Mosis. ibidem
Primum Canticum Noui Testamenti cecinit Maria mater Dei.ibidem
Musica illa Deus delectatur, quam efficiunt animi & cordis voces, adiuncta lingua veluti Lyra ibidem,2.a

CAPTIVITAS.

Captiuitates Babylonicæ,siue Transmigrationes,tres fuere 215.1.a 216.1.c
Captiuitas prima Rege Ioachimo filio Iosiæ 212.2.d
Captiuitas secunda, Rege Iechonia filio Ioachimi. 213.1.c
Captiuitas tertia & maxima,Rege Sedecia. 214.1.c
Captiuitatis Babylonicæ L X X.anni 216.1.b
De annis Captiuitatis variæ sententiæ. ibidem,d.e

CARMELVS.

Carmelus mons est inter Ptolemaidem, & Cæsaream Palæstinæ situs,mari vicinus 2 9.1 d
In monte Carmelo oblatum ab Elia sacrificium. ibidem
Non procul à Carmelo est torrens Cison. ibidem
In vertice Carmeli orat Elias ibidem,e

CARO.

Caro totum hominem significat per synecdochen. 170.1.e
Cur Ioannes dixerit; *Verbum caro factum est*, potius quàm, *Verbum homo factum est*. ibidem,2.a
Carnem veram non assumpserunt Angeli. 175 1.e
Caro Christi velamen tegens sancta sanctorum. 178.1.d
Caro facta est antidotum quæ erat venenum. 175 1 d
Caro Christi facta est medicina carnis nostræ. ibidem
Carnes etiam Aquilas volantes deponunt. 295.2.c
Caro nos inquinat. lib,10 cap.5.
Caro carcer,ex Palatio. lib.10 cap.7.
Caro segnes reddit homines. 284.1 d
Caro remora retardans. ibidem
Caro Iahel Clauo caput terræ affigens. ibidem

CARTHAGO.

Carthago appellatur Tharsis 202.1.c

CASTITAS.

Castitatis patria Cœlum. 343.1.a
Castitas est viri probi alphabetum,& lilium. 438 1.a
Ad conseruandam castitatem vi opus est. 343 1.b
Castitas nostra in arca seruatur putribili, quæ vermes gignit,id est, corpore ibidem
Castitatis tenaces esse Deipara docet. ibidem d
Castitatem armatam incedere oportet ibidem.e
Castitas inter Leonem,& Libram,id est,inter fortitudinem,& temperantiam. ibidem,2 a
Castitatis lilium Ioannes. 374 2.c
Castitas inter homines marcescit, in solitudine virescit. 372. 2.d
De Castitate Sacerdotum. 327.2.e
Castos amat Virgo Deipara. 307.2.d
Castum cor lectus Salomonis,id est,Christi, floridus, quem L X fortes ambiunt. 343.2.a b
Castitatis exemplaria Christus,& Deipara Virgo. 344.2.d e

CATECHVMENVS.

Catechumenus,& Catechismus vnde dicatur,& quid significet. 317 1.c

CAECITAS.

De cæcitate Iudæorum agitur. 37.1.2.
Cæci Iudæi in lectione scripturarum. ibidem,d.2 a
Cæcitas illorum stupenda. 38.2.a
Cæcitas Iudæorum ex peccatis orta. 37.2.c

CERVVS.

Cerua animalium placidissima. 118.2.d
Cerua matutina,siue aurora. ibidem,b
Cum cerua Christus confertur. ibidem,c
Cerua difficiles habet partus. ibidem
Cerui pugnant cum serpentibus. ibidem,d
Ceruorum carnes medentur febribus. ibidem
Ceruorum instar ad montana currendum. 359.2.d

CHALDAEI.

Chaldæi Hierosolymam ceperunt. 214.1.d
Chaldæi templum incenderunt,& Hierusalem. ibidem,2.c
Chaldæorum Reges quot 218.1.d,219.2.a

CHARITAS.

De charitate. 278.2.c
Ex charitatis mensura æstimatur quantitas animæ. 379.2.c
Charitas transformat. Qui Deum diligit, Deus quodammodo est. 279.2.b
Amicus alter ego,amici Dei,quodammodo Dij. ibidem
Ignis Charitatis in altari cordis. 279.1.b
Flamma charitatis ex cœlo labitur. ibidem,a
Mulier amicta sole,id est,ardore charitatis. ibidem,d
Vulnera charitatis in anima. ibidem,d.e
Charitas ordinata. 161.2.a
Deus super omnia diligendus. ibidem,b
Charitas non æmulatur,sed congratulatur. 365.1.b
Charitas extinguit inuidiam vt vmbram Sol. ibidem
Charitas aurum pretiosissimum. lib.9.cap 4.
Charitatis auro qui caret, pauperrimus est ibidem
Charitas aurum ignitum. ibidem
Charitas est ignis,sub aqua extinguitur,id est,si subiiciatur creaturę. 161 2.b
Charitas super omnia feratur. ibidem,d
Charitas vexillum est,quod super totum exercitum attollitur. ibidem,e
Charitatem effectus omnes sequuntur ducem. ibidem
Charitas proximi,socia charitatis Dei. ibidem
Amor mundi immundus 162.1.a
Anima adultera dilectionem,quam Deo debet,in mundum traducit ibidem,b
Ex Charitate Dei oritur zelus. ibidem,c
Deus sagittas charitatis iaculatur. ibidem,d
Decorum est à charitate vulnus accipere. ibidem
Sagittæ charitatis inimicos conuertunt in amicos. ibidem
Formosa iacula charitatis & electa feliciter vulnerant. ibidem
Sagitris charitatis percussi cadunt sub Christo,quia omnia illi subiiciunt. ibidem
Charitate vulnerata anima omnibus rebus moritur,soli Deo viuit. ibidem 2 a
Nihil sapit animæ amanti Deum,nisi Deo condiatur. ibidem
Charitatis oculus columbinus est,& dexter. ibidem,c
Charitas in creaturis Deum contemplatur. ibidem
Qui Deum amat,in omnibus rebus,quas cernit diuini amoris habet admonitionem. ibidem
Lex Dei charitas 3.2.c
Cur charitas dicatur lex. ibidem,c.d
Charitas pulchram reddit animam. 297.1.d
Charitas mortem affert beatissimam. 301 2.a

CHRISTI DIVINITAS.

De diuinitate Messiæ fusè agitur 67.2.
Testimonia testamenti veteris de diuinitate Christi afferuntur.ibidem,b.c
Testimonia ex testamento nouo. 72.1.2.
Quinque modis probatur latè Christum Deum esse ex Hilario, nomine,natiuitate,natura,potestate,professione. ibidem,1.c
Alijs modis idem probatur. 73.1.b.c

CHRISTI CONCEPTIO.

Postquam Virgo Verba illa protulit, *ecce Ancilla*,&c.conceptus est Christus. 340.2.e
An esset iam conceptus Christus,cum Angelus illa Verba protulit; *Dominus tecum*? 333 2.b.c
Christus conceptus verno tempore,mense Martio. 328.1.c
Christus conceptus in æquinoctio verno 329.1.c
Dicitur conceptus feria sexta. ibidem
D Augustinus ait conceptum die Dominica. ibidem,d
Noctu conceptus Sol iustitiæ ibidem,2.a
Conceptus est Christus sanctus sine peccato originali,& omni sanctitate plenissimus. 339 2.a
Conceptus est Dominus sine peccato originis, ex vi Conceptionis, quæ sine viri opere perfecta est. ibidem,b
Etsi conceptus fuisset ex viro Christus(quod non decuit) non contraxisset originale peccatum,quia Deus erat. ibidem,c,d
Filiorum conceptio parentum est beneficium in filios, at Christi conceptio ipsius filij fuit immensum beneficium collatum in matrem. 357.1 b.c
An virgo cum concepit Christum,habitaret in domo Ioseph?381.1.b
An conceperit Deipara,ante nuptias celebratas cũ Ioseph? ibid.c.d
Conceptio Christi puncto temporis peracta. 341 1.a
In ipso primo Conceptionis instanti Christi humanitas cum verbo diuino est coniuncta. ibidem,c
Christus nunquam fuit merus homo,sed semper Deus, & homo,à primo instanti conceptionis. ibidem.2.c
Absque viri opera Christus conceptus. 342 1 a
Matris virginitatem in Conceptione Dominus non læsit, sed illustrauit ibidem,b
Christus infans conceptus,rationis vsu,sapientiaque pollebat. ibidem b c
Omni gratia & sanctitate in ipsa conceptione fuit plenissimus. ibidem,d

Christi anima,in primo instanti conceptionis, lumine gloriæ prædita,diuinam essentiam videre cœpit. ibidem,e
Christus in primo Conceptionis instanti gratias egit Patri pro acceptis in humanitate beneficiis , seque obtulit pro hominibus Cruci suffigendum. ibidem
Christi Conceptio à tribus S.Trinitatis Personis effecta, solus tamen filius humanitatem assumpsit. ibidem, 2.a
Cur Christus dicatur conceptus ex Spiritu sancto. ibidem,b.c
Cur verbum diuinum non efformarit sibi corpus,& animam extrà vterum,quemadmodum efformauit Adamo? 345.1.c.2.a
Cur Christus concipi voluerit ex Virgine,rationes. 344.1.c
Quatuor modis potest Deus hominem facere. 345.1.d
In conceptione Christi,nuptiæ celebratæ sunt in vtero Virginis,veluti Thalamo 347.1.c

CHRISTI GENEALOGIA.

Christi genealogia diuiditur in tres Tessaradecadas. 186.2.c
Christus ex qua tribu ortus? 179.1.2
Ex tribu Iuda ortum docetur testimonijs Scripturæ. ibidem,b
Christus Leo de tribu Iuda. ibidem,a.& 180.1.b
An sit ortus ex tribu Leui? 182.1.a
Christus absolutè ex tribu Iuda fuit,habuit aliquam cognationem cum tribu Leui. ibidem,c
An Christus ex solis Iudæis,an etiam ex gentibus ortus sit? 183.1.b
Christus ex gentibus,& Iudæis ortus. ibidem,c
Ex qua familia ortus sit Christus? 184.1.b.c
Christus ortus est ex familia Dauid. ibidem,c
Probatur testimoniis Scripturæ. ibidem
Primus in genealogia Christi Abraham, veluti lapis fundamenti, notatus signo circumcisionis. 187.2.c
De genealogia,& progenitoribus Christi. 186.2.c
Christus patrem opinione hominum habere voluit fabrum. Est lilium conuallium,id est,parentum humilium. 257.2.c
Christus secundum diuinitatem genealogiam non habet. 186.2.b
Matthæi genealogia similis templo Salomonis terminatur sanctis sanctorum.id est, Virgine,& Christo. 259.2.a
Genealogia similis Elementorum, atque Cœlorum dispositioni. ibidem,c
Genealogia similis pompæ. ibidem,d.e
Genealogia similis lineæ piscatoriæ. 254.1.c
Genealogia scala Iacob. ibidem,e
Genealogia paradiso terrestri similis. ibidem,2.a
De Genealogia Christi secundum Matthæum. 179.1.2
De Genealogia Christi secundum Lucam. 249.1.2
In genealogia Christi,describenda,dissentiat ne Matthæus à Luca? 251.1.c

CHRISTI ANIMA.

Christi anima omnibus virtutibus exornata. 178.2.b
Christi anima vidit diuinam essentiam, ab instanti Conceptionis. 342.1.e

CHRISTI CORPVS.

Christi Corpus in instanti est efformatum in vtero Virginis 341.1.a.b
Hominum corpora 40 dierum spatio efformantur,& quomodo se habeant his diebus,& paulatim perficiantur. ibidem,a
Corpus Domini vsque ad partum, vt Augustinus ait , perfectum est diebus 276. id est, nouem mensibus , & sex diebus.ibidem 2.b.c
Corpus Christi pulcherrima membrorum varietate compositum est à Spiritu sancto. 178.1.d
Corpus Christi cum velamine templi confertur. ibidem
Corpus Cgristi velut vestis Phrygionica , pulcherrima , acu picta. ibidem,& 1.a
Corpus Christi medicamentum aduersus febres peccati . 119.1.a

CHRISTI SANGVIS.

Christi sanguinis figura fuit funiculus purpureus Rahab . 183.2.c
Christus ex sanguine suo,ægroto homini fecit medicamentum. 55.1.d.e.368.1.c
Vna sanguinis Christi gutta satis fuisset hominum redemptioni. 177.2.d.e
Sanguis Christi omne pretium superat. ibidem,d
Christi sanguis cur dicatur vinum a Prophetis? 61.2.d
Christi sanguis etiam ijs,à quibus fusus est medetur. 55.1.d.e
Sanguinis Christi fons patens. ibidem,e
Sanguis Christi clamat,veniam petens. 56.1.c
Sanguine Christi Ecclesia abluta. 180.1.e
Sanguis Christi in sacramentis veluti fontibus reconditus est. 2.b

CHRISTI NATIVITAS.

Quoto anno Augusti,& quoto anno Herodis,sit natus Christus? 397.1.c
Anni ab orbe condito vsque ad Christi natiuitatem. 396.1.c
detrahe vndecim ex summa, qui per errorem irrepserunt
An Christus natus sit in Solstitio hyberno,& conceptus Aequinoctio verno? 397.1.e
Natiuitatis Christi tempore dies crescere incipiebant. 398.1.b
Quo die natus sit Christus? ibidem,2.b
Die Dominica natus Christus ibidem,d
Tres Christi natiuitates, diuina ex Patre,humana ex Matre,spiritalis in mente. 414.1.e
Christus natus est semel ex Matre, vt sæpe nascatur in mente.ibid.2.a
Christus concipitur spiritaliter per affectum,nascitur per effectum, nutritur per profectum. ibidem,
Natus est Christus nocte. 398.2.c
De signis Natiuitatis Christi. 400.1.d
Locus in quo Christus natus est describitur. 403.1.a
Christus natus in spelunca. ibidem
Spelunca Natiuitatis extra Bethlehem fuit muro adiacens ibidem,c
Christus ex vtero egressus in humum se abiecit. 405.1.c
Christus ex vtero Angelorum manibus exceptus. ibidem
Christus natus sine dolore matris. 403.2.a
Christus natus absque obstetrice. ibidem,b
Dei omnipotentia Christum ex vtero extraxit. ibidem,c
Christus ex vtero Virginis clauso natus. ibidem,d
Christum admiranda & peregrina decebat natiuitas ex matre Virgine. ibidem,c
Christus natus est virginitate Matris illæsa , quia voluit , & potuit. ibidem,d
Christus vt ianuis clausis ingressus est ad discipulos , ita vt vtero clauso egressus est ex Virgine. ibidem
Omnia clausa,perusa sunt Deo. ibidem,e
Christus nascitur incomparabiliter ex patre , & incomparabiliter natus est ex matre. 404.1.a
Claustra Virginis in natiuitate Christi non sunt reserata. ibidem,c
Natus est Christus absque secundinarum illuuie ibidem,2.b
In loco natiuitatis animalia fuerunt. ibidem,e
Dicuntur animalia prophetica a D.Petro Chrysologo. ibidem
Vnde sint adducta animalia ad præsepium Christi. 405.1.a
An nubes Virginem operuerit , cum Christum peperit ? ibidem,c
An Virgo pannos præpararit,quibus natum Infantem inuolueret? ibidem,d
An Virgo lacte Infantem abluerit,& velo capitis obuoluerit ? ibidem,e
In lauacrum Dominici corporis aqua è muro fluxit. ibidem
An Christi nascentis corpus splendorem emiserit. ibidem
An lac per miraculum Virgo habuerit. ibidem
Christus natus est sub Monarchia Romana, vt ipso ortu Romanæ Ecclesiæ fidem,& professionem extolleret , & obedientiam illi debitam indicaret. 406.1.c.d
Christus panis è Cœlo,natus est in domo panis. 408.1.a
Christus natus est in stabulo, vt reprobaret mundi vanitatẽ, & gloriam. 408.1.d
Christus natus primogenita Aegypti,id est,mundi percussit.ibidem 2.a
Christus lapis è monte abscissus sine manibus statuam mũdi euertit. ibidem,1.e
Christus natus confudit linguam mundi. ibidem,2.b
Natiuitatis schola,humilitatis est officina. ibidem,c
Christus natus clamat exemplo. ibidem
Christus natus ad pœnitentiam & humilitatem vocat. ibidem
Christum amor in præsepio reclinauit. 409.1.b
Præsepij reclinatorium aureum. ibidem
Ad præsepium vsque se inclinauit Deus, vt hominem erigeret. ibidem,c
Inclinauit se Deus,& iacenti homini manum porrexit. ibid.
Christus quanto pro nobis vilior,tanto charior. ibidem,e
λόγος, id est,verbum,& ratio in præsepio est constituta, vt dignitatem homini donet rationalem. ibidem
Panis Angelorum in Præsepio collocatus. ibidem.2.b
Christus in Præsepio confertur cum Manná. ibidem,d
Minutum apparuit in solitudine,id est,Christus pauper. ibidem
Verbum abbreuiatum. 410.1.c
Non erat locus Christo in diuersorio,quia Deo in mundo non est locus. ibidem,e
Christus recubuit in nouissimo loco,in stabulo. 411.1.a
Christus natus docet paupertatem. ibidem,b
Verbum nostrum sine corruptione oritur ex mente , Verbum incarnatum Dei sine corruptione ortum est ex Matre. 412.1.a
Natiuitas ex vtero, Christum hominem esse testata est : Virginitas matris illæsa Deum esse ostendit. ibidem,b
Christus lux vera orta ex virgine absque fumo , vt lux ex sole.ibidem
Præsepe Christi angustius templo. 413.1.c
Stabulum visum est Cœlum in terra. ibidem,d
In stabulo Angeli. ibidem
Angeli ad Præsepe confluebant. ibidem
Non erant opus ornamenta loco,in quo Christus natus est,ipse solus ornamenta omnia continebat. ibidem,e
In spelunca Bethlehem fons scaturit. ibidem,2.a
Christus natus aqua Bethlehem,quam Dauid desiderabat. ibidem
Desideria Christi nati. ibidem,c
Christus natus ros è Cælo. ibidem,e
Christus natus medicinam peccato attulit. 414.1.b
Opera Dei opera ardoris,ex fornace amoris. ibidem,c
Christus secreto natus est 415.1.e
Vt pluuia in vellus descendit,sine strepitu. ibidem
Siluit terra Christo nato,non siluit Cælum. 420.1.a

CHRISTI PASSIO.

De passione Christi exponitur totum cap.53.Isaiæ. 113.2.d
De passione Christi exponitur. 21.Psalm. 116.2.b

CHRISTI GRATIA.

De Christi gratia. 171.2.e
Christi gratia superat creaturarum omnium gratiam in vnum aceruum mente redactam. 172.1.c.d
Gratia Vnionis gratis data humanitati Christi. ibidem,2.a

Plenus gratia quomodo dicatur Christus. ibid. 1.a
Quomodo dicatur Christus creuisse gratia & sapientia? lib. 10. cap. 15.

CHRISTI SAPIENTIA.

Christus plenus sapientia. 172. 1.a b
Christi sapientia nulli falsitati permixta. ibidem
Christus plenus veritate, id est, Veritatis cognitione. ibidem
Verbum nominis ornat sapientia & veritas. Verbum quoque incarnatum Dei ornabat summa sapientia, summaque veritas. 173. 1.a

CHRISTI NOMEN.

De Nomine Christi 430. 1.b
Christus non est nomen proprium, sed nuncupatio potestatis. ibidem.
Christus significat vnctum, nomen est Imperij. ibidem
Christus quomodo sit vnctus? 430. 2.c
De Nomine Iesu, vide Iesus.
An Christus fabrili arti operam nauarit? lib. 10. cap. 15.

CHRISTIANI.

Christianorum Respublica Ecclesia ex omnibus gentibus constatur. 412.b
Populus Christianus, populus à Deo formatus, & populus acquisitionis. 421. 2.a
Christiani vncti sunt Christi vnguento. 430. 2.c
Probi Christiani acerræ sunt suauis odoris. ibidem, d
Christianus nullibi exul, omne solum illi patria, & exilium, lib. 10. cap. 12
Nomen Christiani nobilissimum, operibus, & Christi imitatione decorandum. 449. 2.e

CINGVLVM.

Cingulum Christi iustitia. 43 1.c

CIRCVMCISIO.

Circumcisio signum, & pignus promissionis Messiæ. 188 2.e
Circumcisio signum renouandæ per Christum naturæ. ibidem
Circumcisus Dominus die Dominica, & circumcisionis causæ. 428. 1 a
Circumcisio vnde orta? 429. 1.a
Circumcisionis minister quis? ibidem, e
A quo sit circumcisus Dominus? ibidem. 2.a
Fuerit ne circumcisus Dominus lapideo cultro an ferreo? ibidem, c
Triplex circumcisio Hebræorum corporea, Christianorum spiritalis, & Beatorum. 434. 1.d
Circumcisio signum fœderis, distinctionis, commonefactionis, Baptismi, Circumcisionis spiritalis, & Castitatis. ibidem. 2.b
Circumcisio signum iustitiæ fidei vtuæ Abrahami. ibidem, c
Circumcisio signum regenerationis. ibidem, d.e
In circumcisione nomen imponebatur. 429. 1.a.b
Circumcisio signum Christi venturi. 435. 1.c
Circumcisio signum cruentum. ibidem, e
Circumcisio velut Cauterium lationis. ibidem, 2.c
An soli Iudæi carnem circumciderint? ibidem, d
De Circumcisione celebrata a Iosuë 440 1 d.e
Cur in solitudine non fuerint circumcisi Hebræi? 441. 1.c
De Circumcisione spirituali Christianorum. 4 7 1.c
De Circumcisione Beatorum 442. 1.a.b

CISON.

Cison fluuius iuxta montem Carmelum, in quo Elias Prophetas Baalis occidit, 229 1.d
In duos diuiditur torrentes. ibidem

CIVITAS.

De Ciuitate quam Messias Christus exædificauit. 44. 1.a cum seq.
Ciuitatem, id est, Ecclesiam ædificauit Christus ibidem, 2.b.c d
Ciuitatem in cœlis extruit Christus, id est, Hierusalem Cœlestem. 46 1 b
De cœlesti Ciuitate Hierusalem. ibidem. 2.b.c

CLEOPHAS.

Cleophas fuit frater Ioseph sponsi Deiparæ. 313. 2.d
Cleophas vxorem habuit Mariam Cleophæ. ibidem, 1.d
Cleophas appellabatur alio nomine Alphæus. 314. 1.d
Cleophæ filius fuit Iacobus minor. ibidem

COELVM.

Cœli fores Christus aperuit. 7. 2.c &. 98. 1 a.b
Patres veteris Testamenti non ascenderunt in Cœlum ante Christum. 8 1.d
Cœli porræ post Christum patent. 7. 2.c

COGITATIO.

Cogitationes Dei circa Messiam cogitationibus Iudæorum exaltatæ, sicut Cœlum à terra. 59 2.a

COGNOSCERE.

De Cognitione sui ipsius. 152. 1.e
Cognoscitur Deus per creaturas. 167. 1.a
Non cognouit mundus Verbum Dei. 166 2 c
Multæ sunt cognitiones, quæ de Verbo haberi possunt. ibidem, b
Non possunt amari nisi cognita prius. 23. 1.c
Cognoscitur Deus in Cœlo, & in terra. ibidem. d
Deus per lumen suum cognoscitur, vt Sol. ibidem

COLLEGIVM.

Collegia Prophetarum olim fuere in Ramatha, Bethel, & Iericho. 234. 2.d
Collegiorum Prophetarum autor Samuel fuit. ibidem, c

COLVMBA.

Columbis pudicitia prima est. 162. 2.b
Columba, & turtur gemunt. lib. 10. cap. 4.
Columba ablatos pullos non requirit. lib. 10. cap. 16.
Columbis ignota adulteria. 162. 2.b
Columbæ coniugij fidem non violant. ibidem
Columbinus oculus amor est, ibidem, c

COLVMNA.

Columnæ ferculi Salomonis quid indicent. 259. 2.e
Columnæ duæ, Abraham, & Dauid, in vestibulo genealogiæ Matthæi. ibidem, 1.c

CONCIONATOR.

De Concinatore. 152. 2.c
Multa prius infundenda, vt postea concionator effundat. ibidem, d
Verbum Concionatoris. ibidem, c
Concionator concha sit, non canalis. ibidem, e
Concionator auditorum commodum spectet. 161. 1 e
Concionatores sunt pronubi Ecclesiæ. 65. 2.c
Concionatores probi fagenas suas, id est, Conciones Christi radijs exponunt & ab omni cupiditatis humore deficcant. 46. 1.a
Concionandum, & docendum, verbo, & exemplo, lib. 1. cap. 13.
Concionatores zelo ardeant. 66. 1.a
Concionatores adumbrat Abrahæ famulus. ibidem, b
Concionator non quærit quæ sua sunt, sed quæ sunt Christi. ibid. c
Concionator non concionatur vt comedat, sed comedit, vt concionetur. ibidem
Concionatores, & consiliarios probos non audire, quale signum sit. 204. 2.d
Concionatores cum dentibus conferuntur. 133. 1.c. 426 c
Concionatoris magnum officium, & munus excellentissimum. 320 2 e
Concionatori opus est spiritu. 321. 1.b
Concionatori opus est vitæ exemplo. ibidem, c
Concionatores exemplo carentes, imitantur Iudæorum sacerdotes, quos Herodes consuluit. lib. 9. cap. 13. ibidem de iis qui dicunt, & non faciunt.

CONFESSIO.

Qui peccata ritè confitentur, Dei benedictionem assequuntur. 363. 2.b
Confitenti Deus cum festinatione gratiam largitur. ibidem, e
Veræ confessionis confusio, æternam pellit confusionem. 324. 2.b

CONIVGIVM.

De Coniugio, siue desponsatione Deiparæ Virginis, & Ioseph. 286. 2 c
Coniuges sub eodem iugo coniugij, & mandatorum Dei, viuere oportet 317. 2 c.d
Coniuges par turturum. lib. 10 cap 5.
Coniuges thori fidem seruare debent, & castitatem. lib. 10. cap. 5.

CONSIDERATIO.

Verbum mentis nostræ est consideratio. 150. 1.d
De consideratione, siue rerum diuinarum meditatione. ibidem
Ex consideratione pendet æternitas. 2.a
Cæcus intellectus sine consideratione. ibidem, 1.e
Homo qui non ruminat, id est, considerat, immundus est. ibid. 2.a
Consideratio Deiparæ Virginis. 427. 1 d
Sues non ruminant, id est, libidinosi non considerant. 150. 2.a
Consideratio de Christi humilitate. 427. 2.a
Consideratio est meditatio, id est, mentis ditatio. 150. 2.b
Considerationis effectus. ibidem, c
In vitam ingressus, & exitus è vita, considerandus. 261. 1.c
Consideratio sapientem reddit hominem. 152. 2.a
Qui nullum tempus considerationi dat, vitam perdit. 150. 2.c
Qui non considerant similes piscibus, qui pinnis carent. ibidem, d
Qui considerationi vacant, è fluctibus negotiorum exiliunt. ibidem
Omnia per Verbum Pater fecit; omnia per considerationem vir prudens facit. 151. 1.c. 2.a
Palpebræ præcedunt gressus, consideratio opera & negotia. ibid. 2.a
Consideratio terna, præueniat opera. ibidem, b
Consideratio statera, fax, exploratrix. ibidem

CONSILIARII.

Consiliarij optimi, sunt mandata Dei. 262. 1.b
Consiliarij mali. 203. 1.d
Consiliarij quales esse debent. lib. 10. cap. 18.
Consiliarius probus columna regni, vt Ioiadas. 204. 1.b
Consilio Ieremiæ non paruerunt Iudæi, Aegyptumque perierunt, & in captiuitatem abducti sunt. 215. 2.a.b
Parendum consilio proborum hominum, & Dei voluntati. 216. 1.a
Consilio Ieremiæ paruit Iechonias Rex, & confertur cum ficis bonis; Sedecias Rex non paruit, & perijt, conferturque cum ficis malis, quæ porcis abiiciuntur. 220. 1.c

CONSTANTINVS.

Constantinus ex infantium sanguine balneum sibi parari iussit, antequam Christo nomen daret. lib. 10 cap. 13.

CONTEMPLATIO.

De Contemplatione Deiparæ Virginis admirabili. 277. 1.c
In cœlo diuini Verbi conspectus sapientes reddit beatos; Verbi incarnati contemplatio, homines sapientes reddit in terra. 152. 1.a

CORNVA.

Cornua quid significent. 368. 2.d.e
Cornu salutis dicitur salutifera Christi potentia, robur, & regnum. ibidem, e
Cornu salutis est Crux. 369. 1.a
Cornu Dauidi germinare fecit Deus in Sion, id est, Christi potentiam. ibidem, a.b

INDEX.

CORONA.

Corona Beatorum ex lapidibus pretiosis. 307.2.a
Corona Deiparæ Virginis ex stellis. ibidem
Coronæ Deiparæ stellæ, quæ sint. ibidem
Corona iustitiæ cur dicatur à Paulo. 305.2.a
Coronat nos Dominus in misericordia. ibidem, c. 2.a
Corona cælestis fabricatur à iustitia, & à misericordia. ibidem, a
Coronæ Virginitatis candidæ sunt, martyrij purpureæ. 179.1.d
Coronas suas pax, & acies habet, in castris Christi. ibidem
Corona anni, quæ dicatur. 19.2.c

CRASSVS.

Crassus templum Ierosolymitanum spoliauit. 248.2.b
Crassus post spoliatum templum cum copijs perijt. ibidem, c

CREARE.

Quorsum Deus serpentes & animalia noxia crearit? 157.2.b
Deus pulices, & animalia similia esse voluit, ad domandam hominum superbiam. 162.1.a
Deus nullum Angelum, vel hominem crearet, quem malum futurum esse præsciuisset, nisi pariter nosset, quibus eos bonorum vsibus commodaret. ibidem, 2.a
Omnia per Verbum facta sunt, tanquam per causam efficientem, & exemplarem. 148.2.e
Omnia per Verbum facta esse indicauit Moses initio Geneseos. 149.1.c
An mala per Verbum facta sint? 153.1.e
An per Verbum fiant priuationes? 154.1.c
An Deus faciat mala pœnæ? 156.1.e

CREATVRAE.

Creatura in Deo, est creatrix essentia 158.2.c
Verbum in seipso vidit creaturas, quæ per ipsum factæ sunt. ibid.e
Per Verbum creaturæ conseruantur. 159.1.a
Deus continet omnes creaturas. 158.2.c
In Verbo creaturæ vita sunt. ibidem
Omnes creaturæ à Deo rectè sunt dispositæ. 157.2.c
Creaturæ omnes pulchritudini vniuersi seruiunt. ibidem
Mundus ex contrarijs creaturis, & contrapositis compositus. 158.1.d
Deus ordinem sæculorum, quasi carmen, ex antithetis honestauit. ibidem, c.2.a
Creaturæ sunt muscipulæ pedibus insipientium. 167.2.b
Per creaturas Deus agnoscitur. ibidem, a
Per creaturas quidam ascendunt, quidam descendunt. ibidem, b
Amor Deum in creaturis intuetur. 102.2.c
Contemplatio Dei ex creaturis. ibidem
Creaturæ sunt in homine. 160.2.c. 161.1.a
Creaturæ sunt in intellectu hominis, & in corde. 160.2.c
Creaturæ quomodo sint vita in intellectu hominis, & in corde ibidem
Creaturæ sunt in verbo hominis mortuæ, & pictæ, in Verbo diuino vita sunt. 158.2.b
Impij creaturis abutuntur. ibidem, 2.d
Creaturæ diligentibus Deum cooperantur in bonum. ibidem
Creaturis tribus modis se communicauit Deus, quasi naturaliter, supernaturaliter, & personaliter. 176.2.a.b
Creaturæ mundæ quomodo nos inquinent? lib.10.cap.5.

CRVX.

Crux gladius durus, & fortis, quo Christus Leuiathan percussit. 64.1.b
Crux ferculum Salomonis, id est, Christi. 260.2.d
Crux Iris, signum fœderis, siue Testamenti noui. 3.1.a
Crux Thaumantis, id est, admirationis mater. ibidem
Crux nubes solis, id est, Christi radiis illuminata. ibidem
Crux scala Iacob & baculus. 101.1.b
Crux Terebinthus, sub qua idola sepeliuntur. 102.1.b
Cruces in vestibus Iudæorum apparuerunt. 119.2.b
Cruces in vestibus Iudæorum impressæ diuinitus, & Crux in cælo conspecta. 78.1.d

CVRA.

Curemus diuina, Deus curabit humana. lib.10.cap.14.

CYRVS REX.

Cyrus Persarum Rex Iudæos è captiuitate Babylonica dimisit. 221.2.b
Cyro Daniel Isaiæ de ipso Cyro vaticinium ostendit. ibidem, c
Cyri nomen Persica lingua solem significat. 241.1.a
Cyrus imperium in Persas transtulit. ibidem
Cyri bellum aduersus Thomyridem, & mors. ibidem
Cyri caput in vtrem humano cruore plenum coniectum est. ibid.

D.

DAEMON.

DAEmon cetus, draco, leuiathan in mari. 174.2.c
In omnium hominum mortem inhiat. 175.1.a
Dæmon promissa diuinitate cepit, vera diuinitate captus est. ibidem, b
Dæmon non potentia, sed iustitia victus. 96.2.b
Dæmones superbi mente. 358.1.c
Dæmones Deus dispersit. ibidem
Pugna, & arma aduersus dæmones. 47.1.c
Diabolus cetus marinus à Christo quomodo captus. 175.1.a

DANIEL.

Daniel bis missus in lacum Leonum. 220.2.b
Daniel anno primo Darij septuaginta hebdomadarum celebre vaticinium accepit. ibid.e
Daniel magno in honore habitus à Dario. 220.2.a
De Danielis hebdomadis. 91.92.
Vnde sumant initium Danielis hebdomadæ? 22.1.c
Daniel Cyro Regi Persarum Isaiæ de ipso Cyro vaticinium indicauit. 221.2.c
Daniel autor facultatis datæ Iudæis à Cyro reuertendi in patriam ex Babylonico exilio. ibidem

DARIVS HYSTASPIS.

Darius Hystaspis filius Iudæis fauit, templumque iussit extrui. 241.1.b
Ab eo defecit Babylon, quam fraude Zopyri recepit. ibidem
Aduersus Scythas infeliciter expeditionem suscepit. ibidem
Infelicem pugnam commisit cum Græcis, quæ dicitur Marathonia, à campis Marathonijs. ibidem, c
Asiam & Macedoniam domuit. ibidem

DARIVS MEDVS.

Darius Medus Chaldæorum imperium obtinuit, & Danielem in magno habuit honore 220.2.a
Quis fuerit Darius Medus. 221.1.a
Quot annis regnarit? ibidem, col.2.c
Darius simul cum Cyro bellum intulit Babylonis. 220.2.e
Darius est Cyaxares, Cyri auunculus, astyagis filius. 221.1.a
Darij anno secundo templi exædificatio progressonem fecit, & eo fauente anno sexto est perfecta. 222.1.a

DAVID.

Ex familia Dauid ortus Christus. 184.1.c
Dauidi pollicetur Deus solium Christi. ibidem, d
Nullus Rex vidit eam domus perpetuitatem, quam vidit Dauid. ibidem, e
Dauidi facta promissio de Christo. ibidem, d. & 187.1.d.e
Dauidis verba nouissima. 184.2.a
Dauidis filius Christus, & Dominus. 185.1.c.d
Dauid misericordiæ fideles quæ. 187.2.b
Dauid Deus sustulit de gregibus ouium, & fecit Regem. 193.1.e
Dauid pauit populum suum in innocentia, & prudentia ibid.e
Dauid solus Rex appellatur in genealogia Matthæi. ibidem, 2.b
Dauidis pœnitentia Deo placuit, ideoque ex Bethsabee filium regni hæredem illi dedit. ibidem, 2.e
Ab animo Dauidis Dæmon peregrinus erat. 194.1.a
Dauidis pœnitentia. ibidem, b
Danidis restitutio. ibidem, c
Dauid conuiuium exhibuit Dæmoni cum peccauit. ibidem, c
Dauid conuiuium exhibuit Deo cum pœnitentiam egit. ibidem
Carnis appetitus apud Dauidem peregrinus fuit, & hospes, quia transiuit, non permansit. 197.1.c
Cur solus Dauid appelletur bis Rex in Genealogia Christi? 193.2.b. 261.2.c
Dauidis forma digna est imperio. 261.2.c
Dauid vir secundum cor Dei ibidem, d
Dauid exemplar Regum. 262.2.c
Dauid diuini cultus studiosissimus. ibidem, 1.e
Dauid templum voluit extruere. ibidem, 2.a
Dauid cùm templum extruere non posset, impensas præparauit, ibidem
Dauid ornauit Dei cultum cantoribus, & musica. ibidem, b
An Dauid adoptarit filios Vriæ? 191.1.e
An Dauid cæteris omnibus Regibus Israëlitarum virtute præcelluerit? 210.2.c

DEBORA.

Debora prophetissa, tempore iudicum, populum iudicauit. 233.2.b

DESCRIPTIO.

Descriptio Augusti Cæsaris quid fuerit? 393.2.c
Descriptio & professio idem. ibidem
Orbis vniuersus cur dicatur descriptus ab Augusto Cæsare? ibid.1.c
Descriptio prima cur dicatur? ibidem, d
In descriptione an sit solutum tributum? ibidem, 2.d
Quodnam tributum soluerint Iudæi in descriptione Augusti? 394.1.a
In descriptione Augusti an fuerint bona æstimata? ibidem, b
Circa tempus descriptionis Iosephus deceptus est. ibidem, c
Describebantur viri & faminæ. ibidem,
An fuerit Christus Dominus descriptus? ibidem.d
Quibus in locis facta fuerit descriptio? ibidem, 2, a

DESIDERIVM.

De desiderio Patrum antiquorum, quo Christum desiderabant. 414.2.a
Desiderium desiderantem aptum facit ad suscipiendam rem desideratam. ibidem, b
Quod licet, & in potestate est, minus desideratur. 4.2.a
Viris desideriorum indicatur aduentus Christi. 414.2.c
Desiderandus Christus. idem, c.d
Desideramus, cupimusque negata. 4 col.2.a
Desiderium differtur, vt crescat, crescit, vt captat. 256.2.a
Desiderium extendit Deus differendo, & animum extendit desiderando. ibidem, b

DESPONSATIO.

De Desponsatione Virginis Deiparæ. 286.2.c
Quomodo Virgo dicatur desponsata. 381.2.c
De desponsatione Ecclesiæ. 65.1.2.

DEVS.

Dei misericordia erga homines. 357.2.e
Deus quodammodo prodigus sui. 409.1.b.c
Deus sanctissimus. 357.1.d

Deus in tribulatione dilatat. 392.2.d
Deus aliquando moratur in ferendo auxilio. 393.1.a
Dei prouidentiæ confidendum. 392.2.a
Deus locutus est per Prophetas. 385.2.a.b
Deus adiutor in opportunitatibus. 383.2.e
Dei iustitia. 228.2.a.b
Quæ propter Deum amittis, recipies cumulatissimè. 204.2.c
Deus Reges iustos dirigit, victoriaq; illis largitur. ibid.b 205.1.a
Dei virga amygdalina fructus affert dulces. 213.2.d
Deus ex malis bona elicit. 273.2.b

DIADEMA.

Quodnam sit Diadema, quo coronatus est Christus in die desponsationis suæ? 260.1.d.e

DIES.

Nouissimi dies qui dicantur. 41.1.2.
Pleni dierum iusti. 318.2.a
Dies festi quomodo agendi. lib.10 cap.16.
Dies est vita iusti, nox vita impij. 318.2.a
Die prima Deus lucem produxit. 275.1.b
Die secunda fecit Deus firmamentum in medio aquarum, & diuisit aquas ab aquis. ibidem,b
Die tertia ab aqua terram seperauit, herbis, floribus, & arborum amœnitate vestiuit. ibidem,c
Die quarta astra, solemque condidit. ibidem,d
Die quinta ex aquis volucres auolarunt, in aquis pisces conditi permanserunt. ibidem,e
Die sexta Deus Adamum condidit. ibidem
Cum his diebus sex, conferuntur sex ætates mundi. ibid.a b & seq.
Fuerit-ne dies qua Sol retro radijt tempore Ezechiæ longior, quã ea qua Sol stetit tempore Iosue? 207.1.a

DISCRETIO.

Discretio spiritunm. 318.2.d.e

DISTRACTIO ANIMI.

De animi distractione, & collectione 190.2.a
Iacob similis est is, qui animum à curis mundi colligit Esau similis est is, qui vagatur. ibidem

DIVES.

Diuitiarum cupiditas non satiatur. 426.2.a
Diuites multa loca conantur occupare. 411.1.b
Diuites habitant in medio terræ, pauperes in medio cæli. ibidem,c
Diuites terrena bona coniungunt, pauperes dispergunt. ibidem
Peccatores, & abundantes in sæculo obtinuerunt diuitias. 57.1.b.c
Diuitiæ malorum esca improbis. 56.2.d
Diuitias repulit Messias Christus. 57.1.d
Diuitiæ spinæ. 56.2.c

DOCTOR.

Doctores quo loco docerent in templo Ierosolymitano. lib. 10. cap.14.
De colloquio Domini cum doctoribus in templo. ibidem
Doctores probi, & sapientes consulendi, lib.10.cap.18.
Quomodo in medio doctorum Christus inuenitur. ibidem

DOCTRINA.

Doctrina Euangelica Christi currus, decor, & gloria, & gladius pyropis fulgens. 63.2.c.d
Doctrina Ecclesiæ firmissima, ac certissima. 317.1.d
Doctrina Christi profunda. 45.2.b
In doctrina Ecclesiæ, & Christi, quædam sunt cognitu facilia, alia difficilia ibidem
Christi doctrina intellectum superat, quemadmodum aquæ matis homines, nauesque omnes. ibidem,c.d
Christi doctrina ex Ecclesia manat. ibidem,d
Christi doctrina salutifera, & fœcunda. ibidem,e
Doctrina Mosis sanare mundum non potuit. ibidem,d
Doctrina Christi mare mortuum, id est, mundum sanauit. ibidem,e

DOLOR.

cum Dolore quærendus Christus. lib.10.cap.17.
Dolor peccati est medicina. ibidem

DONEC.

Particula Donec, quomodo sumatur. 388.2.d

DONVM.

Donum ex dantis mente, & voluntate, pensatur. 283.2.d

DOS.

Sponsa Ecclesia omni dote carebat. 65.1.b.c
Dotem Ecclesiæ Christus confecit. ibidem,d.e

E

ECCLESIA.

Ecclesia ciuitas, & templum à Christo exædificatum. 44.1.d
Ecclesia confertur cum templo Salomonis. ibidem,e
Ecclesia confertur cum arca Noë. 99.1.a.44.2.e
Ecclesiæ gradus. 44.2.a
Ecclesia solium Domini. ibidem,c
Ecclesia absque muro habitatur, quia tam lata est, vt ijdem sint vrbis huius, & orbis fines ibidem,d
Ecclesiæ murus igneus Deus est, & habitator, & Rex. ibidem
In Ecclesia homines sunt, & iumenta, id est, probi, & improbi. ibidem e
In arca Noë animalia munda, & immunda, in Ecclesia homines mundi & immundi. ibidem
Ecclesiam Deus summa beneuolentia prosequitur. 45.1.a
Ecclesiam Deus protexit. ibidem
Ecclesia templum immobile est, synagoga fuit tabernaculum mobile. 44.1.e
Ecclesiam significat Ezechielis, cap.40 ædificium. 45.1.d.e.b
Nomen ciuitatis, id est, Ecclesiæ Dominus. ibidem,c & voluntas mea in ea. ibidem,a
Ecclesiæ ædificator, mensor, & architectus Christus. ibidem,d
Triplici muto circumdata est Ecclesia. Primus est Dei protectio, II Angelorum custodia: III. Pontificum, Pastorum, ac doctorum defensio ibidem,2.a
Ab Ecclesia emanat Christi doctrina. ibidem,a.b
Ecclesiæ salinæ, Academiæ sunt, & cœnobiæ. ibidem,e
Doctrinæ abundantia in Ecclesia. ibidem,b
Aethiopissam duxit vxorem Moses, Christus Ecclesiam ex gentibus. 52.2.b
Stola Christi Ecclesia sanguine Christi abluta. 180.2.a
Ecclesiæ typus Ruth 183.2.a
Ecclesiæ vmbra Rahab. ibidem.c
Ecclesia sponsa est Christi. 64.2.a
Ecclesiæ, & Christi, spiritale coniugium, Adami, & Euæ, coniugio adumbratum ibidem,b.c
Ecclesia Eua est altera, ex latere Christi in cruce dormientis efformata. ibidem,c
Ecclesiæ mater est omnium viuentium, vita gratiæ. ibidem,d
Ecclesiæ typus Rebecca, & Rachel, & Pharaonis filia, quam Salomon vxorem duxit. ibidem,d.e
Ecclesiæ laudes continet liber Canticorum. 65.1.a
Ecclesia lilium inter spinas infidelium. ibidem
Ecclesia est domus laudis diuinæ 351.2.d
Ecclesia nigra ex primo parente, formosa ex Christo. 65.1.c
Eceleſia innititur super dilectum suum Christum. ibidem
Ecclesia sub vexillis quatuor Euangeliorum castrametatur. 36.1.c.d
Ecclesia Tyrannis, Hæreticis, Ethnicis, & Iudæis vtitur ad vtilitatem, & profectum. 132.2.d
Ecclesia antequam à Christo in sponsam assumeretur, similis erat puellæ expositæ, de qua Ezechielis cap.16 agitur. 65.1.d
Ecclesiæ ornamenta à Christo donata. ibidem,e
Ecclesiæ pronubi concionatores, iuxta illud Pauli, *despondi vos vni viro* &c. ibidem,2.e
Ecclesia astat à dextris Christi vt Regina. 66.1.c
Ornatus Ecclesiæ ab intus in animo, foris quoque in externis ceremonijs, operibus, atque ritibus. ibidem
Ecclesiæ filij Christiani. ibidem,2.a
Ecclesiæ in pariendo celeritas. ibidem,b
Ecclesiæ vbera. ibidem,d
Ecclesia Virgo parit. 67.1.b
Ecclesiæ dentes Patres sunt, & Doctores. 133.1.d

ELA.

Ela Rex Israël. 228.2.c

ELEAZAR.

Eleazar filius Aaronis, Pontifex post patrem, terram diuisit Israëlitis cum Iosue. 226.2.e
Ex familia huius Eleazari, pontificatus ad Heli translatus est. 227.1.a
Cur translatus sit pontificatus ex familia Eleazar? 231.2.c

ELEEMOSYNA.

De Eleemosyna. 361.1.a.b
Manus pauperum naues sunt, quæ bona nostra in cælum transferunt, nauigatione tutissima ibidem,d
Alacriter, & cum festinatione, eleemosyna danda. 360.2.c
Viri misericordes fluuijs similes, arentes pauperes irrigant eleemosynis ibidem.d.e
Ille sapiens est, qui in paupere se exonerat, vt leuius nauiget. 261.1.e
Eleemosyna pauperibus tribuenda, cùm templum ingredimur. lib. 10 cap.14.

ELIAS.

Eliæ pluuiæ claues traditæ. 229.1.a
Eliæ sacrificium, & certamen cum sacerdotibus Baal. ibidem,c
Elias prophetas Baalis occidit. ibidem
Elias Iezabelem fugit. ibidem,2.a
Eliæ in monte Oreb apparet Dominus. ibid.1.e
Eliam tres quinquagenarij quærunt. 230.1.c
Elias duos quinquagenarios incendit, cum tertio ad Regem venit, diuinumque supplicium illi nunciauit. ibidem
Elias cur tertio quinquagenario pepercerit? ibidem
Elias raptus igneo curru in paradisum. ibidem,d
An Elias post raptum scripserit litteras ad Regem Ioram? 202.2.d

ELISABETH.

Elisabeth domus vbi sita 350.1.e.2.a.b
Elisabeth, Virgine Deipara salutante, impleta est Spiritu sancto. ibidem.2.d.e
Elisabeth prophetauit de præsenti, præterito, & futuro. ibidem,e 351.1.a.b
Elisabeth Virginem matrem Dei esse agnouit, & vocauit. ibidem,a
Elisabethæ ore Ioannes prophetauit, Virginem salutauit, & laudauit. ibidem,c
Elisabeth nomen quid significet. 366.2.a

ELISEVS.

De Eliseo. 230.1.e
Obitus Elisei. 231.1.a
Eliseus currus Israël, & auriga. ibidem

EMMANVEL.

Emmanuel nomen vndenam deriuetur, & quid significet? 387.1.a

Emmanuel quomodo sit appellatus Christus. ibidem,b
Emmanuel nomen ab effectu ductum. ibidem,c

EMATH.

Emath introitus vbi sit? 231.1.b

EMENDATIO.

Vis perfectæ emendationis quanta. lib.9.cap 15.
Emendatio consummata in spiritualem quandam puertiam hominem reuocat. 47?.1.a
Cum vitam emendat homo,tunc furit dæmon. ibidem,b

ENCAENIA.

Festum Encæniorum vnde. 244.2.c
Cur luminum dicebatur festum. ibidem,d
Cur dies Encæniorum dicantur dies scenopegiæ. ibidem

ESDRAS.

Esdras ex Babylonia Ierusalem venit. 222.1.a
Esdras Hebræos characteres reperit. 236.2.a
Esdras post captiuitatem libros sacros reparauit. 237.2.a
An Esdras ex memoria sacros libros reparauit? ibidem,d
Esdras multos dictauit libros. 238.1.c
Esdras Ierosolymis Academiam instituit. 239.1.c

EVANGELISTA.

Euangelista quo nomine dicatur Hebraicè. 26.2.d.e
Euangelistæ quomodo adumbrentur quatuor animalibus. 35 1.c
De quatuor Euangelistis. ibidem
Vt quatuor anni tempora,sic quatuor Euangelistæ. ibidem,2.d
Euangelistæ quadrigæ Domini,& Cherubim.ibidem,2 e.36.1.a.b
Euangelistæ quatuor Ecclesiæ elementa. 36.1.c
Euangelistæ sunt cæli qui enarrant gloriam Dei. ibidem
Euangelistarum vexilla quatuor. ibidem,d.e
Euangelizantium pedes pulchri. 27.1.c.d

EVANGELIVM.

Euangelium significat bonum nuntium,& quale. 26.2.b.c
Euangelium Hebraicè quomodo dicatur. ibidem,d
Euangelium promissum à Deo per prophetas 27 1.c
Euangelium non solùm est læta annuntiatio,sed sacramenta,consilia,præcepta etiam continet, 28 1.c
Euangelij summa veritas. ibidem,e
Quo sensu D.Petrus appellauerit propheticum sermonem firmiorem. 27,2.a.b e
Bono nuntio,id est,Euangelio accepto,exultandum. 28 1.a
Euangelia, id est, præmia pro Euangelio accepto, quæ donanda. ibidem,b
Euangelium Dei potentia in salutem. ibidem,2.e
Euangelium quam salutem præstet. 29. 1.b
In Euangelio reuelatur iustitia Dei,ex fide, in fidem. ibidem,b
Euangelium iustitiam, virtutes,& charitatem continet, veluti animam,verbum,& scriptum,sicut corpus, ibidem,e
Quot modis dicatur Euangelium. ibidem
Quomodo Euangelium sit vnum. ibidem
Quatuor Euangelia dicuntur à numero Euangelistarum. ibidem, 2.d
Quatuor Euangelia vnum Euangelium sunt. ibidem,b
Multi Euangelia scripserunt; Ecclesia solummodo quatuor Euangelistarum libros recipit. ibidem,e
Varij Euangeliorum scriptores. ibidem,30.1.a
Euangelium Nazaræorum,& Ebionitarum. 30 1.d
Euangelia quatuor,quia quatuor sunt orbis partes, quæ per Euangelium vocantur. 31.2 a
Euangelia Ecclesiæ columnæ quatuor. ibidem.d
Variæ similitudines Euangeliorum. ibidem
Euangelium rationale iudicij, in quo est doctrina & veritas. 36. 2.d
De Euangelio Ioannis 132.1.c

EVCHARISTIA.

De Eucharistia 76.2.e & seq 78.1.c.98.2.c.164.1.d
Eucharistiam circumstant Angeli. 319.1.e

EVILMERODACH.

Euilmerodach Rex Babylonis, filius Nabuchodonosoris. 219. 2.e
Euilmerodach Iechoniam Regem Iudæorum eduxit ex carcere, & magno honore affecit. ibidem
Euilmerodach dicitur patris cadauer vulturibus abiecisse. 220. 1.a.b

EXCELSA.

Excelsa quænam dicantur in libris Regum? 212.1.a
Quodnam peccatum fuerit permittere excelsa? ibidem,b
Duo genera excelsorum, quædam in quibus idola, alia in quibus Deus colebatur. ibidem,a
Israëlitæ in excelsis sacrificarunt Deo. ibidem
Excelsa abstulit Ezechias,& Iosias. ibidem,b

EXEMPLVM.

Quomodo dicatur Virgo sine exemplo placuisse Domino. 337 2.a 338.1.a
Virgo exemplar Virginum. ibidem,d
Verbum incarnatum est, vt homines doceret verbo & exemplo. 174,1.b.c
Christus in præsepio clamat exemplo. 411 1.a
Paruulum seipsum Christus ante nos statuit, vt exemplo doceat. 410.1.d
Christus diuinam autoritatem virtutibus præbuit exemplo. ibidem,e
Falsorum Deorum exempla ad scelera ducebant ethnicos. ibid.2.a
Dæmones moliebantur exemplo Deorum falsorum, diuinam autoritatem præbere sceleribus. ibidem,?.e
Exemplum Regum sequuntur subditi. lib.9.cap.12
Exemplum Christi myrrha est. lib.9.cap.15
Exemplum Christi iugum reddit leue. 14.2.d
Exemplum Christi ad cursum excitat virtutum. ibidem,e
Exemplum Christi considerandum. 427 2.a
Exemplum bonum omnibus exhibendum. 324.2.e
Odor virtutis foras prodit,& exemplum exhibet. ibidem,d
Exemplum principis vim præbet legibus. lib.10 cap 6.
Virtus in corde,& extra, iustus coram Deo, & coram hominibus. 273.1.a
Exemplum sanctimoniæ,docenti necessarium 321.1.c
Christus bibit priùs amaram potionem, vt homo bibere non recusaret. 368 1.d,e
Exempla Sanctorum faces sunt,iter in cælum illuminantes. 371. 2 d
Exemplis Sanctorum, & laudibus, indigemus imitationis gratia. ibidem,d

EXILIVM, EXVL.

Christianus nullibi exul est. lib 10.cap.12
Exul est impius,quamuis degat in patria. ibidem
Omne solum patria est,mundus est totus exilium. ibid κοσμοπολίτης cosmopolitis,id est,ciuis mundi. ibidem

ESAV.

Cum Esau Hæretici conferuntur. 387 2.c
Esau vmbra fuit ciuium Babylonis. 190.1.e

AETAS.

De sex mundi ætatibus. 394.2.c
De annis sex ætatum. 395.1.2.
Aetates quatuor, aurea,argenta,ænea,ferrea. 407 2.b
Aetas Christi aurea. ibidem
Aetas Christi aurifodina,ex qua in terras aurum gratiæ emanauit. ibidem,c

AETERNITAS.

Aeternitatis semen sunt opera. lib.9.cap.11.
Aeternitati pingimus ibidem
Quid significat golam,& æternum. 75.2.d e
Aeternum cur dicatur nouum Testamentum? 15.1.c

EZECHIAS.

Ezechias Rex præstantissimus quid egerit. 206 1.a
Ezechiam probum Regem Deus beneficijs multis affecit. ibidem c
Tentatio Ezechiæ. 208.1.a
Ezechiæ cor eleuatum est. 207.2.d
An Ezechias sit genitus à patre Achaz annum agente vndecimum. 208 1.e
De signo dato Ezechiæ,id est,de solis retrogressione. 206.1.d
Ad Ezechiam legati missi sunt à Rege Babylonis Merodach. 207. 2 d
An Ezechias legatos in templum introduxerit, eiusque diuitias ostentarit? ibidem,e

EZECHIEL.

Ezechiel quo tempore ductus fuerit in Babylonem. 213.1.d
Ezechiel à iudice populi Israel in Babylonia interfectus est. 235. 2.d

F

FAMILIA.

EX familia Dauid ortus Christus. 184.1.c
In familia Eleazar mansit Pontificatus vsque ad Heli. 227. 1.a
In familiam Ithamar translatus est pontificatus in Heli, vsque ad Salomonis tempora. ibidem

FERCVLVM.

Ferculum Salomonis, id est, Christi,describitur,id est,Virgo Deipara 250.2.c
Ferculo,id est,Virgine,portari voluit Christus,propter filias Ierusalem,id est,animas. 260.1.c
Ferculo vehitur Christus amore hominum inflammatus. 260.2.c
Ferculum Christi,Crux. ibidem,d

FESTI DIES.

Festi dies quomodo agendi. lib.10.cap.16.
Diebus festis pœnitentia agenda,peccata expianda, bruti affectus immolandi,opera charitatis præstanda. ibidem

FESTINATIO.

Festinanter quærendus Christus. 426.2.a
In virtute festinandum,à tenera ætate incipiendum. 284.1.c
Pigros homines reddit caro. ibidem,d
Festinatio Solis,& iusti hominis. ibidem,2.a
Ad cœlestia festinandum. 359,2 e
Cum festinatione virtutum iter agendum. 360.1.c
Festinat qui orat & meditatur. ibidem,e
Piger non est in domo sapientis. 361.1.c
Festinant ad scelera impij. ibidem,d
Festinatio Tobiæ ibidem,e
Impij cunctando destituunt rem. 360 1.c
Festinatio Abraham. ibidem.2.c

FESTVM.

Festum encæniorum. 244 2.c
In festo encæniorum ramos ferebant Iudæi. ibidem,d
Festum tabernaculorum. 276.1 d
Festum tabernaculi Dei,id est,Virginis Deiparæ. ibidem,e

FICVS.

Ieremiæ 24.Ficus malæ, & ficus bonæ, quid significent 224 2.c
Ficus bonæ obedientes imperio Dei. ibidem

INDEX.

FIDES.

Fides semper fuit necessaria. 23.1.a
Fides fundamentum, quod dæmones exinanire conantur. ibidem, b
Fides dux viæ, sydus, columna ignea, & oculus. ibidem, b
Fides docet Deum cognoscere vt ametur, non enim amari possunt nisi cognita. ibidem, c
Deus per lumen suum cognoscitur, vt Sol ibidem, d
Per lumen gloriæ in cœlo, per lumen fidei in terra Deus cognoscitur. ibidem, e
Fides ignorantiam rerum diuinarum fugat animo, quod scientiæ facere nequeunt. ibidem, 2.a
Fides Deo honorem affert. ibidem, b
Fides redigit in captiuitatem intellectum. ibidem
Fidei captiuitas felix ibidem
Fides vexillum est distinguens Christianos ab infidelibus. ibidem, c
Fides sigillum, non cereum, sed aureum ibidem, e
Fides non est opinio, sed infallibilis certitudo. ibidem, e
Fides caret euidentia, certitudinem habet, quæ scientiæ superat certitudinem. 24.1.a
Fides non comparatur demonstrationibus ibidem
Fides similis columnæ nubis, in qua Deus loquebatur. ibidem, c
Fidei obscuritas in maximum hominum meritum cedit. ibidem
Fides est argumentum non apparentium. ibidem, d
Fides est substantia sperandarum rerum. ibidem, e
Fides creuit instar lunæ. ibidem, 2.a
Sine fide in Christum nemini salus contigit. ibidem, b
In lege naturæ, & veteri, fuit fides de Christo implicita. ibidem
Cognitio per fidem est aptissima rebus inuisibilibus, de quibus habetur. ibidem, 1.d
Antiqui patres ex Christi fide viua viuebant. ibidem, 2.e
Fides antiquorum de Christo implicita, nostra est explicatissima. ibidem
Cur Paulus legem veterem, legem factorum appellet, & legem nouam legem fidei? 25.1.c
Fides sine operibus mortua est, & opera quoque mortua sunt sine fide. ibidem, 2.a.b
Fidei lex cur dicatur lex noua? ibidem, d
Quomodo lex vetus non si ex fide? 26.1.a
Fidei via regia. 390.2.c
Fides lynceos oculos habet. 427.1.b
Fides stella ad Christum ducens. lib 9. cap 11.
Fides est lingua cælorum. ibidem
Fides caligantis orbis oculus. ibidem
Fides speculum præterita, præsentia, futura repræsentans. ibidem
Fides sine operibus non est satis. ibidem

FILIVS.

Filij Christi sunt Christiani. 66.2.a
Filij Ecclesiæ sunt per regenerationem spiritalem. ibidem
Filij Christi, Christo similes sunt ibidem, d
Filios genuit Christus summo cum dolore in Cruce. ibidem, e
Filij Christi constituti principes super omnem terram. 67.1.a
Filius Dei factus est homo, vt hominem faceret filium Dei. 170. 1.b
De dignitate filiorum Dei. 168.1 a b
Maximum donum est, donum filij Dei. ibidem, b
Filios Dei oportet imitari patrem Deum. ibidem, c
Filius Dei cur dicatur genitus ex vtero? 70.1.b
Dei liberalitas in largienda filiorum Dei dignitate. 168.1.d
Filij Dei magna moliuntur. ibidem, b.c
Quomodo Deus dederit potestatem hominibus filios Dei fieri ibidem, 2.b
Generatio filiorum Dei qualis. 169.1.c.d
Filij carnis, & filij promissionis. 49.2.b
Filij Abrahæ qui. ibidem, d
An filium immolarit rex Moabitarum, 4. Regum tertio. 230.1.e
Quæ sit filiatio perfecta 168.2.c
Filij iræ eramus per Adamum, filij sumus bonæ voluntatis Dei per Christum. 422.2.a
Filij doloris sumus per Adamum, filij dextræ per Christum. ibidem a.b
Filios occidit quidam Deiotarus, vt vnus solus adiret hæreditatem totam. 412.1.a
Filius merito nomen habet patris, quia sufficitur in locum patris. 365.2.e
Filius improbus ex patre probo monstrum est. ibidem
Filij magis sunt Christi quam patris. 285.2.e
Filij & filiæ Virgines, fructus sunt nuptiarum. ibid. col 2.d. 266.2.a
Ne filios vel filias a religiosa vita abducant monentur parentes. 285.2.e

FOEDVS.

Fœdera cæso animali percutiebantur. 2.1.a.b
Fœdus vocatur testamentum. ibidem, b
Fœdus hebraicè, berith, dicitur. ibidem, a

FOEMVR.

Cur fœmori manum iubet Abrahã supponere seruum. 189.1.b.c

FOEMINA.

Fœminæ diuino cultui apud Iudæos dicatæ. 283.1.b
Fœminæ religiosæ Deo militant. 284.2.b.c
Fœminarum arma. 197.2.a
Quibus fœminis non liceret alterius tribus viris nubere. 235.2.c
Fœminarum consortium fugiendum. 255.1.a
Cor Salomonis deprauatum est per fœminas. 254.2.e
Fœmina viri naufragium. 255.1.c
Fœmina pulchra venenum stolidis. ibidem
Fœminarum pulchritudine diabolus homines decipit. 293.2.c
Fœminis & viris communis est pugna aduersus Diabolum. 284.2.c

FOMES.

Fomes peccati quit sit. 270.2.c
Fomes peccati dicitur peccatum, & cur. ibidem
Fomitem non habuit Virgo Deipara. ibidem, d.e
Fomes dicitur lex membrorum, languor naturæ, lex carnis, & Tyrannus. 271.1.a
Danda opera ne regnet & imperet fomes. 270.2.e

FORTITVDO.

Fortitudine opus est ad custodiendam gratiam. lib.10.cap.18.

FRVCTVS.

Fructus ventris Deiparæ Virginis Benedictus in odore, in sapore, in specie, &c. 363.1.b

FVGERE, FVGA.

De Fuga Christi in Aegyptum. lib.10 cap.9 & seq.
Fuga Domini docet licere fugere in persecutione. lib.10.cap.12.
Fugiendæ occasiones peccatorum ibidem
Fugere peccatum gloriosum est. ibidem
Peccatum longe fugiendum. ibidem
Maximè fugienda libido. ibidem
Fugienda amicitia impiorum. lib.10.cap.12.

FRATRES.

Vnicus Dei filius fratres voluit habere adoptatos. 412.1.d.e
Fratres Christi appellantur illius consanguinei. 314.2.a

G.

GABRIEL.

Gabriel ex quanam sit Hierarchia? 329.2.c
Gabriel nomen quid significet? ibidem, e
Gabriel custos Virginis dicitur. 330.1.a
An Gabrielem Angelus alius superior miserit ad Virginem? ibidem, e
An inscijs Angelis Gabriel missus fuerit ad Virginem? 2.a
Gabriel gerebat humanam effigiem, ac coruscantem. ibidem, b.c
Gabrielis essentiam, an viderit Virgo? ibidem, d.e
Gabriel clauso ostio ingressus est ad Virginem. 332.1.c

GAD.

Gad Propheta tempore Dauidis. 233.2.c

GENEALOGIA.

De Genealogia Christi, *vide supra*, Christi Genealogia.
Christi Genealogia humanum genus extulit. 258.1.a
Christus secundum diuinitatem non habet Genealogiam, id est, seriem progenitorum. Sed secundùm humanitatem. 186. 2.b

GENERATIO.

Generatio filiorum Dei non est carnalis. 169.1.d
De generatione diuina Christi Ioannes egit, Matthæus de humana. 186.1.b
Generationis liber. 185.2.a.e
Generatio quadruplex 186.1.c

GRADVS.

Gradus quindecim templi ascendit Virgo. 282 1.e 2.a
Gradus quindecim templi vbinam fuerint? ibidem, 2.a

GRATIA.

De gratia Deiparæ Virginis. 268.2.e
Gratiam inuenire apud aliquem quid sit? 335.2.e
De gratia Virginis. 295.2.d
An gratia Virginis superet omnium hominum & Angelorũ gratiam, in vnum aceruum mente redactam? 298.1.e
Gratiæ succus ex Christo, vt vite. 402.2.a
Deus miranda fecit, vt vacuum gratiæ & gloriæ repleret. 410. 2.b.c
Gratiæ ostium Christus. 175.2.c
Gratia vnionis data gratis humanitati Christi. 175.2.c.d
Gratiæ opera manu dextra operatur Deus. 379.1.e

GRATITVDO.

De Gratitudine 354.2.e
Virginis Deiparæ inuentum, *Deo gratias*. 355.1.a
Aquæ in valles, beneficia in animum gratum, dilabuntur. 354. 2.e
Gratus homo commune beneficium sibi facit peculiare, ad agendas gratias. ibidem, c

D. GREGORIVS.

D. Gregorius dolet, quod summus Pontifex sit creatus. 151.b

GODOLIAS.

Godolias post Ierusalem excidium præfectus est reliquiis Iudæorũ. 215.1.c
Godoliam occidit Ismaël. ibidem, d

GLORIA INANIS, ET VERA GLORIA.

Inanis gloriæ bona diripit. 208.1.d
Inanis gloria fugienda. 391.1.e
Bona opera non sunt ostentanda. ibidem, 2.a
Inanis gloriæ seruitus grauis. ibidem, e
Qui captat inanem gloriam, aliorum causa omnia facit. ibidem
Dei oculis & Theatro seruiendum. 392.1.a
Ophthalmodulia. 391.2.b
Deus opera occulta coram toto orbe ostendet. 392.1.c
Gloria nostra abscondita cum Christo in Deo. ibidem
Gloria quid significet. 171.1.e
Gloria vnigeniti. ibidem, 2.d
De gloria virginis Deiparæ. 306.2.e
De gloria cælesti latè. 171.1.e
In cælesti gloria omnia magnifica. 46.2.d

H.

HAEREDITAS.

HAereditas hominum angusta fit, si diuiditur inter multos. 412.1.d
Vt hæreditatem totam filius vnus adiret, reliquos Deiotarus quidam occidit. ibidem.e
Hæreditas Christi non fit angusta, etsi multi eam possideant. ibidem, 2.a
Hæreditatem suam Christus fratribus impertitur. ibidem.

HAERETICI.

Hæretici noua, & falsa dicunt. 390.2.d
Hæretici viam regiam relinquunt. ibidem
Hæresiarchas diabolus excitat. 391.1.a
Nouatores non sequendi, sequamur vniuersitatem, antiquitatem, consensionem. lib.10.cap.18.
Hæretici ex diuinis litteris malè intellectis sugunt venenum. 387.2.a
Hæretici in lacte matris hœdos coquunt. lib.10.cap.12.
Hæritici scripturæ sensum suo sensu deprauant. 387.2.a.b
Hæretici similes vaccis æstro percussis, pastoris vocem audire nolunt. 406.2.c
Hæreticorum synagoga est Bethauen, id est, domus iniquitatis. ibidem, b
Ex hæreticis Ecclesia vtilitatem elicit. 132.2.b
Hæreses gignit superbia. ibidem
Hæretici Ieroboamo Regi similes, populum à Deo auertunt. 227.2.d.e
Hæretici veritati offundunt tenebras. 228.1.b.c
Hæreticis vtitur Ecclesia ad probationem doctrinæ. 132.2.d
Hæretici exercent patientiam Ecclesiæ. ibidem
Hæretici excludunt eos, qui probati sunt argento, id est diuino eloquio. ibidem,b

HEBRAEI.

Hebræi quot annis in Aegypto manserint? 224.1.c
Hebræos characteres reperit Esdras. 236.2.a
Hebræi post captiuitatem Babylonicam mutarunt characteres. ibidem,d
An Hebræi post captiuitatem Babylonicam mutarint linguam? ibidem.e
Hebræi populi tres status in genealogia Matthæi indicantur. 223.2.c.d
Hebræi populi initia, & primus status. ibidem
Hebræi populi status secundus. 227.1.a
Hebræi populi status tertius. 236.1.c.d
Hebræorum salutandi modus. 333.2.a.

HELI.

Heli iudex pontifex primus ex familia Ithamar filij Aaronis. 227.1.a
In familia Heli mansit pontificatus vsque ad tempora Salomonis, tunc enim rediit ad familiam Eleazari. ibid.
Heli dicitur transtulisse pontificatum, ex familia Eleazari filij Aaronis, in familiam Ithamar, populi decreto. 231.2.c
Heli transtulit in se pontificatum. ibid.

HELIODORVS.

Heliodorum Rex Seleucus misit Ieruſalem, ad deprædandum ærarium. 243.1.a
Heliodorus flagellatus est ab Angelis. ibid.
Heliodori ad regem responsio. ibid.b

HERODES PRIMVS.

Herodes primus filius Antipatri, qui Antipater alio nomine Antipas est dictus. 248.2.d.e
Herodes Rex creatus à Senatu Romano, & à Cæsare Augusto. ibid.d
Herode Rege natus est Christus. ibid
Herodes tres filios reliquit, Archelaum, Herodem Antipam, & Philippum. ibid.e
Herodes iussit nobiles occidi, vt funus suum lachrymis honoraret. lib.10.cap 10.
Herodes infantes occidit. ibid.
Herodes quo tempore obierit, ibid
Herodes draco. lib.10.cap.12.
Herodes ex vulpe lupus. lib.10.cap.13.

HERODES ANTIPAS.

Herodes Antipas occidit Baptistam. 248.2.e
Herodes Antipas Christum in veste alba indutum irrisit. ibid.
Herodes fratris Philippi vxorem accepit. 249.1.a

HERODES AGRIPPA.

Herodes Agrippa Herodis primi nepos. ibid.e
Herodes hic Iudææ regnum à Romanis adeptus est. ibidem
Iacobum maiorem occidit, & Petrum in carcerem coniecit, vermibus consumptus expirauit. ibid Huius Herodis Agrippæ, filius fuit Agrippa iunior, quo audiente Paulus sermonem habuit. ibid.2.a

HYMNVS.

Hymnus trisagios, puero in sublime rapto ab Angelis traditus. 357.1.c

HYPOCRITA, HYPOCRISIS.

Hypocrysis externa tantum virtutis lineamenta depingit. 323.1.b
Virtus & coram Deo & coram hominibus. ibid.a
Hypocritæ depictæ & miniatæ naui similes. ibid.c
Hypocrita non consequitur Dei benedictionẽ alieno vestitu. ibid.

HOMO

Homo ex nihilo venit in hunc mundum. 166.1.c
Hominis patria est ipsum nihil. ibid.d
Qualis regio sit nihil, hominis patria. ibid.
Homines culpa sua non illuminantur. 165.2.a
Homo cum peccat quomodo redigitur in nihilum. 154.1.a
Homini iacenti Deus manum porrexit. 409.1.d
Vt homini manum porrigeret Deus, se inclinauit. ibid.
Homo non liberaretur, nisi sermo Dei dignaretur esse humanus. 176.2.a
Homo paruus mundus. 177.1.a
Homo redemptus pretio infinito. ibid.2.a
Homo communis fuit Adam. 175.2.c
Deus & homo communis omnibus hominibus fuit Christus. ibidem.
Hominem Deus sexta die condidit, sexta mundi ætate redemit. 407.2.b
Factus est Deus homo, vt homo fieret Deus per participationem, & homo per rationem. 409.2.b
Homo non est æstimandus ex bonis externis, sed ex internis. 379.2.b.c
Homo initium creaturæ, & primitiæ. 164.1.a
Hominem Deus renouauit 201.d
Hominis renouatio magni stetit. ibid 2.a
Homines duo sunt in homine vno, internus, & externus. 285.1.a
Nouus homo nouitatum noui Testamenti finis fuit. 20.1.d
Homo nouus, & homo vetus. ibid.

HOROLOGIVM.

De Horologio Achaz. 206.2.d

HOSPITALITAS.

Hospitalitas Abrahæ. 360.2.c
Præda, quam venabatur Abraham hospites. ibid.b
Alacritas ad hospitalitatem. ibid.c
Abraham sedebat in feruore diei in ostio tabernaculi, cum hospites excepit, id est, charitate feruebat ibid.c.d

HVMANITAS

Humanitas veluti tabernaculum Verbj diuini, sed multum differt à tabernaculo. 171.2.b
Humanitas Christi vestis aurea odoriferis aromatibus perfusa. 178.2.c
Humanitas Christi, ex eburneo, id est, castissimo Virginis vtero deprompta. ibidem

HVMILITAS.

Humilis ianua est Christus, si vis intrare, humilia caput. 411.1.a
Humilis via Christus. ibid.
De Humilitate. ibid.
Verbum abbreuiatum vitam postulat abbreuiatam, id est, humilem. 410.1.d
Paruulum seipsum Christus ante nos statuit, vt ab eo discamus humilitatem. ibid.
Christus ad humilitatem vocat. 408.2.b.c
Humilis anima Gedeonis vellus, in quod absque strepitu insolentiæ dona Christi descendunt. 355.2.a
Humilis anima onusta Dei donis, vt arbor onusta pomis, ramos deprimit. ibidem b
Humilitas dicitur nardus. ibid 1.d
Humilitas animæ pulchritudo. ibid 2.e
Humilitas cum innocentia coniuncta, duplex est pulchritudo 356.1.a
Humilis Abigail. 346.1.e
Humilitas honorata, rara virtus. ibid.d
De humilitate Deiparæ. 346.1.b.c 355.2.a
Virgo quanto maior erat, tanto sibi ipsi minor videbatur. 355.2.b
Infirma mundi elegit Deus, vt confundat fortia. 421.1.a
Humilitatis officina natiuitatis schola. 408.2.c
Humilitas, & paupertas arma Christi. 420.2.c.d
Christus permiscuit mira humilibus, sic nos. ibidem, 1.e
Humilitas permiscenda honoribus. ibidem, 2.b
Humilitas porra per quam ad diuinam scientiam ingredimur. ibid. 1.b.
Humilitas aperit lumen intelligentiæ. ibidem,c

I.

IABIN.

IAbin Rex Chanaan seruitute oppressit Hebræos. 120.2.b
Iabini exercitum vicit Barac. ibidem,b

IACOB.

Iacob, & Esau typus gentium, & Iudæorum. 100.1.e
Iacob benedictionem Esau accepit, gentes benedictionem Iudæorum. ibidem, 2.b
Lucta Iacob. ibidem,c
Iacob scala. 101.1.2
Claudicatio, & lucta Iacob. 102.1.d.
Iacob vmbra fuit proborum, in tabernaculo habitabat, &c. 190.1.d.e
Conferuntur probi cum Iacob. ibidem.e
Dictus est etiam Israël, id est, prævalens Deo, filios habuit duodecim. ibidem, 2.d
Iacob cum aliis dicitur in vtero sanctificatus. 352.1.b
Claudicarit ne semper Iacob, an fuerit sanatus? 102.1.d

D. IACOBVS.

D. Iacobo an fuerit concessum ingredi Sancta Sanctorum? 282.2.e
D. Iacobus minor dicitur in vtero sanctificatus. 352.1.a

IANVS.

Iani templum Romæ, quod belli ianua dicebatur. 399.2.a
Iani templum apertum indicabat bellum, clausum pacem. ibidem
Ante Augustum Cæsarem bis clausum. ibidem
Augustus Iani fores ter clausit. ibidem,b
An fores Iani clausæ fuerint eo tempore, quo Christus natus est? ibidem,d e

IEHOVAH.

Iehouah dicitur nomen tetragrammaton, siue quadrilitterum, quia quatuor habet litteras, exceptis punctis. 188.2.c
Tres litteræ diuini huius nominis, tres personas sanctissimæ Trinitatis indicant. ibidem
Geminata secunda littera, he, secundam Trinitatis personam indicat, duas habentem naturas, diuinam, & humanam. 189.1.a
Cur Deus ex hoc nomine Abrahami nomini litteram addiderit? ibidem,b
Quid significet nomen Iehouah? 443.1.c.d

IEHV REX.

De Iehu. 210.2.c
Iehu creatus Rex, vt domum Achab Regis deleret. 203.1.d
Iehu domum Achab deleuit. ibid 230.2.d
Iehu Iezabelem vxorem Achabi è fenestra præcipitari iussit. 230.2. d
Iehu idololatras occidit, idola ipse non reliquit. ibidem
Iehu Baalis cultores interfecit. ibidem
Iehu vitulos aureos retinuit. ibidem
Iehu regnum pollicitus est Deus, vsque ad quartam generationem. ibidem.e

IEHV PROPHETA.

An Iehu Propheta occisus sit à Rege Baasa? 236.1.a
Iehu filius Hanani quo tempore prophetauerit? 233.2.c

IECHONIAS.

Iechonias dicitur Ioachin Rex Iuda. 213.1,b
Iechonias tradidit se Nabuchodonosori Regi Babylonis, suasore Ieremia. ibidem,c
Iechonias abductus est Babylonem simul cum matre & Thesauris. ibidem
Iechonias etsi fuerit annulus in manu Dei, punietur. ibidem,d
Duo progenitores dicūtur nomine Iechonię à Matthæo in genealogia. 219.2.c
Iechonias Babylonem ductus, & in carcerem coniectus est. ibidem
Iechonias ex carcere liberatus est à filio Nabuchodonosoris Euilmerodach, & in magno honore habitus. ibid,e
Quæ causa fuerit huius honoris. 220.1.a
Iechonias Babylone obijt, ante libertatem. ibidem,d

IEROBOAM.

Decem tribus à Roboam filio Salomonis defecerunt, & Ieroboam Regem crearunt. 227.2.a
Ieroboamo propheta Ahias regnum prædicit. ibidem
Ieroboam idololatriam, vitulorumque aureorum cultum in decem tribus induxit. ibidem,c.d
Ieroboamum pseudopropheta confirmat in idololatria. 228.1.b
Ieroboam miraculis ab idololatria deterretur. ibidem
Ieroboam percussus à Deo pœnas dedit scelerum. ibidem,e
Ieroboami familiam Deus extinxit. ibidem,2.b

IEREMIAS.

Ieremiam permisit Nabuchodonosor manere in Iudæa. 215.1,d
Ieremias non est ductus Babylonem. ibidem
Ieremiam consulunt reliquiæ Iudæorum relictæ in Iudæa. ibidem
Ieremiæ consilio non parent Iudæi, & captiuitatem subeunt. ibid. 2.b.c
Ieremias cum reliquijs Iudæorum petit Aegyptum. ibidem,c
Ieremias quo tempore prophetarit. 232.2.d
Ieremias lapidibus est obrutus à Iudæis in Aegypto. 235.2.d
Ieremiæ consilio tradidit se Rex Iechonias Regi Babylonis, & confertur cum ficis bonis. Sedeciæ Regi idem consilium dedit Ieremias, nec paruit, & perijt, conferturque cum ficis malis. 220. 1.c.d
Ieremias an sit sanctificatus in vtero. 352.1.e

IERVSALEM.

Ierusalem Iudaica non est reparanda. 49.2.48.1.
Ierusalem dicitur Ecclesia à Christo exædificata. 44.1.c
De Ierusalem, id est, Ecclesia, in terris ędificata. ibidem,2.b.c
De Ierusalem cælesti. 40.1.2.
Ierusalem expugnatur à Chaldæis anno vndecimo Sedeciæ. 214. 1.c.d
Ierusalem confertur cum olla rubiginosa ab Ezechiele. ibidem, 1.a
Ierusalem incensa à Chaldæis. ibidem,d
Ierusalem obsidio depingitur in latere ab Ezechiele. ibidem,c
In Ierusalem venit Antiochus Epiphanes, dux ab eo missus illam spoliauit, & incendit. 243.2.d
In Ierusalem venit Alexander Magnus. 242.1,a
Ierusalem cælestis è cælo descendens, Ioanni ostensa. 47.2,b,c

IESVS NOMEN.

De nomine Iesu. 431.1.d
An nomen Iesu sit nomen tetragrammaton? ibidem
Quodnam sit nomen Hebræum? ibidem,2.d
An aliquis alius hoc nomen habuerit? ibidem
Christus appellatur Iesuah, & Iehosuah. 432.1.c
An nomen Iesu sit nomen super omne nomen. ibidem,e
An nomen Iesu sit nomen nouum? ibidem,2.d
An nomen Iesu in veteri Testamento reperiatur? 433.1.a
De numero nominis Iesu. ibidem,c.2.a
Inter nomina Dei incarnati præcipuum est Iesus. 432 1.c
De laudibus nominis Iesu. lib.9.cap.7.
Nomen Iesu imago Christum repræsentans, è cæio venit, in capite libri vitæ scriptum, à Prophetis, & Sybilla prædictum, proprium Christi, alia Christi nomina complectitur, nomen nouum, à maximo Dei opere sumptum, nomen super omne nomen, magna deuotione proferendum, supra Domini morientis caput causam mortis ostendit, sacra anchora, nomen misericordiæ, anni principium exornat. ibidem

IEZABEL.

Iezabel impia vxor Achabi Rex Israel. 229.2.d
Iezabel mariti fuit fax. ibidem
Iezabelis facinus cædes Naboth. ibidem,e
Iezabelis supplicium & mors. ibidem,d

ISAIAS.

Isaias quo tempore prophetarit. 232.2.d
Isaias sub Manasse Rege in duas partes sectus occubuit. 235.2.d

IDOLOLATRIA.

Hebræi sæpe idola coluerunt tempore iudicum. 226.1.a
Propter idolorum cultum traditi sunt seruituti. 226.1.a.b.c
Sub principatu, Samuelis, Saulis, Dauidis, Salomonis non coluerunt idola Hebræi. ibidem,2.b.c
Post Salomonem coluerunt idola Hebræi. ibidem,c
Diuisum est regnum, & diuisa est religio. 227.2.b.c
Ieroboam Rex Israël idololatriam in populum induxit. ibidem,c.d
Vitulos aureos adorarunt Israelitæ, alterum in oppido Dan, alterū in oppido Bethel. ibidem,d

IGNIS.

Ignem sacrum reperit Nehemias post captiuitatem Babylonicam. 239.1.d
Sacer ignis quis dicatur. ibidem,e
Nadab & Abiu filij Aaronis igne diuinitus incensi periere, quod alienum ignem obtulerint. 226.2.d
Ignis alienus quis appelletur. ibidem
Ignis è cælo delapsus. 279.1.a
Ex igne è cælo delapso, omnia erant deinceps accendenda. ibidem
Ignis charitas. ibidem,b

INCARNATIO.

Deus incarnatus est, vt idem esset Redemptor qui creator, vt de suo liberaretur homo, vt familiarius ab homine diligeretur Deus homo, vt oculus cordis reficeretur in eius diuinitate, & oculus corporis in eius humanitate. ibidem,d
In incarnatione splendet Dei bonitas, & amor. ibidem,c.2.a
In incarnatione splendet Dei potentia, & iustitia. 177.1.b.2.a
Verbum diuinū carne, veluti verbum nostrū voce, vestitū. 178.1.c
Incarnationis causæ. 173.174.175.176.1.a
Deus factus est homo, vt exhiberetur homini, & qui ab homine videretur, & quem homo sequeretur. 174.1.d
Deus factus est homo, vt esset homini exemplar quod imitaretur. ibidem,c.d
Verbum incarnatum est, vt imago Patris, imagini, id est, homini, succurreret. ibidem,2.a
Incarnata est Patris sapientia, vt hominem sapientem redderet. 174.1.b
Λόγος, id est, verbum, & ratio, per incarnationem, rationalem hominis vim redintegrauit. 174.2.b
Deus incarnatus est, vt homines carne constantes faceret Deos per participationem. ibidem,c
Filius Dei factus est homo, vt homines faceret filios Dei. ibidem
Deus factus est homo, vt homo fieret Deus, & fieret homo, Deus, per participationem, homo per rationis rectum vsum. 409. 2. b
Filius Dei incarnatus est vt cetum, id est, Diabolum expiscaretur, diuinitas hamus, caro esca. 174.2.c
Deus incarnatus est, vt caro fieret medicina carnis. 175.1.d
Per Verbum factus est homo, & per Verbum refectus. 173.1.c
Non per Angelos, aut vllam creaturam, sed per semetipsum Deus nostræ salutis negotium obire voluit. ibidem,d
Tradita sunt omnia Christo, vt vitæ, quæ excitaret mortuum hominem, vt luci, quæ illuminaret, vt rationi, quæ vim rationalem redintegraret. ibidem,e
Verbum instar Solis redijt retro in incarnatione, vt sanaret hominem. ibidem,2.a
Christus instar Elisei incuruauit se ad sanandum hominem. ibid. c. d
Inclinauit se medicus è cælo vsque ad lectum ægroti hominis, qui erat in terra. ibidem,d
Verbum Dei vita incarnatum est, vt afferret homiui vitam. ibidem, 1. e
Nullus patriarcharum, aut prophetarum potuit homini salutem, & vitam afferre, Verbi incarnatione fuit opus. ibidem,2.b
Verbum lux, incarnatum est, vt afferret hominibus lucem, ibidem,a
Fecit medicus summus collyrium admirabile per incarnationem, vt excæcatos hominum oculos sanaret. ibidem,e
Per incarnationem sunt illuminati oculi hominum. 174.1.a
Christus non recusasset, si opus fuisset, pro vno homine incarnari, vt ait Chrysost. 354.2.d
Verbum incarnatum est, vt hominem verbo doceret, & exemplo. 174.1.b
Verbi incarnatio admirabilis. 169.2.d
Caro hominis per carnem, & incarnationem Verbi reparata est 170.2.c
Cur Ioannes dixerit, *Verbum caro factum est* potiùs quam, *Verbum homo factum est*. ibidem,1.e

Quomodo Verbum dicatur factum caro. ibid. 2.c
Quomodo Verbum habitarit in nobis. 171.1.a b
Incarnati Verbi oculati testes Apostoli. ibid.c
Verbũ incarnatũ gloriã suam velamine carnis texit. ib.2.c
Verbi maiestas in humilitate carnis emicabat. ibid. 1.c.2.a
Verbum in carne per opera se indicabat. ibid.b
Incarnatio est eleuatio totius vniuersi, in diuinam personam. 176.2.c
Deus toti in vniuerso se cõmunicauit cũ incarnatus est. ib.
Deus quibus modis se communicarit creaturis, & quomodo se communicarit per incarnationem. ibid.
Verbum cum humanam naturam assumpsit, omnes naturas euertit. ibid.c
Incarnatio maximæ fuit potentiæ Dei. 177.1.b.c
In incarnat. facta est coniunctio primi & vltimi, i. Verbi & humanæ naturæ, ad cõpletionem totius vniuersi. ib.c.d
Deus incarnatus est, vt diuinæ iustitiæ fieret satis. ibid.2.a
De pretio quod iustitiæ diuinæ Christus soluit. ibid.b
De mysterio incarnationis ex Paulo. 178.1.d
Incarnationis dies, desponsationis dies fuit. 260.1.e
Incarnatio omnibus sæculis profuit. 257.2.b
Incarnatio maximè conueniens remedium fuit homini sanando. 96.2.a
Incarnatio non fuit absoluto modo necessaria ad liberandos homines, potuisset hoc aliter facere Deus. ibid.1.c
Per incarnationem diabolus iustitia superatus est. ibid.2.b
Incarnat. promissa & prænũtiata ab orbe cõdito. 97.1.c.d
Incarnatio Verbi humanum genus extulit. 258.1.a
Angeli non assumpserunt veram carnẽ, quia non sunt missi vt subirent mortem, Christus veram humanitatem assumpsit, vt posset pati & redimere. 175.1.c
Deus ad liberandum hominem non est vsus virtute potentiæ, sed ratione iustitiæ. 178.1.a

INFERNVS, GEHENNA.

Gehennæ memoria hominem circumdedit. 439.2.b
De gehenna semper agendum. ibid.c.d
Gehenna mundi cloaca. lib.10.cap.5.
Gehennæ cruciatus corde voluendi. ibid.

INNOCENTES INFANTES.

Innocentes quo tẽpore occiderit Herodes? lib.10.cap.10. 494.1.c
Innocentes cur Herodes statim post Magorum discessum non occiderit? ibid.2.b
Ad occidendos innocentes an petierit Herodes facultatem ab Augusto? ibid.c
Innocentium cædes quomodo sit facta. 495.1.c
An infantes omnes à bimatu & infra bimatum sint occisi. ibid.2.a.b
Innocentium stragis fama Romam vsque peruenit. 503.2.c
Innocentes martyres sunt, non habuerunt rationis vsum, ex ore leonis ablato fauo similes, similes quoq; floribus.
Cur Deus innocentes occidi permiserit? lib.10.cap.13.

INVIDIA.

Inuidum aliena felicitas torquet. 365.1.c
Inuidiam extinguit charitas, vt Sol vmbram. ibid.2.a
Probi non inuident, sed aliena felicitate vt propria lætantur. ibid.1.b

ISAAC.

Isaac cur non sit immolatus? 100.1.b.190.1.b
Isaac Christi typus. 100.1.b.189.2.a.b
Isaac Christi passionis imago. 189.2.c
Isaac vnam tantum habuit vxorem, & cur? 190.1.c

IOANNES BAPTISTA.

Ioannis prærogatiuæ 28. recensentur. 371.1.d. & seqq.
Ioan. nomen vnde deriuetur, & quid significet. 366.1.b.c
Ioannem commendat nomen. ibid.c
Ioannis nomen non fuit nouum. ibid.2.b
Ioannem Deus mirabilem reddidit miraculis, in conceptione & natiuitate. ibid.d.e
Ioannes quomodo erat lux. 165.1.c
Ioannes nisi illuminaretur, tenebræ erat. ibid.a
Ioannes non erat lux, sed lucerna. ibid.
Ioan. non dedit salutẽ populo, sed scientiã salutis. 370.1.c
Ioannes non vixit cum Essenis. ibid.a.c
Ioan. in solitudine vitã egit, puer discessit in eremũ. 371.1.a
Elisabeth Ioannis mater in spelunca obiit, Ioannis curam suscepit Angelus. ibid.b
Quoto anno ætatis Ioannes abierit in solitudinem. ib.2.c
Quoto anno ad docendum venerit. ibid.c
Ioannes multos habuit suarum laudum præcones. ibid.d
De Ioanne vaticinati sunt Isaias & Malachias. ibid.
Ioannem laudat Angelus. ibid.2.a
De Ioanne scribunt omnes Euangelistæ. ibid.b
Ioannem laudauit Christus Opt. Max. ibid.c
Ioan. laudãt Patres, de Ioan. laudibus nulla tacebit etas. ib.
Ioannes à parentibus ortus est, virtutibus & sanguine sacerdotali præclaris. ibid.c
Ioannes ex sterili vtero, & prouectis ætate parentibus, castissimè genitus est. 372.1.d
Ioannem peperit castitas, Angelum puritate. ibid.c
Ioan. præcursor Christi etiam in ipsa conceptione. ibid.2.a
Ioan. vnus sterili matri, instar fuit multorum filiorum. ib.b
A Ioanne Christus originarium peccatum depulit, cum Virgo Elisabetham visitauit. 361.2.c
De peccato originali. ibid.d
Saltauit Dauid coram arca, Ioannes coram Virgine. ibid.e
Vox verbi Ioannes ex vtero cœpit sonare. ibid.
Ioannis benedictio. ibid.a.b
Sterilitas expectabat vnum Ioannis partum, vt esset primogenitus. 372.2.c
Ioanni prima omnia debebantur, etiam primogeniti dignitas. ibid.
Ioannes lilium castitatis, rosa fragrantiæ spiritalis, Ecclesiæ pronubus. ibid.
De conceptione Ioannis. ibid.d
Ioannis conceptio nuntiata ab eodem Angelo, qui Christi conceptionem nuntiauit. ibid.
Ioannis conceptio nuntiata in templo sacro, digniore præmonstratione, quam conceptio Domini. ibid.e
Ioannis conceptio cur nuntiata à dextris altaris? 373.1.a
De sanctificatione Ioannis in vtero. 361.2.c.d. 373.1.b
In vtero matris lucerna fuit à Christo inflammata. 362.1.b
Ioannes in vtero à peccato originali liberatus. ibid.c
Ioannis sanctificatio vicit sanctificationẽ Ieremiæ. ibid.d
Ioannis anima gratiæ aureo amictu in vtero est amicta. ibi.
Ioannes prius hausit spiritum Dei, quàm extra vterũ hauriret ore spiritum mundi. ibid.e
De exultatione Ioannis in vtero. ibid.2.c
Ioannes quomodo in vtero exultauit. ibid.e
Ioannis motus in vtero confertur cum motu filiorum Rebeccæ. 374.1.a
Ioannes an fuerit donatus vsu rationis in vtero? ibid.b
Ioannes primus, post Deiparam Virginem & Angelos, Verbum incarnatum adorauit. ibid.d
Solius Christi, Deiparæ Virginis, & Ioannis natiuitatem Ecclesia celebrat. ibid.e
Ioannis tam natiuitatem, quam mortem celebrat Ecclesia, reliquorum sanctorum natiuitatem minimè. ibid. & 2.a
Ioannes, vt Lucifer stella manè, ortus. ibid.2.b
Ioannes stella orta in Oriente gratiæ. ibid.c
Ioannis natiuitatem gratia est operata, natura admirata. ib.
Ioan. natiuitati Virgo interfuit, eumq; gremio excepit. ib.
De nomine Ioannis. ibid.e
De sanctitate Ioannis. 375.1.b
Ioannes crimen mortiferum numquam commisit. ibid.
An Ioannes peccatum commiserit veniale? ibid.
De solitudine Ioannis. ibid.2.a
Ioannes puer cur solitudinem non timuerit? ibid.
Ioannis prima ætas grauitatẽ senilis sapientiæ vicit. ibid.d
Ioannes ante natiuitatem sanctus, post natiuitatem plusquam sanctus. ibid.
Ioannis vita & pœnitentia admirabilis. ibid.
Ioannis vita angelica, continuum martyrium, ieiunium perpetuum. ibid.
Ioannes specie homo, gratia Angelus, in terra quasi in cælo versabatur. ibid.e
Ioan. cũ nullo homine, antequã baptizaret, loquebatur ib.e
Ioannis vita admirabilis, sine miraculis Iudæos traxit. ibid.
Ioannes Anachoritarum princeps. 376.1.b
Ioannes propheta, & plusquam propheta, cur dicatur? ibi.d
Ioannes videns fuit, quia Christum vidit. ibid.e
Ioannes nouissimus fuit prophetarum, & primus, qui Messiam vidit. ibid.2.a
Ioannes vt esset primus, fuit nouissimus. ibid.
Post Ioannem non fuit Propheta, qui Christum nuntiaret venturum. ibid.b
Si Messias non veniisset, mitteret Deus aliquem prophetam ad Iudæos, qui venturum nuntiaret, nullum misit post Ioannem, ergo iam venit. ibid.
De virginitate Ioannis. ibid.c. cum seqq.
Ioannes virginitatem voto confirmauit. ibid.e
Ioannes virginitatis speculum. ibid.
Ioannes lilium castitatis inter spinas pœnitentiæ, & rosa deserti. ibid.d
Ioannes fuit doctor scientiæ salutis. e
Ioannem docuit inspiratio, illius academia solitudo, magister Spiritus sanctus. 377.1.a
Ioannes ardebat triplici ardore, lucebat triplici splendore. ibid.
Ioannes testis locupletissimus Christi. ibid.b. 164.2.d
Ioannis magna autoritas. 377.1.b.c
Ioan. candelabrum lucens ante arcã, id est, Christũ. ibid.e
Ioannes præcursor Domini angelicus, nulla mundi sarcina oneratus, nuntius expeditissimus. ibid.2.a.b
Ioannis autoritas Christi testimonio inseruiuit. ibid.c
Ioannem Messiam esse putauerunt Iudæi. ibid.c

Ioannes baptizauit Christum & Apostolos, eius baptismus præludium fuit baptismi Christi. ibid.e.cum seqq.
Ioannes præco pœnitentiæ, voce, vita, baptismo, totus vox clamans in deserto. 378.1.d
Ioannes primus regnum cælorum explicitè nuntiauit. ibi.e
Ioannes Orizon legis veteris & nouæ, meta legis, Euangelij ianua, constitutus inter noua & vetera, legis terminus & Euangelij initium, cur dicatur. ibid.2.b.c
Ioannes martyr fuit. ibid.d
Martyrij Ioannis causa. ibid.d e.
Ioannes vox clamantis in deserto, nunc etiam sonat, non silet. 379.1.b
Ioannes lucerna morte non est extincta, sed splendore fulget, ibid.
Ioannis torques ex cruore. ibid.c
Ioannes tres habet aureolas, martyrij, virginitatis, doctoratus. ibid.
Ioannes tria habet serta, vnum ex rosis rubẽtibus, alterum ex liliis candentibus, tertium ex purpureis violis. ibid.
Ioannes magnus coram Domino, & quis sit magnus coram Domino, & quis coram hominibus. ibid.e
Ioannes Beniamin, id est, filius dextræ, quia manus Domini erat cum illo. ibid
Ioanne maior non surrexit inter natos mulierum, quomodo sit intelligendum. 380.1.a
An Ioannes sit maior ceteris sanctis, excepta Deipara Virgine? ibid.a.b.c
Ioanni tribuitur sedes Luciferi. ibid.d
Ioannes cælestis iris, id est, Dei nuntius. 362.1.b

IOANNES EVANGELISTA.

Duo Ioannes, duo Cherubini propitiatorij. 164.1.b
Duo Ioannes, duo testes Christi. ibid.
Ioannis Euangelistæ præclarum testimonium. ibid.c
Ioannes Euangelista altissimè volauit. 130.1.b
Ioannis volatum quomodo Hieronymus vocarit. 131.1.a
Ioannes confertur cum Aquila grandi Ezechielis. 130.2.a
De Ioannis virginitate. 131.1.a
Ioan. cur filius Tonitrui dicatur, & de sonitu tonitrui. ib.c
Ioannes astrum illustre. ibid.2.a
Ioannes cælestis citharædus. ibid.b
Ioannis amor. ibid.c
Ioannis Euangeliũm primas obtinet. ibid.d
Ioannis Euangelium margarita. ibid.1.e
Verbum quod Virgo Deipara in carne protulit, Ioannes Virgo voce protulit, & scripto. ibid.
Ioan. Euangeliũ extremũ est loco, primũ dignitate. ibid.2.e
Ioannis Euangelium cur extremo loco collocetur. ibid.
Ioannis Euangelij initium è cælo delapsum sonante tonitruo. 132.1.c
Ioannes Græcè scripsit Euangelium. 34.2.d
Ioannes scripsit Euangelium duas ob causas. ibid.a
Quo tempore scripserit. ibid.c
Qua lingua scripserit. ibid.
Ioannis Euangelium Hebræo sermone donatum. ibid.e
Quo in loco scripserit Euangelium. ibid.

IOACHIM.

Ioachim pater Virginis. 266.2.d
Ioachimo nuntiata per Angelũ conceptio Virg. 268.1.a.b
Ioachim ob fœcunditatem despectui habitus. ibid.a

IOACHIM REX.

Ioachim rex Iuda impius, librũ Ieremiæ cõbussit. 212.2.c
Ioachim supplicium: captus est à Rege Babylonis, & Babylonem ductus. ibid.d
Ioachim in regnum reductus, rebellauit: à Rege Nabuchodonosor occisus est, & sepultura asini sepultus, ibid. e. 213. 1.a

IOACHIN: *vide* Iechonias.

IOB.

Iob fuit Rex, & eius amici. lib.9.cap.8.

IONATHAS.

Ionathas frater Iudæ Machabæi, pontifex. 246. 2.c
Ionathas à Tryphone comprehensus occiditur. 247.1.c

IOSAPHAT.

Iosaphat Rex præstans religione. 200.1.d
Iosaphati zelus in docendo populo. ibid.d
Iosaphat regnum firmauit diuino cultu, muniuit militibus, exornauit iudicibus. ibid.e
Iosaphati monita egregia iudicibus data. ibid.
Iosaphati exemplum belli gerendi, & auxilium à Deo postulandi, precibus ac ieiuniis. ibid.2.c.d
Iosaphato per prophetam Deus victoriam pollicetur. ibi.e
Iosaphat cantando vicit hostes. 201.1.a.b

IOSEPH SPONSVS DEIPARÆ.

Duo tituli Iosephi præstantissimi. 290.2.a
De primo titulo, qui est, Coniux Deiparæ Virginis. ibid.
De secundo titulo, qui est, Pater Christi, hominum opinione. 291.2.a
De coniugio Virg. & Ioseph, latè agitur. 286.2.c.cũ seqq.
De ætate Ioseph, quo tempore sponsam accepit. 288.1.c
De laudibus & sanctitate Ioseph, latè. 290.1.2.cum seqq.
De morte Ioseph & funere. 292.2.c
De gloria Ioseph. 293.1.c
An anima & corpore sit glorificatus? ibid.b.c
De Patrocinio Ioseph. ibid.d

IOSEPH FILIVS IACOB.

Ioseph typus Christi. 102.2.a.b

IOSIAS.

De Iosia Rege præstantissimo latè agitur. 209.1.d
Octauo anno ætatis Rex creatus, idololatriam è populo expulit. ibid.2.a.b
Holdam prophetidem consuluit, qui Babylonicam prædixit captiuitatem. ibid.e
Tempore Iosiæ, inuentus est liber legis, ab Helcia sacerdote. ibid.2.b.c
Iosias populo librum Deuteronomij legit. ibid.e
Iosiæ fidem & nomen, propheta prædixit. 210.1.a
Iosiæ mors ibid.b
Iosiæ laudes. 209.1.d.e
Ob necem Iosiæ planctus, & Ierem. lamentationes. 210.2.b
An fuerit Iosias ceteris omnibus regibus melior? ibid.b

IVDAS MACHABÆVS.

Iudæ Machabæi victoriæ & gesta. 244.2.b
De legatione quam Iudas misit ad Romanos. 245.2.b
Mors Iudæ. ibid.e

IVDA TRIBVS.

Christus ortus ex tribu Iuda. 179.1.a
Vaticinium Iacob, *Iuda te laudabunt fratres tui*, &c. de Christo exponitur. ibid.b
Tribus Iuda præstabat ceteris, hominum multitudine, fortitudine, nobilitate. 181.1.b.c
Tribus Iuda prima, ceteris formidantibus, dicitur ingressa mare rubrum. ibid.c
Regnum tribui Iuda traditum. ibid.
Tribus Iuda orientalem tenebat plagam, adumbrans Solis iustitiæ ortum. ibid.2.c
Nomen Iehuda continet quatuor litteras nominis Iehouah & daleth, quæ significat ostium, & quid hoc indicabat. ibid.c.d
Tribus Iuda propter Messiam ex ea oriturum conseruata, & ex Babylonica captiuitate in Palæstinã reducta. 17.1.d
Nato Messia tribus Iudæ derelicta vagatur, Cain instar. ibid.2.a

IVDAS FILIVS IACOB.

An peccarit Iudas cum ex Thamar genuit Phares & Zaram. 191.1.b
De filiis Iudæ. ibid.d
Iudas fuit fortissimus. 181.1.b.c

IVDÆI.

Iudæorum cæcitas ex scriptura ostenditur. 37.1.c.d
Iudæi sacras litteras non intelligunt. ibid.2.a
Iudæi obcæcati propter peccata. ibid.c
Iudæorum synagoga fumo repleta est. 38.1.a
Iudæorum impœnitentia ex Ieremia. ibid.c
Iudæorum cæcitas stupenda. ibid.2.a
Iudæis Scriptura sigillata & clausa. ibid.d
Iudæi non scrutantur Scripturam, sed litteræ sonum sequuntur. 40.1.a
Iudæi sapientiores occultiores Scripturæ sensus sectabantur, vt Philo ait. 39.1.a.b
Iudæi non eleuant manus, id est, scripta Mosis. 40.1.d
Iudæi duplicem Messiæ aduentum ignorant. ibid.2.e
Iudæi siue Israelitæ duplices, secundum carnem & secundum spiritum. 49.2.b
De congregatione Iudæorum secundum spiritum, id est, Christianorum. 50.1.c
Iudæos quomodo Messias Christus à captiuitate liberarit. 51.1.d
Iudæos propè finem mundi conuertendos, & à dæmonis captiuitate liberandos. ibid.2.a
Iudæis relictis, Deus sibi gentes copulauit. ibid.e
Iudæos relictos sub finẽ mundi Deus iterũ cõuertet. ibi.d
Iudæorum conuersio optanda. 52.1.b
Iudæi tandem ad Christum conuersi, magno ardore Christianam fidem prædicabunt. ibid.e
Iudæi per Eliam & Enoch conuertendi. ibid.2.a
Conuersionis Iudæorum typi. ibid.b
Iudæorum Respublica, & regnum temporale nullo vnquam tempore instaurabitur. 53.1.d
Vt Adamum in paradisum Deus non restituit, sic nec Iudæos in Palæstinam restituet. 54.1.a.b
Synagogæ Iudæorum dedit Deus libellum repudij. 53.2.e
Iudaica omnia euertit Deus, vt intelligant legem veterem esse sepultam. 54.1.d
Iudæos quorsum Deus per orbem dispersérit. ibid.2.d
Iudæi per orbem dispersi, vt sint testes Christi. ibid.e
Iudæi lignea cãdelabra lucernã legis nobis ministrãt. 55.1.a

INDEX.

Iudæi portant ſacræ Scripturæ libros, vt pueri Chriſtianorum, dominorum libros in gymnaſia portant. ibid.b
Iudæi abecedarij pueri, litteras Vriæ ferunt. ibid.
Iudæi non ſunt extincti, vt reliquiæ conuertantur. ibid.c
Iudæi per orbem vagantur, vt Eccleſiam videant, & ingrediantur. ibid.
Pro Iudæis orauit in Cruce Dominus, ne perirent omnes. ibid. 2.a
Ex Iudæis habet Deus multos electos, quæ ſunt reliquiæ Iſrael conuerrendæ. ibid.c
Iudæi vagantur, vt teſtentur Meſſiam iam veniſſe. ibid.e
Iudæorum populus diſſectus & diſperſus in multas partes, quemadmodum facinoroſi hominis cadauer, ſuum facinus teſtatur. 56.1.a
Calamitatis Iudæorum columna vna eſt totus orbis. ibid.c
Iudæi olim moræ Moſis impatientes, nunc moræ Pſeudo-Meſſiæ patientiſſimi. 57.2.b
Iudæorum ſtatus mobilis à Chriſto totus pendebat. 81.1.c
Iudæi pueris alphabetariis ſimiles. 19.1.c
Iudæis Chriſtus perfectam tradidit ſcientiam. ibid.d
Iudæos Deus, propter Chriſtum ex illis naſciturum, ornauit, & defendit. 17.1.c
Iudæorum populus vt fœnum aruit. ibid.2.c
Ablato theſauro, id eſt, Chriſto cuſtodia ablata à Iudæis eſt: producto botro expectato, eradicatæ vites, id eſt, Iudæi. ibid.b
Ornamenta data Iudæis propter Chriſtum. ibid.c
Pro Iudæis gentes electæ. ibid.e
Iudæorum populus cur dicatur vellus. 18.1.c
Iudæi in gratia viuentes ante Chriſti aduentum, an fuerint filij Dei? 49.2.d.e
Iudæorum Reſpublica & regnum, vt vas fictile fractum, eius ruina irreparabilis. 53.2.b
Iudæorũ contritio & confractio, magna eſt, vt mare. ibid.c
Iudæorum deſolatio vſque in finem perſeuerabit. 49.1.c
Iudæi non reuertentur in Paleſtinam. ibid.e
Iudæorum Synagoga, & ſtatus, confertur cum luna, quę ſæpe mutatur. 258.2.c
Iudæi, pueri, & infantes. 80.1.a
Iudæi, vt Cain Abelem, ita Meſſiam neſciunt. 98.2.a

IVDICIVM.

De iudicio. 74.2.c
Chriſtus vt Sol in iudicio probis exorietur. ibid.c.d
In iudicij die apparebit vitiorum turpitudo, & virtutis pulchritudo. ibid.e
In iudicio Chriſtus, occulta bonorũ opera patefaciet. ibi.e
Chriſtus cur dicatur Sol iuſtitiæ, in die iudicij. 74.2.d.e
Sol exoriens dormientes excitat, Chriſtus in iudicio excitabit mortuos. ibid.c
Chriſtus in iudicio diem æternum beatis corporibus efficere incipiet. ibid.d
In iudicio Chriſtus illuminabit abſcondita tenebrarum, ideo Sol dicitur. ibid.
Chriſtus in iudicio, dicitur Sol iuſtitiæ, quia iuſtitiæ radios emittet. ibid.e
In die iudicij corpora ſanabit Chriſtus. 75.1.b
In die iudicij egredientur è ſepulchris probi, & ſalient ſicut vituli à vinculis relaxati. ibid.
Dies iudicij ſuccenſa, quaſi caminus. 73.2.b
In die iudicij erunt impij ſtipula ignis. ibid.
In die iudicij non relinquetur impiis radix aut germẽ. ibi.
Dies iudicij crudelis, indignationis plena. 74.2.a
Dies iudicij magnus & horribilis. 75.1.c

IVDICIVM PROPRIVM.

Obediens iudicium proprium, ſuperioris iudicio ſubiicit. 523.1.b.
Diſcipuli Pythagoræ iudicium illi ſubiiciebant. ibid.2.b

IVDICES.

Iudices amplecti debent timorem Dei & diligentiam, odio habere iniquitatem. 200.2.b
Iudicandi munus magni ponderis. ibid.a
Iudices conſtituit Rex Ioſaphat Leuitas, & Sacerdotes, & Principes familiarum. ibid.1.d
Monita regis Ioſaphat iudicibus obſeruanda. ibid.e
Iudici iniquo ſupplicium imminet. ibid.2.b

IVGVM.

Cur iugũ noui teſtamẽti dicatur leue? 13.2.d.e.14.1.d.2.b
Chriſtus iugum ſubleuat auxilio. 14.2.b
Iugum Chriſti iugum amoris. ibid.
Iugum Chriſti portatur, & portat. 15.1.a

IVRAMENTVM.

Iurandi conſuetudo extirpanda. 438.1.d
Serui Abrahæ iuramentum. 189.1.b.c
In iuramento veritas. 438.2.d
In iuramento reuerentia. ibid.e
In iuramento neceſſitas. ibid.c.d
Lingua aduerſus iurandi conſuetudinem frenanda. ibid.b

IVSTIFICATIO.

Iuſtificationis initium eſt à Deo. 362.2.d
Vt iuſtificemur prius nos quærit Deus. ibid.
Iuſtificatio impij lætiſſima. 363.1.a
Vetus lex non habuit vim iuſtificandi. 4.1.d
Lex noua iuſtificandi vim habet. 5.1.b
Euangelium eſt virtus, id eſt, potentia Dei in ſalutem & iuſtificationem. 28.2.e
Iuſtificatio Dei in Euangelio reuelatur. 29.1.b
Iuſtificatio non ex lege veteri aut ex arbitrij viribus, ſed ex fide viua Chriſti, in fidem. ibid.

L

LAPIS.

Lapis abſciſſus è monte ſine manibus, apud Danielem, Chriſtum indicat & Deiparæ virginitatem. 265.1.c. 344.1.b
Lapides viui hic expoliuntur, & dolantur tunſionibus, & preſſuris, in cælo collocantur in ædificio. 46.1.b
Hic auditur ſonus malleorum dolantium lapides, pœnitentiæ gemitus, verborum ſonus, in cælo minimè. ibid.c
In lapide ſcripta lex vetus, propter duros. 3.1.e
Quid adumbrarit lapis in quo lex vetus eſt ſcripta. 6.2.e
Lapis fundamentalis ſigno circumciſionis notatus, Abraham. 188.1.e

LAVS, LAVDARE.

De laude Dei. 353.2.c
Laudandus eſt Deus, Eccleſia ad id incitat. ibid.
Domus laudis diuinæ eſt Eccleſia. biid.d
Dei laus ex ore Chriſtiani non recedat. ibid.
Deus laudandus, & ore, & vita, atque exemplo. 354.1.a
Qui vita Deum laudat, ſemper laudat. ibid.
Laudandus Deus magno ardore. ibid.c
Omni laude maior Deus. ibid.
Laus Dei oblatio eſt gratiſsima, & magnum ſacrificium. 367.2.b
Corona diuinarum laudum, pura manu texenda. ibid.c
Laudanda maximè Deipara Virgo. 263.& ſeqq.
Beati Deum laudant in cælo. 47.1.c

LACHRYMÆ.

Lachrymarum duplex genus. lib 10.cap.5.
Gemunt columbæ & turtur. lib.10.cap.4.
De lachrymis & gemitu pœnitentiæ. ibid.
Cum lachrymis & dolore, quærẽdus Chriſtus. li.10.ca.17.
Lachrymæ peccati diluuium. ibid.
Ex lacrymis capit fructũ is, qui lacrymis peccata delet. ibi.
Lachrymæ & dolor, medicina peccati. ibidem.

LEÆNA, LEO.

An Leænæ vnus tantum contingat partus, vt ait D. Epiphanius? 388.2.b
Leo Chriſtus in morte. 180.1.b

LEVIATHAN.

Leuiathan marinum cetum, id eſt, diabolum, expiſcatus eſt Chriſtus, & quomodo. 174.2.e

LEX.

Triplex lex, Naturæ, Moſis, Chriſti. 78.2.e
Nec lex Naturæ, nec lex Chriſti abrogabitur, lex vetus abrogata eſt. ibid.
Lex Moſis tria præceptorum genera habuit, moralia, ceremonialia, iudicialia, medulla legis erant præcepta moralia. 79.1.a
Decalogus in lege noua obſeruatur, quia legis naturæ eſt, & legis Chriſti. ibid.b.c
Præcepta cæremonialia & iudicialia, decalogi veluti appendices, & additamenta quædam erant. ibid.d
Iudicialia præcepta cum ſceptro, cæremonialia cum ſacerdotio, ſunt extincta. ibid.
Legem veterem Deus ſepeliuit. ibid.e
Legis veteris præcepta cur appellantur non bona? ibid.2.c
Legis præcepta ſimilia faſciis infantium. ibid.d
Lex vetus ſimilis vtero matris. 80.1.b
Tabulæ fractæ, lex fracta. ibid.e
Lex ſimilis fluuio Iordani. ibid.
Lex ſimilis theatro. ibid.d
Lex typos habet & figuras. ibid.2.b. 437.1.c.d
Lex cur abrogata ſit, rationes redduntur. 81.1.d
Legem quomodo impleuit Chriſtus. ibid.2.c
Lex Moſis elementaris, ad Chriſti Theologiam ducebat. 257.1.c
Lex noua in tabulis cordis carnalibus inſcripta. 3.1.d
Lex vetus ſcripta in lapide propter duros. ibid.2.a
Legem in corde ſcriptam eſſe, quid ſit ibid.b
Lex Dei charitas. ibid.c
Lex dicitur dictamen & propenſio. ibid.e
Legem quomodo natura in mente conſignet. 4.1.b
Lex vetus non iuſtificabit vi ſua. ibid.d
Lex vetus, ſiue littera, cur dicatur à Paulo occidere? ibidem c.2.e
Lex vetus concupiſcentiam, quomodo irritabat. ibid.2.b.c
Lex vetus cur littera occidens dicitur, noua ſpiritus viuificans. ibid.e

Per legem veterem quomodo cognitum sit peccatum. 5.1.a
Cur lex noua dicatur viuificare? ibid.b
Lex noua gratiam, & Spiritum sanctum in cordibus diffundit. ibid.c
Quomodo sint iustificati antiqui sub lege veteri, & lege naturæ. ibid.e
Lex vetus infirma, lex noua potens. 6.2.d.e
Lex vetus vmbras habebat. 7.1.e
Lex vetus cum terrore data. Lex noua cum amore. 11.1.b.c
Lex vetus cur vmbra dicatur, non imago? ibid.2.c
Lex cur dicatur spiritalis? ibid.e
Lex vetus typica fuit, & plena figuris. ibid.b
Lex animalis habet similitudinem, habet corpus, id est, litteram, & animam, id est, spiritum. 12.1.b
Lex vetus iugum graue: Lex noua iugum leue. 13.2.d
Lex noua cur sit iugum leue? 14.1.d
Lex noua verbum breuiatum, lex vetus laciniosa. ibid.
Lex vetus temporaria, obiter in itinere data. 15.1.e
Lex vetus à Christo abrogata. ibid.
Lex vetus speculum & typus. 81.2.b
Lex vetus maceriæ paries, inter Iudæos & Ethnicos, quem Christus diruit. 15.2.a
Lex vetus chirographum, quod Christus deleuit. ibid.b
Lex pædagogus, ducens ad Christum. ibid.e
Rationes cur lex vetus sit antiquata. 16.1.b
Legem nouam ferre, ad Messiam pertinebat. ibid.2.a
Lex vetus impleta per Christum. ibid.1.c
Lex vetus sepulta non sine honore. ibid.2.a
Legis sepulchrum Iudæi non vident. ibid.d
Lex vetus hedera Ionæ. ibid.e
Lex vetus vni populo data, noua data toti mundo. 17.1.c
Lex vetus data per Angelos, noua per Christum. 20.2.d
An lex vetus data fuerit per Verbum diuinum, ante incarnationem? ibid.e
Cur lex vetus dicatur lex factorum, & lex noua lex fidei. 25.1.d.e
Legem veterem obseruare Iudæis permissum est olim, per aliquod tempus, vsque ad sufficientem Euangelij promulgationem. 16.2.b
Lex vetus quomodo dicatur æterna. 75.2.c.d. 76.1.b
De abrogatione legis Mosis. 75.2.b
Lex vetus & populo, & statui, ac tempori quod Messiam præcedebat fuit congruens, toti orbi alia congruens fuit danda à Messia Christo. 76.1.e
Legislator Christus legem tulit toti orbi. ibid.
Duæ leges, altera in Sinai lata, altera ex Sione egressa. ibid.2.b

LIBIDO, LVXVRIA.

Libido tenebras offundit animo. 194.1.a
Libido fugienda. 438.1.c
Libido bestia comedens carnes multas. ibid.
Carnis appetitus in Dauide peregrinus pertranſiit, & non mansit. 197.1.b.c
Libido facit apostatare sapientes. ibid.
Libido idolis prosternit hominem. ibid.e
De libidine. 255.1.a.b
Excæcat homines. ibid.b. 293.2.c

LIBRI.

Liber apud Hebræos etiam schedula dicitur. 186.1.a
Libros Hebræi à primis verbis nominant. 185.2.c
Librum Ieremiæ combussit Ioachim. 212.2.c
Liber in Euphratem proiicitur. 234.1.e
Libri Patrum sunt aulæa pretiosa, quibus Ecclesia ornatur. 161.1.c
Librorum sacrorum ordo, iuxta Hebræos. 238.1.a
Liber foris intusque scriptus, sacræ Scripturæ. 12.2.e
Liber Ioanni ostensus, itemque Ezechieli, qualis erat, & quomodo scriptus fuerit intus & foris. 13.1.a.b
Librum obsignatum, id est, Scripturam, resignauit Christus. 37.2.a
Libri obscœni & hæretici fugiendi. 387.2.a.b
Liber Ezechielis scriptus intus & foris, in sensu & in littera. 37.2.b
Libri multi dictati ab Esdra. 237.2.d
Libros sacros quomodo Esdras reparârit. ibid.a

LINGVA.

An mutarint Hebræi linguam, post captiuitatem Babylonicam? 236.2.d.e
Lingua facilitatem habet motus, in vdo & lubrico est. 438.1.e
Lingua timoris freno coërcenda. ibid.

LINEA.

Linea piscatoriæ similis, dicitur genealogia Christi. 254.1.d

Λόγος.

Filius Dei dicitur λόγος, id est, verbum & sermo, sed melius verbum. 140.2.b.c
λόγος significat etiam rationem & definitionem. 141.1.d

LVCAS.

Lucas Euangelista, Syrus ex Antiochia, medicus fuit & pictor, imaginem Deiparæ Virginis & Apostolorum depinxit. 33.2.d.e
Ex septuaginta discipulis dicitur fuisse. ibid.e
Lucas quo in loco, & qua lingua scripserit Euangelium. 34.1.b
Lucas comes Pauli. ibid.
Lucæ Euangelium Paulo adscriptum. ibid.
An sit Lucas frater, cuius laus est in Euangelio, de quo Paulus? ibid.c.d
Lucas quo tempore scripserit Euangelium. ibid.e

LVCERNA.

Lucerna ardens Ioannes. 165.1.a. 377.1.a.e
Candelabrum Ioannes. 377.2.a

LVX.

Lucem attulit Christus. 173.2.e
Illuminati oculi per incarnationem. ibid.
Lux hominum Christus in tenebris lucet. 159.2.d
Sol & pater luminum Deus. 163.2.b.c
Deus lux, in quam nulla caligo cadit. 160 2.a
Iustorum viam consideratio illuminat. 151.2.b

M

MACHABÆI.

Machabæi vnde dicti sunt? 246.2.a.b
Fratres Machabæi ab Antiocho occiduntur. 244.1.c

MAGI.

An Magi fuerint malefici? 450.2.d
Magorum cibus, vestis, lectus. 451.2.e.d
Magi Philosophi Chaldæorum. ibid.b
An fuerint Magi Reges? 452.1.a
Magi ex qua nam regione venerint? ex Mesopotamia venerunt. 453.1.a.b
Magi quo tempore venerint ad præsepe. ibid.d
Magi quot fuerint? Magi ad Iudæos missi, testes aduentus Messiæ. ibid.2.b
Magi ex vaticinio Balaam, cognouerunt Christum natum. Vaticinium exponitur. 454.1.a.2.a
Magi reuelatione ducti. 455.1.b.c
Magorum munera ab Abrahamo filiis relicta. 458.1.d
Magi an adorarint Christum in præsepio, an in domo alia? 460.1.a
Magorum fides. ibid.2.a
An singuli singula dona obtulerint? ibid.d
Magorum munera quid indicent. 461.1.a
Magi an perceperint responsum ab Angelo? ibid.c
Magi in speluncam se receperunt. ibid.d
Magi primitiæ gentium. ibid.2.b
Magi filium Dei deosculati sunt. ibid.e
Magi tres fortes Dauidis. 462.1.a
Magi legati ad Christum. ibid.b
Magorum iter simile cursui Solis. 463.2.e
Magi astrologi nouam stellam, nouumque Solem obseruarunt. 464.1.a.b
Magorum nuntium quomodo Herodes exceperit. ibid.d.
Cur Magi ab Euangelista non appellentur reges, appelletur verò Herodes Rex? 467.1.e
De donis Magorũ Christo oblatis, quid actum sit. 475.1.e

MAGNIFICVS, MAGNIFICO.

Magnifica sunt omnia in cælo. 46.2.d
Magnificus Rex Christus. ibid.
Magnificum regnum Christi. 47.1.b
Magnificum conuiuium cælestis Ierusalem. ibid.d
Ille Deum magnificat, qui Dei imaginem, id est, animam suam, magnam virtutibus facit. 353.2.a.b

MAGNVS.

Magnum hominem facit magnitudo virtutis. 320.1.d
Magnus coram Domino Ioannes. ibid.e
Magnus coram hominibus Alexander magnus, & Pompeius magnus. ibid.
Magnum Ioannem effecerunt de hostibus reportatæ victoriæ. ibid.
Magnus coram Domino Ioannes, propter magnum officium. ibid.2.e
Magnum officium est, homines conuertere ad Deum. ibid.
Magnus Ioannes coram Domino. 379.1.d
Magnitudo coram hominibus fallax, magnitudo coram Deo vera. ibid.2.a
Magnum faciunt coram hominibus bona, quæ extra nos sunt, magnum coram Deo, quæ in nobis inhærent. ibid.b
Magnum hominem facit virtus, paruum hominem facit peccatum. ibid.
Magna anima est, quæ magnam habet charitatem. ibid.c

MALA ET MALI.

An Deus aliqua mala fecerit. 153.1.e
Quæstio de mali origine Augustinum torsit. ibid.
Malum duplex, culpæ & pœnæ. ibid.2.a

Malum culpæ Deus neque facit, neque vult, neque illius autor est. ibid.
Deus ex malis elicit bona. 273.2.b
Mala pœnæ à Deo sunt. 156.2.c
Homines ex bonis eiiciunt mala. 273.2.b
Deus nullum Angelum, vel hominem crearet quem malum futurum esse præsciuisset, nisi pariter nosset, quibus eum bonorum vsibus commodaret. 158.2.a
Mala pœnæ ferenda patienter. 156.2.e
Mali seruiunt bonis ipsos persequendo. 190.2.c
Ex comparatione malorum, elucet bonorum pulchritudo. 158.1.d
Nihil habere volumus malum, præter nos. 448.1.e

MANASSES.

Manassæ Regis peccata, supplicium, & pœnitentia. 208. 2.c.d e

MANDATA DEI.

Mandata Dei sunt via in cælum. 323.1.e
Mandata Dei sunt suauissima. ibid.2 a
Mandatis Dei summa debetur obedientia. ibid.b.c
Diuino intonante præcepto obediendum est, non disputandum. ibid.d
Mandata quibus nominibus appellentur. ibid.
Mandata omnia seruanda. 324.1.c
Mandata sunt specula Dei, ad exornandam animam proposita. ibid.d
Mandata Dei optimi consiliarij. 262.1.b
Mandatorum via arcta & lata. 323 2.a
Deus non præcipit impossibilia. 13.2.e

MARCVS EVANGELISTA.

Marcus quo tempore & vbi scripserit Euangelium. 31.2.b
Qua occasione scripserit? ibid.d
Qua lingua scripserit? 32.1.c
Marcus Euangelista an fuerit Marcus consobrinus Barnabæ? ibid.e
An pollicem sibi absciderit, ne Episcopus crearetur? ibid. 2. d
An fuerit ex septuaginta discipulis? ibid.e
Cur dicatur interpres Petri? 33.1.a

MARIA VIRGO DEI GENITRIX.

Maria Virgo arbor vitæ quæ fructum vitæ protulit Christum. 255.2.a.b
Maria mater viuentium, & causa vitæ. ibid.b
Cum arbore confertur procera quam vidit Nabuchodonosor. Omnibus misericordiæ suæ sinum aperit. Commune hominum propitiatorium est. Peccatores pœnitentes consolatur. Genus nostrum est. ibid.
Virgo locus voluptatis, ex quo fluuius Christus oritur. ibid.e
Virgo cælum empyreum, id est, igneum charitate. 259. 1.d
Virgo mater Dei similis filio. 264.2.c
Amor Christi in Virginem. ibid.d
Deus ab æternitate Virginem mente gessit. 273.2.c

MARIÆ VIRG. NATIVITAS.

Seculum quo Virgo nata est, felicissimum. 274.2.d
Secula de natiuitate Virginis contendebant. ibid.e
Seculum, quo nata est Virgo & Christus, cetera sæcula superauit. ibid.
Virgo aurora sextæ ætatis. 275.2.b
Virgo concepta est octauo die Decembris, nata est octauo die Septembris, & de numero octonario. ibid.d
Mense septimo solebant celebrare Hebræi festum tabernaculorum, nos mense Septembri celebramus festum sanctissimi tabernaculi, id est, Virginis. 276.1.d
Vbinam sit Virgo nata? 281.2.e
Virgo cum tabernaculo Mosis confertur latè. 276. 1. e. & seqq.
Tabernaculi, id est, Virginis exemplar & typi. ibid.2.a
Tabernaculi materia ex Patriarchis. ibid.b
Tres partes tabernaculi, atrium, Sancta, & Sancta Sanctorum, tres partes Virginis, pars animæ superior, pars animæ inferior, & corporis species externa, agitur de singulis. ibid.d. & seqq.

MARIÆ VIRGINIS PARENTES ET CONCEPTIO.

Conceptio Virginis, fundamentum gloriosæ ciuitatis margaritis fulgens. 266.2.c
Virgo ex sterili matre concepta. ibid.d
D. Ioachim & D. Anna, parentes Virginis. ibid.
De virtute parentum Virginis & laudibus. ibid.d.e. & seq.
Parentes Virginis substantiam trifariam diuidebant, vnam partem templo, alteram pauperibus impendebant, tertiam familiæ. 267.1.a
D. Anna ex tribu Iuda, Ioachim quoque, ex stirpe regia ambo. ibid b
D. Anna in Bethlehem nata; D. Ioachim Galilæus ex Nazareth. ibid.
An D. Anna tres habuerit maritos, an vnicum Ioachim? 311.2.a.b
Cur Virgo ex sterili matre concepta sit. 267.1.d.
Virg. conceptio precibus, ieiuniisque impetrata. ibid 2.d
Virginis conceptio ab Angelo nuntiata. 268.1.a
Virgo in vtero matris vsu donata. ibid.e
Virgo in gratia concepta est. ibid.2.c.269.2.b.
Virgo ex vtero in gratia confirmata. 269.2.a
Virgo in vtero matris, amore Dei exarsit, eumque contemplata est. 271.2.c
Virgo hortus in vtero conclusus, cuius fuere fructus maximè præcoces. ibid.e
Virgini ornatum cælestem accelerauit Deus. 272.1.b
Virgo filia gratiæ. 269.2.b
Virgo serpentis caput contriuit. ibid.1.d
Virgo terra sacerdotalis, à tributis libera. 271.1.a
Deus ab æternitate Virginem mente gessit. 273.2.c
Virginem iustitia originali donatã nõnulli volunt. 272.1.c
Virgo summa cum castitate parentum, concepta est. ibid.e
Virgo in conceptione virginitatem vouit. ibid.2.b
Virgo concepta cum exultatione vniuersæ terræ in monte, & climate clementissimo. ibid.e.273.1.a
An Virgo vnica fuerit filia D. Annæ? an sorores alias duas habuerit. 311.2.b.c

MARIA NOMEN.

Nomen Virginis in libro vitæ ab æterno adscriptum, in libro nortis numquam est exaratum. 273.1.b
Primum nomen in libro vitæ est IESVS, secundum est MARIA. ibid.
Nomen hoc ab Angelo est nuntiatum. ibid.2.e
Quid significet nomen MARIA. 274.1.a
Virgo Domina mundi, stella maris, mare gratiæ, & mare amarum, quæ est nominis significatio. ibid.c.d.e
Congregationes aquarum dicuntur maria, congregationes virtutum appellantur Maria. ibid.2.a.b

MARIÆ VIRG. PRÆSENTATIO.

De Præsentatione Deiparæ latè agitur. 282.1.b.cum seqq.
Ex voto matris est templo dicata, anno ætatis tertio, vndecim, vel duodecim annos in templo mansit, quindecim gradus ascendit. ibid.d.e
An Virgo in Sancta Sanctorum sit ingressa? ibid.2.b.c.d
Vbinã Virgo habitarit in tẽplo cum aliis virginib. 283.1.a
Virgo ab Angelo dicitur accepisse cibum. ibid.c
Virginis oblatio ascendens fuit sacrificium. ibid.2.b.c.d
De Virginis oblatione. ibid.
Citò se dedit Virgo Deo. 284.1.a

MARIÆ MATRIS DEI TITVLVS.

Si homo nõ peccasset, Virgo mater Dei non fuisset. 273.1.c
Titulus matris Dei omnia gratię ornamẽta flagitat. 264.1.d
Titulus matris Dei principium est, ex quo gratia donaque eximia Virginis colliguntur. 263.2.d.e
Deus non tribuit inanes titulos, sed plenos. 265.1.d
Titulus matris Dei infinitam quamdam continet dignitatem. ibid.2.a.b
Virgo est mater, qua maiorem Deus non potest facere, quomodo intelligendum sit. ibid.b.c
Virgo mater à filio traxit nobilitatem. ibid.c
Virgo sola mater Deo digna. 266.2.d
Virgo dicitur Deipara & Christipara. ibid.1.d
Virgo Deum peperit. ibid.b

MARIÆ DEIPARÆ VIRGINITAS.

An Virgo fuerit prima, quæ virginitatem seruarit & vouerit. 337.1.e
Virgo, epithetum perpetuum Deiparæ. 390.2.a
Virgo est mater virginum. 337.1.d
Virgo voto virginitatis se obstrinxit. ibid.a
Virgo speculum & exemplum virginitatis, & omnium virtutum. 342.2.e
De virginitate Deiparæ. 343.1.a
Similitudines virginitatis Deiparæ, ex Scriptura & Patribus. ibid.2.b
Cur Christus voluerit nasci ex Virgine matre? 344.1.e
Virgo speculum virginum, Dux, & Regina, in cælo illis occurrit. 285.1.e.2.a
Virgo amat virgines & puros. 307.2.d

MARIÆ VIRG. VIRTVTES.

De humilitate Virginis. 280.1.d.e.346.1.b
De charitate. 278.2.e
Concentus virtutum in Virgine suauissimus. ibid.e
Charitas Virginis in filium, & filij in matrem maxima. 279.2.c. & seqq.
Charitas Virginis fortis vt mors. ibid.d
Virgo charitas nominatur. 278.2.e
Virgo virtutum & sanctimoniæ cursum mirabili celeritate confecit. 284.1.b
Luna sub pedibus Virginis, celeritatem indicat. 265.1.b
De obedientia Virginis. 347.1.a
De contemplatione Virginis. 277.1.c

De prudentia Virginis. 346.2.d
De ſapientia Virginis. 277.2.d
De modeſtia Virginis. 281.2.b
Virgo omnium virtutum exemplar & ſpeculum. 342.2.e
Exempla Virginis colligenda & imitanda. 274.1.d
Congregationes aquarum vocantur maria, congregationes virtutum appellantur Maria. ibid.2.a

MARIÆ VIRG. LAVDES.

Virgo maximè laude digna eſt. 263.1.2
Virginis laudes percenſeri nequeunt, omnem facundiam ſuperant. ibid.1.d.
Laudes Virginis ex quo principio colligantur. ibid.2.c
Magno effectu & voce Virgo laudanda, quod fecit Eliſabeth. 351.1.e
Dei filij beatiſſimam prædicant Virginem. 356.1.c
Virgo dicitur beata ab omnibus generationibus. ibid.b.c
Prædicatio laudum Deiparæ. ibid.d.e
Viſa arca Teſtamenti facta ſunt fulgura & voces, viſa & cognita Virgine, fulgurant, & voces edunt eius laudatores. 263 1.a.b
Delectant, & terrent Bernardum laudes Virginis. ibid.c
Immenſum laudum mare Virgo eſt. ibid.2.b

MARIÆ VIRG. PVLCHRITVDO CORP.

Pulchritudo corporis Virgini eſt tribuenda, & cur ſit tribuenda. 293.2.e
Virgo in pallorem ſuauem vultus colorem mutauerat. 294.1.e
Virginis pulchritudo nemini nocuit. ibid.2.b.
Virginem fuiſſe pulchram communis eſt opinio. 294.2.e
An ex vultu Virginis ſplendor, ex corpore odor emanarit? 295 1.c
Virgo numquam ægrotauit. 295.2.a
Virginis forma & ſtatura. ibidem.

MARIÆ VIRGINIS EXCELLENTIA.

Excellentia Virginis ſuper omnes Sanctos. 334.1.c
De Virginis excellentia & gratia, Patrum dicta. 297.2.e. & ſeqq.
Virgo omnia habet magna. 266.2.b
In Virgine ampliauit Deus mentis plchritudinem. 265.1.a
Virgo Domina eſt & Regina mundi. 274.1.c
Virgo ferculum Salomonis, id eſt, Chriſti. 259.2.e
Virgo thronus Salomonis. 264.2.a
Virginem extenſa manu, ac potẽtia, Deus ornauit. ibid.2.e
In Virgine potentiam ſuam Deus maximè exercuit. 357.1.b
Quomodo Virgo ſine exemplo dicatur placuiſſe Chriſto. 338.1.a
Excellentia Virginis explicari non poteſt. 356.2.c
Excellentiæ Virginis varia epitheta. ibid.

MARIÆ VIRGINIS GLORIA ET THRONVS.

Omnes cogitationes, verba, & actiones Virginis, gloriæ coronam meruerunt. 305.2.a
Virgo ſuper omnes Angelorum choros thronum habet. 306.2.a.b
Virgo hierarchiam ſecundam ſub Deo conſtituit & chorum, qui reliquos omnes choros gloria ſuperat. ibid.a
Poſitus eſt Thronus matri Dei, iuxta filium, tantoque eſt glorioſior effecta Angelis, quanto glorioſius nomen habet. ibid.b.c
Thronus Virginis celſiſſimus. ibid.d
Ineffabilis eſt gloria Virginis. ibid.e
Corona Deiparæ præcellentior eſt ſtellis fulgentiſſimis; corona ſanctorum ex gemmis. 307.2.a
Quæ ſint ſtellæ coronæ Virginis. ibid.
Virgo cælum ſua præſentia maximè illuſtrauit. 305.1.a
Arca Dei Virgo, ſuper alas Cherubim eſt collocata. 302.2.d
Non ſunt allata vltra tam multa aromata, &c. quàm multa in cæleſtem Hieruſalem attulit, non Saba, ſed cæli Regina. 305.1.a

MARIÆ CVLTVS ET DEVOTIO.

Virgo colenda & oranda. 308.2.a. 362.2.b.c
Virgo imitanda. 274.1.d
Hora mortis Virgo maximè inuocanda. 309.1.b
Velociter ſalus nonnumquam eſt, inuocato nomine Virginis, quàm Chriſti ex Anſelmo. ibid.d
Si quid boni agimus per Virginem Deo offerendum eſt. ibid.2.a
Virgo ſemper in memoria habenda. ibid.b
Virginis auxilium implorandum. ibid.1.c

MARIÆ VIRG. PATROCINIVM.

De patrocinio Virginis. 307.2.e
Virgo pro nobis orat & impetrat. 308.1.c
Virgo aduocata noſtra in cælo. ibid.1.a
Virgo filio oſtendit pectus & vbera, filius patri latus & vulnera, ibid.
Virgo aduocata potens, & noſtræ naturæ. ibid.c.d
In aduocata noſtra nihil terribile eſt, tota eſt ſuauis. ibid.d
Stellæ, quæ in corona Virginis ſunt, benignè influunt in terras. 307.2.e
Non obliuiſcitur noſtri Virgo. 308.2.e
Virgo hominibus Aurora, Luna, Sol, & terribilis ad vertendos hominum hoſtes. 308.1.a.b
Sub Virginis arboris vitæ vmbra, homines habitant. 255, 2.c

MARIÆ VIRG. MISERICORDIA.

Miſericordiæ ſinum Virgo omnibus aperit. 308.1.a
Virgo alterum Solem induit, qui ſuper bonos & malos oritur. ibid.
Virginis corona ex ſtellis in terras miſericordiam influit. 308.2.e
Virgo priorem miſericordiam, poſteriore ſuperat. 308.1.b
Virgo eſt commune mundi propitiatorium. ibid.c
Latitudo, longitudo, ſublimitas, & profunditas miſericordiæ Virginis. ibid.c.d
Virgo arbor vitæ, ipſam protulit vitam. 255.2.b
Virgo gratiæ theſaurum inuenit, & diuitias congregauit, ita vt filias vniuerſas ſit ſupergreſſa. 297.2.e

MARIÆ VIRG. VITA ACTIVA ET CONTEMPLATIVA.

De vita Virginis agente & contemplatrice. 292.1.b.c. 307.1.a. &c.

MARIÆ VIRG. BENEDICTIONES.

De benedictionibus Virginis. 334.1.b. 346.1.b.c

MARIÆ VIRG. PARTES ANIMÆ.

De intellectu & memoria. 277.1.b
De memoria Dei perpetua. 279.2.d
De voluntate Virginis. 278.1.b
De appetitu Virginis. 280.2 b.c

MARIÆ VIRGINIS PVRITAS A PECCATO.

Virgo peccatum originale non incurrit. 268.2.e
Virgo nullum vnquam peccatum commiſit. 278.1.d
Virgo intemerata & immaculata, mente & carne. ibid.2 b
Virginis omnes cogitationes, verba, & actiones, diuinæ voluntati concinuere. ibid.c
In Virgine peccati fomes extinctus eſt. 298..2.b. 270.2.e
In Virgine nihil Deo rebellauit. 271.1.c
Virgo legem Dei perfectiſſimè obſeruauit. ibid.1.b.
Virgo numquam cecidit. 270.1.d.
Virga Ieſſe nodum peccati non habuit. 391.1.c
In Virginem nihil inquinatum introiuit. 485.1.b
In Virgine puritas admirabilior, quàm in Angelis. ibid.
Omnimodam puritatem Virgo habuit. ibid.c
Virginis pulchra dilectio nihil habuit impuritatis. ibid.
An Virgo fuerit aliquando exiſtimatione decepta? 507.1.b
An ſit concedenda in Deipara Virgine ignorantia? 509.1.d

MARIÆ VIRG. GRATIA.

In Virginem velut mare omnia intrarunt flumina gratiarum. 333.1.c
Quomodo Virgo apud Deum gratiam inuenerit. 335.2.c
Gratiæ abyſſum Virgo inuenit. 336.1.b
Quomodo Virgo dicatur gratia plena, & triplici plenitudine gratiæ. 332.2.e
Virgo in gratia concepta. 268.2.c
Virgo filia Annæ, id eſt, gratiæ. 269.2.b
Virgo in vtero confirmata eſt in gratia. 271.1.e
An gratia ſolius Virginis, ſuperet omnem Angelorum & hominum gratiam, in aceruum vnum mente redactam? 298.1.e

MARIÆ VIRG. ANNVNTIATIO.

De Annuntiatiatione agitur. 328.1.2.
In quem menſem inciderit Annuntiatio, & in quod anni tempus? 329.1.b.c
Quo die annuntiarit Angelus Virgini Chriſti conceptionem, nocturnóne an diurno tempore. ibid.
Legatus Gabriel, ex qua ſit Angelorum hierarchia? ibid.2.c
An ſit miſſus legatus ad Virginem ab aliquo Angelo ſuperiore? an inſciis miſſus Angelis? 330.2.a
An Virgo viderit ſubſtantiam legati Angeli? ibid.e
Initium orbi euertendo datum per feminam, orbi quoque reparando. 331.1.c.d
Miſſus eſt Angelus ad Virginem, vt ſeruaretur ordo. ibid.2.b
Virgo quid ageret, cùm ab Angelo eſt ſalutata. 332.1.c

De Salutatione Angelica, ibid.1.2
Virgo nomen Euæ conuertit in Aue, ibid.2.c
De triplici plenitudine gratiæ, ibid.c
Cur Virgo turbata sit in salutatione? 334.2.c
Aliter apparuit Gabriel Virgini, aliter Danieli, 335.2.a
A gratia salutationem inchoat Angelus, & gratiam inculcat, quia Incarnationis beneficium, non meritis hominum, sed gratiæ tribuendum est, 336.1.b
Virgo Angelo credidit, & conceptionis modum quæsiuit, 338.1.d
Quomodo virtus altissimi Virginem obumbrarit? ibidem, 2.d
An Virgo verba Isaiæ; *Ecce Virgo concipiet*, intellexerit ante salutationem? ibid.a
An sit incarnatum verbum diuinum ante aduentum Angeli? 333.2.c
Postquam Virgo verba illa protulit, *Ecce Ancilla*, &c. concepit Christum, 340.2.c
An in vtero Virginis iam esset Dominus incarnatus, cùm Angelus dixit; Dominus tecum, 333.2.b
Virginis, *fiat*, secutum est opus Dei maximum, 347.1.a
Virgo respondit Verbum, & suscepit Verbum, ibid.
Assensus Virginis expetitur. ibid.b
Assensus Virginis expectabatur, loco totius humanæ naturæ, ibid.b.c
Nuptiæ verbi diuini, & humanæ naturæ, in vtero Virginis celebratæ, ibid.e
De his nuptijs latè. ibid.& seq.

MARIÆ VIRG. ÆTAS.

Quot annis vixerit Virgo in terris latè inquiritur. 309.2.c
An Virgo tot annis vixerit, vt à Dionysio Areopagita videri potuerit iam Christiano? 310 1c.2.a

MARIÆ VIRG. DESPONSATIO. ET CONIVGIVM.

De Desponsatione Virginis agitur. 286.2.c
Quomodo fuerit electus Ioseph, vt Virginem duceret, 287.1.a
Cur Virgo dicatur desponsata? 381.2.c.d
Virgo & Ioseph verum matrimonium contraxerunt, 287.2.a
Tria bona matrimonij, in matrimonio Virginis, ibid.b
Dicta Patrum de coniugio Virginis, exponuntur, ibid.c
Virginis votum quomodo cum matrimonio consistat, 288.1.c
Rationes cur Virgo cum Ioseph matrimonium contraxit, ibid.d.e
An Virgo coniugium inierit, vt partus diabolo cælaretur? ibid.2.b
Qua ætate Virgo in matrimonium fuerit collocata, ibid.e
Qua ætate Virgo Christum conceperit, ibidem.
Qua ætate Ioseph Virginem acceperit: & an fuerit senex tunc temporis? 288.1.e.2.a
Coniugium Virginis fuit incarnationis tegumentum, & templi veluti quoddam velum, ibid.d
Magnum fuisse hoc coniugium ostenditur. ibidem
Coniugium florens virginitate, 290.1.b
Ioseph voto virginitatis obstrictus fuit, ibid.c
An Virgo in domo Ioseph habitarit, cum concepit Christum? 381.1.a
An celebratæ fuerint nuptiæ, ante Conceptionem Christi? ibid 2.a
Cur Ioseph Virginem dimittere voluerit? 382. 1. d. cum seqq.

MARIÆ VIRG. VISITATIO.

Rationes cur Virgo visitauit Elisabeth. 349.2.c
Virgo surrexit ab oratione, & abiit cum festinatione, 350.1.b.c
An Virgo protinus post incarnationem ad inuisendam Elisabetham sit profecta. ibid.c
Rationes cur Virgo cum festinatione abierit, ibid.d
Quæ fuerit ciuitas Iudæ, quam Virgo petiit, ibid.e
An Ioseph comitatus fuerit Virginem cum Elisabetham inuisit? 383.1.c
Virgo templum adiit, cum Elisabetham inuisit, Deoque gratias egit pro beneficio Incarnationis, 349.2.c
Elisabeth, Virgine salutante repleta est Spiritu Sancto, & propheтauit de præsenti, præterito, & futuro. ibid.c
An discesserit ab Elisabetha ante ortum Ioannis? 359.1.b
Domus quam Christus cum matre visitat, benedictione completur. 361.2.a.b

MARIÆ VIRG. PVRIFICATIO.

In Purificatione duplicem legem Virgo seruauit, 472.1.a
An Virgo legi purificationis obnoxia fuerit? 473.2.d
Secundinarum effusio non fuit in partu Virginis. 474.1.e
Purificatione Virgo non indiguit peccati alicuius, quod contraxerit, 484.1.e
De oblatione Virginis in purificatione, 485 2.b
Cur Virgo agnum non obtulerit? 475.1.d

MARIÆ VIRG. VICTORIA ADVERSVS DIABOLVM.

Virgo non vnam tantùm, sed omnes inimicitias cum serpente gessit, & contriuit illius caput, 97.1.a
Ne leuissimum quidem morsum serpens Virginis calcaneo potuit infligere, ibid.b
Eua à serpente victa est, Maria de serpente triumphauit: cum Eua confertur Virgo. ibid.
Victoria Virginis initio orbis prænuntiata, ibid.c
Adam vxorem appellauit vitam, quia per fœminam intellexit mundo afferendam vitam, serpentemque superandum, ibid.2.c

MARIÆ VIRG. SACRAMENTORVM SVSCEPTIO.

Virgo baptismum suscepit, Eucharistiam, Confirmationem, & fortè Vnctionem extremam, 484.2.b.c
Virgo sacramentum Pœnitentiæ non suscepit, quia peccato omni carebat. ibid.e

MARIÆ VIRG. OBITVS.

Virgo cur relicta in terris sit à filio in cœlos ascendente, 292.1.a
Virgo Apostolis multa reuelauit, ibid.d
Virgo post ascensionem filij in monte Sion habitauit, ibid.
Virgo loca Christi passione nobilitata solebat inuisere, ibid.2.a
Virgo imminentis mortis facta est certior ab Angelo, & palmæ ab eo ramum accepit, ibid.d
Virgo duas tunicas viduis reliquit, ibidem e
Virginem subiisse mortem non est ambigendum, 301.1.a
Virginis mors multis priuilegiis nobilitata, ibid.b
Virgini morienti astitit Christus & Angeli, obiit sine dolore, & sine ægritudine, amoris incendio, vt phœnix, ibidem.
Non fuit violenta mors Virginis, & ferro illata, ibid.d
Apostoli ad Virginem ante mortem conuenerunt, ibidem 2.d
Dionysius Areopagita interfuit Virginis dormitioni, 302.1.b
Verba Dionysij, quæ indicant illum interfuisse dormitioni Virginis, exponuntur, 310.1.a
Corpus Virginis non est redactum in cineres, 302.1.c
Corpus Virginis non potuit mors corrumpere, 304.1.a
Mors Deiparæ miraculis illustrata, 302.2.a
Corpus Virginis ab Apostolis humatum in Gethsemani, 303.1.d

MARIÆ VIRG. RESVRRECTIO.

Virgo tertia surrexit die, 303.1.a
Die tertia Apostoli sepulchrum Virginis aperuerunt, corpus verò non inuenerunt, ibid.b
Cur sepulchrum aperuerunt? ibidem.
Par erat Virginem matrem similem filio fieri in resurrectione, ibid.1.a
Vt aperiretur Virg. sepulchrum D. Thomas petiit, ibid.c
Virgo corpus exuit, mox induit, vt vestem pretiosam? 304.2.a

MARIÆ VIRG. SEPVLCHRVM.

Virg. Sepulchrum in Gethsemani, 303.1.d
Virg. Sepulchrum in valle Iosaphat, ad radices montis Oliueti. ibid.e
Templum in Sepulchro Virg. extructum, ibid.
Vacuum Sepulchrum Virg. Damascenus alloquitur. ibid.2.d

MARIÆ VIRG. ASSVMPTIO.

De Assumptione Virg. in Cœlum, 303.2.d.e.& seq.
De itinere Virg. in Cœlum, 306.1.c
Comitatus Virg. in Assumptione nobilissimus, 304.2.d.e
Virgo ascendit deliciis affluens gloriæ, 305.1.b
Virgo ascendit innixa super dilectum suum Christum, id est, meritis Christi innixa, ex quibus illius merita vim acceperunt, ibid.e
Duæ famulæ comitabantur Virginem, Martha, & Maria, ibid.c
Virgo ad ascensum non indiguit ope Angelorum, ibid.d
Cur Virg. festum Assumptio dicatur, Christi verò Ascensio, ibid.e
Virginem comitatæ sunt animæ ex igne purgante liberatæ, 306.1.c

INDEX.

MARIA SOROR MOSIS.

Maria soror Mosis lepra infecta, typus est Synagogæ, 52. 2. c
Maria soror Mosis primum veteris Testamenti Canticum gratiarum cecinit, 353.1.d
Maria soror Mosis an fuerit virgo? 386.2.c

MARIA CLEOPHÆ, ET SALOME.

Maria Cleophæ, & Salome an fuerint sorores Virginis, & filiæ D. Annæ? 313.2.a.b.c

MARTIVS MENSIS.

Martio mense conceptus est Christus. 328.1.c
Martio nostro respondet mensis Hebræorum Nisan; anni sacri initium. ibid.2.c

MATTHÆVS.

Matthæus primus scripsit Euangelium Hebræa lingua: quis in Græcam transtulerit, dubium. Fortè idem Matthæus vtraque scripsit lingua, 31.1.a.b
Quo anno scripserit Matthæus? ibid.d
Matthæi Euangelium Hebræum apud Indos reliquit Diuus Bartholomæus. 2.a
Super pectus D. Barnabæ Euangelium Matthæi repertum, ibidem.
Matthæus vbinam scripserit? ibid.

MATRIMONIVM.

Matrimonij tria bona, proles, fides, sacramentum, 287. 2. b
De Matrimonio Virginis Deiparæ, 286.2.c

MEDITATIO.

Meditatio est mentis ditatio, 150.2.b
Vide Consideratio.

MEMORIA DEI.

Perpetuam sui memoriam flagitat Dominus, 279.2.d
Vt signaculum supra cor ponendus est Christus, ibid.
Dilectio separat memoriam à caducis rebus, ibid.

MENDICARE.

An Christus mendicarit? 510.2.a

MENELAVS.

Menelaus expulit Iasonem pontificatu; vasa templi diripuit; in aggerem cineris iniectus, & suffocatus est, 243. 1.c.e

MERCATOR.

Mercatorum semen in aqua. 516.1.c

MERITVM.

Meritis Christi innixi in Cœlum ascendimus. 305.1.c.d
Merita nostra sunt dona Dei. ibid.e
Meritis Christi adiungenda sunt bona opera nostra. ibid. d.e.486.2.d
Cum Deus coronat merita nostra, coronat munera sua. 305.2.b

MESSIAS, vel CHRISTVS.

Messiæ aduentus duplex. 40.2.a
Messias in nouissimis diebus venit, & qui dicantur nouissimi dies. 41.1.a
De pace temporis Messiæ; quomodo habitet lupus cum agno, &c. 43.1.c
Messias Christus mons domus Domini in vertice montium, ad quem gentes confluxerunt. 42.1.c.d
De Ciuitate, & templo quod in terra Messias ædificauit, id est, Ecclesia. 44.1.2.
De Ciuitate, quam Messias in Cœlo extruxit. 46.1.b
Nec Ierusalem terrena, nec templum à Messia est extruendum. 48.2.b
Messias quomodo Israëlem Dei congregauit. 49.1.e & seqq.
Messias Israëlitas in Palæstinam nunquam reuocabit. ibid.
Messias Israëlitas prope finem mundi à captiuitate Diaboli liberabit. 51.2.a
Messias non instaurabit regnum Israëlitarum, & rempublicam temporalem. 53.1.d
De Regno Messiæ, quale sit. 56.1.d
De bellis, & prælijs Messiæ, cuiusmodi sint. 59.2.d
De sponsa, & filijs Messiæ, quales sint. 64.1.e
Messiam esse Deum, ex Testamento veteri & nouo ostenditur. 67.2.a.& seqq.
Ante Messiam quando venturus sit Elias. 74.1.d
Messiam abrogasse legem veterem, & nouam tulisse. 76. 1.c.d
Messiam iam venisse probatur ex ablatione sceptri Iudaici. 82.1. d
Messiam iam venisse probatur ex euersione templi secundi. 87.2.a
Messiam iam venisse probatur ex ruina Romanæ Monarchiæ, 90.1.a
Messiam iam venisse probatur ex septuaginta hebdomadis Danielis. 91.2.b
Messiam iam venisse, esseque Dominum Iesum ostenditur, ex conuenientia veteris Testamenti, cum rebus, gestisque Iesu Opt. max. 95.1.e
Loca aliquot veteris Testamenti de Messia. ibid.
Messiam venisse ostenditur, ex Iudæorum dictis. 119.1.c
Messiam venisse probatur multis validisque rationibus, 120.1.c
Messiam venisse probatur dictis Sibyllarum. 126.2.c

MIRACVLVM.

Christus Orbis miraculum. 477.2.c

MISERICORDIA.

De operibus misericordiæ. 361.1.a
Miserrimus homo est qui sui non miseretur. 514.2.a

MODESTIA.

De modestia, 281.1.b
Habitus mentis, in corporis modestia cernitur, ibid.c
Modestia sit nota omnibus, ibid.
Vox animi est corporis motus, & modestia, ibid.
Immodestia oculos Sanctorum veluti verbere percutit, ibidem.
Sacerdotum modestia, ibid.d
Modestia Episcopi Philadelphiensium mirabilis, 326. 2.c

MONARCHIA.

Monarchiæ quatuor, 90.1.b
Monarchia Romanorum cæteris præcelluit. ibid.c
In Monarchiæ Romanæ occasu argumentum est aduentus Messiæ. ibid.
Sub Romana monarchia ortus est Christus, ibid.d
Romanorum monarchia an extet nunc? ibid.2.e
Monarchia Ecclesiæ, distincta est à monarchia sæculari Romanorum, 91.1.2.b

MONS.

Mons domus Domini in vertice montium ad quem confluunt omnes gentes, est Christus, 42.1.2
Mons totus ex lapide Christus, ibid.1.c
Mons lapidibus totam teram occupat, ibid.
Montes aurei, & terra aurea, quam adire prohibent feræ, 201.1.e

MORTIFICATIO.

Amor mortificat hominem, 279.2.e
De mortificatione quam Myrrha indicat, 469.2.c
Mortificatio animi affectus domat. ibid.
Suggestio prima peccati domanda, 471.2.a

MORS.

Vita est cursus ad mortem, & quotidiè morimur, 260. 2. e
Ianua mortis, qua è vita egredimur, angusta, 261.1.a
In ventrem matris, id est, terram nudi reuertimur, ibid.b.
Mors omnes excutit, aufert omnia, ibid.e
Mors portus, in quo nauis exoneratur, ibidem.
Mors nudat hominem opibus, non nudat operibus, ibid. 2. b
Mortis hora Virgo maximè inuocanda, 309.1.b
De morte Deiparæ Virginis, 192.1.a
Mors quali luctu decoratur, 496.2.b
Mortem suam Herodes voluit luctu ornare, ibid.a.b
Iniussu Dei, non est de statione vitæ discedendum, 488. 2. b
Mors impiorum caliginosæ nocti, & horridæ, mors iustorum serenæ nocti, & illuminatæ similis, 488.1.d.e
Mortem triplicem inuexit peccatum Adami. 96.1.c
A morte triplici Christus nos eripuit, ibid.d
Mortem non timet, qui Christum habet, 487.2.e
Dissolui cupit qui charitate ardet, 488.1.b
Moritur in pace iustus, in bello impius, ibid.b.c
Moriuntur delectabiliter, qui ardenter amant, & viuunt patienter, ibid.d

MOSES.

Moses non potuit hominem vitæ restituere, sed potuit Christus, 5.2.a
Mosis vox gracilis, vox Apostolorum toto orbe sonans, 18.1.d

MVNDVS.

Mundus dicitur à mundicie, κόσμος, ab ornatu. 483.1.b
Mundus liber est, 1.1.a
Mundi senectus quæ, 41.2.c
Mundus non cognouit Verbum, 166.2.b
Mundus magnus præco Dei, 167.1.c
Mundus ex antithetis, & contrapositis, vt elegans carmen, compositus, 158.1.d
Pulchrum mundum, ab æterno pulcherrimus Deus mente gessit, 273.2.d

Mun-

Mundus ſpeculum eſt fallax, 152.1.c
Mundus niſi Deo notus eſſet, eſſe non poſſet. 138.2.e
Mundus domus famis, 426.2.c

MVSCA.

Muſcas captabat Domitianus Imperator, 449.1.e

MYRRHA.

Myrrha ſignificat mortificationem, 469.2.c
Myrrhæ meſſis, 470.1.b
Myrrha exemplum Chriſti. ibid.a

N

NABOTH.

NAbothi vineam rex Achab concupiuit, 229.2.d
Naboth falſi criminis inſimulatus occiditur, ibid.

NABVCHODONOSOR.

Nabuchodonoſor rex Babylonis primo anno regni ſui obſedit Ieruſalem, & Ioachim regem duxit Babylonem, & vaſa templi, 212.2.d.e.& ſeq.217.1.a
Tertius annus, ſiue quartus, Ioachim regis fuit, primus Nabuchodonoſoris, 218.1.b.216.2.a.b.213.1.e
Anno octauo regni ſui reuerſus eſt Nabuchodonoſor in Iudæam, & regem Ioachimum occidit, 212. 1.e.213.1. a.2. a
Eodem anno octauo Ioachimum regem regno priuatum duxit Babylonem, 213.2.a
Nabuchodonoſor anno XXIII. imperij Ammonitas & Moabitas vicit, Ægyptum euertit, & Iudæos, quos in ea regione reperit, Babylonem tranſtulit, 215.2.c
Nabuchodonoſor XLV. annis imperauit, 218.1.e
Imperij Nabuchodonoſoris anni numerantur à nobili victoria de Ægyptiis, aliiſque gentibus reportata, 215.2.d
Nabuchodonoſor venit in Iudæam anno XIX. imperij ſui; Ieruſalem cepit, Iudæos in captiuitatem redegit, 214.1.c.d.e.215.1.a
Nabuchodonoſoris cadauer dicitur in 300. partes diuiſum, & vulturibus abiectum, 220.1.a

NATHAN.

Nathano an fuerit traditus Salomon erudiendus? 194.2.b
Parabola à Nathano Dauidi propoſita, ibid.1.a
Nathan Dauidem docuit legem Domini, 233.2.c

NATIVITAS CHRISTI.

Vide Chriſti Natiuitas.

NATIVITAS HOMINIS.

Sancti non agunt feſtum natalem diem ſuum, 320.1.b.
A tumulo tumulum petimus: id eſt, ab vtero matris in vterum terræ, & ſepulchrum tendimus, 261.1.b
Natalis hominis dies dignus luctu, 320.1.a
Nuditas natiuitatis conſideranda, 261.1.d
Nudi naſcimur, nudi baptizamur, vt nudi & expediti in cælum curramus, ibid.d.e

NAVIS.

Naues ſunt manus pauperum, quæ diuitias in cælum tutiſſima nauigatione transferunt, 361.1.d

NAZARÆVS,

Nazarei à vino & ſicera abſtinebant, 320.2.b
Nazaræum Chriſtum vocandum, quinam prophetæ prædicarint? 497.2.b
An Chriſtus fuerit Nazaræus? 498.2.c
Nazaræorum ritus. Nazaræi religioſorum typus. Nazaræus non fuit Abſalon. ibid.d.& ſeq.

NAZARETH.

Nazareth flos Galilææ & orbis, 331.1.b
Nazareth quomodo ſcribatur Hebraicè, & quid ſignificet, ibid.a.b
Nazareth ab Ieruſalem 30. leucis diſtat, 402.1.c
Nazareth rediit Virgo poſt purificationem, 490.2.b

NEGOTIA.

Negotia conſideratio rectè diſponit, 150.2.e
Humana negotia ſimilia fumo, 151.1.a
Negotiis & occupationibus tempus aliquod detrahendum, quod conſiderationi impendatur, ibid.d.e
Negotia conſideratione exploranda, 346.2.d.e

NILVS.

Nilus inundans Ægyptum, fertilem reddit, 410.2.c
Miſericordia Dei inſtar Nili exundauit in Incarnationem Verbi. ibid.d.
Quot cubitis exundent Nili aquæ, ibid.

NOBILITAS.

Triplex nobilitatis genus, 372.1.b
obilitas vera eſt virtus. ibid.a
Vita mundana ruſtica eſt: ſancta vita nobilis, ibid.c

NOE.

Noë Arca typus Eccleſiæ latè, 99.1.a
Noë ſignificat requiem, ibid.

NOMEN.

Nomen Aſſamonæorum, & Machabæorum vnde ſit acceptum, 246.2.a.b
Nomen Iehouah quid myſterij contineat, 188.2.e
Nomen Ioannes quid ſignificet, 366.1.b
Nomen Maria, quid ſignificet, 274.1.a
Nomen commendat Ioannem, 366.1.e
Filium qui patrem virtutibus non refert, patris nomine indignum cenſet Plato, 365.2.d
Merito filio nomen imponitur patris, ibidem.
Nomina quibus Iſaias 9. Chriſtum vocat, explicantur, 409.2.e.& ſeqq.
Nomen Anti-Chriſti, 433.2.a.c
Nomen infanti in Circumciſione cur imponebatur, 429. 1.a.b
Nomen quo die à Romanis & aliis, infantibus imponeretur, ibid.c
De nomine Chriſti, 430.1.b
De auguſtiſſimo nomine Ieſu. *Vide ſupra* Ieſus.
Nomini diuino magna debetur reuerentia, 438.2.c. & ſeq.
Nomen Dei ſupra caput ferendum, & abluto ore à mendacio proferendum, ibid.b
Deus non habet nomen diuinam exæquans maieſtatem, 442.1.e
Nomen tetragrammaton ſignificat S. Trinitatem, 189.1.a
Nomina Dei Hebræa, 443 1.b
Præcipuum nomen Dei eſt Ens, ibid.d
Nomen Romæ aliud occultum, 444.1.d
Romani tutelarem Romæ Deum nominare non audebant, ibidem.
Nomina Deorum inanium Deus obruit, ibid.2.c
De nomine Chriſtianorum ducto à Chriſto, 449.2.d
Nomen Chriſtiani nobiliſſimum, ornandum Chriſti imitatione, ibidem.

NOVISSIMVS.

Nouiſſimi dies qui appellentur, 41.1.b.c.&c.

NOX.

Nox eſt vita impij, vita iuſti eſt dies, 318.2.a
Iuſtus moritur plenus dierum, impius plenus noctiũ, ibi.b

NVBES.

Columna nubis fides, 10.3.2.e
Super nubem aſcendit Dominus, & Ægyptum ingreditur, 500.1.c
Nubes grauis, & nubes leuis, ibidem.

NVMA.

Numa rege Romanorum templum Iani per XLIII. annos clauſum fuit. 399.2.a.b

NVMERVS.

Numerus nominis Ieſu quis ſit, 432.1.e
Numerus nominis Anti-Chriſti, ibid.2.a.c
De numero octonario, 275.2.e.432.2.e
De numero quaternario. 36.2.c

NVPTIÆ.

De nuptiis ſpiritalibus Eccleſiæ, & Chriſti, 64. 2. 65.1.2. & ſeqq
De nuptiis Verbi, & humanæ naturæ, 347.1.e.& ſeqq.
In nuptiis Verbi, & humanæ naturæ, quomodo reperiantur ſponſalia, communicatio, filiorum generatio, 348. 1.a.cum ſeqq.
Miracula harum nuptiarum, ibid.2.a.b

NVX.

Hortus nucum fuit templum Ieroſolymitanum, 54.1.e
Ceremoniæ Iudæorũ antiquæ, ſimiles erant nucibus, ibid.
Virga Dei amygdalina, 213.2.d

O

OBED.

OBed pater Ieſſe à quo ortus eſt Dauid, 191.2.d

OBEDIENTIA.

Obedientiæ exemplum in rege Amaſia, 204.2.a
Obedientiæ præmium, 220.1.c
Obedientiæ pondus, 228.1.e
Inobedientia incidit in Scyllam, cupiens vitare Charybdim, 215.2.c
De obedientia latè, 520.2.&c

OBLATIO.

De oblatione Virginis Deiparæ in templo, 282.1.b
Antiochus Sedetes taurum obtulit in sacrificium auro, & gemmis ornatum, 483.2.b
Oblatio ex dantis mente pensatur, ibid.d
Quod Deo offerimus, ille maiori mensura remunerat, 470.1.e
Offerenda sunt omnia Deo. Deo offerre, & dare est accipere, ibid.2.b
De oblatione Virginis Deiparæ in purificatione, 485.2. & seqq.
Deus prius respicit offerentem, quàm oblationem, ibid.c
Oblatio Christi matutina, & vespertina, ibid.c
Offerendum Christo cor. 485.1.c
Si te Deo offeras, multo meliorem te tibi reddet, ibid.e
Offerentis affectum Deus ponderat. ibid.
Deo offerre, Dei beneficium est, ibid.2.b
Etiam minimas oblationes Deus accipit, ibid.a.b
Oblatio bonæ voluntatis egregia est, ibid.

OBLIVIO.

Non obliuiscitur nostri Virgo Deipara, 308.2.e

OCCASIO.

Occasiones peccatorum fugiendæ, 502.1.a

OCHOZIAS.

Ochoziam regem prætermisit Matthæus in genealogia Christi, Ioam, & Amasiam, 203.2.b.c
Qualis fuerit rex Ochozias. ibid.1.d

ODIVM, DISCORDIA.

Odium deforme est & pauperrimum; pax opulenta & pulchra: in infimis discordia, in cœlestibus est concordia, 423.1.c
Iurgia fugienda, 407.1.c

ONIAS.

Onias pontifex optimus, qui apparuit Iudæ Machabæo post mortem, pro populo multum orans, 242.2.e
Oniam expulit pontificatu Iason frater, 243.1.b
Onias interfectus ab Andronico, ibid.c
Oniæ necem rex vlciscitur, ibid.d
Oniæ filius Onias templum exædificauit in Ægypto, simile Ierosolymitano. De hoc exponitur locus Danielis, 246.1.c
Sub occasione Oniæ pontificis plurimi Iudæi in Ægyptum confugerunt. ibid.

OOLLA, ET OOLIBA.

Oolla, & Ooliba; Samaria, & Ierusalem, 67.1.d

OPERA.

Opera bona omni tempore præstanda, 463.1.d.e
Opera bona sunt semen gloriæ; mala supplicij, ibidem 2.a
Hominem post mortem non opes comitantur, sed opera, 261.2.a
Opera potiora sunt verbis, operibus docendum, 468.1.b
Opera bona paranda, ibid.
Opera misericordiæ, 360.2.b.361.1.a.cum seqq.
Opera nostra humi repunt, nisi Christi meritis extollantur, 486.2.d
Fides sine operibus mortua est; opera quoque mortua sine fide, 25.1.c.d
Lex Vetus cur dicatur lex factorum? ibid.b
Opera Dei ex fornace amoris prodeunt, 414.1.c
Opera consideratione terna, præuenienda sunt, 151.2.b
Opera mortua, quæ appellet Paulus? 7.1.b

OPHIR.

Quæ nam regio sit Ophir? 201.1.c.d.cum seqq.

OPTIMVS.

Optimi epithetum, quibus tribuebatur? 316.2.d

ORATIO.

Oratio thuri similis, 468.2.e
De oratione, & mortificatione, 469.2.b.c.& seqq.
Orationi vacandum matutino tempore, ibidem, 1.a. & seq.
Oratio negotia prospere dirigit, ibid.b
Oratio aditum occludit peccato, ibid.c
Oratio matutina fundamentum diurnæ actionis, ibid.
Orationis clamor est vehemens desiderium, ibid.d

ORDO.

Ordo charitatis, 161.2.a.& seqq.

ORNATVS.

Ornatus Virginum, non corporis, sed animi. 284.2.e
Hominis ornatus intus est, animalium reliquorum foris, 285.1.a
De interno hominis, & mulieris ornatu, ex D. Petro, ib.b.c
Ornatus Christianus, boni mores sunt, ibid.c
Pallidus color fœminas religiosas ornat, 294.1.e

P

POENA.

MAla pœnæ à Deo fiunt, patienterque ferenda sunt, 156.2.c.cum seqq.
Pœna post culpam expiatam, 481.1.b

POENITENTIA.

Pœnitentia impij, festiuitas est Dei, & Angelorum, 513.1.b
Pœnitentia amara & dulcis, 449.1.a
Pœnitentia cum festinatione est agenda, 480.1.c.d
Pœnitentia est suauis, 378.1.d
Pœnitentia tabula post naufragium, 480.2.c
Pœnitentiæ præco fuit Ioannes, 375.2.d
Pœnitentia quomodo agenda, 481.1.d
Pœnitentia commendatur, 194.1.a
Pœnitentia Manassem Regem in libertatẽ restituit, 209.1.a
Pœnitentia damnatorum infructuosa. 517.2.a
Pœnitentia Achab regis, 229.2.e
Pœnitentia non procrastinanda, 480.1.c
Pœnitentiæ carcer, D. Ioannis Climaci. 481.2.a
Pœnitentiæ dolore transfixus quidam obiit. ibid.d
Pœnitentiam an egerit Salomon? 194.2.e
Cum pœnitentia quærendus Christus, 514.1.a
Pœnitens sit iudex sui ipsius, accusator, & testis, ibid.2.c

PARADISVS.

Ex paradiso terrestri expellitur Adam. 97.2.e
Adhibita paradiso custodia. 98.1.b
Expulsio ex paradiso terrestri, expulsionem indicabat hominum ex paradiso cœlesti, ibid.a
Occlusio paradisi terrestris, occlusionem significabat cœlestis, ibid.
Christus paradisum aperuit, ibid.& 7.2.b.c. cum seqq.
In paradisum cœlestem nullus homo ante Christum ingressus est, 98.1.a
Ex paradiso terrestri allatæ literæ Eliæ, 203.1.a

PASSIO CHRISTI.

Christus cruce veluti baculo caput serpentis contriuit, 97.2.b
Typus passionis Christi, est Abelis cædes, 98.1.d
Christus sponte, quia voluit, passionem subiit, 100.2.d
De passione Christi explicatur caput 53. Isaiæ, 113.2.d
De passione Christi ex capite 52. & 50. Isaiæ, 116.2.b
De passione ex Psalmo 21. 117.1.a.b

PASTOR.

Pastor mater est animarum, 161.1.d
Pastor bonus animis medicamenta, & ornamenta prouidet, ibidem.
De pastoribus ad præsepium vocatis, 415.1.a.cum seqq.
De pastoribus animarum, 424.1.a
Pastor oues doctrina & virtute debet superare, 425.1.d.e. & seq.
Pastor super gregem suum debet vigilare, 424.2.d.& seqq.
Pastor super se debet vigilare, ibidem.
Pastores rationem de ouibus reddent, 425.1.c.d
Pastores Deus illuminat, ibid.2.e
Pastor speculum ouium, 426.1.a
Exemplum pastorum, ibid.cum seqq.
Pastores, & Doctores, cum dentibus conferuntur, 133.1.e. 426.1.c

PATER.

De patre legali, & naturali, 251.1.e

PATER ÆTERNVS.

Pater fontana Deitas dicitur à Dionysio Areopag. & à D. Cyrillo dicitur fons. 140.1.c.d
In sinu Patris est Verbum, ibidem.
Patris natura diuina, Verbo diuino veluti sigillo impressa, ibid.e
Ex vtero Patris cur dicatur genitum Verbum? 139.1.e.2.a
Pater dicitur Sapientiam concepisse, & parturire, 140.1.a
Pater est principium sine principio, 133.2.c
Pater est principium Filij, & Spiritus sancti, ibid.d
Pater per intellectum gignit Verbum, 137.2.c
Patris imago Verbum, ibid.d

PATRES.

Patres Ecclesiæ dentes sunt, quibus panis scripturarum est diuidendus, 133.1.c
Patrum libri fœtus eorum sunt, & simulachra, ibid.
Patrum libri sunt aulæa pretiosa quibus Ecclesia ornatur, 161.1.c
Patres antiqui Christum desiderabant, 413.2.c.cum seqq.
Patres antiqui velut naues poma portantes, ibid.e

Patrum ſuſpiria D. Bernardum ſtimulabant, ibid.d
Sint-ne antiqui Patres iuſtificati ſub lege veteri, & naturæ? 5.1.c
Antiqui patres à Chriſto gratiam accepêre, 6.1.d.e
Parentes monentur ne filios à religioſa vita abducant, 285 2.d.e.cum ſeq.
Patres veteris Teſtamenti non aſcenderunt in Cœlum ante Chriſti Aſcenſionem. 8.1.d

PATIENTIA.

De patientia, 156.2.e.& ſeq.
Remedia patientiæ, 177.1.a
Patiendi ſpeculum Chriſtus, & patientis præmiũ, 152.1.a
Tolera quod non vis, vt aſſequaris quod vis, 516.2.b

PAVPERTAS.

Paupertatem docet Chriſtus, 411.1.b
Diuites habitant in medio terræ; pauperes in medio Cœli: illi bona terrena coniungunt; hi diſpergunt. ibid.
Pauperes diſpergunt terram, vt rapiant Cœlum, ibid.d
Pauperes ſunt leuitæ ſpirituales, ibid.e
Pauperes ſpiritu non habent ſortem in terra, ibidem.
Pauperum Deus eſt hæreditas, ibidem.
Paupertas, & humilitas arma Chriſti, 420.2.b.c

PAX.

De pace temporis Meſſiæ Chriſti, 43.1.a.cum ſeqq.
Pax Romani Imperij Euangelicæ prædicationi præparata eſt, ibid.2.d.399.1.e.cum ſeqq.
De pace quæ floruit naſcente Chriſto, 399.1.b.cum ſeqq.
Chriſtus pace vigente cur natus? 406.2.d
In pacifico corde naſcitur Chriſtus, 407.1.c.cum ſeqq.
Halcionides dies, pacis & tranquillitatis, ibid.a
Pax quærenda, fugienda iurgia, ibid.d
Quid ſignificet hebræis pax? 418.2.c
Pax cum hominibus, profecta eſt à bona voluntate Dei, 422.1.a
De pace, 423.1.d.e.cum ſeqq.
Pax eſt hominibus probis, improbis perturbatio, ibid.d
Pax pulchra, & opulenta; odium deforme, & pauperrimum, pax cœleſte bonum, ibid.e
Pax perfecta non eſt in hac vita; ſed in cœlo, 470.1.e cum ſeqq.
Pacificum Dei in orbem terrarum ingreſſum, angeli prædicant, 422.1.e

PECCATVM.

Peccatum non eſt repetendum, 470.2.c
Peccatum peius ipſo Orco. ibidem d
A peccato perfecta emendatio, 471.1.a
Peccati prima ſuggeſtio calcanda, ibid.2.b
Peccatis reſiſtendum, & cum aliis certandum, 336.2.d
Peccati conceptus, & partus, 479.2.e
Nihil peccare Dei eſt, communicauit hoc Deiparæ Virgini, 278.1.c
A peccatis ſic conſumuntur iniqui, vt veſtis à tinea, ſine ſenſu peccati, 514.1.e
Nullum peccatum commiſit Deipara Virgo, 278.1.d. cum ſeqq.
Peccati author non eſt Deus, 153.2.b.c
Potentia ad peccandum eſt imbecillitas, ibid.e
Peccatum dicitur nihil, 154.1.a
Peccatum maximè fugiendum, 516.1.e
Cur homo peccato inquinatus, in nihilum dicatur redactus, 154.1.a.b
Sunt quidam potentes iniquitate, 155.1.b
Peccati cauſa eſt voluntas, 154.2.b
Peccata etiam venialia fugienda, 285.2.b
Potentia ad peccandum omni actu eſt priuanda, 155.1.b
Locus Ioannis exponitur? Qui natus eſt ex Deo non poteſt peccare, ibid.e
Homines opes hic dimittunt, peccata ſecum portant in aliam vitam, 261.2.a
Peccata omnia ſunt fugienda, 369.2.a
Peccata cauenda, 208.1.b
Peccati ſupplicium, 203.2.a
In Deo non poſſe peccare, eſt omnipotentiæ, 153.2.c
Peccatum facere non eſt pœnitentiæ, ſed impotentiæ, ibid.
Cauendum ne in peccatum reincidamus, 441.2.e

PECCATVM ORIGINALE.

Peccato originali liberatur Ioannes in vtero. 361.2.c.d
Peccatum originale vexillum hoſtis, ibid.d
Peccatum originale vt gelu, gratiæ virorem extinxit, 414.1.a
A peccato originali quinam dicantur in vtero liberati? 352.1.a.b.c
Peccatum originale omni tempore remedio aliquo oportuit expiari, 435.1.b
Peccati originalis remedia. ibid.

PERSEVERANTIA.

Chriſtus inuentus perſeueranter eſt retinendus, 519.1.a
Ad perſeuerandum opus eſt fortitudine, ibid.d
Iuſtus in æternum ſe mancipat Deo, ibid.2.d
Perſeuerat in religione, qui amat religionem, 521.1.e

PHILOSOPHI.

Philoſophi quid intellexerunt nomine Verbi, 143.2.b
Philoſophis an fuerit notum Verbum diuinum? 141.2.b
Philoſophos Deus eſſe voluit, vt ad Chriſtianam prædicationem aures hominum aſſuefacerent, 143.1.c
Philoſophia data eſt Ethnicis, lex & prophetia Iudæis, vt Chriſtianæ doctrinæ viam munirent, ibid.d
An Philoſophi ſacras literas legerint, & aliquid ex illis decerpſerint, ibid.e

PICTORES.

Pingendi fingendique conditores, pendenti titulo abſoluta opera inſcripſerunt, 136.1.c
Pictor admirabilis eſt intellectus, 161.1.a

PISCES.

Piſcibus, qui pinnis carent, ſimiles ſunt ij, qui conſiderationi non vacant. 150.2.d
Piſces, qui pinnas habent ex fluctibus exiliunt, iis ſimiles ſunt, qui ex fluctibus negotiorum ſæpe exiliunt, ibid.

PLATO.

An Plato ſacros libros legerit? 142.2.c
Plato non potuit in Ægypto ab Ieremia diſcere, 144.1.a
Plato natus poſt Ieremiæ tempus, ibid.
Poſt Platonis mortem, Septuaginta interpretes ſacras literas græco ſermone donarunt, ibid.
Plato multa de Trinitate locutus eſt, ſed aliter quàm fides Catholica docet, 142.2.d
Platonis de Deo ſententia, 145.2.b

PLENITVDO, PLENVS.

Triplex gratiæ plenitudo, 332.2.e
Duplex gratiæ plenitudo, 333.1.a
De plenitudine gratiæ Deiparæ Virginis, 333.1.a.b
Impleuit Chriſtus gratia mundum, 410.2.b
Implet Nilus exundans Ægyptum vbertate; impleuit mundum Dei miſericordia, inundans omnibus bonis, ibidem c
Vt vacuum repleat natura, mira facit, ibid.b
Vt vacuum gratiæ, & gloriæ repleret Deus miranda fecit, ibidem.
Plenus dierum moritur iuſtus, 318.2.b
Plenus Chriſtus gratia vt mare; Virgo vt fluuius magnus, cæteri Sancti vt vaſa, 172.1.d

POMPEIVS.

Pompeius templum Iudæorum cepit, & ingreſſus eſt. Iudæos Romanis ſubiectos fecit, & ſtipẽdiarios, 248.2.b.c

PONTIFEX.

Pontifices Hebræorum ab Aarone vſque ad Heli numerantur, 226.2.d.e
Pontifices Hebræorum numerantur ad Heli vſque ad captiuitatem Babylonicam, 231.2.d.e
Numerantur Pontifices, qui Perſis imperantibus pontificatu functi ſunt, 241.2.d
Numerantur Pontifices, qui poſt Monarchiam Perſarum pontificatũ geſſerunt, vſque ad Herodis tẽpora, 242.1.e
Pontificatus quando tranſlatus à familia Eleazari filij Aaronis, in familiam Ithamari, 231.2.c
Pontificatus quãdo reductus ad familiam Eleazari, 232.1.a
Pontificis virtutes, 242.2.e
Pontifices Rempubl. Hebræorum poſt captiuitatem gubernarunt, 236.1.d
Pontifex Philadelphienſium magnæ virtutis, ac modeſtiæ, 326.2.c

PRÆLATVS.

Prælatus ſuſtinet perſonam Dei, 520.2.b
Prælati vox, eſt Dei vox. ibid.c
Prælati virga Aaronica florida, & fructuoſa, ibid.d
Qui in prælato Deum videt, prompte obedit, ibid.e
In prælato non conſideranda materia, ſed figura, 521.1.b.

PRÆLIA CHRISTI.

Chriſtus abſque exercitu hoſtes ſolus vicit, 62.1.c
De prælio Gog, & Magog. ibid.2.b
Anti-Chriſti prælium. ibid.d
Prælium Chriſti cum impiis extremo iudicio. 63.1.a
Prælium Chriſti, quo idololatriam ſuperauit, ibid.2.c
Chriſti prælia quatuor, 64.1.b
Chriſti prælia ſpiritualia, arma quoque, 61.1.d
Paupertas & humilitas, arma Chriſti, 420.2.b.c
Chriſtus congreſſus eſt cum hoſte, non in ſua maieſtate, ſed in noſtra humilitate, ibid.e
Chriſtus armauit fortitudinem imbecillitate, 421.1.a

Paleæ præsepij satisfuere Christo pro hastis, ad superandum hostem, ibid.
Absque vllo milite Christus bellum confecit maximum, ibid.b.c.cum seqq.

PRÆSEPE.

Virgo Christum in præsepio collocat, 413.1.a
Præsepe Christi augustius templo Ierosolymitano, ibid.c
Ad præsepe Angeli confluebant, ibid.d
Præsepio vbi Christus erat, alia ornamenta non erant opus, ibid.e
Ornamentum præsepij amor, 414.1.d
De præsepio, ibid.
Animalia in præsepio, 405.1.a
Fuerit-ne præsepe in rupe excisum. 403.1.c

PRIMOGENITVS.

Primogenitus Virginis quomodo dicatur Christus? 389.1.c.cum seqq.
Primogenitus filius dicitur, ante quem nullus. ibid.
Primogenitus Patris dicitur Christus. ibid.
Primogenitus inter multos fratres dicitur Christus. ibid.d
Ratio cur primogenitus Deo offerebatur. 472.1.e
Primogenito duplex hæreditatis dabatur portio 181.1.d
Ad primogenitum regnum pertinebat. ibid.
Primogenita mundi Christus occidit. 408.2.a

PRINCIPIVM.

Principij in diuinis personis duplex ratio; altera respectu ipsarum personarum, altera respectu creaturarũ. 133.2.c
Principium sine principio est Pater. ibid.
Principium ex principio, id est, ex Patre, est Filius. ibid.
Principium vnum Spiritus sancti, est Pater & Filius. ibid.
Principium personæ diuinæ non est Spiritus sanctus. ibid.
Principium creaturarum omnium sunt tres personæ diuinæ. ibid.
Principium totius diuinitatis Pater. ibid.d
Principium dicitur Sapientia. ibid.e
In principio erat Verbum; quid significet. ibid.1.2.
Principium Euangelij Ioannis, simile est principio totius Scripturæ sacræ. 135.1.c

PROFICERE.

De profectu, siue progressu in virtute. 414.2.d.e
In virtute progrediendum semper. 519.2.c

PROMISSIO.

Promissiones terrenas habet Testamentum vetus, nouum Cœlestes. 8.2.c
Promissio de Messia facta Abrahamo. 99.2.c.188.1.b.c
Promissiones de Messia. 181.2.c.184.1.c.d
Promittitur Christus statim post peccatum Adami. 96.2.e
Promissionis fructus Christus, 18.2.d.e

PROPHETA.

Hebræorum & lingua & vita, fuit prophetica. 12.1.c
Prophetæ numerantur, qui regum tempore prophetarunt. 232.2.b.& seqq.
An in Ægypto, & in deserto, & tempore Iudicum prophetas habuerint Hebræi? 233.1.d
Prophetarum filij quinam fuerint? 234.1.e
Prophetica collegia. ibid.2.c
Propheticorum collegiorum autor Samuel. ibid.
Prophetæ de Christo vaticinati sunt. 235.1.c
Prophetæ libros sacros scripsere. ibid.d
Vestitus prophetarum qualis. ibid.2.b
De cædibus prophetarum. ibid.c.cum seqq.
Prophetæ de Christo vno ore locuti sunt. 362.1.c
Prophetia antequam impleatur, ænigma est. 40.1.a
Prophetiæ princeps cur dicatur Satanas ab Ieremia. 234.1.d
Prophetæ cur maiores, dicuntur. 233.2.b
Prophetiæ Iudæis clausæ. 38.1.a
Propheta occiditur à leone. 228.1.d
Regnum Hebræorum magnus quidã fuit propheta Christi. 12.1.a.b

PROSPERITAS.

Prosperis in rebus Christus amittitur. 514.1.a
In rebus aduersis Christus quæritur. ibid.
Aduersitas multos frangit, multos extollit prosperitas. 349.1.b
Prosperitate eleuatur cor hominum. 207.2.d
Prosperis, & aduersis rebus, probi viri sapienter vtuntur. 501.2.e
Prosperis rebus aduersæ res permiscentur. ibid.b

PROVIDENTIA.

Dei prouidentiæ confidendum. 392.1.c

PRVDENTIA.

De prudentia. 346.2.d

PVERI.

Pueri à flagitiosorum hominũ consortio sunt segregandi. 503.1.b
Puerorum ætas cerę similis. ibid.
Puero maxima debetur reuerentia. ibid.c
Coram pueris nihil mali agendum, quod imitari possint. ibid.d
Puerorum persecutores, Herodes, Pharaones, Ismaëles. ibid.

PVNITIO.

Dei punitio & correctio fructum parit. 213.2.e

PVLCHRITVDO.

Pulchritudo duplex, corporis & animi, 293.2.a
Pulchritudo corporis bonum fragile, febris igniculo dissoluitur, in cute consistit. ibid
Pulchritudo corporis fallit, & capit homines, ibid.c
Pulchritudo Græcè καλὸν à vocando, ibid.d
Pulchritudo corporis cur dicatur digna imperio, 294.1.b
Gratior est virtus cum pulchritudine coniuncta, 293.2.e
In pulchritudine magis eminet virginea puritas, ibid.
Virgini Deiparæ pulchritudo corporis tribuitur, ibid. & 294.2.cum seqq.
Pulchritudo Deiparæ Virginis nemini nocuit, 294.2.b
Pulchritudo animi multo præstantior corporea, 295.2.d
Pulchritudinem animi Deus concupiscit, ibid.e
Deus in corpore non pulchro, diligit animas pulchras, 296.1.a
Pulchritudo Sanctorum & interna animi, & similis pulchritudini Angelorum, & Dei. ibid.cum seqq.
Homines foris pulchri, intus deformes, similes templis Ægyptiorum, ibid.d.e
Homines iusti interna præditi pulchritudine Silenis similes, ibid.2.a
Pulchritudo animarum quanta sit. ibidem.
Cum pulchritudine animarum nihil in terris conferri potest, 297.1.a
Pulchritudinem animi efficit charitas, ibidem d
De pulchritudine Virginis Deiparæ interna. 295.2.d.e

PVRGATORIVM.

Purgatorius ignis, 482.1.c.d

PVRIFICATIO.

De purificatione nostra, 479.1.b
Purificationem nostram magnificat Dominus, ibid.
Ad nostram purificationem habemus balneum potentissimum, Christi sanguinem, ibid.d
Purificat Christus vt ignis conflans, & herba fullonum, ibid.2.c
Purificatione indigemus ex conceptu, & partu peccati. Purificationis dies idem sit qui peccati, 480.1.b
Purificat Deus hominem à culpa velociter, 481.1.b
Antequam purificationis nostræ dies impleantur, Cœli templum ingredi non possumus, 482.2.a
De iis quæ hominem inquinant, 483.1.a

PYTHAGORAS.

Pythagoræ symbola, 39.2.c

Q

QVADRATVM.

Quadrata fides, 36.2.e
Viri iusti sunt quadrati, 99.1.b

QVÆRERE.

Quærendus Deus cum dolore, 515.1.a
Quærendus Deus diligenter, ibidem.
Subtrahit se Christus, vt auidius quæratur. 520.1.a
Prius nos quærit, quàm quæratur à nobis, 517.1.b

R

RAHAB.

An Rahab fuerit meretrix? 191.2.a
Rahab Ecclesiæ vmbra. 183.2.c

REDEMPTIO, REDEMPTOR.

Redemptio magni stetit, 20.2.a
Isaac non est immolatus, quia eius sanguis mundum non poterat redimere, 100.1.b.c
Non potuit redimere sanguis hircorum, & taurorum, sed Christi. 71.1.c
Redemptio Christi æterna, 6.2.a
Redemptoris titulus Dei filius est, 73.2.c
Redemit nos Christus, non vi, vt Israëlitas ex Ægypto, sed soluto pretio, 368.2.c

Redemptionis beneficium animum inflammat magis, quàm beneficium creationis. ibid.
Redemit nos Christus à triplici morte, 96.1.c
Deus homo factus est, vt de suo homo redimeretur, 176. 1.d
Pretio magno redemptus homo. 177.2.a.b
Totus Orbis non est pretium idoneum ad redimendum vnius hominis animam, ibidem.
Redemptioni hominum vna Christi sanguinis gutta fuisset satis, ibid.d
Christus non eripuit hominem à morte per vim, sed per iustitiam redemit, 96.2.b.c
Ad liberandum hominem Deus non est vsus virtute potentiæ, sed ratione iustitiæ, 177.2.a.b
Pater dicit homini, Accipe vnigenitum & da pro te. Filius dicit, tolle me, & redime te, 178.1.b
Homo vendere se potuit, redimere non potuit, 368.2.b
Redemptio indicat captiuitatem, ibidem.
Redimere non potuit pura creatura, ibid.a

R E G N V M.

De Regno Messiæ. 56.1.e
Christi regnum rebus multis regna omnia superat. 57.1.e
Ad regni solium ascendit Christus per medios leones. 349.2.a
Christus Thronus sicut Sol, aquilinis cernitur oculis. 56.1.e
Regna terrena sunt somnia. ibid.2.b
Regnum Christi regna omnia superat amplitudine, totum complectitur. 57.2.e
Regnum Christi superat regna omnia, duratione, æternum est, 58.1.a
Regnum Christi superat regna omnia, vipotestate, opibus, fortitudine. ibid.c
Regnum Christi in corpora & animas. ibid.
Regnum Christi excellit legibus atque institutis. ibid.e
Regnum cœlorum dicitur Ecclesia. ibid.
Regnum Christi excellit sine, regisque nobilitate. ibid.
Regnum cur ablatum sit à Ruben primogenito? 181.1.c
Regnum duobus modis debetur Christo. 58.2.d
Principatum Christus humero tulit. ibid.e
Regnum Hebræorum diuisum in duo regna. 227.2.a
Vtrumque regnum idola coluit. 199.2.a
Regnum X. tribuum extinguitur. 231.1.e
Regia tribus Iudæ. 181.1.c

R E X.

Rex Regum Christus, in capite gestat non vnum; sed multa diademata. 58.2.c
De Christi throno dicitur; Non est factum tale opus, &c. ibid.
Regis Christi manus osculandæ 59.1.b
Aduersus Christi regnum omnes conatus inanes. 464.2.d
Reges terreni auroræ similes mox euanescenti. 56.2.b
Rex impatiens consortis. 465.1.c
Reges impios vt leones venatur Dei iustitia. 214.2.c
Reges Iuda numerantur. 227.1.b.c
Reges Iuda. & eorum gesta. 194.2.a.& seqq.
Reges tres à Matthæo prætermissi, qui sint. 203.2.b.c
Reges tres cur Matthæus prætermiserit? ibidem
Reges tres, præstantissimi, Dauid, Ezechias, Iosias, inter se conferuntur. 210.2.b
Reges Israël, eorumque gesta recensentur. 227.1.b.c
Rex Moabitarum an filium immolarit? 230.1.e
Reges sunt candelabra templi. 259.2.a
Reges bona opera comparent. 261.2.b.c
Reges, & populi rectores, quales esse debeant. ibid.c
Rex Deo obedire debet. ibid.e
Regum virtutes, vel vitia, in regnum influunt. 465.1.d
Regis exemplum sequuntur subditi. ibid.d.e
Regibus munera offerebantur. 458.1.b.c
Reges vngi solebant apud Hebræos. 470.1.d
Regis cor in manu Dei. 261.2.d
Rex primum mobile. ibid.e
Regi cum coronabatur, legis liber tradebatur. 262.1.a
Regis consiliarij mandata Dei. ibid.b
Regum locus lubricus. ibid.c
A Rege religio, & cultus diuinus procurandus. ibid.e
Rex Ecclesiæ defensor. ibid.2.c.d
Rex Sol Reipub. ibid.a
Reges Persarum quatuordecim numerantur. 241.1.a
De Regibus Persarum. 239.2.c.d. cum seqq.
Rex Iudæorum cur dicitur Christus. 465.1.a
Rex populi regula sit recta. ibid.2.c.& seqq.
Rex impius fermentum corrumpens populum, & pistor cacodæmonis. ibid.e
Regibus verba obseruanda in aula Babylonis scripta. 466.1.c
De virtutibus, quibus Reges debent excellere. ibid.2.e
Rex probus simulachrum est Dei. ibid.c
In cedris Libani, id est, regiis opibus passeres, id est, pauperes & religiosi nidificant. 467.1.c. cum seq.
Regis boni est legibus præbere vim exemplo. 485.2.a

R H I N O C E R O S.

Rhinoceros in sinu virginis comprehenditur. 487.2.a

R O B O A M.

De Roboam filio Salomonis. 198.1.a
An Salomon genuerit Roboam natus annos decem? ibid.
Roboami tempore Hebræorũ regnum diuisum. 199.1.c.d
Qualis Rex fuerit Roboam. ibid.2.a

R O M A.

Romanus Pontifex totius orbis est pastor. 406.1.e. cũ seq.
Sub Romana Monarchia natus Christus. ibid.c
Romana Ecclesia ciuitas nostra est, & Bethlehem in qua profitemur obedientiã summo Pontifici. ibi. 2.b. cũ seq.
Roma sedes Petri quidquid armis non possidet, tenet religione. ibid.d
Si quis in ecclesia Romana velut arca Noë non fuerit, peribit regnante diluuio. ibid.1.c
Romana Monarchia florente, venit Christus. 90.1.c
Monarchia Ecclesiæ Romanæ distincta est à Monarchia Romanorum seculari. 91.1.b
Roma nomina Baalim, id est idolorum; ex ore proiecit. suaue Iesu nomen, tanquã vas electionis portat. 444.2.d
Romæ nomen occultum. ibid.1.d

R O S.

Ros è Cœlo Christus. 414.1.a. cum seqq.
Ros cœli medicina peccati. ibid.b
Ros serena cadit nocte, Christus sereno natus tempore. 407.1.b

R V I N A.

Bona ruina cum peccatum ruit. 47.1.c
Christus positus in ruina mortis, vt homines resurgerent. ibid.2.a
Christus positus in ruinam Dæmonum, & Iudæorũ. ibid.b

R V T H.

Ruth Ecclesiæ typus. 183.2.a
Ex Ruth Moabitide ortus est Dauid. ibid.1.b
De Ruth. ibid.192.1.d.e

S

S A C E R D O S, E T S A C E R D O T I V M.

De officio & vita sacerdotis. 325.1.c.d
Christus à sacerdotis officio non quærit aurum, sed animas. ibid.2.b
Sacerdos lucra sectetur spiritualia, non temporalia. ibid.a
Sacerdotum purificatio. 479.2.d
Sacerdos impendat Ecclesiæ laborem, ex qua fructus colligit. 325.2.d
Sacerdotes dicebantur filij Aaron. 317.2.b
Sacerdotis vita longè à populi vita distare debet. 326.1.c
Sacerdotis manus solari radio oportet esse splendidiores. ibid.2.d
Sacerdotium Iudæorum abrogatum. 76.2.c
Sacerdotium Christianum nunquã abrogabitur. 78.2.c.d
A Sacerdotibus Iudæorum vox audita, Migremus hinc. 77.1.b
Sacerdos sit timoratus. 488.2.c
Sacerdos non quærat quæ sua sunt, sed quæ Christi. ibid.e
Sacerdos veniat in spiritu in templum, id est, Ecclesiæ dignitates. 489.1.b
De sacrificio Eucharistiæ. ibid.d

S A C R I F I C I V M.

Sacrificia Iudæorum Deus respuit. 78.1.e
Sacrificium Eucharistiæ dignissimum Deo. ibid.2.c
Sacrificiũ Christi respicit Deus, non verò Iudæorũ. 98.2.c
Sacrificium Christi Deum placauit. 71.2.b
Sacrificiis Iudæorum reiectis, sacrificium Eucharistiæ toto orbe offertur. 78.1.c
De sacrificio Eucharistiæ. 98.2.d
Sacrificio Eucharistiæ Angeli adsunt. 319.1.c.& seq.

S A L A T H I E L.

Salathielem genuit Iechonias in Babylonia. 222.1.d
Salathiel Matthæi diuersus est à Salathiele Lucæ. 253.1.a. cum seqq.
Iechonias non fuit sterilis, sed genuit Salathielem. 222. 1.c.d

S A L O M O N.

An Salomon fuerit vnigenitus Dauid ex Bethsabee. 194.1.c
Salomonis nomina. ibid.2.b
An Salomon pœnitentiam egerit, salutemque sit consecutus? ibid.d
An Salomon solo æquarit templa, quæ idolis vxorum extruxit. 195.2.d
In Salomone apparet mira excellentia, mira subuersio, fienda vorago. 197.1.b

An Salomon exiſtimarit idola habere aliquid numinis? ibid.c
An Salomon poſt peccatum infuſam amiſerit ſapientiam. ibid.2.d
Salomon arbor ſcientiæ boni, & mali. 254.2.c
Salomon cor deprauatum per mulieres, ibid.
Salomon an genuerit filium Roboam, cùm natus eſſet annos decem? 197.1.a
Ad quam ætatem peruenerit Salomon. ibid.2.c

SALMON.

An licuerit Salmoni ducere vxorem Rahab? 191.2.a
An Salmon genuerit Booz & Booz Obed? ibid.d

SALVATOR, SALVS.

Chriſtus in Teſtamento veteri Saluator appellatur. 70.2.c
Meſſias ſaluator animarum præcipuè. 71.1.a
Saluatoris, & Redẽptoris titulus ſoli Deo tribuitur. 73.2.c
Salus à Chriſto allata, perfecta eſt, æterna & Diuina. 441.2.c
Chriſtus Deus ſaluationum animi, & corporis. 447.2.c
Salute quomodo nos onerauit Deus. ibid.c
Salus animi toto anno procuranda. 448.1.b
Salutis dies hoc tempus. ibid.2.c
Pro ſalute animi omnia toleranda. 446.2.d

SAMARIA.

Samaria ædificata eſt ab Amri rege. 228.2.d.e
Samaritani vnde venerint. 231.2.a
Samaria X. Tribuum metropolis. 224.2.a
Samaria ædificata in monte empto à Somer, vnde dicitur Hebraicè Someron. 228.2.c

SAMVEL.

De Samuele. 226.2.b.c
Samuel autor propheticorũ collegiorum. 233.2.c. 234.2.b

SANCTITAS.

A ſanctitate maximè laudatur Deus. 357.1.d. cum ſeqq.
Ter ſanctum Deum Seraphini inclamant. ibid.
Triſagios, id eſt, ter ſanctus, hymnus puero rapto in ſublime ab angelis traditus. ibid.c
A ſanctitate dicitur Spiritus ſanctus. ibid.2.b
Summa ſanctitas incarnationis. ibid.
Sanctitate ipſa aliquando inſoleſcit animus. 356.1.a
Sanctum Domino in lamina Pontificis. 357.1.c

SANCTIFICATIO.

De ijs, qui dicuntur in vtero ſanctificati agitur. 352.1.2.

SANGVIS.

Sanguis Chriſti effuſus ſicut aqua. 117.2.a
Sanguine Chriſti confirmatum eſt nonum Teſtamentum. 2.2.c
Sanguine confirmatum quomodo ſit vetus teſtamentum. ibid.b
Sanguinis Chriſti gutta vna redimendo orbi ſatis. 177.2.c
Sanguis Chriſti cur dicatur à Prophetis vinum. 61.2.d
Sanguis Chriſti fons patet omnibus. 55.1.c
Sanguis Chriſti vox. 56.1.c
Sanguis hircorum, & taurorum peccatum auferre non poterat. 479.1.d.e
Primitias ſanguinis Chriſtus in Circunciſione effudit. 436.2.a
Calendas Ianuarij ſuo ſanguine conſecrauit. ibid.1.c

SANSON.

Sanſon fortitudo. 226.2.b.c

SAPIENTIA.

Sapientia Dei dicitur Verbum diuinum. 139.1.c. 147.2.b
Cur Filius dicatur ſapientia patris? 70.1.c. 141.1.c
Sapientia cur dicatur ludere in orbe terrarum. 147.2.c
Sapientia noſtra Chriſtus, ipſius contemplatio ſapientes nos reddit. 152.1.a
Sapientia Dei continet omnia. 158.2.c

SARA.

Saræ nomini litteram detraxit Dominus, & nomini Abraham addidit. 429.1.b.c

SCALA.

Scala Iacob. 101.1.a

SCRIPTVRA.

Scripturæ ſenſus quadruplex, Litteralis, Allegoricus, Tropologicus, & Anagogicus. 13.1.c
Explicantur huiuſmodi ſenſus. ibidem.
Scriptura animalis inſtar animam habet & corpus, ſenſum myſticum, & litteralem. 12.1.b.c
Senſus litteralis carneus dicitur. ibid.
Scriptura dicitur liber intus & foris ſcriptus, ibid.2.c
Scripturam Chriſtus aperuit. 13.1.a
Scripturæ clauem habet Chriſtus, ibidem.
Scriptura eſt ænigmatica. 38.2.c
Senſus litteralis Teſtamenti veteris dicitur verbũ paruum, & argentum; ſpiritalis verbum magnum, & aurum. 39.1.c.d.e
Chriſtus aperuit ſcripturæ ſenſum. 40.1.c
Iudæi non eleuant manus, id eſt, ſcripta Moſis. ibid.d
Chriſtus eſt Theſaurus abſconditus in Scriptura. ibid.c
Scripturam oportet ſcrutari tanquam Theſaurum. 38.2.c
Monilia Eccleſiæ argenti punctis ſunt diſtincta; hoc eſt, ſacra eloquia moralis ſenſus punctis ornata. 150.1.c.d
Litteralis ſens ſimilis cibo, moralis potui. ibid.b
Scriptura eſt manna. 40.1.c
Scripturam reparauit Eſdras. 237.2.a
An Eſdras ex memoria ſcripturæ libros reparârit? ibid.d
Chriſtus in Scriptura quærendus eſt, tam in littea, quàm ſub litteræ velamine. 95.2.a
Scriptura competentibus vtitur indumentis litteræ. ibid.b

SEDES.

Sedes Dauid, & domus Iacob, Eccleſia dicitur. 336.2.a.b

SEDECIAS.

Sedecias filius Ioſiæ Rex Iuda creatus à Nabuchodonoſore, & qualis Rex fuerit. 213.2.b
Sedeciæ anno vndecimò Ieruſalem obſeſſa, & expugnata à Chaldæis. 215.1.c.d
Sedecias comprehenſus, oculis priuatus, ductuſque eſt Babylonem, & Babylonem non vidit. ibid.e
Fugæ Sedeciæ regis, typus Ezechielis. ibid.2.b
Calathus ficus malas habens Ieremię 24. Sedeciam ſignificabat, & alios Iudæos. ibid.

SELLVM.

Sellum filius Ioſiæ idem qui Ioachaz, Rex Iuda, patri ſucceſſit, à Pharaone captus & in Ægyptũ ductus. 212.2.a.b
De Sellum vaticiatur Ieremias. ibid.
Alter Sellum Rex Iſrael menſis vnius. 231.1.c

SEMEN.

Semen Abrahæ Chriſtus eſt, in quo benedicuntur omnes gentes. 99.2.d
Semen Abrahæ Chriſtus, mortuum & per totum orbem eſt multiplicatum. ibid.e
Semen, id eſt, filius mulieris, id eſt, Virginis Mariæ, Chriſtus contriuit caput ſerpentis. 97.1.e
Semen ſerpentis dæmones, & impij homines. ibid.2.b

SENNACHERIB.

Sennacherib exercitus ab Angelo cæſus. 207.2.c
Eiuſdem mors. ibid.

SENECTVS.

Senectus mentis. 318.1.e

SENSVS.

Senſus obſerandi vt cuſtodiatur cor: & de cuſtodia ſenſuum. 483.1.e
Senſus lenones ſunt animi, nũti, raptores, & feneſtræ. ibid.

SEPVLCHRVM.

Vterus matris ſepulchrum dicitur, & ſepulchrum dicitur vterus terræ. 261.1.b
Sepulchrum Virginis Deiparæ. 303.1.d.e

SEPTVAGINTA INTERPRETES.

Septuaginta interpretes Eleazaro Pontifici ſcripturam ex Hebræa in Græcam linguam tranſtulerunt, petente Philadelpho. 242.2.c.d

SERMO.

An Verbum diuinum dicatur etiam ſermo? 140.2.b.c

SERPENS.

Serpens diabolus cui Virgo caput contriuit. 97.1.a
Serpens qui per mulierem mortem, & peccatum in mundum inuexit, per mulierem è mundo eſt expulſus. ibid.c
Serpentis caput baculo crucis Chriſtus contriuit. ibid.2.b
Serpẽs calcaneo Chriſti, id eſt, corpori eſt inſidiatus. ibid.
Chriſtus immortales cum ſerpẽte inimicitias gerit. ibi.1.e
Serpens in vno homine cunctos iugulauit. 95.2.e
Serpens in deſerto exaltatus, Chriſtum quomodo adumbrabat. 6.2.b
Serpentis ſibilus, id eſt, Dæmonis tentatio eſt; Da mihi inueniles annos. 468.2.a
Cum ſerpente inimicitiæ. 97.1.a

SETIM.

Ligna ſetim. 302.1.d

SIBYLLA.

Sibyllarum de Chriſto vaticinia. 126.2.e

SICLVS.

Siclus ſanctuarij, & vulgaris. 268.2.d
Siclus, & ſtater IV. drachmas continet. 394.1.a

SIGNVM.

Chriſtus ſignum fuit contradictionis. 477.2.b

Christus in signum positus, vt serpens in deserto, 478. 1. a
Christus positus in signum ouium, & vexillum, 477. 2. e
Signum datum ab Ieremia sacerdotibus Ægypti, 492. 2. a
De signis quæ natiuitatem Christi præueniſſe memorantur. 400. 1. d, cum seqq.
De signo oblato Achaz ab Isaia, 385. 2. a. cum seqq.
Quodnam signum promiserit Isaias Achaz. 386. 1. a. b
Ecce Virgo concipiet, late exponitur. ibid. c. d

SILENTIVM.

Silentium, & attentio rebus diuinis adhibenda in templo. 327. 1. c

SIMEON.

De Simeone qui Christum excepit vlnis, 475. 2. b
An fuerit Hillelis Discipulus, ibid. d
An fuerit Sacerdos? 476. 1. b
Non dubitauit de oraculo Isaiæ. ibid. d
Deleuisse ex oraculo scripturæ litteram, apocryphum est. ibidem.
De Cantico Simeonis, ibid. 2. c
Simeon probi sacerdotis imago, 488. 2. c. d

SIMILITVDO.

Similitudines quamuis minimæ maximas res (ait Cyrillus) clariores reddunt. 140. 2. a
Similitudines productionis Verbi diuini. ibid. 1. e
Similitudines Verbi diuini cum verbo mentali, vocali, & scripto, & dissimilitudines. 137. 2. b. c. cum seqq.

SIMON.

Simon Pontifex Hebræorum, vmbra Simonis Petri summi Pontificis. 247. 1. c
Simonis tempore ablatum est iugum gentium ab Israël, ibid. d
Simon recepit arcem Sion. ibid. e
Simon occiditur. ibidem. 2. d. e

SOCIETAS.

Societas impiorum fugienda, 201. 1. c. 502. 2. d

SOL.

Sol ex suo cœlo superiora, & inferiora illuminat, ita Christus, 407. 2. e
An Sol redierit retrorsum, an sola vmbra, tempore Ezechiæ. 206. 2. b
Fuerit-ne longior dies qua Sol rediit retrorsum, die illa, qua stetit tempore Iosue? 207. 1. a. b
Sol dicitur stetisse tempore Elimelechi, 192. 2. b
An aliquis præter Iosue solem stare fecerit? ibid. e
Sol rubicundis perfusus vaporibus cernitur matutino, & vespertino tempore; ita Christus, 436. 2. c
Deus Sol, & scutum hominis, 96. 2. d
Deus Sol increatus, Pater luminum. 163. 2. c
Christi Thronus, sicut Sol. 56. 2. a
Soles tres quando visi. 401. 1. e
Sol in die Natiuitatis dicitur festinasse ad ortum; & nouo fulsisse splendore, 416. 2. e
Illi qui facit casum, Sol facit occasum, 164, 1. b

SPECVLVM.

Labrum factum ex speculis mulierum, 284. 2. c. cum seqq.
Specula abiiciunt religiosæ fœminæ, id est, ornatum mundi, ibid. d. e
Specula Domino offerebant fœminæ. 283. 1. b
Specula sunt mandata Dei, 324. 1. d
Speculum virtutum Virgo Deipara, 342. 2. e
Speculum verissimum Christus, mundus speculum fallax, 152. 1. c
Sunt specula quæ in portentosam magnitudinem augent formas, ibid. d

SPELVNCA.

In spelunca natus est Dominus, 403. 1. a
Describitur spelunca, ibid b
Spelunca appellatur diuersorium, ibid.

SPES.

Spes sanctorum fit res, 487. 2. d
Qualis res, talis spes. ibid. c

SPONSA.

De sponsa, & filiis Messiæ. 64. 1. c. & seqq.
Sponsa Christi Ecclesia. ibid. 2. a
De desponsatione Ecclesiæ. 65. 1. a

STATVS.

De primo statu populi Hebræi, 223. 2. c. & seqq.
De secundo statu populi Hebræi. 227. 1. b
De tertio statu populi Hebræi post captiuitatem Babylonicam. 236. 1. c & seq.
Status Iudæorum mobilis erat, totus à Christo pendebat. 81. 1. c

STELLA.

De stella quæ Magis apparuit. 454. 2. & seq.
Stella Magorum non fuit cometa. ibid.
Cur dicatur stella eius? cur per stellã Magi vocati fuerint? 457. 2. e. & seqq.
An stella apparuerit supra Iudæam. 455 2. b
An stella ipsa nocte natiuitatis Christi visa fuerit, an multo ante? ibid. d
An stella toto itinere Magos præierit. 456. 1. c
Quæ materia stellæ? quis locus? quis motor? ibid. 2. e
Differebat stella hæc à reliquis, multis rebus. 457. 1. c. d
Stella expectata dicitur in monte victoriali, & in puteum cecidisse. ibid. 2. c. d
Ecclesia stellarum XII. coronam gestat. 463. 1. a
Stellæ XII. quæ micant in corona Deiparæ. 307. 2. a

SVSANNA.

Susanna significat lilium, fuit autem similis lilio inter spinas. 438. 1. a

SYNAGOGA.

Synagoga cum Luna mutabili comparatur. 258. 2. c
Synagoga ancilla, Ecclesia libera. 10. 1. a
Synagogæ dedit Deus libellum repudij. 53. 2. e
Synagoga fuit tabernaculum mobile, Ecclesia templum stabile. 44. 2. b
Maria soror Mosis typus synagogæ. 52. b. c
Synagogæ gloria translata in Ecclesiam. 461. 2. c. d

T

TABERNACVLVM.

Virgo Deipara tabernaculum Dei. 276. 1. e
Cum tabernaculo Mosis confertur Virgo latè. ibid. 2. a & seqq.
Pars prima tabernaculi, id est, superior pars Deiparæ Virginis. 277. 1. b
Pars secunda tabernaculi, id est, appetitus Deiparæ Virg. 280. 2. b
Pars tertia tabernaculi, id est, externa modestia Virginis, 281. 1 e
Tabernaculi virginei exemplar, typi, & materia, 276. 2. a

TEMPLVM.

In templis summa reuerentia obseruanda, 326. 2. a
Templum Cœlo simile, locus Angelorum, 327. 1. a
Silentium in templis seruandum, ibid. e
In templo quid agendum, ibid. d
In templo diuinis tantummodo rebus vacandum, ibidem.
In templo attentio adhibenda. ibid. e
Templi portæ, portæ iustitiæ. ibid. 2. d
Templum Dei domus Vnicornis, aduersus peccati venenum, & Thesaurus, ibid. e
Ter singulis annis in templum Israëlitæ confluebant, 506. 1. b
Templum Iudæorum, Iudaïcæ religionis erat nodus. 77. 2. a
In templo solùm Ierosolymitano Iudæis licebat sacrificare. ibidem.
Templum turris vineæ. ibid. 1. c
Templum Iudæorum à Romanis combustum ipso duce Tito inuito. 77. 2. a
Templum Deo volente exustum X. die Augusti à Romanis. ibid. e
Templi extruendi facultatem dedit Iulianus Apostata Iudæis, sed diuinitus prohibiti sunt, 78. 1. a. b. 49. 1. a
Templa duo à Iudæis extructa, tertium nunquam extruetur. 48. 2. b
Templum Deus euertit, vt medicus phialam frangit. 54. 1. d. e
Templum Iudæorum hortus nucum, ibid. e
Templũ à Machabæo recuperatur, & renouatur. 244. 2. b. c
Templum à Samaritanis in monte Garizim extructum. 242. 1. d
Templum Salomonis quot annis steterit, 227. 1. e
Templum secundum ab Hebræis post captiuitatem extructum. 221 2. d
Templum Iudæi polluerunt indignantibus Romanis. 93. 2. a. b
Ex templo Iudæ pugnarunt, & cadaueribus illud repleuerunt. ibid.
Si quis septa templi transgrediebatur, etsi Romanus esset, occidebatur. ibid. e
In templo Romani signa posuere. 94. 2. c
Templum Pompeius cepit, & ingressus est. 248. 2. b
Templum Crassus spoliauit. ibid.
Spoliauit Antiochus. 244. 1, a
Templum Onias extruit in Ægypto. 246. 1. c
Templi secundi euersio Christũ iam venisse probat 87. 2. a
Templũ Christus sua præsentia reddidit glorioſum. ibid. d

Templum ab Herode instauratum. 89.2.b
Templum Herodis & Zorobabelis, pro eodem reputatur. ibid. d
An templum secundum fuerit opibus glorioſius, templo primo? 88.2.a
Templum exustum à Chaldæis. 214.2.e
Templum quo die mẽsis exustum fuerit à Chaldæis. & iterum à Romanis. 215.1.a

TEMPVS.

Tempus Christianæ legis fertiliſſimum. 448.2.d
Tempus saluti animæ impendendum, 517.2.e
Tempus præsens verbi substantiui, Deo congruit; sed reliqua etiam tempora illi tribuuntur. 135.2.a
Tempore præterito imperfecto cur Ioannes vsus. ibid.d
Tempore præterito imperfecto antiqui artifices in tabulis operum vtebantur. 136.1.c
Tribus operibus verbum præteriti temporis inscriptũ est; Ille fecit, quæ propterea in magnam inuidiam incurrerunt. ibid.d

TENEBRÆ.

Tenebræ mundi palpabiles, quales Ægypti. 163.1.b
Rebelles lumini sunt impij. ibid.c
Tenebræ impiorum horrendæ. ibid.d.e
Tenebræ peccatorum imagines quædam sunt tenebrarum Tartari. ibid.2.a
Christus Sol peccanti mortaliter occidit. 164.1.b
In tenebris fidei Sol fulget. ibid.c
Tenebræ res sensibiles, tenebræ humana natura, tenebræ idolorum cultores, tenebræ error, 159.2.b.c
Tenebræ mortem significant, & mentes impiorum tenebrosas, 160.1.a.b
In tenebris impiorum quomodo luceat lux, ibid.c
Tenebrosum iter, & via, absq; consideratione, 151.2.b.c

TENTATIO.

Serpentis est sibilus * Da mihi iuueniles annos, 468.2.a
Prima peccati suggestio calcanda, 471.2.a
Serpens tentans insidiatur calcaneo; tu contere caput, inimicitiam cum illo gere, ibid.
Vita iustorum tentationibus, aduersisque rebus, & prosperis permixta, 501.2.b c
Dæmon conatur teneram virtutem extinguere, 502.2.b
Fortitudo in tentationibus, 519.1.d
Subtrahit se aliquando Christus, vt auidius quæratur. 520.1.a.b

TERRA.

Terra mater dicitur, vterus terræ sepulchrum, 261.1.a

TESTAMENTVM.

Vetus Testamentum terrenas habet promissiones, nouum Cœlestes. 8.2.b
Testamentum Vetus seruorum, nouum filiorum. 9.2.d
Testamentum vetus timoris, nouum amoris. 10.2.e
Testamentum vetus typus & vmbra noui. 11.2.b
Testamenti veteris graue iugum, noui leue. 13.2.d
Testamentum nouum est æternũ, vetus fuit temporarium. 15.1.b
Testamentum vetus cur sit antiquatum. 16.1.b
Testamentum vetus vni populo, nouum toti Orbi datum. 17.1.c
Testamentum nouum finis veteris. 18.2.d
In Testamento nouo omnia sunt noua. 19.2.c
Lex veteris Testamenti per Angelos data, Lex noui per Christum. 20.2.d
Testamentum vetus fidei Christi implicitæ, bonum fidei Christi explicitæ. 23.1.a

TESTIS. TESTIMONIVM.

Christi testes duo grauissimi Ioannes Baptista, & Euangelista. 164.2.b
De testimonio Ioannis Euang. elogium Ruperti. ibid.c
Testis summæ auctoritatis Baptista. ibid.d. 377.1.d
Testi tria sunt necessaria, quæ in Ioanne effulgent. 377 1.b
Testibus non egebit aduentus Christi secundus, ibid.d
Teste opus fuit Ioanne in primo aduentu, in quo maiestatem Dominus occultauit, ibid.c
Testimonium oportuit perhibere lucernam Soli, ibid.

THARSIS

Quæ regio sit Tharsis? 201.1.c.d
Tharsis, & Ophir eadem regio Indiæ Orientalis, ibid. e. 202.1.e
Tharsis significat mare, lapidem pretiosum Chrysolithum, Carthaginem, Ciliciam, & regionem Indiæ, 202.1.b.c
Naues Tharsis, 494.1.a
An Herodes contriuerit naues Tharsis? ibid.

THEOPHILVS.

Theophilus ad quem Lucas scripsit, quis fuerit, 317.1.a.b
Theophilus quid significet, 316.2.a

THERSA.

Therſa fuit Regum Israël sedes, antequam conderetur Samaria, 228.2.c

TESSARADECAS.

In tres Tessaradecadas diuiditur Christi genealogia, 185. 2.c
Trium Tessaradecadum numerus, 223.1.b.c.cum seqq.

TIMOR.

Timoris fuit Testamentum vetus, 10.2.e
Timor, & amor, differentia duorum Testamentorum, ibid.
Deus homini appositit, quod timeret, 11.1.a
Timor Hebræorum, & Mosis cùm legem acceperunt, ibid.
Sub vexillo timoris Synagogam duxit Deus, ibid.e
Timor præparat locum amori, ibid.
Timoris Testamentum, locum præparauit Testamento amoris, ibidem 2.a
Timor mundi inanis vmbra est, quæ nos terret, 259.1.a
Timor Dei iustitiam conseruat, fundamentum est salutis. & virtutum basis, 488.2.d
Cum tremore salutem operemur, 423.1.a
Timor Herodis, 458.2.a
Grandis potestas maiori timori subiecta, ibid.c.d

TITVLVS.

Titulos vacuos non donat Deus; titulum donat, & ea quæ titulus postulat, 265.1.d.290.2.a
Tituli Ioseph sponsi Virginis, 290.2.a
Titulus matris Dei admirabilis, & eximiam gratiam flagitat, 265.1.d. cum seqq.
Titulum Crucis Pilatus noluit mutare, 464.2.b
Titulus Crucis indicabat Christum omnium gentium esse Regem. ibidem.

TONITRVVM.

Tonitrui filius Ioannes Euangelista, 131.1.c
Tonitrui sonitus differt à cæteris, loco, magnitudine, terrores; sic Ioannis vox. ibidem.
Initium Euangelij Ioannis è cœlo delapsum, sonante tonitruo, 132.1.c

TORCVLAR.

Torcular dicitur altare holocaustorum, 77.1.c
Quod nam Christus torcular calcarit? 62.1.d

TRADVCERE.

Traducere quid significet, 383.1.e

TRIBVS.

De numero Tribuum Israël. 199.1.c
Regnum duarum Tribuum, ibid.c
Regnum decem Tribuum, ibid.d
Tribus Iuda præstantior cæteris, 181.1.b
Tribus Iuda regia, quia ad illam regnũ pertinebat, ibi.2.b
Ex Tribu Iuda ortus est Christus, 179.1.a. & seqq.
An Christus ortus sit ex tribu Leui? 182.1.a
Tribus Iuda ab exilio Babylonico reuocata; propter Christum ex ea oriturum, 17.1.d.
Tribus Iuda, post natum ex ea Christum, derelicta vagatur, ibid.2.a
Cur filij Ioseph duas Tribus constituerint, 181.1.e

TRIBVTVM.

Tributa soluebant Iudæi Persis, Græcis, & Romanis, 242. 1.b
An fuerit solutum tributum in descriptione Orbis? 393.2.c
Quod tributum fuerit solutum, ibid.d
Quod tributum indixerit Iudæis Vespasianus, 394.1.a
Tributum quod soluebant Iudæi, cum numerabantur, ibid. a.b
Tributum solutum Romanis, ibid.

TVRRIS.

Duæ turres Ierusalem; vna Ophel, altera Bachan, 416.1.d
Turris Christus. ibid
Turris abscondita Christus. ibid.b
Turris Gregis propinqua Bethlehem. ibid.
Propè turrem Gregis Iacob pauit pecora, & pastores. 415.1.b
Turris Gregis nebulosa apud Michæam, quæ sit? ibid.2.b
Turris Gregis dicitur templum. ibid.c
Nasus Ecclesiæ cur conferatur cum turri. 360.c.a
Turris dicitur templum. 416.1.a

TVRTVR.

De Turture. 481.1.c.482.1.b.c

TYRANNVS.

Tyranni exercent patientiam Ecclesiæ. 132.2.d e

V

VBERA.

VBera Ecclesiæ duo Testamenta, 66.2.d
Cur vbera Ecclesiæ similia botris, ibid.e
Vbera Ecclesiæ Sacramenta, ibid.

VELLVS.

Vellus Gedeonis Iudaicum adumbrat populum, 18.1.e

VENDERE.

Vendere se potuit homo, redimere non potuit, 368.2.b
Venditus Ioseph typus Christi, 102.2.a. cum seqq.

VERBVM.

Verbum profert, quidquid loquitur, 136.2.a
Verbum producit Deus, Angelus, homo, ibid.
Verbum duplex, ibid.
Verbum vocale in aërem diffluens non est Verbum Dei, ibid. c
Verbum Dei similitudinem habet aliquam cum verbo vocali? 137.1.b
Verbum Dei simile verbo mentali, ibid.e
Similitudines inter Verbum Dei, & verbum mentale hominis, 2.a b. cum seqq.
Dissimilitudines inter Verbum diuinum, & verbum mentale hominis, 138.1.b.c
Verbum diuinum est Patris imago, 137.2.d
Per Verbum omnia facta sunt, ibid.
Verbum mentis per vocem ostenditur: Verbum diuinum per humanitatem hominibus est demonstratum, ibid.
Verbum diuinum omnia repræsentat, 138.1.a
Verbum diuinum speculum, ibid.b
Verbum diuinum est omnipotens, & æternum, ibid.
Verbum vnum Deus producit, & semel loquitur nos multa, ibid.d
Verba nostra fluunt, Verbum diuinum est æternum, ibid. 2. a
Verba nostra sunt accidentia, Verbum diuinum substantia, ibid. 1.c
Verbum nostrum nihil operatur, Verbum diuinum operatur omnia; nostrum caret vita, diuinum est ipsa vita, ibid.
Verbum hominis non est filius, Verbum Dei est filius Dei, ibid.2.b
Dissimilitudines inter verbum vocale, & Verbum diuinum, ibid.c
Verbum diuinum quomodo dicatur prodiisse ex ore altissimi, ibid.d
Verbum diuinum ex corde Patris quomodo dicatur procedere, 139.1.b
Verbum diuinum cum verbo scripto confertur ab Augustino, 138.2.e
Verbum Dei, siue sapientia, dicitur vapor virtutis Dei, emendatio claritas illius, candor lucis æternæ, speculum sine macula, & imago Patris, 139.1.c.d
Verbum carne indutum, 178.1.c
Verbum dicitur splendor, & figura siue character substantiæ Patris, 139.1.d.e
De Verbo diuino, 145.1.c.d. cum seqq.
Verbi posteriora nunc videmus, faciem in Cœlo videbimus, 427.1.c
Verbum diuinum non assumpsisset humanam naturam, si homo non peccasset, 273.1.d.e
Verbum dicitur ex vtero Patris genitum, 139.1.e
Verbum diuinum producitur à Patre, vt germen, vt flos; vt fons, siue fluuius à fonte non profluens foras, sed in sinu Patris manens, 140.1.c.d
Verbo diuino Patris natura tanquam sigillo impressa, ibi.e
Generatio verbi ex D. Basilio, ibid.
Similitudines Verbi diuini ex Basilio, & Tertulliano, ibidem 2.a
Verbum Dei dicitur etiam ratio, 141.1.a
Verbum Dei dicitur definitio Patris à Nazianzeno, ibid.d
Verbum diuinum cur dicatur Patris sapientia, ibid.e
Verbum diuinum an fuerit notum Philosophis? ibid.2.b
De Verbo diuino quid Ethnici dixerint, ibid. cum seqq.
Verbi nomine quid intellexerint Philosophi, 142.2.b
Verbi processio ex Patre, 144.2.e
Verbum est Deus, 145.1.c.d
Verbi generationis similitudines, 146.2.c.d
Verbum veluti nutritius creaturarum, 148.1.a
Verbum diuinum an apparuerit antiquis Patribus, & legem dederit? 21.2.d.e

VERITAS.

Scientia Christi veritas dicitur quia nulli falsitati permixta erat, 172.1.a
Veritas quibus modis sumatur, ibid.2.c.d
Veritas, sapientia, & gratia verba ornant, 173.1.a
Veritate plenum Verbum Dei, sapientia, & gratia, ibid.
Veritas fundamentum iuramenti, in eo maximè requiritur, 438.2.d

VERMIS.

Confertur Christus cum vermiculo rubro, & cum bombycibus, 117.1.d
Cur Christus Psal. 21. vermem se appellet, ibid.b
Tenerrimus ligni vermiculus Dauid, & Christus, ibid.c

VESTIS.

Vestis Ioseph polymita, 102,2.a
Stola Christi quæ sit, 180.1.e
Vestes Christi milites diuiserunt, 118.1.e
Vestis Christi sanguine purpurata, Christum decorauit, 61.2.b.62.1.b
Christus formosus in veste, siue stola sua, 61.2.b
Vestis Christi odorifera, & aurea humanitas, 178.2.b
Vestes scutulatæ, 269.2.b
Vestes viduis reliquit Deipara, 292.2.e

VESTIBVLVM.

Bona domus in vestibulo debet agnosci, id est, bonus homo in modestia externa, 281.2.b

VEXILLVM.

Vexillum amoris extulit Deus in nouo Testamento, vexillum timoris in veteri, 11.1.e
Israëlitæ in deserto sub vexillis IV. castrametabantur, 36.1.d
In vexillis Israëlitarumque imagines fuisse dicantur, ibid.
Sub IV. vexillis, IV. Euangeliorum Ecclesia castrametatur, e
Vexillum virginitatis Deipara Virgo extulit, 345.1.a

VIA.

Via peccati non repetenda, 470.2.c
Extra angustam Christi viam lubricum est, 471.2.b
Via iustorum luci similis, quæ vsque ad perfectam diem crescit, ibidem.

VICTORIÆ.

Victoriæ Christi, & prælia, *Vide* prælia,

VIDVITAS, VIDVA,

Viduitas nuptijs secundis anteponenda, 484.1.c
Viduarum exemplar Anna prophetissa, 489.2.a

VINVM.

Quonam in vino Christus stolam suam lauerit? 180.1.e
Christi sanguis cur vinum dicatur à Prophetis? 61.2.d

VIRGA.

Virga Dei amygdelina fructus affert dulces, 213.2.d
Virga Dei vigilans, ibidem.
Virga furoris Dei Rex Assyriorum, ibid. 1.e
Virga decem Tribuum fuit Salmanasar; virga duarum Tribuum fuit Nabuchodonosor, ibid.
Ex virga Iesse vnus tantum flos ortus. 391.1.d
Virga Iesse nodum peccati non habuit, ibid.c

VIRGINITAS.

Virginitas Angelis cognata, & virtus Angelica, 331.2.d cum seqq
An Virgo Deipara prima fuerit quæ virginitatem seruauit, & voto confirmauit? 337.1.c.d
Virginum mater est Deipara Regina, & exemplar, ibid.d e
Virginitatem seruarunt Elias, Ieremias, Elisæus, Iosuë, Melchisedech, Daniel, tres Pueri. & Sibyllæ, ibid.2.c
Aliqui Esseni virginitatem seruauere, ibid.
Virgines templo deputatæ, ibid.d
Virginitas à nonnullis seruata in lege Veteri, ibid.
Virginibus in cœlo Maria Virgo occurrit, 285.2.a
Virginum speculum Virgo Maria, ibid.d
Virginum ornatus qualis, 284.2.e. cum seqq.
Virginis cuiusdam exemplum memorabile. 286.1.a
Fidei sinceritas dicitur virginitas, idololatria fornicatio, 65.1.c.d e
Ecclesia, Virgo parit, ibid.d
Virginitatem voto confirmatam Baptista seruauit, 376.2.e
Virginitatis speculum Baptista, ibid.c
De Virginitate Deiparæ. 342.2.e
Similitudines Virginitatis Deiparæ, 343.2.b
Ex Virgine cur Christus nasci voluerit? 344.1.e
Christus, & Deipara Virginitatis exemplaria, ibid.2.d
Virgines multæ Deiparæ vexillum sequuntur, 345.1.a
Virginitatis vexillum Deipara extulit, ibid.
Post Deiparam exercitus Virginum, ibid.
Incolumi virginitate Deipara Christum peperit, 411.2.c
Deipara fuit Virgo in partu; atque ita fieri oportebat, 412 1.a
Virginitas partus Christum Deum nasci ostendit, ibid.b
Virginitas in Natiuitate decebat Christum, ibid.c
Virginitatis voto se obstrinxit Deipara, 337.1.a
Virginitas fructus nuptiarum, 286.2.a

VIRTVS.

Virtutis iter cum festinatione agendum. 284.1.c
Virtutibus sit anima magna, Deumque magnificat. 355.2.a
Virtus facit hominem magnum, peccatum facit paruum. 379.2.c
Virtutes quatuor, quatuor paradisi flumina adumbrant. 467.1.a.cum seqq.
Virtute regem excellere oportet. ibid.
Virtute m teneram Dæmon conatur extinguere. 502.1.b
Virtus tenera à periculis arcenda. 303.1.c

VISIO.

Visitationes insolitæ turbant hominem. 318.2.c
Visio Angelica quomodo à diabolica discernatur. ibid.d.e
Visio magna Christus suffixus Cruci. 190.1.a

VISITATIO.

De Visione Deiparæ. 349 1.2.cum seqq.
Visitatio Christi & Deiparæ Virginis, domum omnibus bonis complent. 361.2.a b
Vide Visitatio Mariæ Virginis.

VITA.

Vita actiua, & contemplatiua. 307.1.a.b.484.1.a
Vita agens Martha, contemplatrix Maria. 307.1.d.e
Vita contemplatrix in cœlo manet, non agens. ibid.d
Vita agens Deiparæ. ibid.c
Vita iustorum ex aduersis rebus, & prosperis constat. 501.2.d.e
Vita contemplatrix Virginis, 277.1.d.cum seqq.
Vita hæc est cursus ad mortem, 260.2.e
Vitæ tempus exiguum, ibidem.
Vitæ initium,& finis considerandus, 261.1.c
De vitæ initio, & fine, ibidem.
Vitam cur vocarit Adamus vxorem suam, 97.2.c
Vitæ tempus breuissimum, gutta vitæ. 260.2.d
Vita degeneres animos argnit. 518.2.c

VMBRA.

Vmbra Noui,fuit Testamentum vetus. 11.2.b
Vmbra Lex non imago;& cur vmbra dicatur. ibid.c.cum seqq.
Vmbra indicat corpus, non tamen potest exequi officium corporis,similiter Lex. ibid.d
Vmbra protectionem significat, & obumbrare est defendere. 339.1.e
Quomodo virtus altissimi obumbrarit Virgini? ibid.a

VNGVENTVM.

Vnguenti duplex genus,sacrum, & vulgare; sacro pontifices vngebantur: vulgari,vel sacro, Reges. 430.1.c
An Dauid fuerit vnctus oleo sacro? ibid.d

VNCTVS.

Reges,& Pontifices vngebantur. ibid.c
Christus significat vnctum. ibid.&.2.a
Vncti sunt Christiani. ibid.2.c
Quo oleo vnctus sit Christus? ibid.
Vnctus est Dauid ter;similiter Christus. 431.1.b

VNIO.

Vnionis gratia,summa gratia. 172.2.a.b
Vnionis cur gratia dicatur. ibid.
Vnionis gratia gratis data humanitati Christi, ibid.

VOCATIO DEI.

Vocat nos Deus;vocantem protinus sequere. 468.1.d
Vocat nos Deus multis modis. ibid.e

VOLVNTAS.

Voluntas Dei facienda. 422.2.c
Voluntas est causa peccati. 154.2.b
A voluntate Adami peccatum originale emanauit. ibid.c.d
Ex voluntate bonum, & malum emanat. ibid.e
Cesset voluntas propria, & Infernus cessabit. ibid.
Filij sumus bonæ voluntaris Dei. 422.2.b
Velle bonum,& perficere dat Deus. ibid.e
Bona voluntas quid sit,& εὐδοκία. 418.1.c
Pax bonæ voluntatis Dei. 422.1.a
Pax hominum bonæ voluntatis, 423.1.a

VOTVM.

Vota diligenter sunt seruanda. 343.1.d
Vota nodi sunt plusquam Herculei, vel Gordij, ibid.e
Votum virginitatis Deipara nuncupauit, 337.1.a
Voto virginitatis se obstrinxerût Deipara,& Ioseph. 290.1.b.c
Votum virginitatis quomodo cum matrimonio consistat. 288.1.c
Votum habuit virginitatis Baptista. 376.1.e
Votum virginitatis nuncupauit Deipara in vtero matris. 292.2.b.c
Vota tria religiosa opprobrium Ægypti auferunt, 440.1.b

VOX.

Vox Mosis gracilis, vox Apostolorum canora toto orbe audita 18.1.d.cum seqq.
Vox erat totus Ioannes, pœnitentiam inclamans. 378.1.d
Vox Ioannis etiam nunc clamat : *Parate viam Domino*, 379.1.b

VRIAS.

Vriæ militis factum. 427.2.c.cum seqq.

VTERVS.

Ex vtero genitus cur dicatur filius Dei? 70.1.c
Vterus intellectus. ibid.c
Vtero similis fuit lex Mosis,suscepit Iudæos vt pareret Christum,neque perfecit. 80.1.b
Ex vtero genitus Filius Dei, 159.1.e
An dicantur homines generare ex vtero in sacris litteris? ibid.2.a
Vterum Hebræi tribus nominibus significant. ibid.b
Generatio verbi ex vtero, ibid.1.e

VVLNERA CHRISTI.

De rutilantibus Christi vulneribus. 61.2.c

VXOR.

Vxores Iacob duæ, Lia & Rachel, duorum populorũ vmbra sunt. 101.2.d.e
Vxorem vnam tantummodo habuit Isaac. Cur aliam non acceperit. 190.1.c.cum.seqq.
Vxor Iezabel fax mariti. 229.2.d
Vxorem ducere Rahab,an licuerit Booz. 191.2.b
Vxor bona datur pro factis bonis. 291.1.e

X

XERXES.

XErxes Persarum Rex, ciusque gesta. 241.1.c.d

Z

ZACHARIAS.

ZAcharias occisus inter templum & altare. 204.1.d cum seqq.
Zachariæ sanguis instar ollæ ebulliens. ibid.
Zacharias Rex Israël sex mensium. 231.1.b
Zacharias Pater Baptistæ. 317.2.b

ZELVS.

Zelus Dei erga animam, quæ amorem suum in res caducas confert? 162.1.c
Zelus Dei ex amore proficiscitur. ibid.c.d
Zelotypia ex dilectione oritur. 66.1.a
Zelo ardent boni concionatores, & pastores. ibid.b
Zelus Dei qualis. ibid.

ZOROBABEL.

Zorobabel dux ex familia Dauid, post captiuitatem templum cœpit ædificare. 236.2.a.b
Zorobabel filius Salathiel. 220.1.d
Zorobabel Lucæ diuersus est à Zorobabele Matthæi. 253.1.a

INDEX LOCORVM
SACRÆ SCRIPTVRÆ.

EX GENESI.

CAP. 1. Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valdè bona. 136.1.e.151.2.e
Dixit, fiat lux, & facta est lux. 147. 1. c. 517.2.b
Tenebræ erant super faciem abyssi. 269. 2. d
Terra erat inanis & vacua. 271.2.e
Congregationes aquarum appellauit maria. 274.2.a
Fiant luminaria in firmamento cæli, & sint in signa. 464. b
2. Fluuius egrediebatur de loco voluptatis, &c. 35.2.d
Faciamus homini adiutorium simile sibi. 290.2.c
Formauit Deus hominem de limo terræ, & inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ. 20.2.a.343.2.c
Vocabitur virago, quoniam de viro sumpta est. 64.2.d
Erunt duo in carne vna. 430.1.c
3. Vocauit Adam nomen vxoris suæ Heua, &c. 64.2.d
Inimicitias ponam inter te, & mulierem, & semen tuum, & semen illius, &c. 97.1.c
Spinas & tribulos germinabit tibi. 343.1.a
Eritis sicut Dij. 427.2.d
Vidit quod bonum esset lignum ad vescendũ, & pulchrum oculis, aspectuque delectabile. 363.1.e
In dolore paries filios tuos. 403.1.e
4. Vagus & profugus eris super terram. 17.2.a
Respexit Dominus ad Abel, & ad munera eius: ad Cain verò non respexit. 92.2.d.e.283.2.d.355.2.d.485.2.c.
Posuit mihi Deus semen aliud pro Abel, &c. 249.2.c
Hic cœpit inuocare nomen Domini. ibid.
Ecce eiicis me hodie à facie terrę, omnis qui inuenerit me, occidet me, &c. 348.2.e
5. Iste consolabitur nos ab operibus manuum nostrarum, in terra, cui maledixit Dominus. 99.1.a
Hic est liber generationis Adam. 186.1.b
Arphaxad genuit Cainan. 250.1.b
6. Isti sunt potentes à sæculo, &c. 75.2.e
Videntes filij Dei filias hominum, quod essent pulchræ, &c. 293.2.b
Non permanebit spiritus meus in homine. 294.1.a
8. Odoratus est Dominus odorem suauitatis, nequaquam vltra maledicam terræ. 436.1.c
9. Apparebit arcus meus in nubibus, & recordabor fœderis mei vobiscum. 435.1.d
Arcum meum ponam in nubibus, & erit signum fœderis, &c. 2.2.e
Noe inuenit gratiam coram Domino. 335.2.e
11. Venite, descendamus, & confundamus linguam eorum. 408.2.b
12. In te benedicentur vniuersæ cognationes terræ, &c. 99.2.c.187.1.e.2.a
Septuaginta quinque annorum erat Abraham cum egrederetur de Haran. 395.1.e
13. Erit fœdus meum in carne vestra in fœdus æternum. 75.2.b
Ne quæso sit iurgium inter me & te; & inter pastores meos, & pastores tuos, &c. 497.1.d
15. Qui egredietur de vtero tuo, ipsum habebis hæredem, 139.2.a
Generatione quarta reuertentur huc. 186.1.d
Suspice cælum, & numera stellas, si potes: sic erit semen tuum, &c. 188 1.a
Subiicient eos seruituti, & affligent 400. annis. 223.2.d
Credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad iustitiam. 254.2.c
16. Agar concepisse se videns despexit dominam suam. 391.1.e
17. Ponam fœdus meum inter me & te, &c. 441.2.c
Putas ne centenario nascetur filius? 189.2.b
Eris pater multarum gentium, nec vltra vocabitur nomen tuum Abraham, &c. 188.2.d
Circumcidetur ex vobis omne masculinum, & circumcidetis carnem præputij vestri. 434.1.e
18. Numquid Deo quidquam est difficile? 340.1.e
Festinauit Abraham in tabernaculum ad Saram, dixitque Accelera tria sata similę, &c. 360.2.c
Apparuit ei Dominus sedenti in ostio tabernaculi, in ipso feruore diei. 268.1.b
Loquar ad Dominum, cum sim puluis & cinis. 152.1.e
19. In monte saluum te fac. 359.2.e
Salua animam tuam, noli respicere post tergum, nec stes in omni circa regione. 502.1.b
21. In Isaac vocabitur tibi semen. 189.1.e.259.1.d
Visitauit Dominus Saram, sicut promiserat, &c. 189.2.b
Risum fecit mihi Deus, quicumque audierit corridebit mihi. ibid.365.2.c
Quis auditurus crederet quod Sara lactaret filium? 189.2.d
22. Tolle filium tuum vnigenitum, quem diligis Isaac, & vade, &c. ibid.e
Ecce ignis & ligna, vbi est victima holocausti? Deus prouidebit sibi victimam, &c. 71.2.d
Per memetipsum iuraui, dicit Dominus quia fecisti hanc rem, &c. benedicam tibi, & multiplicabo semen tuum, &c. 50.1.b.99.2.d.187.2.a.188.1.c
Benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ. 334.2.c
Per memetipsum iuraui, &c. 369.2.c
23. Abraham duplicem emit speluncam. 523.1.c
24. Descendit de camelo Rebecca conspecto Isaac. 467. 2.b
24. Accepit eam vxorem, & in tantũ dilexit eam, vt dolorem, qui ex morte matris eius acciderat, temperaret. 64.2.d
Protulit vir inaures aureas & armillas, &c. 65.2.c
Non comedam donec loquar sermones meos. 66.1.c
25. Vir erat simplex, & habitabat in tabernaculis, &c. 190. 1.d
Deprecatus est Isaac Dominum pro vxore sua, &c. 267.2.d
27. Det tibi Deus de rore cæli, & de pinguedine terræ, &c. 334.1.d
Parauit Rebecca cibos sicut velle nouerat patrem. 387.2.a
28. Domus Dei, & porta cæli. 327.1.a
Vidit Dominum innixum scalæ. 347.1.b
Vidit in somnis scalam stantem super terram, &c. 101.1.a
Terram in qua dormis tibi dabo. ibid.c
Benedicentur in te, & in semine tuo cunctæ tribus terræ. ibid.b.
29. Videbantur illi pauci dies præ amoris magnitudine. 64.2.c
Rachel decora facie. 294.1.d
31. Die noctuque æstu vrebar, fugiebatque somnus ab oculis meis. 64.2.e
Ego sum Deus Bethel, vbi vnxisti lapidem, & votum vouisti mihi. 22.2.b
32. In baculo meo transiui Iordanem istum, & nunc cum duabus turmis regredior. 61.2.a.101.2.b
Nequaquam Iacob appellabitur nomen tuum, sed Israel. 190.2.d
Dimitte me, iam enim ascendit aurora. 100.2.c
Ecce vir luctabatur cum eo. ibid.d.446.1.d
Tetigit neruum femoris Iacob, &c. 222.2.d
Iacob fuere obuiam Angeli Dei quos cum vidisset, ait, castra Dei sunt hæc. 417.2.c
35. Abiicite Deos alienos, qui in medio vestri sunt, & mundamini, &c. 101.2.e
Iacob fixit tabernaculum trans turrim gregis. 415 1.b
37. Fratres meos quæro. 102.2.b
Descendam lugens in infernum 8.1.d
Vestis Ioseph polymita. 501.2.d
39. Quomodo possum hoc malum facere, & peccare in dominum meum? 156.1.a
Ioseph inuenit gratiam coram Domino suo. 335.2.e
41. Vaccæ macilentæ pingues deuorarunt. 365.1.e
Omnes prouinciæ veniebant in Ægyptum, vt emerent escas, & malum inopiæ temperarent. 408.1.b
Deus respondebit prospera Pharaoni. 418.2.e
Tanta fuit abundantia tritici, vt arenæ maris cœquaretur, & copia mensuram excederet. 448.2.d
46. Iam lætus moriar, quia vidi faciem tuam, & superstitem te relinquo. 476.2.d
47. Dies peregrinationis vitæ meæ centum triginta annorum sunt parui & mali, &c. 57.1.b
In vniuersa terra Ægypti Regibus quinta pars soluitur, & factum est quasi in legem, absque terra sacerdotali. 271. 1.a
49. Lauabit in vino stolam suam, & in sanguine vuæ pallium suum. 61.2.d.436.1.a.448.2.e
Salutare tuum expectabo Domine. 70.2.e.443.2.e
Non auferetur sceptrum de Iuda, & dux de femore eius, donec

donec veniat, &c. 17.2.d.83.1.b
Iuda te laudabunt fratres tui, manus tuæ in ceruicibus inimicorum tuorum, &c. 179.1.a
Effusus es sicut aqua, non crescas; quia ascendisti cubile patris tui, &c. 181.2.b
Catulus leonis Iuda. 36.1.d
Fiat Dan coluber in via, cerastes in semita, &c. ibid.e
Congregamini vt annuntiem quæ ventura sunt vobis in diebus nouissimis. 41.1.c
Benedictiones patris tui confortatæ sunt benedictionibus patrum eius. 334.1.c
Omnipotens benedicet tibi benedictionibus cæli desuper, benedictionibus abyssi iacentis deorsum, benedictionibus vberum & vuluæ. 334.2.b

EX EXODO.

CAP. 1. Erant omnes animæ eorum, qui egressi sunt de femore Iacob, &c. 189.1.c
2. Quicquid masculini sexus natum fuerit, in flumen proiicite. 502.2.b
Ecce constitui te Deum Pharaonis. 72.2.a
Vocauit nomen eius Moyses, dicens: Quia de aqua tuli eum. 375.1.a
Videns elegantem Mosem abscondit mater. 391.2.a
Quia de aqua tuli eum. 446.1.c
Sumpsit fiscellam scirpeam, & liniuit eam bitumine ac pice, posuitque intus infantulum, & exposuit eum in carecto ripæ fluminis. 413.1.b
3. Videbat quod rubus arderet, & non combureretur. 343.2.d
Dixi vt educam vos ad terram fluentem lacte & melle. 9.1.a
Vidi afflictionem populi mei, & sciens dolorem eius descendi, &c. 103.1.e
Vadam, & videbo visionem hanc magnam. 114.1.a. 304.2.a.426.2.e
Ego sum qui sum. 135.2.a
Apparuit ei Dominus in flamma ignis de medio rubi, &c. 190.1.a
Ne appropies huc, solue calceamentum de pedibus tuis, &c. 290.1.d
4. Proiecit, & versa est in colubrum ita vt fugeret Moyses, &c. 103.1.c.129.2.e
Sponsus sanguinum tu mihi es. 64.2.e
Tulit Sephora acutissimam petram, & circumcidit præputium filij sui. 429.2.c
7. Constitui te Deum Pharaonis. 520.2.d
10. Factæ sunt tenebræ horribiles in vniuersa terra Ægypti, &c. 163.1.b
12. Celebrabitis eam solemnem cultu sempiterno. 75.2.b
Os non comminuetis ex eo. 117.2.d.493.2.d
Mensis iste vobis principium mensium. Primus erit in mensibus anni. 328.2.c
Vrgebant Ægyptij populum de terra exire velociter. 482.2.c
Edent carnes nocte illa assas igni, & azymos panes cum lactucis agrestibus. 513.1.d
13. Sanctifica mihi omne primogenitum, quod aperit vuluam in filiis Israel. 572.1.e
Non eos duxit Dominus per viam terræ Philistiim, quæ vicina est, reputans ne fortè perimeret eum, &c. 503.1.e
Occidit Dominus omne primogenitum in terra Ægypti. Idcirco immolo Domino omne quod aperit vuluam masculini sexus. Et omnia primogenita filiorum meorum redimo. ibid.
Cum emisisset Pharao populum, non eos duxit Dominus per terram Philisthiim, &c. 492.1.a
14. Ægyptios quos nunc videtis, nequaquam vltra videbitis, &c. 442.1.a
Nec vnus quidem superfuit ex eis. 515.2.d
15. Egressæ sunt omnes mulieres post eam, cum tympanis & choris; quibus præcinebat, &c. 285.2.a
Filij Israel ambulauerunt per siccum in medio eius. ibid.b
16. Apparuit in solitudine minutum. 409.2.d
Ignorabant quid esset. 410.1.b
Colligebant manè singuli quantum sufficere poterat ad vescendum: eumque incaluisset sol, liquefiebat. 469.1.a
19. Cœperunt audiri tonitrua, ac micare fulgura, &c. 121.2.d
20. Loquere tu nobis & audiemus: non loquatur nobis Dominus, &c. 11.1.a.79.1.b
Honora patrem tuum & matrem tuam, vt sis longæuus super terram. 521.1.e
Vt probaret vos venit Deus, & vt terror illius esset in vobis, & non peccaretis. 11.1.b
21. Perforabit aurem eius subula, & erit ei seruus in sæculum. 522.1.d
23. Non apparebis in conspectu meo vacuus. 470.2.a. 506.2.a
Non coques hœdum in lacte matris suæ. 499.2.e
Ter in anno apparebit omne masculinũ tuum coram Deo tuo. 506.1.b
24. Hic sanguis fœderis, quod pepigit Dominus vobiscum. 2.2.b
25. Expandentes alas, & operientes oraculum, respiciantque se inuicem. 164.2.b.277.1.c
Facies & velum de hyacintho, & purpura, coccoque bis tincto, & byssо retorta, opere plumario, & pulchra varietate contextum. 389.2.a
26. Facies velum de hyacintho, & purpura, coccoque bis tincto, & byssо retorta, opere plumario, &c. 178.1.e
28. Rationale quoque iudicij facies. 36.2.d
Sanctum Domino. 357.2.a
30. Sume tibi aromata primæ myrrhę & electæ 500. siclos, &c. faciesque vnctionis oleum sanctum. 430.1.c.d
31. Custodiant filij Israel sabbatum, &c. 75.2.b
32. Iratus Moses valdè proiecit de manu tabulas, & confregit eas ad radicem montis. 80.2.e
Fac nobis Deos, qui nos præcedant; Moysi enim viro huic, &c. ignoramus quid acciderit. 57.2.b
Dimitte illis hanc noxam, aut dele me de libro vitæ. 489.1.a
33. Noui te ex nomine, & inuenisti gratiam coram me. 375.1.a.441.2.e
Ponam te in foramine petræ, & videbis posteriora mea. 427.1.b
34. Ignorabat quod cornuta esset facies sua. 292.1.a
Cùm tulero gentes à facie tua, & dilatauero terminos tuos, nullus insidiabitur terræ tuæ, ascendente te, & apparente in conspectu Domini Dei tui, ter in anno. 506.1.c
37. Fecit Beseleel arcam. 269.2.b
38. Fecit labrum de speculis mulierum, quæ excubabant in ostio tabernaculi. 283.1.b.284.2.c

EX LEVITICO.

5. Emi potest duobus siclis iuxta pondus sanctuarij. 268.2.c
6. Ignis in altari semper ardebit. 279.1.b
7. Pectusculum erit Aaron, & filiorum eius; armus quoque dexter, &c. 521.2.e
11. Omne quod ruminat, &c. comedetis. 150.1.e
12. Mulier si suscepto semine pepererit masculum, immunda erit, &c. 472.1.a
15. Mulier, quæ redeunte mense patitur fluxum sanguinis, septem diebus separabitur. ibid.c
23. Præceptum est sempiternum in generationibus. 75.2.b
Decimo die mensis septimi dies expiationum erit, affligetis animas vestras in eo, &c. 513.1.d
26. Corripiam vos septem plagis, &c. 219.1.c
Vetera, nouis superuenientibus, proiicietis. 79.2.a
27. Dabit quinquaginta siclos ad mensuram sanctuarij. 268.2.c
Omnis æstimatio siclo sanctuarij ponderabitur. ibid.d

EX NVMERIS.

CAP. 3. Radant Leuitæ omnes pilos carnis suæ. 470.1.c
Meum est omne primogenitum, ex quo percussi primogenitos in terra Ægypti; sanctificaui mihi quicquid primum nascitur, &c. 472.2.a
6. Vir siue mulier cum fecerint votum vt sanctificentur, & se voluerint Domino consecrare, à vino & omni quod inebriare potest, abstinebunt, &c. 320.2.c
Quicquid ex vinea esse potest, ab vua passa vsque ad acinum, non comedent. 498.2.d.502.1.a
12. In omni domo mea fidelissimus est, ore enim ad os loquor ei, &c. 104.2.d
Num per solum Mosen locutus est Dominus? &c. 233.2.a
17. Inuenit germinasse virgam Aaron. 344.1.a
18. Quicquid primum erumpit è vulua cunctæ carnis, quam offerunt Domino; tui iuris erit, &c. 472.2.b
19. Qui tetigerit cadauer, & præter hoc fuerit immundus septem diebus, &c. 7.1.c
21. Via regia gradiemur, donec transeamus terminos vestros. 390.2.c
Fac serpentem & pone eum pro signo, qui percussus aspexerit eum, viuet. 478.1.a
23. Cuius fortitudo similis est Rhinocerotis. 487.2.a
De Aram, adduxit me Balac, de montibus Orientis. 453.1.b
25. Ecce do ei pacem fœderis mei, & erit tam ipsi, quàm semini eius, &c. 75.2.c
Fornicatus est populus cum filiabus Moab, &c. 255.1.a
24. Orietur stella ex Iacob, & consurget virga de Israel. 454.1.a

Videbo eum, ſed non modo intuebor illum, ſed non propè. Orietur ſtella ex Iacob, & non conſurget virga de Iſrael. Et percutiet duces Moab, vaſtabitque omnes filios Seth, & erit Idumæa poſſeſſio eius, hæreditas Seir cedet inimicis ſuis. Iſrael verò fortiter aget. De Iacob erit, qui dominetur, & perdat reliquias cruitatis. ib.2.a
35. Exules & profugi ante mortem pontificis, nullo modo in vrbes ſuas reuerti poterunt. 8.1.c
36. Omnis filia hæreditatem obtinens, de tribubus filiorum Iſrael, vni de familia tribus patris, ſui erit in vxorem. 253.2 d

EX DEVTERONOMIO.

CAP. 4. Hæc eſt veſtra ſapientia, & intellectus coram populis, vt audientes, &c. 17.2.d
Cum quæſieris Dominum Deum tuum, inuenies eum, ſi tamen toto corde quæſieris, & tota tribulatione animæ tuæ. 516.2.c
5. Hæc verba locutus eſt Dominus in monte de medio ignis, & nubis, & caliginis, &c. 79.1.b
Acceſſerunt ad Moſem omnes principes tribuum, & maiores natu, & dixerunt: Ecce oſtendit nobis Dominus maieſtatem, &c. 104.1.e
Memento quòd eduxerit te inde Dominus Deus tuus, in manu forti, & brachio extento. 437.1.a
7. Non inibis cum eis fœdus, nec miſereberis earum, &c. 191.2.a
10. Circumcidite præputium cordis veſtri. 437.2.a
12. Sanguinem hoſtiarum, fundes in altari meo. 77.1.c
15. Seruiet tibi vſque in æternum. 75.2.d
Et omnino indigens & mendicus non erit inter vos. 510.2.a
16. Tribus vicibus per annum apparebit omne maſculinum tuum in conſpectu Domini, &c. 506.1.b
Septem diebus comedes abſque fermento afflictionis panem. 513.1.d
17. Non erit apud te ſterilis, &c. 337.2.a
18. Prophetam de gente tua, & de fratribus tuis ſicut me, ſuſcitabit tibi Dominus Deus tuus, ipſum audies, &c. 81.1.c
21. Dabitque ei de his, quæ habuerit, cuncta duplicia. 181.1.d
22. Si ambulans per viam in arbore, vel in terra, nidũ auis inueneris, & matrem pullis, vel ouis, deſuper incubantem, non tenebis eam cum filiis, ſed abire patieris, captos tenens filios, &c. 437.1.c
23. Conduxerunt contra te Balaam filium Beor, de Meſopotamia Syriæ. 453.1.b
24. Si acceperit homo vxorem, & habuerit eam, & inuenerit gratiam ante oculos eius, &c. 53.2.e.383.2.c
25. Quando habitauerint fratres ſimul, & vnus ex illis abſque liberis mortuus fuerit, &c. 190.2.e
27. Ædificabis ibi altare Domino Deo tuo de lapidibus, quos ferrum non tetigerit. 301.1.e
28. Erit vita tua quaſi pendens te, timebis nocte & die, & non credes vitæ tuæ. 40.2.b
30. Circumcidet Dominus Deus tuus cor tuum, &c. 437.2.a
Mandatum hoc, quod ego præcipio tibi hodie, non ſupra te eſt, neque procul poſitum, neque in cælo ſitum, &c. 516.2.e
31. Occurrent vobis mala in extremo tempore, quando feceritis malum, &c. 41.1.c
32. Sicut aquila prouocans ad volandum pullos ſuos, & ſuper eos volitans, &c. 104.1.a
Dei perfecta ſunt opera. 136.1.a
Vtinam ſaperent, & intelligerent, & nouiſſima prouiderent. 150.2.a
Quando diuidebat altiſſimus gentes, quando ſeparabat filios Adam, &c. 51.2.a
Incraſſatus eſt dilectus, & recalcitrauit, &c. 56.2.d
Prouocauerunt eum filij ſui & filiæ. 10.1.e
33. Quaſi primogeniti tauri pulchritudo eius. 36.1.e
Dominus de Sinai venit, & de Seir ortus eſt nobis, &c. 22.2.d
34 Mortuus eſt Moyſes, &c. Et non cognouit homo ſepulchrum eius. 16.2.d.79.1.c

EX IOSVE.

CAP. 2. Noui quoniam Deus veſter in cælo ſurſum, & in terra deorſum, &c. 183.2.d
Ad montana conſcendite: ne fortè occurrant vobis reuertentes. 359.2.c
5. Diſſolutum eſt cor eorum, & non remanſit in eis ſpiritus. 117.2.c
Fac tibi cultros lapideos, & circumcide ſecundò filios Iſrael. 429 2.d
6. Sola Rahab meretrix viuat cum vniuerſis, qui cum ea in domo ſunt. 183.2.d
7. Pertimuit cor populi, & ad inſtar aquæ liquefactum eſt. 117.2.c
11. Equos eorum ſubneruabis, & currus igne combures. 411.1.b
17. Dominus præcepit per manum Moyſi. 194.2.c

EX LIBRO IVDICVM.

CAP. 1. Iudas aſcendet, ecce tradidi terram in manu eius. 181.1.a
3. Fecerunt filij Iſrael malum in conſpectu Domini, iratuſque contra Iſrael Dominus, tradidit eos in manus Chuſan, &c. 120.2.a
4. Tradidit illos Dominus in manus Iabin regis Chanaan, &c. ibid.
Poſuit ſupra tempus capitis eius clauum, percuſſumque malleo defixit in cerebrum, vſque ad terram. 284.1.d
5. Benedicta inter mulieres Iahel, &c. 334.1.c
6. Tradidit illos in manus Madian ſeptem annis, &c. 120.2.b
Si ſaluum facies per manum meam Iſrael, ponam hoc vellus lanæ in area: ſi ros in ſolo vellere fuerit, & in omni terra ſiccitas, &c. 60 2.e. 343.2.e
8. Non dominabor veſtri, &c. Sed dominabitur vobis Dominus. 225.2.c
11. Plangam virginitatem meam cum ſodalibus meis. 337.2.b
13. Vir Dei venit ad me habens vultum angelicum, terribilis nimis. 335.1.e
Erit puer Nazaræus Dei ab infantia ſua, & ex vtero matris ſuæ, vſque ad diem mortis ſuæ. 499.2.d
14. Ecce examen apum in ore leonis erat, ac fauus mellis, &c. 273.2.c.504.2.a
17. Quem cum apprehendiſſent, ſtatim eruerunt oculos eius. 255.1.b
20. Iudas ſit dux veſter. 181.1.b
21. Iurauerunt filij Iſrael in Maſpha, & dixerunt: Nullus noſtrum dabit filiis Beniamin de filiabus ſuis vxorem, &c. 253.2.c

EX LIB. RVTH.

CAP. 3. Priorem miſericordiam poſteriore ſuperaſti. 308.1.c
4. Teſtes eſtis, quod ego Ruth vxorem Mahalon in coniugium ſumſerim, vt ſuſcitem nomen defuncti in hæreditate ſua. 252.1.a

EX LIB. I. REGVM.

1. Vt maneat ibi iugiter. 75.2.e
2. Mulieres obſeruabant ad oſtium tabernaculi. 283.1.b
Filij Heli filij Belial neſcientes Dominum, &c. 325.1.d
Veniebat puer ſacerdotis, & habebat fuſcinulam tridentem in manu ſua, & mittebat eam in lebetem, &c. ibid.
3. Ecce ego, vocaſti enim me. 520.2.c
4. Afferamus ad nos de Silo arcam fœderis Domini, & veniat in medium noſtri. 48.2.d
Tranſlata eſt gloria ab Iſrael, eo quod capta eſt arca Dei. 78.1.e
5. Tulerunt Philiſthiim arcam Dei, & intulerunt eam in templum Dagon. 364.2.e
Ecce Dagon iacebat pronus in terra ante arcam Dei. ibid.
9. Ab humero, & ſurſum eminebat. 466.2.a
Non erat vir de filiis Iſrael melior illo. ibid.
10. Obuium habebis gregem Prophetarum deſcendentium de excelſo. 234.2.a
Filij Belial deſpexerunt eum, & non attulerunt ei munera. 458.1.c.
Certè videtis, quem elegit Dominus, quoniam non ſit ſimilis illi in omni populo. 466.2.a
13. Filius vnius anni erat Saul cum regnare cœpiſſet, & duobus annis regnauit, &c. 198.2.b
14. Ionathas extendit ſummitatem virgæ & intinxit in fauum mellis. item, morte morieris Ionatha. 273.2.c
16. Dauid cithara ſonante ſpiritum malum à Saule expulit. 361.2.c
17. Non vales reſiſtere Philiſthæo iſti, nec pugnare aduerſus eum, quia puer es. 198.2.e
Ditabit eum rex diuitiis magnis, & filiam ſuam dabit ei. 253.2.b
18. Non habet rex ſpolia neceſſè. 65.1.b
Dilexit eum quaſi animam ſuam. 478.1.d
19. Cum vidiſſent cuneum Prophetarum vaticinantium, & Samuelem

Samuelem ſtantem ſuper eos,&c. 234.2.a
Ecce in Naioth ſunt, in Ramatha. ibid.e
22. Dauid pergens ad imperium tuum. 114.1.a
Miſit rex Saul ad accerſendum Achimelech ſacerdotem filium Achitob, & omnem domũ patris eius ſacerdotum, qui erant in Nobe,qui vniuerſi venerunt ad regem. 231.2.c
24. Canem mortuum perſequeris,& pulicẽ vnum. 152.1.e
25. Adorauit prona in terram, & dixit; ecce famula tua, ſit in ancillam, vt lauet pedes ſeruorum Domini mei. 346.1.e

EX LIB. II. REGVM.

CAP. 1. Quod eſt verbum, quod factum eſt,indica mihi. 340.1.e
4. Eum, qui annuntiauerat mihi, & dixerat, mortuus eſt Saul,&c. Tenui & occidi eum,&c. 26.2.d
5. Habitauit Dauid in arce, & vocauit eam ciuitatem Dauid. 247.2.402.a.1.b
6. Saltabat totis viribus ante Dominum. 262 1.e
Habitauit arca Domini in domo Obed Edom tribus menſibus,& benedixit Obed Edom,& omnem domum eius. 361.2.a
Nuntiatum eſt regi Dauid quod benedixiſſet Dominus Obed Edom,& omnia eius propter arcam Dei. Abiit ergo Dauid,& adduxit arcam Dei,&c. 364.2.c
7. Iſrael non turbabitur amplius. 43.2.e
Ipſe ædificabit domum nomini meo,& ſtabiliam thronum regni eius. 44.1.b.58.1.a
Ego ero illi in patrem, & ipſe erit mihi in filium. 70.2.a
Suſcitabo ſemen tuum poſt te, quod egredietur de vtero tuo. 139.2.a.184.1.d
Quis ego ſum Domine Deus,& quæ domus mea, quia adduxiſti me huc vſque? 184.1.d
Si iniquè aliquid egerit, arguam eum in virga virorum,& in plagis filiorum hominum,miſericordiam autem meam non auferam ab eo,ſicut abſtuli à Saul,&c. 194.2.e.195.2.a.196.2.b
10. Raſit dimidiam partem barbæ eorum, &c. Erant viri confuſi turpiter valdè. 324.2.a
11. Arca Dei, & Iſrael, & Iuda habitant in papilionibus, &c. Et ego ingrediar domum meam?&c. 427.2.c
12. Vocauit nomen eius Salomon. 194.2.a
Cum peregrinus quidam veniſſet ad diuitem, parcens ille ſumere de ouibus,&c. ibid.1.a.470.2.d
14. Quærunt extinguere ſcintillam meam. 211.1.b
15. Heri veniſti, & hodie compelleris nobiſcum egredi? 260.2.d
16. Ecce filius meus qui egreſſus eſt de vtero meo,quærit animam meam. 139.2.a
Dominus præcepit ei,vt malediceret Dauid,&c. 157.1.b
Conſilium Achitophel, quod dabat in diebus illis, quaſi ſi quis conſuleret Deum,&c. 467.2.d
17. Videns quod non fuiſſet factum conſilium ſuum,&c. Diſpoſita domo ſua,ſuſpendio interiit. ibid.e
18. Non erit vir Beſorah in die hac. 26.2.d
Non eris boni nuntij baiulus. ibid.e
Seruate mihi puerum Abſalon. 199.1.a
Eſtne pax puero Abſalon? 418.2.d
20. Tenuit Ioab manu dextera mentum Amaſæ,quaſi oſculans eum. Porro Amaſa non obſeruauit,&c. 464.1.e
21. Facta eſt fames in diebus Dauid tribus annis iugiter, &c. 71.2.e
23. Fecit eum ſibi Dauid auricularium à ſecreto. 114.1.a
Ipſe eſt quaſi tenerrimus ligni vermiculus. 117.1.c
Hæc ſunt verba nouiſsima, quæ dixit Dauid,&c. Spiritus Domini locutus eſt per me,&c. 184.2.c
O ſi quis mihi daret potum aquæ de ciſterna, quæ eſt in Bethlehem. 413.2.c
Irruperunt tres fortes caſtra Philiſtinorum, & hauſerunt aquam de ciſterna Bethlehem. 462.1.a
Venerant ad Dauid in ſpeluncam Odollam ibid.
At ille noluit bibere. 464.1.d

EX LIB. III. REGVM.

CAP. 2. Petitionem vnam precor à te, ne confundas faciem meam. 308.1.d
3. Ego ſum puer paruulus, & ignorans egreſſum, & introitum meum. 198.1.d
4. Habebat Salomon pacem in circuitu. 43.1.a
Habitabat Iuda & Iſrael abſque timore vllo, vnuſquiſque ſub vite ſua,& ſub ficu ſua. 407.1.c
6. Pauimentum domus texit Salomon auro intrinſecus, & extrinſecus,&c. 88.1.e
Domus cùm ædificaretur, de lapidibus dolatis,atque perfectis ædificata eſt. 46.1.c
Malleus & ſecuris,& omne ferramentum, non ſunt audita in domo Domini cùm ædificaretur. 301.2.a
Per cochleam aſcendebant in medium cænaculum templi. 489 1.b
7. Propter multitudinem nimiam non erat pondus æris. 89.1.b
Et ſuper capita columnarum opus in modum lilij poſuit. 259.1.b
8. Nebula impleuit domum. 88.1.c.264.2.b
Dominus dixit,vt habitaret in nebula. 164.1 d.327.1.a
Intulerunt ſacerdotes arcam fœderis Domini in locum ſuum, in oraculum templi, in Sanctum Sanctorum, ſubter alas Cherubim. 306.2.d
10. Non eſt factum tale opus in vniuerſis regnis. 58.2.c 264.2.a
Magnificatus eſt Rex Salomon ſuper omnes reges terræ, &c. 46.2.d
Regina Saba videns ſapientiam Salomonis, non habebat vltra ſpiritum. 44.1.a.46.2.e
Claſsis Hiram attulit ex Ophir ligna thyina multa nimis,& gemmas pretioſas. 201.1.c
Claſsis Salomonis per mare cum claſſe Hiram ſemel per tres annos ibat in Tharſis,deferens inde aurum. 205.2.b
Regina Saba ingreſſa Ieruſalem,multo cum comitatu & diuitiis,&c. 305.1.a
Duodecim leunculi ſtantes ſuper ſex gradus hinc atque inde. 349.2.a
11. Cùm iam eſſet ſenex Salomon,deprauatum eſt cor eius, &c. 198.1.c.254.2.c
Scindam regnum tuum, & dabo illud ſeruo tuo, verumtamen in diebus tuis non faciam, propter Dauid patrem tuum,&c. 199.1.d
Ecce ego ſcindam regnum de manu Salomonis, &c. 210.2.e.227.2.a
Apprehendens Ahias, pallium ſuum nouum, quo coopertus erat,ſcidit in XII. partes,&c. 227.2.a
12. Fecit duos vitulos aureos. Poſuit vnum in Bethel, & alterum in Dan. 465.2.c
14. Ecce ego inducam mala ſuper domum Ieroboam, & percutiam de Ieroboam mingentem ad parietem, &c. 228.2.a
15. Cor Aſa perfectum erat cum Domino cunctis diebus ſuis. 200.1.c
Propter Dauid dedit ei Dominus Deus ſuus lucernam in Ieruſalem,&c. 211.2.e
Cùm regnaſſet Baaſa percuſsit omnem domum Ieroboam. 228.2.b
16. Deleuit Zambri omnem domum Baaſa,&c. ibid.e
Baaſa occidit eum,hoc eſt,Iehu filium Hanani prophetam. 236.1.a
17. Viuit Dominus Deus Iſrael, in cuius conſpectu ſto, ſi erit annis his ros & pluuia, niſi iuxta oris mei verba. 229.1.a
18. Vſquequo claudicatis in duas partes? 100.2.c.
Inuocabant nomen Baal de mane vſque ad meridiẽ. 57.2.c
Non eſt gens aut regnum,quo non miſerit Dominus meus te requirens. 229.1.b
Ecce nubecula parua aſcendebat è mari, poſtea facta eſt pluuia grandis. 229.1.e
19. Reliqui mihi ſeptem millia. 55.2.e
20. Quia dimiſiſti virum dignum morte de manu tua, erit anima tua pro anima eius,&c. 229.2.c
21. Achab venundatus eſt vt faceret malum in conſpectu Domini: concitauit enim eum Iezabel vxor ſua. 229.2.d
22. Fecit Ochozias malum in conſpectu Domini,& ambulauit in via patris ſui,& matris ſuæ. 130.1.b
Fecit ſibi Sedecias cornua ferrea. 369.1.a
Rex Iſrael mutauit habitum ſuum,& ingreſſus eſt bellum. 470.2.b

EX LIB. IV. REGVM.

CAP. 2. Obſecro vt fiat in me duplex ſpiritus tuus. 181.1.d
Sanaui aquas has,& non erit vltra in eis mors,neque ſterilitas. 45.2.e
Currus Iſrael,& auriga eius. 262.2.d
3. Fecit Ioram malum coram Domino, ſed non ſicut pater ſuus & mater,&c. 230.1.d
Tulit ſecum ſeptingentos viros rex Moab, vt irrumperet ad regem Edom, & non potuerunt. Arripienſque filium ſuum, qui regnaturus erat pro eo, obtulit holocauſtum ſuper murum,&c. ibid 2.b
4. Incubuit ſuper puerum, poſuitque os ſuum ſuper os eius,&c. 173.2.c
5. Deſcendit, lauit in Iordane ſepties, & reſtituta eſt caro eius,ſicut caro pueri paruuli,&c. 471.1.a
6. Salua me Domine mi Rex. Vnde te ſaluare poſſum,de area,an de torcular? 448.2.c

9. Vnxi te regem ſuperpopulum Domini Iſrael, & percuties domum Achab, &c. 203.1.e
10. Quia ſtudioſè egiſti quod rectum erat, & placebat in oculis meis, &c. Filij tui vſque ad quartam generationem ſedebunt, &c. ibid 2.a
Percuſsit Iehu omnes qui reliqui erat de domo Achab in Iezrael, & vniuerſos optimates eius, & notos, & ſacerdotes; donec non remanerent ex eo reliquiæ. 230.2.d
Deleuit Iehu Baal de Iſrael. Verumtamen à peccatis Ieroboam non receſsit, &c. ibid.
11. Ioſaba filia regis Ioram, Ioas filium Ochoziæ furata eſt de medio filiorum regis, qui interficiebantur. 250.2.e
Ioiada ſummus ſacerdos militibus oſtendit filium regis. ibid.
Produxit filium regis, & poſuit ſuper eum diadema, & teſtimonium, &c. ibid. 262.1.a
Ioſaba abſcondit Ioas à facie Athaliæ, vt non interficeretur: eratque cum ea ſex annis clam in domo Domini. 283.1.c
13 Ioachaz filius Iehu ſecutus eſt peccata Ieroboam; & non declinauit ab eis, &c. 230.2.e
Hazaël rex Syriæ afflixit Iſrael, cunctis diebus Ioachaz. ibid.
Fecit Ioas malum in conſpectu Domini: non declinauit ab omnibus peccatis Ieroboam, &c. 231.1.a
15. Manahem fecit quod malum erat coram Domino. ib.c
Phaceia non receſsit à peccatis Ieroboam. ibid.
17. Oſee fecit malum coram Domino, ſed non ſicut reges Iſrael, qui ante eum fuerant. ibid.e
Fuerunt gentes iſtæ timentes quidem Deum, ſed nihilominus & idolis ſuis ſeruientes, &c. ibid.2.a
19. Protegam vrbem hanc, & ſaluabo eam, propter me, & propter Dauid ſeruum meum. 205.2.c.211.1.c.304.1.c
20. Reduxit vmbram per lineas, quibus iam deſcenderat in horologio Achaz retrorſum decem gradibus. 206.2.a. 207.1.b.462.1.b
Non fuit quod non monſtraret eis Ezechias in domo ſua. 207.2.e
Miſit rex Babyloniorum munera ad Ezechiam. 462.1.b
Oſtendit eis domum aromatum, & aurum, & argentum, & pigmenta varia, &c ibid.c
Similis illi non fuit ante eum rex. 210.2.b
23. Excelſa, quæ erant in Ieruſalem ad dexteram partem montis, offenſionisquæ ædificauerat Salomon, &c. polluit Rex. 195.2.a
Non eſt auerſus Dominus ab ira furoris ſui magni, quo iratus eſt, &c. propter irritationes quibus prouocauerat eum Manaſſes. 210.1.d

EX LIB. I. PARALIP.

CAP. 3. Ioram genuit Ochoziam, ex quo ortus eſt Ioas. 250.2.e
4. Filij Sela filij Iudæ, &c. & cognationes domus operantium byſſum, &c. 192.1.d
5. Iudas, qui erat fortiſsimus, &c. 181.1.c
Ipſe Ruben fuit primogenitus Iacob, ſed cum violaſſet thorum, &c. Data ſunt primogenita eius filij Ioſeph. ibid.e
9. Dedit regina Saba regi Salomoni 120. talenta auri, & aromata multa nimis, & gemmas pretioſiſsimas. Non fuerunt aromata talia, vt hæc. 283.2.c
17. Ecce ego habito in domo cedrina, arca autem fœderis Domini ſub pellibus eſt. 262.2.a
22. Salomon filius meus puer paruulus & delicatus, &c. 189.1.d
Voluntatis meæ fuit vt ædificarem domum nomini Domini Dei mei: ſed factus eſt ſermo Domini ad me dicens, multum ſanguinem effudiſti. 60.1.c
25. Qui prophetarent in citharis & pſalteriis, &c. 234.2.b
29. Populum tuum vidi cum ingenti gaudio tibi offerre donaria. 487.1.d
Puerum & tenellum. 199.1.b
Geſta Dauid regis priora, & nouiſſima ſcripta ſunt in libro Samuelis videntis, & in libro Nathan prophetæ, atque in volumine Gad videntis, &c. 235.1.e
Opus grande eſt. Neque enim homini præparatur habitatio, ſed Deo. 262.2.b

EX LIB. II. PARALIP.

CAP. 2. Quis poterit præualere, vt ædificet Deo dignam domum? 357.1.b
3. Aurum erat probatiſſimum, de cuius laminis texit domum, &c. 88.2.a.201.1.d
4. Erat autem multitudo vaſorum innumerabilis, ita vt ignoraretur pondus æris. 89.1.b
7. Maieſtas Domini impleuit domum, nec poterant ſacerdotes ingredi templum Domini, &c. 487.1.c
9. Reliqua autem opera Salomonis, &c. ſcripta ſunt in verbis Nathan Prophetæ, & in libris Ahiæ, &c. 195.2.d
Rex Salomon dedit reginæ Saba cuncta, quæ voluit, & quæ poſtulauit; & multo plura, quàm attulerat ad eum. 470. 2.a
12. Ambulauerunt Iudæi in viis Dauid & Salomonis, annis tantum tribus. 195.1.a
Sacerdotes & Leuitæ venerunt ad Roboam de cunctis ſedibus ſuis, &c. 199.1.e
Conſtituit Roboam in capite Abiam, filium Maacha ducem ſuper omnes fratres ſuos, &c. ibid.2.d
Opera Roboã prima, & nouiſsima ſcripta ſunt in libris Semeiæ Prophetæ, & Addo videntis. 235.2.a
13. Reliqua ſermonum Abia, viarumque & operum eius, ſcripta ſunt diligentiſsimè in libro Addo Prophetæ, &c. ibid.
14. Purgauit Aſa vniuerſas ſordes idolorum. 199.2.e
16. Quia habuiſti fiduciam in rege Syriæ, & non in Domino, &c. Ideo euaſit de manu tua. Nonne, &c. 200.1.a
17. Miſit de principibus ſuis, vt docerent in ciuitatibus Iuda, &c. ibid.d
19. Sic agetis in timore Domini fideliter, & corde perfecto, &c. ibid.2.a
Amaſias in iis, quæ ad Deum pertinent, præſidebit. ibid.c
20. Timore perterritus totum ſe contulit ad rogandum Dominum, & prædicauit ieiunium, &c. ibid.d.e
Quia habuiſti fœdus cum Ochozia; percuſsit Dominus opera tua, &c. 201.1.c
Reliqua geſtorum Ioſaphat priorum, & nouiſsimorum ſcripta ſunt in verbis Iehu, &c. 235.1.e
21. Suſcitauit Deus contra Ioram ſpiritum Philiſtinorum, & Arabum, &c. 202.2.c
Ambulauitque non rectè. ibid.d
22. Ingreſſus eſt per vias domus Achab, mater enim eius impulit eum, &c. 203.1.d
23. Abſtulit Deos alienos, & ſimulachrum de domo Domini, aras quoque, &c. 196.1.a
24. Non eſt recordatus Ioas Rex miſericordiæ, quam fecerat Ioiada, &c. 204.1.d
25. O Rex, ne egrediatur tecum exercitus Iſrael, non eſt enim Dominus cum Iſrael, &c. ibid 2.b
26. Cùm roboratus eſſet, eleuatum eſt cor eius in interitum ſuum, &c. 205.1.b
Reliqua ſermonum Ozia ſcripſit Iſaias, &c. 235.2.a
32. Regem Aſſyriorum filij, qui egreſſi fuerant de vtero eius, interfecerunt. 139.2.b
36. Incenderunt hoſtes domum Dei, deſtruxeruntque murum Ieruſalem, &c. 214.2.c

EX LIB. I. ESDRÆ.

CAP. 3. Surrexit Ioſue filius Ioſedec, & fratres eius ſacerdotes. 236.1.e
4. Intermiſſum eſt opus domus Domini in Ieruſalem, &c. 221.2.c
In regno Aſſueri, in principio regni eius ſcripſerunt. 240. 2.a
5. Prophetauerunt autem Aggæus & Zacharias filius Addo, prophetantes ad Iudæos, qui erant in Iudæa & Ieruſalem, &c. 236.1.e
6. Compleuerunt domum Dei iſtam, vſque ad diem tertium menſis Adar, &c. 221.2.c
Conſtruxerunt iubente Deo Iſrael, & iubente Cyro, & Dario, & Artaxerxe, &c. 240.2.b

EX LIB. II. ESDRÆ.

7. Non aperiantur portæ Ieruſalem vſque ad calorem Solis. 8.2.a
8. Legerunt in libro legis Dei, diſtinctè & apertè ad intelligendum; & intellexerunt cum legeretur. 237.1.b
Eſdras, & Leuitæ interpretantes vniuerſo populo. ibid.
Abiit omnis populus, vt comederet: & biberet, & mitteret partes, & faceret lætitiam magnam, quia intellexerant verba, quæ docuerant eos. ibid.
Congregati ſunt principes familiarum vniuerſi populi, Sacerdotes & Leuitæ ad Eſdram ſcribam, vt interpretaretur eis verba legis. ibid.
9. Secundum miſerationes tuas multas, dediſti eis ſaluatores, qui ſaluarent eos. 443.2.c

EX IV. ESDRÆ APOCRYPHO.

CAP. 14. Accepi quinque viros, & profecti ſumus in campum, & manſimus ibi, & factus ſum in craſtinum. Et ecce vox vocauit me, &c. quæ ſequuntur. 238.1.d
Lex tua incenſa eſt, propter quod nemo ſcit, quæ à te facta ſunt, &c. ibid.2.a

INDEX.

EX LIB. IVDITH.

2. Prædauit omnes filios Tharsis. 202.1.d
8. Erat eleganti aspectu nimis. 294.1 d
Erat Iudith in omnibus famosissima, quoniam timebat Dominum, &c. 324.2.e
13. Non permisit me Dominus ancillam suam coinquinari, sed sine pollutione peccati, reuocauit me gaudentem in victoria sua, in euasione sua. 270.2.a
Benedicta es tu filia à Domino Deo excelso, præ omnibus mulieribus super terram. 334.1.d
Nomen tuum ita Dominus magnificauit, vt non recedat laus tua de ore hominum, &c. ibid.2.c.356.1.d

EX LIB. ESTHER.

1. Vinum, vt magnificentia regia dignum erat, abundans & præcipuum ponebatur. 47.2.a
2. Adamauit eam Rex plusquam omnes mulieres. 336.1.a
Erat formosa valde, &c. 294.1.d
Inuenit gratiam in conspectu illius. 335.2.e
4. Quis nouit vtrum idcirco ad regnum veneris, vt in tali tempore parareris? 308.2.a
5. Non morieris. Non enim pro te, sed pro omnibus, hæc lex constituta, &c. 268.2.e
Quid vis Esther regina? quæ est petitio tua? etiam si dimidiam partem regni petieris, dabitur tibi. 308.2.a
6. Homo quem Rex honorare cupit, debet indui vestibus regiis, & imponi super equum, qui de cella regis sit, &c. 258.2.b
15. Rex festinus exiliuit de solio, & sustentauit Esther vlnis suis. 270.1.d
Die tertio circumdata est Esther gloria sua. Cumque regio fulgeret habitu, assumpsit duas famulas. 305.2.c

EX LIBRO TOBIÆ.

1. Tobias quotidie pergebat per cognationem suam, diuidebatque vnicuique prout poterat de facultatibus suis, &c. 360.2.e
2. Exiliens de accubitu suo, relinquens prandium ieiunus peruenit ad corpus, tollensque illud portauit ad domum suam, &c. 361.1.a
3. Post tempestatem tranquillum facis, & post lachrymationem & fletum exultationem infundis. 392.2.d
8. Tu scis quia non luxuriæ causa accipio sororem meam. 314.1.c
13. Beatus ero si fuerint reliquiæ seminis mei ad videndam claritatem Ierusalem. 48.1.c
14. Portæ Ierusalem ex saphiro & smaragdo ædificabuntur. Et ex lapide pretioso omnia circuitus murorum eius, &c. ibid b

EX IOB.

1. Nudus egressus sum de vtero matris meæ, nudus reuertar illuc. 261.1.a.373.1.d
4. Consumentur velut à tinea. 514.1.e
5. Comprehendit sapientes in astutia eorum. 358.1.c
6. Qui timet pruinam, irruet super eum nix. 482.1.e
7. Habui menses vacuos. 365.1.a
10. Memento quod sicut lutum feceris me. 482.1.a
14. Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine? &c. 71.1.c.384.2.d
Homo natus de muliere, breui viuens tempore, repletur multis miseriis, &c. 152.2.a
Lignum habet spem, si præcisum fuerit, rursum virescit, &c. 92.2.a
Quis mundus erit à sorde? at nemo, si & vnus dies vita eius in terra. 268.2.d
15. Operuit faciem eius crassitudo. 361.2.b
16. Confregit me, & posuit me sibi, quasi in signú. 477.2.c
19. Orabam filios veteri mei. 139.2.b
In carne mea videbo Deum meum, quem visurus sum ego ipse, &c. 70.2.e.454.2.d
24. Ipsi fuerunt rebelles lumini. 163.1.c
25. Qui facit concordiam in sublimibus. 423.2.a
28. Trahitur sapientia de occultis. 38.2.c
Auro locus est, in quo conflatur. 482. 2.c
29. Quando procedebam ad portam ciuitatis, & in platea parabant cathedram mihi, &c. 116.2.e
31. Semper quasi tumentes super me fluctus timui Deum, &c. 255.1.c
38. Concentum cæli quis dormire faciet? 278.2.c
Quis demisit lapidem angularem eius, cùm me laudarent astra matutina, & iubilarent omnes filij Dei. 417.2.e
39. Obseruasti dolores partus ceruarum. 118.2.d
Numquid ad præceptum tuum elabitur aquila, & ponet in arduis nidum suum, &c. 359.2.e
40. An extrahere poteris Leuiathan? 174.2.e
42. Non sunt inuentæ mulieres speciosæ sicut filiæ Iob in vniuersa terra. 294.1.d

EX LIB. PSALMORVM.

1. Erit tanquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum, &c. 267.2.e 463.1.d
2. Filius meus es tu, ego hodie genui te; postula à me, &c. 18.1.c.57.2.e.58.2.d
Tanquam vas figuli confringes eos. 53.2.b
Reges eos in virga ferrea. 58.1.c.454.2.e
Apprehendite disciplinam. 59.1.b.461.2.e
Ego autem constitutus sum rex ab eo super Sion montem sanctum eius, &c. 60.1.d.336.2.a.464.2.e
Quare fremuerunt gentes, & populi meditati sunt inania. 464.2.e
3. Domini est salus. 71.2.b. 448.2.c
Tu autem Domine susceptor meus es. 96.2 d.358.2.a
4. In tribulatione dilatasti mihi. 104.1.b.392.2.d
Signatum est super nos lumen vultus tui Domine, dedisti lætitiam, &c. 23.2.c.114.1.c
5. Scuto bonæ voluntatis tuæ coronasti nos. 418.2.c
Mane astabo tibi, & videbo. 469.1.a
6. Laboraui in gemitu meo, lauabo per singulas noctes lectum meum, lachrymis meis stratú meum rigabo. 51[illegible].a
7. Lacum aperuit, & effodit eum, &c. 01.1.e
Ecce parturiit iniustitiam, concepit dolorem, & peperit iniquitatem. 479.2.a
8. Quid est homo, quod memor es eius, aut filius hominis, quia visitas eum. 367.2.d
Minuisti eum paulo minus ab Angelis. ibid.
Domine Dominus noster, quam admirabile est nomen tuum in vniuersa terra. 444.2.b
9. In operibus manuum suarum comprehensus est peccator. 358.1.c
13. Veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem. 370.2.d
Ibi trepidauerunt timore, vbi non erat timor. 482.1.e
16. Satiabor cùm apparuerit gloria tua. 47.2.a
Mirifica misericordias tuas, &c. 358.1.a
17. Ascendit super Cherubim, & volauit. 36.1.a
Tenebrosa aqua in nubibus aëris. 37.2.c
Dextera tua suscepit me. 118.2.a
Eripies me de contradictionibus populi. Constitues me in caput gentium. 477.2.d
Dextera tua suscepit me. 358.2.a
Inclinabit cælos, & descendit & caligo sub pedibus eius. 407.2.a
Deus cornu salutis meæ 368.2.e
18. In omnem terram exiuit sonus eorum. 18.1.a
In sole posuit tabernaculum suum, & ipse tanquam sponsus, &c. 106.2.e.128.2.d
Non sunt loquelæ, neque sermones, quorum non audiantur voces eorum. 167.1.c
Exultauit vt gigas ad currendam viam. 284.2.a
Seruus tuus custodit ea, in custodiendis illis retributio multa. 324.1.b
Exultauit vt gigas ad currendam viam. 379.2.d
19. Holocaustum tuum pingue fiat. 98.2.d
21. Ego autẽ sum vermis, & non homo, &c. 74.1.e.117.1.b
In te proiectus sum ex vtero. 106.2.c
Aruit tanquam testa virtus mea, &c. 117.2.c
Pro susceptione matutina. 118.1.e
Factum est cor meum tanquam cera liquescens in medio ventris mei. 3.2.b
Tanquam aqua effusus sum. 413.2.b
20. Etsi ambulauero in medio vmbræ mortis non timebo mala, quoniam tu mecum es. 348.2.e
23. Virga tua & baculus tuus, ipsa me consolata sunt. 520.2.d
Dominus fortis & potens, Dominus potens in prælio. 59.2.e. 61.1.c
Quis ascendet in montem Domini? 7.2.e
26. Dominus illuminatio mea & salus mea, quem timebo? &c. 348.2.d
28. In templo eius omnes dicent gloriam. 327.1.c
30. Saluasti de necessitatibus animam meam. Nec concluisti me in manibus inimici, statuisti in loco spatioso pedes meos. 392.2.d
32. In psalterio decem chordarum psallite illi. 353.1.d
33. Quis est homo, qui vult vitam, diligit dies videre bonos? 448.1.e
Prohibe linguam tuam à malo; diuerte à malo, & fac bonum, &c. ibid.
Multæ tribulationes iustorum, & de omnibus liberabit nos Dominus. Custodit Dominus omnia ossa eorum, &c. 392.2.e
34. Fiat via illorum tenebræ, & lubricum, & Angelus Domini persequens eos. 423.2.e
35. In lumine tuo videbimus lumen. 22.1.d

Iustitiæ

INDEX.

Iuſtitia tua ſicut montes Dei. 28.1.d
Iudicia tua abyſſus multa. 45.2.c
39. Expectans expectaui Dominum, & intendit mihi, & immiſit in os meum canticum nouum. 487.2.b
Ego autem mendicus ſum, & pauper. 510.2.c
Sacrificium & oblationem noluiſti, aures autem perfeciſti mihi. 522.1.d
41. Abyſſus abyſſum inuocat. 309.1.a
Quemadmodum deſiderat ceruus ad fontes aquarum, ita deſiderat anima mea ad te Deus. 360.1.d
43. In te inimicos noſtros ventilabimus cornu. 369.1.a
44. Sedes tua Deus in ſæculum ſæculi. 58.1.b.70.2.a
Intende, proſperè procede, & regna. 56.1.c
Aſtitit Regina à dextris tuis in veſtitu deaurato, &c. 64.1.c 66.1.c.283.2.c.304.1.d
Pro patribus tuis nati ſunt tibi filij. 67.1.a
Vnxit te Deus tuus oleo lætitiæ, &c. 70.2.a
Audi filia, & vide, & obliuiſcere populum tuum, & domum patris tui. 129.2.a
Eructauit cor meum verbum bonum. 137.1.c.153.1.b
Lingua mea calamus ſcribæ velociter ſcribentis. 138.2.c. 153.1.d
Concupiſcet rex decorem tuum. 295.2.d
Sagittæ tuæ acutæ (populi ſub te cadent) in corda inimicorum regis. 162.1.c
Myrrha, & gutta, & caſia à veſtimentis tuis, à domibus eburneis. 178.2.b.264.2.a
Diffuſa eſt gratia in labiis tuis. 180.2.d
Adducentur regi virgines poſt eam, &c. 285.1.e
Et concupiſcet rex decorem tuum. 183.2.a
Omnis gloria eius ab intus. 323.1.b
45. Adiuuabit eam Deus mane diluculo. 270.1.d
Fluminis impetus lætificat ciuitatem Dei. ibid.e
Venite & videte opera Domini, quæ poſuit prodigia ſuper terram, &c. 271.1.c
Sanctificauit tabernaculum ſuum altiſſimus. 276.1.e
47. Magnus Dominus & laudabilis nimis in ciuitate Dei noſtri, in monte ſancto eius, &c. 272.2.d
Suſcepimus Deus miſericordiam tuam, in medio templi tui. 487.1.c
In ſpiritu vehementi conteres naues Tharſis. 494.1.a
48. Comparatus eſt iumentis inſip. & ſimilis factus eſt illis. 258.1.a
Ne timueris, cum diues factus fuerit homo, &c. 281.2.a
Cum interierit, non ſumet omnia. 340.1.d
Homo cum in honore eſſet, non intellexit. Comparatus eſt ium. & ſim. factus eſt illis. 258.1.a
49. Deus Deorum Dominus locutus eſt, & vocauit terram, à ſolis ortu vſque ad occaſum: ex Sion ſpecies decoris eius, &c. 74.2.a
Nunquid manducabo carnes taurorum, aut ſanguinem hircorum potabo? 78.1.c
Sacrificium laudis honorificabit me. 8.1.b
50. Miſerere mei Deus ſecundum magnam, &c. Incerta & occulta ſapientiæ tuæ manifeſtaſti mihi. 71.1.c
Aſperges me Domine hyſſopo. 116.2.d
Tibi ſoli peccaui. Vt iuſtificeris in ſermonib. tuis, & vincas cum iudicaris. 259.1.d
Ecce enim in iniquit. conceptus ſum, &c. 268.2.d
Spiritum rectum innoua in viſceribus meis, &c. 321.1.b
Domine labia mea aperies, & os meum annuntiabit laudem, &c. 367.1.c
51. Quid gloriaris in malitia, qui potens es in iniquitate? 155.1.b
Sicut nouacula acuta feciſti dolum. 514.1.c
52. Dixit inſipiens in corde ſuo. 136.2.b
54. Molliti ſunt ſermones eius ſuper oleum, & ipſi ſunt iacula. 43.1.b
Iacta ſuper Dominum curam tuam, & ipſe te enutriet. 392.1.d
55. Non timebo quid faciat mihi caro. 170.1.e
56. Filij hominum dentes eorum arma, & ſagittæ, &c. 43.1.b
57. Errauerunt ab vtero. 91.1.a.80.1.c.374.1.a
58. Deus oſtendit mihi ſuper inimicos meos, ne occidas eos, &c. 54.2.d
Conuertentur ad veſperam, & famem patientur vt canes, &c. 52.1.a
59. In Idumæam extendam calceamentum meum. 455.1.a
63. Intenderunr arcum, rem amaram. 340.1.c
Sagittæ paruulorum factæ ſunt plagæ eorum: & infirmatæ ſunt contra eos linguæ eorum. 477.2.d
64. Ad te omnis caro veniet. 170.1.e
Et valles abundabunt frumento. 257.2.d
Te decet hymnus Deus in Sion. 327.2.c.353.2.d
Replebitur in bonis domus tuæ. 328.2.a
Viſitaſti terram, & inebriaſti eam. 368.1.c

Benedices coronæ anni benignitatis tuæ, & campi tui replebuntur vbertate. 19.2.c.449.1.c
67. Dominns dabit verbum euangelizantibus, &c. 26.2.c
Currus Dei decem millibus multiplex, &c. 22.2.d
Pluuiam voluntariam ſegregabis Deus hæreditati tuæ, &c. 267.2.c
Mons Dei, mons pinguis, mons coagulatus, vt quid ſuſpicamini montes coagulatos? 387.2.b
Deus noſter ſaluos faciendi, & Domini Domini exitus mortis. 70.2.c.417.2.b
Proſperum iter faciet nobis Deus ſalutarium noſtrorum. 447.2.c
68. Intrauerunt aquæ vſque ad animam meam. 63.1.b
Fiat menſa eorum coram ipſis in laqueum, & retributionem, &c. 37.1.b
Lauadbo nomen Dei cum cantico, &c. 367.2.b
Placebit Deo ſuper vitulum nouellum. ibid.
Fiat menſa eorum ipſis in laqueum. 387.1.c
69. Exultent, & lætentur in te omnes, qui quærunt te. 516.2.a
71. Dominabitur à mari, vſque ad mare, &c. 18.1.c. 57.2.c
Deſcendet ſicut pluuia in vellus. 18.2.a.74.1.c.333.1.c
Sicut ſtillicidia ſtillantia ſuper terram. 18.2.a
Orietur in diebus eius iuſtitia, & abundantia pacis. 18.2.b 42.2.c
Suſcipiant montes pacem populo, & colles iuſtitiam. 60.2.d.407.2.c
Ante ſolem permanet nomen eius. 70.1.d
Benedicentur in ipſo omnes tribus terræ, &c. 100.1.c
Iudicabit pauperes populi, &c. & humiliabit calumniatorem. 109.2.b
Ex vſuris & iniquitate redimet animas eorum, honorabile nomen eorum coram illo. ibid.d
Adorabunt eum omnes reges terræ, omnes gentes ſeruient ei. 110.1.c
Reges Arabum, & Saba, dona adducent. 452.1.a
Dominabitur à mari vſque ad mare, & à flumine vſque ad terminos orbis terrarum. 349.2.b
Adorabunt eum omnes reges terræ, omnes gentes ſeruient ei. 465.2.a
72. Ecce ipſi peccatores & abundantes in ſeculo obtinuerunt diuitias, &c. 57.1.c
Prodijt quaſi ex adipe iniquitas eorum. 361.2.b
Vt iumentum factus ſum apud te, & ego ſemper tecum. 409.2.c
73. Poſuerunt ſigna ſua, ſigna: ſicut in exitu ſuper ſummum. 361.2.c
74. Omnia cornua peccatorum confringam, & exaltabuntur cornua iuſti. 368.2.c
75. Notus in Iudea Deus, & in Iſraël magnum nomen eius. 121.1.d.444.2.a
In pace factus eſt locus. 407.1.c
77. Repulit tabernaculum Ioſeph, &c. 84.1.d
Elegit Dauid ſeruum ſuum, & ſuſtulit eum de gregibus ouium, &c. 193.1.c
Non cuſtodierunt teſtamentum eius. 1.2.b
Ædificauit Dominus ſicut vnicornium ſanctificium ſuum. 328.1.a
Recordatus eſt quia caro ſunt, ſpiritus vadens, & non rediens. 516.1.c
79. Qui ſedes ſuper Cherubim; manifeſtare. 36.1.a 277.1.b
Deus virtutum conuertere, reſpice de cœlo & vide, & viſita vineam iſtam, &c. 358.1.b
81. Deus ſtetit in ſynagoga Deorum, in medio autem Deos diiudicat. 53.1.c
Ego dixi, Dij eſtis. 72.2.b. 174.2.c. 279.1.a. 466.2.c
82. Teſtamentum diſpoſuerunt, tabernacula Idumæorum, & Iſmaëlitæ. 1.2.b
83. Miſericordiam & veritatem diligit Deus. 96.2.d
Beati qui habitant in domo tua Domine, &c. 353.2.d
84. Iuſtitia & pax oſculatæ ſunt. 18.1.c
Benedixiſti Domine terram tuam, auertiſti captiuitatem Iacob, &c. 71.2.d
Oſtende nobis Domine miſericordiam tuam, & ſalutare tuum da nobis. 357.2.c
Miſericordia, & veritas obuiauerunt ſibi. 369.2.d
86. Glorioſa dicta ſunt de te Ciuitas Dei. 44.2.b.266.2.b
Diligit Dominus portas Sion, &c. 44.2.b
Ecce alienigenæ, & populus Æthiopum, hi fuerunt illic. ibid.d
87. Factus ſum, ſicut homo ſine adiutorio, inter mortuos liber. 116.1.a
88. Thronus eius ſicut Sol in conſpectu meo, &c. 58.1.b 2.b.268.2.a

Ponam in sæculum sæculi semen eius. 64.1.e.67.1.a
Ipse vocabit me, Pater meus es tu, &c. 70.2.a
Tu humiliasti sicut vulneratum superbum, in brachio virtutis tuæ, &c. 97.2.a.109.2.c
Misericordias Domini in æternũ cantabo, 184.2.a.187.2.b
Visitabo in virga iniquitates eorum, 368.1.c
89. Mille anni in conspectu tuo, tanquam dies hesterna, quæ præteriit. 89.2.e
Anni nostri sicut aranea meditabuntur, 449.1.e.
90. Dicet Domino, Susceptor meus es tu. 118.2.a.358.2.a
In manibus portabunt te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum. 424.1.a
Longitudine dierum replebo eum, &c. ibid.e
91. Delectasti me Domine in factura tua, & in operibus manuum tuarum exultabo. 354.2.a
93. Secundùm multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuæ lætificauerunt animam meam. 520.1.c
94. Venite exultemus Domino, iubilemus Deo salutari nostro, &c. 59.1.b. & sequent. *vbi totius fere psalmi expositio apponitur.*
96. Nubes & caligo in circuitu eius, &c. 38.1.b
98. In columna nubis loquebatur ad eos. 24.1.c
Adorate scabellum pedum eius, 280.1.e
100. In matutino interficiebam omnes peccatores terræ. &c. 517.2.e
102. Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis, qui sanat omnes infirmitates tuas. 446.2.b
Quantum distat ortus ab occidente, longè fecit à nobis iniquitates nostras. 502.1.c
103. Lætatur Dominus in operibus suis. 147.2.e
Emitte spiritum tuum & creabuntur, & renouabis faciem terræ. 19.2.d.328.1.c
Emittis fontes in conuallibus, inter medium montium pertransibunt aquæ. 257.2.d.346.1.b
Extendens cœlum sicut pellem. 390.1.c
Saturabuntur ligna campi, & cedri Libani, quas plantauit, illic passeres nidificabunt. 467.1.d
104. Constituit Ioseph dominum domus suæ, &c. vt erudiret principes eius sicut semetipsum, &c. 144.1.e
Ferrum pertransiit animam eius. 478.1.4
Lætetur cor quærentium Dominum. 516.2.a
105. Vnus ex iis non remansit. 103.2.d
109. Dominus à dextris tuis, confregit in die iræ suæ reges, iudicabit in nationibus, &c. 63.1.a
Tu es sacerdos in æternum, secundùm ordinem Melchisedech. 76.2.d
Virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion, dominare, &c. ibid.c
Ex vtero ante Luciferum genui te. 70.1.a. 139.1.e.398.2.c.411.2.b
Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis. 70.1.d. 185.1.d
Iudicabit in nationibus, implebit ruinas, conquassabit capita in terra multorum. 454.2.e
De torrente in via bibet, &c. 63.1.b
In splendoribus Sanctorum, ex vtero ante Luciferum genui te. 391.1.b
113. Omnia quæcumque voluit, fecit. 340.1.e
Quid est tibi mare, quod fugisti? & tu Iordanis, quia conuersus es retrorsum, &c. 373.2.c
114. Eduxit populum suum in exultatione, & electos suos in lætitia. 363.1.a
115. Credidi propter quod locutus sum. 6.1.b.322.1.e
116. Laudate Dominum omnes gentes, laudate eum omnes populi. Quoniam confirmata est, &c. 421.2.b
117. Factus est in caput anguli. 91.1.e.187.2.c
Aperite mihi portas iustitiæ, ingressus in eas confitebor Domino, &c. 327.2.d
118. Declaratio sermonum tuorum illuminat, & intellectum dat paruulis. 13.1.b
Lucerna pedibus meis verbum tuum. 18.1.c. 369.1.d. 463.1.a
Consilium meum iustificationes tuæ. 262.1.b
Beati qui ambulant in lege Domini. 323.1.e
Non obliuiscar iustificationes tuas, quia in ipsis viuificasti me. ibidem 2.a
Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum, ibid.324.1.c.360.1.b
A iudiciis tuis non declinaui, quia tu legem posuisti mihi. 323.2.d
Inclinaui cor meum, ad faciendas iustificationes tuas in æternum, propter retributionem. 324.1.a
Non dominetur mei omnis iniustitia. 340.1.c
Erraui sicut ouis, quæ periit, quære seruum tuum. 362.2.e.517.1.c
123. Torrentem pertransiit anima nostra. 63.1.b
124. Montes in circuitu eius. 45.2.a
Qui confidunt in Domino sicut mons Sion. 392.1.e
125. In conuertendo Dominus captiuitatem Sion, facti sumus sicut consolati. 354.2.b
Qui seminant in lachrymis, in exultatione metent: euntes ibant, & flebant, &c. 516.1.d
Conuerte Domine captiuitatem nostram, sicut torrens in austro. ibid.d
126. Nisi Dominus ædificauerit domum, in vanum laborauerunt, qui ædificant eam. 45.1.d
Beatus qui impleuit desiderium suum ex ipsis, non confundetur, cum loquetur inimicis suis in porta. 324.2.a
Hæreditas Domini, filij merces, fructus ventris. 337.2.b
127. Vxor tua sicut vitis abundans in lateribus domus tuæ, &c. ibid.& 484.1.d
129. De profundis clamaui ad te Domine, *explicatur.* 110.2.c
Copiosa apud eum redemptio. 62.1.a
Ipse redimet Israel ex omnibus iniquitatibus eius. 173.1.d
Inuenimus eam in Ephrata, &c. 108.1.d
Iurauit Dominus Dauid veritatem, & nõ frustrabitur eum, &c. 184.2.b.187.2.b
Memento Domine Dauid, & omnis mansuetudinis eius. 254.2.c
Si dedero somnum oculis meis, & palpebris meis dormitationem, &c. 336 2.a.480.1.d
De fructu ventris tui ponam super sedem tuam. 336.2.a
Illuc producam cornu Dauid. Paraui lucernam Christo meo. 369.2.b
Paraui lucernam Christo meo. 82.2.d.369.1.c
132. Sicut vnguentum in capite, quod descendit in barbam, barbam Aaron. 430.1.c
136. In salicibus, in medio eius suspendimus organa nostra. 53.2.b
Exinanite, Exinanite vsque ad fundamentum in ea 23.1.b
138. Mirabilis facta est scientia tua ex me, &c. 121.2.c
Nox illuminatio mea. 164.1.d
139. Obumbrasti super caput meum in die belli. 339.1.e
143. Qui annuntiat verbum suum Iacob, &c. 17.2.d
144. Benedicat omnis caro nomini sancto eius, &c. 170.1.e
Gloriam regni tui dicent, & potentiam tuam loquentur, &c. 47.1.b
145. Nolite confidere in principibus, in filijs hominum, in quibus non est salus. 448.2.b
146. Ædificans Ierusalem Dominus, dispersiones Israëlis congregabit. 49.2.a
147. Posuit fines tuos pacem. 271.1.e

EX LIB. PROVERBIORVM.

CAP.1. Vsquequo paruuli diligitis infantiam, & stulti ea, quæ sibi sunt noxia cupient, & imprudentes odibunt scientiam, &c. 79.2.e
Pedes impiorum ad malum currunt. 360.2.d
2. Lætantur cum malefecerint, & exultant in rebus pessimis. 482.1.a
3. Ne dicas amico tuo; Vade & reuertere, & cras dabo tibi, cumstatim possis dare. 517.2.d
4. Iustorum semita quasi lux splendens, &c. 151.2.c.284.1.e.471.2.b
Ego filius fui patris mei. 194.1.e
Quia vocaui, renuistis, &c. Ego quoque in interitu vestro ridebo. 468.1.e
5. Ne des annos tuos crudeli. 518.1.a
6. Nunquid potest homo abscondere ignem in sinu suo, vt vestimentum illius non ardeat? 291.2.e
8. Dominus creauit me principium viarum suarum, &c. 133.2.e.134.1.c.146.1.c.147.2.b
Dominus possedit me in initio viarum suarum, &c. 273.2.c
9. Sapientia ædificauit sibi domum. Excidit columnas septem 271.1.e
11. Vbi non est gubernator, populus corruet, salus autem, vbi multa consilia. 518.1.a
12. Via stulti recta in oculis eius, qui autem sapiens est, audiet concilia. ibid.2.a
13. Lignum vitæ, desiderium veniens. 427.2.d
15. Responsio mollis frangit iram, sermo durus suscitat furorem. 227.2.c
16. Iustitia firmatur solium. 467.1.c
19. Rex, qui sedet in solio iudicij, dissipat omne malum intuitu suo. ibid.
21. Sicut diuisiones aquarum, ita cor regis in manu Domini, &c. 261.2.e
22. Ne transgrediaris terminos golam, &c. 75.2.d

Vidisti virum velocem in opere suo, coram regibus stabit. Nec erat ante ignobiles. 284.1.c
25. Poma aurea in cancellaturis argenteis, verbum dictum secundùm ambas facies suas. 39.1.d
Aqua frigida animæ sitienti, nuntius bonus de terra longinqua. 332.2.d
29. Rex iustus erigit terram. 467.1.c
Rex qui iudicat in veritate pauperes, thronus eius in æternum firmabitur. ibid.
30. Quis ascendit in cælum, atque descendit, quis continuit spiritum?&c. 70.1.c
Mendicitatem & diuitias ne dederis mihi, &c. 56.2.e
Tria sunt difficilia mihi, & quartum. 107.1.a
Stultissimus sum virorum & sapientia hominum non est mecum, 196.1.d.197.1.a
31. Fallax gratia, & vana est pulchritudo. 263.2.b
Multæ filiæ congregauerunt diuitias,tu supergressa es universas 297.2.e
Nauis institoris de longe portans panem. 412.1.a

EX LIB. ECCLESIASTÆ.

CAP.1. Omnia flumina intrant in mare, & mare non redundat. 274.2.b.346.2.a
5 Sicut egressus est nudus de vtero matris suæ, sic reuertetur.Nihil auferet secum de labore suo. 261.1.b
7. Sicut protegit sapientia,sic protegit pecunia. 339.1.e
10. Muscæ morientes perdunt suauitatē vnguenti.365.2.b
11. Mitte panem tuum super transeuntes aquas, quia post tempora multa inuenies illum. 361.1.a
Da partem septem,nec non & octo. 434.1.a

EX LIB. CANTICORVM.

CAP.1. Murenulas aureas faciemus tibi vermiculatas argento. 150.1.c
Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter vbera mea commorabitur. 470.1.a
Dum esset Rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suauitatis. 355.1.d
Trahe me post te, curremus in odorem vnguentorum tuorum. 14.2.d.360.1.d.446.2.e
Osculetur me osculo oris sui, quia meliora sunt vbera tua vino. 363.2.c
Nigra sum,sed formosa, sicut tabernacula Cedar,sicut pelles Salomonis. 295 2.e.389.2.c
Oleum effusum nomen tuum, ideò adolescentulæ dilexerunt te nimis. 325.1.a.430.2.b
2. Iam hyems transijt,imber abijt, & recessit,flores apparuerunt,&c. 128.2.d.482.1.a
Lilium inter spinas. 65.1.a.278.2.d.438.1.a
Ordinauit in me charitatem. 11.1.e
Columba mea in foraminibus petræ,&c.162.2.b.482.1.b
Ego flos campi,& lilium conuallium. 257.2.d
Dilectus meus mihi, & ego illi, qui pascitur inter lilia. 272.2.b.292.1.b
Surge,propera amica mea, columba mea, formosa mea, & veni. 275.2.c.360.1.d
Læua eius sub capite meo,&c. 291.2.d
Fulcite me floribus,stipate me malis,quia amore langueo. 301.2.c
Ecce iste venit saliens in montibus, transiliens colles. En dilectus meus loquitur mihi,surge,propera,&c.363.2.d
Ferculum fecit sibi Rex Salomon de lignis Libani. Columnas eius fecit argenteas,reclinatorium aureum, &c. 259.2.c
Ne suscitetis,neque euigilare faciatis dilectam. 278.2.e
Egredimini filiæ Sion,&c. 260.1.d
Quæ est ista,quę ascendit per desertum,sicut virgula fumi. 280.2.c.469.2.c
En lectulum Salomonis. Sexaginta fortes ambiunt. 519. 2.b.343.2.a
Media charitate constrauit. 414.1.d
In lectulo meo per noctē quæsiui quem diligit anima mea. 426.2.b
3.Surgam & circuibo ciuitatem,per vicos & plateas quæram,&c. 516.2.d
Vulnerasti cor meum in vno oculorum tuorum. 277.2.a
Fauus distillans labia tua, mel & lac sub lingua tua, &c. 263.1.c.278.1.a
Tota pulchra es,&c. 278.2.b
Odor vestimentorum tuorum sicut odor thuris. 469.2.b
Odor vnguentorum tuorū super omnia aromata. 280.2.e
Quam pulchra es amica mea quam pulchra es. 294.1.d
Emissiones tuæ paradisus malorum punicorum. 305.2.d
Fons signatus, hortus conclusus. 65.1.a.271.2.c.344.1.d
Dentes sicut greges tonsarum,&c. 426.1.c
5. Totus desiderabilis. 11.1.b.87.2.c
Ego dormio, & cor meum vigilat. 277.2.b
Messui myrrham cum aromatibus meis. 470.1.b
Amore langueo. 279.1.c
Dilectus meus candidus,& rubicundus. 436.2.b
Manus eius tornatiles, aureæ,plenæ hyacinthis. 463.1.c
6.Pulchra vt luna,electa vt Sol, 363.2.a.276.2.b.295.2.d
Viderunt eam filiæ,& beatissimam prædicauerunt. 356.1.d
Terribilis vt castrorum acies ordinata.36.1.c.65.1.a.278. 2.b.363.2.a
Descendi in hortum nucum. 54.2.a
Pulchra & decora sicut Hierusalem. 484.2.d
Reuertere,reuertere Sunamitis,&c. 54.2.c
Nesciui, anima mea conturbauit me propter quadrigas Aminadab. 54.2.b
Quæ est ista quæ progreditur quasi aurora consurgens. 275.2.b
7.Statura tua assimilata est palmæ, & vbera tua botris. 66.2.e
Quid videbis in Sunamite, nisi choros castrorum? 52.1.e
Venter tuus sicut aceruus tritici, vallatus lilijs. 257.2.e
Quam pulchri sunt gressus tui in calceamentis, filia principis. 284.1.c.304.2.b
Nasus tuus sicut turris Libani, quæ respicit contra Damascum. 360.2.a
Noua & vetera seruaui tibi. 468.2.a
Mandragoræ dederunt odorem suum. 470.1.d
8. Quæ est ista, quæ ascendit de deserto,delicijs affluens, innixa super dilectum suum? 65.1.b.271.2.a
Quis mihi det te fratrem meum, sugentem vbera matris meæ,vt inueniam te foris,&c. 258.2.c.291..d
Lampades eius lampades ignis,atque flammarum. 289.1.a
Fortis est,vt mors,dilectio. 4.1.a.301.2.a
Pone me vt signaculum supra cor tuum, &c. 279.2.d

EX LIBRO SAPIENTIÆ.

CAP.2. Inuidia Diaboli mors introiuit in orbem terrarum. 61.1.e
5. Accipiet armaturam zelus illius, & armabit creaturam,ad vltionem,&c. 63.2.a
Nati continuo desiuimus esse. 260.2.e
Pœnitentiam agentes, & præ angustia spiritus gementes. 517.1.c
6. Præbete aures vos qui continetis multitudines, &c. Horren de & cito aparebit vobis,&c. 262.1.c
Proposui pro luce habere illam, quoniam inextinguibile est lumen illius. 160.1.e
10. Hæc illum,qui primum formatus est à Deo,Pater Orbis terrarum,custodiuit,&c. 197.2.b
Decantauerunt Domine sanctum nomen tuum, & victricem manum tuam laudarunt pariter. 444.1.b
12. Bonæ spei fecisti filios tuos. 10.1.e
13. Si tantum scire potuerunt, vt possent æstimare seculum, quomodo huius Dominum non facilius inuenerunt? 167.1.a
Vani sunt omnes homines, in quibus non subest scientia Dei,&c. ibid.2.a
14. Incommunicabile nomen lapidibus, & lignis imposuerunt. ibid.
Creaturæ Dei in odium factæ sunt, & in tentationem, &c. ibid.b
16.Statim ab exiguo radio Solis calefactum tabescebat. Vt notum omnibus esset, quoniam oportet præuenire Solem ad benedictionem tuam, & ad ortum lucis te adorare. 469.2.a
17. Ignis nulla vis poterat illis lumen præbere, nec syderum limpidæ flammæ,&c. 163.1.d
18. Cum quietum silentium contineret omnia, & nox in suo cursu medium iter haberet, omnipotens sermo tuus de cœlis à reg. sedibus venit. 329.2.a.399.1.a
Vsque ad cœlum attingebat,stans in terra. 415.1.c
19. In mari rubro via sine impedimento. 515.2.e

EX LIB. ECCLESIASTICI.

CAP.3. Benedictio patris firmat domos filiorum. 334.2.d
Quanto magnus es,humilia te in omnibus, & coram Deo inuenies gratiam. 355.2.b
5. Non tardes conuerti ad Dominum,& ne differas de die in diem. Subito enim veniet ira illius, & in tempore vindictæ disperdet te. 480.1.b.517.2.b
10. Sedes ducum superborum destruxit Deus,&c.358.1.c
14. Mater pulchræ dilectionis. 485.1.c
19.Vinum,& mulieres apostatare faciunt sapiētes.197.1.d
24. Quasi balsamum non mixtum odor meus. 485.1.d
Ab initio, & ante secula creata sum. 134.1.c.273.2.d
Ego ex ore altissimi prodiui, primogenita ante omnem creaturam. 138.2.d
In Sion firmata sum, & in ciuitate sanctificata similiter requieui,&c. 307.2.b
Sicut cinnamomum,& balsamū aromatizans odorem dedi. 324.2.d
Ego quasi trames aquæ immensæ de fluuio. Ego quasi fluuij

fluuij diorix, &c. ſicut aquæ ductus exiui de Paradiſo. 361.1.c
29. Pars bona, mulier bona, &c. Dabitur viro factis bonis. 291.1.c
30. Mortuus eſt pater eius, & quaſi non eſt mortuus, &c. 365.2.d
31. Potuit tranſgredi, & non eſt tranſgreſſus. 155.1.b
33. Contra malum bonum eſt, & contra mortem vita, &c. 158.1.c
37. Initium omnis operis verbum. 137.2.c
39. Benedictionis illius quaſi fluuius inundauit. 334.1.b
Obaudite me diuini fructus. 353.2.d
40. Graue iugum ſuper filios Adam, à die exitus de ventre matris eorum, vſque in diem ſepulturæ, in matrem omnium. 261.1.a
42. Omnia duplicia, vuum contra vnum. 158.1.c
43. Glorificantes Dominum quantumcumque poteritis, ſupervalebit enim adhuc, &c. 354.1.c
Tripliciter Sol exurens montes, radios igneos exufflans, & refulgens radijs ſuis. 372,1.a
Vide arcum, & benedic eum, qui fecit illum. valdè ſpecioſus eſt in ſplendore ſuo. ibid.b
44. Frigidus ventus aquilo flauit, & gelauit cryſtallus ab aqua, ſuper omnem congregationem aquarum requieſcet, & ſicut lorica induet ſe aquis. Et deuorabit montes, & exuret deſertum, & extinguet viride ſicut igne. 414.1.a
Medicina omnium in feſtinatione nebulæ, & ros obuians ab ardore venienti, humilem efficiet eum. ibid.b
47. Finem habuit Salomon cum patribus ſuis, & dereliquit poſt ſe de ſemine ſuo gentis ſtultitiam, &c. 199.2.b
Quaſi adeps ſeparatus à carne, ſic Dauid filijs Iſrael. 210.2.c
48. Ezechias fecit quod placuit Deo, fortiter iuit in via Dauid patris ſui, &c. 206.1.a
Inſcriptus es in iudiciis temporum lenire iracundiam Dei, conciliare cor patris ad filium, &c. 75.1.e
Retro rediit Sol, & addidit Regi vitam. 137.1.e
Surrexit Elias quaſi ignis, & verbum illius quaſi facula ardebat. 321.1.e
49 Memoria Ioſiæ in compoſitione odoris facta, opus pigmentarij, &c. 209.1.d
Præter Dauid, Ezechiam, & Ioſiam omnes peccatum commiſerunt, &c. 211.2.d
50. In vita ſua ſuffulſit domum, & in diebus ſuis corroborauit templum. 242.2.b

EX ISAIA.

Cap. 1. Filios nutriui, & exaltaui. 10.2.a
Sion in iudicio redimetur, & reducēt eā in iuſtitia. 109.2.b
Si fuerint peccata veſtra rubra ſicut vermiculus. 117.1.d
A planta pedis vſque ad verticem non eſt in eo ſanitas. 213.2.b
Cognouit bos poſſeſſorem ſuum 38.1.c.405.1.a
Calendas veſtras, & ſolennitates veſtras odiuit anima mea, 513.1.a
2. Erit in nouiſſimis diebus præparatus mons domus Domini, &c. 18.1.a.41.1.a.42.1.d
Conflabunt gladios ſuos in vomeres, & lanceas ſua in falces, &c. 42.2.e
In die illa proiiciet homo idola argenti ſui, & ſimulachra auri ſui, &c. 444.2.d
De Sion exibit lex, & verbum Domini de Ieruſalem. 43.1.e.2.c
Repleta eſt terra argento, & auro: non eſt finis theſaurorum eius. 57.1.a
Auferam ſepem eius, & erit in direptionem, &c. 19.2.b 77.1.d
Vinea facta eſt dilecto in cornu filio olei. 19.2.b.77.1.b. 368.2.c
Væ qui coniungitis domum ad domum, & agrum agro copulatis vſque ad terminum loci. Nunquid habitabitis vos ſoli in medio terræ? 411.1.b
Cithara, & lyra, & tympanum, & tibia, & vinum in conuiuiis veſtris, & opus Domini non reſpicitis. 482.1.a
6. Incraſſatum eſt cor populi huius. 38.2.c
Domus repleta eſt fumo. 58.1.a
Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus exercituum. 357.1.d
7. Ecce Virgo concipiet, &c. & vocabitur nomen eius Emmanuel. 45.1.c.67.2.b.105.1.b. 338.1.d.385.2.a 386.1.d
Niſi crediderit is, non intelligetis. 78.2.d
Nunquid parum vobis eſt moleſtos eſſe hominibus, &c. propter hoc dabit vobis Dominus ipſe ſignum, &c. 105.1.b
Pete tibi ſignum à Domino Deo tuo, &c. 205.2.e.206. 1.e.385.2.a
Butyrum & mel comedet. 413.1.c
Vocabitur nomen eius Emmanuel, 431.1.e
8. Acceſſit ad Prophetiſſam, & concepit, & peperit filium, &c. 106.1.d.385.2.a
Voca nomen eius, Accelera ſpolia detrahere, &c. 106.1.d
Expectabo Dominum qui abſcondit faciem ſuam à domo Iacob. 38.1.b
Sume tibi librum grandem, &c. 385.2.d. *Vbi bona pars capitis explicatur.*
Dominum exercituum ipſum ſanctificate, ipſe pauor veſter, & ipſe terror veſter. Et erit vobis in ſanctificationem, in lapidem autem offenſionis, & in petram ſcandali duabus domibus Iſraël, &c. 477.1.e
9. Princeps pacis. 60.1.e
Paruulus datus eſt nobis, 67.2.c. 105.2.b.385.2.b.409. 2.e.486.2.c
Super ſolium Dauid, & ſuper regnum eius ſedebit, &c. 58.1.b
Vocabitur nomen eius, admirabilis, conſiliarius, Deus fortis, &c. 58.2.a.386.1.b
Factus eſt principatus ſuper humerum eius, 58.2.e 96.2.c. 485.2.a
Multiplicabitur eius imperium. Super ſolium Dauid ſedebit vt confirmet illud, &c. 336.2.e
Populus, qui ambulabat in tenebris vidit lucem magnam, &c. 370.2.d
11. Repleta eſt terra ſcientia Domini, ſicut aquæ maris operientes, &c. 45.2.c
Leuabit ſignum in nationes, & congregabit profugos Iſrael, &c. 18.1.c.49.2.a.50.1.e
Adiiciet Dominus ſecundo ad poſſidendum reſiduum populi ſui, &c. 18.1.b
Habitabit lupus cum agno, & pardus cum hædo cubabit, &c. 43.1.c
Egredietur virga de radice Ieſſe, & flos de radice eius aſcendet. 391.1.c.498.2.b.&c.
12. Ecce Deus ſaluator meus. 70.2.c
Haurietis aquas de fontibus Saluatoris. 71.1.b.449.1.a
13. Ecce dies Domini veniet crudelis, & indignationis plenus, & iræ, &c. 47.2.a
Ego mandaui ſanctificatis meis. 352.1.e
Viſitabo ſuper orbis mala, 368.1.c
14. Sedebo in lateribus Aquilonis. 45.1.c
Miſerebitur Dominus Iacob, & eliget adhuc Iſrael, &c. 51.1.c
Quomodo cecidiſti Lucifer, qui mane oriebaris. 374.2.b 375.1.b
Aſcendam ſuper altitudinem nubium, ſimilis ero altiſſimo. 427.2.d
16. Emitte agnum dominatorem terræ de petra deſerti ad montem filiæ Sion. 183.1.c
19. Erit altare Domini in Ægypto, & titulus Domini in terminis eius, &c. 246.1.d
Ecce Dominus aſcendet ſuper nubem leuem, & ingredietur Ægyptum, & commouebuntur ſimulachra Ægypti. 492.1.b.500.1.c
In die illa erit altare Domini in medio terræ Ægypti, & titulus Domini iuxta terminum eius, &c. Et cognoſcent Ægyptij Dominum, &c. 501.1.a
20. Solue ſaccum de lumbis tuis, &c. 235.2.b
23. Vlulate naues Tharſis, 202.1.c
25. Confitebor nomini tuo quoniam feciſti mirabilia, cogitationes antiquas fideles. Amen. 68.1.a
26. Vrbs fortitudinis noſtræ Sion, Saluator ponetur in ea, &c. 45.2.a
Nomen tuū, & memoriale tuū in deſiderio animæ. 447.1.b
27. Viſitabit Dominus in gladio ſuo duro, & grandi, & forti, ſuper Leuiathan, &c. 64.1.b
28. Quem docebit ſcientiam? &c. ablactatos à lacte, auulſos ab vberibus. 19.1.e
Coangueſtum eſt ſtratum, ita vt alter decidat, &c. 465.1.c
Pallium breue eſt, vtrumque operire non poteſt. ibid.
Ecce ego mitto in fundamentum Sion lapidem, lapidem probatum, angularem, pretioſum, &c. 477.1.d
29. Miſcuit vobis Dominus ſpiritum ſoporis, &c. 37.1.d
Audient in die illa ſurdi verba libri, & de tenebris, & caligine oculi eorum videbunt. ibid.2.a
Ecce ego addam vt admirationem faciam populo huic miraculo grandi, & ſtupendo. 38.2.a
30. Donec relinquamini quaſi malus nauis in vertice montis, &c. 53.2.d
Dabit vobis Dominus panem arctum, & aquam breuem, & non faciet auolare à te vltra doctorem tuū, &c. 113.1.d
Erunt oculi tui videntes præceptorem tuum. 174.1.c
31. Væ qui deſcendunt in Ægyptum ad auxilium in equis ſpirantes, &c. 111.2.c
32. Ecce in iuſtitia regnabit Rex, & Principes in iudicio præerunt: & erit vir ſicut qui abſconditur à vento & celat ſe à tempeſtate. 423.1.b

Erit opus iuſtitiæ pax. & cultus iuſtitiæ ſilentium, & ſecuritas vſque in ſempiternum, & ſedebit populus meus in pulchritudine pacis, & in tabernaculis fiduciæ, & requie opulenta. ibid.
33. Oculi tui videbunt Hieruſalem ciuitatem opulentam, tabernaculum, &c. 46.2. b
Væ qui prædaris, nonne & ipſe prædaberis. 175.1.b
35. Lætabitur deſerta, & inuia, & exultabit ſolitudo, & florebit quaſi lilium. 68.1.c.461.2.c
Gloria Libani data eſt ei, decor Carmeli, & Saron, &c. 68.1.c
37. Hæc dicit Dominus de rege Aſſyr. Non intrabit ciuitatem hanc, & non iaciet ibi ſagittam. 270.2.a
28. Quaſi leo ſic contriuit omnia oſſa mea. 117.2.c
Generatio mea ablata eſt, quaſi tabernaculũ paſtorũ. 48.2.a
Reuerſus eſt ſol X. lineis per gradus quos deſcenderat. 462.1.b
Proiecisti poſt tergum tuum omnia peccata mea. 514.2.d
39. Non fuit verbum, quod non offenderet eis, 340.1.e
40. Verè fœnum eſt populus. Exſiccatum eſt fœnum, & cecidit flos. 17.2.c
Videbit omnis caro ſalutare Dei. 106.2.c.170.1.c
Conſolamini, conſolamini populo meus, dicit Deus veſter. Loquimini ad cor Hieruſalem, &c. 371.1.d
41. Ne timeas Iſrael, quia ego tecum ſum. 349.1.a
42. Calamum quaſſatum non conteret, & lignum fumigans non extinguet. 61.1.d.74.1.c.215.2.a
Quis cæcus niſi ſeruus meus, &c. 28.1.c
Ecce ego facio noua, & nunc orientur. Ponam in deſerto viam, & in inuio flumina. Glorificabit me beſtia agri, dracones, & ſtruthiones, &c. 421.1.e
43. Ne memineritis priorum & antiqua ne intueamini, ecce ego facio noua. 79.2.b
Ego ſum, qui deleo iniquitates tuas propter me. 384.2.d
44. Effundam aquas ſuper ſitientem, &c. 50.1.c 112.1.e
45. Rorate cœli deſuper, & nubes pluant iuſtum, aperiatur terra, &c. 67.2.d.361.2.b
Tantum in te eſt Deus, &c. vere tu es Deus abſconditus, Deus Iſraël Saluator. 67.2.c.462.1.e
Viuo ego, dicit Dominus, quia mihi flectetur omne genu, &c. 7.2.a
Ego Dominus formans lucem, &c. Faciens pacẽ, & creans malum. 156.2.b
Hæc dicit Dominus Chriſto meo Cyro. 430.1.c
Iſrael ſaluatus eſt in Domino ſalute æterna. 446.2.b
Ipſe ædificabit ciuitatem meam & captiuitatem meam dimittet. 44.1.b.2.c.221.2.c
48. Et nũc Dominus meus miſit me, & ſpiritus eius. 69.1.e
49. Parum eſt vt ſis mihi ſeruus ad ſuſcitandas tribus Iacob, &c. 18.1.e
Dedi te in lucem gentium, vt ſis ſalus mea vſque ad extremum terræ. 18 1.e.29.1.a.129.1.b.448.2.c
Viuo ego, dicit Dominus, niſi omnes eos induam ſicut veſtimentum. 180.2.a
In vmbra manus ſuæ protegit me. 339.2.a
50. Quis eſt hic liber repudij, &c. Ecce in ſceleribus veſtris dimiſi matrem veſtram, &c. 68.2.c
Nunquid abbreuiata eſt, & paruula facta eſt manus mea, vt non poſſim redimere, &c ibid.
51. Poſui verba mea in ore tuo, & in vmbra manus meæ protexi te, vt plantes cœlos, &c. 109.1.c
Conſurge, conſurge brachium Domini, conſurge ſicut in diebus antiquis, &c. 109.1.e
52. Gratis venundati eſtis. 109.2.b.68.2.b
Ego ipſe, qui loquebar, adſum. 68.2.b
Quam pulchri ſuper montes pedes annuntiantis, & prædicantis pacem, &c. ibid.27.1.d
Iſte aſperget gentes multas. 71.1.e
Gaudete, & exultate ſimul deſerta Hieruſalem, quia conſolatus eſt Dominus populum ſuum, &c. 28.1.a
Recedite, recedite, exite inde, pollutũ nolite tãgere, mundamini, qui fertis vaſa Domini, &c. ibid.b
53. Quaſi agnus coram tondente ſe obmutescet. 20.2.b
Si poſuerit pro peccato animam ſuam, videbit ſemen longæuum. 66.2.c
Quis credidit auditui noſtro, & brachium Domini cui reuelatum eſt? 113.2.d
Et aſcendit ſicut virgultum coram eo, & ſicut radix de terra ſitienti. 114.1.d. cum ſeqq. (*Vbi huiuſmodi caput pene totum exponitur.* 56.2.c.185 1.c.479.2.b
45. Lætare ſterilis, quæ non paris, &c. Quoniam multi filij deſertæ magis, &c. 108.1.c
Dominus exercituum nomen eius, & redemptor tuus ſanctus Iſrael, &c. 112.2.e
55. Non enim cogitationes meæ, cogitationes veſtræ, &c. 59.2.a.122.1.b
Ecce teſtem populis dedi eum, ducem ac præceptorem gentibus. 174.1.c
Omnes ſitientes venite ad aquas. 55.2.a
Qui non habetis argentum properate. 360.1.d
Quærite Dominum dum inueniri poteſt, &c. 517.1.d
58. Si auerteris à ſabbatho pedem tuum, facere voluntatem tuam in die ſancto meo, & vocaberis ſabbathum delicatum; & ſanctum Domini glorioſum, &c. 512.2.b
59. Quaſi columbæ meditantes gememus, 481.1.c
60. Non audietur vltra iniquitas in terra tua, vaſtitas, & contritio in terminis tuis, &c. 46.1.c
Leua in circuitu oculos tuos, & vide, omnes iſti congregati ſunt venerunt tibi, &c. 66.2.a
Omnes de Saba venient, aurum & thus deferentes. 442.2.c
Qui ſunt iſti, qui vt nubes volant, & quaſi columbæ ad feneſtras ſuas? 483.2.b
61. Spiritus Domini ſuper me, eo quod vnxerit me, ad annuntiandum manſuetis miſit me, vt mederer contritis corde, &c. 108.2 c.430.2.e
62. Propter Sion non tacebo, & propter Hieruſalem non quieſcam, &c. 70.2.d.106.1.c
Lætabitur ſponſus ſuper ſpõſam, & habitabit iuuenis cum virgine. 288.2.b
Vocabitur tibi nomen nouum, quod os Domini nominauit. 432.2.d.449.2.a
Voluntas mea in ea. 45.1.a
Eris corona gloriæ in manu Domini, & diadema regni, &c. ibid.
Non vocaberis vltra derelicta, ſed vocaberis voluntas mea in ea. 387.1.d
63. Quis eſt iſte, qui venit de Edom, tinctis veſtibus de Boſra, &c. 7.2.c.59.2.c.61.2.b
Ego ſum qui loquor iuſtitiam, & propugnator ſum ad ſaluandum. 61.2.e
Iſte formoſus in ſtola ſua, gradiens in multitudine fortitudinis ſuæ. 61 2.b
Torcular calcaui ſolus, &c. 62.1.a.110.2.b.421.1.c
Non legatus, neque Angelus, ſed ipſe Dominus ſaluabit eos, eò quòd diligeret eos. 367.2.d
64. Oculus non vidit Deus abſque te, quæ præparaſti expectantibus te. 47.1.a
65. Obliuioni traditæ ſunt anguſtiæ priores, & quia abſconditę ſunt ab oculis noſtris. Ecce enim ego creo cœlos nouos, &c. 46.1.d
Interficiet te Deus, & ſeruos ſuos vocabit nomine alio, in quo nomine qui benedictus eſt ſuper terram benedicetur in Deo. Amen. 449.2.a
66. Egredientur, & videbunt cadauera virorum, qui præuaricati ſunt in me, &c. 63.1.d
Nunquid parturiet terra in die vna? aut parietur gens ſimul, &c. 66.2.a
Ego, qui alios parere facio, ipſe non pariam? 67.1.a
Ad quem reſpiciam, niſi ad pauperculum. & contritum ſpiritu, & trementem ſermones meos? 209.2.b

EX IEREMIA.

CAP. 1. Ab Aquilone pãdetur omne malũ. 45.1.c.214.1.b
Virgam vigilantem ego video. 213.2.d.424.2.d
Vſque ad tranſmigrationem Hieruſalem. 216.1.e
Priuſquam te formarem in vtero, noui te: & antequam exires de vulua, ſanctificaui te, &c. 352.1.d. cum ſeqq.
2. Scito & vide, quia malum, & amarum eſt reliquiſſe te Dominum Deum tuum. 150.2.b
Fecerunt ſibi ciſternas diſſipatas. 226.1.e
Quam vilis facta es nimis, iterans vias tuas. 470.2.c
3. In diebus illis non dicent vltra, Arca Teſtamenti Domini, neque aſcendet ſuper cor, &c. 48.2.d
In tempore illo vocabunt Hieruſalem ſolium Domini, &c. 44.1.c.2.c
Frons meretricis facta eſt tibi. 324.2.b
6. Sanctificate ſuper eam bellum. 352.1.e
7. Nolite confidere in verbis mendacij dicentes, templum Domini, templum Domini eſt. 48.2.e
8. Hæc dicit Dominus; Nunquid, qui cadit non reſurget, & qui auerſus eſt, non reuertetur. 38.1.c
Miluus in cœlo cognouit tempus ſuum, turtur, & hirundo, &c. ibid.e
Quomodo dicetis, ſapientes nos ſumus, & Lex Domini nobiſcum eſt? &c. ibid.2.a
Nunquid reſina non eſt in Galaad, aut medicus non eſt ibi? quare ergo, &c. 327.2.e
Quare auerſus eſt, populus iſte auerſione contentioſa? Omnes cõuerſi ſunt ad curſum ſuum, quaſi equus impetu vadens ad prælium. 360.2.d
9. Omnes gentes habent præputium. Omnis autem Iſrael incircumciſi ſunt corde. 436.1.a
Aſcendit mors per feneſtras. 483.2.a
11. Ego tanquam agnus manſuetus, qui portatur ad victimam. 60.1.b
12. Facta eſt mihi hæreditas mea, ſicut Leo in ſylua, dedit contra me vocem ſuam. 117.2.a

Sanctifica eos in die occisionis. 352.1.c
16. Domine fortitudo mea, & robur meum, & refugium meum, &c. ad te gentes venient ab extremis terræ, & dicent, vere mendacium possederunt patres nostri, &c. 113.1.a
18. Ecce ego dicit Dominus, fingo contra vos malum. 156.2.c
22. Non reuertetur huc amplius, sed in loco ad quē transtuli eum, ibi morietur. &c. 212.2.b
Viuo ego, dicit Dominus, si fuerit Iechonias filius Ioacim regis Iuda, annulus in manu dextra mea, inde euellam eum, &c. 213.1.d
Scribe virum istum sterilem, qui in diebus suis non prosperabitur, &c. 222.1.d
23. Ecce dies veniunt, & suscitabo Dauid germen instum; & regnabit Rex, & sapiens erit, &c. 58.2.d 184.1.c
In diebus illis saluabitur Iuda, & Israel habitabit confidenter, &c. 68.2.d
Hoc est nomen, quod vocabunt eum, Dominus iustus noster. ibid. 387.1.b
24. Ecce duo calathi pleni ficis positi ante templum Domini, &c. 214.2.c. 220.1.c
25. Verbum, quod factum est ad Ieremiam de omni populo Iudæ, in anno quarto Ioacim, &c. 213.1.c. 217.2.c
Pro eo quod non audistis verba mea, ecce ego mittam, & assumam vniuersas cogitationes Aquilonis, & Nabuchodonosor regem, &c. 216.2.a
Seruient omnes gentes istæ regi Babylonis septuaginta annis, &c. 217.2.d
26. Eduxerunt Vriam de Ægypto, & adduxerunt eum ad Regem Ioachim, & percussit eum gladio. Et proiecit cadauer eius in sepulchris vulgi ignobilis, &c. 236.1.a
27. Nunc itaque ego dedi omnes terras istas in manu Nabuchodonosor regis Babylonis serui mei, insuper & bestias agri, &c. 217.2.d. cum seqq.
29. Cum cœperint impleri in Babylone septuaginta anni, visitabo vos, &c. 216.2.b
Accipite vxores, & generate filios, & filias, &c. & nolite esse pauci numero. 219.1.d
Præceperat Nabuchodonosor rex Babylonis de Ieremia Nabuzardan magistro militum dicens, Tolle illum, & pone super illum oculos tuos, nihilque ei mali facias, sed vt voluerit, sic facias ei, &c. 238.1.c
Quæritis me, & inuenietis, cum quæsieritis me in toto corde vestro. 516.2.c
30. Ecce ego conuertam cōuersionem tabernaculorum Iacob, & tectis eius miserebor, &c. 89.2.c
Ecce ego saluabo te de terra longinqua, & semen tuum de terra, &c. 49.2.a. 50.2.b
31. Ecce dies veniunt, & consummabo super domū Israel, & super domum Iuda, &c. 2.1.c
Hoc est testamentum quod disponam domui Israel, post dies illos. 3.1.d
Nouum fecit Dominus super terram, mulier circumdabit virum, &c. 20.1.c. 106.2.a. 342.1.b
Ecce dies veniunt, & ædificabitur ciuitas Domino, &c. 44.1.b
Ecce dies veniunt, & feriam domui Israel, & domui Iuda fœdus nouum, &c. 79.2.b
Vox in Rama audita est. Rachel plorans filios suos, &c. 496.1.a.b
32. Statue tibi speculam, pone tibi amaritudines. 425.1.b.c
Non erit tibi difficile omne verbum. 340.1.c
34. Dabo viros, qui præuaricantur fœdus meum. 2.1.b
36. Cadauer eius proiicietur ad æstum per diem, & ad gelu per noctem. 213.1.a
39. Aperta est ciuitas, & ingressi sunt omnes principes Regis, &c. 214.1.d.
40. Iudæi omnes, qui erant in Moab, &c. reuersi sunt de vniuersis locis, &c. 215.1.c
42. Ecce ego congregabo eos de vniuersis terris, &c. 49.2.a
43. Assumam Nabuchodonosor regem Babylonis seruum meum, & ponam thronum eius super lapides istos, &c. 216.1.a
44. Sed facientes faciemus omne verbum, quod egredietur de ore nostro, vt sacrificemus reginæ Cœli, &c. 129.2.b
46. Vitula elegans, atque formosa Ægyptus, stimulator, ab Aquilone veniet ei. 205.2.c
51. Saraias erat princeps prophetiæ. 234.1.d
52. Posuit eum in domo carceris vsque ad diem mortis eius, &c. 214.1.c

EX BARVCH.

Cap. 3. In terris visus est, & cum hominibus conuersatus est. 171.1.d
O Israel quam magna est domus Domini, &c. 47.1.b
4. Hic liber mandatorum Dei, & lex, quæ est in æternum. 75.2.b
6. Ingressi Babylonem eritis ibi annis plurimis, & temporibus longis, &c. 219.1.c

EX THRENIS.

Cap. 1. Dedit me Dominus in manu, de qua non potero surgere, &c. 53.1.d
Viderunt eam hostes, & derisérunt sabbatha eius. 513.1.a
2. Magna est, vt mare contritio tua. 53.2.c
Non est recordatus scabelli pedum eius. 280.1.c
Confregit omne cornu Israel. 368.2.c
3. Posuit me quasi signum ad sagittam. 477.2.c
4. Spiritus ori nostri Christus Dominus. 68.2.c
Candidiores Nazaræi eius niue, nitidiores lacte, rubicundiores ebore antiquo sapphiro, pulchriores. 499.1.a
Denigrata est super carbones facies eorum. ibid.b

EX EZECHIELE.

Cap. 1. Facies aquilæ desuper ipsorum quatuor. 131.2.d
Similitudo quatuor animalium. 35.1.c
Quocunque ibat spiritus, illuc eunte spiritu, & rotæ pariter eleuabantur, sequentes eum. 449.1.d
2. Ecce manus missa ad me, in qua erat liber inuolutus, &c. 13.1.b
Scriptæ erant in eo lamentationes & carmē, & væ. 449.1.a
3. Speculatorem dedi te domui Israel. 425.1.c
Factum est in ore meo sicut mel dulce. 449.1.a
4. Sume tibi laterem, & pones eum coram te, &c. 214.1.c
12. Egredieris vespere coram eis, sicut egredietur migrans ante oculos eorum, &c. ibid.2.b
Adducam eum in terram Chaldæorum, & ipsam non videbit. ibid.1.e
16. Pater tuus Amorrhæus, & mater tua Cethæa. 49.2.b
Hæc fuit iniquitas Sodomæ, superbia, saturitas panis, &c. 56.2.d
Proiecta es super faciem terræ, in abiectione animæ tuæ, in die qua nata es. 65.1.c
Expandi amictum meum super te, & operui ignominiam tuam, ibid.d. *Vbi huius capitis explicatio apponitur.*
Fabricasti lupanar tuum in capite omnis viæ, & excelsum tuum fecisti, &c. 67.1.c
17. Ænigmatiza ænigma, & paraboliza parabolam ad domum Israel. 39.1.d
Ego humiliaui lignum sublime, & exaltaui lignū humile. 346.2.c
Aquila grandis, magnarum alarum, &c. venit ad Libanum, & tulit medullam cedri. 130.2.a
18. Vita viuet & non morietur, omnium delictorum eius, quæ fecit, non recordabitur ei. 107.2.c
21. Aufercidarim, tolle coronam: nonne hæc est, quæ humilem sublеuauit? &c. 87.1.b
23. Fornicata est super me Oolla, & insaniuit in amatores suos, &c. 67.1.d. 199.2.b
24 Multo labore sudatum est, & non exiuit de ea nimia rubigo eius, neque per ignem, &c. 213.2.e
Væ ciuitati sanguinum, cuius ego grandem faciam pyram, &c. 214.1.a
29. In die illa pullulabit cornu domui Israël. 368.2.c
34. In pascuis vberrimis pascam eas, &c. 426.1.b
36. Tollam vos de gentibus, & congregabo vos de vniuersis terris, &c. 51.1.c
Effundam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus iniquitatibus vestris. 76.1.a
37. Ecce ego assumam filios Israel de medio nationum, ad quas abierunt, &c. 49.2.a. 113.1.a
Faciam eos in gentem vnam in montibus Israel, &c. 50.2.d
38. Congregabo aduersus eum in cunctis montibus meis gladium, &c. 62.2.d
39. Nunc reducam captiuitatem Iacob, & miserebor omnis domus Israel. 45.2.a
43. Hæc est lex domus in summitate montis; omnis finis eius in circuitu sanctorum est. 268.2.e
Ostende domui Israël templū, & confundātur, &c. 427.1.d
47. Ecce in ripa torrentis ligna multa nimis ex vtraque parte. 45.2.c
48. Nomen ciuitatis Dominus. ibid.1.c

EX DANIELE.

Cap. 2. Suscitabit Deus cœli regnum, quod in æternum dissipabitur. 56.1.c. 58.1.a.d. 454.2.e
Abscissus est lapis de monte sine manibus. 42.1 c. 90.1.c 265.1.c. 344.1.b
Ecce quasi statua vna grandis, &c. Caput ex auro optimo erat, &c. 90.1.c
3. Nabuchodonosor Rex misit ad congregandos satrapas, magistratus, & iudices, vt conuenirent ad dedicationem statuæ. 465.2.b
4. Magna arbor, & fortis, & proceritas eius contingens cœlum, &c. 114.1.c. 255.2.b

Intra-

In ramis eius conuerſabantur volucres cæli. 263.1.b
Eiicient te ab hominibus, & cum feris, beſtiiſque erit habitatio tua,&c. 514.1.c
5. Mane numerauit Deus regnum tuum, & compleuit illud,&c. 220.1.e
Allata ſunt vaſa aurea, quæ aſportauerat de templo, quod fuerat in Hieruſalem,&c. 465.2.a
Apparuerunt digiti quaſi manus hominis ſcribentis, tunc facies Regis commutata eſt,&c. 466.1.b
Mane, Techel, Phares. ibid.c
6. Vidi, & ecce vir vnus veſtitus lineis, & renes eius accincti auro obrizo,&c. 335.2.a
Non remanſit in me fortitudo,ſed & ſpecies mea immutata eſt in me,& emarcui,nec habui quicquã virium,&c. ib.
7. Ecce cornu aliud paruulum ortum eſt de medio eorum. 90.2.c
Aſpiciebã,& vidi quoniam interfecta eſſet beſtia,& periiſſet corpus eius,&c. ibid.e
Ecce cum nubibus cæli quaſi filius hominis veniebat, & vſque ad antiquum dierum peruenit,&c. ibid.
Poteſtas eius poteſtas æterna. 58.1.a
Ecce beſtia ſimilis vrſo in parte ſtetit,& tres ordines erant in ore eius,&c. 438 1.b
Prima beſtia quaſi leæna, & alas habebat aquilæ, auulſæ ſunt alæ eius,&c. 514.1.b
8. Hircus caprarum magnus factus eſt nimis, cumque creuiſſet,fractum eſt cornu magnum,&c. 244.1.c
Vſque ad veſperam & mane,duo millia trecenti,& mundabitur ſanctuarium,&c. 245.1.a
9. Septuaginta hebdomades abbreuiatæ ſunt ſuper populum tuum,&c. 91.2.d.cum ſeqq.
In dimidio hebdomadæ deficiet hoſtia & ſacrificium, &c. 92.2.c
Et erit in templo abominatio deſolationis. 49.1.b.93.1.d
Ego intellexi in libris numerum annorum de quo factus eſt ſermo Domini ad Ieremiam,&c. 216.2.d
Non erit eius populus,qui eum negaturus eſt. 91.2.d
11. Filij quoque præuaricatorum populi tui extollentur, &c. 246.1.d
13. Species decepit te,&c. 254.2.e
Rex Aſtyages appoſitus eſt ad patres ſuos, & ſuſcepit Cyrus Perſes regnum eius. 221.1.e

EX OSEA.

CAP. 1. Congregabuntur filij Iuda,& filij Iſrael pariter, &c. 49.2.a.50.2.c
Non addam vltra miſereri domus Iſraelis, ſed obliuione obliuiſcar eorum. 19.1.e
Saluabo eos in Domino Deo ſuo,& non ſaluabo eos in arcu,& gladio,&c. 60.1.e.384.2.d
Fornicans fornicabitur terra à Domino. 67.1.c
Vos non populus meus, & ego non ero veſter, & erit numerus filiorum Iſrael,quaſi arena maris. 50.1.d.51.2.d
2. Sponſabo te mihi in ſempiternum, & ſponſabo te mihi in iuſtitia,&c. 65.1.a.2.a
Auferam nomina Baalim de ore eius,&c. 444.2.d
3. Dies multos ſedebunt filij Iſrael ſine Rege, & ſine principe,&c. 49.1.c.51.2.c.83.1.b
Reuertentur filij Iſrael,& quærent Dominum Deum ſuum, &c. 49.1.d.69.1.b
4 Fornicatio,& vinum auferunt cor. 202.2.c
5. Audite hoc ſacerdotes,&c. Laqueus facti eſtis ſpeculationi,& rete expanſum ſuper Thabor,&c. 325.2.e
6. Quaſi diluculum præparatus eſt egreſſus eius,& veniet quaſi imber temporaneus nobis,& ſerotinus terræ.184.2.d
7. Quieuit paululum ciuitas à commixtione fermenti,donec fermentaretur totum. 465.2.d
Omnes adulterantes quaſi clibanus ſuccenſus à coquente. ibid.e
Factus eſt Ephraim quaſi columba ſeducta non habens cor. 514.2.a
Comederunt alieni robur eius,& ipſe neſciuit,&c. ibid.
8. Proiecit Iſrael bonum, inimicus perſequetur eum, argentum ſuum & aurum ſuum fecerunt ſibi idola vt interirent. 227.2.d
9. Væ eis cum receſſero ab eis. 27.1.b
Facti ſunt abominabiles ſicut ea,quæ dilexerunt. 280.1.b
Quaſi vuas in deſerto inueni Iſrael, quaſi prima poma ficulneæ in cacumine eius vidi patres eorum. 461.2.b
10. Tempus autem requirendi Dominum,cum venerit qui docebit vos iuſtitiam. 113.2.c
11. In ſiniculis Adam traham eos. 14.1.b
Sicut mane pertranſit Rex Iſrael. 56.2.b
Ex Ægypto vocaui filium meum. 493.2.b
12. In manu Prophetarum aſſimilatus ſum. 39.1.d
13. De manu mortis liberabo eos,de morte redimam eos, ero mors tua,ô mors,morſus tuus ero inferne. 109.2.e
Adducet vrentem ventum Dominus de deſerto aſcendentem,& ſiccabit venas eius,&c. 110.1.c
14. Tollite vobiſcum verba. 367.2.b

EX IOEL.

CAP.2. Lætamini in Domino Deo veſtro,quia dedit vobis doctorem iuſtitiæ. 113.2.c
Non dabo vos vltra opprobrium in gentibus. 44.1.a
Senes veſtri ſomnia ſomniabunt,& iuuenes veſtri viſiones videbunt. 277.2.b
Conuertimini ad me in toto corde veſtro. 471.1.b
3.Clamate hoc in gentibus, ſanctificate bellum, ſuſcitate robuſtos,&c. 63.1.d
Mittite falces, quoniam maturauit meſſis,venite,& aſcendite,quia plenum eſt torcular. ibid.e

EX AMOS.

CAP.3. Si erit malum in ciuitate,quod Dominus non fecerit. 156.2.b
Non faciet Deus verbum, niſi reuelauerit ſecretum ſuum, ad ſeruos ſuos prophetas. 340.1.e

EX IONA.

CAP. 2. Rex ſurrexit de ſolio ſuo,& abiecit veſtimentum ſuum,& indutus eſt ſacco,&c. 465.2.a
3. Miſertus eſt Deus ſuper malitiam quam locutus fuerat vt faceret. 156 2.c
Veſtiti ſunt ſaccis à maiore vſque ad minorem. 408.2.c

EX MICHÆA.

CAP. 2. Congregabo Iacob totum, in vnum conducam reliquias Iſrael. 50.2.c
4. De Sion egredietur lex, & verbum Domini de Ieruſalem. 76.2.b
Erit in nouiſſimo dierum mons domus Domini,&c.41.1.a
Sedebit vir ſubtus vineam ſuam,&c. 43.2.c
Congregabo claudicantem,& eam,quam eieceram. 51.1.b
Et tu turris gregis nebuloſa filiæ Sion, vſq; ad te veniet,& veniet poteſtas prima,regnum filiæ Hieruſalem.415.2.b
5. Et tu Bethlehem Ephrata paruulus es in millibus Iuda, ex te mihi egredietur qui ſit dominator in Iſrael, &c. 69.1.b.107.2.e.459.1.a

EX NAHVM.

CAP. 2. Ancillæ eius minabuntur gementes,vt columbæ murmurantes in cordibus ſuis. 481.1.c

EX HABACVC.

CAP.1. Mundi ſunt oculi tui ne videas malum. 153.2.b. 355.2.e
2. Si moram fecerit,expecta eum. 392.2.e
3. Domine opus tuum in medio annorum viuifica illud, &c. 42.1.a
Cũ iratus fueris,miſericordiæ recordaberis.54.1.c.97.1.d
Cornua in manibus eius, ibi abſcondita eſt fortitudo eius, 61.1.c.369.1.a
In luce ſagittarum tuarum ibunt in ſplendore fulgurantis haſtæ tuæ. 64.1.c
Domine audiui auditionem tuam,& timui. 114.1.a
In medio duorum animalium cognoſceris. 405.1.a
Ficus non florebit,& non erit germen in vineis,mentietur opus oliuæ,&c. 444.1.a

EX SOPHONIA.

CAP.1. Præparauit Dominus hoſtiam,ſanctificauit vocatos ſuos. 352.1.e
2. Attenuabit omnes Deos terræ,& adorabunt eum vir de loco ſuo,&c. 112.2.e
3. Reddam populis labium electum,vt inuocent omnes in nomine Domini,&c. ibid.
Neſciuit iniquus confuſionem. 324.2.b

EX AGGÆO.

1. In manu Aggæi Prophetæ. 194.2.b
2. Adhuc vnum modicum eſt, & ego commouebo cælum & terram,&c. 87.2.c
Magna erit gloria domus iſtius nouiſſimæ, pluſquam primæ,&c. 42.1.b.48.2.b

EX ZACHARIA.

CAP. 1. Iſte ſeptuageſimus annus eſt. 218.2.d
2. Ecce ego venio,& habitabo in medio tui,ait Dominus, &c. 69.1.d
Abſque muro habitabitur Hieruſalem præ multitudine hominum,&c. 44.1.c.2.d
Ego ero ei murus ignis in circuitu,&c. 256.1.a
3.Oſtendit mihi Dominus Ieſum ſacerdotẽ magnũ.236.1.e
6.Ecce vir Oriens nomen eius,& ædificabit templum Domino. 44.1.a
In ſanguine teſtamenti tui eduxiſtis vinctos tuos,&c. 2. 2.d.2.c
Ecce Rex tuus veniet tibi iuſtus, & ſaluator, & ipſe pauper,&c. 56.2.a.60.2.b.336.2.a

12. Effundam ſuper domum Dauid ſpiritum gratiæ, & precum, &c. 69.2.a
Familiæ & familiæ ſeorſum, & mulieres eorum ſeorſum. 507.1.a
13. Phramea ſuſcitare ſuper paſtorem meum, &c. 69.2.c
Percute paſtorem, & diſpergentur oues. ibid. 117.2.d
In die illa erit fons patens domui Dauid, &c. in ablutionem peccatoris, & menſtruatæ. 71.1.b. 112.2.d. 448.2.c. 479.1.c
Nec operientur pallio ſaccino, vt metiantur. 235.2.b
14. In die illa erit Dominus vnus, & erit nomẽ eius vnum. 112.2.d
Exibunt aquæ viuæ de Ieruſalem, medium earum ad mare Orientale, &c. ibid.c

EX MALACHIA.

CAP. 1. Si Dominus ego ſum, vbi eſt timor meus? 10.2.c
3. Veniet ad templum ſuum dominator, quem vos quæritis, &c. 20.2.e. 48.2.c. 69.2.d
Ecce ego mitto Angelum meum, & præparabit viam ante faciem meam. 69.2.d. 175.2.b
Ipſe quaſi ignis conflans, & quaſi herba fullonum purgabit filios Leui, &c. 479.2.c
4. Ecce ego mittam vobis Eliam Prophetam, antequam veniat dies Domini magnus, &c. 74.1.d
Ecce dies venit ſuccenſa quaſi caminus, &c. ibid.2.b
Orietur vobis timentibus nomen meũ Sol iuſtitiæ. ibi.2.c
Sanitas in pennis eius. 75.1.a
Mementote legis Moſis ſerui mei, &c. 81.2.a

EX LIB. I. MACHABÆORVM.

CAP. 1. Intrauit Antiochus in ſanctificationem cum ſuperbia, & accepit altare aureum, &c. 88.2.d. 244.1.a
Mulieres, quæ circumcidebant filios ſuos, trucidabantur. 429.2.a
5. Viri Iuda magnificati ſunt valdè. 85.2.b
8. Audiuit Iudas nomen Romanorum, quia ſunt potentes viribus, &c. 245.2.b
Percuſſus eſt Alcimus, & impedita ſunt opera illius, &c. 246.1.a

EX LIB. II. MACHABÆORVM.

CAP. 2. Inferebantur autem in deſcriptionibus & commentariis Nehemiæ, hæc eadem, & qualiter conſtruens bibliothecam, congregauit de regibus libros, & prophetarum, & Dauid, &c. 239.2.a
3. Virgines quæ concluſæ erant procurrebant ad Oniam. 283.1.b
7. Rex mundi defunctos nos pro ſuis legibus in æternæ vitæ reſurrectione ſuſcitabit, &c. 9.1.b
9. Sibi videbatur fluctibus maris imperare ſupra humanum modum ſuperbia elatus, &c. 514.1.c
Iuſtum eſt ſubditum eſſe Deo, & mortalem non paria Deo ſentire. ibid.d
15. Oniam, qui fuerat ſummus ſacerdos, virum bonum & benignum, &c. 242.2.c. 489.1.d

EX MATTHÆO.

1. De qua natus eſt Ieſus, qui vocatur Chriſtus. 336.1.e
Vocabis nomen eius Ieſum, ipſe enim ſaluum faciet populum ſuum à peccatis eorum. 431.2.e
2. Vidimus ſtellam eius in Oriente. 374.2.c
4. Mitte te deorſum. 489.1.b
5. Conſiderate lilia agri quomodo creſcunt, non laborant, nec nent. Dico autem vobis quod nec Salomon in omni gloria ſua, &c. 296.1.c
Vos eſtis ſal terræ. 45.2.e
Nõ veni ſoluere legẽ aut Proph. ſed adimplere, &c. 81.2.c
Iota vnum aut vnus apex non præteribit à lege donec omnia fiant. 278.1.b
6. Sufficit diei malitia ſua. 371.1.c
7. Ex fructibus eorum cognoſcetis eos. 266.2.e
8. Filij regni eiicientur in tenebras exteriores. 101.1.c
9. Vidit hominem ſedentem in telonio. 180.2.c
10. Eſtote prudentes ſicut ſerpentes. 103.1.e
Qui amat patrem aut matrem pluſquam me, non eſt me dignus. 161.2.b
Quicumque potum dederit vni ex minimis iſtis calicem aquæ frigidæ, non perdet mercedem ſuam, &c. 486.2.b
11. Venite ad me omnes qui laboratis, &c. 11.1.d. 13.2.d
Omnes Prophetæ & lex vſque ad Ioannem prophetauerunt. 376.2.b
Abſcondiſti hæc à ſapientibus & prudentibus, & reuelaſti ea paruulis. 416.2.b. 420.1.b
Pauperes euangelizantur. 420.1.d
12. Cùm fortis armatus cuſtodit atrium ſuum, &c. 110.2.b
Quæ eſt mater mea, & qui ſunt fratres mei, &c. 265.2.e
Ecce mater eius, & fratres ſtabant, &c. 312.2.a
Cùm dormirent homines, venit inimicus, &c. 425.1.b
13. Incraſſatum eſt cor populi huius, &c. 37.2.a
Sine parabolis non loquebatur eis. 39.2.a
Volucres cæli comederunt illud. 502.2.b
15. Non ſum miſſus, niſi ad oues, quæ perierunt domus Iſrael. 18.2.a
16. Hic eſt ſanguis meus noui & æterni Teſtamenti. 2.2.c
17. Cum veniſſent Capharnaum, acceſſerunt, qui didrachma accipiebant, ad Petrũ, & dixerunt ei: Magiſter veſter non ſoluit didrachma? 394.1.a
Elias venturus eſt, &c. 52.2.a
18. Si manus tua, vel pes tuus ſcandalizat te, abſcinde eam, & proiice, &c. 439.2.b
19. Si vis ad vitam ingredi ſerua mandata. 323.2.a
21. Auferetur à vobis regnũ Dei, & dabitur gẽti, &c. 17.2.e
Videns fici arborem ſecus viam, venit ad eam, & nihil inuenit in ea niſi folia tantum, & ait illi, numquam ex te fructus naſcatur. 463.1.c
22. In his duobus mandatis lex pendet. 14.1.e
Quid vobis videtur de Chriſto? 184.1.c
Si Dauid vocat eũ Dominũ, quomodo filius eius eſt? 185.1.d
Erant apud nos 7. fratres, & primus vxore ducta defunctus eſt, & nõ habens ſemen, reliquit vxorẽ fratri ſuo. 251.2.a
23. Ecce relinquetur domus veſtra deſerta. 77.1.b
Quoties volui congregare filios tuos ſub alas. 112.1.a
Si fuiſſemus in diebus patrum noſtrorum, non fuiſſemus eorum ſocij in ſanguine prophetarum 235.2.c
A foris paretis hominibus iuſti. 323.1.b
24. Prædicabitur hoc Euangelium in vniuerſo orbe, & tunc veniet conſummatio. 18.2.c. 52.1.e
Plangent omnes tribus terræ. 69.2.b
Parabit ſignum filij hominis in cælo. ibid.
Orate vt non fiat fuga veſtra in hieme, vel ſabbatho. 81.2.e
Cum videritis abominationem deſolationis, &c. 94.1.c
Niſi breuiati fuiſſent dies illi, non ſalua fieret omnis caro, &c. 55.2.c
27. Prætereuntes blaſphemabant eum, &c. 117.1.e
Sanguis eius ſuper nos, & ſuper filios noſtros. 56.1.e
Impoſuerunt ſuper caput eius. 447.1.b
28. Eũtes docete omnes gentes, baptizãtes eos, &c. 28.1.d
Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus, vſque ad conſummationem ſæculi. 45.1.c
Data eſt mihi omnis poteſtas in cælo & in terra. 57.2.e. 349.2.a
Dicite quia diſcipuli eius furati ſunt eum nobis dormientibus. 425.1.b

EX MARCO.

6. Vnde huic hæc omnia? & quæ eſt ſapientia, quæ data eſt illi, & virtutes tales, quæ per manus eius efficiuntur? 511.2.b
Nonne hic eſt filius Mariæ, frater Iacobi, & Ioſeph, & Iudæ, & Simonis: nonne & ſorores eius hic nobiſcum ſunt. 312.2.a
11. Oſanna, benedictus qui venit in nomine Domini. Benedictũ quod venit regnum patris noſtri Dauid. 416.1.b
14. Simon dormis? non potuiſti vna hora vigilare? 425.1.a
Non in die feſto, &c. 513.2.b
16. Aſſumptus eſt in cælum, & ſedet à dextris Dei. 306.1.a

EX LVCA.

CAP. 1. Iuſiurandum quod iurauit ad Abraham patrem noſtrum. 99.2.d
Vxor illius de filiabus Aaron. 182.1.a
Dabit illi Dominus Deus ſedem Dauid. 184.1.b
Fecit mihi magna qui potens eſt. 357.2.c
Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes. 334.2.d
Hic menſis eſt ſextus illi quæ vocatur ſterilis. 336.1.e
2. Expectans conſolationem Iſrael. 28.1.a
In terra pax hominibus bonæ voluntatis. 42.2.e
Ecce euangelizo vobis gaudium magnum. 417.1.b
Exiit edictum à Cæſare Auguſto, &c. 43.2.d
Non diſcedebat à templo, ieiuniis & obſecrationibus ſeruiens, &c. 283.1.a
Ecce pater tuus & ego dolentes quærebamus te. 291.2.a
Erat ſubditus illis. ibid.
3. Venit in omnem regionem Iordanis prædicans. 378.1.d
4. Mirabantur in verbis, quæ procedebant de ore ipſius. 173.1.a
6. Ex abundantia cordis os loquitur. 137.1.d
10. Beati oculi qui vident, quæ vos videtis, &c. 27.2.b. 164.1.b
Etiam pater, quoniam ſic placuit ante te. 418.1.c
11. Cum fortis armatus cuſtodit atrium ſuum, &c. 116.1.e
Beati qui audiunt verbum Dei, & cuſtodiũt illud. 265.2.d
Extollens vocem quædam mulier de turba, &c. 351.2.a
12. Ignem veni mittere in terram. 279.1.a
Baptiſmo habeo baptizari, & quomodo coarctor, vſque dum perficiatur. 446.1.d
13. Ieruſalem, quæ occidis Prophetas. 235.2.c
15. Abiit in regionem longinquam. 50.1.b
16. Iota vnũ, aut vnus apex nõ præteribit à lege, &c. 82.1.c
17. Vbicunq; fuerit corpus, illic congreg. & aquilæ. 301.2.d
19. Non

19. Non relinquent in te lapidem ſuper lapidem, &c. 93.2.c
21. Cadent in ore gladij, &c. 98.1.c
Non relinquetur lapis ſuper lapidem, qui non deſtruatur. 303.2.c
23. Si in ligno viridi hæc faciunt, &c. 92.2.a
Pater ignoſce illis, &c. 55.2.a
24. Incipiens à Moyſe & omnibus Prophetis, &c. 11.2.c
Aperuit illis ſenſum vt intelligerent ſcripturas. 40.1.a
Nonne hæc oportuit pati Chriſtum? 58.2.d
Duo viri ſteterunt iuxta illos in veſte fulgenti, cum declinarent vultus præ ſplendoris vi. 330.2.d
Interpretabatur illis in omnibus ſcripturis, quæ de ipſo erant. 369.1.c

EX IOANNE.

CAP. 1. Lex per Moyſen data eſt. 19.1.b.20.2.d
Non ex ſanguinibus, &c. Sed ex Deo nati ſunt. 166.2.a
Vnigenitus qui eſt in ſinu Patris. 137.2.c.139.2.e
2. Soluite templum hoc, &c. 171.1.c.183.1.d
Deſcēdit Capharn. & ipſe, & mater eius, & fratres. 312.2.a
Quadraginta & ſex annis ędificatū eſt templū hoc. 341.2.b
Guſtauit aquam vinum factam. 348.1.e
Et manifeſtauit gloriam ſuam. 171.2.a
3. Sic Deus dilexit mundum, vt filium ſuum vnigenitum daret. 414.1.d
Sicut Moyſes exaltauit ſerpentem in deſerto, ita exaltari oportet filium hominis. 478.1.a
4. Fiet in eo fons aquæ, &c. 42.2.c
Spiritus eſt Deus, & eos qui adorant eum in ſpiritu & veritate oportet adorare. 512.1.e
5. Scrutamini Scripturas. 38.2.c
Sicut Pater ſuſcitat mortuos & viuificat, ſic & filius, &c. 73.1.c
7. Si quis ſitit, veniat ad me. 71.1.b
Mea doctrina non eſt mea, ſed eius qui miſit me. 74.1.a
Nunquam ſic locutus eſt homo. 173.1.a
Turba hæc, quæ non nouit legem, maledicti ſunt. 237.1.c
8. Vos ex patre diabolo eſtis. 97.2.b
Antequam Abraham fieret, ego ſum. 73.2.a. 134.1.d
Qui facit peccatum ſeruus eſt peccati. 513.1.a. 516.1.c
9. Fecit lutum ex ſputo. 174.1.a
10. Ego ſum oſtium. 175.2.c
Ego & Pater vnum ſumus. 72.2.e.73.1.c
Homo cum ſis, facis teipſum Deum. 73.2.a
Facta ſunt encænia in Ieroſolymis. 244.2.c
11. Cum eſſet Pontifex anni illius prophetauit. 50. 2. a. 112. 1.e
Si dimittimus eum ſic, omnes credent in eum, & venient Romani, & tollent locum noſtrum, & gentem. 258.2.e
12. Si granum frumenti mortuum fuerit, multum fructum affert. 99.2.e
Ambulate dum lucem habetis, &c. 160.1.d
Hæc dixit Iſaias quando vidit gloriam Chriſti, &c. 38.1.b
13. In hoc cognoſcent oēs, quia diſcipuli mei eſtis. 43.1.a
Sciens quia venit hora eius, vt tranſeat ex hoc mundo ad Patrem. 103.2.b.112.1.a
14. Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis. 43.1.a
Qui videt me, videt & Patrem meum. 141.1.d
15. Ego ſum vitis vera. 180.1.d
Vos palmites. 412.2.a
Omnē palmitē in me nō ferentē fructū tollet eum. 463.1.c
16. Omnia, quæ habet Pater, mea ſunt. 73.1.d
Mulier cū parit, triſtitiā habet, quia venit hora eius. 411.2.a
17. Et mea omnia tua ſunt, & tua mea ſunt. 73.1.d
Clarifica me Pater apud temetipſum claritate quam habui priuſquam mundus eſſet. 134.1.d
18. Regnum meum non eſt de hoc mundo. 91.1.c.462.1.d
19. Quod ſcripſi, ſcripſi, &c. 462.2.b
20. Beati qui non viderunt, & crediderunt. 24.1.c
21. Cum audiſſet, quia Dominus eſt, tunica ſuccinxit ſe, & miſit ſe in mare. Alij autem diſcipuli in nauigio venerunt. 521.1.a

EX ACTIS APOSTOLORVM.

1. Non eſt veſtrū noſſe tempora, vel momenta, &c. 74.1.a
3 Omnes Prophetæ à Samuel, & deinceps, qui locuti ſunt, annuntiauerunt dies iſtos. 369.1.c
Non eſt aliud nomen ſub cælo, in quo nos oporteat ſaluos fieri. 443.2.a
4. Multitudinis credētiū erat cor vnū, & anima vna. 43.1.a
Non eſt in aliquo alio ſalus. 448.2.c
6. Multa turba Sacerdotum obediebat fidei. 33.1.a
7. Ecce video cælos apertos. 8.1.d
Hic fuit in Eccleſia, in ſolitudine cum Angelo, qui loquebatur ei, &c. 22.1.d
Quem prophetarū non ſunt perſecuti patres veſtri? & occiderunt eos, qui prænuntiabāt de aduentu iuſti. 235.2.c
Deus glorię apparuit Abraham cum eſſet in Meſopotamia, & dixit ad eum: Exi de terra tua, &c. 453.1.c
9. Vas electionis eſt mihi iſte vt portet nomē, &c. 444.2.e
10 Vidit cælum apertum & deſcendens vas quoddam, veluti linteum, &c. 43.1.c
Chriſto omnes Prophetæ teſtimonium perhibent remiſſionem peccatorum accipere per nomen eius omnes qui credunt in eum. 369.1.c
Vnxit eum Deus Spiritu ſancto & virtute. 431.2.c
12. Angelus Domini aſtitit, & lumē refulſit in habitaculo, percuſſoq; latere Petri excitauit eū, &c. 424.1.a.480.1.d
Ceciderunt catenæ de manibus eius, &c. 480.1.c
Venerunt ad portam ferream, quæ vltro aperta eſt eis. ibid.
13. Vobis oportebat primum loqui verbū Dei, &c. 29.1.a. 52.1.c. 461.2.a
Sorte diſtribuit eis terram eorum, quaſi poſt 459. annos. 225.1.a
Virum de tribu Beniamin annis 40. &c. 227.1.b
Inueni Dauid filium Ieſſe, virum ſecundum cor meum, qui faciet omnes voluntates meas. 254.2.d. 261.2.d. 422.2.d
14. Vocabant Barnabam Iouem, Paulum verò Mercurium. 33.2.b
15. Quid tentatis Deum ponere iugum ſuper ceruices diſcipulorum? 16.1.c
Viſum eſt Spiritui ſancto, & nobis. 316.2.b
17. Suſceperunt verbū quotidie ſcrutātes ſcripturas. 38.2.e
In eo viuimus, mouemur, & ſumus. 145.1.b
Tempora huius ignorantiæ deſpiciens Deus. 256.2.d
22. Nutritus ſum in iſta ciuitate, ſecus pedes Gamaliel, eruditus iuxta veritatem paternæ legis. 508.1.a
24. Semper & vbique ſuſcipimus optime Felix. 317.1.b
Neque in templo inuenerunt me cum aliquo diſputantem. 507.2.c
28. De ſecta iſta notum eſt nobis, quia vbique ei contradicitur. 477.2.c

EX EPIST. PAVLI AD ROM.

CAP. 1. Non erubeſco Euangelium, virtus enim Dei eſt. 6.2.c.28.2.c
Iuſtitia Dei in Euangelio reuelatur, &c. 26.1.e
Factus ex ſemine Dauid ſecundum carnem. 184.1.c
Virtus Dei eſt, in ſalutem omni credenti, Iudæo primum, & Græco. 461.2.a
2. Gentes oſtendunt opus legis ſcriptum in cordibus. 78. 2.e.4.1.c
Non qui in manifeſto Iudæus eſt, neque quæ in carne circumciſio eſt, &c. 49.2.b
Circumciſio cordis in ſpiritu, non littera, cuius laus non ex hominibus, ſed ex Deo eſt. 437.2.a
3. Iuſtus ex fide viuit. 4.1.d
Chriſtum propoſuit Deus propitiatorem in ſanguine ipſius, &c. 5.2.e
Vbi eſt gloriatio tua? excluſa eſt, per quam legē? &c. 25.1.b
Iuſtificati ſumus gratis per gratiam ipſius, &c. 44.2.c
An Iudęorum Deus tantum? nonne & gentium? imo & gentium. 461.1.e
4 Lex irā operatur: vbi non eſt lex, nec præuaricatio. 4.1.b
Non enim per legem promiſſio Abrahæ, vt eſſet hæres mundi. 9.2.b
Vt ſit pater omnium credentium per præputium, vt reputetur, &c. 49.2.e
Contra ſpem in ſpem credidit, vt fieret pater multarum gentium. 187.2.d
Signum accepit circumciſionis, ſignaculum iuſtitiæ fidei, quæ eſt in præputio.
4. Signum accepit circumciſionis ſignaculum iuſtitiæ fidei. 188.1.a
5. Lex ſubintrauit, vt abundanter delictum. 4.1.e
Per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit, & per peccatum mors. 175.2.c
Vbi abundauit delictum, ſuperabundauit & gratia. 256.2.b
Omnes in Adam peccauerunt. 269.1.a
Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum, &c. 297.2.b
6. Conſepulti ſumus cum illo per baptiſmum in mortem, &c. 115.2.e
7. Paſſiones peccatorum, quæ per legem erant, operantur in membris noſtris. 4.2.b
Occaſione accepta peccatum per mandatum operatum eſt in me, &c. ibid.d
Peccatum non cognoui niſi per legem. 5.1.a
Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ. 3.2.e
8. Miſit Deus filiū ſuū in ſimilitudinē carnis peccati. 6.2.b
Non accepiſtis ſpir. ſeruitutis iterū in timore. 9.2.e.10.1.c
Poſtulabat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. 69.2.a
Diligentibus Deo omnia cooperantur in bonum. 160.2.d
Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? 488.1.b
Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti? &c. 519.1.d
9. Ex quibus eſt Chriſtus ſecundum carnem, qui eſt ſuper omnia

omnia Deus,&c. 72.1.c
Israel sectando legem iustitiæ ad iustitiam non peruenit, &c. 25.2.c
Non omnes,qui ex Israel sunt,ij sunt Israelitæ. 49.2.d
Quorum est adoptio filiorum & gloria, & testamentum, &c. 100.2.a.129.1.e
Optabam ego ipse anathema esse à Christo pro fratribus meis,&c. 129.1.c
19. Fides ex auditu. 66.2.a.113.2.e
Quam specioſi pedes euangelizantium pacem,&c. 27.1.c
11. O altitudo diuitiarũ sciẽtiæ & sapiẽtiæ Dei,&c.45.2.c
Noli altum sapere,sed time. 255.1.d
Conclusit Deus omnia in incredulitatem, &c. 256.2.d
13. Plenitudo legis est dilectio. 4.1.a
Induimini Dominum Iesum Christum. 324.2.d
14. Omnes stabimus ante tribunal Christi. Scriptum est enim, &c. 72.2.a
In hoc Christus mortuus est, & resurrexit, vt mortuorum & viuorum dominetur. 257.2.c
15. Dico Christũ ministrum fuisse circumcisionis,propter veritatẽ Dei,ad cõfirmandas promissiones patrũ.369.2.e
16. Deus cõterat satanã sub pedib. vestris velociter.480.1.d

EX EPIST. I. AD CORINTH.

CAP. 1. Qui factus est nobis sapientia, & iustitia, & sanctificatio,&c. 110.2.c.152.1.b
Verbum crucis iis,qui salui fiunt,Dei virtus est. 6.2.e
Iudæi signa petunt. 322.1.d
Infirma mundi elegit Deus, vt confundat fortia. 420.1.b. 421.1.a
3. Ego fundamentum posui,alius superædificat. 23.1.b
Reuelata facie gloriam Domini speculantes. 12.2.b
Dei ædificatio estis. 44.1.c.99.1.a
4 Illuminabit abscondita tenebrarum. 74.2.d.392.1.b
6. Vos estis templum Dei viui. 44.1.e
Empti estis pretio magno. 177.2.b.446.1.e
7. Quæ nupta est cogitat quæ sunt mundi, quomodo placeat viro: & qui cum vxore est, solicitus est, quæ sunt mundi,quomodo placeat vxori. 290.1.b
9. Non ligabis os boui trituranti. 13.2.b
Qui altari deseruiunt cum altari participant. 325.2.b
10. Videte Israel secundum carnem. 50.1.a
Patres nostri omnes sub nube fuerunt, & omnes in Moyse baptizati sunt,&c. 103.2.d
Petra autem erat Christus. 112.1.c.184.2.c.439.1.e
Bibebant de spirituali consequente eos petra. 5.2.a
In figura contingebant illis. 11.2.d
12. Non debent filij parentibus thesaurizare,sed parentes filiis. 303.2.c
13. Factus sum vir,euacuaui quæ erant paruuli. 19.2.a
Videmus nunc per speculum. 162.2.c.462.2.b
Si habuero omnem fidem, ita vt montes transferam,charitatem autem non habuero,nihil sum. 297.1.e
Charitas non æmulatur. 365.2.b
Velut æs tinniens,aut cymbalum sonans. 467.2.d
15. Adam factus est in spiritum viuificantem. 169.2.e
Primus homo de terra terrenus, secundus homo de cælo cælestis,&c. 258.2.b
Oportet Christum regnare donec ponat inimicos sub pedibus. 388.2.e

EX EPIST. II. AD CORINT.

CAP. 1. Per Christum abundat consolatio nostra. 99.1.a
Sermo meus, qui fuit apud vos,non est in illo, est, & non. 390.2.b
Prædicamus Christum, Iudæis quidem scandalum, gentibus stultitiam. 477.2.d
Gloria nostra hęc est,testimoniũ cõscientiæ nostræ.516.1.a
2. Christi bonus odor sumus. 324.2.d.430.2.d
3. Epistola estis Christi,&c. 3.1.e
Littera occidit,spiritus viuificat. 4.1.e
Obtusi sunt sensus eorum. 12.1.c.38.2.b
Idoneos nos fecit ministros noui Testamenti. 190.2.a
4. Habentes eundem spiritum fidei, secundum quod scriptum est,credidi, &c. 6.1.b.5.1.a
Excæcauit mentes infidelium,&c. 166.2.e
5. Eum, qui non nouerat peccatum, pro nobis peccatum fecit. 116.2.c
Vetera transierunt,ecce facta sunt omnia noua. 19.2.d
Erat Deus in Christo mundum reconcilians sibi. 72.1.c
6. Ecce nũc tẽpus acceptabile,ecce nũc dies salutis.448.2.c
7. Gaudeo non quia contristati estis, sed quia contristati estis secundum Deum. 515.2.a
Quæ secundum Deum tristitia est,pœnitentiam in salutem stabilem operatur. Sæculi autem tristitia mortem operatur. ibid.b
8. Propter vos egenus factus est, cum esset diues, vt illius inopia vos diuites esseris. 410.2.c

EX EPIST. AD GALATAS.

CAP. 1. Licet nos,aut Angelus de cælo euangelizaret vobis, &c. anathema sit. 28.1.e
Alium Apostolorum vidi neminem, nisi Iacobum fratrem Domini. 312.2.a
2. Cognoscite quia qui ex fide sunt, ij sunt filij Abrahæ. 50.1.a
Si per legẽ iustitia,ergo gratis Christus mortuus est.4.1.d
Ex operibus legis non iustificabitur omnis caro. ibid.
Ego per legem,legi mortuus sum,vt Deo viuam. 82.2.c
Qui dilexit me,& tradidit semetipsum pro me. 254.2.c
3. In lege nemo iustificatur apud Deum. 4.1.d.25.1.c
Ex operib. legis spiritũ accepistis,an ex auditu fidei. 5.1.d
Lex pædagogus noster. 9.1.a.19.1.b.257.1.c
In manu mediatoris. 21.2.c
Qui fecerit ea,viuet in eis. 25.1.c
Lex non est ex fide. ibid.
Abrahę dictæ sũt promissiones,& semini eius,&c.188.1.b
Lex propter transgressionem posita est. 15.1.e
Conclusit scriptura omnia sub peccato,&c. 256.1.d
4. Is qui secundùm carnem natus fuerat, persequebatur eum,qui secundùm spiritum. 502.2.e
Illa,quæ sursum est Ierusalem,libera est. 10.1.b
Quanto tempore hæres paruulus est, nihil differt à seruo. ibid.2.b
Misit Deus filium suum,vt eos,qui sub lege erant redimeret. ibid.c
Filioli mei,quos iterum parturio.66.2.c.502.2.a.519.1.b
Cum essemus paruuli sub elementis mundi huius. 257.1.d
5. Plenitudo legis est dilectio. 4.1.b
Caro concupiscit aduersus spiritum. 271.1.b
In Christo Iesu nec circumcisio aliquid valet, nec præputium,sed fides, quæ per charitatem operatur. 463.1.d
Spiritu ambulate,& desideria carnis nõ perficietis.470.1.c
6. Pax super illos,& misericordia,& super Israel Dei. 50.a
Quæ seminauerit homo,hæc & metet. 463.2.a
Alter alterius onera portate. 489.1.a

EX EPIST. AD EPHESIOS.

CAP. 1. Benedixit nos in omni benedictione spirituali in cælestibus,in Christo. 100.1.b.188.1.d
2. Qui fecit vtraque vnum. 16.2.a
3. In charitate radicati & fundati. 280.1.c.426.1.d
5. Propterea relinquet homo patrem & matrem, &c. 13.2.b.64.2.a
Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino. 164.1.c.165.1.b
Nolite inebriari vino, in quo est luxuria, sed repleamini Spiritu sancto. 320.2.c.343.2.a
6. Induite vos armaturam Dei,&c. Quoniam non est nobis colluctatio aduersus carnem & sanguinem,&c. 47.1.c

EX EPIST. AD PHILIPPENSES.

CAP. 2. Humiliauit semetipsum factus obediens,&c. 42.1.c.102.2.d.522.2.b
Cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo,&c. 72.1.c
Cum timore & tremore vestram salutem operamini. Deus est enim,qui operatur in vobis,&c. 208.1.b
Propter quod Deus exaltauit illum. 349.2.a
Exinaniuit semetipsum. 410.2.c
Non vt in præsentia mea tantum, sed multo magis nunc in absentia mea, cum metu & tremore vestram salutem operamini. 422.2.d
Dedit illi nomen, quod est super omne nomen. 431.2.b. 432.1.c.443.2.b.444.2.a
3. Existimo omnia detrimentum esse propter eminentem scientiam Iesu,&c. 19.1.d
Videte malos operarios,videte circumcisionem. 437.1.e
Nos sumus circumcisio,qui spiritu seruimus Deo. 50.1.b
Saluatorem expectamus, qui reformabit corpus humilitatis nostræ,configuratum corpori claritatis suæ.447.2.c

EX EPIST. AD COLOSSENSES.

CAP. 1. In quo habitat plenitudo diuinitatis corporaliter. 72.1.c.171.1.b
In ipso condita sunt vniuersa,&c. 73.1.b
Ipse est ante omnes,& omnia in ipso constant. ibid.c
Primogenitus omnis creaturæ. 134.1.c
2. In ipso inhabitat omnis plenitudo diuinitatis. 171.1.b
Delens quod aduersum nos erat chirographum. 16.2.a
Quæ sunt vmbra futurorum. ibid.d
In Christo circumcisi estis,circumcisione non manu facta, in expoliatione corporis carnis,&c. 437.2.c
3. Omne quodcunque facitis in verbo aut in opere,omnia in nomine Domini nostri Iesu Christi. Gratias agentes Deo & Patri per ipsum. 447.2.d
Induentes nouum hominem,&c. 20.2.a
Nõ ad oculũ seruientes quasi hominibus placẽtes. 391.2.c

EX EPIST. I. AD THESSALON.

CAP. 3. Hoc denunciabamus vobis,quoniam si quis non vult operari,non manducet. 325.2.c

5. Vt integer ſpiritus veſter, & anima, & corpus conſeruetur. 354.1.e

EX EPIST. I. AD TIMOTHEVM.

CAP. 6. Nihil intulimus in hunc mundum, haud dubium quod nec auferre quid poſſumus. 261.1.b

EX EPIST. II. AD TIMOTHEVM.

CAP. 2 Si ſuſtinebimus, & conregnabimus. 336.2.c

4. Repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die, iuſtus Iudex. 305.2.a

Tu vero vigila, in omnibus labora, &c. 425.1.a

EX EPISTOLA AD TITVM.

CAP. 1. Omnia munda mundis. Coinquinatis autem & infidelibus nihil eſt mundum, ſed inquinatæ ſunt eorum mens & conſcientia. 483.1.c

2. Dedit ſemetipſum pro nobis, vt nos redimeret ab omni iniquitate, & mũdaret ſibi populũ acceptabilem. 479.2.e

3. Apparuit humanitas Saluatoris noſtri Dei. 447.2.b. 487.1.c

EX EPISTOLA AD HEBRÆOS.

CAP. 1. Multifariam, multiſque modis, olim Deus, &c. nouiſſimè diebus iſtis locutus eſt nobis in filio. 20.2.d

Tanto melior Angelis effectus, quantò differentiùs præ illis nomen hæreditauit. 290.1.e

Per quem fecit & ſæcula. 73.1.b

Cum iterũ introducit primogenitũ in orbẽ terræ. 389.1.b

2. Si enim qui per Angelos dictus eſt ſermo. 20.2.d. & ſeq.

Quia pueri communicauerunt carni & ſanguini, & ipſe ſimiliter participauit eiſdem, vt per mortem deſtrueret eum, qui habebat mortis imperium. Nuſquam enim Angelos apprehendit. 345.2.b

Minuiſti eum paulo minus ab Angelis. 367.2.d

3. Moyſes fidelis erat in tota domo Dei. 16.2.a.104.2.d

4. Feſtinemus ingredi in illam requiem. 360.1.c

5. Didicit ex iis, quæ paſſus eſt obedientiam. 522.2.c

6. Volens Deus oſtendere pollicitationes hæredibus, &c. interpoſuit iuſiurandum. 99.2.d

7. Reprobatio fit præcedentis mandati. 6.2.d.16.1.b

Traſlato ſacerdotio, neceſſe eſt vt & legis tranſlatio fiat. 16.1.a

Manifeſtum eſt quod ex Iuda ortus eſt Dominus, &c. 179.1.a 246.2.a

Melchiſedec Rex Salem. 407.1.c

Talis decebat vt nobis eſſet Pontifex, ſanctus, innocens, impollutus, ſegregatus à peccatoribus. 499.1.c

8. Hoc eſt Teſtamentum, &c. 3.1.d

In melioribus repromiſſionibus ſancitum eſt. 8.2.c

Teſtamentum nouum manet in æternum. 16.1.a

9. Vbi eſt teſtamentum, mors neceſſe eſt intercedat teſtatoris. 2.2.a

Munera & hoſtiæ offeruntur, quæ non poſſunt iuxta conſcientiam, &c. 7.1.a

In ſecundo tabernaculo ſemel in anno ſolus Pontifex introibat. 7.2.b

Si ſanguis hircorum & taurorum, & cinis vitulæ aſperſus inquinatos ſanctificat ad emundationem carnis. Quanto magis ſanguis Chriſti emundabit conſcientiam noſtram. 479.1.e

10. Irritam quis faciens legem Moyſi ſine vlla miſeratione, &c. moritur. 4.2.e

Vna oblatione conſummauit in æternũ ſanctificatos. 6.2.a

Per velamen, id eſt, carnem ſuam. 178.1.d

11. Iuxta fidem defuncti ſunt omnes iſti. 9.1.c

Sine fide impoſſibile eſt placere Deo. 23.1.a

Credere oportet accedentem ad Deum, quia eſt. ibid.d

Sperandarum ſubſtantia rerum, argumentum non apparentium. 24.1.e.26.1.b

Qui hec dicunt ſignificant ſe patriam inquirere, &c. 48.1.e

Fide obtulit Abraham, Iſaac, cum tentaretur. Et vnigenitum offerebat, qui ſuſceperat repromiſſiones, &c. 259.1.d

12. Melius clamantem, quam Abel. 98.2.b

Aſpiciẽtes in autorẽ fidei, & cõſummatorẽ Ieſum. 184.1.a

Non acceeſſiſtis ad tractabilem montem, &c. 11.1.d

Recogitate eum, qui talem ſuſtinuit à peccatoribus aduerſus ſemetipſum contradictionem. 477.2.d

13. Eduxit de mortuis paſtorem magnũ ouium, &c. 15.1.b

Obedite præpoſitis veſtris, & ſubiacete eis, ipſi enim peruigilant, &c. 425.1.b

EX EPISTOLA D. IACOBI.

CAP. 1. Omne datum optimum, & omne donum perfectum deſurſum eſt, deſcendens à Patre luminum, apud quem, &c. 163.2.c

Voluntariè genuit nos, vt ſimus initium aliquod creaturæ eius. 164.1.a

Concupiſcentia cùm conceperit, parit peccatum, peccatum verò cùm conſummatum fuerit, generat mortẽ. 480.1.a

2. Fides ſi nõ habeat opera, mortua eſt in ſemetipſa. 403.1.c

4. Adulteri, neſcitis, quod amicitia huius mundi inimica eſt Dei? &c. 162.1.b

An putatis quia inaniter ſcriptura dicat, ad inuidiam concupiſcit ſpiritus qui habitat in vobis? ibid.c

EX I. EPISTOLA D. PETRI.

CAP. 1. Præcogniti ante mundi conſtitutionem, manifeſtati autem nouiſſimis temporibus. 256.1.b

Non enim doctas fabulas ſecuti, notam fecimus vobis Domini noſtri Ieſu Chriſti virtutem, &c. 27.1.c

2. Ipſi tanquam lapides viui ſuperædificamini. 489.1.a

Abſtinete vos à carnalibus deſideriis, quæ militant aduerſus animam. 271.1.b

Vos genus electum, regale ſacerdotium.

3. Mulieres ſubditæ ſint viris ſuis, ſicut Sara obediebat Abrahæ, Dominum eum vocans. 508.2.d

Quarum non ſit extrinſecus capillatura, aut circumdatio auri, aut indumenti veſtimentorũ cultus. Sed qui abſconditus eſt cordis homo in incorruptibilitate quieti & modeſti ſpiritus, qui eſt in conſpectu Dei locuples. 285.1.a

Octo animæ ſaluæ factæ ſunt per aquam, quod & nos nunc ſimilis formæ baptiſma ſaluos facit. 433.2.a

4. Qui paſſus eſt in carne, deſiit à peccatis, vt iam non deſideriis hominum, ſed voluntati Dei quod reliquum eſt in carne, viuat temporis. 422.2.c

5. Omnẽ ſolicitudinem veſtram proiicientes in eum, quoniam ipſi cura eſt de vobis. 392.1.d

EX II. EPISTOLA D. PETRI.

CAP. 2. Spiritu ſancto inſpirati locuti ſunt ſancti Dei homines. 27.2.b

Canis reuerſus ad ſuum vomitum, & ſus lota in volutabro luti. 470.2.c

EX EPISTOLA I. D. IOANNIS.

CAP. 1. Quod fuit ab initio, quod audiuimus, quod vidimus oculis noſtris, &c. 27.2.a.171.1.e

Annuntiamus vobis vitam æternam, quæ erat apud Patrem, & apparuit nobis. 146.1.d

2. Qui dicit ſe noſſe Deum, & mandata eius non cuſtodit mendax eſt. 166.2b

3. Chariſſimi nunc filij Dei ſumus, &c. 186.d

4. Qui manet in charitate in Deo manet, & Deus in eo. 297.1.c

Multi pſeudoprophetæ exierunt in mundum, &c. 28.1.d

5. Filius Dei venit, & dedit nobis ſenſum. 72.1.d

Tres ſunt, qui teſtimonium dant in cælo, Pater, Verbum, & Spiritus ſanctus, &c. 73.1.a

EX APOCALYPSI.

CAP. 1. De ore eius gladius exibat. 63.2.e

Ego ſum primus & nouiſſimus. 256.1.b

3. Sto ad oſtium, & pulſo. 362.2.e

4. Procidebant 24. Seniores ante ſedentem in throno, & adorabant viuentem in ſæcula ſæculorum, & mittebant coronas ſuas ante thronum. 460.1.e

Requiem non habebant die ac nocte dicentia, Sanctus, &c. 357.1.d

Animalia plena oculis. 424.2.d

5. Vicit Leo de tribu Iuda. 179.1.a

Dignus eſt Agnus, qui occiſus eſt, accipere virtutem & diuinitatem. 73.2.c.431.2.c

7. Vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat. 298.2.a

11. Dabo duobus teſtibus meis, & prophetabunt diebus mille ducentis ſexaginta amicti ſaccis, &c. 235.2.c

Viſa eſt arca Teſtamenti, & facta ſunt fulgura, & voces, &c. 263.1.a

12. Mulier amicta Sole & Luna ſub pedibus eius & in capite eius corona ſtellarum duodecim. 65.2.c. 265.1.b. 279.1.d. 284.1.b. 297.2.c. 306.2.d. 307.2.a. 324.2.c. 463.1.b. 485.1.c

Michael & Angeli eius præliabantur cum dracone. 424.1.c

Clamabat parturiens. 66.2.c

Draco ſtetit ante mulierem, &c. 499.1.e

13. Agnus occiſus ab origine mundi. 5.2.d

14. Opera illorum ſequuntur illos. 261.2.a

Ecce Agnus ſtabat ſuper montem Sion. 464.2.e

17. Aquæ populi ſunt. 1.2.a

19. Ecce equus albus, & qui ſedebat ſuper eum, &c. & veſtitus erat veſte aſperſa ſanguine, & exercitus qui ſunt in cælo ſequebantur eum, &c. 62.2.a

De ore eius procedit gladius. 63.2.e

Venerunt nuptiæ Agni, & vxor eius præparauit ſe, & datum eſt illi vt cooperiat ſe byſſino, &c. 66.1.d

20. Hæc eſt mors ſecunda. 63.1.d

Soluetur ſatanas de carcere ſuo, & exibit, & ſeducet gentes, &c. 62.2.d

21. Non introibit in eam aliquod coinquinatum. 482.2.b. 484.2.d

Ciuitas aurum mundum ſimile vitro mundo. ibid.

Abſterget Deus omnem lachrymam ab oculis eorum, & mors vltra non erit, &c. 442.1.b


Fundamenta muri ciuitatis omni lapide pretioſo ornata. 266.2.c

22. Ego ſum radix & genus Dauid. 185.1.b

FINIS.

BIBLIOTECA PROVINCIAL SORIA





Stant.a Top.a
Est. 20
Tab. 5a
Num. 1

2386
2574